

REVERENDI PATRIS

GAUDENTIJ BONTEMPI, BRIXIENSIS,

ORDINIS CAPUCINORUM
Sacræ Theologiæ Professoris.

PALLADIUM THEOLOGICUM,

SEV

TOTA THEOLOGIA SCHOLASTICA.

In septem Tomos distributa.

AD INTIMAM MENTEM D. BONAVENTVRÆ
SERAPHICI DOCTORIS,

Cuius eximiæ Doctrinæ raptæ restituuntur, sententiæ impugnatæ propugnantur.
In qua diuinæ Sapientiæ Thesauri, dudum depositi, jam recens effossi, erutique, mundo elucent.

Tomus Quintus, De Virtutibus.



LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE,
IOAN. & PETRI ARNAVD.

M. DC. LXXVI.
CVM PRIVILEGIO REGIS.





IN LAVDEM
SACRÆ THEOLOGIÆ,
LVDOVICO XIV.
GALLORVM REGI,
DICATÆ
AB ADM. R. P. GAVDENTIO BONTEMPO
à Brixia Concionatore Capucino.

ELOGIVM.



HRISTIANISSIMO,
POTENTISSIMO,
Inuictißimoque Principi;
Inter meliores Optimus,
Inter Optimos Maximus,
Prudentiæ Fons,
Bonitatis Speculum,
Gloriæ Phœbus,
Religionis Cultor,
Iustitiæ Defensor,
Pietatis Pater,
Defectorum Domator,
Cujus nutibus totus penè Terrarum moderatur Orbis,
Hæc Theologica volumina
Gaudens GAVDENTIVS à Brixia
D. D. D.
Sub Italico Climate Gallica Lilia subodorauit fragrantiâ
(Tantùm valet virtus.)
Natis è Iunone Iouis conjuge LILIIS
Hæreditario jure eis Regna debentur Iouis.
In CHRISTIANISSIMO redintiuum TRIMEGISTVM

Extaticus contemplatur Orbis;
In cuius animi amplitudine
RELIGIO, VIRTVS, REGIA MAIESTAS
Æqua lance contendunt.
Vt in Stemmate LILIA, sic in opere NIL CANDIDIVS:
REDOLET PROCVL, ET DIV, SVPERGREDITVR OMNES.
Quid mirum?
Lilium stemmatis delatum fuit ab Angelis Regi Fräcorum.
Aliter ne FLOS, cœlesti semine natus, è Cœlo Angelica manu delatus?
Tanta siderum clementia excessit humana sortis fastigium
CHRISTIANISSIMVS,
Habet commune cum Superis:
Pascentem inter Lilia Liliatus insequitur;
Glorietur de PRIMOGENITO tanto Apostolica sedes.
Fremit malorum versutia, læta GAVDET GAVDENTII virtus
Sub NVMINE GALLO,
Digna cordium hecatombe.
Majora tibi debentur, & habuisses
LVDOVICE,
Ni GAVDENTII calamus fuisset præmatura falce succisus.
Proh dolor?
Sæua mors, dirum heu fatum, Parca crudelis,
Vel in vno GAVDENTIO omnium gaudia ità rescindis?
Niuei LILII, niuei moris Amasius,
SERAPHICO redolens FLAMINE, SERAPHICA eruditus
SAPIENTIA,
Quod semel impressit in libris, in se semper expressit.
Vnde nam?
Hauserat BONAVENTVRÆ æmulator in GAVDIO de VIVO
FONTE aquas.
Quem Suo læta sinu lactauerat CAPVCINA RELIGIO,
Et nunc elegiaco carmine prosequendum? absit.
Calculi morbo decessit.
Absorpta morte in victoria felix Regna petiuit Olympi.
Lapides illi dulces fuerunt, vidit enim cœlos apertos.
Euacuata fide, haud in ænigmate, at facie ad faciem
Quem semper fuerat speculatus in terris
GAVDENTIVS
Inter æterna GAVDIA GAVDIO videt duraturo in Ævum.
Io viue,
Io GAVDE GAVDENTI,
Io Lætare,
Per LVDOVICVM viuis in terris,
Num diuisum Imperium?
Per DEVM in Cœlis.

F. CLEMENS, à Brixia Concionator Capucinus.

FACVLTAS

FACULTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

NOS F. Stephanus à Cæsenna totios Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum Generalis minister, licèt immeritus, virtute & tenore præsentium concedimus, vt seruatis seruandis, Typis mandetur Opus, cui titulus: PALLADIVM THEOLOGICVM, *seu tota Theologia Scholastica ad mentem D. Bonauenturæ*, à R. P. GAVDENTIO BONTEMPO, ex Prouincia Brixiensi, olim Ordinis nostri Concionatore, & Sacræ Theologiæ Prælectore compositum; & in septem Tomos distributum: Opus quippè ad stateram reuisionis per aliquos Theologos, à nobis deputatos, ita sedulò appensum, & approbatum; vt nihil sit minus habens inuentum, quinimò Seraphicam Doctrinam, præclarè elucidatam, omnium oculis objicere censeatur: In quorum fidem, his, solito nostro sigillo firmatis, manu propria subscripsimus.

Datum Parisiis in Conuentu nostro Assumptionis, die 20. Maij 1674.

Fr. STEPHANVS MINISTER Generalis.

Approbatio Theologorum Ordinis.

NOs infra scripti Theologi, à R. P. Stephano à Cæsenna, Generali Ordinis nostri Ministro, deputati ad reuisionem operis, cui titulus: PALLADIVM THEOLOGICVM, *seu tota Theologia Scholastica ad mentem D. Bonauenturæ*, Authore R. P. GAVDENTIO BONTEMPO Brixiensi, Concionatore Capucino, & Sacræ Theologiæ prælectore: fidem facimus, Tomum hunc quintum, *de Virtutibus* inscriptum, à nobis solerti studio perlectum, Orthodoxæ veritati nullibi refragari, Christianisue moribus obsistere; sed vtique mirificè obsequi; dignumque esse censemus, quòd prælo premente, publicæ fiat lucis, & juris.

Dat. in Conuentu nostro Assumptionis Parisiis die 4. Maij 1674.

Fr. CYPRIANVS GAMACHÆVS Concionator Capucinus, olim Serenissimæ Brittanniarum Reginæ Matris à Sacris.

Fr. FRANCISCVS COSSIN Concionator Capucinus, & Lector Theologus.

APPROBATIO.

SPeciali huiusce operis mihi reuisione commissa à R. P. Stephano à Cæsenna, Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum Generali Ministro; testor, Tomum hunc quintum *De Virtutibus*, à R. P. GAVDENTIO BONTEMPO compsitum summariè suum exprimere Authorem, verbisque sincerè virtutes, quas ille exercuit, factis exerere. Absit itaque, quòd obsit in minimo fidei, sanctis sanisue moribus, cùm Evangelicæ veritati, & virtuti propugnandæ, & propagandæ ita strenuè insistat, vt vere sit Armatura fortium, & Clypeus munitissimus, in quo sectatiorum ignita tela facilè extinguuntur. Quapropter, vt Typis supputetur, dignissimum sentio, sic enim lucem, quam è prælo suscipiet, cum Sacrâ & Religiosâ vsura, legentibus publicè reddet.

Datum Lugduni in Conuentu nostro S. Andreæ, die 8. Octobris 1676.

F. ANDRÆAS NVGENTIVS, ab Hybernia Concionator Capucinus, & Apostolicus Missionarius.

APPROBATIO.

TOmum hunc de virtutibus, à R.P. GAVDENTIO BONTEMPO, Brixiensi Capucino, Concionatore & lectore Theologo eximiè compositum, non impigei legi, ita mihi demandante R. P. Stephano à Cæsenna, Ordinis nostri Generali ministro, nec in eo quidquam offendi, quod vel moribus Christianis officiat, vel fidei Orthodoxæ non obsequatur; Quapropter vt Typis committatur, fidei, morumque interesse, haud dubius Sentio.

Lugduni in Conuentu S. Andreæ, die 10. Octobris 1676.

F. CALIXTVS BVRGENSIS, Concionator Capucinus, & Sacræ Theologiæ Lector.

Summa Priuilegij Regis Christianissimi.

AVthoritate Regis Cautum est, ne quis in suo regno, aliisvè locis suæ ditioni subditis, intra decem proximos annos, librum, qui sic inscribitur: PALLADIVM THEOLOGICVM, *seu tota Theologia Scholastica &c. Tomus Quintus*, absque LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, JOANNIS, & PETRI ARNAVD, Bibliopolarum Lugdunensium permissu, imprimat, aut diuendat, à die publicationis horum exemplarium. Qui secùs fecerit, pœna indictâ, pro vt amplius in Diplomate Regio continetur, mulctabitur. Datum Parisiis. De mandato Regis. Signatum LE NORMANT.

Prima editionis prælum cessauit die primo Nouembris, anno 1676.

ẽ 3 INDEX



INDEX

DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM, Sectionum, & Dubit. quæ in hoc Tomo Quinto,

DE VIRTVTIBVS,

In ſeptem Tractatus diuiſo continentur.

TRACTATVS PRIMVS.

DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS.

DISPVTATIO PRIMA.

De Fide.

DVBITATIONES.

II. Vtrum

QVÆSTIO XXXI.

De dono Sapientiæ.

DISPVTATIO II.

De Infidelitate.

DISPVTATIO III.

De Hæresi.

DISPVTATIO IV.

De Spe.

DVBITATIO VNICA.

DISPVTATIO V.

De Dono Timoris.

IV. An

DISPVTATIO VI.

De Desperatione.

DISPVTATIO VII.

De Præsumptione.

DISPVTATIO VIII.

De Charitate.

DISPVTATIO IX.

De effectibus internis Charitatis, Gaudio, Pace, & Misericordia.

SECTIO PRIMA.

De Gaudio. pag.133

SECTIO II.

De Pace.

SECTIO III.

De Misericordia.

DISPVTATIO X.

De effectibus externis Charitatis.

SECTIO PRIMA.

De Beneficentia.

SECTIO II.

De Eleemosyna.

SECTIO III.

De correctione fraterna.

DISPVTATIO XI.

De Odio.

DISPVTATIO XII.

De Accedia.

DISPVTATIO XIII.

De Inuidia.

DISPVTATIO XIV.

De Discordia, & Contentione.

DISPVTATIO XV.
De Schismate.

DISPVTATIO XVI.
De Bello.

DISPVTATIO XVII.
De Rixa, & Seditione.

DISPVTATIO XVIII.
De Scandalo.

DISPVTATIO XIX.
De dono Sapientiæ.

DISPVTATIO XX.
De Prudentia.

SECTIONES.

DISPVTATIO XXI.
De dono Consilij.

DISPVTATIO XXII.
De vitiis contrariis Prudentiæ.

DISPVTATIO XXIII.

De Iustitia.

DISPVTATIO XXIV.

De Restitutione.

DVBITATIONES.

SVBQVÆSTIO I.

Quid sit restituendum, spectatis rebus, quæ sunt bona nostra. pag.208

SVBQVÆSTIO II.

Quæ res sint restituendæ ratione modi, quâ fuerunt acquisitæ. pag.213

SVBQVÆSTIO III.

De restitutione debita ex impeditis alicui bonis. pag.220

SVBQVÆSTIO IV.

De aliis duabus causis excusantibus à restitutione ex parte debitoris. pag.225

DISPVTATIO XXV.

De Acceptione Personarum.

DISPVTATIO XXVI.

De Homicidio.

SVBQVÆSTIO VNICA.

Quæ sint pœnæ Canonum, Homicidis imposita. pag. 242.

DISPVTATIO XXVII.

De Furto, & Rapina.

DVBITATIO VNICA.

Quæ sit quantitas grauis furti Filiorum, vxoris, & Religiosorum. pag. 264

DISPVTATIO XXVIII.

De Iudice.

V. An

DISPVTATIO XXIX.

De Reo.

DISPVTATIO XXX.

De Teſtibus.

DISPVTATIO XXXI.

De Aduocato.

DISPVTATIO XXXII.

De Notario, & Tabellione.

DISPVTATIO XXXIII.

De Contumelia.

DISPVTATIO XXXIV.

De Detractione.

DISPVTATIO XXXV.

De Suſurratione.

INDEX
TRACTATVS SECVNDI,
DE CONTRACTIBVS.

DISPVTATIO PRIMA.
De Contractibus in genere.

DISPVTATIO II.
De acquisitione Dominij in personas, & res alias per diuisionem rerum acquisitas.

DISPVTATIO III.
De Promissione.

DISPVTATIO IV.
De Donatione.

DISPVTATIO V.
De Emptione & Venditione.

DISPVTATIO VI.
De Mutuo, & Vsura.

DISPVTATIO VII.

De Censibus.

DISPVTATIO VIII.

De Cambio.

DISPVTATIO IX.

De Contractu Societatis.

DISPVTATIO X.

De Emphyteusi, Locatione, Conductione, & Feudo.

DISPVTATIO XI.

De Testamentis.

DISPVTATIO XII.

De Legatis.

INDEX TRACTATVS TERTII,

DE RELIGIONE.

DISPVTATIO PRIMA.

De Religione in genere.

INDEX TRACTATVS QVARTI, *DE VOTIS.*

VIII. An

DISPVTATIO II.

De Statu Religionis; seu de Votis Solemnibus.

SECTIO I.

De Votis Religiosorum in communi. pag. 465

DISPVTATIO III.

De Obedientiæ Voto.

DISPVTATIO IV.

De Voto Paupertatis.

DISPVTATIO V.

De Voto Caſtitatis.

SVBQVÆSTIONES.

DISPVTATIO VI.

De Iuramento.

DISPVTATIO VI.

De Adiuratione.

DISPVTATIO VII.

De diuinis Laudibus.

DISPVTATIO VIII.

De obſeruatione dierum feſtorum.

DISPVTATIO IX.

De ſuperſtitione.

DISPVTATIO X.

De tentatione Dei.

DISPVTATIO XI.

De Sacrilegio.

DISPVTATIO XII.

De Simonia.

DISPVTATIO XIII.

De cæteris virtutibus iuſtitiæ adnexis.

SECTIO PRIMA.

De Pietate.

SECTIO II.

De obseruantia, Reuerentia, & Dulia.

SECTIO III.

De Obedientia, & Inobedientia.

SECTIO IV.

De Gratitudine, & Vindicatione, & Vitiis oppositis.

SECTIO V.

De Veritate, Amicitia, Liberalitate, Epikeia, & oppositis vitiis. De dono Pietatis, & præceptis decalogi, ad iustitiam spectantibus.

DVBITATIONES.



INDEX
TRACTATVS QVINTI,
DE FORTITVDINE.

DISPVTATIO PRIMA.
De fortitudine.

DISPVTATIO II.
De Virtutibus Fortitudini oppositis.

INDEX
TRACTATVS SEXTI,
DE TEMPERANTIA.

DISPVTATIO PRIMA.
De Virtute Temperantiæ.

SVBQVÆSTIO VNICA.
De Ieiunio.

SVBDVBITATIONES.

DISPVTATIO III.

De vitiis oppositis virtuti Temperantiæ.

DVBITATIONES.

SVBDVBITATIONES.



INDEX
TRACTATVS SEPTIMI,
DE VARIIS HOMINVM STATIBVS.

DISPVTATIO PRIMA.
De Statibus, & perfectione in communi.

DVBITATIONES.

DISPVTATIO II.
De Statu Episcopi.

DISPVTATIO III.
De Statu Prælaturæ Regularis.

DISPV

DISPVTATIO VLTIMA.

De Statu vitæ actiuæ, & contemplatiuæ.

Finis Indicis Tract. de Virtutibus.

APPARATVS



APPARATVS
IN
SECVNDAM SECVNDÆ
SVMMÆ THEOLOGICÆ,
AD MENTEM
D. BONAVENTVRÆ.



RATIAM è limpidissimo Diuinitatis fonte, Copiosis profluentem vndis, comitantur varij virtutum riuuli: Cùm igitur tractatu superiori Diuinam hanc Saluatoris aquam, quantò profundiùs descendentem, tantò altiùs resilientem, à Deo gratâ gratuitáque diffusione primò manantem, posteà placidissimè in anima habituali statione stagnantem perspexerim; Operæ pretium est, vt hic de virtutibus agamus. Totus porrò in eo est Seraphicus Noster Bonauentura, vt terrenis affectibus cœlicas cannas superstruens, hæc gratiæ fluenta per difficiles cordis meatus in fidelem Animam deducere queat, quæ tandem salutari hoc diluuio subuecta, paradisum, vndè misere ceciderat, fœliciter conscendat, clametque ad Dominum Deum suum *exaltasti super terram habitationem meam.* Hunc in finem vt nihil Animæ non opituletur, non solùm virtutibus fulcitur, ne versus terram obliquetur, verùm donis adhuc promouetur, vt fideliùs, faciliúsque operetur; Beatitudinibus prouehitur, vt perfectiùs assequatur; fructibus denique prouocatur & saturatur, vt sui immemor, gustans, & videns *Quàm suauis est Dominus*, in illum protinus prorsúsque absorbeatur. At quia quantò plus Diuinorum charismatum capit Anima, tantò fit Capacior: Hinc primùm virtutes Theologicas, quibus SS. Trinitatis sigillo reformatur, in trinario suscipit numero; Inde Cardinales quatuor; Dona deinde septem; dein Beatitudines octo; Fructus demum duodecim capescit. De his omnibus, sicut & de virtutibus in genere, Tomo quarto, actum est inter actus humanos. Hic verò speciebus Virtutum elucidandis sedulò restat incumbendum; inter has præcipuè emicant præfatæ septem, quarum tres primæ circa

Deum immediatè negotiantur; Sequentes autem quatuor proximum propiùs respiciunt: Illæ è suo officio nobilius præ cæteris nomen hæreditarunt seseque Mariæ, dudum ad pedes Domini quiescenti, in meliorem partem desponsarunt: istæ autem Marthæ actitanti, & circa plurima inter vitæ actiuæ Cardines mobiliter versanti obsequuntur; vnde Cardinales nuncupantur. Subsequitur speciosa aliarum virtutum turma; quibus quid Deo, quid nobis, quídve proximo debeamus, ad amussim soluere satagamus: Verùm ex aduersa parte stat geminata vitiorum acies, quæ vtrinque virtutem eò fortius vrgent, quod certaminis campum, priùs occupatum, sibi adaptarint: His tamen dignoscendis, & è suis latebris strenuè profligandis etiam satagendum est: Hoc enim Moralis Theologi præcipuum munus est, cùm nullus vitam benè queat instituere, vt virtutis est opus, dum eam vitiorum incursibus sinat prostitui? Nec aliud est virtus, vt notat S. Doctor *de profectu Relig. lib.* 1. *cap.* 23. quàm vitiorum curatio, aut carentia; Ea etenim naturæ nostræ pro nunc est conditio, vt è duobus ei detur optio, vt aut virtutibus fortiter incumbat, aut vitiis turpiter succumbat: His, illisve si quid hæretica obstinatione, aut improbabili opinatione sit adscriptum, Flammeo Cheru-Seraphici Bonauenturæ gladio, qua parte versatili, resecandum curabimus. Qua verò parte flammeus est, propria manu vibratus, non tam Scholastica digladiatione, quàm Anagogica cordis verberatione, Errores abigit, & Veritatis ardorem, simul & lumen accendit.



TRACTATVS



TRACTATVS PRIMVS
DE
VIRTVTIBVS THEOLOGICIS.

PROOEMIVM.



STVTISSIMVS Serpens, totum prorsus peremptu- rus hominum genus, ipsos Protoplastos adortus est, vt infecta stirps conceptum virus in totam propaginem latiùs diffunderet; Haud secus Heretici, hoc nostro præsertim sæculo, sectariorum feracissimo, in ipsum veritatis fontem lethalę Aconitum iniicere nefario sunt ausu moliti, vt vnde Christiani Iuperij moles altiùs surrexerit, inde radicitùs corrueret; & negata fide, primæ veritatis veracitate nixâ, cætera quæque falsitatis suspecta, facilè arguerentur: Hinc pro fide inanem fiduciam, pro spe desperandam præsumptionem, pro denique charitate, dilectionis Impossibilitatem credulo Vulgo insinuant. Ita eximij hi Theologastri de Deo eloqui didicere; sic Lutherus cum sequacibus, dum in tumidam suæ salutis certitudinem insolescit, Christum Dominum Barathri pœnas, non minus animâ, & corpore, quàm diuinitate subiisse, impio dogmate concludit; sic enim promit suam insaniam ad Psalm. 16. vt notat noster Bouerius *examine secundo de fidei vnitate, art. 5.* Caluinus verò, dum in imputandæ sibi iustitiæ præsumptionem intumescit, Christum Saluatorem in ipsius gloriæ vestibulo, & inter meritorum cumulos desperabundum clamat: ita latrat ad 26. *Matthæi*, vt notat etiam Bouerius *exam. 1. Atheismo* 9. De charitate denique ita sentit vterque, vt non nisi Ironicè eam Deum, sicut & mandata, præcepisse perfrictis frontibus asserant in ea Euangelij verba: *Si vis ingredi ad vitam, serua mandata.* Hos, vti & cæteros huiusmodi, errores expungendos curarunt ex professo plurimi, & quidem efficaciter; sed cuius, vel quibus rationibus, in huius tractatus decursu patebit, dum vnamquamque opinionem, errorem ve ad mentem D. Bonauenturæ discutere contigerit.

DISPVTATIO PRIMA.

DE FIDE.

OL non aliter, quàm lumine, quod ipse dederit, videtur; nec aliena luce Deus patitur videri: Sola fides, vnde ipsa venerit, eò viam demonstrat. Hæc est lux illa in Microcosmo primò creata, noctem à die segregans, cœlicarum virtutum quidem primogenita, ideò primo loco proponenda: Ex parte affulget, & ex parte offuscat, vti Columna illa nubis, Israëlitis sanè lucida, Ægyptiis verò tenebrosa: Est quidem Speculum, multa obscuritate, nulla tamen erroris maculâ offusum, in modica specie, magna exhibens: Est etiam Scutum illud triangulum, quod Deum nobis trinum & vnum ostendens, omnia nequissimi tela extinguit: Ipsum in omnibus sumentes, in fide fortiter resistemus, suis, quas parturit rationibus, ipsam pro viribus propugnantes.

QVÆSTIO I.

Quid FIDES *significet, & quid sit.*

D.Bonauent. in 3. dist.23. dub 2. litt. & quæst.5.
D.Thom.2 2. quæst.1. art.1. & quæst.4. art.1.

1 IDES dicitur ex *fit*, & *dicitur*, eò quòd fit, quod dicitur. Ità D. Augustin. *epist.* 19. *ad Hieronymum.* Sumpsit autem hoc ex Tullio, *lib.* 1. *offic.* vbi ait: *Credimus, quia fiat, quod dictum est, appellatam fidem.*

HINC decem modi emanarunt, quibus Fides accipitur apud D. Bonauenturam. Primò enim sumitur pro Sponsione, quo sensu de nonnullis ait Apostolus, prima Timoth.5. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*; idest, primam fidem ex voto debitam, quia vouerunt, & non reddiderunt, vt explicat S.August. *psalm.*75. & eodem sensu, *L. de Spiritu; & litt.* cap.31. *Aliter* (inquit) *dicimus, non mihi habuit fidem: aliter autem, non mihi seruauit fidem. Nam illud est, non credidit quod dixi: istud; non fecit, quod dixit.* Inde fides sumitur secundò pro Fidelitate in seruando promisso. Sic
2 Deus dicitur fidelis, *Psalm.*144. & prima *Corinth.*10. Ideò è regione *Hierem.* 7. ait de hominibus: *Periit fides in terra.* Tertiò sumitur Fides pro Conscientia, Rom.14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Quartò sumitur pro Sacramento fidei, seu Baptismo, quo sensu D. August. *epist.*23. ad Bonifacium ait: *Non est aliud, paruulos habere fidem, quàm habere fidei Sacramentum.* Quintò sumitur pro Assensu conclusionis, per rationem probatæ. Secundum hoc ait Boët. *Argumentum est ratio rei dubiæ, faciens fidem.* Sextò sumitur pro Cognitione comprehensionis. Sic dicitur Rom.1. *Iustitia Dei reuelatur ex fide in fidem.* Glossa: *In fidem spei, quæ dicitur fides, quia fidentissima, & certissima est.* Septimò sumitur pro Habitu fidei informis, Iacobi 2. *Fides sine operibus mortua est.* Octauò pro Habitu fidei formatæ, Rom,1. *Iustus ex fide viuit.* Nonò pro Actu fidei, vt dicit S.Augustinus Tract.40. in Ioan. *Fides est credere, quod non vides.* Decimò sumitur pro Obiecto fidei, vt dicitur in Symbolo Athanasij: *Hæc est fides Catholica.* Apoc.2. *Non negasti fidem.*

SVMITVR latiùs etiam pro bona existimatione: vt cùm dicitur aliquis nullius esse fidei. Eccl.27. *Qui detegit arcana, fidem perdit*; E contra, dicitur fide dignus, qui dicitur habere creditum. 3

HIS modis analogia quadam nominatur Fides. Nos verò in hac disputatione agemus de fide Theologica, quæ est Habitus ad intellectum pertinens, quo infallibiliter, & sine vlla formidine credimus reuelatis à Deo, ob Dei reuelantis authoritatem; & est nostræ Iustificationis initium, & reliquarum virtutum Radix, & Fundamentum.

PORRO illa fides, de qua Iacob. cap. 1. *Postulet autem in fide, nihil hæsitans*: & Matth.14. *Modicæ fidei quare dubitasti?* Et Marci 11. *Si habueritis fidem, dicetis monti huic, &c.* Potiùs ad Spem reducitur, & est fiducia, vt monet Suarez *sect.*1. tametsi Caspensis *disp.*1. *sect.*1. velit includere fidem Catholicam, quod non renuo. Ideò enim arbitror dixisse Apostolum: *Et si habuero omnem fidem, ità vt montes transferam, &c.* prima Corinth.13. 4

FIDEM sanè cum Spe connexam ostendit definitio fidei, tradita Heb.11. *Est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Dicitur: *substantia*, seu subsistentia *rerum sperandarum*, quia est fundamentum spei, nam per eam subsistunt quodammodò in nobis res, quas speramus, quia proprium est fidei fulcire Spem, & Fiduciam; non enim posset homo sperare, nisi crederet. Dicitur *argumentum*, siue conuictio, quia fides debet esse assensus non minùs ex Diuina authoritate firmus, quàm sit assensus euidens, quo intellectus conuincitur, & ex necessitate inducitur. Additur *non apparentium*, quia fides debet esse de rebus, quæ non videntur. Ità exponitur à D. Bonauent. *quæst.* 3. *adducta* ex D. Augustino *lib.*2. *de peccatorum meritis, & remiss. cap.*21. & aliis Patribus. Quapropter insulsè, & insolenter Erasmus negat, hanc esse fidei definitionem. Vide S. Doctorem, & Valentiam *disp.*1. *quæst.*4. *puncto* 1. cum D. Thom. *quæst.*4. *art.*1. Notandum *Tract. de fide, quæst.*12. Cum hac conueniunt aliæ definitiones fidei, allatæ a Patribus, è quibus aliquas refert Tannerus *quæst.*7. *dub.*5. 5

HANC

6 Hanc verò eſſe veram fidei definitionem, docent omnes Theologi cum ſanctis Patribus, Baſilio *in pſalm.* 115. Gregorio Nyſſ. *lib. de vita Moyſis* ante medium, Chryſoſtomo *homil.* 21. *in epiſt. ad Heb.* Auguſtino ſuprà, Hieron. *in cap.*5. *epiſtola ad Galat.* Bernardo *epiſt.*190. Fatetur tamen D.Thom. eam non tradi terminis Scholaſticis.

Probatvr verò à D.Bonauent. eam definitionem eſſe quidditatiuam, cui ſubſcribunt D. Thomas, Richardus 3. *diſt.*23. Nam Habitus virtutis poteſt è duplici capite notificari, nempè ex Obiecto, & Fine vltimo; primò quidem vocatur ſubſtantia habitus virtutis quidam intellectualis firmus, & certus, qui ſit initium, & fundamentum ſalutis, adeoquè incboatio vitæ æternæ. Sicut enim ſubſtantia eſt fulcrum accidentium; & materia formæ, & ipſorum accidentium; ità tranſumptiuè, fides dicitur ſubſtantia, quia eſt fundamentum totius fabricæ ſpiritualis, & ideò S.Damaſcenus *lib.*4. *de fide*, *cap.*11. ſic definit: *Fides eſt hypoſtaſis eorum, quæ ſperantur; & redargutio eorum, quæ non videntur*, vt obſeruat S.Doctor *ad* 1.

7 Deinde ex actibus, & obiecto explicatur eius eſſentia; nam habitus per actus; & actus per obiecta dignoſcuntur, ſeu etiam ſpecificantur: Sic igitur explicat actus eius circa vltimum finem creditum, ideſt Deum, qui nondum poſſidetur, ſed ſperatur, & ideò ait: *ſperandarum.* Et vt oſtendatur aſſenſus ille circa vltimum finem ineuidens, dicitur: *non apparentium*, in hoc enim diſtinguitur Fides à ſcientia; & vt tamen aſſenſus ille agnoſcatur certiſſimus, dicitur *argumentum*, ſeu *conuictio*, vt legunt alij.

Ibi autem loqui Apoſtolum de Fide Theologica conſtat ex Conciliis, quæ, vt oſtendant neceſſitatem fidei, afferunt ex hoc loco Apoſtoli teſtimonia. Confirmatur; nam ibi *cap* 10. affert Apoſtolus illud Abac. *Iuſtus ex fide viuit.* Vide S.Doctorem de pluribus Martiribus *ſermone* 58.

8 Obiicies primò. Nullus habitus eſt ſubſtantia. Fides eſt habitus: Ergo.

Respondet S.Doctor, vocari fidem ſubſtantiam tranſumptiuè, vt dixi.

Obiicias ſecundò. Nulla virtus eſt argumentum. Fides eſt virtus: Ergo. Si dicas ſumi argumentum tranſumptiuè. Contra; quia implicat eſſe argumentum, & tamen non apparentium.

Respondet S. Doctor, dupliciter dici argumentum, propriè, & tranſumptiuè. Propriè accipitur quadrupliciter. Primò dicitur Ratiocinatio, quæ diuiditur in ſex ſpecies principales: Syllogiſmum, Inductionem, Enthymema, Exemplum, Soritem, & Dilemma. Secundò, argumentum dicitur breuis collectio prolixi diſcurſus. Tertiò, dicitur argumentum ipſum medium, in quo ſtat robor arguitionis. Quartò, dicitur argumentum ipſa maxima propoſitio, in qua conſiſtit tota vis illationis. His omnibus modis, fides dicitur argumentum, quia mentem arguit, & illuminat ad firmiter obiecto adhærendum. Et dicitur: *argumentum rerum non apparentium*: quia firmius facit adhærere obiecto credito, quàm Demonſtratio faciat obiecto demonſtrato.

9 Obiicias tertiò. Hæc definitio poteſt conuenire etiam Spei, quæ eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, & argumentum non apparentium; quia per eam certificamur, nos eſſe habituros res, quas non videmus.

Respondetvr, Fidem eſſe ſubſtantiam, ſeu fundamentum omnium virtutum; non autem Spem, quæ neque eſt argumentum, &c. quia non facit aſſentiri veritati.

Obiicias quartò. Ad Fidem ſpectat credere etiam pœnas æternas; quæ non ſperantur, ſed timentur: Ergo non ſatis dicitur argumentum rerum ſperandarum.

Respondet S.D. ſupplicia contineri ſub rebus ſperandis, quaſi ſub fine, licèt non vt ſub obiecto; ideò enim quis credit æterna ſupplicia, vt aſſequatur bona æterna ſperanda.

Obiicias quintò. Non debet definiri res prior per poſteriora, & ignotiora: Sed Fides eſt poſterior Spe, & notior quàm ea, quæ non apparent: Ergo.

Respondet S.Bonau. negando Minorem; Nam definitur per finem, & obiectum; licèt autem, finis ipſius fidei, quæ ſunt res ſperandæ, ſit poſterior in executione; tamen eſt prior in intentione. Licèt etiam obiectum fidei in veritate non apparente ſit homini infideli incognitum; tamen cognitum eſt homini fidem habenti. Quamuis etiam ſit incognitum, quale ſit; tamen notum eſt, ipſum non apparere, & ità definitio non eſt per poſterius, & per incognitum, ſed per priùs notum.

Obiicias ſextò. Ad euidentiam definitionis ſpectat, vt priora præmittantur poſterioribus. Si ergo cognitio præcedit affectionem, & fides, in quantum argumentum, reſpicit cognitionem: in quantum verò ſubſtantia rerum ſperandarum, reſpicit affectionem: ergo confuſa eſt definitio, dum priùs dicitur: *ſubſtantia rerum ſperandarum.* 10

Respondet S. D. quòd intellectus ſequitur affectum, quando inclinatur ad aſſentiendum alicui rei ex imperio voluntatis, & hoc modo fides eſt Virtus, quia eius aſſenſus eſt à principio voluntatis; & ideò rectè Apoſtolus priùs ponit id, quod reſpicit affectum, quàm id, quod ſpectat ad intellectum.

Obiicias ſeptimò. Fides eſt fundamentum non modò Spei, ſed etiam Charitatis, & totius ædificij ſpiritualis: Ergo eſt ſubſtantia etiam rerum amandarum, & non ſolùm ſperandarum; & eò magis debuit ea recensère, quò nobiliora ſunt. Item, eſt de rebus, & præteritis, & futuris: Ergo male definitur, eſſe ſolùm rerum ſperandarum. 11

Respondet S.D. definiri fidem in ordine ad finem, ad quem tendit; & ideò in ordine ad res ſperandas definitur, quæ ſunt finis virtutis, & totius noſtræ, per viam, expectationis de beatitate, quæ in viſione, & amore Dei ſtat.

Obiicias octauò. Fides informis eſt vera fides; & tamen non eſt fundamentum Fabricæ ſpiritualis. Ergo hîc definitur ſola fides formata.

Respondet S. D. *in corpore*, quod ſi accipiatur fundamentum pro actuali, & ſufficienti; ſola fides formata intelligitur, nam informis eſt adhuc informe fundamentum. Idipſum intendit D. Thom. *quæſt.*5. *art.*7. *ad* 4. vt notat Valentia *ad* 3.

Obiicias nonò. Fidelis deſperans, habet fidem ſine ſpe. 12

Respondet Valentia, Ideò dici fidem eſſe *fundamentum rerum ſperandarum*, non ſperatarum. Ex dictis ruunt definitiones Caluini, & Kemnitij, fidem eſſe certam credulitatem beneuolentiæ Diuinæ & gratiæ erga nos. Hæ enim ſupponunt hæreſim illam, teneri nos credere, nosmet prædeſtinatos eſſe, & in gratia.

QVÆSTIO II.

Quodnam ſit Fidei *obiectum.*

D.Bonau. in 3. diſt 24. quæſt.2.
D.Thom 2.2. quæſt.1. art.1.

Vt præclarè definitionem, & eſſentiam Fidei inueniamus, oportet obiectum ſcrutari, à quo ſumitur eſſentia; vel ſaltem à poſteriori cognoſcitur. 13

Observant ex D.Bonau. *in corpore*, duplex assignari obiectum: alterum materiale, & dicitur *Quod*: alterum formale *Quo*, de quibus *p.1. tract.1. quæst.4.* Materiale est res considerata: Formale est ratio, qua, & sub qua consideratur.

Omnes concedunt, Deum esse obiectum principale *Quod* nostræ fidei, contra Caluinum *lib.2. Instit. cap.6.* qui vult, non Deum solùm esse obiectum fidei, sed, vt est etiam Homo, Christus. Ità S. Doctor hîc, & D. Thom. hîc, & *p.1. quæst.1. art.7.* Alensis *3.p. quæst. 79. membr. 6.* Albert. *3. dist. 23. art.12.* Durand. ibi *quæst.1.* Capreolus *in Prol. sent. quæst.4. art.2. circa quintam conclusionem*, Caiet. *ad art. cit. D.Thomæ*, Valentia *disp.1. quæst.1. punct.1.* Caspens. *tract.15. sect.1.* Morand. *tract. vnico in 2. 2. quæst.1.* Scotus *3. dist.23. quæst. vn. G.* & asseclæ, Mastrius *tom.3. disp.6. quæst.1. art.1.* Vulpes *tom.2.p.3.disp.30. art.2.* Arriaga *tom.5. tract.1. disput.1. sect.1.* Suarez *disp.2. sect.1. & 2.* Cardinalis Lugo *tract. de fide disp.3. sect.2.* Amicus *tom.4. disp.1. sect.1. & sequentibus.* Tannerus *disp.1. quæst.1. dub.2.* qui aiunt esse communem. Aliqui tamen negant, Deum esse obiectum attributionis, vt *Deus*, sed volunt, esse Deum complexè, vt volentem beare. Ità Vulpes cum Gregorio *quæst.4. prol. art.2.* & aliis Nominalibus; Nituntur autem eo Ioan.20. *Hæc scripta sunt, vt credatis,*
14 *& vt credentes vitam habeatis in nomine eius*; sed hanc sententiam refellunt etiam Scotistæ; neque Scoto nititur, vt aduertit Mastrius *num.8.* Arriaga concedit quidem, Deum esse obiectum principale fidei; sed negat esse obiectum attributionis; & Mastrius aduertit, multos Recentiores in hoc impingere, confundendo obiectum principale cum obiecto attributionis, quod vocant multi adæquatum.

15 Alii verò hæc duo obiecta distinguentes asserunt, Deum esse vtroque modo obiectum. Ita Morandus.

Alii, obiectum principale, & attributionis materiale, distinguunt ab adæquato, vt Caspensis, cum Suarez: Hæc tamen sunt dissidia non grauia.

D.Bonauentura vult, obiectum materiale principale, & attributionis, esse Deum; non tamen esse materiale adæquatum. Est communis sententia ex Tannero *disp.1. quæst.1. dub.2.* Fuliensi *lib.3.cap.1.*

16 Assero primò, obiectum principale, & attributionis fidei, esse Deum.

Probatur primò à D.Bonau. quia Fides est virtus Theologica, quæ habet Deum pro obiecto. Ideò enim sæpè denominatur Fides à Deo, Marci 11. *Habete fidem Dei.* Ioan.14. *Creditis in Deum, & in me credite.* Ephes.4. *Vnus Dominus, vna fides.* Vide, ex vnitate Dei elici vnitatem fidei, Prima Thessal.1. *In omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profecta est.* Hebr.6. *Non rursus iacientes fundamentum ab operibus mortuis, & fidei ad Deum.* Hebr.11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* Confirmatur à S.D. ex Symbolo: *Credo in Deum.* Idem docent SS. PP. Aug. *lib.4. de ciuit. cap.20.* Cyrill. Hierosol. *catech.5.* Irenæus *lib.4. cap.13.* & alij. Sic arguunt Caspens. & alij.

Probatur secundò à D. Bonau. Omnis habitus simplex debet habere vnum obiectum, ad quod omnia reducantur; sed fides est vnus habitus, nec habet aliud, ad quod omnia obiecta reducantur, quàm Verum increatum, idest Deum: Ergo. Maior est clara. Minor probatur primò ex Apostolo, qui sæpè protestatur, fidem nostram ordinari ad Dei cognitionem. Sic. *Ephes.1. Coloss.2. & 3.* apud Valentiam, & ex D.August.11. *de ciuitate, capite 2.* Confirmatur; Nam Deus est præstantissimum obiectum fidei.

Assero secundò, obiectum adæquatum materia- 17
le complecti multa, præter Deum.

Probatur à S.Bonau. primò è Symbolo, in quo proponuntur credenda, præter Deum, Creatio, Incarnatio, & alia Mysteria Redemptionis, Iudicium vniuersale, Ecclesia, remissio peccatorum, resurrectio, & vita æterna.

Probatur secundò à D.Bonau. Tantæ amplitudinis est fides, quantæ est charitas; nam credimus ea, quæ amanda sunt; & amantur supernaturaliter ea, quæ creduntur. Imò fides credit etiam non amanda, vt pœnas æternas; At charitas non solùm diligit bonum increatum, sed & proximum, & alia creata: Ergo.

Probatur tertiò à S.D. quia nullum futurum est Deus. Sed creduntur futura, nempè vita æterna, retributio, & pœnarum inflictio: Ergo. Maior patet: nam Deus est æternus.

Probatur quartò à S. D. Si quis non crederet historias Scripturæ, & minutula, vt Saulem quæsiisse asinas, 1. *Reg.* 9. & Tobiæ canem mouisse caudam; esset hæreticus.

Negat autem Arriaga, hæc ordinari ad Deum. 18
Imò eorum fidem ordinari ad Deum negat Scotus 3. *dist.25. quæst.2.* Sanè, & hæc non frustra de fide credenda proponuntur: *Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem*: Roman.10.

Respondet ergo, ea minuta ordinari ad Deum, qui & in minutulis verax est. Insuper illa sollicitudo Saülis denotat eius obedientiam, qua dignum se reddebat imperio; & exultatio canis indicat Diuinam bonitatem, quæ bestiolam etiam lætabundam nunciam præmisit cæco illi. Denominatur tamen fides ab obiecto principali; idest Deo, & à Christo, quia hæc est nostra fides propria. Hinc illuditur Caluinus.

Probatur tandem, quia prophetia concomitatur fidem; illa autem est de bono creato.

Quoad obiectum formale, est maior difficultas.

Prima sententia, quæ adscribitur Aureolo 3. 19
dist.24. art.2. & defenditur à Caietano 2. 2. *quæst.1. art.1.* asserit, obiectum formale fidei esse Deum sub ratione primæ veritatis in essendo, & consequenter sub ratione deitatis. Sequi videntur Bannes hîc, Valent. *quæst.1. p.1.* Tanner. *num.25.* & alij apud eum. Hi tamen vocant formale, *Quod.*

Vera sententia est, obiectum formale fidei esse Deum sub ratione veracis reuelantis. Ità S. Bonau. *in corpore*, vbi affert similitudinem: Sicut enim Lucidum mouet, vt obiectum, potentiam, dum illi exponitur, vel in Luminari, vel vt est materiæ terrenæ incorporatum, puta adamante, & carbunculo; ita Diuina veritas dupliciter mouet intellectum, vel vt est per se in articulis ad Deum spectantibus, vel vt vnita creaturæ, puta in humanitate Christi, vel in alio opere. Eum sequuntur omnes Thomistæ, & Scotistæ cum Scoto *quæst.1. Prol.* & aliis relatis à Mastrio *num.11.* Tannero *dub.3.* Valent. *quæst.1. p.1. §.4.* Fuliensi *lib 3. cap.1.* Bassæo *v. Fides.*

Vulpes tamen transuerso vngue declinat, dicens, Deum, vt volentem reuelare, esse obiectum formale fidei. Sanè creditur, quia Deum habemus de facto iam reuelasse; possumus tamen dicere fidem amplecti omne, quod Deus voluerit reuelare, tenemur enim credere etiam, quod Ecclesia declaratura sit in Concilio, Decreto, vel simili.

Itaque nostra sententia est etiam Alensis 3. *p. quæst.78. membr.4.* Alberti 3. *dist.23. art.7. & 12.* Altisiodor. *lib.3. summa, Tract.3. cap.1. quæst.3.* Richardi 3. *dist 23. art.4. quæst.3.* Durand. *ibi, quæst.7. num.12.* & *dist.24. quæst.1. & quæst.2.* Capreol. *dist.24.*

quæst.

quæſt. vnica, *art.1. concl.4.* Gabrielis *diſt.23. quæſt.2. art.1.* Marſil. *3. quæſt.14.* Cani. *Lib.12. de locis Theolog. cap.3.* & cæterorum ſuprà.

DECLINANT Soto *3. diſt.23. quæſt. vn. art.2.* Gulliel. Pariſ. de fide, dicendo, credi Deo; non quia verax eſt, aut quia verum eſt, quod ipſe loquitur; ſed quia iubet ſic credi, & ſic fidem eſſe effectum obedientiæ intellectus, Deo exhibitæ.

20 ASSERO cum D. Bonauentura, obiectum fidei formale, *Quo*, eſſe primam veritatem reuelantem.

PROBATVR primò à S. Doctore *in fundamento 4.* In eo eſt ratio formalis fidei, ſecundùm quod firmiter aſſentimur articulis, & myſteriis; ſed hoc eſt Diuina veritas, & authoritas reuelans: Ergo. Ità arguunt Valentia, Maſtrius, & cæteri. Minor probatur: nam Scriptura id teſtatur *prima Ioan.5.* vbi rationem, vt credamus ait, nullam aliam eſſe, niſi quia: *Spiritus eſt, qui teſtificatur*; & arguit à minori: *Si teſtimonium hominum accipitis; teſtimonium Dei maius eſt.* Prima Theſſal.2. *Cùm accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non vt verbum hominum, ſed (ſicut eſt verè) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidiſtis.* Et 1. Timot.3. *Omnis Scriptura diuinitus inſpirata, &c.* Et Secunda Petri 1. *Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti.* Eadem habentur Matth.16. *Caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus.* Ioan.1. *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe narrauit.* Secunda Corinth.4. *Deus illuxit in cordibus, &c.* Galat.1. *Neque enim ego ab homine accepi illud* (Euangelium,) *ſed per reuelationem.*

21 IDEM habet S. Dion. *cap.7. de Diuinis nominibus.* Irenæus *libro 4. cap.14.* Athan. *in oratione, quòd vnus ſit Chriſtus.* Chryſoſt. *homil.8. in ſecundam ad Corinth.* Ambroſius *ſerm.21.* Hieron. *in cap.1. ad Titum*, Auguſt. *contra epiſt. fundam. capite 14.* Confirmat id S. Doct. ex Richardo de S. Victore.

22 Ex his habes, veritatem Diuinam entitatiuè in eſſendo eſſe potius obiectum *Quod*, partiale fidei noſtræ. Scio, veritatem Diuinam in eſſendo, eſſe primam radicem credulitatis: cùm enim reuelatum aliquod credo; ideò credo, quia eſt reuelatum à Deo, qui non poteſt mentiri.

ENIM verò inſurgit difficultas admodum torquens. Si enim prima radix noſtræ credulitatis eſt veracitas Dei, ſequitur circulus: Cùm enim interrogor, quare credo Incarnationem? & reſpondeo, quia Deus reuelauit: Et rurſus interrogor: Cur credo reuelationi? & dico: Quia Deus mentiri non poteſt. Rurſus, cùm quæritur: Cur credo ipſum veracem? Reſpondeo: Quia ipſe dixit, & reuelauit, ſe eſſe veracem. En circulus.

DEINDE reuelatio eſt obſcura, ideò non poteſt parere ſui aſſenſum: Ergo oportet, vt reducatur in fidem humanam, vt ideò credam, quia reuelatur ab Eccleſia, quæ id reuelatum ſibi dicit à Deo; At vnde nam ſciam hoc à Deo illi reuelatum? Sic nunquam erit finis.

23 ALIQVI videntur ſentire, noſtram credulitatem reduci in fidem humanam, tanquam radicem. Et videtur Scoti, eò quòd *diſt.23. art.1.* dixit cum D. Auguſt. contra Manichæos: *Non crederem Euangelio, niſi crederem Eccleſiæ Catholicæ.* Sed verè id non ſentit Scotus, vt optimè aduertunt Caſpenſis *d.1. ſect.3.* & Maſtrius *num.37.* nam ſciebat Scotus, fidem humanam eſſe fallibilem, atque adeò non poſſe eſſe noſtræ credulitatis baſim.

VIDETVR ergo reſolui noſtra credulitas in Deum veracem, qui tamen, cùm mihi ſit ineuidens, debet fieri euidens reuelatio per aliquid: Eritne igitur alia reuelatio? ſanè, & hæc erit per aliam; & ſic in infinitum: Vel oportet, vt ſiſtatur in aliqua reuelatione, quæ me primò certiorem reddat; quælibet autem eſt ineuidens, niſi addatur Lumen aliquod: Eritne habitus, qui nos ferat in aſſenſum? Sed profectò tunc non eſſet aſſenſus propter extrinſecam authoritatem dicentis; & ità non erit actus Fidei. Neque erit actus liber; ſed neceſſarius. Sic enim puer, ad diſcretionem perueniens, habitu infuſo determinatus erit ad articulos credendos, præcognitis ſolis terminis; ſicuti cognitis terminis principiorum naturalium aſſentimur illis. His dubiis agitatur Scotus, inclinat tamen in noſtrum modum dicendi, qui fidem in veridicam Dei reuelationem reſoluit, vt obſeruant Smiſingh. Aretinus, & Maſtrius.

IGITVR ſciendum, cauſam formalem mei aſſenſus eſſe reuelationem Dei veridici dicentis: Cauſa verò materialis eſt ipſe articulus, & inter articulos, ille: *Credo ſanctam Eccleſiam*, cui credo, non ſimpliciter motus atteſtatione nuda eius; vnde enim ſciam, illam non poſſe errare? Moueor igitur diſpoſitiuè ab Eccleſia: *Quia fides ex auditu:* Rom.10. Eſt autem multis de cauſis fide digna; tum ob authoritatem tot ſapientum, ob integritatem, ob miracula, quæ humanitus fieri nequeunt, &c. Attamen neque hoc ſufficit, ſed requiritur efficiens Lumen. Ideò *Epheſ.2.* dicitur: *Fides donum Dei*, & Ioan.6. *Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Sic igitur Lumen Spiritus Sancti, operante etiam habitu infuſo, inclinat noſtram voluntatem, vt præcipiat intellectui aſſenſum dare articulis traditis ab Eccleſia, cui credo tanquam mihi propoſiæ magiſtræ veritatis à Deo, atteſtante. & mihi dictante ſuâ infallibili veritate, eam docere veram fidem. Ità D. Bonau. *in 2. diſt.23. quæſt. vlt.* & *in 3. diſt.24. dub.2. litt.* 24

Si igitur interrogetis: Cur credis Symbolum? Dic: quia Deus reuelauit, qui verax eſt. Quo pacto ſcis hoc à Deo reuelatum? Dic: Eccleſia hoc mihi dicit. Vnde autem ſcis, Eccleſiam non falli? Quia prima Veritas dixit, hanc eſſe magiſtram veritatis; & hoc ſolùm principium eſt per ſe diuina fide credibile, agente diuino lumine Spiritus Sancti, & habitu infuſo inclinante. Et ità deuenimus ad radicem, quæ eſt Dei veracitas; hæc verò præcedi debet aliqua diſpoſitione, vt vitetur circulus, & ſanè etiam ratione naturali conſtat, Deum veracem, quia eſt ſummum Ens. Vide Valentiam *loco cit.* Arriagam *diſp.1. ſect.4. num.58.* Cardinalem de Lugo *diſp.1. ſect.6.* Caſpenſem *ſect.3.* 25

Ex quo fit, vt Veracitas Dei ſit veluti principium; Veritas verò reuelationis ſit concluſio deducta, vt oſtendit Lugo *ſect.7.*

Neque verò diſpoſitio naturalis ad Dei veracitatem credendam, & articulorum veritatem inferendam, eſt ſatis, ſed requiritur concurſus ſupernaturalis.

HINC ſoluitur quoddam argumentum Poncij *diſput.27. quæſt.2.* Quam (ait) connexionem habet veracitas Dei cum aduentu Antichriſti? Eſſet enim Deus verax, etiamſi Antichriſtus non eſſet futurus: Ergo veracitas Dei non eſt obiectum formale fidei. Confirmatur; nam credimus, etiamſi non cogitemus de hac Dei veracitate. 26

RESPONDETVR, Veracitatem Dei, non entitatiuam, ſed dicentem, eſſe obiectum formale fidei; & ita, licèt poſſet Deus non reuelare Antichriſtum; tamen ſuppoſita reuelatione, eſt obiectum materiale, creditum, quia à Deo reuelatum, vnde oritur ratio ipſius formalis.

DICES cum Vulpio, & Auctore *Controu.* inter Scotiſtas. Si ratio credulitatis eſt Diuina veracitas, quatenus voluit Deus reuelare. Ergo voluntas Dei eſt ratio formalis fidei.

RESPONDETVR, voluntatem non ingredi obiectum fidei, sed supponi vt conditionem. Ex dictis ferè soluitur quæstio illa: An reuelatio intret in obiectum formale fidei.

27 PRIMA opinio est, eam esse meram conditionem, vt articuli credantur. Ita communiter Scotistæ: Smisingh. Vulpes *disp.19.art.1.* Arretinus, & alij apud Meldulam *Tom.3. disp.6. quæst.2.* Hunc modum videtur approbare Suarez *disp.3. sect.2.* & alij.

SECVNDA sententia est, eam solam esse obiectum formale fidei. Sic Poncius *disp.27. quæst.2.*

TERTIA sententia est, obiectum formale fidei esse Diuinam Veracitatem dicentem, & reuelantem, & hoc modo esse de obiecto formali fidei. Ità Suarez *loc. cit.* Valentia *disp.1.quæst.1.p.1.* Caspensis *disp.1. sect.2.* in fine, Turrianus, Lugo, Coninch *disp.9. dub.4.* Torres, Amicus, Arriaga, Tannerus, & alij Recentiores apud Meldulam *num. 54.* Idem sentit D.Bonau. *ad vltimum.*

PROBATVR à S.D. *fundamento* 6. Id spectat ad rationem formalem, quod nos arctat ad credendum; sed hoc est articulus, vt à Deo reuelatus: Ergo. Minor probatur; Nam semper, quando est sermo de fide, explicatur in ordine ad reuelationem, ad testimonium, & ad verbum, vt constat ex testimoniis Scripturæ suprà allegatis.

28 Nec sufficit dicere, hanc esse conditionem; Nam dicimur per fidem accipere verbum Dei; At profectò non accipimus conditionem, vt aduertunt Arriaga, & Ponci a

RESPONDET Mastrius, nos credere reuelatione Dei, quatenus est verax, seu quatenus est testis infallibilis, & hoc subintelligi in scripturis; Igitur rationem formalem nostræ credulitatis esse Dei veracitatem; At reuelationem esse conditionem, sicut applicatio ignis est causa caloris.

29 CONTRA; nam ex Mastrio *num.55.* Sola interna Dei locutio non sufficit ad obiectum formale fidei in actu completo; sed requiritur externa reuelatio: Ergo hæc ingreditur obiectum formale. Quòd verò interueniat etiam Veracitas Dei, nihil obest; nam interuenit vt dicens, & reuelans. Quare non eodem modo se habet reuelatio ad assensum fidei, sicut cognitio boni ad appetitum, quæ est tantùm conditio; nam reuelatio est connexio Veracitatis Dei cum rebus, & est obiectum credulitatis; non enim veracitas entitatiuè est ratio formalis, sed in dicendo, vt asserit Mastrius *num.25.* sanè non vt asserit intra se, hoc enim nil refert, sed vt extra dicit mihi reuelando. Vnde sicut in Syllogismo non sola euidentia præmissarum est causa assensus conclusionis, sed etiam euidentia consequentiæ; ideò enim conclusioni assentior, quia video sequi è præmissis, quas scio, esse veras; ità etiam hîc. Vide Coninch. *disp.9. dub.4.* Confirmatur; nam testificatio externa Dei habet eandem certitudinem, quam habet ipsa prima veritas, vt aduertit Amicus; & vnit primam veritatem cum obiecto. Hæc tamen quæstio est parui momenti.

Ex dictis etiam oritur quæstio: An de ratione formali obiecti fidei sit reuelatio, vt obscura est, ità, vt non exponatur visioni claræ.

30 PRIMA opinio est spectare ad obiectum formale fidei, ità Suarez *disp.3. sect.7.* Turrianus 2. 2. *disp.8. dub.1.* Albertinus *tom.1. corol. quæst.4. disp.3.* & alij plurimi, est D.Bonau. *Fundamento* 3.

SECVNDA sententia dicit, esse tantùm conditionem. Ità Scotus 3. *dist.31. quæst. vnica, C. ad* 2. quem sequuntur Scotistæ, & Caietanus 2.2. *quæst.1. art.6.* Banes *ibi, art.4. disp.1.* Durandus 3. *dist.24. quæst.1.* Coninch. *disp.11. dub.1.* Amicus *disp.2. sect.4.* Bassol. 3. *disp.24. quæst. vnic. art.1.* Mastrius *disp.6. quæst. 3. art.1.*

ASSERO cum priori sententia, reuelationem obscuram ingredi rationem fidei formalem. 31

PROBATVR efficacissimè à D. Bonau. *loco cit.* Id, in quo Fides differt ab aliis habitibus intellectus, spectat ad rationem formalem, Sed fides essentialiter differt à scientia per ineuidentiam: Ergo. Minor probatur; nam id quod essentialiter destruitur, adueniente scientia clara, est oppositum secundùm differentiam; sed hæc est obscuritas: Ergo. Minor probatur; nam adueniente visione patriæ, euacuatur fides, *primæ Corinth.*13. Esto autem possit esse scientia, & fides de eodem obiecto, vt dicam *quæst.5.* tamen fides adhuc retinet obscuritatem, quia nititur authoritate obscura, non demonstratione, in credendo.

RESPONDET Scotus, maiorem, vel minorem claritatem venire ex maiori, vel minori approximatione agentis, & passi, quæ est mera conditio: Sic ex maiori vicinitate ad lumen, magis illuminatur corpus, neque tamen est alia formalis ratio agendi. Ità, & Mastrius.

RESPONDET secundò cum Amico Mastrius, negando, actum fidei differre per obscuritatem, sed per proprium obiectum formale, quod est testificatio Dei veracis dicentis.

SED hæc sunt inania; nam circa idem obiectum est scientia visionis, & fides; neque solùm secundùm rationem materialem; sed etiam, vt reuelatum à Deo ipso, & tamen fides, adueniente visione, destruitur: Ergo ab opposita differentia. Quid autem est, fidem esse à Deo reuelante, aut dicente diuersum à reuelante clarè in patria, nisi id quod dico? nam neque cessabit omninò authoritas illa concepta in reuelatione viæ, sed euidenter videbitur, amota viæ obscuritate. 32

SCIO obscuritatem ænigmatis esse conditionem, additam statui huic creo, vt dixi *p.1. tract.4. disp.5. quæst.2.* & *tract.10. disp.1. quæst.9.*

PROFECTO obscuritas in definitione fidei traditur ab Apostolo, à quo dicitur *argumentum non apparentium*: Ergo. Confirmatur; Nam in hoc vbique expressè ostenditur fides. Pro hoc autem statu 1.*Cor.*13. dicitur Ænigmatica. Et *secunda Petri* 1. comparatur lucernæ in caliginoso loco. Ideò D. August. Tract.40. in Ioan. *Quid est fides? credere, quod non vides.* Confirmatur à Suarez argumento D.Bonau.*opusculo, Principium Scripturæ*, sumpto ex D. August. *lib. de vtilitate credendi*, cap. vlt. *Quod intelligimus, debemus rationi; quod credimus, auctoritati*; Sed auctoritas non ostendit rem in se: Ergo obscuritas obiecti est de ratione fidei. 33

RESPONDET Mastrius *num.83.* illam non esse definitionem fidei, quod probat, quia omittitur præcipuum in fide, idest auctoritas Dei.

At SS. Patres clarè dicunt, esse definitionem. Estetuli *quæst.1.* Quòd verò ibi ponatur etiam auctoritas Dei, fatetur Mastrius *num.64.*

OCCVRRIT verò dubium: An esset assensus fidei de re obscura, quam scirem euidenter, ità à Deo esse reuelatam, & ità euidens esset ex parte reuelantis.

PRIMA opinio est negatiua Durandi 3. *dist.23. quæst. vnica*, Suarez *disp.3. sect.8. p.3.* Turriani *disp.8. dub.1.* Coninch. *disp.9. dub.8.* Hurtadi *disp.27. sect.1.* Lugo *disp.2. sect.1.* Bannes *ad articulum citatum D. Thomæ.* Et est D. Bonau. 2. *dist.23. quæstione vltima.* 34

AFFIRMANT Caietanus 2.2. *quæst.5. art.1.* Ferrar. 3. *cont. Gent. cap.40.* Medina *p.2. quæst.90. art.1.*

Valentia

Valentia *disp.* 1. *quæst.* 1. *p.* 4. qui allegat S. Bonau. Vasquez *p.* 1. *disp.* 135. *cap.* 3. & 3. *p. disp.* 53. *cap.* 1. Amicus *disp.* 2. *sect.* 5. & alij. Est autem sententia Scoti 3. *dist.* 24. *quæst. unic.* §. *sed si loquamur*. Eum sequuntur discipuli, & Mærac. *disp.* 3. *sect.* 4. Pasqualigo *disp.* 33. *sect.* 1. Tanner. *quæst.* 5. *art.* 2. apud Mastrium, qui subscribit *disp.* 6. *quæst.* 3. *art.* 2. Caspensis *disp.* 1. *sect.* 5. Morand. *tract. vn. quæst.* 3. vbi adducit D. Bonauenturam, Alensem, Durandum. Imò Tannerus & Mærac. adducunt D. Thomam *quæst.* 5. *art.* 2. sed ibi loquitur de euidentia credibilitatis, vt ponderat Morand. *loco citato*, & Cardinalis de Lugo *tom. de fide, disp.* 2. *sect.* 1. *num.* 46. qui tamen dicit, priorem sententiam esse communem, & veriorem.

Mediam sententiam videntur secuti Becanus *cap.* 1. *quæst.* 3. Arriaga *disp.* 4. *sect.* 4. vt referam in argumentis.

Fateor, me in D. Bonau. vbi allegatur 3. *dist.* 24. *art.* 2. *quæst.* 3. non inuenire id, quod quæritur hic, sed solùm, posse dari fidem cum cognitione aliqua scientifica. Eam tamen sententiam videtur *in Hexamer. serm.* 2. *&* 9. indicare: sed oppositam docet *locis citandis*.

35 Assero cum D. Bonau. euidentiam attestantis reddere rem extra obiectum fidei.

Probatur à Soarez argumento S. Bonauent. 3. *dist.* 14. *dub.* 1. *lit.* Assensus fidei nostræ est liber, & pendet à voluntate. Ideò *Rom.* 10. dicitur: *Non omnes credunt Euangelio*. At si esset euidentia reuelantis, vt clarè cognosceremus, reuelantem esse Deum, qui est prima Veritas infallibilis; iam intellectus necessariò rei claræ assentiret: Ergo non esset assensus fidei. Minor probatur hoc Syllogismo, cui necessariò assentimur. Quidquid prima Veritas reuelat, est verum; sed hoc prima Veritas, ex suppositione, reuelat, puta, Deum Trinum: Ergo hoc est verum.

Respondet Becanus, & Arriaga; obiectum fidei includere adæquatè non solam reuelationem, sed etiam veracitatem Dei. Iam verò Deo reuelante agnito, agnoscitur clarè sola euidentia reuelationis, non autem veracitatis Dei, atque adeò non est euidens secundùm totam rationem obiecti formalis.

36 At argumentum probauit, claram esse etiam veracitatem Dei, nam cognito euidenter reuelantem esse Deum; cognoscitur etiam prima Veritas. Vnde in maiori assumitur: *Quidquid Deus reuelat, est verum*.

Respondet Mastrius *num.* 92. non sequi in illo Syllogismo consequentiam. Ergo euidens est, Deum esse trinum. Sed: Ergo verum est; testimonium de Trinitate verum esse. Igitur euidentia est solùm extrinsecè, non autem in obiecto.

Contra arguit Suarez, nam idem est, verum esse hoc, & hoc ità esse; nam propositionem esse veram, nihil aliud esse, quàm ità esse.

Respondet Mastrius, concedendo, ea esse idem, quando habetur cognitio de re per principia intrinseca, vel per effectus intrinsecè manantes; non verò quando cognitio habetur per principium extrinsecum attestantis. Ità concludit cum Amico, ex principiis notis in attestante, deduci conclusionem notam eodem modo.

37 Cardinalis de Lugo *num.* 9. protestatur, se non capere hanc solutionem, & meritò. Contra eam arguo sic: Omnis veritas à posteriori euidens, infert consequentiam euidentem; sed hæc propositio: Deus, qui est prima Veritas, cognitus euidenter dixit, Incarnationem factam: Ergo euidenter sequitur, eam esse factam: Nam non ea sola reuelatione oritur hæc euidentia ad modum, quo hæc dictio: *Pontifex agrotat*, mihi pronunciata à Tabellione, qui potest mentiri, & ità obscurum est mihi obiectum, tametsi euidens sit, illum esse Tabellionem Romæ; sed in euidentia reuelantis includitur veritas rei euidens, quia Deus non potest mentiri. Ex quo ruit funditus argumentum Mastrij *num.* 86. Potest esse euidens, testem quempiam hoc asserere, v.g. Constantinopolim incensam, & tamen manere ineuidens, rem ità esse; est enim dispar ratio, vt dixi.

Fiat ergo hoc argumentum: Euidens est, omne reuelatum à Deo, esse verum, quia Deus est prima Veritas: Sed euidens est, hanc esse reuelationem Dei: *Filius Dei est Incarnatus*: Ergo euidens est, esse verum.

Quæres: An Syllogismus constans vna præmissa de fide; alterâ euidenti naturaliter, habeat conclusionem de fide.

Respondetur, negando, nam conclusio sequitur debiliorem partem; debilior autem est veritas naturalis, quàm veritas de fide. Vide Caspensem *sect.* 6. Valentiam *puncto* 2.

QVÆSTIO III.

An obiectum Fidei *sit aliquod complexum.*

{ D. Bonau. 3. dist. 24. quæst. 3.
{ D. Thom. quæst. 1. art. 2.

Hanc quæstionem agunt cum SS. Doctoribus Alens. 3. *p. quæst.* 79. *membr.* 5. Albert. *in* 3. *dist.* 24. *art.* 5. Altisiodor. *lib.* 3. *tract.* 3. *cap.* 2. *quæst.* 2. Richard. *dist.* 14. *quæst.* 2. Durand. ibi, & alij; nec vlla est ferè difficultas. 38

Prima opinio est, obiectum fidei, esse quid Incomplexum, vt Deum, Incarnationem, &c. Sic; quoad Deum, obiectum principale videtur res clara.

Hunc modum redarguit S. Bonau. quia, licèt Deus in se simplex sit, tamen non creditur incomplexè, sed complexè, vt notant etiam Valentia *quæst.* 1. *p.* 2. Mastrius *disp.* 6. *quæst.* 1. *art.* 1. Caspensis *sect.* 1. *num.* 9. Cùm igitur debeat obiectum sumi non materialiter, vt res; sed sub ea ratione, qua respicitur ab habitu, & potentia, & potentia respiciat obiectum vt complexum; ideò sic enunciandum.

Secunda sententia est, obiectum fidei esse circa verum complexum, non solùm quia fides respicit obiectum, vt enunciatur, & potentia intellectiua nostra non capit, nisi per modum compositionis; sed etiam, quia obiicitur secundùm differentiam aliquam temporis, vt: Incarnatio est facta: Iudicium non est factum. Et si dicas, mutandam fidem, dum mutantur enunciabilia temporibus diuersis. Respondent Nominales, non mutari enunciata, quia est idem enunciatum verum, te cursurum, te currere, te cucurrisse pro temporum diuersitate. Deinde, esto mutentur enunciabilia, tamen aiunt, non mutari Fidem. 39

Hunc tamen modum repulit S. Bonau. *in* 1. *dist* 41. *quæst. vlt.* quia enunciabile significat non solùm rem, sed & modum se habendi, & cùm alius sit modus, quo se habebit Iudicium; & postea, quo se habet; & deinde, quo se habuit; varia est etiam enunciatio, & variatur eius veritas. Et si ob immutabilitatem rationis sunt immutabiles enunciationes fidei; erunt etiam vnus articulus, quia vna est ratio omnes credendi.

Asseruit igitur S. D. obiectum fidei, vt respicitur à fideli, secundùm assensum, esse complexum. 40

Probatur

Probatur à S.D. primò ex D. August. *de predest. Sanctorum*, *cap. 2.* vbi ait: *Credere, esse cogitare cum assensione.*

Secundo, quia fides respicit obiectum, vt verum, & ideò asserendum. Confirmatur, quia fides opponitur errori; ac error est circa complexum, attribuendo rei id, quod non habet: Ergo.

Tandem, si obiectum fidei esset Incomplexum, puta aduentus Messiæ, aut Vniuersale Iudicium: Ergo non errarent Iudæi dicentes, se credere aduentum Messiæ; sed adhuc non venisse: Neque erraret, qui diceret, Iudicium iam factum esse. Aduertit ergo S.D. obiectum explicitum fidei includere etiam differentias temporis, vt credatur v. g. Incarnatio iam facta, &c.

31 Assero secundò, aliquod obiectum fidei, vt res est, puta Deum, esse incomplexum. Ità D. Thom. Valentia, Caspensis, Mastrius; nec dissentit S. Bonau. est enim Deus simplicissimus in se.

Probatur secundò à S. D. Nam credentes olim implicitè Incarnationem, non credebant necessariò sub aliqua differentia temporis, sed poterant suspendere: an esset natus; vel non.

Obiicies contra primum assertum. Spes, & Charitas sunt circa incomplexa: Ergo & fides.

Respondet S.D. negando consequentiam, quia Spes, & Charitas sunt affectiuæ, ideò respiciunt res, puta beatitudinem, Deum, &c. At fides negotiatur in intellectu, componendo, diuidendo, &c.

QVÆSTIO IV.

An Fidei *obiectum possit esse falsum.*

D.Bonau.3.dist 24 quæst.2.
D.Thom, quæst.1. art.3.

32 VNanimes respondent Theologi, obiecto fidei non posse falsum subesse. Ita Sancti Doctores hic; Alens. *3.p. quæst.79. membr.1.* Albert. *3. dist. 25. art.3.* Altisiodor. *lib 3. tract.3. cap.2. quæst.3.* Richardus *3.dist.24. quæst.3.* & alij omnes apud Tannerum *disp.1. quæst.1. dub.5.* vbi omnia fere è S. Doct. habet.

Probatur à D.Bonau. primò. Illius tantùm est fides in via, cuius erit visio in patria; sed visioni in patria non potest subesse falsum: Ergo.

Secundo. Sicut se habet Charitas ad bonum, ita Fides ad verum; sed Charitas non appetit nisi bonum: Ergo Fides nunquam facit credere, nisi verum.

Tertiò. Omne, id quod cadit sub fidem, cadit sub reuelationem à prima Veritate; sed nihil falsum potest cadere in primam Veritatem: Ergo neque in Fidem. Maior probatur; nam prima Veritas, vt reuelans, est ratio formalis, *sub qua* ipsius fidei; nihil autem cadit in aliquem habitum, nisi sub ratione formali obiecti ipsius, vt neque etiam in potentiam aliquam. Nihil enim attingitur à potentia visiua, nisi sub ratione lucidi. Minor probatur à D.Bonau. Nam falsum pugnat directè cum prima veritate; & opponitur illi, sicut malum bono; & non ens enti. Hoc est præcipuum argumentum, quo cæteri ferè vtuntur, vt ait Valentia *quæst.1. puncto 3.*

33 Dicas, multa reuelata pendent ex fide humana, v. g. authoritas Clementis X. ex eo, quòd sit canonicè electus. Concilium Tridentinum, quòd sit canonicè congregatum, & similia.

Respondetur, ea pendere ex fide humana, tanquam ex dispositione; At electionem esse certam, quia *Matth.16.* promittitur, Ecclesiæ non defuturam Dei assistentiam.

Confirmatur à S. D. Nam cognitio, cui potest subesse falsum, est potiùs deceptio, quàm illuminatio; At fides est mentis illuminatio, vt ait D. August. *lib. cont. epist. fund. cap.14.*

Confirmatur secundò à S. D. nam Virtus Theologica est certior omni arte, & scientia; At scientiæ non potest subesse falsum: Ergo.

Probatur à S.Bonau. *in corpore*, quia fides nostra nititur Diuina cognitione; sed Deus omnia comprehendit, ita vt etiam futura contingentia certò sciat: Ergo. Hic S.Doctor, ansam arripiens à Minori tertij argumenti, definit eam quæstionem: An Deus possit decipere; quam quæstionem agit etiam in 2. *dist 37. art.2. quæst.1.* & ex proposito *quæst.3.* eam perlustrat Cano de *Locis Theol.*

Si etenim potest Deus decipere, non patebit nobis 34
via ad cognoscendum hoc, vel illud infallibile; cùm nequeant reduci in primam veritatem.

Est certissima assertio omnium Catholicorum, hæreticum esse dicere, Deum per se, vel per alium, vnquam docuisse falsum, vel de lege ordinaria posse docere. Ita admonet Valentia. Est contra Priscillianistas apud D. August. *de hæres. hæresi 70.*

Probatur primò à S.Doct ad 3. Ioan. *Qui accipit eius testimonium, signauit quia Deus verax est*, & additur ad Rom.3. *Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax.* Hinc deducit ibi etiam, quemcumque loquentem verba Dei, seu nomine Dei, esse veracem & ita non posse Deum per alium decipere.

Idem probat S.D. *ad cap.8. Ioan.* illis verbis: *Qui misit me, verax est.* Ibi autem soluit lepide dubium: Cur Pater dicatur Verax: At filius Veritas: *Ego sum via, veritas, & vita.* Ioan.14. Et cantat Ecclesia in officio Sanctissimæ Trinit. *Verax Pater, Veritas filius.* Mouit hoc dubium S.August. *tract.30. in Ioan.* Cùm enim Veritas dicat quid amplius quàm Verax, sicuti Pietas plus dicit, quàm Pius; pius enim dicitur à pietate non è contra: Ergo veritas debuit appropriari Patri, à quo est Filius. 35

Respondet S.Bonau. ex D. August. Patrem esse veracem, quia dixit Verbum verum, quod est Veritas. Itaque non participatione dicitur Verax.

Idem ostendit S.D. *ad 14. Ioan.* illis verbis Christi: *Ego sum via, veritas, & vita*, & affert expositionem Chrysost. *homil.27.* & D.August. *tract.69. & serm 54. de verbis Domini.* Id ostendit etiam *ad 16. Lucæ* ex Psalmo 116. *Veritas Domini manet in æternum*, & Psalm.118. *In generationem, & generationem veritas tua*, & de veritate mediata: *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* Ioan.3. & cap.8. *Si manseritis in sermone, cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.*

Probatur secundò. Quidquid Deus potest facere, habet exemplar in Deo; sed enunciatio falsa, vt falsa, non habet exemplar in Deo: Ergo. Minor probatur; Nam veritas est ratio exemplandi. 36

Probatur tertiò à S. D. Sicut se habet bonitas ad malitiam, sic se habet veritas ad falsitatem; sed à summa bonitate nullo modo potest esse malitia: Ergo à summa veritate non potest esse falsitas. Hoc argumentum est à proportione; nam culpa magis Deo repugnat, tametsi Enti perfectissimo vtrumque intrinsecè repugnet, vt aduertit S. Doctor. *in corpore.*

Probatur quartò à S.Doctore. Verum, & Ens conuertuntur: Sed non potest à Deo esse aliquid, quod non sit ens: Ergo neque potest esse, quod non sit

ſit verum: Sed enunciatio falſa dicit priuationem veri: Ergo.

PROBATVR quintò. Si poteſt dicere falſum; vel hoc ignoranter, vel ſcienter; Non ignoranter, quia Deus eſt infinitæ ſapientiæ; Neque ſcienter, quia ſic mentiretur; At dicere, Deum mentiri, eſt prophanum, & impium contra Scripturam, & Patres. Ergo:
37 Subſumptum probatur. Num. 23. *Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur.* Pſal. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.*

IDEM conclamant SS. Athan. *lib. de Incarn. Verbi.* Chryſoſt. *homil. in Symbolum Apoſtolorum*, Cyrill. Alex. *lib. 2. in Ioan. cap 69.* Ambroſ. *lib. 6. epiſtolarum, epiſtola* 37. vbi affert id Numer. 23. & Hebr. 6. *Impoſſibile eſt mentiri Deum.* D. Auguſt. 22. *de ciuit. cap. 25.* & *lib. 1. de Symbolo ad Cathec. cap. 1.* Anſelm. *lib. 1. Cur Deus homo, cap. 12.* Eos refert Valentia.

Ex his Patribus eruit S. Bonau. argumentum. Id, quod dicit imperfectionem, eſt Deo impoſſibile; At mendacium dicit imperfectionem; ſimiliter & deceptio per falſitatem; dicit enim carentiam veritatis: Ergo. Hoc eſt ad litteram argumentum horum Patrum, qui ex omnipotentia Dei imò colligunt, eum non poſſe mentiri; quia mentiri, eſt deficere, non autem poſſe.

OBIICIAS primò aliquas Scripturas verbis pugnantes. Exodi 20. *Ego ſum Deus fortis, & Zelotes, puniens peccata Patrum in filios vſque ad quartam generationem.* Et tamen *Ezech. 18.* dicitur: *Filius non portabit iniquitatem Patris.*

38 ITEM *Iob. 1.* dicitur: *In omnibus his non peccauit Iob, neque ſtultum aliquid contra Deum locutus eſt.* Cuius contrarium ſignificat Iob 39. & 42. Similiter *cap. 7.* ait: *Peccaui, quid faciam tibi*; At cap. 27. *Neque enim reprehendit me cor meum.*

RESPONDET S. D. hæc non implicare, & ad id Exodi reſpondet, *ſermone de decem præceptis*, Deum punire temporalibus incommodis; (nam, quoad hæc, Filius eſt pars Patris) non autem pœnis æternis, & hoc ſenſu loquitur Ezechiël.

AD loca Iob dico, eum peccaſſe leuiter, *cap. 7.* non grauiter *cap. 37.* & *cap. 39.* & 42. inſipienter locutum ſe fatetur; non tamen peccaſſe. Vide D. Gregorium *lib. 32. Moral. cap. 1.*

OBIICIVNT ſecundò Scripturas, in quibus videtur Deus decepiſſe, quas refert latè Melchior Cano *lib. 2. de locis, cap. 2.* Geneſ. 22. Abraham dixit: *Expectate hic: Ego & puer, poſtquam adorauerimus, reuertemur*; & tamen volebat immolare filium. Locutum autem diuino inſtinctu, aſſerit Ambr. *lib. 1. de Abraham, cap. 8.*

RESPONDET S. D. 3. *diſt. 38. quæſt. 2.* Abraham non eſſe mentitum, quia putabat, filium immolatum reſuſcitandum, vt dicitur *Hebr. 11.* & ideò reuerſurum. Ità exponit D. Auguſt. *ſerm. 71. & 72. de tempore.* Eos ſequuntur Gabriel 3. *diſt. 30.* Carthuſ. in eum locum Valentia *loc. cit.*

39 OPPONVNT Geneſ. 27. vbi Iacob mentitus eſt. *Ego ſum Eſau*, quæ tamen inſtinctu Dei dixit, vt docet Innocentius Papa, *cap. Gaudemus extra, de diuortiis.*

RESPONDET S. D. 3. *diſt. 38. dub. 4. litt.* Iacob verum dixiſſe; nam erat Eſau non quidem perſona, ſed electione ad primogenituram, de quo inſtructus erat à matre, quæ edocta erat, Maiorem ſeruiturum minori *Geneſ. 25.* Neque etiam veſtitu decepit, ſed myſteria ſignauit. Ità cùm D. Auguſt. contra mendacium *cap. 10.* Ambroſio *de Iacob.* Sequuntur Cano, Valentia, & alij. Vide ad ea loca Pererium, & Riberam *ad cap. 11. Hebr.*

OBIICIVNT id *Iſa. 38.* & 4. *Reg. 20.* vbi Dominus per Iſaiam nunciauit Ezechiæ mortem; nec tamen mortuus eſt. Sic & Niniue non eſt ſubuerſa, *Ionæ 2.*

HVIC, & ſimilibus reſpondi *p. 1. tract. 1. diſp. 8. quæſt. 1.* ex D. Bonau. *lib. 1. compend. Theolog. verit. cap. 19.* Ezechiam moriturum ſecundùm cauſas naturales, ſed Deus eum miraculo liberauit. Sic & Niniue ſecundùm demerita erat deſtruenda, liberata tamen ob pœnitentiam, quam ſi non feciſſet, periiſſet.

OBIICIVNT etiam id 3. *Reg. 22.* vbi ait Dominus: *Quis decipiet Achab?* & prodiit Spiritus nequam, qui ſuſcepit decipiendos omnes prophetas. Et Dominus ait: *Egredere, & fac ità.* Et ſubdit propheta: *Ecce dedit Dominus ſpiritum mendacem in ore omnium prophetarum.*

RESPONDET S. Doct. *in 2. diſt. 10. dub. 1.* & *diſt. 47. art. 2. quæſt. 1. ad argumenta*, illis verbis non ſignari præceptum Dei, ſed permiſſionem, quæ ſæpe in Scripturis eodem modo dicendi explicatur, quo & præceptum, vt Ioan. 13. *Quod facis, fac citius*, de quo vide S. Bonau. ibi, vbi alias expoſitiones affert. Eodem reſponſo nituntur Morandus, Cano, Valentia, & reliqui.

ASSERO conſequenter ſecundò, nullâ potentiâ 40
Deum poſſe docere falſum. Eſt contra Gabriëlem 3. *diſt. 38. quæſt. vnica.* Aliacum *p quæſt. 12.* Hybernicum, & Adamum, quos refert Gregorius *primo, diſt. 42. quæſt. 2.* eſt verò communis Theologorum.

PROBATVR primò. *Hebr. 6.* vbi ait: *Impoſſibile eſt mentiri Deum*, quod probant rationes omnes S. Bonau. ſumptæ ex natura Dei, & cum Sanctis Patribus roboratæ; Illi enim propterea negant, poſſe Deum mentiri, quia hæc eſt imperfectio repugnans ſimpliciter naturæ, ſeu perfectioni Diuinæ.

HINC arguit S. Doct. Is, de quo omnis perfectio ſimpliciter eſt aſſerenda, & authoritas, atque omnis imperfectio neganda, non poteſt capere imperfectionem mentiendi: Sed Deus habet ſummam perfectionem, & authoritatem ad perſuadendum: Ergo ei repugnat mentiri.

PROBATVR alia ratione S. Doct. *in corpore* ex con- 41
ſequentia culpæ. Certum eſt, Deum non poſſe eſſe authorem culpæ. Certum eſt etiam, culpam eſſe nobis grauiſſimam, niſi credamus firmiſſimè omnia à Deo reuelata de fide; nam de eis dubitare, eſt hæreſis, vel ſaltem culpa mortalis; negare verò, eſt hæreſis aperta. At ſi Deus poſſet mentiri, non teneremur firmiter credere reuelata à Deo; imò poſſemus iuſtè ſemper dubitare: an Deus voluerit mentiri, ſeu nos decipere: Ergo. Probatur, hoc conſequi, non enim poſſemus certificari de natura Dei ex hypotheſi, quod non repugnat ei mentiri; Neque ex lege ordinaria, quia ſi poteſt mentiri, non ſumus certi: an in aliquo mentiri voluerit: Ergo. Itaque non reduceremus noſtra credulitas in radicem ſolidam veracitatis Dei, vt aduertit Morandus. Hoc eſt germanum Seraphici argumentum, ſi penitius penſitetur, quod tanti ponderis eſt apud Valentiam, vt nil ad perſuadendum deſideretur. Neque enim argumentum Seraphici eſt abſolutè à ſola proportione deceptionis cum culpa; vt ſicuti non poteſt Deus peccare, ità nequeat decipere; nam peccare eſt grauius, quàm dicto alium decipere, vt ipſe S. Doct. aduertit; Sed ex conſequentia inducente culpam. Propter hæc cenſetur aſſertio de fide à Morando *T. 6. quæſt. 2.* Paſqualigo *diſp. 31. ſect. 1.* & aliis.

QVÆSTIO V.

An obiectum FIDEI *possit esse euidens scientificè.*

D.Bonauent. dist.24. art.2. quæst.3.
D.Thom. quæst.1. art.4. & 5.

42 PRIMA opinio negat, posse simul de eodem esse scientiam, & fidem. Ità D.Thom. hîc, vbi omnes Thomistæ, vt videre est apud Complutenses *disp.*20. *Logica*, *quæst.* 4. Pasqualigo *disp.* 33. *sect.* 2. *&* 3. citatus à Valentia etiam Scotus 3. *dist.* 24. *quæst. vnic.* §.*ad quæst.* & §.*sed si aliter.*

SECVNDA sententia est assertiua. Ità D.Bonauent. hîc, Alens.3. *p. quæst.*79. *memb.*3. Albertus 3. *dist.*24. *art.*9. Valentia *disp.*1. *quæst.*1. *p.*4. Suarez 3. *p.Tom.*2. *disp.*19. *sect.*2. Vasquez *p.p.disp.*4. Caspens. *Tract.*15. *disp.*7. *sect.* 10. Tannerus *disp.* 1. *quæst.* 1. *num.*169. Morandus *Tract. vnic. quæst.* 3. sequuntur Coninch, Arriaga, Amicus, De Lugo, & alij apud Mastrium *disp.*6. *quæst.*4. & Tannerum suprà.

TERTIA sententia media tenet, fidem actualem cum scientia actuali esse non posse; sed tamen habitualem. Est communis Scotistarum cum Scoto 3. *dist.*24. *quæst. vnic.* apud Mastrium. Aliqui tamen dicunt, de potentia Dei absoluta posse esse simul fidem, & scientiam actualem. Ità Ponçius *disp.*22. *Log. quæst.* 2. Oppositum tamen tenent non modò authores primæ sententiæ, sed etiam communiter Scotistæ.

43 ASSERO primò, posse de eodem esse habitum fidei, & Scientiæ in ordine ad actus.

PROBATVR primò à D. Bonauent. ex quibusdam Scripturæ locis, quibus proponuntur credenda, quæ cadunt sub scientiam, vt: *quòd Deus sit.* Hebr. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est.* Rom.4. *Abraham fide tenuit Deum stare promissis*, & Genes.1. & in Symbolis proponitur, Deum credendum esse vnum, essèque Creatorem cœli, & terræ. Et *Exodi* 20. & *Deuter.* 6. proponitur, fide credendum, esse vnum Deum. At verò hæc demonstrari possunt, vt osten li *p. p. Tract.*1. *in disputationibus de Existentia Dei, de vnitate*, & *Tract.* 3. *de Creatione.* Hæc viget Tannerus & alij.

44 RESPONDENT Thomistæ, habitum fidei in eruditis, seu peritis harum demonstrationum, non manere ad actus, circa hæc obiecta eliciendos; sed manere tantùm materialiter.

CONTRA, quia sic esset deterior conditio scientium, quàm idiotarum, vt infert Valentia, & Tannerus *num.*171. Deinde Patres omnibus, etiam sapientibus, hos articulos proponunt credendos: Cyrillus Hierosol. *cathec.*6. Chrysost. *homil.* 2. *in Symb. Apostolorum.* Augustinus *L.de fide, & Symb. cap.*1. & *Lib.*4. *de ciuit. cap.*20. apud Valentiam.

QVOD verò ille habitus habeat suum actum, probatur à S. Doctore *in corpore*, contra tertiam sententiam, quam refert: Deus, & natura nil frustrà faciunt; sed dat sapientibus habitum fidei, etiam quò ad cognita ab eis scientificè, neque potentia est impedita: Ergo quò ad ea habet suos actus.

CONFIRMATVR à S. Doctore; quia non opponuntur isti habitus, cùm sint ex diuersis motiuis conuincentes, & habitus scientiæ firmetur in certitudine à fide, quæ habet firmiorem propheticum sermonem, vt ait D.Petrus. Deinde, quia habitus scientiæ imperfectè instruit; nam non ostendit perfectè, Dei vnitatem esse posse in pluribus suppositis.

45 MASTRIVS *num.*132. è Soto *in primo*, *dist.*2. *q.*3. dicit, proponi nobis fide credenda etiam aliqua nota, vt, Deum esse: Nam hæc debent communitati hominum tradi, tum ob negligentiam hominum in quærenda veritate; tum propter imbecillitatem intellectus, & propter periculum inquirentium veritates demonstrationibus, qui multa falsa permiscent, vt ait D.Augustinus 18. *de ciuitate*, *cap.* 41. & constat ex philosophis errantibus. Fuit igitur necessaria authoritas ad perfectam certitudinem; nam motiuum fidei sæpè supplet defectum nostri intellectus, vt docet etiam D.Bonauent. *quæstione hac, in fine corporis.*

46 HÆC tamen Seraphici doctrina, quoad hanc rem nil mihi obest; Nam hinc potius arguo contra Mastrium ex D. Bonauent. *argumento secundo.* Quando vnus actus ordinatur ad alium perficiendum, non repugnat, sic qui cognouit per demonstrationem à posteriori, potest, manente eadem cognitione, idem cognoscere demonstratione à priori; & hæc notitia noua non tollit præcedentem, quia è diuerso motiuo oritur, sicut cognitio intellectiua superueniens sensitiuæ, non hanc destruit; Sed ità se habet per te cognitio fidei superueniens cognitioni actuali demonstratiuæ: Ergo possunt esse simul. Totum argumentum est Mastrij hîc, & ità repugnat suo secundo asserto.

QVARE validissimum est argumentum S. Bonau. *in corpore*, quo vtuntur Suarez, Amicus, Casp. & alij, nullam hîc reperiri implicantiam; quia euidentia illa, & ineuidentia non repugnant; nam euidentia scientiæ est talis, vt possit augeri certitudine fidei ex authoritate; atque adeò se iuuant, vt infert S. D. & Amicus. Ex his habes, posse dari actus fidei, & scientiæ de eodem obiecto.

47 ASSERO secundò, non posse dari visionem intellectiuam, & fidem de eodem.

PROBATVR à S.Doctor *in corpore*, & *ad* 2. ex prima Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate. Cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est.* Tunc sic: Ea, quæ se expellunt, nequeunt stare simul: Talis est visio patriæ, quæ pellit fidem: Ergo.

RESPONDET Mastrius *num.*110. hoc esse commune etiam intellectiuæ cognitioni viæ. Contra; nam sequeretur, habitum fidei euacuari ab habitu scientiæ viæ. Probatur sequela. Ea, quæ eodem gradu opponuntur, eodem gradu se excludunt; sed habitus fidei, & scientiæ viæ eodem modo per se, eodemque gradu opponuntur, sicut habitus fidei cum visione Dei: Ergo sicuti fides euacuatur per visionem, quò ad habitum, ità euacuabitur per habitum scientiæ, contra tuum primum assertum. Porrò euacuari habitum fidei in patria, constat ex Apostolo *loco cit.* vbi de habitibus loquitur.

48 ASSERO tertiò; neque per Dei potentiam posse stare visionem claram patriæ cum fide. Ità S.Bonau. quem sequuntur omnes Thomistæ, & ferè Scotistæ: E recentibus. Lugo *disp.*2. *sect.* 1. Turrianus *disp.*8. *dub.*5. & alij contra torrentem Recentiorum, Suarez, Coninch, Granadum, Amicum, Arriagam, Hurtadum, & alios apud Mastrium *art.*2 *quæst. quarta.*

PROBATVR primò à multis argumento D. Bonauent.3. *dist.* 24. *dub.*1. quod attuli *quæst.*2. ad finem. De ratione assensus fidei est, vt sit liber, vt dicitur Rom. 10. *Non omnes credunt Euangelio.* Sic etiam *Marci* 16. *Ioan.* 12. *Act.* 20. legitur; & colligitur è Concil. Arausi. 2. *can.* 5. Trident. *sess.*6. *cap.*6. sed assensus liber non stat cum assensu necessario simpliciter. Ità & D.Thom. *quæst.*1. *art.*4.

RESPONDET

RESPONDET Mastrius assensum necessarium è motiuo scientiæ non excludere liberum è motiuo fidei.

CONTRA primò ad hominem: Non potest idem effectus esse à duabus causis adæquatis, maximè oppositis apud Scotum. Assensus exhibitus Euangelio, obiecto, nobis est adæquatè à visione beata immutabiliter necessitante, clarissima. Ergo nequit produci à fide, quæ est contingenter libera, & obscura mutabiliter. Est argumentum Apostoli 1.*Cor.*15.*Hebr.*11. vt ostendi *quæst.*1. *&* 2. & confirmabitur *quæst.*6.*ad* 4.

CONTRA secundò ex D. Bonau. hic, quia motiuum fidei non potest habere vim ad liberè mouendum intellectum in præsentia euidentiæ, & visionis, mouentis necessariò, vt ait Mastrius *num.*115.*&* 117. & hoc etiam de potentia absoluta, vt fatetur *num.*126.
49 & aduertit Card. Lugo *disp.*2. *num.* 81. Est enim essentialis repugnantia; ideò stantibus formis non est separabilis. Hinc ruit responsio Tanneri *num.*176. hanc repugnantiam esse tantùm moralem, & decentiæ.

PROBATVR secundò assertio à D. Bonau. *dist.*35. *art.*2. Quandocunque tollitur obiectum essentiale, tollitur & habitus: Sed in patria tollitur obiectum essentiale fidei, nempè obscuritas, quæ in definitione Apostoli ponitur *Hebr.*11. Ergo. Confirmatur: nam posita euidentia patriæ, non manet ampliùs motiuum fidei ex mera reuelatione ad mouendum intellectum; & aduenit repugnantia essentialis; vt monet Cardinalis de Lugo *disp.*2.*num.*81.

RESPONDET Arriaga, posse intellectum ex euidentia assentiri in patria illi obiecto, & tamen relinquere fidei aliud motiuum; sic potest ob plures euidentias eidem assentiri.

CONTRA: Esto ob plures euidentias possit intellectus eidem assentiri; tamen, si semel clarissimè assentiatur, non potest ampliùs ex motiuo obscuro esse liber ad assentiendum.

NEQVE dicat Amicus, posse Deum, suo testimonio summè intellectum mouere super omnem certitudinem; nam, si semel testimonium Dei visi mouerit, non relinquitur locus assensui libero ob testimonium Dei obscurum.

50 NON est tamen eadem ratio de assensu abstractiuo; Nam, vt ait Card. de Lugo, cognitioni abstractiuæ adhuc relinquitur locus maioris claritatis, vt docet S.Bonau. *in corpore* contra Mastrium *num.*129.

PROBATVR tertiò à D.Bonau. *ex dist.*31. *loc. cit. ad vltimum*, argumento, quo nititur Vulpes *disp.*28. *art.*2. Ità se habet Lumen fidei ad lumen gloriæ; sicut Sol ad noctilucam; sed lumen solis obruit lumen noctilucæ, nec relinquit, quò appareat. Profectò dum video Solem; & mihi aliquis Astrologus dicat: *Sol lucet*; non moueor vllo pacto illius dicto, etiamsi sciam, eum Astrologum non posse errare.

OBIICIAS primò contra primum assertum. Sicut se habet Charitas ad suum obiectum, ità Fides ad suum; sed Charitas non compatitur secum amorem creaturę super omnia: Ergo nec fides obiectum scientię.

51 RESPONDET S.Bonau. non ità opponi verum ex scientiæ motiuo, & verum ex reuelatione, sicut amor Dei, & amor libidinosus; nam hi sunt oppositi: At illæ duæ notitiæ se habent vt perficiens, & perfectum, & cùm ex diuersis motiuis conuincant, non summis; neque opponuntur; Fides enim ex obscuris sanè credit; sed scientia naturalis non omninò euacuat obscuritatem mysterij, esto habeat in suo genere euidentiam. Vnde actus fidei dat principalem assensum, & scientia minòs principalem. Ideò dixere illi Samaritæ Ioan.4. *Iam non propter verbum tuum credimus*, idest ob notitiam humanam, sed ex fide in Christo attestante.

OBIICIAS secundò. Visio patriæ fidem euacuat; *prima Cor.*13. Ergo & scientia nostra.

RESPONDET S. Doct. negando Consequentiam: Nam visio excludit omnem latentiam, non sic scientia naturalis.

OBIICIAS tertiò. Fidei assensus est liber *Rom.*10. 52
at scientiæ assensus est necessarius, maximè in primis principiis; non enim negare potes, triangulum habere tres angulos, æquales duobus rectis.

RESPONDET S. Doct. in scientia aliquid Dei latere, cui addit Fides; puta, quòd Deus sit ea infinita perfectione simpliciter, quam *tract. primo,p.*1. Exposui, Quod sit Trinitas; vnde illicò incipit: *Credo in Deum Patrem, &c.*

OBIICIES quartò. Idem nequit esse super rationem, & sub ea. Scientia rationi subiacet; fides excedit: Ergo.

RESPONDET S.Bonau. non implicare aliquod obiectum ex vno capite esse sub rationibus; ex alio verò, supra rationes; tale est obiectum fidei, quod secundùm aliquid subiicitur rationi, vt: quòd *Deus sit*; attamen est supra rationem, quòd sit ità perfectus, vt sit *Trinus personis*, quòd vna persona sit incarnata; &c. Sanè Apostolus meritò ait: *Stultam fecit Deus sapientiam huius sæculi*, nam sine fide est insana.

OBIICIES contra vltimum assertum cum Poncio: Non magis repugnat fides, & visio, quàm duo corpora in eodem loco, vel calor, & frigus vt octo, in eodem subiecto; Sed hæc per Dei potentiam stare simul possunt: Ergo.

RESPONDETVR ex D. Bonau. *loc. cit.* hoc magis 53
repugnare; quia repugnat secundùm intrinsecam essentiæ, quia formale obiecti visionis destruit formale fidei: At calor, & frigus opponuntur solùm secundùm contrarietatem in subiecto, quæ potest à Deo superari, vt ait Mastrius.

QVÆSTIO VI.

An FIDES *sit de his, de quibus habetur visio in via.*

D.Bonau.d 24.art.2 quæst 1.
D.Thom 2.2. quæst.1.art.4.

VERA sententia est negatiua. Ità D. Bonau. quem 54
sequuntur omnes Scotistæ, & Thomistæ communiter. Et ex recentioribus Card. de Lugo *disp.*1. *sect.*2. Turrian.*disp.*8.*dub.*5.Pasqualigo *disp.*33.*sect.*1.

OPPOSITVM tamen tenent Valentia *p.*4. *col.*62. vbi ait, sine causa Bonauenturam id negare; Tanner. *quæst.*1. *disp.*6. Morand. *quæst.* 3. & alij plurimi apud Mastrium *disp.*6. *quæst.*4.*art.*2.

ASSERO cum D.Bonau. non posse haberi Fidem de rebus, quæ videntur hîc clarè.

PROBATVR primò à S.Doct.ex PP. D.Aug. *ad* 14. *Ioan.* ad ea verba: *Vado parare vobis locum. Eat ne videatur; lateat vt credatur*, & tract.40. in Ioan. *Fides est credere, quod non vides.* Et lib. 2. qq. Euang. cap.39. *Fides est virtus, qua creduntur, quæ non videntur.*

Ex D.Gregorio *homil.*36. In Euang. *Quæ videntur, fidem non habent, sed agnitionem.* Et Chrysost.homil.25. ad Hebr. ait: *Eos perdere velle fidem, qui credita volunt videre.* Idem sentiunt communiter Sancti, vt refert S.Doct. *quæst.*3. *in corpore.*

PROBATVR secundò à S.Doct. Fides in patria euacuabitur, vt colligitur *ex prima Corinth.*13. sed visio corporalis ità manifestat Christi Humanitatem, sicut visio spiritualis in patria Deitatem: Ergo sicut fides Diuinitatis non potest esse circa visa in patria, ità nec

nec fides humanitatis in via visæ. Hinc gratis negant paritatem, vt notat Mastrius n.110. hac ratione vsus.

Probatvr tertio à S. Doct. credere est liberum Rom.10. At credere, quod video, est penitus necessarium.

Probatvr quartò *in corpore*. Id, quod repugnat essentiæ fidei, non potest stare cum fide: Sed sensibilis visio repugnat: Ergo. Minor probatur; nam ex Apostolo *loc. cit.* Fides est cognitio obscura, & nunc Ænigmatica: at Visio est clarissima; hæc autem sunt contradictoria. Hoc argumento vtuntur Scotistæ, & Thomistæ.

55 Nec valet responsio, hæc non esse contradictoria, quia ex diuersis motiuis. Contra enim iam testificit argumentum, quia ex intrinseco formali obiectum Fidei debet esse obscurum; vnde adueniente visione non habet ampliùs obscurum, de quo fidem præstet reuelanti; & ratio formalis vnius, idest scientiæ, destruit rationem formalem obiecti Fidei. Neque differunt secundùm perfectum, & imperfectum, vt putant aduersarij; sed differunt secundùm essentialia eorum, positiuum, scilicet & priuatiuum; ex quo deducit Card. de Lugo *disp.2. num.*81. quòd, cùm hæc repugnantia sit formalis intrinseca, conuincit, non posse, etiam per Dei potentiam, stare visionem, & Fidem. Inanis etiam est responsio Valentiæ, fidem esse de non visis per fidem ipsam; nam, vt ait Mastrius *num.*109. ridiculè locuti essent Patres, & Scripturæ, & sensus esset nullum videre per actum fidei. Fallitur & Tanner. *num.*176. negans, hæc repugnare.

Obiicies primò *Ioan.*20. dicitur: *Quia vidisti me Thoma, credidisti*; ergo de hoc habuit fidem, & visionem.

56 Respondent D.Bonau. & Scotus ex D.Gregorio *homil.26. in Euang.* quòd: *Thomas aliud vidit, & aliud credidit; Vidit hominem, & Deum credidit.* Eadem est responsio D August. *tract.79. in Ioannem.*

Instat Arriaga, hanc expositionem non esse textui consonam. Primò, quia Christus non est locutus æquiuocè, sed de eodem, de quo dixit: *Vidisti*, dixit & *credidisti*. Deinde, si quod non vidit, credidit: Ergo non habuit minus meritum, quàm alij, qui, non videntes, crediderunt, quos tamen ibi Christus præfert Thomæ. Tertiò, quia ibi Thomas nil credidit de Diuinitate, sed de Resurrectione, de qua dubitabat, quam tamen videbat non minùs, quàm ego video Petrum præsentem; & tamen vos negatis, visionem cum fide stare.

Enim verò friuola hæc sunt contra Patrum expositionem; Neque verò Christus æquiuocè locutus est, sed cum mysterio, vt sensus sit: Quia vidisti me à mortuis suscitatum, credidisti Deum, cùm purus homo non valeat seipsum suscitare. Iam sicuti me au-
57 disti: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam*, ità nunc vidisti, & ideo credis Deum. Vide S.Bonauenturam *sermone de S.Thoma.*

Ex quo ruit secunda oppositio: Sensus enim est, plus meriti esse eorum, qui, nec me viderunt suscitatum, & crediderunt, absque miraculo hoc, me esse Deum.

Ad tertium dico, Thomam confessum: *Dominus meus, & Deus meus.* De diuinitate enim dubitauit, dum mortuum vidit; neque credidit, donec vidit suscitatum.

Obiicias secundò Prima Ioan. primo: *Quod vidimus, & manus nostra contrectauerunt de Verbo vitæ*; At Apostoli habebant de eodem Christo etiam fidem.

Respondet D.Bonau. Apostolos habuisse Fidem de mysteriis visis; nam tametsi viderent hominem mori; credebant tamen illum Deum. Itaque habuere fidem de Hac persona, vt est Deus. Hanc expositionem Mastrius *num.*133. præfert Scoticæ.

Obiicies tertiò. B. Virgo sensibili experimento nouit, se concepisse de Spiritu Sancto, & tamen credidit; Ideò Elisabeth ait: *Beata, quæ credidisti, &c.*

Respondet S.Bonau. Beatam Virginem sensisse, se concepisse sine viro; attamen non sensisse, se concepisse filium Dei. Sic respondet & Mastrius.

Obiicies quartò. Sequeretur, peioris conditionis esse doctos, & qui viderunt, vt Apostolos.

Respondetvr cum D.Bonau. eos, qui viderunt, aliquid aliud credidisse.

Mastrivs respondet ex D.Bonau. *quæst.*5. negando sequelam, quoad sapientes, qui de eodem habent scientiam, quia illi non cognouere perfectè per scientias, Deum esse, esseque vnum, aut infinitum simpliciter esse in tribus personis, vnde eguere lumine fidei, sine quo Philosophi errarunt. Hoc responsum ait, esse conforme doctrinæ Scoti; vnde patet, quomodo & docti actus supernaturales fidei exerceant. 58

Enim verò non recordatur, se dixisse in primo asserto *num.*108. non posse actus fidei, & scientiæ simul esse de eadem conclusione in eodem intellectu. Quare abutitur doctrinâ S.Bonauenturæ.

Firmissima igitur probata est nostra assertio. Confirmatur argumento S.Bonau. principali *in corpore*, quo vtuntur Suarez *disp.3 sect.9.* Coninch. *disp.11. dub* 1. Lugo *disp.2. sect.2.* Vasquez *disp* 53. & 62. Mastrius *num.*115. vbi docet esse firmam rationem; nam visio clara ità rapit assensum, vt non modò libertati ad fidem necessariæ negetur locus; sed neque remaneat motiuum assensus; sic, dum video Solem, quamtumuis aliquis dicat mihi, diem esse, etiamsi is esset Angelus; non credo ex authoritate, sed quia video. Rationem reddunt Coninch. & Suarez; quia cùm actuatus sit intellectus formali assensu perfectissimo, non relinquitur alteri formæ assentiendi locus.

Sed contra arguunt: nam Beati habent cognitionem intuitiuam creaturarum, & tamen possunt habere etiam abstractiuam. Idem de anima Christi sanctissima aiunt Theologi. 59

Respondet Mastrius è Scoto *ad* 3. rationem esse, quia medium fidei, à medio visionis impeditur, ne moueat, redditurque insufficiens ad mouendum in præsentia eius: medium enim fidei non habet virtutem ad mouendum, nisi quando indiget intellectus illo, eò quòd aliundè veritatem non habeat. Idem respondet Lugo.

Sed eadem difficultas incurritur, quam Suarezio opposuerunt, quia visio clara creaturarum in Deo suum patitur abstractiuum.

Ratio igitur est, quam affert S.Doct. *in corpore*, quia intrinsecè opponuntur formaliter, vnde obiecto clarè viso, implicat versari fidem circa illud, quia intrinsecè est ænigmatica, vel saltem obscura, & obscurum exigit obiectum.

QVÆSTIO VII.

An articuli FIDEI *sint euidenter credibiles.*

Hanc quæstionem satis tractaui *p.1. tract.1. disp.1. quæst 9.* cum D.Bonau. *sermonibus Hexaëmer.* præcipuè 8.9. & 10. & *in opusculo: Principium Scripturæ.* 60

Testimonia sanè *Dei credibilia sunt nimis*, vt clamat *Psal.*92. De quibus argumentis vide etiam Valentiam *disput.* 1. *quæst.*1. *p.*4. Scotum *quæst.*2. *Prolog. sent.* & Scotistas. Medinam *tract. de fide* Poncium *disp.*28.

disp.28. Mastrium *disp.6.quæst*.10. Caspensem *tract*.15. *sect*.9. Tanner. *disp*.1. *quæst*.1. *à num*.160. Fulniensem *lib*.3. *cap*.1.

Præcipuum argumentum sumitur è Christi præstantia, quo nititur Valentia *arg*.17. eruto è D.Bonau. *p. prima stimuli Diuini amoris*, *cap*.6. Si Christus falsò voluisset sibi nomen, ac dignitatem filij Dei arrogare; profectò insanè, & perperam fecisset; nec Deus tot miraculis eius dicta confirmasset, & aduersarij in dictis eius insipientias, & errores inuenissent, quod non potuere. At celebres sunt etiam apud exteros, eius innocentia, sapientia, & prophetiæ, miracula, &c. efficacia sermonum, &c.

Secundum est prophetiarum multitudo de nostra fide.

61 Tertium est firmitas Ecclesiæ inter tot tempestates.

Quartum est victoria de tot sapientibus, & Tyrannis.

Quintum est testificantium nobilitas, eorumque fama præclara.

Sextum, tot Martyrum mira constantia.

Septimum, testificantium concordia tot terrarum dissitis partibus; totque diuersis temporibus.

Octauum est inconcussa firmitas eorum, quæ fides docet.

Nonum, ineptiæ, & absurda tot aduersantium sectarum.

Decimum, fructus, qui ex hac legis sanctitate exuberant.

Vndecimum, testimonium alienorum.

Duodecimum, Exitus infelix persequentium Ecclesiam. Vide ibi, & quæ addam *quæst*.11.

QVÆSTIO VIII.

An credibilia rectè per articulos sint disposita.

D.Bonau. dist.24. art.3.
D.Thom quæst 1. art 6.

62 D.Thomas, articulum, ait nominari *ἄρθρον*, quod significat coaptationem partium ad motum: Id agnouit etiam S. Bonau. *quæst*.1. *art*.3. Calepinus verò à nomine *artus* sumpsit, eò quòd sit particula, in quam resoluuntur artus, seu membra corporis, dicitur verò articulus ab arctando, quòd actiuè, & passiuè applicitum est mysteriis credibilibus: Passiuè quidem; quia est quid arctatum, & sicuti nodi in corpore, sunt partes in quas artus, seu membra resoluuntur; ità articuli sunt veluti prima principia, in quæ resoluuntur partes totius habitus Fidei: Actiuè verò, quia arctant ad credendum.

63 Hinc colligit S.Bonau. articulos fidei esse prima principia in fide, in quæ resoluuntur omnia obiecta credibilia ad modum, quo articuli in corpore sunt, in quos resoluuntur membra, etiam minuta digitorum, & sicuti in scientiis, & actibus prima principia sunt, in quæ resoluuntur conclusiones, nec illa resoluuntur in alia, vt notat etiam Caspens. *disp*.1.*sect*.12. Itidem sunt primò distinguentes obiectum credibile ad modum, quo articuli in Grammaticis distinguunt genera, & casus. Et in Rhetoricis vocatur articulus distinctio, quæ fit in scientia, & prolatione. Quoniam igitur scientiæ, & artes sunt Theologiæ ancillæ, vt egregiè demonstrat S Bonau. *opusc. De reductione artium ad Theologiam*, Ideò accepit nomen articuli ad significanda prima capita, & principia, in quæ omnia credita resoluuntur, quæ dicuntur obiectum fidei. Hinc S.Doctor laudat definitionem articuli, traditam à Richardo Victorino: *Articulus est veritas indiuisibilis de Deo, arctans nos ad credendum.* Dicitur veritas indiuisibilis, quia vltimò credita resoluuntur in articulos, resolutio enim stat ad indiuisibile. Dicitur *arctans*, &c. arctat enim, vt regula directiua ad omnia credibilia. Vide Caspensem, Cardinalem de Lugo, Morandum, & alios consentientes.

Obiicit sibi contra hanc definitionem S.Doct. primò, quia articulus est propositio diuisibilis. 64

Respondet, esse indiuisibilem formaliter, quià non diuiditur in alios articulos, vt credibiles.

Obiicit secundò. Si articulus est veritas indiuisibilis. Ergo est vnus articulus, quia vna est veritas. Deinde veritas est Deus: Ergo non est de Deo.

Respondet S. Doct. articulum esse veritatem, prout comparatur ad aliquid de Deo asserendum, vt esse Deum vnum; esse Trinitatem, &c. & ità Deus est subiectum harum veritatum.

Obiicit tertiò. Inter articulos sunt aliqui, qui non sunt de Deo, vt Resurrectio carnis. Respondetur, carnis resurrectionem esse de virtute Diuina.

Obiicit quartò. Quia articuli fidei non concluduntur rationibus; Ergo non arctant ad credendum. Respondet, arctare fideles illuminatos ex authoritate reuelantis; arctant verò non cogendo; sed omnem tollendo ambiguitatem: arctant etiam obligando; & restringendo, & resoluendo in principia distincta obiectum fidei.

Mox S. Doct. *quæst*.5. tradit aliam definitionem 65
Articuli ex D.Isidoro. *Articulus est perceptio Diuinæ veritatis, tendens in ipsam.* Sic autem declarat: Dicitur *perceptio Diuinæ veritatis* causaliter, quia est id, quo primas fidei veritates percipimus. Dicitur *tendens in ipsum Deum*, quo ostendit fidem dirigere voluntatem in Deum, in quem excitamur fidei articulis. Ex quo deducit S.Doct. definiri articulum, prout est obiectum fidei formatæ.

Hac expositione ruunt oppositiones, quæ contra hanc definitionem fiunt. Vide S.Bonau.

Ordo credibilium in Symbolo habetur. Significat autem Symbolum indicium, siue notam, qua alij ab aliis dignosci queant, & collationem plurium in vnum, vt notat D. Bonau. *disp*.25. *quæst*.1. dicitur enim Symbolum *à Syn*, quod est simul; & *bole*, quod est sententia; vnde Symbolum est plurium sententia, constituta è pluribus articulis, quibus fideles ab infidelibus, veluti tesserà, secernuntur, vt aduertit etiam Valentia *disp*.1. *quæst*.1. *p*.5. ex Ruffino *in expositione Symboli*, & Cassiano *lib*.6. *de Incarn. ad Leonem P.* Vide etiam Tannerum *disp*.8.

Triplex autem Symbolum existit in Ecclesia, vt 66
notat D.Bonau. *ad* 5. *quæst. cit.* Primum est Apostolorum, quod recitatur in officio. Hoc verò à duodecim Apostolis compositum asserunt communiter Patres veteres; Clemens I. *epist*.1. Irenæus *lib*.1. *cap*.2. Tertullianus *in præscriptionibus*, Ambros. *epist*.81. Ruffinus *in expositione*, Hieron. *epist. ad Pammach.* & *de erroribus Ioan. Hierosol.* Chrysost. *homil*.1. & 2. *in Symb.* August. *serm*.115. & 180. *de tempore*, Leo *serm*.11. *de Passione Domini*, & *epist*.13. *ad Pulcheriam*, & cum eis S.Bonau. & alij.

Addit S.Doct. cum August. & Leone suprà, singulos Apostolos apposuisse vnum articulum.

Secundum Symbolum est Athanasij, quod, vt ait S.Doct. fuit contextum præcipuè contra Arium. Est autem illud, quod recitatur in Hora prima Dominicæ. Ità testantur SS. August. *in Psalm*. 126.

*in enchir. cap.*36. & *lib.*5. *de Trinitate*, *cap.* 8. & *epist.*174. & *serm.*195. *de Tempore*. Et S. Gregorius Nazianzenus *de laudibus Athanasij*, & quod caput est, vniuersa Ecclesia illud recipit. Habetur Romæ, ab eo Latinæ Scriptum.

Tertium Symbolum est Nycænum, quod in Missa recitatur cum quibusdam additis in CC. Constantinopolitano primo: Toletano 8. & Florentino; & seorsim ab Ecclesia addita est illa particula: *Filioque procedit*, vt vidimus *p.*2. *tract.*1. *disp.*10. *quæst.*2.

67 Convenienter autem fidem in articulos ordinatam ostendit S.Doct. primò, vt esset Catholica, idest vniuersalis vniformitas fidei apud omnes gentes, quod ante docuit Irenæus *lib.*1. *cap.*3.

Secundo, quia omnibus, etiam simplicibus debuit tradi Fides, quæ non satis esset explicita in genere, nec profusis eruditionibus potuissent erudiri, vt docent D.August. *lib. de fide*, & *Symb. cap.*1. Cyrill. Hierosol. *catech.*5.

Addit Valentia cum D.Bonau. vtile, imò pernecessarium esse, contra hæreticos habere formulam fidei, quæ ideò, exurgentibus hæresibus temporum decursu, adaucta est, vt dicam quæstione sequenti.

68 Ordine autem congruo articulos collocatos ostendit S.Doct. cum D.Thom. *quæst.*1. *art.*8. Sumit autem ordinem hunc è capitibus credendorum. Primùm enim credenda est Diuinitas: deinde Trinitas personarum: tertiò Humanitas: quartò Operationes diuinitatis; & vltimò opera Christi incarnati. Quoad Diuinam essentiam, est vnus articulus, sicut essentia Dei est simplicissima: *Credo in Deum.* Quoad Trinitatem sanctissimam, tres sunt articuli. Primus est: *Credo in Deum Patrem*, Secundus est: *In Iesum Christum, filium eius, &c.* Tertius: *Credo in Spiritum Sanctum.* Quoad Operationes deitatis, tripartitæ sunt. Prima est naturæ creatio, & notatur, cùm dicitur: *Credo in Creatorem cœli, & terræ.* Secunda est, gratiæ collatio, & notatur, cùm dicitur: *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam: Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* Tertia est collatio gloriæ: *Carnis resurrectionem, vitam æternam.* Et sic septem sunt articuli circa diuinitatem, respicientes ipsam diuinam essentiam: Vnus Deitatem in se; Tres respicientes Trinitatem personarum, & alij tres opera Deitatis. Similiter circa humanitatem Christi sunt septem articuli, secundùm septem actus Redemptionis, qui ordinantur ad nostram salutem. Primus est Incarnatio, & de hoc est articulus: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto.* Secundus est Nasci: *Natus ex Maria Virgine.* Tertius est Redemptio: *Passus sub Pontio, & crucifixus, mortuus, & sepultus.* Quartus est Inferni spoliatio: *Descendit ad inferos.* Quintus est triumphus de morte: *Tertia die resurrexit à mortuis.* Sextus est Ascensio in cælum: *Ascendit ad cælos, sedet ad*

69 *dexteram Patris.* Septimus est Aduentus ad iudicium: *Inde venturus est iudicare, &c.* Vide S. Doct. *dist.*25. *quæst.*1. singulis Apostolis proprium articulum: assignantem.

Hos quatuordecim articulos miratur S. Doct. expressos *Apoc.*1. vbi inter septem candelabra aurea visus est Christus, & habebat ad dexteram septem stellas, sunt autem stellæ articuli cælestes deitatis: At septem candelabra aurea, è terrena substantia, sed pretiosa, sunt septem humanitatis articuli. Eadem docet *in Hexaemer. serm.*8. & *in Centiloq. sect.*38. & *in Dieta*, *cap.*5. *titulo* 3.

Advertit autem, reductos articulos in duodecim; nam primus continet Deitatem; & primam Personam, quæ est *Fons* omnium communicationum deitatis; & opus Creationis, quæ omnia S.Petrus asserit, & ita duodecim sunt articuli, lato modo. Vide S.Doctorem.

Probat igitur S.Doct. sufficientiam Symboli primò ex Cassiano *lib.*6. *de Incarn. ad Leonem Papam.*

Secundo, quia fides versatur circa Deum: Dupliciter autem Deus respicitur, vel in se, vt Vnus, & Trinus; vel in Humanitate assumpta. Rursus. Deitas non cognoscitur in via, nisi per opera; hæc verò tria sunt præcipua, Creatio, Gratificatio, & Glorificatio. Opera verò humanitatis sunt relata in Symbolo, quod, cùm ab Apostolis, plenis Spiritu Sancto compositum fuerit, non est dubium, quin congruum sit; fuere enim magistri Ecclesiæ Catholicæ. Itaque, licèt quatuordecim possint etiam numerari, vt docet S.Bonau. *loc.cit.* Scotus *dist.*25. *quæst.*1. tamen ad duodecim rediguntur.

Observat autem Valentia *loc. cit.* Morand. *q.*4. Card. Lugo *disp.* 3. *sect.*4. Symbolum non esse Scripturam Canonicam, quia compositum fuit ab Apostolis, tanquam formula breuis profitendi fidem, iam præhabitam. Miraberis, hîc omitti Mysterium fidei, idest Eucharistiam Sed includitur in omnipotentia. Vide D.Th. *art.*8. *ad* 6. Clauditur etiam in Ecclesia.

QVÆSTIO IX.

Vtrum articuli FIDEI, *decursu temporum, creuerint.*

D Bonau. dist.25.art.1 q.1.
D. Thom. quæst. 1. art.7.

Communis Theologorum sententia est, articulos omnes fidei implicitè semper fuisse creditos, non tamen explicitè: Sic D.Bonau. & D.Thom. hîc, vbi Thomistæ, & Sententiarij omnes cum Magistro 3. *dist.*25. vbi Albert. *art.*1 *ad* 2. Scotus *quæst.*1. Durand. *quæst.*1. Richard. *art.*3. *quæst.*2. Valentia *quæst.*1. *p.*6. & alij apud Suarez de Fide *disp.*2. *sect.*6. Card. Lugo *disp* 3. *sect.*5. Aragon. hîc. Tanner. *disp.*1. *q.*1. *n.*201. 70

Assero primò, articulos Fidei, quoad credulitatem implicitam non creuisse. 71

Probatur à S.Doct. primò, quia Fides Christiana tota continetur in lege noua, & lex noua inuoluebatur veteri, veluti rota in rota, vt dicitur *Ezech.* 1.

Probatur secundò à S.Doct. Mutato obiecto substantialiter, mutatur habitus: Ergo si fides haberet obiectum nouum credens, quod antè non credebat, mutata esset; sed Fides secundùm diuersa tempora non est mutata ex D.August. *epist.*51. Irenæo *lib.*4. *cap.*13. & aliis Patribus, atque adeò id, quod credimus nos, explicitè credidere Patres, quoad substantiam, saltem implicitè, vt docent etiam Sancti Doctores, qui hoc termino vtuntur, non esse mutata, quoad substantiam, sed secundùm accidens; quia implicitè olim creditum, iam creditur explicitè, atque adeò continebantur hi articuli in antiquis, sicut conceptus vlteriores, & distinctiores in vniuersalibus, vt notat Valentia.

Probatur tertiò à S.Doct. Nam antiquitùs omnes expectabant Redemptorem; sed quòd futurus esset homo Deus, non omnes sciebant. Sic de reliquis articulis spectantibus ad passionem, resurrectionem, & Ascensionem Christi. Hoc magis explicat S.Doct. *in corpore.* Hæc sunt argumenta ad oppositum, hoc sensu concessa *in responsis.*

Probatur quartò. Sicuti creuit obiectum Charitatis, ità & Fidei; sed omnia nunc diligenda explicitè, etiam inimici, erát antiquitus diligenda implicitè: Ergo.

Assero secundò, non omnia, quæ nunc creduntur explicitè, fuisse credita eodem modo antiquitùs. 72

Probatur

Probatvr primò à S.Doct. ex illo Exodi 6. *Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob: & Nomen meum* Adonai *non indicaui eis*, idest, non impertiui illis claram notitiam Simplicitatis, & Vnitatis meæ, vt exponit D.Thom. *quæst.*174. *art.*6.

. Probatur secundò à S.Doct. Sicut se habet Lex Euangelica ad Mosaïcam; quoad moralia ita & Fides legis nouæ ad fidem veteris quoad credibilia; sed Euangelium supra legem veterem addit multa consilia: Ergo lex noua addit plura credibilia; non tamen aliter, quàm implicita explicando vt patet ex supradictis. Est ferè Argumentum D.Irenæi *lib.*4. *cap.* 47.

Probatur tertiò à S.Doct. Nam Mysteria Incarnationis, sacramenta, & alia Ecclesiæ credita, non credebantur olim explicitè.

. Probatur quartò à S.Doct. Ecclesia noua, multa nouit, quæ Angelos latebant, vt dicitur *Ephes.*3. Ergo multò magis hæc latebant homines veteris legis.

QVÆSTIO X.

Vtrum Fides *creuerit quoad lumen.*

D.Bonau. dist.25. art.2. q.2.
D.Thom. in 3. sent dist.25. art.2. quæst.2.

Assero, Fidem secundùm lumen creuisse ab initio mundi.

82 Probatvr primò à S.Doct.ex D.Gregor.*homil.*16. *in Ezech.* vbi exponens id Lucæ 10. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis*, ait: *Secundùm incrementa temporum creuit scientia Sanctorum, & spiritualium Patrum. Et quantò aduentui Saluatoris viciniores extiterunt, tantò mysterium salutis pleniùs perceperunt*: Ergo pleniori lumine cognouerant; sed non nisi lumine fidei: Ergo. Idem sentit D.Thom. *quæst.*1. *art.*4 *ad* 4. viciniores, nempè Christo, maiori lumine fuisse perfusos, non omnes sanè, sed aliquos. Addit Valentia aliam limitationem, hoc verum esse de lumine infuso; nam lumine naturali nunc iam Theologi plura cognoscunt. Sed iam nos loquebamur de lumine infuso Fidei.

Addit Tanner. *disp.*1. *quæst.*1. *num.*206. nullum etiam è Doctoribus, succedentibus in Ecclesia, explicatiùs Apostolis mysteria fidei accepisse.

Probatvr verò hoc. Ioan.14. *Paracletus vos docebit omnia.* & cap.15. *Omnia, quæ audiui à Patre, nota feci vobis.* Et cap.16. *Cùm venerit Paracletus, ille vos docebit omnia*, & Lucæ vltimo: *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas*, vt obseruat S.Doct. *in commentariis.* Et secunda Corinth.3. *Nos reuelata facie gloriam Domini speculantes.* Addit S. Doct. illud *Act.*2. vbi Petrus admonet Iudæos, iam impleri Ioëlis prophetiam capite 2. *Et erit in nouissimis diebus effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt, & visiones videbunt.*

83 Addit S. Doct. ad ea verba *Lucæ vltimo*, argumentum è Scripturis; Nam Christus habet clauem scientiæ, vt dicitur *Isa.*22. & *Apoc.*5. Agnus aperuit Librum reuelationum, anteà occultatum, & quatuor animalia, quæ Euangelistas comitantur, & vigintiquatuor seniores circumstantes viderunt arcana. Igitur, quò viciniores fuere discipuli Christo; eò sapientiores.

Obiecit verò sibi D.Bonau. *ad cap.*16. *Ioan.* Quomodo ait, cap.15. *Omnia nota feci vobis*, at hîc ait: *Multa habeo vobis dicere?* Respondet cum D.August. *Tract.*96. eum loqui de his, quæ reuelata sunt in aduentu Spiritus Sancti, ad quæ non erant adhuc dispositi. Omnia enim, Canonica (ait S.August.) authoritate conscripta ante aduentum Spiritus, quis audit, vel legit? ponit autem præteritum pro futuro, & significat, *nota feci*, idest, nota adeo certè faciam, vt ea possitis, vt habita, tenere.

Præclara verò habet de hoc S.Doct. *serm.*9. *in die Pentec.* vbi obseruat, Apostolos vocari cælos à Spiritu Sancto formatos. Iob.26. *Spiritus Domini ornauit cælos.* Psal.116. *cæli enarrant gloriam Dei.* Psal.32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*, vt Patres exponunt: hæc autem componit cum illo Ioan.16. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, & ait: Sicut cæli sunt; in quibus est fons lucis, & Luminaria, ità in Apostolis splenduère Lumina fidei præclarissima. Et sicuti in fundamentis est maior substantia, sic in Apostolis, qui dicuntur fundamenta Ecclesiæ, *Ephes.*2. *Apoc.*21. Et sicut Spiritus Sanctus dicitur Fons aquæ salientis effusus, quem Christus erat daturus; ità qui fuere viciniores huic Fonti, magis ebibere: Ergo Sancti Apostoli maiori Lumine fidei præditi sunt. His argumentis, hoc probant SS. PP. Cyprianus *epist.*74. Ambros. *serm.*24. August. *lib.*5. *de Baptismo, contra Donatistas, cap.*26. apud Valentiam. Et Morand. *quæst.*5. qui obseruat cum Aragonio hîc *art.*7. Card. Lugo *disp.*3. *sect.*5. Apostolos habuisse fidem explicitam eorum omnium, quæ nunc fideles tenentur credere; At Suarez *lib.*2. *sect.*6. *num.*18. tenet, hoc verum solùm de spectantibus ad substantiam illorum temporum, non de contingentibus, puta, quòd fuerit Tridentinum legitimè congregatum, quæ tamen fuisse de fide etiam tunc, sed nunc solùm declarata; asserunt Vualdens. *lib.*2. *doctrinalis fidei*, *cap.*22. Lyrin. *contra hæres. cap.*17. Ideò inquiunt Cano, Castro, & alij, nobis non esse expectandam nouam reuelationem, Apostolis ignotam.

Profecto Petrus dubitauit de hoc magno puncto: An Euangelium esset prædicandum gentibus. *Act.* 10. & *cap.*11. aliquo modo reprehenditur circa vsum legalium à Paulo.

Pergit S.Doct. probare præcellentiam fidei nostræ in lege Euangelica supra Mosaicam; quia sicuti prophetiæ semper fiebant clariores etiam in lege veteri; vnde ait Dauid Psal.118. *Super senes intellexi*, & fuit æstimatus propheta, supra anteriores; similiter & posteriores nouo veluti diei gratiæ aduenientis lumine; fuere irradiati; sic vsque ad Euangelium, in quo est dies perpetua præclara, præclarior est fides. Est enim Euangelium Lux; & Lex antiqua est Vmbra; atque adeò præclarior est illuminatio interior, & exterior instructio, ac proinde maiori lumine decoratur fides. 85

Obiicies primò. Quod est supra tempus, non augetur tempore. Talis est fides: Ergo.

Respondet S.Doct. esse supra tempus, quoad rationem mouentem, quæ est prima veritas; at quoad instructionem creuit è nocte, in diem.

Obiicias secundò. Id, quod ostendit occultius obiectum, est lumen intensius; sed fides antiqua ostendebat Redemptorem futurum, qui erat magis occultus, quàm nunc; cùm iam aduenerit: Ergo.

Respondet S. Doct. primò, Maiorem esse veram, 86 si tale lumen ostendat rem occultam intensiùs, & clariùs, plus de ea patefaciendo: At si minùs pandat, negatur: Hinc lumen fidei, etsi ostendat Deum in via occultum, est minus lumine gloriæ, quod plus exhibet, reddendo Deum, qui nobis est occultus, clariùs. Ità lumen veteris fidei, ostendens Christum obscurum, erat remissius, quia parum de eo detegebat; minusque nostro.

Respondat secundò lumen, quod pandit obiectum in se obscurum, illudque potentiæ facit elatiùs apparere, esse præclarum; At si ostendat in nobilo; non est tale. Iam verò Christus erat antiquitus in se obscurus; & ex parte potentiarum parum lumine vmbroso ostensus; nunc autem tametsi iam venerit, tamen obiectiuè viâ naturali parum exhibetur. Esto enim sciamus, fuisse in Iudæa hominem celebrem, vocatum Iesvm; multaque de eo apud historicos mundi legamus; attamen notitiam Personæ Diuinæ, veritatis doctrinæ, sanctitatis, & miraculorum, accepimus lumine fidei, quo Euangelia credimus; & ideò lumen, hoc occultum reddens mentibus notum, est clarius lumine illo, antiquis infuso. Hæc responsiu continet & explicat præcedentem.

Idem lumen perfudit eos, qui in carne Iesum contrectarunt; vnde plurimi, tametsi viderint miracula, &c. non crediderunt, vt ait D.Bonau. *ad* 3.

Obiicies tertiò. Maius est lumen fidei, quod ostendit futura, quàm quod præterita. Sed antiqui videbant futura; Nos præterita: Ergo.

Respondet S.Doct. ea, quæ sunt supra naturalem cognitionem, esse æquè obscura, si præterita sint, & de talibus esse prophetiam. Sic prophetauit Moyses describens creationem mundi *Genes.* 1. & alia præterita. Et Elisabeth *Luca* 1. ait: *Beata, quæ credidisti*, & de his est fides, vt quòd Iesus filius Dei sit mortuus, &c. quæ naturali lumini non sunt peruia.

87 Obiicies quartò. Maior est illuminatio, vbi maior est luminis communicatio: Sed fides nostra confirmatur per lumen etiam antiquorum Patrum: ergo recipit ab antiquis lumen.

Respondet S.D. id euenire per accidens, quatenus expositi sunt Patres illi super candelabra positis nouæ etiam legis gratiæ. Sic expositæ Iobi, & Tobiæ patientia; Abrahæ fides, &c. vt illi primi essent Ideæ virtutis vsque animati videremus quam altiorem sanctitatem scandere teneamur in testamento gratiarum, ad quam sanè innumeri superuolarunt consiliorum perfectionis obseruatoriâ, etsi sub Modio lauerint multi.

QVÆSTIO XI.

An Fides creuerit certitudine.

{ D Bonau. dist. 25 art. 2. q 3.

88 Assero primò, fidem non crescere in ratione sua intrinsecæ certitudinis.

Probatvr à D.Bonau. primò, quia pendet à prima veritate, quæ immutabilis est.

Secvndo, quia pendet à Diuina præscientia, & decreto, quæ immutabilia sunt.

Tertio, quia pendet ex diuinis prædictionibus, quæ semper eodem modo sunt certæ.

Qvarto. Id est certius, quod magis ab errore est remotum, sicuti id est albius, quod magis à nigro recedit, vt habet Aristoteles 3. *Top. cap.* 4. sed fides antiqua, & nostra sunt æquè remotæ ab omni errore: Ergo.

Assero secundò, fidem crescere ex parte credentium, ob clariorem instructionem, & deuotionem.

Probatvr à D. Bonau. primò. Certius enim est, quod pluribus mediis mortificatur; sed mysteria nouo lumine, nouisque modis sunt exposita: Ergo.

Secvndo; quia mysteria Christi, quæ futura erant, iam certiora *ex facto redduntur*.

Tertio, quia fides pluribus testibus abundat, nempè, qui fidem Catholicam receperunt. Quo argumento mouetur D.August. *lib. contra epist. fundam. cap.* 4. & *lib. de vtilitate credendi, cap.* 14. Quanto magis mouet consensus eorum, qui post S.August. venere? Sanè tot homines non ob priuata commoda ad fidem veniebant, sed ad expoliationes bonorum, ad carceres, ad martyria currebant tot diuites, tot sapientes, tot Principes, vt arguit S. Iustinus *Apol.* 2. *ad Imperatorem*. Inspice nostris etiam temporibus tot Heroes mundi infulas in cilicia, superbaque tecta in humiles cellulas vertentes.

Diuina sunt testimonia præclara tot martyrum, inter tormenta triumphantium, è quibus viri sapientissimi, & sanctissimi, nostris etiam temporibus in Anglia, & aliis Poli plagis, vnde panditur omne malum, sectariorum, & Mahumetanorum crudelitate, & incredulitate inductum.

Quartò, tot Regum, Imperatorum, torque florentium in orbe sapientiâ, sunt testimonia; eorum inquam, qui præclaris conuersionibus ad fidem venerunt ad hæc vsque tempora. 89

Qvinto, impugnationes, bella, persecutiones superatæ ab Ecclesia contra hæreticos sectarios, qui Galliam, Germaniam, Angliam sanguine irrigarunt, vt Catholicam fidem euerterent: Profectò hi videntur longè Romanorum Cæsarum Paganorum sæuitias superasse.

Sexto, multiplicata miracula ad hæc vsque tempora, etiam in remotissimis vltramarinis Indorum: Quo argumento vsus est Christus *Matth.* 11. Quod si miracula non sunt, & sine miraculis stat, & crescit Ecclesia; quod maius esse potest miraculum? Sic arguit S.August. 22. *de ciuitate, cap.* 5. Magnum esse miraculum, Ecclesiam ad hæc vsque tempora inter innumeras procellas incolumem nauigare.

Septimo etiam inimici nostri sunt testes *Deuter.* 32. Iosephos Hebræus *lib.* 18. *antiq. cap.* 9. Imperatores Pagani apud Eusebium *lib.* 4. *Hist. cap.* 13. & *lib.* 9. *cap.* 9. & Iustinum *Apol.* 2. *ad Imperatorem*. 90

Octavo testentur sanguinis characteribus, qui fidem nostram oppugnarunt. Omitto veteres: Lotherus raptim mortuus: Caluinus à vermibus depastus, & alij Adulphus Rex Suecus contritus in bello. Quod si temporibus antiquis hoc erat ad fidem incentiuum dum videbant Paganos Cæsares peremptos, Arium viscera fundentem, Iulianum Apostatam fulminatum, quantò magis nunc id debeat mouere, dum omnes alios terribili nece è medio repentinè sublatos spectauimus?

Accedant tot Concilia Sapientum, & Sanctorum, tot prophetarum vaticinia firmata, tot Confessorum ardua exantlata, tot mira in Ecclesia patrata, quæ nunc summa maiestate, & potentia præualet. Et acclamatur id Math. 16. *Portæ inferi non præualebunt*. Quam rectè Richardus Victor, lib. 1. de Trinitate, cap. 2. *Domine, si decepti sumus, tu nos decepisti*; At Deum non posse decipere ostendi *quæst.* 4. Eius indefectibilem perpetuitatem ostendit S.Doct. *in Hexaëm.* & Breuil. *in demonstr.* 8.

Tandem probat S. Doct. fidem certiorem factam, seu dixero fundatiorem, deuotione, quæ fouet fidem. Sanè Ecclesiæ nostræ deuotionem demiratur Antiqua in Canticis passim, vt Patres exponunt. Iam enim Sanctorum exercitus, Martyrum acies, Virginum chori abundant, vt melliflué disserit S.Bonau. hîc, & *in sermonib. Hexaëme.* maximè 8. & *sequent.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XII.

An FIDEI *articuli exponendi sint auctoritate aliqua, quæ sit infallibilis magistra, & quæ sit.*

91 HÆc quæstio insinuat disputationes grauissimas contra sectarios, qui proprio marte & spiritulo inani, inflato tamen, vrgent, omnibus licere Scripturarum, & articulorum fidei interpretationem: Sed de his egi *p.p. Tract. primo, disp. 2. Proœmiali. De Locis Theologicis*, vbi summam clauis scientiæ potestatem ad sedem Papæ deduxi. Id præclarè demonstrat S. Doctor *in Apolog. pauper. resp. 1. cap. 1.* vbi adducit præceptum *Deut. 17.* confugiendi in dubiis ad Pontificem.

QVÆSTIO XIII.

Quæ sint notæ veræ Ecclesiæ, apud quam stat authoritas exponendi FIDEM.

92 ECclesiam ab origine mundi fundatam asserit S. Bonauent. *in Psalm. 61.* quem omnes imitantur. Incepisse autem magis ab Abel, quàm ab Adam, edisserit; quia fuit Abel occisus in Christi figuram; non autem occidit alios, vt Adam. Deinde fuit virgo, Martyr, & Pastor, seu Doctor. Tandem quia truncus non computatur, vt constat in consanguinitatis Arbore. Adde, Abelem incepisse multiplicationem: Nam Ecclesia est adunatio multorum fidelium. Sanè Cain fuit hæreticus, & odio fidei occidit Abelem. Hoc constat ex *Genes. 4.* vbi enim habemus: *Dixit Cain ad Abel: Egrediamur foras.* Chaldæus legit: *Dixit Cain: Non est Lex, non est iudex, nec retributio.* Quam propositionem detestatus Abel, Cain concitauit.

Hæc semper in aliquibus integra permansit, vt discurrit S. Bonauent. *serm. 16. Hexaemer.* Veræ Notæ Ecclesiæ sunt præcipuæ, quæ in Symbolo leguntur, dum dicitur: *Credo Vnam, Sanctam, Catholicam, Apostolicam Ecclesiam.*

93 PRIMA Nota est, vt sit vna. Propter hoc enim (vt obseruat S. Bonauent. *in cap. 1. Sap.*) dicitur Cant. 6. *Vna est columba mea, perfecta mea.*

Propter hoc, comparatam ait etiam orbi. Ideò *Sap. 1.* dicitur: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*, tum vt vnam significet; tum vt perfectionem in orbe; tum vt Catholicam, idest vniuersalem ostendat, vt aduertit S. Doctor ibi describens alias, è parallelo orbis, Ecclesiæ perfectiones, stabilitatem in sua sede, *Portæ inferi non præualebunt.* Matth. 16. sicuti &: *terra in æternum stat*, Eccl. 1. motum sphœricum ad bona cœlestia communicanda: ornamenta nobiliora virtutum in stellis; inferiora in herbis, plantis, &c.

CONSIMILIBVS parallelis applicat S. Bonauent. Ecclesiæ nomen Columbæ, ad ea verba Psalm 67. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ de argentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri*, præcipuè verò aucupatur similitudinem è fœcunditate, quâ omnes fideles peperit in toto orbe, vt omnes vnam matrem cognoscant Christi sponsam, vnam fidem Christi confiteantur, vniti in capite Vicario eius Romano Pontifice. Sic docent Irenæus *Lib. 3. cap. 3.* Cyprianus *Lib. 1. epist. 3.* & *Lib. 4. epist. 8.* Ambros. *de obitu Satyri.* Hieron. *epist. ad Damasum*, qui, & in Epitaphio Marcellæ, scribit SS. Athanasium, & eius successorem, Petrum Alexandrinum, Episcopos, persecutionem Arianorum, eorumque hæresea declinantes, ad Romanam sedem, tanquam Matrem, confugisse. Eandem doctrinam tenet Optat: *L. 2. cont. Parmen.* Augustinus *epist. 162.* Leo *epist. 87.*

Ex vna natiuitate per Baptismum, vnoque ritu, 94
colligit S. Doctor *in 4. dist. 3. p. 1. quæst. 2.* vnam matrem cum Apostolo, Ephes. 4. *Vnus spiritus, vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma.* Vnita igitur semper in membris Ecclesia Romana fuit, vt ostendit S. Doctore *in Hexaemer. sermone 22.* Hoc egregiè ostendit S. Doctore *ad cap. 10. Ioan.* illis verbis Domini Iesu: *& fiet vnum ouile, & vnus Pastor.* Hinc Ephes. 2. *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum:* & Isa 28. *Ipse est lapis angularis factus in caput anguli vniens duos parietes*, & Iob 38. *Quis demisit lapidem angularem vnum?* sibi profectò adscribi vult Deus hoc opus grande vniendi è tot exteris, diffitisque toto orbe gentibus in vnam domum, in vnum ouile. Magnificè ideò Deus hunc Pastorem promisit Ezechiel. 34. *Suscitabo super eos Pastorem vnum.* Hæc S. Doctor.

HINC aliùs exorditur Ecclesiæ nostræ consisten- 95
tiam, & tot sectarum ruinam, argumento, sumpto è Christo, Lucæ 11. *Omne regnum in se diuisum desolabitur:* Nam, vt ait D. Hieron. *in Regula Monach. de charitate, & pace*, ex Sallustio de bello Iugurtino. *Concordia paruæ res crescunt; discordia maximæ dilabuntur.* Quod dictum assumpsere tres Rhetorum excelsæ confœderationes, idque suis tribus adscripsere insignibus, quibus depicti sunt Hyrcus in vna, in alia Satyrus, in tertia Crux inter fascias, & hæc tria, catenis collegata, illa pendente inscriptione, entitent. At Rhæti miseri in hæreses delapsi, mutuò seipsos dilacerantes, eam tantùm seruant collegationem, quæ est inter hostes, & cum Catholicis suis perpetuò discerpuntur. Id efficit Diabolus in sectis hæreticorum, quod Academiis effectum est Philosophorum, quæ, in sectas diuisæ, miserrimè sunt delapsæ, vt aduertit S. Augustinus *Lib. 18. de ciuit. cap. 52.* Percurrito hæreticorum sectas apud Bellarminum *cap. 10.* Sectatij, hæretici sæculi nostri, in innumeras sunt ferè sectas lacerati.

AT Romana Ecclesia semper sub capite vno inte- 96
gra, atque adeò incolumis tot sæcula permansit. Sic obseruauit S. Augustinus *epist. 162.* & *in Psalm. contra partem Donati* & Leo *epist. 87.* & Cyprianus *Lib. 9. epist. 4.* & *Lib. 1. epist. 3.* Hoc ostendam etiam *Tract. de Relig. disp. 1. quæst. vlt.*

QVOD verò Caluinus obmurmurat *in pref. suarum desolationum, non Institutionum*, etiam nos in Scholas Thomistarum, Scotistarum diuidi; dico cum D. Augustino *Lib. 1. contra Iulianum*, Scholas nostras non diuidi, quò ad ea, quæ sunt fidei.

SECVNDA Nota Ecclesiæ est, vt sit Sancta: Multis autem de causis est Sancta. Primò, quia doctrinam sanctam docet, quæ nil falsum, nil iniquum continet, vt dicitur Psalm. 18. *Lex Domini immaculata conuertens animas.* Id verò probat, quia efficax fuit ad animos tot gentium alliciendos, imò pertrahendos, quia viderunt Legis nostræ sanctitatem, vt discurrit S. Doctor ad hunc Psalmum.

HINC dicitur Vnica columba, vna perfecta, vt 97
S. Doctor edisserit *ad cap. 1. Sapientiæ.* Addit verò *ad Psalm. 118. cap. 8. vers. 6.* & *ad Psalm. 76.* & *in sermonibus 8. 9. 16. 22. Hexaemer.* alias etiam rationes, ob quas Ecclesia dicitur Sancta.

PRIMA, quia innumeris ferè membris sanctis splendet,

splendet, quia fundata est dignitate personæ, & meritorum Christi. Ideò hoc fundamento inconcussa, vt inferorum portæ atque phalanges non prævaleant, hoc Duce optimè constituta, veluti castrorum acies ordinata, nullis Tartari armis, nullis Tyrannorum viribus cedat. Ideò de ea dictum: *Fundasti eam super stabilitatem suam; non inclinabitur in sæculum sæculi,* Psalm. 103. docet S. Augustinus; & Petrus *epist.* 1. *cap.* 2. vocat Christianos, *Gentem sanctam, populum acquisitionis.*

Porrò sanctitatem nostrorum Catholicorum, vel etiam Bernardi, Dominici, Francisci falsi sunt Luther. *de captiuitate Babyl. cap.* 2. Philip. *in Apol. art.* 5. *&* 27.

At Sectarum aduersantium turmas, prauis, & impiis erroribus conspurcatas, ex hominibus scelestissimis oriundas inueniemus. Lege Bellarminum *à cap.* 11. Hosium *in confess. Polon.* Valentiam *in Analysi*, & alios. Porrò sanctitatem nostræ Ecclesiæ ostendi cum D. Bonauent. *p.p. Tract.* 1. *disp. prima, &* 2.

98 Tertia Nota Ecclesiæ est, vt sit Catholica, idest vniuersalis. Obseruat autem S. Doctor *in Psal.* 47. & *Psalm.* 114. eam esse vniuersalem primo tempore, quia ab initio in Adam, vel Abel incipiens, vsque ad finem mundi est duratura. Secundo loco, ita vt in vniuerso mundo sit propagata. Tertiò quò ad doctrinas, quia vniuersa necessaria scienda tradit. Quartò, quò ad personas, quia in omni gente diffusa & propagata est.

99 Primo igitur, quò ad durationem per omnia tempora, est Vniuersalis: Nam ab exordio mundi vsque ad Christum; & à Christo ad nos vsque deuenit, vt rectè ostendit S. Doctor *in sermonibus Hexaëmer.* præcipuè 16. vbi obseruat illud Christi promissum: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam:* Durauit enim ad hæc vsque tempora perennis in Pontificibus, vt ostendi *loco cit.* in rationibus, & dogmatibus. E contra verò, Græci, aliique Orientales, & Africani, apud quos florebant Heroes, Concilia, Patres; statim ac discessere à nostra Ecclesia, lacerati sunt, dissipati, dissicissi, consumpti. Ab vnitate namque Ecclesiæ vniuersalis deficientes, in sectas dilacerari euanuêre. Vide S. Doctorem ibi hæc enarrantem.

Perpetvitas Ecclesiæ ostensa fuit Lucæ primo. *Regni eius non erit finis*, vt ibi in commentario disserit S. Doctor & confirmat illo Dan. 7. *Potestas eius æterna, quæ non auferetur, & regnum, quod non corrumpetur.* Idipsum ostendit S. Doctor *in* 4. *dist.* 4. *part.* 2. *dub.* 2. ex vlt. Matth. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* Vbi aduertit, non esse necesse Ecclesiæ, vt sit Catholica, apud om-
100 nes permaneat omnibus temporibus. Hoc argumenta ab antiquitate Ecclesiæ vsi sunt Patres libenter Tertull. *de præscrip.* Optat. *lib.* 2. *cont. Parmen.* Hilarius *lib.* 6. *de Trin.* Hieronymus *ad Pammach.* & *contra Luciferian.* Augustin. *contra epist. fund. cap* 4. Igitur cùm nostra Ecclesia è Christo hucusque durauerit, profectò vera erit Ecclesia. Inueniant Lutherani suam Ecclesiam ante annum 1517. Ego nostram ostendi *p.p. Tract.* 1. *disput.* 2.

Deinde Ecclesiam *Catholicam* ab vniuersitate locorum, & gentium nominat S. Doctor cum Lyrin. sic enim prædictum erat Psalm. 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ,* & Psalm. 71. *Dominabitur à mari, vsque ad mare.* Et Dominus *Lucæ vlt.* ait, prædicandum Euangelium in toto mundo, vbi eruditè S. Doctor *in commentario,* apponit alia testimonia ad id confirmandum. Genes. 49. *Ipse erit expectatio gentium.* Isa 49. *Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Et Psalm. 109. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.* Ideò obseruat, ibi dici incipiendum à Hierusalem, & Psalm. 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.*

Idipsum confirmat *ad cap.* 1. *Ioan.* illo: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* De quo ibi egregie cum Patribus disserit.

Advertit autem *in* 4. *dist.* 4. *p.* 1. *dub.* 2. *litt.* cum 101 D. Augustino *epist.* 80. vt sit Ecclesia Catholica, non esse necesse, vt sit in omnibus hominibus totius orbis, sed vt innotescat in omnibus Prouinciis. Neque requiri, vt fiat simul, vt etiam aduertit Driedo *Lib.* 4. *cap.* 2. *p.* 2. *de Eccles. Dogmatibus.*

Iam verò Ecclesiam nostram, toto orbe sparsam ostendit S. Bonauent. *serm.* 16. *Hexaëmer.* & quidem temporibus Irenæi testatur ipse *Lib.* 1. *cap.* 3. Tertullianus suo tempore *Lib. cont. Iudæos, cap.* 3. Cyprianus *de vnit. Eccles.* Athan. *Lib. de humanitate verbi.* Hieron. & Chrysost. *in* 24. *Matth.* Augustinus *epist.* 78. *&* 80. Theodoretus *Lib. de legibus.* Leo M. *serm. de SS. Petro, & Paulo.* Prosper *Lib. de ingratis.* Sed quia vsque ad tempora Gregorij, hoc, aduersarij concedunt, atque fatentur etiam à tempore Leonis vsque ad Gregorium, latas fuisse Leges Canonicas toto orbi, vt edisserit S. Doctor. Iam id ostendere pergit à tempore Gregorij, qui obiit anno 604. vsque ad Adrianum, qui cessit anno 795. quod tempus sublimis Cathedræ vocat S. Doctor; & quidem *ex epist.* D. Gregorij ad Episcopos orientis, Africæ, Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Sciciliæ, hoc colligitur ex Beda, qui vixit circa annum 662. in *cap.* 6. *Canticorum*, Bernardo, qui obiit circa annum 1153. Is enim disputans coram Rogerio Rege Scicíliæ, hoc asserit, vt habetur in eius vita *Lib.* 2. *cap.* 7.

Nostris etiam temporibus non modò in orbe 102 isto sunt vbique Catholici, sed in nouo orbe ad Orientem in Indiis, & Sinis; ad Occidentem in America; ad Septentrionem in Iaponia; ad Meridiem in Brasilia in manicongo. At neque Mahumetanorum secta, neque sectariorum fabulæ per vniuersum orbem euolarunt; imò verò nunc canæ & mussitæ restringuntur. Viuat igitur Ecclesia nostra iure, ac meritò *Catholica* acclamata ob fidei perseuerantiam in omnibus temporibus, ob fidelium in vnum gregem conuenientium vnionem ad charitatem, & communicationem, atque communionem omnibus gentibus, vt sapienter edisserit S. Doctor *ad Psalm.* 114. vbi Vnam fidem, sicuti, & vnus est Dominus; vnumque Baptismum, sicuti est vna Ecclesiæ fides in vniuerso dilatata, iuxta dictum Apostoli *Ephes.* 4. concludit Seraphicus ibi, & ad Psalm. 47. *Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Dei nostri, &c. secundùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ.*

Itaque pergit *Psalm.* 115. *sequenti*, ostendere, vnam esse inter nos fidem, de qua Athanas. in Symbol. firmam, perseuerantem, fideliter integram, & inuiolatam.

Hinc educit Ecclesiæ quartam Notam, vt sit 103 Apostolica, quod latè edisserit *serm.* 16. *&* 22. *Hexaëmer.* Quo argumento veræ Ecclesiæ nota argumentati sunt Irenæus *Lib.* 3. *cap.* 3. Tertullianus *Lib. de præscript.* Eusebius *in hist. & Chron.* Hieronymus, & Prosper, qui Chronicum Eusebij continuarunt. Epiph. *heresi* 27. qui enumeratis Romanis Pontificibus, tandem concludit: *Et ne quis miretur, quòd tam exactè singula recensemus. Per hæc enim semper claritas ostenditur.*

ostenditur. Optatus *Lib. 2. cont. Parmen.* enumerat Romanos Pontifices à Petro vsque ad Siricium, vt ostendat, non esse Ecclesiam apud Donatistas, qui tali successione non gaudent. Ideò concludit: *Vos vestra Cathedra originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare.*

IDEM præstat D. August. *epist. 165.* & *in psalm. cont. part. Donat.* & *cont. epist. fund. cap. 4.* & *cont. epist. Manich. cap. 4.* testatur: *Multa sunt, quæ me in Ecclesiæ gremio iustissimè tenent. Tenet consensio populorum atque gentium: tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa Sede Apostoli Petri, cui pascendas oues suas Dominus post Resurrectionem commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum Sacerdotum successio.*

VT autem hoc argumentum vrgeat; obseruo ex D. Bonauent. *sermonibus allegatis*, non posse vllo modo Ecclesiam stare sine Pastoribus, vt docet S. Cyprianus *epist. 9. Lib. 4.* & Hieronymus contra Luciferianos, vt dicitur: *Ephes. 4. Act. 20.* Id probat S. Doctor *ad 10. Ioan.* illis verbis: *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oues meas: & alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili; & illas oportet me adducere*, idest per Apostolos, & Pastores alios: *& fiet vnum ouile, & vnus Pastor. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum*, Eph. 2. *Ipse est lapis angularis.* Isa 28. Vide Seraphicum.

104 RELIGIONIS eius stabilem Monarchiam *Daniel cap. 2.* prænunciat: *In diebus regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, & consumet vniuersa Regna hæc: & ipsum stabit in æternum.* Pondero Hebræum sic legere Pagn. וּבְיוֹמֵיהוֹן דִּי מַלְכַיָּא אִנּוּן: *Et in diebus Eorum regum ipsorum*, vbi aduerto, non prædici Messiæ regnum temporibus quatuor simul regnantium iam præuisorum, sed Romanorum monarcharum, quicuscum subiectis, sed in temporali Imperio succedentibus, conregnarent paralleli successores in sede Romana, Christi loco, Monarchæ Pontifices: *In diebus eorum Regum ipsorum.* Est autem locutio emphatica. Addit: *Non dissipabitur, & alteri populo regnum eius non tradetur.* Si hæc in personam Christi caderent; quis ignorat sceptrum eius diuinum non transferendum ad alienos; At spondet, in Ecclesia perpetuò successurum in Christi sede Monarcham non exterum, sed Catholicum, in sede Romana Pontificem. Hic genuinus est sensus. Ideò de Christi Ecclesia hoc vaticinium exponunt communi plausu Patres. Origen. *hom. 30. in Luc.* Hieronym. *in cap. 1. Eccles.* & *21. Ezech.* & *27. Matth.* August. *tract. 51.* & *117. in Ioan.* & *lib. 83. qq.* Greg. Nyss. *de orat.* Epiph. *lib. 1. cont. hær. Fin.* Adrianus *cap. 10. libri 5. flagell. Iudæorum*, & alij apud Expositores. Accinit Isa 9. *Multiplicabitur eius Imperium.* Est sanè vnum, nec multiplicatur multiplicatis fidelibus, sed augetur, & extenditur idem. Igitur perseuerat in successione Monarcharum in sede Romana nunquam interrupta, sed iurata perpetua in æternum seu לְעָלְמַיָּא in sæcula. Sic Psalm. 80. *Pone am thronum eius sicut dies cœli*, sanè dies diei succedit continuè vsque ad finem mundi.

105 ASSVMO Christi sponsionem Matth. 16. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam*, mox prænunciat oportere se occidi, & tertia die resurgere. Græcus ἐγερθῆναι *excitari*. Ædificium non compleri in Petri Pontificatu summo, sed cum promittit, ad lineam hanc fundare perpetuum, vt tale regimen in Petro incipiens, in successoribus consurgat. Suscitatur verò Imperium cum Christo Ioan. 21. *Pasce oues meas*, vt notant Patres allati *p.p. tract. 1. disp. quinta quæst. 4.* præcipue Bernardus *lib. 3. de consider. cap. 8.*

IGITVR non solis quingentis primis annis mansit Ecclesia virgo, vt fingit Caluin. *Lib. 1. Inst. cap. 1. §. 13.* & *lib. 4. cap. 2. §. 3.* sed hucusque: Multò minùs verum, quod ait Faius Enchir. *disp. 65. conc. 83. & seq.* cum Caluino *lib. 4. c. 2. §. 1.* eam sub primo sæculo dirutam. Quæro enim ab hoc Prothæo, quid sursum velit *lib. 4. Inst. cap. 9. §. 8.* dicens: *Sic priscas illas Synodos, vt Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, Chalcedonensem, ac similes, quæ confutandis erroribus habitæ sunt, libenter amplectimur, veneremurque vt Sacrosanctas, quantum attinet ad fidei dogmata; nihil enim continent, quam puram, & natiuam Scripturæ interpretationem, quam Sancti Patres spirituali prudentia ad frangendos Religionis hostes, qui tunc emerserant, accommodarunt.* 106

QVÆ verò Faius latrat è D. Augustin. *epist. 159. cap. 19.* quasi de ruina ecclesiæ conqueratur, conficta sunt, vt patet legenti, & ostendit Bouer. *dem. 8. art. 2.* Sane promissa *Matth. 16.* cit. & vlt. cap. *Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi.* Lucæ 22. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Ioan. 14. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum*, hæc sunt certa ex ore Christi. 107

ILLIVS æternam stabilitatem conclamant SS. Patres, quibuscum conficitur id ipsum suprà Caluinus. Sic D. Chrysost. *ad cap. 2. Isa.* Basil. *in cap. 8. Isaiæ*, Gregor. *lib 9. in Iob, cap. 6.* Ambrosius *lib. de Salom. cap. 4.* August. *in Psalm. 47.* Leo M. *serm. 1.* de SS. Petro, & Paulo. 108

MAGNA ratio est, quam affert S. Doctor *in Dict. tit. 5. cap. 3.* & *Hexaemer.* Est enim Ecclesia vxor Christi. *Osee 2. Apoc. 21. Ephes. 5.* Est autem hoc vinculum insolubile.

Hinc D. Cyprian. de vnitate Ecclesiæ ait: *Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est, & pudica, vnam domum nouit, vnius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit.* Cur ergo hi deformatores, non reformatores, libellum repudij dant? Sanè Ecclesia *Catholica*, dicitur propter fidei constantiam perpetuam, propter dilectionem maritalem, & Sacramentorum communionem, vt ait S. D. *ad Psalm. 114.*

BENA *can. 3.* hæc sponsa dicit: *Tenui eum, nec dimittam*, vt ait S. Doctor *ad psalm. 118 cap. 8. vers. 7.* Hæc latè prosequitur *à serm. 8 Hexaëmer.* & *ad 9. Lucæ*, vbi varias rationes indefectibilitatis Ecclesiæ affert, quam ideo comparat firmamento; Quia scilicet in firmitate diuinarum nititur sponsionum. Ità & D. Gregor. *in psalm. 5. Pænit.* Damascenus *orat. de Transfigur.* Promisit enim Christus, Lucæ 22. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Neque loquitur de eo, vt priuato, sicuti nugatur Caluin. sed vt Prælato, vt monet S. Doctor *ad 9. Lucæ.* Ideò addit, vt conuersus confirmet fratres suos, vt notat D. August. *qq. testam. quæst. 75.* 109

Alia ratio sumitur ex immobili Christi Doctrina, cuius verba non deficient. Hac nititur Euseb. Cæsar. *lib. 4. demonst. Euang.* cap. 19. *Prius enim cælum, & terra transibunt. &c.*

TERTIA ratio, quia Veritatis est Arca, Columna, & firmamentum, nil enim Veritate firmius, stabilius aut certius. Est ratio D. Hilarij *lib. 7. de Trinit.* Et Hierem. Constantinop. *resp. 1. ad Crusium*, Sanè dicitur Christo, Ioan. 17. *sermo tuus veritas est.*

ECCLESIA Lunæ comparatur, quia semper illuminata à Sole, & dum nobis non apparet lumen, altius illustrata est desuper, vt arguit passim *in sermonibus*

bus Hexaëmer. & cum eo Philo Carpath. ad *id Cant.* & Raban. Maur. *in Eccles. lib.9. cap.7.*

Alia ratio sumitur à D. Bonauent. *in Hexaëmer.* & S. Leone *serm. 1. de SS. Apostolis Petro, & Paulo.* E meritis Christi, & morte in Cruce, qua diabolum deuicit.

Multas alias rationes vide ibi apud S. Doctorem.

110 MAGNVM verò est argumentum veræ Ecclesiæ hæc Pontificatus perpetuitas, & Religionis, vt disserunt Tertullian. *de præscript. cap. 32.* Optatus contra Donatistas *lib.2.* Irenæus *lib.4.*

Hoc argumento litem vicêre Iudæi Hierosolymi, contra Samaritas apud Alexandrum M. & sapientes; Et Samaritæ damnati sunt, vt refert Ioseph *lib. 13. antiq.cap.6.*

CVMQVE hanc successionem habeamus ex *Matth.16.* vt dixi, & notant Sergius Cyprius, qui anno 650. floruit, *epist. ad Theodorum P.* Ignat. Constantioop. *epist. ad Nicolaum*, quæ habetur *act.3. Synodi* 8. Gabriel Patriarcha Alexandriæ *epist. ad Clem. VIII.* cum D. Bernardo *lib.3. cap.8. de consider.* Et è suprà dictis, & *p.p. Tract. 1. in qq. Proœmialibus*, Non video quid ad hæc mussitare audeant Crabrones illi Tartarei.

Iam ergo nobis est ordo Pontificum à Petro; vsque ad Clementem X. & aliorum minorum Pastorum ordinatio ab eis consequenter legitima, vt ostendi *p.p. Tract.1. disp.2.*

Eoim verò ostendant hostes sectarij, vbinam eorum fuerit Ecclesia antè annum 1517. Quo argumento, qua interrogatione hæreticos exagitabant Gregorius Nazianzenus *epist.2. ad chelid.* Hieronymus *ad Pammach.* Tertullianus *in præscript.* Irenæus *Lib.4. cap 4. & cap.45.*

111 AT extraordinario modo se ordinatos clamant. Hine igitur nequissimi Apostolatus arrogatores, Lutherus nimirum, Caluinus, Beza, aliique egregio Apostolatu digni sunt? Sanè cùm à verò Pastore missi non sint; aliunde ascenderunt fures, & latrones, vt arguit Christus *Ioan.10.* & exponit de hæreticis S. Bonauent. ibi, & Valentia *p.7. § 25.* Tales eos ostendit Bouetius *in suis Demonstrationibus.*

GLORIATVR Lutherus in præf. doctrinæ, editæ Lypsiæ, anno 60. Christum primò ab eo vulgatum, & articulos fidei ab Apostolorum temporibus ad suam vsque diem non esse cognitos. O insanum! Ergo non fuit Ecclesia à tempore Apostolorum, aut si fuit; sanè fuit verificatum id Matth.16. *Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam*, vt ostendit S. Bonau. *serm.16. Hexaëmer.* Vel grex Christi derelictus, fuit à Lupis depastus primo tempore; surrexit verò è Lutheri semore Sacrilego, qui Monachus apostata Catharinam Bernensem, monialem, sibi desponsauit. O proles sacrilega, quæ prodiit! At dicit Caluinus, inuisibilem fuisse Ecclesiam. Equidem Ecclesia est adunatio fidelium, eandem fidem profitentium, regimine visibili regendam, vt habetur *Num.20. Act.20.* alioqui, quo pacto hi Cingari Ecclesias suas instituunt.

Cætera, quæ ad authoritatem Pontificis, Conciliorum, &c. pertinent, & quæ sit authoritas Scripturarum, Traditionum, &c. disserui *p.p. Tractu primo, disput.2.*

QVÆSTIO XIV.

Quidnam sit necessariò credendum, necessitate medij.

S. Bonauent. dist. 25. per tres quæstiones.
D. Thom. quæst. 2. art 6. & 7.

DVPLEX necessitas assignatur à Theologis, post D. Bonauent. hîc, & *in 4. dist. 12. p. 2. art. 2. quæst. 1. & dist. 3. p. 1. articulo 1. quæst. 3.* 112

ALIA est necessitas medij; alia præcepti. Necessitate medij, siue finis, illud est necessarium, quod è Lege Dei, ordinaria ex institutione, est ad salutem necessarium, adeò vt neque ignorantia suppleat, aut excuset. Necessarium ex præcepto est, quod exequendum est necessariò, vbi facultas suppetit, & occasio; non tamen ita, vt ob ignorantiam, vel opportunitatis defectum impediatur salutis consecutio. Aliqua verò sunt vtroque modo necessaria, vt Pœnitentia post peccatum, votum Baptismi, & fides, vt ait S. Doctor *dist. 3. loco citato.*

FVISSE autem semper fidem necessariam ad iustificationem in adultis, & ad salutem, probaui *prima secunda, Tract. 5. dispus. 3. quæst. 10.* Et constat illo Hebr.11. *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem, &c.* Et Ioan.3. *Qui non credit, iam iudicatus est*, vt disserit S. Doctor *ad cap.3. Ioan.* Huc spectat etiam id, quod dicitur Sap. 9. *Per sapientiam sanati sunt, quicumque placuerunt tibi Domine à principio*, vt indicat S. Doctor ad eum locum, nam per sapientiam intelligit Doctrinam è reuelatione. Sic & D. Ambrosius *in Primam Tim.3.* per Sapientiam, *Fidem* accipit.

EST Catholica sententia. Ità D. Bonauent. locis allegatis, & *in Breuiloquij proœmio*, & *Lib.2. Pharetra, cap.23.* vbi multos Sanctos Patres adducit, & *in Dieta, tit.5. cap.3. & tit.9. cap.5.* quibus locis id probat Scripturis testantibus, fidem esse fundamentum salutis, vt Matth. 16. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, nempè super Petri confessionem, & fidem Christo basi fundatam. Et *Hebr.* 11. dicitur Substantia, seu Fundamentum. Et *in Hexaëmer. serm.8.* eam comparat firmamento. Probat Rom.10. *Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* Heb.11. *Fides est substantia rerum sperandarum.* Act. 15. *Fide purificans corda eorum.* Et *serm. 9.* idem prosequitur, firmitatem fidei è multis capitibus probans. Et *serm. 10.* eam cœlo comparat, quod est causa animantium vniuersalis. 113

SEQVVNTVR D. Thom. 2.2. *quæst. 2. art. 3.* vbi Thomistæ. Magister 3. *dist. 25.* vbi Sententiarij. Cano *relect. de Sacram. in genere, p.2. quæst.2.* Peter. *ad Rom. d.17. & cap.2. d.8.* Valentia 2 2. *disp.1. quæst.2. p.2.* Sanchez *Lib.2. decal. c.2.* Suarez *de fide, disp.12. sect.1. & 2.* Becan. *summa p. 2. cap. 12.* & est fidei dogma. Neque vel ex hæreticis ferè id negarunt, præter manichæos, & Pelag. vt ait Tannerus *quæst. 7. num. 28.* Vix vnus Zuingl. *tom.2. art.12.* Socratem, Aristidem, Nummam, Camillum, Catones, Scipiones, Senecam, & alios, sine fide saluos ait, & Erasmus *in Tuscul. qq.* Ciceronem. 114

AT Christus reclamat, Matth. vlt. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Et etiam Concil. Trident. *sess.6. cap.7.* quod idem ait D. Bonauent. 4. *dist.3. p.1. art.1. quæst.3.*

PROBATVR à S. Doctore *in Pharetra*, ex Patribus, præsertim

præsertim D. Augustino *homil. de centum ouibus* : & *Lib. 5. cont. Iulianum*, *cap. 3. de verbis Apostoli, serm. 1. serm. 18. & 38. de Tempore*; *de verbis Domini*, *serm. 61.* Chrysostomo *homil. 62. in Ioan.* Bernardo *epist 77. & serm. 28. Cant. & serm. 1. Annunc.* vbi ea etiam assignat, quæ sunt necessariò credenda, dicens: *Necesse est enim primò omnium credere, quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei: deinde, quòd nihil prorsus habere queas operis boni, nisi etiam hoc dederit ipse: postremò quòd æternam vitam promereri nullis potes operibus, nisi gratis detur & illa*, scilicet gratia, qua promereamur. Vide Fagundez *Lib. 1. cap. 2.* Caspensem *disp. 3. sect. 4.* Morandum *quæst. 10.* Tannerum *quæst. 7. dub. 2.* Bouet. *demonst. 2. Symb.* Arragon. *art. 3.* Card. Lugo *disp. 12. sect. 2.* qui etiam confutant Vegam *Lib. 6. in Trident. cap. 20.* & Sotum *Lib. 2. de natura, & gratia, cap. 11.* dicentes, non esse necessariam fidem de obiecto supernaturali, sed supernaturalem tantùm ex parte principij: imò Soto ait, totum hoc præstari per fidem naturalem; etsi is retractauerit *in 4. dist. 1. quæst. 2. art. 3. & in fine quarti sent. in recognitione*, territus à D. August. *de natura, & gratia.*

Assero igitur, actus fidei, necessarios ad salutem, esse supernaturales.

116 Probatvr à D. Bonau. *locis allegatis.* Ex Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est; & quia remunerator.* Confirmatur ex PP. allatis & Concilio Trident *sess. 6. cap. 6. & can. 3.* Quare est de fide,

Obiicies primò id *Rom. 1.* vbi de infidelibus dicitur: *Cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt.*

Respondetvr, solùm intendi, gentes aliquas potuisse cognitione naturali, addito lumine supernaturali, venire in cognitionem Dei; sed noluisse.

Obiicias secundò. Si sufficit Baptismus in voto: Ergo & pari modo fides.

Respondetvr, negando consequentiam; nam fides ad naturalem intrinsecam mutationem necessaria est per se dispositio: non ità actus externi, vt Baptismus, & confessio, vt rectè obseruat Fagundez, *numero 13.*

117 Qværitvr autem primò: An ante Incarnationem sufficerit fides implicita Trinitatis, & Christi Domini: Et, num item, post Incarnationem vsque ad sufficientem Euangelij promulgationem. De hoc agit S. Doctor. 3. *dist. 25. quæst. 2.*

118 Omnes quidem confitentur, fidem Incarnationis, seu fidem de Christo necessariam, fuisse implicitam, ab Adam vsque ad Christum. Ità communiter Theologi 3. *dist. 25.* cum D. Bonauent. Albertus *art. 1.* Scotus *quæst. 1.* Gabr. *quæst. 1. art. 2.* Alens. 3. *part. quæst. 82. memb. 3. art. 1.* Richardus *art. 3.* Durandus *quæst. 1.* & alij. Valentia *quæst. 2. p. 4.* Soto *Lib. de natura, & gratia, cap. 11. & 12.* Cano *Relect. de Sacram. in genere, p. 2. concl. 1.* Vega *Lib. 6. in Trident. cap. 20* D. Thom. 3. *p. quæst. 69. art. 4.* & 2. 2. *quæst. 2. art. 7.* vbi Thomistæ, Sanchez *Lib. 2. decal. cap. 2. num. 7.* Suarez *de fide, disp. 12. sect. 4.* Fagundez *Lib. 1. cap. 2. in decal. num. 1-.* Caspens. *disp. 3. sect. 5.* Morandus *quæst. 10. de fide*, Lugo *disp. 12. sect. 4* Tannerus *quæst. 7. dub. 2.* Becan. *cap. 12. quæst. 2.* Petrus à S. Ioseph Fuliens. *lib. 3. cap. 5.* Bassæus V. *Fides 1. num. 6.* Bouet. *loco cit. art. 1.*

119 Aliqvi tamen dicunt, necessariam fuisse explicitam, etiam ante Euangelij promulgationem. Ità Becanus, allegans D. Bonauent. & alios. Alij verò tenent etiam post promulgationem Euangelij sufficere implicitam fidem de Christo: Ita Sotus supra, & *in 4. dist. 5. quæst. vnic. art. 2.* Canus *loco cit. concl. 3.* Vega *loco cit* & videtur D. Thom. 3. *p. quæst. 69 art. 4. ad 2.* Richardus *art. 4. quæst. 1.* Medina *lib. 4. de recta fide, cap. 20.* Maldonat. *Ioan. 5. num. 25.* Arretinus 3. *dist. 25. quæst. 1. art. 8.* Suarez, Coninch. Lugo, Arriaga, Turrianus, Poncius apud Mastrium *disp. 6. quæst. 16.*

Alii verò, necessariam aiunt talem fidem ad beatitudinem, non tamen ad iustificationem. Ità Caietanus *relect. de Sacram. p. 2. quæst. 2.* Bannez 2. 2. *quæst. 2. art. 8.* & quidam alij Thomistæ, qui communiter reiiciuntur; nam eadem est ratio de vtraque. Ideò *Act. 10.* dicitur: *Remissionem peccatorum accipere per nomen eius*: & cap. 15. *Fide purificans corda eorum*, & c. 26. refertur, Paulum missum à Deo ad prædicandum, vt remissionem peccatorum accipiant per fidem, quæ est in Christo. Fuliens. verò ait, non exigi, necessitate medij, explicitam de Christo fidem.

Vera sententia est, post Euangelij promulgationem, necessariam esse fidem explicitam de Christo. Ità cæteri communiter, quibus adde Toletum, *Summa p. p. cap. 2.* Lorin. *Act. 4.* Molinam *p. p. quæst 9. punct. 4.* & alios apud Mastrium *loco cit.* Tannerum *num. 46.* qui adducit etiam D Bonau. 3. *dist. 25. quæst. 2.* quem allegat etiam Bassæus *num. 7.*

Assero primò, ante Incarnationem vsque ad Euangelij promulgationem, sufficientem fuisse fidem implicitam de Christo, non autem explicitam fuisse necessariam. 120

Observa cum D. Bonauent. *in corpore.* Implicitè ea credi, quæ non creduntur expressè, & in particulari, siue in seipsis perfectè; sed tantùm in alio, v. g. cùm quis credit id, quod credit Ecclesia; credit etiam Christum Dominum mortuum, &c. Sic etiam implicitè creditum fuisset antiquo tempore, si credidissent Deum saluaturum mundum, seu redempturum à peccatis eo modo, quo sanctæ Ecclesiæ iam reuelatum erat. Hunc modum Becanus suprà putat explicitum, & ideò Seraphicum adducit pro sua sententia, cùm tamen dicat, sufficisse fidem implicitam. Pro hac fide expressa Dei Liberatoris citatur à Tannero *num 42.* D. Bonauent. *dist 15. quæst. 2.* cum D. Thom. *art. 7. ad 3.* & alij.

Explicita creduntur, quæ in se distinctè creduntur, vt cùm credis, Messiam fuisse filium Dei, incarnatum, &c. Debet autem id, quod explicitè creditur, esse scitum. Porrò illo implicito modo creditum esse Christum, ante eius aduentum, docet, & probat S. Bonauent. *Lib. 1. Pharetræ, cap. 23.* ex D. Bernardo *epist. 77. ad Hugonem de S. Victore*, vbi ait: *Multi, ante aduentum Saluatoris, Deum omnipotentem timentes, & diligentes suæ salutis gratissimum promissorem, sperantes certissimum Redemptorem in hac fide, & expectatione saluati sunt, licèt quando, & qualiter, & quo ordine salus repromissa fieret, ignorarent.*

Probatvr à D. Bonauent. primò cum Magistro ex 4. Act. *Nullum nomen sub cælo datum aliud est hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Similia habentur. *Rom 3. 4. & 5. Galat. 2. & 3 Prima Corinth. 3.* 121

Deinde, quia Christus est Caput totius Ecclesiæ, vt habetur *Ephes. primo*, & *sequenti.* Prima. *Corinth. 3. Coloss. 1.* Ergo influit motum, & sensum vitalem omnibus; At non potest influere, nisi vnitis sibi in fide, vt ibi differit Apostolus: Ergo.

Tertio. Nullus potuit saluari, nisi iustificaretur, nec iustificari, nisi per gratiam: hæc autem non dabatur, nisi in meritis Redemptoris, qui ideò dicitur *Agnus occisus ab origine mundi.* Apoc. 13. & aperuisse Librum clausum, *cap. 5.* Et Ioan. primo, *Gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Ideò Galat. 3. *Scriptura conclusit omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus*, nempè, quia 122

gratia,

gratia, & alia dona in fide ista dabantur. Deinde ostenditur, sufficientem fuisse fidem implicitam de Christo.

PROBATVR primò, exemplo Cornelij *Act.* 10. qui dicitur iustus, antequam fidem Christi edisceret, vt innuit S. Doctor *in littera*.

PROBATVR secundò à S. Doct. *in corpore*, & *ad argumenta*, ratione, qua vtitur Fagundez. Nulla res diuina obligat ad credendum; nisi reueletur, sed ante Euangelij prædicationem, Lex ista, eiusque articuli non erant manifestati gentibus; imò neque reuelati, nisi perpaucis: Ergo.

133 ADVERTE autem cum D. Bonau. hîc *ad* 5. ante sufficientem Euangelij promulgationem, aliquos famosos Dei cultores nouisse Mysteria Redemptionis, vt testatur *Iob* 19. & Sybillæ in lege Naturæ; & in lege Scripta Moyses, Dauid, & alij, vt obseruat S. Doct. ad ea verba Lucæ 24 *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysis, Prophetis, & Psalmis de me.* Et ad Ioan. 5. ad ea verba: *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.* Itaque illi expressè sciebant, & credebant Christum. Videtur Magister idem indicare de Cornelio, quem indicat S. Doct. *dist.* 25. *in littera.* Sed *in quæstione* persistit, habuisse tantùm fidem implicitam eos omnes, vsque dum reuelatus est Christus, exceptis insignibus, inter quos non numeratur Cornelius, qui implicitè profectò solùm habuit eam fidem, vt indicat S. August. *quæst.* 84. *in Leuit.* & *lib. de prædest. Sanctorum, cap.* 7. Ideò S. Doct. *dub.* 4. in fine ait ea, quæ de fide Cornelij dicuntur, esse plana.

134 ASSERO secundò, post Euangelium promulgatum, necessariam esse fidem explicitam de Christo.

PROBATVR à S. Doct. *ad* 3. *Ioan.* illis verbis: *Qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credidit in nomine vnigeniti filij Dei.* Actorum 4. *In hoc enim solo est salus, & non est aliud nomen sub cælo datum, in quo oporteat nos saluos fieri.*

PROBATVR secundò à S. Doct. ad illud Ioan. 17. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum*, vbi etiam cognitionem SS. Trinitatis explicitam necessariam iam esse, aduertit inde Seraphicus Rom. 3. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.* Galat. 2. *Non iustificatur homo, nisi per fidem Iesu Christi.*

135 PROBATVR tertiò à S. Doct. ratione, quâ vtitur Fagundez ante *num.* 21. habetur autem hæc ratio *dub.* 2. *litt.* & hîc *fundamento primo*, quia cùm Christus sit iam notificatus, esse Caput Ecclesiæ, & nos suis meritis redemisse, & nostram fundasse Ecclesiam, meritò debemus eum confiteri, & consequenter credere explicitè. Ideò *Matth. vltimo* dicitur: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti.*

CONFIRMATVR à S. Doct. hoc totum ex aliis scripturis. Et primò *ad cap.* 6. *Ioan.* ex illo: *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Ioan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite.* Quæ loca aliis testimoniis Scripturæ, & Patrum roborat S. Doct. Est autem eximius discursus Christi, *Ioan.* 3. quem grauiter S. Doct. percurrit ad rem: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto: ità exaltari oportet filium hominis: vt omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Infert, omnes credentes in suam Diuinam personam incarnatam, exaltatam in cruce, saluari à morte, sicuti saluabantur, qui distinctim videntes Serpentem Æneum, credebant, & sperabant à Domino salutem. Obseruat enim S. Doct. parallelos, & aduertit, notari humanitatem, dum dicitur: *Filius hominis*: mortem in cruce, dum dicitur; *Ita exaltari oportet filium hominis*: efficaciam: *vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, &c.*

PROBATVR à S. Doctore, etiam ex aliis Scripturis. 136
Primò ex illo Lucæ vltimo: *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas, & dixit eis, quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma.* Tunc sic arguit S. Doct. *in commentario*: Christus datus est, vt viam ad cælum aperiat. Ideò dicitur Isaiæ 22. *Dabo clauem Dauid super humerum eius, & aperiet.* Ideò dicitur Dan. 2. *Ipse reuelat profunda.* Ad hunc autem finem reuelat, vt ipse cognitus, adoretur. Quare *Apoc.* 5. introducitur, vt Agnus, aperire Librum sigillatum, ex quo Seniores, & Animalia, & Gentes eum expressè confessi sunt: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere Diuinitatem*, quia scilicet aperuit Mysteria, quæ ad eum referuntur, tanquam ad Caput; & ad corpus Ecclesiæ, ex eo comparatum, quod debuit eum agnoscere, vt principium suæ salutis, quam, non nisi volentibus, per pœnitentiam, & Baptismum distribuit, modo scilicet conuenienti naturæ liberæ; Non poterant autem in hæc consentire, nisi agnoscerent eum, vt principium; quod notat etiam Valentia. Hæc autem constipatis Scripturarum testimoniis roborat.

In ipso enim benedicendæ erant omnes gentes. 137
Genes. 22. Ergo debebant gentes agnoscere Fontem suarum benedictionum. Sic *Genes.* 49. dictus est: *Ipse erit expectatio gentium*; At non expectatur, nisi bonum, benè cognitum, *Psal.* 2. dicitur: *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam.* Igitur debebant gentes, ab eo denominandæ, agnoscere suum Christum Dominum distinctè. Et Psal. 116. dicitur: *Laudate eum omnes gentes.* Profectò debebant eum agnoscere, vt laudarent; nam & *Isa.* 49. dicitur: *Dedi te in lucem gentium.* Et Isa. 2. *Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit Lex, & Verbum Domini de Hierusalem. Et iudicabit gentes &c.* Et cap. 62. *Propter Sion non tacebo, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur. Et videbunt gentes Iustum tuum. Non vocaberis vltrà derelicta, &c. Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite filiæ Sion: Ecce Saluator tuus venit: Ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo. Et vocabunt eum, Populus sanctus, redempti à Domino. Tu autem vocaberis: Quæsita ciuitas, & non Derelicta.*

PERGIT Christus: *Vos autem testes estis omnium.* 138
Ideò Act. 1. *Eritis mihi testes in Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ*, & ideò ait Petrus, Act. 10. *Nos testes sumus omnium, quæ fecit, &c. quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri testibus præordinatis, &c. Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo Iudex viuorum, & mortuorum.* Igitur fides nostra specialiter stat in agnitione distincta Christi Domini.

Hoc ampliùs confirmat S. Doct. *ad cap.* 3. *Ioannis* 139
illis verbis: *Pater diligit Filium, & omnia dedit ei*, vt dicitur Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Ideò subdit: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*, quia, vt dicitur Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Habent (inquam) vitam æternam in pignore, & radice, vt dicitur 2. *Corinth.* 5. Pergit ibi Ioan. *Qui autem est incredulus Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet*, &c. Obseruat autem S. Doct. vehementiùs

hementiùs minari Ioannem, quàm anteà Christum, eos, qui non credunt in filium Dei; nam Christus solùm dixit: *Qui non credit, iam iudicatus est: quia non credidit in nomine vnigeniti filij Dei.* Mitiùs autem locutus est, ne videretur amore sui loqui. Deindè obseruat S.Doct. manère Iram omnem Dei; Primò peccatum, secundò pœnas, tertiò derelictionem; quartò sententiam damnationis, vt inferat, eum excludi à gratia, & gloria, qui non credit in filium Dei.

140 Probat adhuc S.Bonau. *serm.8. Hexaemer.* ex illo 1. Ioan.5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres vnum sunt*; nempè in Spiritu Diuinitas; in Aqua Humanitas; in sanguine Vita, profusa in redemptionem. Hæc igitur debent omninò credi; Iam enim dixerat: *Omnis qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est.* Et postea subdit: *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit filio, mendacem facit eum.* Ideò aduertit, poni In Symbolo distinctè Trinitatem, & Incarnationem.

Alio etiam argumento vtitur S.Doct. *serm.9. Hexaemer.* quo vsi sunt SS. PP. Ambrosius *lib.1. offic. cap.29.* Hieron. *in cap.1. ad Ephes.* Gregorius *lib.7. epist.47.* sumpto *ex prima Corinth.3.* vbi Christus dicitur Fundamentum Ecclesiæ. Et *Isaia* 28. vbi dicitur (sicuti & *Eph.2.2 Petri 2.*) Fundamentalis petra angularis; Et ad *Eph.1. & 3.* vbi dicitur Origo nostræ
141 salutis. Sic autem discurrit S. Bonauentura: Testimonium Fidei sumendum est a Patre, & Verbo, & Spiritu Sancto, vt dicitur prima Ioan.5. *Sanè verbo Domini cæli firmati sunt.* Psal.32. nempè cælum Ecclesiæ. Nam totum testamentum nouum est in declarando Christo. Ideò & Pater de cælo testimonium perhibet, *Matth.3.* Huius autem fidei Christus est Fundamentum, vt dicitur prima Corinth.3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.* Is est lapis angularis *Isa.28. prima Petri 2. Ephes.2.* Huic lapidi tota innititur Ecclesia. Igitur oportuit, hunc esse maximè distinctè creditum. Ideò Apostolus *Hebr.1.* ait: *Multifariè Deus olim loquens Patribus in prophetis; nouissimè locutus est in filio.* Et subdit: *Qui cùm sit splendor gloriæ* (secundùm scilicet deitatem,) *Purgationem peccatorum faciens*, per humanitatem: Propter fidem, & confessionem Christi occisi sunt Martyres, insudarunt Apostoli, &c. Ecquis igitur negabit, necessariam esse expressam fidem Christi? Confirmatur è praxi Ecclesiæ, quæ baptizandos interrogat de explicita fide in Christum.

Obiicies primò contra primum assertum, *Hebr.11.* dicitur: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia remunerator:* Ergo non erat necessaria fides Redemptoris.

142 Respondet Valentia ex Marsilio 3. *quæst.14. art.3.* Sarius dixisset ex D.Bonau. *ad primum*, Apostolum non recensère omnia necessaria ad salutem, sed solùm asserere necessarium esse, duo illa credere: Quòd *Deus sit*, & quòd *Remunerator*. Hæc autem recenset, quia etiam in statu naturæ erant creditu necessaria. Nescio autem, cur Valentia *col.317. Assertione prima* dicat, In statu naturæ integræ maiores debuisse credere Incarnationem Christi, & quà ratione per mortem erat redempturus genus humanum; Sanè in statu naturæ integræ non est reuelatus Redemptor; nec erat necessarius, nec venisset filius Dei in mundum, vt ipse tuetur.

Obiicias secundò. Fides illa sufficit, quæ satis dirigit ad Spem, & Charitatem. Talis est fides in Deum Remuneratorem: Ergo.

Respondet S.Doct. negando minorem; quia debemus sperare per merita Christi salutem, Deumque amare, non modò vt Creatorem; sed etiam vt Saluatorem.

Obiicias tertiò. Multi saluati sunt, qui non cog- 143
nouerunt venturum Christum ad mortem pro nostra salute.

Respondet S.Doct. omnes implicitè credidisse Redemptorem, quem in suis sacrificiis exprimebant sapientiores; reliqui verò expectabant implicitè aliquem venturum per quem saluarentur, esto ignorarent: An filius Dei: An moriturus, &c. Et in hoc actu erat implicita fides de Christo. Ità Ægidius, quem Caspensis *disp.3. sect.5.* laudat, vt authorem huiusmodi, cùm tamen sit Seraphici etiam *in corpore*.

Fuit autem profectò Fides supernaturalis, quæ ad finem supernaturalem est omninò necessaria, & ità loquuntur Concilia contra Ripalda in *primo de Ente supernaturali, disp.29. & 63.* qui nesciò, quam fidem latam excogitauit ex humana notitia naturali. Contra est enim sensus CC. præsertim Tridentini *sessione 6.* Vide Lugum *disp.12. sect.1.*

Obiicies quartò. Nullus homo tenetur nosse, 144
quod ignorant Angeli; sed ante Incarnationem, Angeli hoc Mysterium ignorabant: Ergo. Maior est certa. Minor probatur illo Isa 63. *Quis est iste, qui venit de Edom?* Est enim exclamatio Angelorum, vt ait Glossa: Et Ephes.3. *Vt innotescat Principatibus, & Potestatibus*, vt exponit Chrysost. & Glossa ad id Ephes.3. *Quæ sit dispensatio Mysterij absconditi à sæculis in Deo.*

Respondet S. Doct. Angelos omnes agnouisse venturum Saluatorem; nam annuntiarunt prophetis Mysteria, præcipuè Isaiæ. Mira autem singularia admirati sunt, & didicère. Neque datur ignorantia inuincibilis de his, apud D.Bonauent. & alios.

Obiicies quintò. Qui adimplebat legem iuxta dictamen naturæ, perueniebat ad salutem, vt innuit Apostolus, Rom.2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Et: *Factores legis iustificabuntur:* Sed in lege naturæ, vel scripta, non est necessitas credendi Mediatorem: Ergo.

Respondet D. Bonau. legem naturæ sufficere, 145
adiutam dono gratiæ, & fidei, quæ dictabat implicitè Mediatorem. Ità etiam Vasquez *disp.190. cap.15.* Fagundez *lib.1. Decal. cap.2. num 10.* ex D.August. *lib. de spiritu & litt. cap 27.* vbi id, *naturaliter*, sic exponit, sine lege scriptâ, sed cum naturali, adiutâ à gratia, quæ legis sunt, faciunt.

Obiicies sextò. Nullus tenetur credere, quod non potest discere; sed in lege naturæ non poterat aliquis ediscere Incarnationem, nec erat vllus docens: Ergo.

Respondet S. Doct. fuisse aliquos etiam tunc edoctos in hoc mysterio, vt Iob testatur *cap.19.* Fuit autem hic ante legem scriptam, vt notat Lyra, & etiam Henoch, vt dicitur à D. Iuda, vers.14. *Prophetauit autem de his septimus ab Adam Henoch, dicens: Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, &c.* Vbi Christum Iudicem ait, proptereaque Incarnatum supponit.

Assero tertiò, eàdem ratione, ante Christi ad- 146
uentum, non fuisse necessariam fidem explicitam Sanctissimæ Trinitatis.

Probatur à D.Bonau. quia ante Christi Incarnationem, vt suprà ostendi, erat ignotus Filius Dei: Ergo & Pater; nam, qui nouit Filium, nouit & Patrem, vt ait Christus. *Ioan.15.* Addit ta-

men S.Doct. *quæst.*2. aliquos habuisse etiam tunc hanc notitiam explicitam, quod asserunt de Sybillis, Henoch, Iob, Adamo, & aliis.

Asserо quartò; nunc, necessitate medij, necessariam esse cognitionem explicitam Sanctissimæ Trinitatis Ità D.Bonau. *quæst.*3. D Thom. *art.*8. *q* 2. Valentia *quæst.*2. *p* 5. *assert.*2. Fagundez *lib.*1. *cap.*2. *num* 24. Becanus *quæst* 2. *& quæst.*8. *dub. primo*, Caspens. *disp.*3. *sect* 5. *num.*3. Marac. *disp.*19. *sect.*2. & alij, quos sequitur Morand. *quæst.*10. contra aliquos dicentes, non esse necessarium necessitate medij, sed tantùm præcepti, etiam post promulgatum Euangelium. Vide Palaum *tom.*1. *tract.*4. *disp.*1. *p.*9. multos referentem. Cum his est & Ful. *lib.*3. *cap.*5.

147 Probatvr à D.Bonau. *in* 4. *dist.* 3. *p.* 1. *quæst.* 2. Eadem fides est necessaria intrinsecè, quæ extrinsecè cuique intimatur, vt eam expressè profiteatur: *Corde enim creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem*; sed fides expressa Sanctissimæ Trinitatis intimatur omnibus expressè profitenda in baptismo, per formam erutam è *Matth. vlt.* vbi Christus præcipit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti.* Infantibus verò intimatur in Patrino, vt nomine eius profiteatur, & postea ipsum doceat: Ergo.

Assero quinto, tenere omnes necessitate medij credere omnes articulos Fidei implicitè, ità vt quisque sit paratus, eos credere, si doceatur. Vide Becanum *quæst.*4. Valentiam *quæst.*2. *p.*6. Imo teneri explicitè aiunt Valentia *loc. cit* Aragon. *art* 5. Tannerus *n.*51. Præcipuè Baptismum, Pœnitentiam, & Eucharistiam.

QVÆSTIO XV.

Quæ sint credenda necessitate præcepti.

¶ D.Bonau quæst. 3. dist cit.

148 Præmitto primò cum Sanchez *lib.*2. *cap.*3. Valentia *disp.*1. *quæst.*2. *p.*3. *in calce*, Azorio *tom.*1. *lib.*8. *cap.*7. *quæstio* 1. Fideles ea teneri discere, quæ debent credere. Hinc vide quàm necessaria sit doctrinæ Christianæ Schola. Ratio est, quia est medium necessarium; *nam fides ex auditu*: Rom 10.

Præmitto secundò, Doctores, & Pastores teneri scire non modo articulos; sed alias etiam Fidei veritates, vt docet D. Thomas *art.*5. D.Bonau. *de* 6. *alis Seraphim*, & *de Eccl. Hierarch.*

Circa quæstionem, prima opinio est, Rusticis satis esse articulos fidei implicitè credere, & consequenter scire, nempe credendo, quod credit Ecclesia; ac proinde nullius culpæ reos, si Mysterium Trinitatis ignorent. Ità Innocentius *in cap. Firmiter* in fine *de summa Trinitate.* Ioan. Andrea *rubr. eo tit. num.*26. Abbas *num.*6. Hostiens. *num.*11. *&* 18. Imola *num.*11. *&* 12. Ananias *cap. firmissimè, num.*7. *de hæret.* Bald. *C. de Summa Trinit. in rubr num.*7 *&* 8. Zanchinus *de hæret. cap.*2. & Rosella *verb Fides*, dummodò credant, Deum esse, & remunerari. Hanc opinionem erroneam proclamant Valentia *quæst.*2. *p.*4. Petrus Ledesma 2. *Tom. summa, tract.*1. *cap.*2. Sanchez *lib* 2. *cap.*3. Imò eam hæreticam proclamant Bannes 2. 2. *quæst.* 12. *art.*2. *col.*3. & Eymericus *in* 2. *p. direct Inq quæst.*10. *hæresi* 8. damnatam à Gregorio II. Vide etiam de Lugo *disp.*13. *sect.*4. *num.*60. Equidem non credo, eos Doctores locutos de omnibus rusticis, sed solùm de quibusdam rudioribus, ferè incapacibus, quales abundant in locis desertis, vt notat Vasq. 1 2 *disp* 121. *cap.*2.

149 Secvnda sententia est, teneri omnes credere omnes articulos Symboli Apostolici. Videntur autem niti, quia Sancti Patres dicunt, ideò ab Apostolis compositum, vt D.August. *lib. de fide, & Symb. cap.*1. Cyrillus *catech.*5. & hoc supponitur in multis decretis, quæ collegit Gratianus *de consecr. dist.*4. Ità sentiunt Gabriel 3. *dist.*25. *quæst. vn. art.*2. Marsil. 3. *quæst.*14. *art.*3. *concl.*5. Castro *lib.*1. *de iusta hæret. punit. cap.*9. Bannes 2. 2. *quæst.*2. *art.*8. *disp.*2. Aragon. *eadem quæst.*2. *art.*6. Valent. *quæst.*2. *p.*3. *& p.*4. Sayr. *in Claui Reg. lib.*2. *cap.*9. *num.*15. Suarez *de fide, disp.*13. *sect.*14. quamuis non absolutè omnes id dicant: Becanus *p.*2. *cap.*12. *n.*8. Bellarm. *in Symbolo*, § 3. *&* 5. Laym. *tract.*1. *cap.*9. Caspens. *disp.*3. *sect.*6. *num.*40. Tanner. *quæst.*7. *dub.*3. Lugo *disp.*13. *sect.*4. Fuliens. *lib.*3. *cap.*5. Morandus *quæstione* 10. Fagundez *lib.*1. *cap.*2. *num.*30. Nauar. *lib.*5. *Consil. tit. de pæn. consil.*6. *quæst.*1. Io secunda *edit. consil.*10. *quæst.*1. & Azor. *p.*1. *lib.*8. *cap.*6. dicunt, necessarium esse vel articulos Symboli Apostolorum, vel 14. articulorum credere Symbolum, quod dicitur catechismus puerorum.

Tertia sententia est, non teneri omnes, articulos Symboli credere explicitè, vt in Catechismo puerorum habentur; sed eos, quos Ecclesia solemni ritu celebrat, & discendos proponit. Ità Scotus *dist.*25. *quæst.*1. § *sed posito.* Richard. *art.*4. *quæst.*7. Angel. *verb. fides num* 7. & ibi Syluest. *quæst.*3. Tabiena *v. credere, q.*3. Michaël Medina *lib.*4. *de recta in Deum fide, cap.*6. Albertus 3. *dist.*25. *art.*6. Durand. *quæst.*1. *num* 9. Almain. *quæst. vn.* Citatur à Sanchez, à Fagundez, & aliis communiter D.Bonau. *dist.*25. *quæst.*3. sed immeritò, vt dicam. 150

Qvarta sententia est, teneri omnes quatuordecim articulos, in Catechismo puerorum contentos, credere; quia eos adeò prædicatione, & solemnibus expositionibus Sancta Ecclesia patefacit, vt nullus prætendere valeat ignorantiam. Est sententia D. Bonau. qui explicat, de quibus articulis loquatur, & refert articulos catechismi puerorum; Mysterium Trinitatis, & alios articulos, qui omnes, de Deo sunt septem; & septem de Christo homine, & ad deitatem reducitur effectiuè remissio peccatorum, resurrectio, & glorificatio; at meritoriè ad Christum, qui per Sacramenta, præcipuè Baptismi, & Pœnitentiæ iustificat; per Eucharistiam verò principaliter cultus Dei sustinetur. Hæc est sententia etiam D. Thom. *ad prim. Corinth.*11, *lect.*4. Sequuntur Armilla *v. credere, num.*2. Eymer. *p.*1. *direct. Inq quæst.*3 ibi Penna *in com.*20. *&* 2. *p. quæst.*10. *com.*35. Tolet. *lib.*4. *summa, cap.*2. Pet. Ledesma 2. *Tom. summa, tract.*1. *cap.*2. Vasq. *disp.*121. *cap.*2. Manuel *p. tom. summa, secunda edit. cap.*88. Ludou. Lopez *p.*1. *Instruct. cap.*41. Azor. *t.*1. *lib.*8. *cap.*6. *quæstio* 2. Sanchez, alios referens *lib.*2. *cap.*3. *num.*6. Scotus 3. *dist.*25. *quæst.*1. *&* 4. *dist.*5. *quæst.*2. & Scotistæ, præcipuè Mastrius *disp.*6. *quæst.*16. *num.*408. Articulos verò quatuordecim, iuxta communem sententiam Theologorum, exposui *quæst.*8. septem de Diuinitate, & totidem de Humanitate Christi, & eius operibus. 151

Assero cum D.Bonau. primò, non omnes articulos esse necessitate præcepti credendos, sed eos tantùm, quos in Symbolo Catechismi, & Apostolorum proponit, & docet Ecclesia. 152

Probatvr à S.Doctore, quia Symbolum ad hoc traditur, & compositum est, vt docent SS.PP. præcipuè D.August. *serm.*130. *de tempore*, & Concilia mox allegandi.

Et Catechismus Pij V. declarat. *Quæ primùm Christiani homines tenere debent, illa sunt, quæ SS. Apostoli diuino Spiritu afflati, duodecim Symboli articulis distinxerunt.*

Probatvr verò à S. Bonau. non teneri distinctissimè omnia Symboli scire, nam ibi sunt aliqua,

vt

vt Sanctorum communio, ac multò magis emanatio Spiritus Sancti a Patre, filioque per viam voluntatis; & Filij per intellectum, quæ viz Theologi capiunt; Et si hæc omninò distinctè scire teneremur, paucissimi saluarentur, quod est incredibile.

IGITVR sufficit explicitè quidem, & expressè credere septem Mysteria Deitatis, & septem Humanitatis, ad quæ reducuntur opera Creationis, Iustificationis, & Glorificationis, vt concludit S.Doct. *in corpore*. Debent autem media ad Iustificationem scire, Baptismum scilicet, Pœnitentiam, adde & Eucharistiam.

CÆTERA verò omnia implicitè credere debent, credendo quidqoid Sancta Mater credit Ecclesia. Ipsam verò Ecclesiam sub Pontifice credant Romano coadunatam.

153 REGVLA verò S.Doctoris est optima, eos articulos esse credendos explicitè, quos Sancta Ecclesia in Symbolo exponit, prædicatione asserit necessarios, & solemnitatibus celebrat. Vbi non vult dicere, eos solos, qui solemnizantur, esse credendos, vt ei adscribunt Valentia, Fagundez, & Casspensis, qui inferunt, fore sic necessariò credendum etiam mysterium Circumcisionis, Epiphaniæ, &c. Non enim omnia Mysteria credenda ait, quæ celebrantur festiuitatibus; sed ea, quæ in Symbolo sunt; maximè quæ frequentiùs traduntur. & exponuntur, vt Incarnatio, Natiuitas, Mors, Resurrectio, Ascensio, &c. Hinc patet, malè etiam Tannerum de S.Doctore locutum *num*.68.

PROBATVR tertiò *argumento* 2. *ad oppositum* cum *responso*; Sicut se habet obedientia, respectu præceptorum, & charitas diligendorum; ità fides respectu articulorum. Sed non est vera obedientia, nisi quis promptus sit obedire omnibus præceptis, & pro loco, & tempore imposita recipiat; neque est charitas, nisi sit promptus diligere explicitè Deum, & proximum, cùm ei iniungitur: Ergo & fides non est integra, nisi omnia, quæ pro eius statu sunt necessaria, credantur.

154 ASSERO secundò: Sicuti ea, quæ in Symbolo sunt necessariò credenda in ordine ad cognitionem; ità in ordine ad actionem sunt necessariò scienda, atque credenda, quæ sunt necessaria ad vitam Christianam exercendam: id patet argumento suprà allato.

HÆC autem sunt, Sacramentum Baptismi, necessarium ad profitendam fidem, & ad obligationes, Christiano nomini debitas, obeundas: Sacramentum Pœnitentiæ ad medium necessarium salutis habendum post Baptismum lapsis lethaliter: Et Eucharistiam, eò quòd illam tenemur recipere; & est præcipuum fidei Sacramentum, quo Dominum Iesum veneremur.

QVOAD alia Sacramenta, aliqui apud Suarez *disp*.13. *sect*.4. censent, ea necessariò credenda, sed Suarez *loc. cit*. Sanchez *lib*.2. *cap*.3. & Fagundez *lib*.1. *cap*.2. *num*.40. id negant, quia non sunt necessaria simpliciter. Quoad alia tria, assentit hi cum Henriquez *lib*.6. *de Pœnit*. *cap*.28. Valentia *disp*.1. *quæst*.2. *p*.5. Becano *p*.2. *cap*. 22. *n*.111. Bannes *quæst*.2.
155 *art*.8. *disp*.2. Petro Ledesma *tom*.2. *summæ*, *tract*.1. *cap*.2. Est autem sententia D. Bonau. *dist*.23. *quæst*.1. *ad* 3. qui ait, reduci hanc notitiam ad articulum Ecclesiæ, & remissionis peccatorum: Eucharistia quidem est Sacramentum vnionis, quo Christo aliè coniungimur: Baptismus verò, & Pœnitentia sunt Sacramenta iustificationis; ideò, vt obseruat S.D. in Symbolo Niceno dicitur: *Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum*.

ADDO necessariam esse etiam fidem Decalogi ad obseruantiam. Ita Suarez *disp*.13. *sect*.4. *num*.11. Fagundez *lib*.1. *cap*.2. *num*.41. Et quoad sciendum, asserunt Sylu. *verb*. *scientia*, *num*. *vnico* Angelus ibi *num*.1. Tabiena *ad fin*. Armilla *num*.2. Bannes *quæst*.2. *art*.8 *disp*.2. Ledesma *tom*.1. *summæ*. *tract*. *cap*.2. Clauis Reg. *lib*.2. *cap*.9. *num*.30. Sanchez *lib*.2. *cap*.3. *num*.10. Valentia *disp*.1. *quæst*.2. *p* 3. Fuliensis *lib* 3. *cap*.5.

NOTAT autem S.Doct. *serm*.2. Decalogi, tria prima præcepta referri ad articulos Deitatis; alioa verò ad vnitatem compactam inter homines in charitate.

PROBATVR a D.Bonau. *arg*.5. *addito responso*, ratio- 156
ne quâ vtuntur Sanchez. Fagundez, & alij. Id, quod ad obseruantiam simpliciter est necessarium, non potest obseruari, nisi sciatur; & si est ad finem supernaturalem, non potest satis sciri, nisi fide credatur: Sed præcepta Decalogi sunt necessariò obseruanda ob finem supernaturalem; nec datur de eis ignorantia inuincibilis in his, qui inter Christianos sunt educati: Ergo. Et quidem de his non dari ignorantiam inuincibilem, asserunt cum D.Bonau. D.Thom. 1. *Corinth*. 11. *lect*.4. Durand. 3. *dist*.25. *quæst*.1. Gabriel *quæst*. *vn*. *art*.2. Manuel *tom*.1. *summæ*, *secunda edit*. *cap*.88. *num*.4. Ratio S.Bonau. est *in corpore*, quia cùm tanta sit erudientium frequentia, nullus potest excusari, cùm facilè possit ediscere.

QVOD verò dentur aliqui Syluestres, in quibus sit aliqua ignorantia inuincibilis, concederem fere Nauarro, Bannes, Ledesmæ suprà, Azorio *lib*.8. *cap*.6. *quæsito* 7. & *cap*.7. *quæsito* 3. & *cap*.8. *quæsito vlt*. Vasquez *disp*.121. *cap*.2. Sanchez *lib*.2, *cap*.3. *num*.20. Fagundez *lib*.1. *cap*.2. *num* 67. Sed oppositum est certius, vt dixi 1.2. *tract*.3. *disp*.3. *quæst*.2.

ADDO cum D.Bonau. *ad* 5. teneri nos scire etiam 157
Orationem Dominicam, quâ scire debemus omnia bona à Deo petenda. Id clariùs indicat S Doct 4. *dist*.16. *p*.2. *dubiis litt*. & 3. *p*. *Breuiloq*. *in fine*, & 3. *p*. *Centiloq*. *sect*.46. & *p*.3. *Stimuli Diuini Amoris*, *cap*.17. & *in cap*.3. *Regula nostra* & est sententia D.Aug. *lib*. *de fide*, *&* *operibus*, *cap*.6. *&* 9. *lib*. *de fide*, *&* *Symb*. & *in serm*. *in vig*. *Pascha*, *&* *Pentecost*. Hæc præcipiunt Concilia, Brach II. & Cabil. *cap*.46. relata *de consecr*. *dist*.4. *c*.20. *&* *seq*. Mogunt. *cap*.46. Foroliense, & Rhem. apud Fagundez *num*.59. Aurel. *cap* 10. & 19. Later. sub Leone *sess*.9. & Trid. *sess*.6. *cap*.7. *&* *sess*.24. *cap*.4. apud Tannerum *num*.66. Sic & Fuliensis.

RATIO horum Conciliorum, quæ est D. Bonauenturæ frequens, & familiaris, est, quia hoc est signaculum Christiani, & sine hac oratione nescitur petere, quod est necessarium ad salutem.

DOCENT verò allata Concilia, debere omnes Symbolum, & orationem Dominicam memoriæ commendare. Et VII. Synodus *can*.7. dicit, non esse censendum Catholicum, qui Symbolum non sciat.

ADDIT S.Doct. *in Confessionali*, *cap*.2. *particula* 9. Confessarium debere interrogare pœnitentes, an prædicta sciant, quoties iure suspicantur: Est enim peccatum, hæc nescire, vt dixi. Ità etiam Bannes *loc*. *cit*. Azor. *lib*.8. *cap* 8. Sanchez *lib*.2. *cap*.3. *n*.21. Fagundez *n*.68.

ADDVNT ex allegatis Conciliis Fagundez, Sanchez, Suarez. & alij apud hos, debere disci memoriâ etiam verba, & eis, qui pluries moniti nolunt discere, absolutionem suspendendam.

QVÆRES quo tempore obligare incipiat præcep- 158
tum credendi, & sciendi supradicta Mysteria.

RESPONDETVR, incipere obligationem in septennio. Ità Suarez *de fide disp*.13. *sect*.3. *num*.6. Azor. *T*.1. *lib*.8. *cap*.7. *quæsito*.1. Sanchez *lib*.2. *Decal*. *cap* 3. *num*.12. cum D.Bonau. hîc *quæst*.3. vbi eum allegat Fagundez *num*.37. & alij apud hos. Non tenentur tamen statim scire, sed incipere discere, & moralem adhibere diligentiam, vt ea discant, quæ retuli, & præcepta quinque Ecclesiæ. Hæ sunt obligationes omnium fidelium.

159 Enim verò aduertis S.Doct. *ad* 5. *&* 2. Doctores, & Pastores debere omnia scire, quæ sunt docenda in Ecclesiis: cæteros verò scire debere, quæ sunt sui status. Vide etiam Azorium *lib.2. cap.2. quæsito* 3. Sanchez *num.*11. Fagundez *num.*48. vbi ait, esse communem sententiam, cum D.Thom. *quæst.2. art.*6.

Ideo S. Doct. *dist.* 25. *quæst.*1. explicat diuinitus Symbolum, & *ad* 2. ait, multa è Symbolo erui, quæ Theologis sunt discutienda.

In responsione verò *ad* 5. differit; cur Symbolo Apostolorum alia sint addita, nempe Nicænum, & Athanasij; scilicet ad hæreses euellendas. Ideò dicitur: *Credo in vnum Deum*, ad confundendum Mani-
160 chæum, qui duo principia ponebat. Alterum rerum corporearum, idest, Deum malum: Alterum bonum, spiritualium; sed hoc retunditur illis verbis: *Creatorem cæli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium.* Ad confutandos verò Arianos dicitur: *Et in vnum Dominum Iesum Christum filium Dei vnigenitum, & ex patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.* Ad confutationem verò Macedonij, & Nestorij, & Eusychis, qui dicebant, Spiritum Sanctum seruum; dicitur: *& in vnum Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre procedit.* Addidit Ecclesia: *Filioque procedit* ad Græcorum errorem refellendum, Additur: *Qui locutus est per prophetas* ad aliquos elidendos, qui dicebant eos locutos, vt phantasticos. Vide S. Doctorem egregiè differentem, cur varijs temporibus adhibeantur hæc Symbola.

Est autem præceptum diuinum hæc scire, vt dixi cum D.Bonau. *quæst.præcedenti*, quia Christus præcepit, Matth. vlt. *Docete omnes gentes, &c.*

QVÆSTIO XVI.

An teneamur FIDEM *confiteri, & quando.*

{ D.Thom. quæst.3 art.2.

161 Fides à nobis exigit officium cordis, & linguæ, vt ait D.August. *lib. de fide, & Symb. cap.* 1. Iam egi de Actibus cordis; nunc de Confessione fidei.

Certum est autem de fide, extare præceptum diuinum de non neganda fide. Ità D.Bonauent. *ad* 9. *Lucæ*, quod inde probat: *Qui me erubuerit, & meos sermones: hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in Maiestate sua.* Sequuntur D.Thom. *quæst.*3. *art.*2. Valentia *quæst.3. p.*2. Fagundez *lib.*1. *cap.*3. Ità docent Concilia, Nicænum *can.*11. *&* 12. Ancyr. totum ferè, & Elibert. *can.*1. *&* 2. vbi testantur, innumeros Martyrea tormenta, & mortes ob fidei confessionem subiisse, quæ tenemur potiùs subire, quàm fidem negare. Ideò dicitur Matth.10. *Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo. Nolite timere eos, qui occidunt corpus*, vt aduertit S.Doct. *in* 3. *dist.*39. *art.*3. *quæst* 2. *& sermone* 18. *de pluribus Martyribus.* Vide Valentiam *quæst.3. p.*1. Fagundez *cap.*3. Tannerum *disp.1. quæst.*7. *dub.*5. Fuliensem *lib.*3. *cap.*5.

162 Observa, actus virtutis aliquos esse ab ipso habitu productos, & sunt physici, & hoc modo soli actus interni sunt actus Fidei; nam producuntur ab eodem habitu, cuius signum est, quia residens in eadem potentia; in qua est habitus. Secundò aliqui sunt actus virtutis tantùm moraliter, quia habens laudem ob obiecto formali Virtutis, & in illud, tanquam in finem, ordinantur, & hoc modò Confessio etiam exterior fidei est actus virtutis fidei. Probatur: nam ordinatur ad eundem finem, & idem obiectum, vt habetur 2. Corinth.4. *Habentes eundem spiritum fidei, credimus, propter quod & loquimur.* Hinc potest dici Confessio fidei ad diuersas virtutes pertinere; puta ad Religionem, quatenus parit Deo honorem: & ad fortitudinem quatenus ob imminens periculum, potest esse ardua, vt docet S.Doct. *de Dono fortitudinis.*

Confessio igitur Fidei obligat in duobus casi- 163
bus. Primò, quando alioqui subtraheretur Deo debitus cultus. Secundò, si subtraheretur populo grauis vtilitas spiritualis.

Probatur à D. Thom. *ad primum.* Tunc actus Virtutis alicuius est necessarius, quando necessarius est ad finem charitatis erga Deum, vel proximum, Sed in illis duobus casibus confessio fidei est necessaria ad charitatis finem. Ergo. Maior probatur, nam finis cuiuslibet virtutis ordinatur ad charitatem. Minor probatur; nam, cùm potest quis honori Dei, vel saluti proximi consulere, & non vult, non censetur prouidere charitati. Adde tempora, à Concilio Tridentino assignata pro fidei professione. Vide Fagundez *lib.*1. *cap.*4. Bassæum *verb. fides* 2. *num.*5.

Quæstio ergo prima est: An in aliquo casu possit 164
quis negare fidelem se esse. Dupliciter autem potest hoc negari. Primò ne credatur, se esse Christianum, vel Catholicum ab iis, qui hoc nomine intelligunt nationem prauam aliquam & odibilem; & hoc sensu non est peccatum negare, se Catholicum, vel Christianum, per quem intelligitur aliquis talis prauæ nationis. Exempla affert Valentia: Vide illum. Secundò verò modo negare se Christianum rectè intelligenti, non licet. Ita communiter Doctores omnes cum D.Bonau. 3. *dist.*25. *&* 6. *p. Breuil. cap.*8. D.Thom. 2.2. *quæst.*3. *art.*2. vbi Caietanus, Aragon. & alij Thomistæ; Azor *lib.8. cap.*27. Suarez *disp.*4. *sect.* 1. Sanchez *lib.* 2. *cap.*5. Becanus *p.* 2. *cap* 9. *n.*30. & alij apud Fagundez *lib.1. cap.*3. Tanner. *loc. cit.*

Probatur à S.Doct. allegatis locis, & *ad* 22. *Lucæ*, & 19. *Ioannis* ex culpa Petri, qui timore mortis negauit Christum, & grauiter peccauit, vt fatentur Patres, præcipuè, allati ab eo, Chrysost. *homil.*82. August. *tract.*113. Gregorius *homil.*21. *in Euangelia.*

Deinde dubitatur: An, qui à Tyranno interro- 165
gatur de fide in odium eius, possit tacere, vel diuertere.

D.Thom. *quæst.*2. *art.*2. negat, quoties eo silentio, vel responso posset existimari, non habere fidem. Eum sequuntur alij. Fundamentum sumitur ex cap. *Nolite timere* 11. quæst.3. Videtur D. Bonau. *ad* 12. *Lucæ* ad ea verba: *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus.* Et affert id 1. Machab.2. *A verbis viri peccatoris ne timueritis. Vos confortamini, & viriliter agite in Lege.*

Alii dicunt, posse tacere, vel diuertere. Ità Aragon. *quæst.*3. *art.*2. Roder. *cap.*119. *Summæ.*

Alii asserunt, teneri clarè confiteri, si sit persona grauis, vt Episcopus, vel Doctor. Ità Valentia *disp.*1. *quæst.*3. Sanchez *lib.*2. *cap.*4.

Alii dicunt, teneri, si à Tyranno publicè interrogetur. Ità Valentia *loc. cit.* Azor. *cap.*27. *quæsito* 1. Tanner. *num.*120. Aragon. *quæst.*3. *art.*2 Bannes *q.*3. *art.*2. & alij apud Fagundez *cap.*5. Ratio est; quia tunc detrahitur Dei honori, si non confitearis. Hoc videtur
innuere S Doct. *serm.*18. *Martyrum.* Accinit Fuliens. 166
Quæritur tertiò. An per actus externos fictos falsæ religionis, liceat fidem veram occultare, puta genua Idolo flectendo.

Adrianvs

ADRIANVS *in 4. Tract. de Baptisme, quæst. 1. art. 1. ad 5.* ait, licere vigente grauissima causa. Adducit D. Hieronymum 2. *ad Galat.* & *epist. 89. ad August.* vbi docet, Apostolos causa simulatione exercuisse cæremonias legis, iam mortiferæ.

PROBAT primò *ex* 1. *Reg. 5.* vbi Naaman petiit ab Eliseo: *Hoc autem solùm est, de quo depreceris Dominum pro seruo tuo, quando ingredietur Dominus meus templum Remmon, vt adoret, & illo innitente super manum meam; si adorauero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, vt ignoscat mihi Dominus seruo suo pro hac re*, cui respondit Elisæus: *Vade in pace*, significans id licitum.

SECVNDO *ex* 4. *Reg. 10.* exemplo Iehu, qui finxit se velle sacrificare Baal, vt ad muscipulam sacerdotes Baal traheret, & videtur laudari à Deo: *Studiosè egisti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis.* Hoc exemplum adduxit D. Bonau. 3. *dist.* 38. *quæst. 1. ad 3.* vbi ait; simulationem Iehu fingentis, se velle adorare Baal, non esse mendacium, sed simulationem cautelæ. Propter hæc verba trahunt aliqui Seraphicum ad opinionem Adriani. At S. Doct. non eximit Iehu à peccato contra fidem.

167 Vera igitur sententia est, non licere: Videtur D. Bonau. 4. *dist. 33. dub. 8. litt.* & *loc. cit. Breuil.* est D. Thom. *quæst. 3. art. 2.* vbi Caietanus, Valentia *quæst. 3. p. 2. dub. 4.* & alij Interpretes, Alens. 3. *p. quæst. 183. membr. 2.* D. Antonin. 2. *p. tit. 22. cap. 6.* Syluest. *verb. fides, quæst. 5.* Armil. ibi *num. 9.* Ang. *verbo Infidelitas, num. 8.* Nauar. *cap. 11. num. 23.* Toletus *lib. 4. summæ, cap. 2.* Vasquez *disp. 182. cap. 5.* Suarez de fide *disp. 14. sect. 4. & lib. 9. de leg. cap. 17.* & *in defensione fidei, lib. 6. cap. 9.* Becanus 2. *p. summæ, cap. 9. quæst. 5.* & alij communiter Fagundez *lib. 1. cap. 6.* Caspens. *disp. 3. sect. 7. num. 61.* Tanner. *quæst. 7. disp. 5.* Morand. *quæst. 11.* Sanchez *lib. 2. cap. 4. num. 14.* qui oppositam sententiam erroris damnant. Et quia in ea inuoluunt Seraphicum, afferam alia loca, quibus hanc secundam tenet absolutè. Primus est *prima parte Centil. sect. 26.* vbi vult, committi absolutè Idolatriam genuflectendo, vel thus euaporando ad Idolum. Idem docet *ad caput* 15. *Sap.* in ea verba: *Digni sunt morte, qui spem habent in talibus.*

168 Probatur primò ex illo 1. Cor. 10. *Nolo vos fieri socios dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum.* Idem colligitur ex *capite* 10.

Probatur ratione D. Bonau. quia cultus externus continet intrinsecè superstitiosum cultum, quia institutus est ad vsum religiosum.

Ad D. Hieronymum respondetur, illas cæremonias fuisse ad veri Dei cultum, neque fuerant adhuc declaratæ noxiæ. Vide *Tract. de Legibus, disput. penultima.*

Ad exemplum Iehu respondetur cum D. Bonauent. *loc. cit.* D August. *lib. cont. Mendacium*, & D. Thoma 2. 2. *quæst. 3. art. 1.* non excusari Iehu à mendacio, vel simulatione religionis. Ideò non sic laudatur: *Studiosè locutus es.* Sed: *egisti*, occidendo filios Achab. Vide Vasquez *num. 70.* Tanner. 104. Fuliensem *loc. cit.*

Igitur solùm, quoad cautelam directam ad cultum, & obedientiam Dei, excusatur, non quoad præcisum mendacium, & simulationem.

Quoad Naaman, respondetur, eum petiisse solùm, vt obsequium politicum domino suo exhiberet, vt explicant Abul. *quæst. 10.* Caietanus, Lyra, & Burgens. *ibi.* Deinde, esto petiisset Idolum colere externo cultu. Respondet Valentia, & Fagundez; Elisæum non consensisse, sed solùm dixisse: *Vade in pace*, quod potuit esse etiam reprobantis sensum.

169 Faciliùs respondeo, eum petiisse, vt Elisæus oraret pro eo ob peccatum ingrediendi in Mesquitam Remmon, de quo oportuit, vt fuerit correptus ab Elisæo, nec profecerit. Ideo ait: *Vade in pace*, quasi dicat: Quoniam non est spes emendationis; orabo pro te: *Vade.* Profectò Elisæus eum idolatram monuerat de hoc cultu superstitioso; Cur enim aliter conscientia punctus diceret ipsi, vt oraret pro se de hoc peccato? Igitur propheta non retractat, sed solùm dimittit; sicut dimittitur pauper, cui non vis dare eleemosynam: *Vade in pace*: Est enim oratio, spiritualis eleemosyna.

170 Ex dictis habetur, neque posse adhiberi vestes exprimentes cultum superstitiosum, quæ sunt signum Sectæ (etsi Fuliens. nutet.) Quoad vestes verò significantes tantùm politicè falsam sectam, vt est pileus flauus Hebræorum, variæ sunt opiniones Aliqui asserunt; alij negant. Vide Fagundez *cap. 7.* vbi decem authores pro affirmatiua refert, nempè licere; & totidem pro negatiua. Vestes verò, quæ solum vsum gentis significant, non sunt vetitæ Licet etiam ad hæreticorum Fana, ad conciones confutandas, ire. Vide Valentiam *quæst. 3. p. 2.* Azor. *cap. 27. quæsito 5.* Tanner. *num. 123.* Non tamen, vbi præsumitur cultus, vt in Anglia, ex *Decreto.* Pauli V.

QVÆSTIO XVII.

An liceat de FIDE *disputare, & quando.*

171 CERTVM est, licitam esse disputationem de fide, vt omnes concedunt cum D. Bonau. *in 4. dist. 13. dub. 1.* vbi ait; licere disputationem de rebus fidei ad defensionem, sic enim & SS PP. disputarunt, & *Act. 6. & 7.* Stephanus: & *Act. 9.* Paulus cum Iudæis.

ILLICITVM verò ait, disputare, vt rationibus, & argumentis assequatur aliquid supra rationem, vel vt experiatur fidem satis editam, arguendo. Ità etiam D. Thom. *quæst. 10. art. 7.* Bannes ibi, Sanchez *lib. 2. cap. 10.* Becan. *cap. 15. quæst. 7.* Suarez *disp. 20. sect. 1.* Fagundez *lib. 1. cap. 8.* Non erit tamen illicitum illi, cui nondum satis proposita est fides. Ità Suarez, Sanchez, Fagundez, & Valentia *disp. 1. quæst. 4. p. 1.*

172 OBSERVA, Laïcis vetitum esse disputare de fide, decreto Alexandri, *cap. quicumque §. Inhibemus, &c.* & definitur: *Qui contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur*, vbi intelliguntur etiam docti Laïci, vt dicunt communiter Doctores, è quibus quatuordecim afferuntur à Fagundez *cap. 8.* licèt Caietanus, & Bannes 2. 2. *quæst. 10. art. 7.* Petrus Ledesma 2. *Tom. tract. 1. cap. 5.* doctos excludant, quia etiam Albertus Pighius Comes, & Ioannes Echius, & Henricus VIII. Rex Angliæ, cùm erat Catholicus, contra Lutherum disputarunt, & fuere laudati; Addit Fuliensis *lib. 3. cap. 6.* id licere Laïco erudito, si necessitas vel magna vtilitas adsit.

QVÆSTIO XVIII.

An FIDES *sit in Intellectu.*

{ D. Bonau. d. 23. art. 1. q. 4.
{ D. Thom. quæst 4. art. 2.

173 EST apud omnes Theologos certissima assertio, Fidem esse in intellectu, tanquam subiecto proximo, vt aduertit Valentia *quæst. 6. p. 2.* Caspensis *disp. 4. sect. 1.* Tanner. *disp. 1. quæst. 6. num. 8.*

Seraphicus perscrutans acutiùs fidei naturam, & actus, non statim concedit, Fidem in intellectu solo existere.

Ponit igitur tres opiniones de hac re.

Prima est, fidem esse in intellectu speculatiuo. Ità D.Thomas *quæst.4.art.2.* & Tanner. *disp.1.quæst.6, dub.8.*

Probatur primò. Intellectus speculatiuus est ille, qui tendit in verum, sub ratione veri: At fides facit credere articulos sub ratione veri, non quia boni, ità enim credit quis damnationem malorum; sicut glorificationem bonorum.

Probatur secundò. Diuersarum virtutum sunt diuersa obiecta, sed Charitas, quæ est virtus, diuersa à fide, vt ait Apostolus *prima Corinth.13.* tendit in Deum, vt bonum: Ergo fides non tendit in eum sub hac ratione boni, tendit autem sub ratione primæ veritatis dicentis, & reuelantis, vt ostendi *quæst.8.* Ergo Fides respicit suum obiectum, vt verum, sed hoc est intellectus speculatiuus: Ergo.

174 Alia est sententia, quæ asserit, fidem esse in Intellectu, non definiens: an speculatiuo, vel practico, & hæc est communis. Alia dicit esse in Intellectu eminenter: Ità vterque Caiet. & Arag hîc, Valent. *quæst.4. p.2.* Suar. *tom.1. de Relig. lib 1.cap.8.*

Probatur prior opinio à S.Doct. in fundamentis ex D.August. *cap.2. de prædest. Sanctorum*; vbi ait: *Credere, est cogitare cum assensione.* Hanc esse fidem ait: *Tract.40. in Ioan. & serm.14. de verb. Apost. & 4. de ciui. cap.20.*

Deinde id probat ex Glossa *ad Rom.10.* quæ est S.Gregorij *lib.1.* exponens enim illa verba: *Fides ex auditu* ait: *Dat intellectum, dum de auditis mentem illustrat.* Sic Cyrill. *lib.11, Ioan.cap.16.* & Cyril. Hier. *Cat.5.*

Probatur tertiò à S.Doct. Virtutes Theologicæ sunt ad reformandam imaginem quoad potentias, Cognitiuam, & Affectiuam: Sed affectiua reformatur quoad concupiscibilem à charitate, & quoad irascibilem à Fide: Ergo fides perficit cognitiuam.

Probatur quartò. In eadem facultate est virtus gratuita, & dos illi succedens in patria. Sed visio, quæ succedit fidei est in potentia cognitiua, vt patet: Ergo & Fides.

Probatur à S.Doct. quintò. In ea potentia animæ est virtus, tanquam in subiecto, circa cuius actum explicat, & tollit difficultatem in operando; habitus enim in ea potentia collocatur, ad cuius opus habilitat, sed per fidem captiuatur intellectus in obsequium Christi: Ergo fides expedit actuo ipsius potentiæ intellectiuæ.

175 Tertia opinio est, Fidem esse in intellectu Practico.

Obseruat autem S.Doct. ex Aristotele *2. de anima, cap. de mouent, et.49.* Intellectum speculatiuum extensione fieri practicum. Contingit autem tripliciter intellectum extendi, vel per coniunctionem cum affectione, à qua inclinatur. Vel per coniunctionem sui cum affectione, ad quam inclinat. Vel per coniunctionem sui ad operationem, quam dirigit: Omnibus autem his modis contingit, fidem poni in intellectu extenso, siue practico, secundum varios ipsius fidei status. Nam fides simpliciter dicta, siue sit formata, siue informis, quæ facit hominem credere Deo in his, quæ non videt, est in ipso intellectu in quantum Inclinatur ab ipsa voluntate; non enim crederet, nisi vellet. Fides autem formata, qua quis credit in Deum, est in ipso intellectu, in quantum inclinat affectum. Ad hoc enim vt quis credat in Deum per fidem formatam, oportet vt in ipsum amando tendat, secundùm quod habetur *in littera.* Fides autem perfecta, in quantum operans per dilectionem, est in intellectu, quatenùs, mediante affectu, dirigit opus.

Ratio autem prima est ex Aristotele, & Tullio, dicentibus, Virtutes esse in intelligentia practica.

Secunda ratio est. Habitus, circa quem est laus, aut vituperatio, est voluntarius: Sed circa fidem est laus: Ergo.

Vltima opinio est, fidem esse in potentia cognitiua materialiter; in affectiua verò formaliter, quia ratio formalis virtutis est facere laudabilem actum Virtus enim definitur à D. August. de moribus Ecclesiæ, cap.15. *Est amor ordinatus.* Hæc est sententia Hugonis *lib. de Sacramentis.* 176

Secundò probatur à S.Doct. Nulla virtus est in potentia simpliciter, quæ possit cogi; sed potentia cognitiua potest cogi: Ergo.

Tertiò probatur. In illa potentia est virtus formaliter, quæ est principium actus, & operationis, illi virtuti debitæ; sed nullus assentit veritati non visæ, nisi quia vult: Ergo si principium actus videndi est à voluntate, erit fides in ea formaliter.

Observat S. Doct. ad veritatem enucleandam; 177 Virtutem esse habitum, secundùm quem consistit laus, & meritum; sicut habitus malus, & culpa, secundùm quæ consistit vituperatio, vt docent omnes Morales. Quò fit, vt in ea potentia sit ponenda, quæ est principium primi operis laudabilis; hæc autem potentia est liberum arbitrium. Enim verò necesse est, habitum in eo subiecto poni, in quo est difficultas ad actus; hæc autem est potentia intellectiua, respectu fidei, quæ ordinat ad captiuandum intellectum in obsequium Christi, ad assentiendum primæ veritati, & hoc pacto est in intellectu speculatiuo; sed quoniam intellectus inclinatur ad credendum ipsi veritati primæ non secundùm suum iudicium; sed secundùm voluntatis imperium; ideò fides non respicit intellectum secundùm esse purè speculatiuum; sed prout extensus ab affectu inclinatur. Et quoniam ipsum velle credere, est essentiale fidei; hinc est quod habitus ille respicit etiam affectum.

Vt autem hæc percipiantur, discutiendæ sunt aliquæ doctrinæ & quæstiones. Primò differenda est illa quæstio: An omnis fidei assensus necessariò à voluntate dependeat.

Nominales enim, quos sequuntur aliqui Recentiores, id negant. 178

Secunda verò sententia est D. Bonau. hic, quem sequuntur Thomistæ, affirmans, primum assensum fidei pendere à voluntate, imperante explicitè; sequentes verò actus esse à voluntate non renuente, sed virtualiter volente liberè. Videtur etiam Scoti *3. dist.25. quæst.2.*

Hoc autem ità sensisse D.Bonauenturam constat è *corpore quæstionis*, vbi habitum fidei in intellectu ponit ad remouendas intellectus difficultates; voluntate mouente, quo fit, vt remotis difficultatibus, & intellectu captiuato, non sit necessaria voluntas explicita.

Probatur verò hæc dependentia à D. Bonau. ex D. August. suprà, alludente ad id Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam.* Idem è D. August. mox probabo.

Addit S.Doct. ad hoc confirmandum *serm.1. de pluribus Martyribus*, id Act.15 *Fide purificans corda.* 179 Probatur verò ab eo Ibi, & in *hac quæst. arg. vltimo,* quia obiectum obscurè, & in Ænigmate propositum, quale est obiectum fidei, non est sufficiens ad determinandum intellectum, non adhuc conuictum; neque intellectus est sui determinatiuus, cùm non sit

potentia

potentia libera: Ergo eget extrinseco voluntatis imperio determinantis ad credendum, quod non videt, sed est ei obscurum, vt obseruat etiam Scotus supra, Mastrius *disp.6.quæst.8.num.*237.& Coninch. *disp.*13. *dub.*4. qui hac ratione vtuntur.

180 PROBATVR tertiò à S.Doct. *fundamento* 2. *& argumento* 4. *ad oppositum*, vbi affert illud D. August. effatum, Tract.26. in Ioan. *Multa potest facere homo, non volens; credere autem non potest, nisi volens*; Quæ in corpore componit: Id, quod est dispositio virtutis ad supernaturalia dona, & gratiam, ac meritum, est à voluntate: Talis est actus fidei, per eius enim actum disponuntur peccatores ad iustitiam, dum excitati diuinâ gratiâ, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes, vera esse, quæ reuelata sunt, vt ait Concilium Trident. *sess.6. cap.6.* Maior probatur; nam cùm talia sint laudabilia, sunt à potentia capaci laudis, quæ est libera; hæc enim est obiectum laudis, quatenus liberè operatur actus studiosos. Eadem habet D. August. *de spir. & litt. cap.*31.

CONFIRMATVR ex Concilio Arausi. *cap.*5. vbi docet, affectum credendi, esse initium fidei, quo in eum credimus, qui iustificat impium: Ratio est, vt ait D.Bonau. *in corpore*, quia, cùm dirigat ad opus supernaturale iustificationis de congruo, vt docuit S.Doct. 1. *dist* 41. *quæst.*1. & in 4.*dist.*15. *p.*1. *quæst.*5. etiam mediatè ad meritum debet esse à voluntate; non enim Deus iustificauit te, sine te. Idem colligitur è Concil. Trid *sess 6. cap.*5. *&* 6.

181 Deinde dico, regulariter loquendo, voluntatem in assensu fidei determinare intellectum, non solùm ad exercitium, sed etiam quoad specificationem actus. Est sententia S.Bonau. hîc, & communis apud Coninch. *cit.* Aretinum 3. *dist.* 25. *quæst.* 2. Poncium *disp.*27. *quæst.*2. Mastrium *disp* 6.*num.*139. Tannerum *num.*9. Albertinum *T.*1. *princ.*3. *coroll.*5. Bouërium *dem.*2. *Symb. art.*6.

PROBATVR à S. Doct. *in corpore*, & *argumento vltimo*, Quia regulariter non mouentur homines ad credendum articulis, vt determinentur ad speciem actus circa id, quod credunt de diuina veritate; aliqui enim credunt Pastoribus, vel parentibus docentibus, quod motiuum non sufficit ad specificationem actus. Dixi *regulariter*, quia possunt motiua anthoritatis, reuelationisque adeò constare, vt non egeat ex imperio voluntatis determinari ad specificationem explicitè, sed solum ad exercitium, cùm adhuc non sit tantæ euidentiæ, vt cogat ad exercitium.

182 DICO tertiò, fidelem, in fide iam fundatum, non egere in singulis actibus imperio voluntatis, vt assentiatur, sed solùm, vt applicetur ad cogitandum de rebus fidei. Ità Suarez *disp.6. sect.*7. & hoc sæpè experimur; nisi dicas cum Arriaga *disp.*7. *sect.*1. solùm faciliorem inuenire voluntatem in intellectu obedientiam; semper tamen imperare.

OBIICIES. Voluntas non versatur circa verum, atque adeò spectat ad intellectum, seipsum determinare circa proprium obiectum.

RESPONDETVR, motiua credibilitatis non esse talia, vt absolutam vim determinandi habeant, sed solùm dictant, prudenter eis assentiendum; spectat verò ad voluntatem imperare, vt obsequatur; & in hoc consentiunt etiam aduersarij, qui ad assensum fidei exigunt saltem non contranitentiam voluntatis. Requiritur ergo imperium voluntatis extrinsecus, inducens intellectum. Multi enim repellunt fidem, vt dicitur *Act.*13. nec nolens credit quisquam, vt ait D.August. *de spir. & litt. cit.*31. & *tract.*26. *in Ioan.* notans id: *Credere non poterant*, & *lib.*1. *ad Simpl.* *quæst.*2. *& contra.* 2. *epist. Pel. cap.*19. Cyrill. Hier. *Procat.* Chrysost. *homil.*34. *in cap.*13. *ad Hebr.* & D.Gaudentius Brixiæ Episcopus *tract.*6. *Exodi.*

Hinc oritur quæstio: An pia credulitatis affectio sit à fide; & ideò resideat etiam in voluntate; an detur ad id alius in ea habitus, ad actus fidei impetrandos. 183

SCOTVS *in* 3. *dist.*25. *quæst.*2. cum asseclis suæ Scholæ videtur negare, requiri aliquem habitum, maximè supernaturalem, sed sufficere imperium naturale voluntatis, quia cognito vero supernaturali, potest voluntas mouere intellectum, habitu instructum.

SECVNDA sententia opposita est, requiri aliquem habitum. Sed hi diuiduntur. Aliqui enim volunt, hunc habitum esse virtutem obedientiæ: Alij studiositatem: Alij dicunt esse peculiarem habitum, ad hos actus inclinantem. Ità Suarez, Arriaga, Coninch. & cæteri Recentiores.

SENTENTIA D.Bonau. est, habitum fidei hoc ipsum præstare. Ità *in vltimo argumento*, & *in corpore* Alens.3.*p. quæst.*66. *memb.*8.

SVPPONERE debemus, affectum illum voluntatis ad credendum, esse supernaturalem. Ità declarat Concil. Arausi. 2. *can.*2. 5. *&* 6. vbi definit, pium credulitatis affectum, quem initium fidei vocat, esse donum gratiæ Dei. Et quamuis *can.*5. loquatur de primo actu conuersorum ad fidem; tamen in *can.*6. loquitur de omnibus; quatenus ad omnes actus virtutum docet prærequiri voluntatem gratuitam, ac requiri auxilium præueniens, in ordine ad iustificationem, & meritum. Et idipsum definit C. Trident. *sess.6. cap.*6. vbi docet, hominem ex gratia Dei liberè moueri ad fidem. Neque Scotus tenuit, sed solum ait, per actum naturalem imperij voluntatis posse se applicare ad considerandum in materia fidei, & postea per habitum infusum exercere actum credendi, sine alia motione voluntatis, vt obseruat Mastrius *disp.6. num.*265. Idem nobiscum ait C. Tol.4. *cap.*53. relatum à Gratian. *cap. de Iudæis*, *dist.*45. 184

CVR autem hæc pia credendi affectio debeat esse supernaturalis, probatur à D. Bonau. *in* 2. *dist.*28. *art.*2. *quæst.*1. *fundamento* 3. Dispositio debet proportionari formæ, ad quam disponit: est enim dispositio aliquo modo causa formæ. Cùm igitur fides sit dispositio ad gratiam, & sanctitatem, quatenus libera est, ex Concilio Trident. *sess.6. cap.6. &* 7. neque sit libera formaliter, nisi ex voluntatis imperio; sequitur, imperium voluntatis naturale, non esse dispositionem proportionatam.

Dico igitur, Fidei habitum dare virtutem voluntati, vt imperet suos actus intellectui. 185

PROBATVR à S.Doct. ex D. August. *loc. cit.* Hugone *lib.*1.*de Sacram. p.*10. *cap.*2. Confirmat ex definitione fidei lata Hebr.11. *Est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, vbi ponitur *substantia*, seu fundamentum verificum, spectans ad intellectum; & *rerum sperandarum*, ad quod requiritur affectio.

PROBATVR secundo, quia nullus habitus est virtus, nisi rectificet voluntatem: Ergo neque fides. Confirmatur à S. Doct. nam etiam prophetia illuminat intellectum ad diuina, neque tamen est virtus; quia ad eam illuminationem non cooperatur voluntas.

OBIICIES cum Vulpe *disput.*33. *art.*4. Mastrio *disp.*6. *num.*278. Non potest habitus operari extra potentiam, in qua inhæret, nec pluribus potentiis inhærere; At fides est in intellectu: Ergo non potest esse etiam in voluntate, aut in solo existens intellectu,

 operari

operari etiam in voluntate. Confirmatur, quia fides respicit Deum; at habitus ille, quo voluntati imperat, est actus ipse creatus fidei, seu honestas eius, vnde non potest esse à virtute Theologica.

Hoc argumentum benè vidit, atque resoluit S. Bonau. hîc. Respondet igitur, liberum arbitrium complecti appetitum, & rationem, vt docet D. August. 12. *de Trinit. cap.* 8. & ideò non est inconueniens, quod quælibet virtus, quæ reponitur in vna istarum potentiarum, reponatur in libero arbitrio, secundùm quod virtus est, & principium meriti.

186 Similiter. Nullum est inconueniens, ponere, vnum habitum esse in ratione, & voluntate; ita vt vnam illarum potentiarum respiciat, quantum ad actum materialem: alteram, quoad formalem. Sic habitus scientiæ, quoad retentionem specierum, respicit memoriam; & quoad facilitatem conuersionis, spectat ad intelligentiam, & tamen est vnus simplex habitus. Quamuis enim potentiæ distinctæ sint; non tamen realiter, sed formaliter, & continuantur in vno subiecto, ratione cuius potest esse in eis vnitas proprietatis, sicut vna sanitas ponitur in multis membris corporis interiùs; & vna honestas in multis exteriùs. Ex his elicit generalem regulam de subiecto virtutis cuiuscumque, vel vitij. Similiter fides, in quantum est virtus meritoria, est in libero arbitrio; tamen in quantum est habitus, reddens potentiam facilem, ponenda est in potentia cognitiua, vt docet Hugo. Ideò à D. August. dicitur: *Amor ordinatus*. Ex his totius quæstionis nodus soluitur. Collige ex dictis, mentiri Caluinum 3. *Instit. cap.* 2. Fidem esse meram notitiam: Exigitur enim etiam assensus. Vide Bouërium *loc citato.*

QVÆSTIO XIX.

An Fides *perficiatur per* Charitatem, *tanquam per formam.*

{ D. Bonau. dist. 25. art. 1. q. 5.
& dist. 36. quæst 6.
D. Thom. quæst. 4. art. 3.

187 Omnes Theologi *in* 3. *dist.* 23. cum Magistro ibi, hoc effato consentiunt, Fidem, aliasque Virtutes à charitate formari; non quidem, vt charitas sit forma fidei, aut essentialis, vt anima homini; vel accidentalis, vt albedo Olori; hoc enim falsum est, vt aduertit S. Doct. *argumento* 4. *p.* 1. *addita solutione.* Ex his enim, quæ sunt diuersi generis, non fit vnum per essentiam: Fides autem, & Charitas sunt diuersæ virtutes, vt habet Apostolus prima Corinth. 13. *Manent fides, Spes, Charitas, tria hæc,* Igitur non potest esse, vt charitas informet essentialiter Fidem: Neque accidentaliter, vt ostendit S. Doct. *ad* 5, nam fides, etiam informis, est virtus, abstracta etiam charitate, & quamuis adueniente charitate, & gratia ornetur, veluti colores à luce (vt ait S. Doct. *in corpore*) tamen non inhæret ipsi fidei, quæ non est subiectum accidentium, cùm sit merum accidens, & habeat secum suas potentias, & virtutes, atque accidentia; sed aduenit gratia, sicuti pluuia terræ aridæ. Igitur charitas dicitur forma fidei metaphoricè tantùm. Vide etiam Valentiam *disp.* 1. *quæst.* 4. *p.* 3. Hanc quæstionem tractabo rursus *disp.* 8. *quæst.* 8.

188 Assero. fidem à charitate formari, idest, perfici in ordine ad meritum. Dirigit enim rectè actum suum ad vltimum finem.

Probatvr à S. Bonau. primò *in* 2. *dist.* 27. *quæst.* 2. ex prima Corinth. 13. *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum.*

Deinde *in* 3. *dist.* 23. *dub.* 2. *& art.* 2. *quæst.* 1. *ad argumenta, & dist.* 24. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad arg.* ex secundo Iacobi. *Fides sine operibus mortua est.* Et Opusc. *de septem donis. De dono Intellectus, cap.* 1. ex illo Galat. 5. *In Christo Iesu, neque Circumcisio aliquid valet: sed Fides, quæ per charitatem operatur.*

Probatvr secundò hîc rationibus S. Doct. Prima est. Certum est, per omne peccatum mortale non amitti fidem, vt ostendam *quæst. sequenti* definitum, Ergo manet fides informis, idest sine ea perfectione, quâ fides perficiebâtur ad merendum: Ergo restitutus in gratia, rursus habet fidem formatam.

Secvnda: Magis accedit fides ad gratiam, & charitatem, quàm natura; Sed natura per gratiam perficitur; Ergo multò magis fides. 189

Tertia ratio est: Plus conuenit habitus infusus cum gratiâ, quæ est infusa, quàm habitus acquisiti; sed habitus acquisiti per aduentum gratiæ informantur, quod patet, quia in eorum vsu, & exercitio, homo meretur: Ergo multò magis habitus fidei informis formatur per ipsam gratiam superuenientem.

Qvarta ratio: Non minùs viuificantur habitus infusi, qui remanent in delinquente, quàm merita in iustificatione: Sed hæc mortificata reuiuiscunt: Ergo & illi.

Qvinta ratio: Nihil est aliud, habitum viuum esse, quàm per illum vitam æternam mereri posse: sed fides informis adueniente charitate habet omne, quod necessarium est ad meritum: Ergo, si actus eius est meritorius ad vitam æternam, signum est, habitum esse formatum. Quod autem habeat omne, quod necessarium est ad meritum; clarum est, cùm ipsum opus de se sit bonum, & rectum, & à charitate imperatum. Vnde D. August. 15. *de Trinitate, cap.* 18. loquens de charitate ait: *Quantum bonum est, sine quo ad æternam vitam neminem bona tanta perducunt,* hoc est fides, & alia, de quibus ibi August. asseruit, ea sine charitate nihil valere, vt ait Apostolus suprà. 190

Sexta ratio: Omne illud, quod dicitur esse mortuum è solo defectu, seu è sola absentia alicuius, illo superueniente viuificatur; sed fides informis dicitur mortua ob solum defectum gratiæ, & operationis fructuosæ: Ergo ipsis superuenientibus reuiuiscit: Sed, cùm reuiuiscit, formatur: Ergo fides informis potest fieri formata; & hoc est, quod habetur in Glossa super illud Iacobi 2. *Fides sine operibus mortua est.* Reuiuiscit ex operibus fides: Ergo ex operibus habet vitam, & formam.

Igitvr formatio fidei à gratia, & charitate, dicit perfectionem duplicem superuenientem. Prima in ordine ad opera meritoria facienda. Secunda, quia fidei actus per imperium charitatis refertur ad vltimum finem, hoc est, quatenus credit aliquis propter Deum, vt summum bonum, pertinet actus fidei ad eandem specie rectitudinem, ad quam ipsa charitas, ac proinde est eiusdem speciei, cuius est charitas ipsa, cum hoc tamen discrimine, quòd rectitudo hæc est essentialis ipsi charitati; at fidei aduenit tanquam perfectio extrinseca, sicuti lux aduenit coloribus, eosque lucidos, venustosque reddit, & ornatos; & sicut Lux cum coloribus non facit vnum compositum per essentiam, sed per ordinationem quandam; sic neque ex fide informi, & gratia, fit vnum per se, sed per quandam ordinationem, & relationem ad Deum. Hæc S. Bonau. cum D. Thom. *quæst.* 4. *art.* 3. quos explicat Valentia *quæst.* 4. *p.* 3. 191

Obiicias

192 Obiicies primò. Oppositorum eadem est ratio: Sed vitium, & peccatum non potest esse formatum: Ergo nec virtus opposita potest esse informis, atque adeò, nec formari.

Respondet primò. S.Doct. non esse in hoc parem oppositionem; nam formatio est bonum, quod pluribus indiget, vt fiat, quàm deformatio, quæ est imperfectio. Ideò non sequitur, quòd, si peccatum non potest formari, neque virtus possit deficere, & reddi informis.

Respondet secundò, peccatum dupliciter accipi: abstractè, & concretè. Si abstractè accipiatur, impossibile est, quod possit formari, cùm sit mera malitia; si autem accipiatur concretè, vt dicatur aliquis actus virtutis deformatus à fine; cùm quia, v.g. abstinet ob inanem gloriam, ipsa abstinentia fit ei culpa; & hoc modo, ratione actus subtrati, vel habitus, potest rectificari à gratia, si propter Deum abstineat. Hoc modo dicimus, virtutem formatam, fieri informem, ratione videlicet habitus subtrati, quoniam indifferens est ad statum culpæ, & gratiæ; imò si est actus abstinentiæ, est naturâ suâ bonus, & studiosus.

193 Obiicies secundò. Nullum opus mortuum potest fieri viuum; fides sine gratia est mortua, *ex 2. Iacobi*: Ergo. Maior probatur; nam opus factum in peccato, non viuificatur per gratiam.

Respondet S.Doct. actum mortuum non esse capacem vitæ, quia iam transiit, nec manet in aliqua radice; at fides in peccatore manet, licèt informis; ideò potest viuificari, venustari, & adornari per gratiam aduenientem, sicuti redeunt ad præmium merita mortificata.

Obiicies tertiò. Nullum accidens potest alterari: fides informis est accidens: Ergo non potest alterari; sed quod ex informi formatur, alteratur: Ergo.

Respondet S.Doct. accidens non alterari formaliter, sed alterari subiectum, & ratione subiecti etiam accidens; vt cùm color illuminatur in pariete.

Obiicies quartò. Ea hia, quæ sunt genere diuersa, non potest fieri vnum per essentiam; sed fides formata dicit habitum vnum per essentiam: Ergo impossibile est, eam constare etiam ea gratia sanctificante, quæ est genere diuersa.

194 Respondet S.Doct. ex fide, & gratia non fieri vnum formale, sed per ordinationem; sicuti cùm dico, colorem illuminatum, dico duo, per modum tamen vnius, propter hoc, quia ordinatur ad vnum actum, nempè ad mouendum Visum; sic & fides, & gratia dicunt vnum, quatenus ordinantur ad opus meritorium.

Obiicies quintò. Fides informis per aduentum gratiæ transmutatur solùm accidentaliter: ergo si per aduentum gratiæ efficitur formata, accidit fidei, vt sit formata; Si ergo nullum genus accidit speciei; fides non est species virtutis propriæ dictæ: Sed hoc est falsum: Ergo & illud, ex quo sequitur, videlicet, quòd habitus fidei informis, per aduentum gratiæ formetur.

Respondet S.Doct. transmutationem accidentalem in genere naturæ, posse esse essentialem in genere moris, vt patet in actibus, qui per mutationem alicuius circumstantiæ accidentalis mutantesse mora-

195 le virtutis, aut vitij. Igitur & fidei, licèt accidat, prout est habitus, esse formatam gratiâ, vel sine ea; tamen est ei necessarium, & intrinsecum in ordine ad meritum acquirendum, seu, vt est principium meriti: Præterea ipsa fides informis, etiam gratiâ circumscriptâ, est habitus virtutis, ideò non potest inferri, quod fides non sit sub proprio genere virtutis.

Obiicias sextò. Sicut infunditur anima in corpus; ità & gratia in animam; sed adueniens anima secum fert suas potentias: ergo & gratia suos habitus virtutum: ergo & fidem formatam: Ergo fides formata non est eadem cum illa, quæ prius erat in anima: ergo non informatur aliqua fides, quæ præexisteret informis.

Respondet S. Doct. negando paritatem; nam virtutes non sunt Potentiæ gratiæ, per quas operetur, sed differunt realiter, vt ostendit *in 2. dist.27.quæst.2.* neque venit gratia in animam, sicut anima in corpus cum suis potentiis; tunc enim recedente gratia, recederent & virtutes, quod est hæreticum. Aliam porrò similitudinem aptiorem dat S.Doct. Sicut pluuia rigans terram facit germinare herbam, hae verò æstu arescente, iterum rediens pluuia non facit germinare herbam illam; sed germinatam facit virescere; sic & gratia fert secum Virtutes, illis autem arescentibus ardore peccati mortalia, rursus rediens pluuia gratiæ, non reproducit virtutes infusas; sed eas vitore perfundit. Quod autem Seminaria virtutum sint in anima, probat S.Doct. ex D.August. & Bernardo. Igitur charitas exornat virtutes, datque eis vigorem ad fructificandum. Sic enim dicitur fides viua, quia florret, & fructificat merita, & fine charitate est fine floribus, fondibus, & ità dicitur mortua, etiamsi in radice vireat, ad modum, quo plantæ in hyeme dicuntur mortuæ, vt docet S.Bonau quem imitatur Caspensf. *disp.4 sect.2.* eadem similitudine vtitur D.Gregorius *6. Moral. cap.8.* apud D.Bonau. *serm.3. Dom.23. post Pentecost.* 196

QVÆSTIO XX.

An certum sit, Fidem *sine* Charitate *manere.*

Ex dictis liquet, manere Fidem sine Charitate. Id verò altiùs probandum contra hæreticos sectarios, qui distinctionem illam *fidei formata*, & *informis*, subsannant, vt Lutherus, & eius asseclæ. 197

Definitvm est autem in C. Trident. *sess. 6. cap.15. & can.28.* veram fidem Theologicam in peccatore manere informem.

Probatvr primò à D Bonau. *ad 12. Ioannis* illis verbis: *Verumtamen, & ex Principibus multi crediderunt in eum: sed non confitebantur; dilexerunt enim magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei.*

Observat autem S. Doct. eos habuisse veram fidem, sed propter timorem dimisisse confessionem dubiam. Addit verò, non habuisse hos perfectam fidem, quæ exigit etiam necessariam confessionem. Ita D.August. *tract.54.*

Respondent aduersi, non habuisse istos veram fidem, sed notitiam imperfectam quandam.

Contra; quia in eodem capite, sæpè eadem phrasi vititur, & semper veram fidem intelligit: *Multi propter illum abibant, & credebant in Iesum. Cùm tanta signa fecisset, non credebant in eum: vt sermo Isaiæ impleretur: Domine, quis credidit auditui nostro*, quem locum Isaiæ allegat Paulus *Rom.10.* de fide iustificante: *Ego veni: vt omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.* Ioan.12. 198

Dicitvr verò fides horum non recta, quia factis negabant, quod corde credebant. Ideo eis dixit cap.5.

Quomodo

Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis? Vt exponit cum D.August. *serm.3 post Pentec. Dom.23.*

Probatur secundò à D.Bonsu. 3. *dist.25. dub.4.* ex 13. primæ ad Corinth. *Etsi habuero omnem fidem, ità vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.*

Respondent aliqui, loqoi Apostolum de fide signorum.

199 **Contra**: Nam fides signorum est effectus fidei Christianæ, vt dicitur Marci vltimo: *Qui crediderit, saluus erit. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, In nomine meo dæmonia eiicent, &c.* Et cap.11. ad Hebr. loquens de fide, ex qua iustus viuit, recenset signa: *Sancti per fidem vicerunt regna, &c. obturauerunt ora Leonum, extinxerunt impetum ignis*, vt latè discurrit S.Doct. *serm.1. de pluribus Martyribus.* Ideo enim (ait) S Bunau. ob eandem fidem *alij distenti sunt, secti sunt*, &c. nempe Martyres, ob fidem Christianam, seu Theologicam. Igitur fides signorum est fides Christiana excellros. Ideo ait Apostolus: *Etsi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, &c.*

200 In latiùs explicat S.Doct. ad ea verba, Lucæ 17. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, diceetis huic arbori Moro: eradicare, & transplantare in mare: & obediet vobis.* Quòd autem ea sit fides Theologica iustificans, probat S. Doct. nam cùm Christus hortaretur ad opera pietatis, charitatis, &c. quorum operum radix est fides, cumque ad ea opera discipuli, infirmos se faterentur, nempe ad remittendas semper iniurias; dixerunt: *Adauge nobis fidem*, petunt autem fidem, tanquam donum primarium, quam Apostolus *Hebr.* 11. definit: *Est sperandarum substantia rerum, &c.* Et: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et quæ etiam ad signa extenditur: *Sancti per fidem vicerunt regna, obturauerunt ora Leonum, &c.*

Tandem concludit Apostolus: *Manent fides, spes, Charitas, tria hæc*: vbi concludit, se agere de fide Theologica, quæ est eadem cum fide signorum, vt notat D.Bonau. *in 3. dist.36. quæst. quinta.* Et clariùs in Diæta *tit.5. cap.1.* & cum eo Bouërius *demonstr.2. Symb.2. art.3.* è D August. *lib.1. de Bapt. cap.8.* & *de fide, & oper. cap 4.* Hier. in Matth. *lib.2.cap.13.* Chrysost. *serm. de Ada lem.* Anselm. *in cap.13.* hîc Cypr. *de vnit. Eccl.* Basil. *Reg. breu. cap.179.*

Respondent secundò, Apostolum loqui, ducto argumento ab impossibili, ad ostendendam necessitatem charitatis, sine qua nihil essemus, etiamsi Angeli essemus.

201 **At** non est argumentum ab impossibili; nam transferre fide montes, est possibile, vt constat in B.Gregorio Thaumaturgo: Erogare quoque omnem substantiam pauperibus, tradere corpus Martyrio, non est impossibile: Loqui etiam linguis omnibus, sicuti potuere Apostoli, vel Angelorum, exponendo intus suos conceptos, fieri potest, Deo donante.

Probatur tertiò à S.Doct. ad præfatum locum Lucæ ex illo *Iacobi 2.* vbi assumpsit probare, fidem sine operibus existere, sed non iustificare. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides saluare illum?* Quod autem de vera fide loquatur, non de vmbra fidei, quam somniat Caluinus *lib.3. Inst. cap.2.* probatur à D.Bonau. quia loquens de Abrahamo dicit, eum iustificatum ex operibus, quibus fides cooperata est: *Vis autem scire ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens filium suum Isaac super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius: & ex operibus illius fides consummata est.* Fidem sanè veram in Abrahamo quis negabit? 202
eam verò sine operibus mortuam vocat. Confirmatur ex PP. qui hunc locum de vera fide intellexerunt. Hieron. *ad Galat. in cap.5.* Chrysost. *homil.2. in Genes.* & *homil.2. in epist. ad Philem.* August. *lib.21. de ciuit. Dei, cap 26.* & *Libro vnico de baptismo, cap.10.* Cyrillus *libro 10. in Ioannem, capite decimo octauo.*

Instat Caluinus primò, quia Apostolus ait: *Quid proderit, si fidem quis dicat habere*, cùm debuisset dicere: si fidem habeat.

Respondetur, Apostolum notasse iactantiam improborum, qui habent quidem veram fidem, sed sine charitate. Ideò subdit: *Numquid fides poterit saluare illum*, ergo supponuntur habere fidem, & id dicere iactanter.

Instat secundò, eam fidem vocari mortuam, & fidem dæmonum.

Respondet S. Doct. *serm. 3. Dominic. 23. post* 203
Pentec. & *in 3. dist.23. dub.2. & art.2. quæst.1. ad argumenta*, eam esse veram fidem, sicut corpus exanime, est verum corpus; & sicut aqua, quæ non mouetur, dicitur mortua; sed tamen est vera aqua. Secundò dicitur Fides mortua per defectum formæ extrinsecæ accidentalis, & intrinsecæ in ordine ad merendum vitam æternam.

An illud de fide dæmonum, respondet *in 3. dist.23. quæst.3.* fidem dæmonum esse veram ex parte obiecti, vt notat D.August. *loc. cit. de bapt.* etiamsi extortam, eo quod inuiti credant vera esse ea, quæ nos credimus; dum vident, eos, qui fidem Christi habent, & operibus respondent, non posse damnari; hinc enim torquentur ad credendum, nostram fidem veram esse. Itaque non comparantur nobis in habitu fidei, sed in obiecto, seu actu credendi, vt constat.

Probatur quartò à D. Bonau. 3. *dist.23. art.2. quæst.1. & 2.* argumento sumpto è Scripturis, & experimento, ostendentibus, dari aliquos peccatores, qui tamen sunt fideles, & pro fide certant. Sic *Matth.22.* Omnes venerunt ad nuptias. *Matth.25.* Quinque Virgines fideles confitentes *Domine, Domine aperi nobis*, reiectæ sunt, quia oleo charitatis accenso carebant; & in Iudicio damnantur plurimi, non ex defectu fidei, sed operum; cùm tamen scirent, & crederent, ea necessaria esse & per ea obsequium præstari Christo. Sic obseruant D.August. *de fide, & oper. cap.15.* & alij.PP.

Probatur quintò à S. Bonau. *lib. 2. Pharetra* 204
cap.23. ex P.P. Augustino *de verbis Domini, serm.61.* & 15. *de Trinitate, cap.18. In 3.* autem *dist.23. art.2. quæst.1.* affert D Augustinum *lib. de vera innocentia.* Idem habet *lib.6. in Iulianum, cap.117.* Isidoro *de summo bono, lib 2. cap.2.* Idem asserunt Irenæus *lib.4. cap.25.* Cyprianus *serm. de Zelo.* Ambros. *lib.2. offic. cap.2.* & *in Psal.1.* Hieronym. *in 32. Hieremia*, & alij apud Valentiam *quæst.4. p.4.* Bellarm. *lib.1. de Iustificatione, cap.15.* vbi eisdem mediis D. Bonau. argomentatur.

Probatur à S.Doct. hîc. Nam id, quod non perficitur ab alio intrinsecè, sed extrinsecè aduenit liberè, potest stare sine illo: Talis est fides, quæ extrinsecè tantùm perficitur à charitate, quæ aduenit liberè ex iustificatione: Ergo: sic etiam D.Thom. arguit.

Obiicias primò cum Caluino, assensus fidei est affectus in Deum, vt habetur Rom.10. *Corde creditur ad iustitiam.*

Respondetur his confodi Caluinum; vult enim Apostolus, confessionem deitatis, & resurrectionis Christi, esse ad salutem, si ex corde non fictè fiat; sed ex vera fide, quæ bonum iustitiæ est basis. Sic Chrysostomus

ſoſtomus *homil.* 25. *in* 9. *Matth.* accinit Auguſt. *tract.*26. *in Ioan.*

205 Obiicies ſecundò aliquos PP. dicentes, Fidem ſine charitate, non eſſe veram fidem.

Respondetvr ex D.Bonau. *diſt.*23.*art.*2.*quæſt.*1. eo ſenſu vocari Fidem non veram, ideſt imperfectam, ſuis operationibus ad meritum carentem, vt dicam *quæſt. ſequenti*.

Obiicies tertiò loca plurima Scripturæ, adſcribentis Iuſtificationem Fidei *Matth.*9.*Lucæ* 8.*Ioan.*3. *Rom.*5. Premunt præſertim locum illum Lucæ: *Crede tantùm, & ſalua eris.*

Respondet S.Doct. fidem eſſe initium, & radicem ſalutis; non tamen ſolam. In illo autem Lucæ exigi ſolam fidem ad miraculum. Sic & Ioan.11. ait: *Si credideris, videbis gloriam Dei*, ſed de hoc egi *prima* 2. *tract.*5.*diſp.*3. *quæſt.*11.

Profecto Iuſtificatio adſcribitur etiam Dilectioni, *Lucæ ſeptimo.* Spei. *Rom.*8. Timori *Eccleſiaſtici* 5. Vide quæſtionem citatam.

QVÆSTIO XXI.

An, & quomodo Fides *ſit* Virtvs.

D.Bonau.diſt.23. art.2.q.1.
& art.2. quæſt.1.
D Thom art.5.

206 Magister *ſent.*3. *diſt.*23. D.Thom. hîc Albertus *in* 3. *diſt.*23. *art.*5. Richard. *art.*4. *quæſt.*1. & alij ferè Theologi, quibuſcum allegatur communiter etiam D.Bonau. dicunt, fidem, charitate formatam, eſſe veram virtutem, quia reddit actus ſuos perfectos ad Deum: at verò fidem informem non eſſe ſimpliciter virtutem, quia non reddit actum ſuum perfectum, quibus videtur arridere D.Auguſt. *lib.*4. *cont. Iulianum cap.* 3. Vide Paſqualigum *diſp.*36. *ſect.*2. Lugum *diſp.*15.*ſect.*2. Merac. *diſp.*22.*ſect.*1. Morandum *tract. vn. quæſt.*12.

207 Assero primò, Fidem, charitate non formatam, eſſe propriiſſimè virtutem.

Probatvr à D.Bonau. primò ex D.Auguſtino *de vera innocentia, ita aſſerente.*

Secvndo, quia circa difficilia, neceſſaria eſt menti rationali ars, aut virtus ex 2. *Ethic. cap.*3. ſed articuli fidei ſunt creditu difficiles, & creduntur à peccatoribus; ergo eis ad hoc neceſſaria, confertur ars, vel virtus. Non ars: Ergo virtus fidei.

Tertio. Difficilius eſt credere articulos, quàm contineri à libidine, ſed ad hoc neceſſaria eſt virtus. Ergo & ad illud; ſed homo etiam peccator credit per fidem informem: ergo hæc eſt virtus.

Qvarto. Quod eſſentialiter opponitur vitio, & peccato, eſt virtus; ſed actus fidei informis directè, & eſſentialiter opponitur vitio hæreſis, & infedilitatis: Ergo.

Qvinto. Cui conuenit ratio ſpecifica, conuenit & generica, ſed fidei informi conuenit ratio ſpecifica fidei, quæ eſt captiuare intellectum in obſequium Chriſti: ergo & ratio generica virtutis. Hinc igitur deducit S. Doct. & cum eo cæteri, fidem informem eſſe virtutem eſſentialiter, tamen imperfectam, quia non habet perfectam operationem ex defectu extrinſeci, ideſt charitatis, quacum facit vnum ad meritum, vnum inquam phyſicè accidentale, ſed moraliter eſſentiale. Et hoc modo loquuntur etiam Caietanus, & Aragon. *ad art.*4. *D.Thomæ.*

Assero ſecundò, hoc ſenſu, fidem informem non eſſe perfectam virtutem. 208

Probatvr à D.Bonau. primò, quia dicitur mortua *Iacobi primo*, ſenſu dicto *quæſt.*20.

Secvndo, quia virtus perfecta eſt, qua benè, perfectéque operamur ex D.Auguſt. apud Magiſtrum *diſt.*23.

Advertit tamen S.Doct. *ad* 4. non eſſe eandem rationem fidei informis in peccatore fideli, & fidei partialis in hæretico, qui aliquos articulos tantùm credit; nam hæc deficit ab eſſentia, cùm non habeat rationem formalem, ideſt aſſenſum exhibitum articulis ſub ratione primæ veritatis dicentis; nam tantùm vnum Dei aſſertum negans, iam negat Deum veracem.

Aliqva argumenta ſoluit S. Doct. *quæſt.*1. Primum eſt in eodem genere ſunt extrema, & medium; 209 nam medium participat naturam extremorum. Sed fides eſt medium inter opinionem, & ſcientiam, vt ait Hugo: ergo in eodem genere eſt cum extremis: ſed ſcientia, & opinio non ſunt virtutes: Ergo neque fides.

Respondet S.Doct. primò, fidem eſſe medium inter hæc, quoad certitudinem, non eſt autem ob id neceſſe, vt ſit in eodem genere proximo, cum extremis.

Respondet ſecundò, Maiorem eſſe falſam in moralibus, nam medium ſæpe eſt virtus, & extrema ſunt vitia.

Obiicies ſecundò. Habitus diſtinguuntur per actus; & actus per obiecta. In hoc autem diſtinguitur virtus, & ſcientia ex Ariſtotele 6. *Metaph.* *t.*8. quòd virtus eſt in bonum, & ſcientia in verum. Sed fides eſt in verum ſub ratione veri: Ergo non eſt virtus. Minor probatur, quia actus fidei eſt aſſentiri primæ veritati.

Respondet S.Doct. verum eſſe obiectum fidei, 210 vt ſalubre ad vitam æternam, quia enim eſt verum obſcurum, exigit alium habitum diuerſum à ſcientia; & quia eſt ſalutiferum, ideo directè ad ſalutem ordinat, & ideò habet rationem virtutis, quia reſpicit veritatem obſcuram captiuando intellectum, & illum ordinat ad ſalutem liberè; ideò eſt virtus.

Obiicies tertiò. Vituperabile eſt homini rationali, velle aliquid ſine ratione; ſed fides non requirit rationem: Ergo.

Respondet S.Doct. falſam maiorem, vbi auctoritas ſupplet rationem; nunc autem fides credit Deo reuelanti, etiamſi obiectum ſit obſcurum, & hoc quidem eſt laudabile, & rationabile.

Obiicies quartò. Quantò aliquis actus habet rationem nobiliorem, tantò eſt virtuti vicinior: Ergo credere per rationem cogentem plus ſpectat ad virtutem, quàm credere abſque ratione; at aſſenſus neceſſarius non eſt virtus: Ergo multò minus fides, quæ nulla ratione nixa aſſentitur, erit virtus.

Respondet S.Doct. negando Maiorem ſi loquamur de credulitate nixa ratione naturali, quæ ſæpe 211 fallit, itaque ſtudioſius eſt credere abſque ratione veritati primæ reuelanti, etiamſi ea videantur irrationabilia. Multa enim ſunt reuelata, quæ contraria ſunt philoſophiæ, vt omninò continere, mendicare, &c. Similiter credere vnam eſſentiam in tribus Perſonis: Duas naturas cum vna ſubſiſtentia, &c.

QVÆSTIO XXII.

An Fides *sit vna* Virtus.

D.Bonau.dist.23. quæst.3.
D.Thom. art.6.

212 VERA, & communis sententia Theologorum *in* 3. *dist*.23. est, fidem esse vnicam virtutem specie, eò quòd vnum est obiectum formale; etsi ratione subiectorum multiplicetur numero.

Quoad actus fidei multi censent, eos specie differre. Ità Arriaga *disp*.35. *sect*.4. Poncius *disp*.27. *sect*.5. Hurtad. *disp*.56. *sect*.1. Lugo *disp* 8. *sect*.1. & alij.

Oppositvm censent communiter cum D.Bonau. hîc *in fundamentis*, *& corpore*, Suarez *disp*.6. *sect*.3. Coninch. *disp*.16. *dub*.2. *num*.18. Mastrius *disput*.6. *quæst*.13. *num*.354.

Assero primò, habitum fidei esse vnum.

Probatvr à D.Bonau. primò ex 4. Ephes. *Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma*, sed Baptisma est vnum specie: Ergo.

Probatvr secundò à D. Bonau. ex 1. Cor.13. *Nunc autem manent fides, spes, Charitas, tria hac*: sed charitas est vna specie: Ergo & fides.

Probatvr tertiò à S.Doctore. Habitus desumunt suam vnitatem ex obiecti formalis vnitate: Sed obiectum formale fidei est vnicum, quantumuis obiecta materialia credibilia sint diuersa, nempè veracitas Dei, eiusque reuelatio: Ergo habitus etiam erit vnicus.

213 Explicatur à S.Doct. *in corpore*; nam etiam in reliquis est vnus habitus, vbi est vnum obiectum formale v g. vnus est habitus videndi, licèt respiciat innumera, specie diuersa, puta Homines, Equos, Elementa, Cælos; vna tamen est potentia, vnusque habitus, quia hæc omnia sub vna ratione formali respicit, vt sunt visibilia, seu vt colorata, vel lucida.

Sic habitus fidei est vnus, quia, licet habeat multos articulos diuersos reuelatos; tamen omnes respicit sub vna ratione formali, vt sunt à prima veritate reuelante. Hac ratione vtuntur communiter Thomistæ, & Scotus 3. *dist*.23. *quæst. vn. art*.1. §. *Secundo de fide infusa*, & *disp*.25. *quæst*.2. vt notat Mastrius *num*.350.

214 Ex quo habes, deceptum Marginistam Seraphici, dum ait, hanc rationem à Scoto impugnari, dum impugnat rationem D. Thomæ, probantis, fidem habere vnum tantùm obiectum formale, quod est prima veritas. Scotus enim eam rationem D.Thomæ impugnat. Quod vna sit fides, quia, licèt obiecta materialia sint plura, reducuntur tamen ad vnum obiectum principale, videlicet in Deum. Impugnat autem sic, quia Deus non continet alia obiecta, vt obiectum sunt; nam neque ex assensu fidei circa Deum colligimus assensus alios circa reliqua fidei obiecta materialia; neque mouemur ad assentiendum illis ex illo obiecto primario fidei, quod est Deus. Iudicatur verò hæc ratio etiam à S.Bonau. *initio corporis*, sed tandem concludit suâ illâ ratione, allatâ *fundam*.3. nempe, vnam esse fidem, quia vna est ratio formalis, nimirum prima Veritas, vt reuelans; Sicuti ego vnâ fide humanâ crederem Magistro, docenti me varia, puta Geometrica, Physica, Astronomica, &c. quia sub vna ea ratione crederem, quia est Magister meus docens, cuius Sapientiæ fido. Idem docet ad verbum Scotus.

Eam tamen rationem defendit Caietanus, & Va- 215
lentia, quia scilicet, licet multa sint obiecta; tamen omnia creduntur in ordine ad Deum, vt principale obiectum; ità vt his non assentiretur fides, nisi ordinem haberent ad Deum, quem Virtus Theologica respicit.

Contra rationem verò D.Bonau. arguit Arriaga *disp*.16. *sect*.3. quia ratio formalis fidei est etiam reuelatio: at reuelationes sunt diuersæ: Ergo.

Respondet S. Doct. reuelationum diuersitatem materiali modo se habere, nam earum formalitas stat in hoc, vt à Deo reuelata sint, qui est veritas infallibilis.

Probatvr quartò à S.Doct. Qui credit Deo, non iudicatur esse fidelis, nisi credat omnibus articulis; sed fidei virtus facit, vnumquemque esse fidelem; ergo non est vera virtus, nisi omnia credibilia per eam credantur, & in vnum colligantur, sed non colligerentur iu vnum perfectè, nisi fides esset vna: Ergo, &c.

Probatvr quintò à S.Doct. Ità se habet fides ad suum obiectum, sicut obedientia ad suum; sed vna est obedientia, quæ obedit Deo in omnibus præceptis variis, primâ, & secundâ tabulâ contentis, eò quòd sub vna ratione formali obeditur: Ergo &c.

Assero secundò, omnes actus fidei esse eiusdem 216
speciei.

Probatvr rationibus suprà factis, quia omnes sub vna ratione formali eliciuntur, etiamsi inter actus aliqui sint dissensus, vt Christum non esse bis mortuum: alij assensus, vt dum credo, semel Christum mortuum; nam illa varietas in actibus valde materialis est, esto aliqui actus sint speculatiui, vt Deum esse trinum, & vnum; alij practici, vt Deum esse amandum; tamen hæc sub vna ratione formali vniuntur; quia ratio Practici, & speculatiui, adhuc materialis est in hac ratione obiecti.

Hinc ait, non esse simile de scientia, quæ pro singulis habet obiecta varia; neque de voluntate, quæ sub diuersis rationibus tendit in appetibilia; vnde sunt variæ virtutes, & vitia; sicut variæ scientiæ, & ita nec similia sunt ea, quæ respiciunt bonum, & malum, vt talia; nam Fides respicit hæc, v.g. Deum, & dæmones sub vna ratione veri, qua respicit etiam materias aliarum virtutum, quas dirigit. Quare neque est virtus generalis. Sic elucidat omnia S.Doctor.

Ex his colligit S.Doct. 3. *dist*.25. *quæst*.1. vnam esse 217
fidem Catholicam Vniuersalis Ecclesiæ, & non diuersam in diuersis, vt admittunt hæretici, Caluin. *lib*.3. *cap*.2. §.31. Confessio Heluet. *cap*. 17. Beza *lib. cont.* Brentium, Smidellinus contra Staphylum.

Sana Ecclesia, quæ Catholica est, seu Vniuersalis, debet in genere vndique conuenire sub vno Domino sponso, non adultera, Oseæ 2. *Despensabo te mihi in fide*. Hanc vocat spiritum, in quo viuimus, Paulus 2. *Cor*.4. clariùs Ephes.4. *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus Spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestra. Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma.* Hinc ad *Coloss*.2. comparat eam radici vnius arboris, & fundamento vnius ædificij. Et 1. *Tim*.5. vni domui. Et 1. *Cor*.2. vnitati corporis in vno spiritu nos assimilat, vno signatos Baptismo. Hanc vigent necessariam SS. Patres, Irenæus *lib*.1. *cap*.3. Hilar. *contra Constantium*, Chrysost. *hom*.1. *in* 1. *ad Cor.* Imò Christus *Ioan*.10. petit vt fiat vnum ouile, & vnus pastor, vt notat ibi S.Bonau. & latiùs *in Hexaemer*. prosequitur.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXIII.

An FIDES *sit prima Virtutum.*

D.Bonau.dist 23.quæst.2.
D.Thom.quæst.4.art.7.

ASSERVNT SS. Doctores, Fidem esse virtutum Aurigam.

218 Et quidem esse virtutem ostendi *quæst.*21. & iterum hic probat: Sicut honestum est, appetitum nostrum subiici diuinæ bonitati; ita honestum est, intellectum subiici primæ veritati, & captiuari in obsequium Dei dicentis; sed captiuare affectum in Deum, est virtus: Ergo. Quòd verò sit veluti virtutum Auriga, probat S.Doct. primò. Quod est necessarium directè ad summum bonum consequendum liberè, habet rationem primæ virtutis; talis est cognitio voluntaria per fidem: Ergo. Maior est euidens. Minor probatur: nam fides dirigit spem, & charitatem, tanquam regula ostendens bonum illud appetendum, expectandum, & adamandum. Idem argumentum struit *dist.*23. *dub.*6. *litt.* Illud tamen exhibet sub ratione sua veri reuelati, vt dixi. Confirmatur à S.Doct. Sine cognitione Summi boni non potest esse intentio directa; hoc enim fit recta intentione, quod fit ad honorem Dei, sine verò recta intentione nullus actus virtutis incedit. Quoniam ergo habitus fidei est, quo summum bonum à nobis cognoscitur; hinc est, vt Fides dirigat nostram intentionem, & per hoc regula est omnis operationis bonæ, & omnis virtutis meritoriæ, & consequenter est prima virtutum ordine, sicut cognitio affectum præcedit. Hac ratione probatur etiam à D.Thom. *loc.cit.* & Valentia *puncto* 7.

219 CONFIRMATVR ratio D.Bonau. ex D.Ambrosio *lib. de Cain, & Abel, cap.*9. vbi ait: *Quid miraris, si pietatem non agnouit* (Caïn) *qui non agnouit Auctorem; & ideò docêris hac serie Scripturarum, fidem esse radicem virtutum omnium; vnde & Apostolus ait: Quia fundamentum nostrum Christus est.* Prima Corinth.3.

Ex August. lib. de agone, cap.13. *Fides est prima, quæ subiugat animam Deo; deinde præcepta viuendi.*

Ex S.Prospero lib. de vocat. gent.cap.8. *Fides bonæ voluntatis, & bonæ actionis est genitrix.*

POTEST verò dubitari: an vnquam priùs tempore, quàm aliæ virtutes, Fides infundatur.

220 ASSERO cum D.Bonau. *dist.*23. *dub.*6. & *dist.*22. *quæst.*5. & *in* 4. *dist.*14. *p.*2.*art.*2. *quæst.*3. Scoto *in* 3. *dist.*36.*q.*4. Capens. *disp.*4.*sect.*1. *n.*12. semper Fidem simul infundi. Ità videtur declaratum in Concil.Tridentino sess.6.cap.7. *Vnde in ipsa sanctificatione cum remissione peccatorum hæc simul infusa accipit homo, &c. fidem, spem, & charitatem.* Est communis sententia antiquorum apud Lugum *disp.*16.*sect.*2. contra Suarez 3.*p.t.*3.*disp.*58.*sect.*3.& hic *disp.*7 *sect.*5.Salam 1.2. *tom.*2. *tract.*11. *disp.*5. *sect.*3. Valentiam *quæst.*6. *p.*2. Turrianum *disp.*41. *dub.*9. Granad. *tract.*13. *disp.*5. *num.*9.

RESPONDET Vasquez 3.*p.* *disp.*158. particulam, *Simul*, idem significare, *ac pariter*: vel si significat durationem, non significat instans infusionis gratiæ habitualis, sed totam durationem iustificationis; vt iustificatio sumitur pro serie dispositionum à primo auxilio vsque ad infusionem gratiæ: Sed Concilium ait, esse fidem viuam, quæ per charitatem operatur. Tunc sic: Ergo in sua infusione est cum charitate; nam *esse* supponitur operationi: Sed fides à sui infusione operatiua est per charitatem: Ergo.

QVÆSTIO XXIV.

An FIDES *sit certior quacumque scientiâ; vel habitu quocumque intellectiuo.*

D.Bonau.dist 23 quæst 4.
D.Thom. art.8.

PRIMA opinio est Durandi, omninò id negantis 221
in 3. *dist.*23. *quæst.*4. Cum eo sunt alij.

SECVNDA sententia absolutè asserit. Ita Scotus 3. *dist.*23. & 24. quem sequuntur communiter Scotistæ, & aliqui moderni apud Mastrium *disp.*6. *num.*144. nec non Bassæus *verb. Fides*, 1. *num* 2.

TERTIA sententia distinguit, Fidem secundùm se 222
esse certiorem quouis habitu intellectiuo: at nobis ratione ineuidentiæ, ob quam possumus negare articulos fidei, cum alioqui non possimus negare demonstrationes, & prima principia, notiores esse habitus alios. Ita D.Thom. hîc, Albertus *in* 3. *dist.*23. *art.*17. Richard. *art.*7. *quæst.*1. Valent. *quæst* 4. *p.*8. Suarez *disp.*6.*sect.*5.Molina *p.*1.*quæst.*1.*art.*5. Mærac.*disp.*12. *sect.*1. Pasqualig. *disp.* 35. *sect.*2. De Lugo *disp.*6. *sect.*3. vbi eisdem terminis Seraphici vsus est.

Eodem ferè modo incedit S. onauentura, vt notat Valentia.

SVPPONIT autem, se non comparare fidem cum 223
visione beata, quia hæc vndequaque est certior. Quoad scientias in vna. Hoc vel intelligitur de his, de quibus est etiam fides: Et de his, simpliciter loquendo, certior est Fides, quàm scientia. Vnde si aliquis philosophus cognouit scientificè, Deum esse vnum creatorem, &c. nunquam tamen ità certò agnoscit per scientiam, sicuti per fidem cognoscit fidelis. Vel intelligitur scientia de aliis cognoscibilibus. Sic, quodammodo certior est fides, quodammodo non. Si loquamur de certitudine adhæsionis affectu; sic maior est certitudo in ipsa fide, quàm sit in habitu scientiæ, quia vera fides efficit, vt firmiùs adhæreamos veritati creditæ, quàm aliqua scientia alicui rei scitæ: Videmus enim, veros fideles neque per argumenta, neque per tormenta inclinari posse ad fidem creditam negandam: At profectò nullum Mathematicum inuenies, qui prudenter iugulum pro demonstrationibus Euclidis præbeat. Si verò intelligatur de cognitione speculatiua; sic ratione euidentiæ nobis firmiùs adhæret demonstratio.

ASSERO primò, fidem simpliciter, & secundùm se, esse certiorem, & firmioris adhæsionis, quàm sit scientia.

PROBATVR à D.Bonauent. *in Diæta, tit.*5. *cap.*3. 224
ex prima Ioan.5. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.*

Profusè id ostendit S.Doct *sermonibus Hexaemeronis* 8. 9. & 10.

PRIMO ex definitione fidei *Hebr.*11. vbi dicitur *Substantia*, vel conuictio.

DEINDE ex obligatione, quam nobis adiungunt articuli fidei, id arguit cum Apostolo, Hebr.2. *Propterea abundantius oportet obseruare nos ea, quæ audiuimus, ne fortè pereffluamus. Si enim, qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, &c.* Idipsum probat cum Apostolo *Hebr.*1. ex dignitate Christi reuelantis, qui est Sapientia Patris, cumque firmissimum habeamus testimonium à prophetis, diuinantibus futura,

omnem certitudinem affert. Ideò secunda Petri 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ, lucenti in caliginoso loco.*

Vide Seraphicum *allegatis sermonibus*, id mirificè probantem.

225 Probatur verò à S.Bonau. illis præcipuè locis. Ille habitus secundùm se est certior omnibus aliis, qui innititur causâ, siue ratione magis infallibili: Talis est fides: Ergo. Maior probatur; nam perfectio causæ redundat in effectum. Minor probatur, quia fides nititur reuelatione diuina; aliæ verò cognitiones ratione naturali. Eandem rationem refricat hîc. Totum autem argumentum, maximè verò diuinæ reuelationis firmitatem, plurimis scripturarum testimoniis confirmat *sermonibus allegatis*.

Probatur secundò hîc alio argumento, quo vtitur Valentia. Certitudo habitus, vel assensus intellectus, vt est accidens distinctum ab euidentia, & aliis, in hoc propriè consistit, vt quamdiu certus habitus, vel assensus in intellectu retinetur, nequeat aliquis deliberatè vereri, ne non sit verum, quod per talem habitum, siue assensum sibi persuadet; Sed qui verè fidelis est, multò minus dubitare potest de veritatibus fidei, quàm de vllis aliis veritatibus euidentibus, & faciliùs quascumque veritates negaret, quàm veritates fidei: Ergo &c. eodem argumento vsus est Albertus.

Confirmatur ex Patribus: S.August. 7. confess. cap.10. *Facilius dubitarem viuere me, quàm esse vera, quæ audiui.*

226 Idem asserunt Sancti, Dionysius *cap.7. de diuinis nominibus*. Basil. *epist.43. & in Psal.115.* Chrysost. *homil.12. in epist. ad Hebr.* Ambr. *in Psalm.40.* Tandem aptissimè ad argumentum Seraphici, Hieronymus, epist.61. cap.3. *Vis scire quantus sit ardor benè credentium? Audi Apostolum: Et si nos, aut Angelus de cælo aliter euangelizauerit vobis; anathema sit.* Et *in cap.1. ad Galat.* Apostolus firmitatem fidei suæ ostendit dicens: *Scio, quia neque mors, &c.* Aptè S.Bonauent. *serm.2. de pluribus martyribus* firmitatem fidei *ex 11. cap. ad Hebr.* discurrit, considerans mirabilia, fidei virtute exantlata, tormenta superata, &c. Quę pariter excutit *sermonibus Hexaemeronis allegatis*, quos oporteret ad verbum transcribere, sunt enim Peruano pretiosiores auro: eos Perlegite apud ipsum.

Mastrivs respondet, etiam subiectiuè fidei actum esse certiorem, quia actus debet informari secundùm totam perfectionem suæ certitudinis. Sed fallitur primò, quia alioqui omnes summè crederent. Secundò dico, non informare secundùm euidentiam, quæ reddit firmiorem assensum; neque enim certitudo actus, vel habitus sumitur è certitudine obiecti secundum se, sed ex lumine etiam, quo nobis applicatur.

227 Assero secundò; Quoad nos quidem, vnâ quadam ratione sunt habitus alij fide certiores, quatenus ratione ineuidentiæ possumus fidei articulos negare.

Hoc sensu Hugo Victorinus *lib.1. de Sacram.p.10. cap.1.* ait: *Fidem esse certitudinem animi de rebus absentibus, supra opinionem, & infra scientiam constitutam*, vt refert S. Bonau.

Probatur à D.Bonau. argumentis aliis. Certius cognoscitur id, de quo non potest dubitari, eò quod cognoscitur aperta visione, quàm quod in ænigmate; & certius noscitur, quod potest euidenter probari, quàm quod ità nequit probari: Tale est obiectum scientiæ, quod euidenter demonstratur, è regione fidei: ergo. Profectò enim principia prima talia experimur, vt certiora appareant, maximè vniuersaliora, vt: *Quodlibet est, vel non est. Omne totum est maius suâ parte*, vt notat Arretinus.

Quod verò dicebat S.Doct. ea scita, quæ spectant ad fidem, esse certiora, probatur; nam adest motiuum rationis, & authoritatis, quæ se adiuuant ad roborandam veritatem, vt aduertit Amicus.

Dices, videri hanc quæstionem inutilem, quia, sicuti non est vna veritas maior alia, cum consistat in indiuisibili, ita nec vna certitudo est alia perfectior. 228

Respondetur cum Lugo *disp.6. sect.2.* diuersam esse rationem veritatis, & certitudinis; nam veritas in se consideratur, vt est conformitas obiecti, & stat in indiuisibili; At certitudo est ratione notitiæ relatiua, quæ potest esse maior, vel minor; prout potentiæ nostræ intellectiuæ fortiùs repræsentatur. Alio modo respondet Arriaga *disp.3. sect.4. num.77.*

QVÆSTIO XXV.

An quis certo scire possit, se FIDEM *habere.*

S.Bonau.1.dist 17. quæst.3. ad vlt. & in 3. dist.23. dub.4 litt.
D. Thom 1 2. quæst.112. art.5.ad 2.

Hanc pertractaui 1.2. *tract.5. disp.2. quæst.8.* vbi opiniones recensui.

Assero cum D.Bonau. posse aliquem scire certitudine Theologica, & morali, se habere fidei habitum.

Probatur à D.Bonau. *dub.1.* Qui actus experimento nouit; nouit & habitum ex quo veniunt. Homo potest nosse suos actus fidei supernaturales: Ergo. Maior patet: nam habitus per actus certò noscuntur, vt docet Scotus, relatus *p.1. tract.9. disp.2. quæst.3.* Minor patet; nam actus per obiecta noscuntur, è Scoto *loc.cit.* Eam fatetur Mastr. *in 3. dist.6. quæst.14. num.368.* cum Scoto *3.dist.23.quæst.vn.* vbi & maiorem confitentur. Id confirmant cum D.Bonau. ex vi experimenti. Sicut enim experimento noui, nos credere homini aliquid narranti; ità experimur euidenter (aiunt) nos credere mysteria fidei, quæ à Deo sunt reuelata. Confirmat Mastr. nam clarè experimur, nos ad illum assensum non moueri ex obiecti euidentia, cùm sit nobis obscurum, neque aliunde, quàm authoritate. Et hoc sensu ait cum Scoto dixisse D.August. *lib.13.* de Trin.cap.1. *Nihil est homini certius sua fide.* Hæc tamen pugnant cum his, quæ è Scoto addit *num.369.* non posse euidenter cognosci; an hanc notitiam habeamus actu, è sola diuina actus reuelatione. 229

Probatur secundò, id sciri Theologicè certò. Qui habet pium affectum credendi ea, quæ sunt fidei; eis assentiri se nouit supernè. Fidelis experitur in se hunc pium affectum: Ergo. Maior est certa, quia affectus ille est principum supernum assensus, vt ostendi 1.2. *Tract.5. disp.1. quæst.6.* Minor conceditur à Mastr. *num.373.* conseq. recta. Est argumentum S. Bonau. *loc.cit.* Obserua fallaciam Mastrij, & Scoti, qui inferunt, non posse haberi euidentiam actu reflexo actus directi, & habitus fidei; quia actus directus ex obiecto est ineuidens, vt mox dicam. 230

Probatur tertiò à D.Bonau. *in responsione*; nam fidelis Christianus nouit, se in mente credere articulos veræ fidei; alioqui posset dubitare: an sit christianus.

Respondet Mastrius, posse aliquem certò scire, se habere fidem obiectiuè, idest vera credere; non autem formaliter se elicere actum fidei.

Contra ex D Bonauent. *serm.9. Hexaemer.* Nam firmitas fidei à nobis attendentibus apprehenditur, 231

atque

atque adeò, cognito obiecto, ea quo elicitur actus, cognoscitur etiam actus esse naturalis, vel supernatuturalis, quia actus specificantur, vel cognoscuntur per obiecta. Hac autem ostendit S. Doct. ex illo 2. Petri primo: *Habentes firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes, quasi lucerna lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris.* Hoc idem vult Apostolus 2. Cor. vltimo. *Vosmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate.*

Respondet Mastrius cum Becano, fidelem de veritate obiecti posse esse certum per assensum fidei: at de certitudine assensus non posse esse certum, nisi per actum reflexum, qol est fallax. Contra, quia etsi actus directus sit obscurus, quia est de obiecto fidei; attamen actus reflexus, qni fertur in actum suum præsentem, quo habitus certò innotescit; non est dubiè agnitus, vt fatetur Mastr. sed aliquo modo etiam euidens, nedum certus, vt indicat Scot. *loc. cit.* vt fecofit Aretin. *disp.* 23. *quæst. vn. art.* 12.

232 Confirmatvr ab Ipso Mastrio *num.* 368. experientiâ. Cognoscimus enim, ad assensum fidei nos noo moueri ex obiecti euidentia, cum nobis aperte constet In se esse ineuidens, & solâ nos authoritate credere, vtique diuina reuelatione, quâ sentio me moueri ad assensum, vt ait Mastr. *num.* 367. quod *num. seq.* negat, à se dissonus, vt diai.

Obiicies, noo esse certum dari habitum fidei.

Respondetvr, certum esse certitudine Theologica, esto aliqui negent. Id igitur nouit certitudine aliquo modo in experientia euidenti, vt fatetur Mastr. *num.* 375. diceos, communiter Scholasticis id esse acceptum.

QVÆSTIO XXVI.

In quibusnam sit Fides.

{ D Bonau. dist 23. art. 2. q 3.

233 Svppono, eam in hominibus viatoribus esse; & in Angelis viatoribus extitisse.

Probatvr à D. Bonau. 3. *dist.* 23. *quæst.* 1. *ad* 2. ex 11. ad Hebr. *Accedentem ad Deum oportet credere. Sine fide impossibile est placere Deo.*

Svppono secundò, in beatis euacuatam fidem, vt dicitur 1. *Cor.* 13. manere tamen in purgatorio, quia iusti sunt, & peregrinantur à Domino.

234 Qværsio est de damnatis hominibus, & dæmonibus.

Assero primò, io dæmonibus non esse habitum infusum fidei. Hoc adeò certum est, vt Suarez *lib.* 8. *de Angelis, cap.* 6. dicat esse temerarium concedere dæmonibus habitum fidei. Idem ferè ait Bannes *quæst.* 3. *art.* 2. sed ab omni nota ita asserentes liberant Hurtado *disp.* 59. *sect.* 2. Granado *tract.* 13. *sect.* 1. Lugo *disp.* 17. *sect.* 1.

Fvndamentvm D. Bonau. & D. Thom. est, qoia fides infusa, est donum Dei, ordinatum ad opera bona, & ad merita, ac vitam æternam; sed dæmones obstinatissimi inepti sunt ad meritum, & vitam æternam: Ergo. Sic etiam Valentia *quæst.* 3. *p.* 2.

235 Assero secundò, io dæmonibus esse fidem aliqualem.

Probatvr primò à S. Bonau. ex illo Iacobi 2. *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Secundò ea Glossa *in primum ad Rom.* id asserente. Tertiò ex *Marci primo*, & aliis locis, vbi dæmones elamant, Christum esse filium Dei. Hinc deducit S. Doct. eos cognoscere Trinitatem; nam eam etiam in via agnouere.

Dvbitatvr etiam de hæreticis: an retineant habitum fidei.

Asserendvm, eos non retinere fidem.

Probatvr *ex prima Timot.* 1. vbi hæretici dicuntur, naufragasse in fide: *Quidam circa fidem naufragarunt, ex quibus est Hymeneus & Alexander.*

Probatvr etiam ea Concilio Tridentino *sess.* 6. *cap.* 13. Ideò oppositum est erroneum, vt ait Fuliens. *lib.* 3. *cap.* 3. alioqui hæretici essent fideles.

Ratio est, quia non manet in eis ratio formalis habitus fidei, vt inclinet ad credendum omnia credibilia, vt à prima veritate reuelata; negato enim vno articulo, negatur prima Veritas. Est communis sententia 236
Theologorum 3. *dist.* 23. & D. Thom. *quæst.* 3. *art.* 3. apud Lugum *disp.* 17. *sect.* 4. D. Bonau. *art.* 2. *quæst.* 2.

Qværes: An habitus fidei destruatur ab hæresi physicè, an moraliter.

Respondetvr, probabilius esse, eum expelli demeritoriè, sicut & gratia pellitur à peccato, vt dixi *prima secunda, tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 6. Ita Scotus, Gabriel, D. Bonau. & alij, apud Suarez *disp.* 7. *sect.* 4. & *tom.* 3. *in* 3. *partem, quæst* 63. *art.* 5. & *lib.* 11. *de gratia, cap.* 7. Maldetus, Lorca, & alij apud Coninch. *disp.* 18. *dub.* 4. *num.* 53. aliisque apud Lugo *disp.* 17. *sect.* 4.

QVÆSTIO XXVII.

An Fides *sit Donum* Dei *substantialiter.*

{ D. Bonau dist 23. art. 2. q. 3.
D. Thom. quæst 5. art 2.

Iam de causa efficiente Fidei agendum.

Catholici vnanimes ad assensum Fidei, præter 237
obiectum externum propositum, exigunt internum gratiæ auxilium, quo homo iuuetur ad credendum, *vt oportet.* Est definitum contra Pelagium in Concilio Arausic. 2. *can.* 5. & in Tridentino *sess.* 6. *can.* 3. De quo vide S. August. *de prædest. Sanctorum, cap.* 3. *de bono perseuerantia, cap.* 20. & 21. & *lib.* 1. *retract. cap.* 23. Ratio est, quia credere, vt oportet ad salutem, est dispositio ad gratiam sanctificantem: ergo non fit sine gratia intus mouente, vt infert Concilium Tridentinum; alioqui iustificatio initium sumeret ex nobis; atque ità non esset gratuita, sed debita. Ità etiam D. Bonau. *in corpore.*

Observat secundò S. Doct. fidem ex auditu ha- 238
beri, quoad illius materiale, & hoc est acquisitum; non enim lege ordinaria imprimuntur in intellectu articuli fidei, sed solus habitus infunditur qui eleuet intellectum ad assensum super naturam. Ideò paruulus baptizatus, etiamsi habeat habitum; si tamen non instruatur, facilè cadet in errores, eodem modo ac si habitum noo haberet, vt aduertit S. Doct. *ad vltimum.*

Fvere verò nonnulli Scholastici, qui habitum 239
acquisitum fidei videntur, tanquam sufficientem asserere ad simpliciter credendum articulis fidei; attamen necessarium habitum supernaturalem ad firmiùs credendum. Ita Durand. *dist.* 28. *quæst.* 1. Gabr. *dist.* 23. *quæst.* 2. & alij. Nominales, pro qua sententia Amicus *disp.* 15. *sect.* 1. & alij adducunt Scotum 3. *dist.* 23. *quæst. vnica.* Sed Mastrius aliqua Scoti loca refert, in quibus asserit, necessarium esse habitum supernaturalem simpliciter, ob actus supernaturalitatem, vt *quodl.* 14. *art.* 1. & *quodl.* 17. §. *contra conclusionem*, & *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. & clarius *in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 4. *ad* 4. *pro* 4. *articulo*, & *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 5. *ad* 2.

240 QVÆSTIO præcipua est, quomodo actus fidei supernaturalis sit; nam dupliciter potest esse supernaturalia. Primò secundùm substantiam, eò quòd secundùm suam entitatem transcendat omnem ordinem entium naturæ, non ratione agentis tantùm, eò quòd non detur agens in cursu naturæ, potens illud ens producere; sed etiam subiectiuè, quatenus illa entitas, puta fidei, gratiæ, aut Luminis gloriæ, est ordinis altioris: vt dixi *p.1. tract.1. disp.11. à num.113.* Secundò dicitur ens supernaturale secundùm modum, diciturque supernaturale, quia, licèt secundùm suam entitatem produci queat à causa naturali; tamen modus est super naturam; sic visio, data cæco, est supernaturalis; sicut & sanitas data in instanti, quæ durationem permoltam exigeret, est supra naturam.

241 PRIMA opinio est, assensum fidei infusæ non esse supernaturalem quoad substantiam, sed solùm quoad modum; & proinde auxilium gratiæ, quod actum fidei requiritur, non requiri ad entitatem actus, sed solùm quoad modum aliquem, tali entitati additum. Ita Scotus 1. *dist.17. quæst.2.* & *quodl.17. art.3.* & *in 3. dist.23. quæst. vnica*; Ipsum tametsi Suarez *lib.2. de gratia, cap.4.* ad meliorem frugem reuocare conetur. Eum sequuntur omnes Scotistæ, & Nominales apud Mastrium *disp.6. quæst 6.* Ita Ocham *quodl.13. quæst.7.* Gabr.3. *dist.23. quæst.2.* Durand. 1. *dist.17. quæst.1.* Bassolis 3. *dist.23. quæst. vn.* Vulpes *p.2. tom.2. disp.52. art.7.* Caietanus *p.2. quæst.109. art.4.* & 2.2. *quæst.171. art.2. ad 3.* vbi contendit, hanc esse D. Thomæ sententiam. Capreolus 1. *dist. 17. quæst.5. art.3.* Palud. 3. *dist.23. quæstione 3. §.3. tertiò dicendum.*

242 SECVNDA sententia asserit, esse substantialiter supernaturalem. Ita D. Bonau. hîc, quem sequuntur D.Thom. 2.2. *quæst.6. art.2.* ac Thomistæ, & eam supponunt omnes Doctores Societatis Iesu, Suarez *loc. cit. cap.4.* & *lib. de auxil. cap.1.* Vasquez *prima 2. disp.187. cap.2.* Conicob. de actibus supernaturalibus *disp.4. dub.3.* Molina *in concordia, quæst.14. art.13. disp.7.* & *disputatione 14. membro 1.* tametsi Lorca *disp.9. de gratia,* eum in contrarium afferat, eò quòd *in concordia, quæst.14. art.13. disp.14.* & *15.* dicat, credere, diligere, & sperare esse naturales actus, quoad substantiam; sed non aduertit Lorca, eum velle solùm, quod alij Scholastici cum D.Thom. *quæst.171. art.2.* eodem modo loquendi significarunt, actus illos secundùm rationem genericam, seu quantum est ex parte obiecti, posse esse naturales. Idem sentiunt Medina *p.2. quæst.62. art.1.* Bannes 2.2. *quæst.6. art.1.* Turrianus 2. 2. *disp.46. dub.3.* Lugo *disp.9. sect.2.* Amicus *disp.10. de fide, sect.2.* & alij Recentiores passim, vt Morandus *tract. vnica, quæst.12.* Petrus à S.Ioseph *lib.3. de fide, &c. cap.3. resol.5.*

ASSERO primò, assensum fidei esse substantialiter supernaturalem.

243 PROBATVR primò à D.Bonau. ad 6. Ioan. *Hoc est opus Dei, vt credatis*, vbi de fide loquebatur: Et infrà: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Deinde id probat S. Doct. *in 1. dist.21. quæst. vlt. ad 2.* ex Matth.11. *Nemo nouit filium, nisi Pater: neque Patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Hunc locum vrget etiam *de 7. Itineribus Æternitatis, dist.5, Itineris tertij,* & *Itinere 5. dist.4.* vbi plura loca Scripturæ conglobata affert, Matth.16. *Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus.* Psal.84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Psal.118. *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Ioan.16. *Cùm venerit Paraclitus, ille docebit vos omnia.* Prima Ioan. 2. *Vnctio docebit vos omnia.* Prima Cor.2. *Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum.* Et in 1. dist.46. dub.8. litt. id probat illo prima Corinth. 12. *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto.*

IDEM probat hîc ex prima Cor. 12. *Alij datur fides in eodem Spiritu:* loquitur autem de gratiis gratis datis: Ergo & de actu fidei informis. Deinde ex Glossa ad id prima Cor.13. *Et si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam*, vbi adnotat, debere esse donum Dei, cùm mirabilia suprà naturam operetur.

AFFERT etiam id Rom.8. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore.* Timor autem oritur ex fide informi, vt docet Concilium Tridentinum.

TANDEM definiunt Concilia, fidem esse supernaturalem & donum Dei. Sic Arausicanum secundum 244
cap.6.8.16.25. & 27. Mileuit. *cap.4.* Trident. *sess.6. can.3.* & *cap.5.6. & 12.* Cælestinus *epist.1. ad Episcopos Galliæ.* Innocentius I. *epist.25. & 26.* quæ sunt 92. & 93. *inter epistolas D. August.* Idem docent passim S.August. *de prædest. Sanctorum; de bono perseuerantia.* S. Prosper *cont. Collatorem, à cap.36.* & *dub.8. ad capit. Gallorum*, & S. Fulgentius *de Incar. cap.8.*

RESPONDENT Mastrius, Scripturas, Concilia, & Patres exigere quidem auxilium Dei speciale ad actum fidei, non propter supernaturalitatem substantialem eius, sed propter modum eius. Ideò ait Tridentinum, auxilium Dei necessarium esse, vt eliciatur actus fidei *sicut oportet*, nempe ad iustificationem. Itaque auxilium Dei necessarium est, vt assentiamur articulis, *sicut oportet*, idest propter testimonium Dei. Et ideò Concil. Tridentinum *sess.6. cap.6.* eam fidem describens, quæ ad iustificationem disponit, ait, eam esse, quâ libere mouemur in Deum, credentes, vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt. Igitur habitum infusum exigunt ad infallibilitatem assensus, non ad substantiam.

AT formalitas reuelationis Diuinæ est essentia fidei, 245
non modus accidentalis, neque infallibilitas assensus est formalitas actus supernaturalis; nam & hæreticus firmiter assentitur articulis, in quibus nobiscum conuenit; & tamen illa non est fides supernaturalis. Neque dicat Mastrius, eos articulos credi ab hæretico fide humanâ; nam credit ea, vt reuelata Scripturis diuinis, quibus credit.

PROBATVR à D.Bonau. secundò, ratione hinc deducta. Secundùm nullum habitum naturalem, vel acquisitum, eleuatur intellectus supra se, vt assentiat primæ veritati propter se, & super omnia: Sed habitu fidei eleuatur intellectus modo dicto: Ergo.

PROBATVR tertiò à D. Bonau. Id, quod producit 246
effectus substantialiter supernaturales, est eiusdem ordinis, quia non est effectus super causam; sed fides est causa miraculorum, non modo secundùm subiectum vel modum, sed etiam secundùm substantiam: Ergo. Minor probatur *Matth.7. & vlt. Act.19.* & alibi.

PROBATVR quartò *in corpore.* Id, quod tollit à fide rationem virtutis, tollit rationem substantialem; sed credere ex motiuo humano tollit rationem virtutis à fide: Ergo. Maior est euidens. Minor probatur; nam credere homini dicenti, non est laudabile per se, imò sæpe vituperabile.

PROBATVR quintò à S.Doct. *in corpore*, quia si quo ad modum tantùm maioris certitudinis daretur auxilium ad actum fidei; sequeretur, naturam posse seipsa, absque eleuatione supra naturam, attingere illam maiorem intensionem, si daretur cogitatio intensa in ordine naturæ: Sed hoc est falsum: Ergo. Minor probatur ex prima Timoth.1. *Misericordiam Dei consecutus sum, vt essem fidelis*, vbi vt benè ponderat

S.August.

S.August. non dixit, *vt essem fidelior*, sed, *vt essem fidelis*. Vide Cardinalem de Lugo *num*.33. Suarez *tom*.4. *in* 3.*p.disp*.3.*sect*.6. & Vasq.1.2.*disp*.187.*cap*.2.

247 Ex dictis colligo, fideles habere donum permanens habituale ad credendum, alioqui non haberent permanenter auxilium, vt semper, quando volunt, actum fidei eliciant. Hunc habitum dari, adeò certum est, vt sine temeritate, & errore negari non possit, vt aduertunt Lugo *disp* 9 *sect*.3. Salas *tom*.2.*in primam* 2. *tract*.10.*disp*.3.*sect*.4 & alij apud eum, qui imò dicunt, esse de fide. Id definitum est in Concilio Trident. *sess*.6. *cap*.7. & in Concilio Moguntino, celebrato, anno 1549. & Petrus Ioannes, tempore Innocentij III. fuit ob id damnatus, & exhumatus. Vide Lugum.

Obiicies primò cum Mastrio, Concilia tali diuersitate loquutur de actibus viæ, & de actibus patriæ; nam ad hos, exigunt auxilium supernaturale; ad actus autem viæ non exigunt absolutè auxilium gratiæ, sed vt fiant, *sicut oportet*: Ergo significant, eos non esse supernaturales absolutè, sed ratione modi, ità vt dentur alij actus istarum virtutum, qui non sint, *sicut oportet*, nempe ad iustificationem proportionati, sed naturales? Sic vrget Auersa *p*.2. *quæst*.55. *sect*.4.

248 Respondetur, particulam illàm apponi àd definiendum id, quod solùm ad fidem spectat, quia sciebant Patres Concilij, extare opiniones Nominalium, & aliorum, dicentium, dari actus harum virtutum naturales: & aliorum negantium, infundi habitus Fidei, Spei, & Charitatis ad actus supernaturales, eò quòd Viennense Concilium partem assertiuam, solùm vt probabiliorem, acceptasset. igitur Concilium Trident. omnem contrariam opinionem volens eradicare, definit, infundi virtutes ad hos actus, licèt non nominet eos, habitus, vt obseruat Vega *lib*.7 *in Trident*. *cap*.24. cui ipse interfuit. Idem dicit Sotus, testis ocularis *lib*.2. *de natura*, *&* *gratia*, *cap*.19. Itaque non supponit Concilium, dari alios actus virtutum istarum naturales, & alios, *sicut oportet*, sed quidquid opinatiuè circumferatur, statuit, hos actus esse supernaturales, & ad eos eliciendos infundi habitus ad simpliciter substantiam eorum eliciendam.

At esto supponat, dari aliquos actus similes naturales, Imitantes eos, qui sunt perfecti, *sicut oportet*; non infertur, dari actus fidei veros, humanâ nixos authoritate, vt notat Coninchius ex D.Bonau. *in corpore*.

249 Instat Mastrius. Si mens Concilij erat, nos posse elicere actus quidem similes, non autem eiusdem substantialis rationis; non erat cur adiiceret *sicut oportet*, sed absolutè dixisset, non posse elici actus fidei; sicut C. Viennense absolutè loquitur, necessarium esse speciale auxilium ad Deum videndum.

250 Dicam, Concilium Trident. apponere illam particulam ad excludendos omnes actus quoscumque, qui circumferebantur sufficientes, etiam quoad modum supernaturales, à Scoto, & asseclis inuectos, & ob id definire necessitatem infusorum habituum; & licèt hoc non definiat, quoad hoc; tamen definit quoad alias opiniones excludendas, asserentes actus naturales virtutum Fidei, Spei, &c. dari; & hos sufficere, qui tamen non sunt veræ virtutis fidei actus, vt docet S.Bonau. *in Corpore*. Concilium autem Viennæ absolutè loquitur, quia Beguinæ, & Beguardi, contra quos agit, adscribebant virtuti naturali necessariæ intellectiuæ virtutem efficacem ad Deum videndum; nec aliud circumferebatur. Et si dicas, tunc extitisse scripta Scoti, dicentis, posse Deum absolutâ potentiâ eleuare aliquem naturalibus viribus ad Deum videndum, vel saltem non esse necessarium lumen gloriæ. Dico, illud primum non asseri à Scoto, neque 251
ipsum rectè inuolui inter Beguardos; imò refertur in eius vita, quòd sit mortuus vi dolorum, qui eum inuaserunt, sudore madentem, post disputationem contra Beguardos; neque Concilium voluit damnare opinionem Scoti, qui existimat requiri tamen auxilium actuale substantialiter necessarium, vt constat in *dist*.6. *quæst*.2. *art*.5. sed de hoe *p*.1. *tract*.1. *disp*.1 *n*. *á num*.145.

Obiicias secundò cum Scoto 1. *dist*.17. *quæst*.2. & *quodl*.17. *art*.2. Si actus fidei esset substantialiter altioris ordinis, vt nequeat homo propriis viribus tales actus attingere, quoad physicam entitatem; posset homo cognoscere, se esse in gratia ex promptitudine, & facilitate, qua experiretur in seipso ad credendum, & diligendum Deum, & vnusquisque experimento sciret, quandonam exercet actus supernaturales.

Respondetur primò ex D.Bonau. *dist*.25. nihil 252
implicare, sciri fidem; at non non sequitur, sciri, se esse in gratia, quia ad hoc requiruntur multa ignota, vt, quòd actus ille charitatis sit super omnia, dum possum habere ex ignorantia vincibili auersionem à Deo, & conuersionem ad aliquod creatum obiectum. Ampliùs procedit Lugo Cardin. *disp*.1. *sect*.9. atque excedit recedens *disp*.5. *sect*.7 *num*.115. Deinde non sequitur Scoti illatio (dicant secundo) quia ex fide sola infusa non potest quis elicere actum credendi ex Scoto *quodl*.14 *art*.1.*H*.& Mastr.191.Igitur non benè hic arguit, me elicientem actum fidei supernum, illum iam clarè agnoscere, quia ei admixtus est naturalis, qui non sinit illum distinguere ab actu superno. Adde, habitum non illico dare illam facilitatem; nam experimor arduos esse tales actus. Vnde nec habitum palàm statim percipimus; & facilitatem, si quæ adueniat habitui acquisito adscribas.

Obiicies tertiò. Quod est actuabile ab alio, non est diuersi ordinis ab eo: actus naturalis est perfectibilis à superno: Ergo.

Respondetur facilè, actum naturalem habere suum esse vltimum actuale specificum, nec esse potentialem ad actum supernaturalem, nisi morali potentiâ, esseque geminos specie distinctos. Sic & potentia naturalis, & supernaturalis differunt genere.

QVÆSTIO XXVIII.

Vtrum differentia Fidei, *& aliorum actuum naturalium à supernaturalibus moralibus proueniat semper ex obiecto.*

Hæc difficultas est communis etiam aliis virtuti- 253
bus: an differant semper actus naturales, & supernaturales earum ex obiectis, formalibus sanè; nam materiale obiectum potest à pluribus attingi virtutibus.

Prima opinio est negatiua; esto enim quamplurea ità differant; adhuc tamen alij actus naturales à supernaturalibus differunt solùm ex parte principij, quatenus vnus petit fieri à solo principio naturali; alter verò exigit oriri à principio supernaturali. Ita Scotus 3.*dist*.25 *quæst*.2. & *dist*.27. *quæst*.1. quem sequuntur Scotistæ apud Mastrium *disp*.6. *quæst*.7. & Molina *in concordia*, *disput*.7.& *disp*.13.& 14. & *disp*.32. Coninch. *de supernaturalitate actuum*, *disp*.5. *dub* 1.2. & 3. Granad. *in p*.1. *in proœm*. *disp*.5. *sect*.4 *num* 13. & *quæst*.12.*tract*.5.*disp*.8. *num*.6. & 1.2.*tract*.1.*disp*.4. *sect*.3. Salas *in primam* 2. *tom*.2. *tract*. 11. *disput*.8.

Arriaga *disp.* 14. *sect.* 1. *num.* 28. Auersa, Lorca, Herize *p.* 1. *disp.* 38. *cap.* 4. Turrian. *opusc.* 13. *de gratia*, & *opusc.* 15. *cap.* 7.

254 SECVNDA sententia est, eos actus differre ex obiecto formali. Ita D. Bonau. *in* 3. *dist.* 23. *art.* 2. *quæst.* 3. Caietanus, Conradus, & Medina apud Salam *loc. cit.* Vasquez *tom.* 1. *in primam secundæ, disp.* 86. *cap.* 6. & *tom.* 2. *disp.* 195. *cap.* 3. Suarez *lib.* 2. *de gratia, cap.* 11. & *tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 3. *sect.* 6. *num.* 10. & *sect. seq.* Idem Turrianus *opusc.* 2. *de gratia, disp.* 8. & *opusc.* 13. *dub.* 3. Oviedo in præsenti *quæst.* 109. *art.* 2. *dub.* 3. § 4. Tanner. Bannes, Amicus *disp.* 10. *sect.* 4. & alij apud Mastrium *disp.* 6. *quæst.* 7. *in* 3. Cardinalis de Lugo *disp.* 9. *sect.* 1. Mediator accedit dicens, *de possibili* non repugnare actus virtutis naturalis, & infusæ non distingui ex parte obiecti formalis; *de facto* tamen dari actus naturales circa idem obiectum cum supernaturalibus.

ASSERO cum secunda sententia, actus supernaturales differre ab actibus naturalibus ex obiecto formali.

255 PROBATVR primò hic à D. Bonau. è Scripturis, Conciliis, & Patribus, allegatis *quæstione præcedenti*, distinguentibus actus supernaturales substantialiter exigentes auxilium Diuinæ gratiæ, vt obiectum suum attingant. Hinc Concilium Arauf. 2. *can.* 5. & 25. damnat eos, qui dicunt, fidem, quâ in Deum credimus, esse naturalem, vt confirmat testimonio Apostoli Philip. 1. *Vobis datum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis*, &c. Et Concilium Trident. *sess.* 6. *cap.* 6. docet, hominem ad iustificationem disponi, dum liberè mouetur in Deum credens, vera esse, quæ ab ipso dicta sunt. Et hoc est illud *sicut oportet, can.* 3. Ex his eruit S. Doct. argumentum quartum fundamentale, quo nititur *in corpore*: Secundùm nullum habitum naturalem, vel acquisitum, eleuatur intellectus supra se, vt assentiat primæ veritati propter se, & super omnia: Ergo habitus fidei infusus habet actus ex obiecto, non attingibiles à virtute naturali, vel acquisitâ, ratione obiecti. Hoc argumento nititur Suarez *lib.* 2. *de gratia, cap.* 11. Confirmatur, alioqui virtutes supernaturales essent superfluæ, si earum obiectum posset à natura attingi. Et si actus est supernaturalis, debet versari circa obiectum altioris ordinis, non attingibile à virtute naturali; & ita excedere modum agendi potentiæ naturalis.

256 RESPONDET Mastrius *num.* 223. licet obiectum supernaturale, puta Deus, vt beans supernaturaliter, nequeat primò attingi sine reuelatione, tamen reuelatum, posse naturaliter desiderari, vel Mysterium credi aliquo naturali; & tunc obiectum supernaturale non exercere rationem suæ supernaturalitatis; & ità respectu talis actus, non est supernaturale obiectum in actu exercito; sed solùm in actu signato. Itaque supernaturalitas actus non attenditur ex parte obiecti; sed ex parte subiecti.

HOC tamen malè olet, & sapit Pelagianismum, quod facta reuelatione possit homo credere suis viribus; nam semper virtute auxilij supernaturalis eget, alioqui eliceret primo actu, superfluum est Dei auxilium ad subsequentes, ratione excellentiæ obiecti, quod satis vires naturales semper excedit.

257 VRGET Suarez. Si quis posset actu naturali attingere veracitatem Dei, vt est reuelans Mysterium Incarnationis, ille actus erit tam certus, quàm supernaturalis: Ergo habebit omnem conditionem in ordine ad salutem, & erit *sicut oportet*. Confirmatur; nam cum Tridentinum definit, necessarium esse donum Spiritus Sancti, vt quispiam credere, sperare, diligere & pœnitere valeat, *sicut oportet*; loquitur etiam de fideli, qui aliàs etiam habuit similes actus, dum aliàs conuersus est; alioqui posset aliquis decima vice conuerti viribus naturalibus.

RESPONDET Arriaga *sect.* 2. posse Philosophum assentiri actu naturali huic articulo: *Deus vnus est*, tanta certitudine, quanta assentitur ea reuelatione, ex parte obiecti; quare ait, auxilium requiri non propter certitudinem; sed propter proportionem cum gratia, quæ est supernaturalis.

Mastrius verò concedens, requiri propter maiorem etiam certitudinem, negat, forte æque certum assensum philosophi, ac fidelis.

INSTAT Suarez, vtrumque niti Dei veracitate, quæ vna est.

RESPONDET Mastrius, Philosophum niti veracitate Dei, cognitâ fide humanâ, quæ est fallibilis, & ideò actus ille non est ita certus. 258

MAGIS tamen arguit, & vrget S. Doct. ex improportione obiecti, ob quam necessarium adhuc est Dei auxilium; alioqui superfluum esset auxilium, si natura eò posset attingere; Veracitas enim Dei actu supernaturali respicitur propter se, vt ait S. Doct. at veracitas à philosopho respicitur ob rationes naturales, quæ sunt inferioris ordinis.

PROBATVR secundò à D. Bonau. *in* 3. *dist.* 23. *quæst.* 3. *ad* 1. & *dist.* 26. *quæst.* 2. *ad* 1. Virtutes, & habitus specificantur ab actibus; & actus ab obiectis formalibus: Ergo virtutes diuersæ speciei debent habere obiecta diuersæ speciei; sed fides infusa, & acquisita sunt diuersæ speciei: ergo debent habere obiecta diuersæ speciei. Confirmatur ex D. Bonauent. *loc. cit. in* 3. quem sequitur Scotus 3. *dist.* 23. §. *ad quæstionem*; & *quodl.* 14. *ar.* 17. vbi fidem infusam ab acquisita distinguit ex parte motiui, & obiecti formalis; eò quòd fides infusa nititur immediatè testimonio Dei, cui nequit subesse falsum. Fides verò acquisita, testimonio creato, cui potest subesse falsum.

RESPONDET Mastrius *num.* 228. ex dictis *num.* 208. 259
quòd virtutes quidem eiusdem ordinis habent diuersum obiectum, non sic virtutes diuersi ordinis, quia sæpe sunt subordinatæ; habitui enim supernaturali subordinantur habitus ordinis naturalis, tanquam propriæ regulæ.

CONTRA; quia subordinatio, seu subalternatio semper addit aliquid, accidentale quidem subalternanti; sed essentiale subalternato. Sic Perspectiua addit obiecto Geometrico, quod est figura, esse visuale; & Musica Arithmeticæ numeris, esse sonorum; vnde subalternans semper obiecto distincta est. Deinde falsum est, naturalem habitum subalternari supernaturali, primò, quia iste plus continet, quàm naturalis. Deinde, quia ideò supernaturalibus necessarium est Dei auxilium, quia totum ordinem naturæ excedunt; alioqui si tale obiectum potest attingi à virtute naturali, profectò superfluit gratia, quod est Pelagianum, vt infert etiam Suarez. Suppono autem, 260
esse supernaturales substantialiter; at esto quoad modum; adhuc ille modus nequit attingi, & est essentialis illi habitui: atque rationem nouam addit formalem, quia per hanc transcendit naturæ vim. Quod verò constituat rationem formalem, probatur; quia honestas illius virtutis, vt nobis, ablata diuina reuelatione, se tenet vt obiectum; monet enim sub hac ratione ad virtutem illam, vt aduertit Lugo *num.* 19.

RESPONDET verò Mastrius 232. & Lugo *num.* 25. 261
non destrui illâ opinione necessitatem gratiæ; quia hæc necessitas non probatur ex motiuo, vel obiecto, sed ex proportione, quam hi actus habent cum beatitudine supernaturali, ad quam fides ordinatur, & ex modo excellenti attingendi tale obiectum.

AT contrà ostendi suprà, hanc supernaturalitatem esse

esse substantialem actibus, atque adeò prouenire ex obiectis vnde specificantur actus, iuxta Aristotelis doctrinam.

Obiicies primò. Amor Dei naturalis, & supernaturalis respiciunt idem obiectum, nempe diuinam bonitatem. Et si dicas, amorem naturalem respicere Deum, vt est auctor naturæ, amorem verò supernaturalem, vt est auctor donorum supernaturalium: Replicat Scotus 3. *dist.*27. *quæst. vnica, art.*1. esto aliqua diuersitas inde eueniat in amore concupiscentiæ; nulla tamen eueniet in amore amicitiæ, quo amatur Devs propter se, & quà est bonus in se.

262 Enim verò respondeo, etiam amorem amicitiæ respicere Deum, vt bonum bonitate absoluta, qua supernaturaliter est communicabilis, & hàc quidem cognitâ, & obiectâ per reuelationem; at verò amore amicitiæ naturali amari, vt bonum bonitate communicabili per naturam, naturaliter obiectâ. Ex quo ruit etiam oppositio Mastrij *num.*115. & Coninchij *disp.*5. *dubio* 5.

Obiicies secundò. Si virtus acquisita non posset tendere in idem obiectum, in quod tendit infusa, facilè discerneremus, quando elicimus actum Fidei, & Charitatis supernaturalem; atque adeò sciremus, nos in Dei gratiâ constitutos.

Respondetur ex dictis *quæst. præcedenti*, non constare mihi, obiectum supernaturale amari super omnia, quia potest esse ex ignorantia vincibili aliquod obstaculum peccati.

Obiicies tertiò. Quando aliquis mihi narrat, Filium Dei incarnatum, vel alium articulum similem, naturaliter audio illas voces, & naturaliter possum concipere totum illud obiectum supernaturale; & tunc potest voluntas in tale obiectum amore ferri, diligendo Christum, pro me exinanitum, vt hæc sit ratio motiua. Sic Mastrius, & Auersa.

263 Respondetur ex D.Bonau. audium illum esse quidem materiale fidei, sed formaliter non percipi assensu, seu non cogitari assensione, vt fides exigit, nisi adsit lumen Diuinum, vel habitus fidei, sine quibus non assentietur articulo alicui, neque credet, neque apprehendet, eum possibilem; cùm sit contra naturæ cursum, & consequenter neque diliget.

Instabis. Fide acquisitâ potest quispiam credere Deum Trinum, etiam postquam factus hæreticus amittit fidem, tunc id credit fide humana, etiamsi credat motiuo veritatis primæ, reuelantis eodem modo, quo ante credebat fide amictus; alioqui agnosceret, se amisisse fidem.

264 Respondent communiter ex D.Bonau. diuerso modo credere hæreticum Mysterium Trinitatis ante lapsum, & postquam amisit fidem, negando v. g. Ecclesiam, & adhuc credendo Trinitatem: nam ante credebat immediatè, vt fide diuinâ reuelatum; nunc autem fide humana; Et sanè reuelationem ingredi obiectum formale, ostendi *quæst.* 2. Igitur non ampliùs credit reuelationi, seu diuinæ veritati reuelanti, dum negat Ecclesiam, per quam reuelatur; & præterea habet affectum prauum circa motiua fidei, & circa obiectum formale, quod immeritò negat Arriaga *disp.*14.*num.*58. & Mastrius,*n.*519. Neque satis aduertit differentiam assensuum, quia in his actibus internis reperientur motiua naturalia, & supernaturalia, vt aduertit Suarez *lib.*8. *de gratia, cap.*12. nec adeò facile est, vt sibi fingunt Arriaga, & Mastrius.

265 Obiicies quartò. Esto distinctio obiectorum inferret distinctionem actuum; non tamen vnitas obiecti specifica semper concludit vnitatem actus. & potentiæ, quia diuersæ speciei potentiæ, diuersis speciebus actibus possunt circa idem obiectum, nedum materiale; sed etiam formale versari. Probatur. Idem enim obiectum est obiectum omnis intellectus beati, & etiam omnis voluntatis beatæ, nec tamen volitio est eiusdem speciei cum intellectione. Neque Aristoteles dixit, quòd actus habeant vnitatem ab vnitate obiecti, sed distinctionem. Et licèt actus specificentur ob obiectis, non tamen tanquam à principio adæquato; specificantur enim etiam in ordine ad principia; imò magis ab his, à quibus magis pendent.

Respondetur iuxta principium decantatum Scoti, idem esse principium constitutiuum, & distinctiuum, dans enti esse vnum, & in se indiuisum, & distinctum à quocumque alio; atque adeo si actus specificant, vel specificata ostendunt obiecta, dant eis vtrumque. Quod verò dicit de intellectu, & voluntate, falsissimum est; nam diuersis omnino rationibus formalibus feruntur in obiectum materiale. Intellectus, accipiendo in se obiectum, vt verum ad notitiam; Voluntas, extrà amore egrediendo ad bonum, sicuti apud omnes diuersæ etiam sunt hæ potentiæ. Nego pariter id, quod dicebat de principio; nam potentiæ, quæ sunt principia, in tantum diuersæ sunt factæ, in quantum taliter institutæ sunt ad tales operationes, ac proinde potentiæ naturales in ordine ad actus varios, factæ sunt variæ. Quo fit, vt optimè tota ratio diuersitatis ex actibus accipiatur. 266

Obiicies quintò. Compatentur virtutes aliquæ, quoad earum actus. Misericordia naturalis fertur in egenum, vt ei subueniat; sic etiam infusa fertur motiuo eodem pietatis in egenum. Sic Iustitia naturalis, & infusa feruntur ad restitutionem furtiuæ rei, ob turpitudinem furti.

Respondetur cum Vasquez, diuersum habere obiectum formale; nam Iustitia, & Misericordia naturalis respicit proximum, vt concinem politicum; infusa verò, vt in Christo sibi, tanquam membrum vnius corporis Ecclesiæ, coniunctum, & sic distinguuntur virtutes; nam vt ait Aristoteles 3. *Polit.cap.*3. Virtutes distinguuntur secundum diuersas politias, ad quas ordinant subiectum.

Quod verò explicat Lugo *num.*9. esse contra experimentum, & contra meriti rationem; nam sic agens ex motiuo naturali nihil meretur; atque deberent Prædicatores hoc aduertere, ne tot opera perirent. 267

Resolvit S.Doct. *in Dieta, in fine tituli* 1. admonendum, qui facit eleemosynam, quo fine eroget, vt meritum eleemosynæ obtineat; non enim omnis finis est satis; sed finis supernaturalis proportionatus præmio. Ideò in fine mundi dabitur regnum cælorum, his verbis: *Esuriui enim, & dedisti mihi manducare, &c.* non quia necesse sit intendere dare Christo; sed dare inopi ob diuinum præceptum.

QVÆSTIO XXIX.

De Fidei *effectibus.*

{ D.Thom. quæst.7. per duos articulos.

Geminos fidei effectus recenset D.Thomas, scilicet Timorem, & Purificationem cordis. Vtrumque colligit è Scriptura: Timorem quidem ex 2.Iacobi: *Dæmones credunt, & contremiscunt:* Purificationem, ex 15.Act. *Fide purificans corda.* 268

Enim verò elegantiùs S.Bonau. *serm.1. de pluribus Martyribus*, considerans *caput illud 11. ad Hebr.* vbi Apostolus definitionem fidei ponit, eamque fundamentum totius spiritualis ædificij statuit, Omnia ferè bona è fide deriuari ostendit.

Probat autem, quia Omnis causa quantò est prima, tantò vniuersalis ad omnes effectus producendos, vt habetur *in lib. de causis.* Hoc autem exemplis confirmat; nam in Ecclesiam plus influit summus Pontifex, quam Archiepiscopus; & hic magis, quam Episcopus; & hic magis, quam Archidiaconus. Similiter cæli, quò superiores sunt, eò vniuersaliores effectuum causæ. Tandem radix influit magis, quam Truncus; & hic magis, quàm rami ad fructus producendos. Cùm itaque fides sit fundamentum, & radix virtutum; oportet, vt plurimos effectus habeat.

269 Primo igitur fidem esse Scutum ad resistendum aduersario, atque vincendum, asserit cum Apostolo ad Ephes. & Hebr.11. *Sancti per fidem vicerunt regna, &c.* Hoc elogium fidei adscribit D.Cyrillus Hierosol. *catech.5.*

Deinde ait, opera bona è fide exurgere: Vnde dicitur Hebr.11. *Operati sunt iustitiam* idest bona opera, quæ latè in Sanctis erecto Amphitheatro enumerat. Tertiò dicitur fides esse initium salutis: *Adepti sunt repromissiones.*

Quartò, fidem esse illuminatiuam intellectus asserit, & purgatiuam affectus, & effectus fortificatiuam, & ita omnes potentias regere, quæ satis diuiduntur in Cognitiuam, Volitiuam, & Operatiuam.

270 Est igitur illuminatiua, veluti Solis radius. Sicut autem radius magis illuminat, quò subiectum est dispositum, v. g. aërem, quàm aquam; aquam, quàm terram, & tabulam auream, magis quàm argenteam, & argenteam, plus quàm ligneam; ita etiam fides; vnde Petrus 2. *cap.1.* relata gloriosa filij Dei transfiguratione in figuram Solis, ait: *Habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris.* Pergit S.Doct. solem illuminare magis, & calefacere corpora quieta, quia homo fit sapiens, & intelligens, dum anima quiescit, vt ait Aristoteles 7. *Phys. t.20.* Ideò Sol calefacit aquam quietam, non defluentem. Sic igitur mentes quietas radio fidei illuminat, & calefacit. Ex quo infert, hæreticos, quia instabiles sunt, & inquieti, nunquam illuminari, vel calefieri. Vide Seraphicum mirabili discursu eloquentem.

Propterea ait, cæcum illum *Lucæ 18.* à Fide lucem accepisse: *Respice, fides tua, te saluum fecit.* Hæc enim est primum Lumen ad salutem. Ideò Hebr.11. dicitur: *Est argumentum non apparentium.*

271 Secundo Fidem probat esse purgatiuam. Id verò probat cum D.Thom. primò ex illo *Act.15.* Deinde, quia anima, cùm sit nobilissima imago Dei, impuritates ebibit, dum terræ miscetur per culpas, & à Deo dissimilis, monstrosa apparet. Fides autem, veluti Sol expurgat terreas fæces, humores eleuat ad cælum, in imbres resoluit, & defluentes in pluuias emittit ad ornandam floribus, & fructibus ditandam terram, eamque hyeme semimortuam, horribili rigore iacentem, viuificat. Ideò dicitur *Rom.1.* dare vitam: *Iustus ex fide viuit*; est enim Fides, diei Aurora, fugans tenebras noctium. Vnde & Baptismus, qui est Sacramentum luminis, vt dicitur *eadem epistola ad Hebr.* & regeneratio, dicitur Sacramentum fidei. Vide S.Doctorem.

272 Tertio fidem operatiuam ostendit; nam virtus quantò prior est, & radix; ac fundamentum, tantò plus influit operationis. Sic (ait) virtus cordis, quæ est omnium membrorum radix, siue fundamentum, maximè influit, & robustiorem facit partem, in quam è viciniori influit, sic partem dexteram reddit fortiorem, vnde brachium dextrum fortius est ad pugnandum. Ex quo ait Aristoteles *lib.2. de hist. animalium cap.2.* Leonem primum mouère pedem dextrum ad ambulandum; Et mulier, quæ prægnans est masculo, subitò vocata, prius mouet pedem dextrum, quàm sinistrum. Iam verò fides est fundamentum, seu substantia *Hebr.11.* quia sicut substantia est omnium fundamentum, & basis accidentium; ità & Fides, virtutum. Hinc *allato cap.* recensentur altissima, & gloriosa opera Sanctorum: *Sancti per fidem, &c.* Vide Seraphicum, cuius piget verba transcribere *loc. cit.* proliaè differentem.

Pergit verò ostendere, Fidem esse Timoris prin- 273
cipium; Seruilis quidem est principium fides informis; nam per fidem timemus pœnas creditas æternas; Filialis verò timoris initium est fides formata, quæ nobis proponit Dei beneficia, bonitatem, promissiones, &c.

Fidei fructus enumerat S.August. *serm.10. de verbis Apostoli.* Ambrosius *serm.8. in Psalm.118.* & alij Patres apud D.Bonau. in Pharetra *lib.2. cap.23.* & *in Dieta, tit.5. cap.3.* & *tit.8. cap.5.* & *p.1. Breuil. cap.2. & sequentibus*: & *lib.5. Compendij Theologicæ veritatis, à cap.19. ad 21.* His locis mira dicit, quæ arduum esset pro dignitate referre, nisi transcripta ad verbum. Nec minus præclara *in sermonibus Hexaemeronis* 2.6.8, edisserit. Similiter & in aliis opusculis, quæ si referrem, plurima replerem folia, sed consultò ad Fontem remitto, vnde Paradisi venas haurietis. Reuertor ad sermonem illum, in quo visus est S.Doctor, Fidem informem dæmonibus concedere; sed intelligit, iuxta dicta à nobis cum illo *quæst.26.*

QVÆSTIO XXX.

De Dono Intellectvs.

D.Thom. quæst 8.
D.Bonau. 3 dist 35. quæst.3. & de 7. Donis, & in Dieta tit 6. cap 3.

Finem consequitur intellectus, qui penetrat ea, quæ tenebris offusa, credenda proponuntur, & rationis adminiculo, credita faciat quodammodo visa; hinc S. Doctor *quæst.3. ad 1.* dicit, Intellectum se habere ad fidem, sicut Sapientia ad charitatem; Illa enim negotiatur circa æterna secundùm rationes etiam æternas in ordine ad veritatis visionem; Ista verò circa eadem, iuxta easdem quoque rationes, versatur, sed in ordine ad dilectionis gustum; ab illis differt scientia, quod versetur circa creaturas per creatas rationes, vt infrà dicam.

Cvm autem implicare pareat, Intellectum simul esse cum fide, cùm fides tantùm simpliciter assentiatur, & captiuet mentem in suum obsequium: Intellectus verò vlteriùs procedat, & sit quasi cognitio per visum, vt ait Seraphicus *in Dieta, tit.6. cap.3. de Dono Intellectus*, Ideò de hoc per dubitationes agam.

DVBITATIO I.

An INTELLECTVS *sit donum Spiritus Sancti.*

274 ASSERO. Probatur à D.Bonau. *allatis locis*, præcipuè *de Dono intellectus*, *cap.2.* & D.Thom. *art.1.* Intellectus importat quamdam intimam cognitionem; dicitur enim *intelligere* quasi *intus legere*, & hoc patet consideranti differentiam inter cognitionem Intellectus, & sensus; nam cognitio sensitiua occupatur circa sensibilia extra; cognitio autem intellectiua, tanquam nobilior, atque subtilior, penetrat vsque ad quidditates rerum interiores, quia obiectum intellectus est *quid quid est*, ex Aristotele 3. *de anima, text.37.* Vnde cognitio humana incipit à sensu, neque perficitur, nisi perueniatur ad Intellectum, qui verè cognoscit, *quid est res.* Dicitur enim in *lib. de spiritu, & anima, cap.11.* quòd: *Quidquid sensus respicit exterius, imaginatio repræsentat interius, ratio inuestigat, intellectus diiudicat, intelligentia comprehendit, & ad contemplationem adducit, quæ memoria conseruat.* Sed aduertendum est, quòd intellectus interdum accipitur, vt est Vis animæ naturalis, & ita de eo loquitur author Libri *de Spiritu, & anima*, dum ait, quod intellectus est vis animæ, qua inuisibilia percipit, cui concordat Aristoteles *de anima.* Et hic intellectus, vt plurimum cæcutiens est: Vnde Psal.81. *Nescierunt, neque intellexerunt.* Sumitur interdum Intellectus, vt dicit virtutem intellectualem, seu habitum primorum principiorum naturalium, quæ subsunt lumini intellectus, vt patet ex Aristotele 6. *Eth. cap.6.* Sed neuter istorum est Donum Spiritus Sancti, licèt sit à Deo, atque adeò à Spiritu etiam Sancto.

275 QVONIAM verò ordinatur homo ad beatitudinem, tanquam finem supernaturalem, vt apparet ex eius imagine; ideò oportet ponere intellectum, siue lumen aliquod, vt est habitus supernaturalis principiorum supernaturalium, quæ sunt articuli fidei, & ex consequenti quarundam operationem, quæ ordinantur ad finem, quia: *Fides per dilectionem operatur*, vt ait Apostolus *Galat.5.* & hoc lumen supernaturale vocatur donum Intellectus, quod nominat quandam excellentiam cognitionis, penetrantis supernaturalia, quæ non potest haberi lumine naturali.

276 DESCRIBITVR autem lib. de spiritu, & anima, loc. cit. *Intelligentia ea vis animæ est, quæ immediatè supponitur Deo: cernit siquidem ipsum summum verum.*

RVRSVS definitur ibi cap.37. *Intellectus, ea vis animæ est, quæ de Diuinis, quantum homini possibile est, cognoscitur, ad cælestia arcana penetranda, quæ penetrari nequeunt, nisi per spiritum eius, qui etiam profunda Dei scrutatur.* Vnde ait Apostolus 1.Cor.2. *Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Hæc D.Bonau. ad litteram, & ferè D.Thomas.

Id ipsum probat S.Doct. Scripturarum, & Patrum testimoniis. Prima Ioan.2. *Vnctio Spiritus docet nos.* Ioan.16. *Cum venerit Paraclitus, docebit vos omnem veritatem.* Idipsum probat *in Diata loc. cit.* ex 2. Timot.2. *Dabit tibi Dominus in omnibus intellectum.* Idem probat in 3. dist.34. p.2. art.2. quæst.2. *Requiescit super eum spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus.*

277 DE nobilissima, & delitiosa cognitione, quam communicat Donum intellectus, eleganter edisserit sub metaphora conuiuij S.Bonau. *de septem donis, cap.7.* Vbi primò asserit, per donum Intellectus cælestes epulas apponi, & refert D.Gregorium *lib.1. Moral. cap.32.* dicentem: *Intellectus in die suo conuiuium parat. quia in eo quod audita penetrat reficiendo cor, tenebras eius illustrat:* Ergo in penetratione auditorum, inuentâ veritate, mens reficitur. Ratio est, quia menti non sufficit gustare velamina veritatum, sed nucleum. Cùm igitur donum Intellectus, secundùm Gregorium, penetret omnia velamina veritatis diuinæ, tam in Scripturis, quàm in doctrina, vsque ad intimam veritatem degustandam, quadam intellectuali experientiâ pertingat, quod perfectissimorum est, vt ait Bernardus *in Cantica*; ideò donum Intellectus dulcissimè mentem reficit. De hoc gustu experientiæ 278
Bernardus loquens *in lib. de amore Dei cap.10.* ait: *Gustus experientia Scripturarum, & Sacramentorum Dei, qui est in Christo, facit nobis sensum, vt intelligamus Scripturas. Vnde Dominus post resurrectionem aperuit discipulis sensum, vt intelligerent Scripturas*, Lucæ vltimò. Vide Seraphicum diuinitus delitiantem pane hoc *habente omnem saporem suauitatis*, Sap.16. *Cibat enim pane vitæ, & intellectus.* Eccles.15.

DVBITATIO II.

Vtrum DONVM INTELLECTVS *possit esse simul cum* FIDE.

{ D.Thom art 2.

ASSERO. Probatur à D.Thoma hîc, & D.Bonau. 279
de 7. donis, cap.7. illo Lucæ vltimo: *Aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas.* Idem probabo, dubio sequenti.

PROBATVR à S Bonan. *loc. cit.* discurso Linconiensis super principium Mysticæ Theologiæ, quo vtitur D.Thom. quia donum Intellectus erigit ad sensus Scripturarum, & intelligentiam Mysteriorum, modo proportionato viæ; vbi tamen non videtur Deus sine Symbolis, etiam in sensibus anagogicis, nedum litteralibus allegoricis, & moralibus; intrat enim adhuc cum Moyse caliginem, vt dicitur *Exodi 24.*

DAINDE id probat, quia eleuat hoc donum men- 280
tem, quantum necessarium ad meritum; Ideò dicitur Lucæ 10. *Porrò vnum est necessarium*; atque adeò, quantum non detrahit fidei in via, necessariæ ad modum meriti ordinarium, mentem erigit.

QVA doctrina S.Thom. soluit obiecta conantia, donum intellectus, tanquam clarè ostendens obiectum fidei, repugnans ostendere.

DVBITATIO III.

An DONVM INTELLECTVS *consistat in contemplatione Creatoris, & Creaturæ.*

{ D.Bonau in 3. dist.35.q.3.
D.Thom. art 3.

QVÆRIT S Doct. qui sit actus proprius doni In- 281
tellectus, & quod obiectum. Supponit autem, cognitionem de Deo posse tripliciter haberi. Primò per simplicem, & immediatum assensum, & hoc est fidei. Secundò per rationis adminiculum, nempe percipiendo Spiritus Sancti instinctum, quo impellimur ad

ad assensum fidei. Tertiò per simplicem contuitum, & hoc est illius beatitudinis, quæ stat in munditia cordis, cuius est Deum videre.

QVONIAM ergo rationes, seu motiua, quibus iuuamur ad credita intelligenda, accipiuntur non solùm à conditionibus Creatoris, sed etiam à conditionibus Creaturæ spiritualis, quæ inter creaturas viciniorem habet assimilationem ad Creatorem; hinc est, vt donum Intellectus, cuius actus est in contemplationem Summi veri eleuari per lumen, quod non solùm facit assentire, sed etiam per congruas rationes credita intelligere, non solùm attenditur in contemplatione creatricis essentiæ, sed etiam spiritualis creaturæ.

282 Ex his deducit, quis sit actus, & obiectum doni Intellectus. Obiectum enim eius est Verum æternum, in quantum intelligibile, non solùm secundùm proprias conditiones, sed etiam secundùm proprietates creaturarum Deo similium, vt dicit Magister. Actus verò eius est contemplari ipsum Verum creditum, vt deuotiùs credatur, & ardentiùs diligatur.

Ex quo fit, vt actus eius sit speculatiuus, quia respicit assensum fidei, sed practicus etiam, quia respicit articulos, vt ordinatos ad Charitatem; nam *fides per dilectionem operatur*, vt ait Apostolus *Galat.* 5. Itaque donum Intellectus ad quædam operabilia se extendit, non quidem, vt circa ea principaliter versetur; sed in quantum in agendis regulamur rationibus æternis, quibus conspiciendis, & consulendis, secundùm August. 12. *de Trin. cap.* 7. adhæret superior ratio, quæ dono intellectus perficitur, vt docet etiam D.Thomas. Id confirmat S.Doct. cum D.Thom. illo Psalm. 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.*

283 ASSERIT igitur, obiectum huius Doni esse CREATOREM, etiam vt relucentem in creaturis spiritualibus, quæ sunt Imagines Dei.

PROBATVR à S.Doct. primò ex Magistro *in littera* dicente Intelligentiam non tantùm de æternis esse, sed etiam de rebus inuisibilibus, & Spiritualibus, in tempores exonis.

SECVNDO ex D.Dionysio *cap.* 1. *de cælesti hierarchia, circa medium*, vbi habet: *Impossibile est quamdiu in via sumus, relucere nobis diuinum radium, nisi circumuelatum: hoc autem velamen ostendens Deum in imagine, est creatura spiritualis*: Ergo si intellectus est ad Creatorem, debet etiam esse ad creaturæ cognitionem.

TERTIO. Non est perfectus amor in Deum, nisi ametur Deus in se, & in sua imagine: Ergo similiter non est perfectum donum Intellectus, nisi Deus per illud cognoscatur, & quoad conditiones suas, & quoad conditiones creaturarum, quæ sunt ei similes.

284 QVARTO de eisdem est Intellectus, & Fides, ex D. Gregorio 1. *Moral. cap.* 18. dicente, quod: *Deus intellectum dat, dum de auditis mentem illustrat*; sed Fides non tantùm respicit diuinam essentiam in se, sed etiam in comparatione ad creaturam: Ergo donum Intellectus ad duo illa contemplanda ordinatur. Vide S.Doct. *in Diaeta loc. cit.* vbi Libros aperit, in quibus CREATOR in creaturis legitur, quem imitatur Glicimus in suis discursibus, Italicè conscriptis.

OBIICIES primò. Donum Sapientiæ circa æterna versatur: Donum verò Scientiæ circa creata, ex D. August. 12. *de Trinitate, cap* 14. Ergo aut donum Intellectus superfluit; aut actus eius non est circa illa duo.

RESPONDET S.Doct. diuerso modo versari Sapientiæ, & Intellectus dona circa æterna: nam Sapientiæ donum respicit æterna secundùm æternas rationes; secundùm quod illæ æternæ rationes sunt via ad gustum, & experimentalem cognitionem diuinæ suauitatis; Donum verò Intellectus negotiatur circa æterna, secundùm rationes æternas, quæ sunt via ad cognitionem veritatis, quo sic à Spiritu Sancto redditur mobilis ad veritates fidei percipiendas. Hinc D.Bernardus donum Intellectus, fidei appropriat: donum verò Sapientiæ, appropriat Charitati, cuius est disponere ad gustandum Deum.

SIMILITER donum Scientiæ diuerso modo versatur circa creata; nam respicit ens secundùm rationes creatas, vnde negotiatur etiam circa creaturas corporeas, quæ habent rationem vestigij: Donum verò Intellectus negotiatur solùm circa creaturas secundùm rationes æternas. Et ideò est tantùm circa creaturas spirituales, in quibus rationes æternæ relucent, vt in imagine. 285

OBIICIES secundò. Sapientia, & Scientia differunt, quia hæc versatur circa temporalia; illa verò circa æterna. Igitur non potest donum Intellectus versari circa ambas has rationes oppositas, quæ sunt obiecta diuersorum bonorum habituum.

RESPONDET S. Doct. negando consequentiam; quia Sapientia, & Scientia, vt dixi versantur circa ea obiecta, vt opposita; at donum Intellectus respicit creata, vt ordinata ad rationes æternas, & vnum est propter aliud; atque adeò vnum obiectum. Hinc deducit S.Doct. donum Intellectus esse infra sapientiam, & supra scientiam; & ità in medio.

OBIICIES tertiò. Aut donum Intellectus consistit in cognoscendo tantùm, aut in cognoscendo, & afficiendo. Si primum: Ergo non est meritorium, quia actus cognitiuus non est meritorius. Si secundum: Ergo non differt à Sapientia.

RESPONDET S.Doct. diuerso modo se habere Sapientiam, & donum Intellectus; nam illa consistit in experientia diuinæ suauitatis; hoc verò in cognitione extensa ad praxim, vt via ad gustum; sicut cognitio fidei ad delectationem, seu dilectionem Charitatis, quæ quidem viam sternit ad sapientiam gratuitam, quoniam super assensum fidei fundatur, & insuper ordinat ad sapientiæ gustum. Nihilominus in dono etiam Intellectus est quædam delectatio de veritate, quæ est beatitudo quædam. Huc reuocat *in Diaeta* id Psal. 33. *Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus.* Gustare, ad sapientiam pertinet: Videre, ad intellectum, & allegat D.Gregorium *homil.* 19. *in Ezech.* Summa huius differentiæ est, quod donum Intellectus est propriè penetratiuum; sed donum Sapientiæ est propriè saporatiuum. 286

OBIICIES quartò. Si donum Intellectus respicit creaturas, vt ex eis consurgat in Dei cognitionem, debet respicere non modo spirituales, sed etiam corporeas; nam etiam in his relucet Diuina Bonitas.

RESPONDET S.Doct. in creaturis corporeis relucere Dei bonitatem solùm obscurè, vt in vestigio, in spiritualibus verò clariùs, vt in imagine; & quia ad donum intellectus spectat contemplatio clarior, quàm sit cognitio fidei; hinc est, vt respiciat eas tantùm creaturas, in quibus clariùs elucet Deus; hæ autem sunt, quæ habent rationem imaginis. 287

OBIICIES quintò. Dona, quæ inuicem combinantur, circa idem versantur: Tale est donum Intellectus, quod dono Sapientiæ combinatur: Ergo; Sed donum Sapientiæ est solùm circa æterna, ergo & donum Intellectus.

RESPONDET S.Doct. quod quia donum Sapientiæ consistit in gustu; donum verò Intellectus in lumine rationis, & altiùs ascendit affectio, quàm ratio, & vnio, quàm cognitio, vt ait S. Dionysius; hinc est, vt donum Sapientiæ non sic indigeat adminiculo creaturæ,

creaturæ, sicuti donum Intellectus. Ideò hoc versatur etiam circa creaturas, vt adminicula ad ascendendum in Deum. Itaque cùm dicitur, dona, quæ inuicem combinantur, habere idem obiectum; id verum est de obiecto principali, non de adminiculante.

288 Obiicias sextò. Donum Intellectus versatur circa creaturas, vt ducunt ad Creatoris notitiam: Ergo contemplatur Deum per speculum: Ergo non differt à Fide.

Respondet S.Doct. diuerso modo fidem, & donum Intellectus contemplari Deum in speculo; sunt enim varij gradus cognitionis speculantis. Fides igitur habilitat ad assentiendum articulis fidei immediatè, præcedente tamen per creaturas cognitione illius, quod per tale, nomen dicitur. Sic mouet ad assentiendum articulo Trinitatis, præuia tamen cognitione numeri ternarij. At verò donum Intellectus vlteriùs illuminat ad cognoscendum motiuum, propter quod debeat Trinitas poni in Diuinis; nempe, quia videt in creatura rationali egressum Verbi è mente per viam generationis, & Amoris, ab vtroque per viam connexionis. Et ideò constat ratio, ob quam debeant esse habitus diuersi.

Ex his habes; quodnam sit obiectum doni Intellectus; & quis actus illius; & quæ sit huius doni ab aliis habitibus differentia.

Dvbitatio IV.

Vtrum Donvm Intellectvs *insit omnibus habentibus gratiam, & : an his solis.*

289 Assero primò, Intellectum esse in omnibus, habentibus gratiam sanctificantem.

Probatvr à D.Bonau. *in Diæta* ex illo Psal.110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.*

Probatvr à S.Doct. *de septem donis, cap.1.* ex progressu nostræ conuersionis, assignato à Concilio Trident. *sess.6. & 14.* ex quo deducit etiam ordinem Donorum Spiritus Sancti; nam, vt ait D.Anselmus lib. de simil. cap.130. *Primò Spiritus Sanctus mentem facit pauentem per donum Timoris; sibique compatientem per donum Pietatis; & ea, quæ sunt facienda, manifestat per donum Scientiæ, & illa fortiter exequitur per donum Fortitudinis*, quæ tria dona ad appetitiuam pertinent vim; & in hoc differunt à dono Intellectus, quod primò ad Intellectiuam pertinet, secundùm D.Thomam *art.6.* & *de ipsis facit consulere per donum Consilij*, quo fit applicatio mediorum ad singularia opera, vt ait D.Thomas. *Post, Spiritus Sanctus accendit mentem ad intelligendum, cur hæc, & illa fieri debeant*, vt affectio charitatis sequatur: hæc enim sequitur perfectam veritatis inuentionem; hæc verò est ab intellectu. Ideò Intellectus ipse naturalis dicitur 3. *de*
290 *anima, text.18.* Lumen penetrans ad intimas essentias; neque verò potest voluntas rectè ordinari ad bonum, nisi præexistente aliqua cognitione veritatis, quia obiectum voluntatis est bonum intellectum, vt dicitur 3. *de anima, text.34, & 49.* Ex quibus fit, donum Intellectus dari cum gratia, vt vltimam dispositionem ad sapientiam, seu Diuinum Saporem. Ideo D.August. *lib.2. de doctrina christiana, cap.7.* loquens de septem donis, ait de dono Intellectus: *Post quintum gradum, scilicet donum Consilij, per quod anima leuatur ab appetitu sordium inferiorum, ascendit in sextum gradum, idest in donum intellectus, vbi ipsum oculum purgat, quo videri potest Deus ab his, qui huic sæculo moriuntur; qui in tantum vident, in quantum moriuntur sæculo.*

Observat autem S.Doct. *cap.4.* triplicem veritatem irradiari dono Intellectus: Veritatem cognitionis, ostendendo nobis fidem Christi verissimam: Veritatem operationis, ostendendo operationem perfectissimam; & veritatem dilectionis, ostendendo nobis charitatem. Hanc autem reuelationem operatur Spiritus Sanctus per donum Intellectus, dum mentem à terrenis eleuat, purgat, & inflammat. Affectus enim terrenus, & animalis impedit intellectum, ne spiritualia intelligat, quia: *Animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt*, vt dicitur *prima Corinth.2.* Ex his sequitur, donum Intellectus esse in iustis, qui rectam habent voluntatem, per charitatem, quæ supponit rectam intelligentiam; dari verò in vltima præparatione ad charitatem, non autem peccatoribus in sensu composito; de his enim (aiunt SS.DD.) Psalm.81. *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* 291

Quamuis autem actuale donum Intellectus conuertatur cum Fide, quæ est etiam in peccatoribus; tamen vt est donum habituale, est solùm in eo, qui habet rectam cognitionem, & directionem voluntatis ad finem, vt ait S.Bonau. *ad 3.* 292

Quod verò detur in vltima dispositione ad gratiam, probatur illo Ioan.6. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Hæc autem edíscimus per Intellectum, vt docet D. Gregorius *primo Moral. cap.32.* Ergo quicumque habet intellectum, venit ad Christum per gratiam gratum facientem. Vnde non rectè affertur hic locus à D.Thom. *art.5.* ad probandum, non esse hoc donum Dei, nisi in iam constitutis in gratia; hi enim non veniunt ad Christum, sed venerunt.

Dvbitatio V.

Quæ sit necessitas, & vtilitas Doni Intellectvs.

{ D.Bonau.de 7. donis.

Incipit S.Doct. *cap.3.* necessitatem, & vtilitates huius doni recensere. 293

Prima quidem necessitas est, fidei manifestare veritates reconditas, tot Scripturis, atque Sacramentis obuelatas, cùm intellectus humanus absque lumine superno nequeat ad eas apprehendendas pertingere. Hoc probat ex Richardo *lib.3. de contempl. cap.6.* Hinc D.August. lib. de spiritu, & anima, cap.36. *Potest homo hoc lumine agnoscere, se ad imaginem Dei conditum, & ideò capacem Dei, atque ideo Deum trinum, & vnum, vt filius à Patre; & ab vtroque Spiritus Sanctus, & simili modo ab intellectu Voluntas; & ab vtroque memoria, & verbum ab intellectu; & ab vtroque amor.* Vide Seraphicum. 294

Pergit *cap. quarto* describere, quo pacto veritates Scripturarum diuinarum nobis dono intellectus illucescant; vt dicitur prima Ioan.2. *Vnctio Spiritus Sancti docet.*

Capite quinto ostendit, quo pacto velamina Sacramentorum, dono intellectus reuelentur.

Capite sexto ostendit; quo pacto dies spiritualis per hoc donum appareat, vt dicam infrà.

Capite septimo, conuiuium spirituale, hoc dono præparari, demonstrat. Vide S.Doctorem; non enim libet capita integra verbatim huc transcribere.

Dvbita

DVBITATIO VI.

Vtrum DONO INTELLECTVS *respondeat sexta beatitudo, scilicet Beati mundo corde, &c.*

D.Thom.art 7.

295 ASSERVNT D.Bonau. *de 7. donis, cap.* 3. & D.Th. hîc cum D.August. *lib.1. de serm. Domini in monte, cap.9.*

PROBATVR à Seraphico *cap.4. de dono Intellectus.* Sicut se habet lux solaris ad videnda sensibilia, & ad purgandum aërem, ita se habet Intellectus ad visionem spiritualium; sed munditia aëris oritur è luce solari, ita vt claré videatur ipse Sol, & absente hac luce, aër obscuretur, & veluti deturpetur: Ergo. Ad hoc adducit S.Doct. illud Psalmi 81. *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant*, vbi causa, vnde anima obtenebretur, refunditur in defectum Intellectus. Deinde assignat S.Doctor. tres gradus munditiæ cordis quæ sunt veluti mane, meridies, & vespera Intellectus.

296 PRIMVS gradus est, quando per Donum Intellectus ad nostra interiora reuocati lumine compunctionis omnes peccatorum maculas, & tenebras abstergimus, & sublucet nobis quoddam diuinæ lucis crepusculum, vndè oritur matutina cordis munditia, quæ respondet ad mane intellectus.

SECVNDVS gradus est nimietas quædam lucis, & cordis feruor, penetrans omnia velamina, obumbrantia veritatis radios, illuminans pariter & inflammans mentem claritate, & simul charitate: Et hinc nascitur meridies Intellectus, & meridiana cordis munditia.

TERTIVS gradus est, quando feruida hæc claritas adueschetascit, manente tamen Domino, omnis claritatis, & feruoris fonte; Hinc mox inchoatur somnus contemplationis, & nocturnæ deliciæ celebrantur, accensis vndique diuini fulguris lampadibus; vide ipsum Saraphicum, de his mira, & super humanum intellectum per plura capita dicentem.

DVBITATIO VII.

An DONO INTELLECTVS *respondeat, inter fructus Spiritus Sancti, Fides.*

D.Thom art 8.

297 DONO Intellectus inter fructus Spiritus Sancti respondere fidem asserunt SS.Doctores, & probant; Cùm enim veritates Theologicæ, & Diuinæ, quæ nobis fide reuelantur ad salutem, sint velatæ sub plurium figurarum velamine, prophetiarum obscuritate, & expositionum diuersitate, necesse fuit superaddi aliud lumen supernaturale, prioris capsans certitudinem, & experimentali quadam claritate penetrans ad interiora velamina, faciensque quodammodo videre, quod fides fecit credere, vnde dicitur Ioan.10. *Nisi credideritis, non Intelligetis*; pro his affert Seraphicus Doctor D. Bernardum *serm.33. in cantica*, vbi præclarè de fidei, & intellectus correspondentia sic differit: *Mihi apponitur veritas, sed in Sacramento. Angelus ex adipe frumenti saginatur, & nudo grano me oportet interim quodam Sacramenti cortice esse contentum, carnis furfure, palea litteræ, fidei velamine. Et hæc talia sunt, quæ gustata afferunt mortem, si non de primitiis Spiritus, quantulumque accipiant condimentum*, quod fit per donum Intellectus, & subdit: *In his omnibus fides est mihi locuples, intellectus pauper: numquid verò par sapor intellectui, fideique, cùm sit in meritum ista; in præmium illa.* Vide Seraphicum *cap. quinto de dono Intellect.*

QVÆSTIO XXXI.

De Dono Scientiæ.

D.Thom.quæst.9.

AD fidem spectat etiam donum scientiæ; cum enim fides in se sit obscura, indicans quid, sed non in omnibus quomodò agendum, datur hoc Donum gratuitum à Spiritu Sancto, per quod fides gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur; cuius proprius actus est reddere hominem facilè mobilem à Spiritu Sancto ad benè discernendum, & diiudicandum secundùm legis æternæ regulas in his agibilibus, quorum non est determinatus agendi modus, quoad nos, eò quòd non semper vniformiter fiant. Ità S.Doct. *cap.3. de dono scientiæ.* Hinc homini diuinitus innotescit rectum iudicium in agendis, seque extendit ad credibilia, & factibilia, quæ nobis in Scriptura Sacra proponuntur: De hoc dono ità loquitur D. Greg. *lib.10. Moral.* apud D.Bonau. *de dono scientiæ, cap.2.* indicans, ipsum lectione Sacræ Scripturæ maximè conciliari: *A terrenis desideriis ad superna amplectenda cor inuitat, legentis animum humilibus verbis adiuuat, sublimibus verò sententiis leuat.* Animam præcipuè prouocat ad charitatem, manifestando plures Creatoris amabilitates, & proponendo plures, quibus ametur, modos. Reliqua per aliquas dubitationes indicabo. 298

DVBITATIO I.

An SCIENTIA *sit donum Spiritus Sancti.*

ASSERIT S.Doctor, Scientiam esse Donum Spiritus Sancti. Hoc ostendit ex dictis suprà, & patet ex illo Sapient.10. *Iustum deduxit Dominus, &c. dedit illi scientiam Sanctorum.* Hinc etiam infert, scientiam esse habitum infusum, in quo homo habeat illud circa agenda iudicium, vt in nullo deuiet, sed promptè, & expeditè, quicquid agendum iudicet, agi iubeat. Nam sicut Intellectus duo circa veritatea cognuscit, eas percipiendo, & voluntatem, dum eis obsequitur, dirigendo. Ità mens nostra, dono Scientiæ irradiata, primò supernas veritates Capit; secundò, quomodo in praxi obseruentur, absque errore discernit. 299

CVM enim homo ad res supernaturales proprio lumine cæcutiat, non possit inter tot præcepta tutò procedere, nisi desuper ipsi illuceat quædam lux, componens cum credendis agenda, vnde per hoc donum hominis actiones resoluuntur ad fidei articulos, tanquam ad sua principia, quod solus Spiritus Sanctus in homine præstare potest.

VT autem discernatur hæc scientia ab alia, quæ propriis viribus acquiritur, & primò quidem è D.Bernardo super Cantica: *Scientia quædam est secularis.*

sæcularis, quæ inebriat non Charitate, sed curiositate, implet, sed non nutrit; inflat, & non ædificat, ingurgitat, & non confortat. Secundò è D.August. lib.14. de Tri- cap.1. *Est Scientia, quæ non est rerum vanarum, nec curiosarum, sed de his, quibus fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, &c.* & hanc concludit Seraphicus esse donum Spiritus Sancti.

DVBITATIO II.

An scientia sit de rebus Diuinis.

{ D.Thom art.2.

300 DICENDVM, scientiam esse de rebus tantùm creatis in ordine ad Deum. Cùm enim anima patiatur difficultatem, & quodammodo torpescat ad actus supernaturales; iuxta difficultatum genera, ipsi infunduntur habitus, quibus fiat mobilis in obsequium Spiritus sancti: vnde cùm præcipuè voluntas ab agendo retardetur ob defectum cognitionis in intellectu; dantur ad remouendum hunc defectum duo habitus, quorum primus versatur circa creata, & de ipsis per suas causas iudicium fert, vocaturque Donum scientiæ: alter versatur circa diuina per altissima principia, & est Sapientia.

301 CREATA autem, circa quæ versatur Scientia, sunt primò aliæ scientiæ, studio, & doctrinà acquisitæ, circa quas dono infusæ scientiæ iustè sentimus, & rectè iudicamus; & hanc, hoc statu consideratam, vocat Sanctus Doctor *horam matutinam*; quia adhuc tenebris admiscetur.

SECVNDO versatur Donum scientiæ circa credibilia, & agibilia, sacris litteris contenta. Ex his enim eruit lucem ardentissimam, quà inflammat, & illuminat mentem, velùti Sole meridiano; de hac dicit Isaias 18. *Sicut lux meridiana, clara est.*

302 TERTIO occupatur hæc scientia circa cætera moralia; mentem in veritate stabiliens, & quietans, laborem intuitu quietis æternæ minuens, & terminans: Hic est finis, & vespertinum huius doni crepusculum; propter hæc dicitur *Psal.*103. inquit Seraphicus hìc ad finem capitis 2. *Exibit homo manè ad operationem suam vsque ad vesperam.*

DVBITATIO III.

An donum scientiæ sit speculatiuum.

{ D.Thom.art.3.

303 CVM Scientia præcipuè feratur in agenda, & credenda, vt de ipsis secundùm veritatem iudicium ferat, eam esse primariò speculatiuam asserunt hìc D. Thom. & D.Bonau. *cap.3. de dono scientiæ*: est tamen secundariò practica, quia etiam ad operationem ordinatur, quatenus charitatem his, aut illis modis gignendam, tuendamque præscribit. Probat vterque Sanctus Doctor, hoc donum speculatiuum simul esse, & practicum, è D.Greg. 1. *Moral.cap.6.* dicente: *Scientia in die sua conuiuium facit, quia in ventre mentis Ignorantiæ ieiunium facit.* Sed ignorantiæ ieiunium non soluitur, nisi per vtramque scientiam speculatiuam, & practicam; qui enim rerum supernarum ignorantiam peruersè agendo contraxit, necesse est, vt non solùm rectè sciendo, sed & benè agendo eam expellat.

304 DEINDE speculatio, vel praxis Scientiæ desumitur à conditione obiecti; sed obiectum huius scientiæ, quamuis primariò speculabile, est tamen in aliquibus operabile; hæc enim præstat medium, & modum, quibus praxis diuinæ dilectionis habeatur, imò pro hoc statu frustrà esset, nisi ad charitatis exercitium illuminaret, vt habet Seraphicus ex Hugone *lib. de vanitate mundi*, vbi dicit: *Frustrà in nobis diuinæ cognitionis abundantia crescit, nisi in nobis diuinæ dilectionis flamma augescat.*

305 DEINDE Donum scientiæ sequitur naturam fidei, quæ hac enim etiam iudicat; sed fides, licèt primario nihil operetur circa suum obiectum, abundè tamen, iam perfecta, operatur per charitatem. *Galat.5.*

His denique adiice conuiuium illud spirituale scientiæ, vbi ad triplicem mensam Historiæ, Allegoriæ, & Anagogiæ sapidissimis, & dulcissimis ferculis cibat Seraphicus totam turbam, per totum caput 3. ipsum ibi vide, istinc enim fercula illa huc translata natiuum saporem forsan amitterent.

DVBITATIO IV.

An DONO SCIENTIÆ *respondeat tertia Beatitudo: Beati, qui lugent, &c.*

{ D Thom.art.4.

306 CVM temporalia ideò cum lætitia nimià possideantur, quia harum vilitas ignoratur, & adhuc cælestia sub amaro litteræ cortice insipida probentur; hinc nequit mens suam agnoscere cæcitatem, multòque minus salutari luctu valet voluntas eam auertere.

ASSERVNT igitur SS. Doctores, S.Thomas hìc S.Bonauentura, *cap.3. de septem Donis*, tertiam beatitudinem respondere Dono scientiæ.

307 PROBATVR primò ex D.August. suprà *de sermone Domini in monte, cap.9.* Deinde, quia donum scientiæ docet rectum ferre iudicium creaturarum, ob quas homo auertitur à Deo, & in miserias labitur, & ideò illi iudicio recto scientiæ respondet luctus, quo auertitur à malo libidinis, & à languore concupiscentiæ, & conuertitur ad propriæ cæcitatis malum amarè deflendum, vt dicat illud Psalmistæ: *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Ex hoc etiam Dono scientiæ oritur huius beatitudinis præmium, nimirum consolatio illa superna, qua homo perpendens creaturæ vanitatem, & Dei gustans bonitatem, medullitus repletur. Verùm hæc consolatio non luxuriantibus, sed lugentibus promittitur, nec lugere queunt, qui per donum scientiæ ad contemplationem puræ veritatis non transeunt, vt concludit hìc Seraphicus Doctor.

DISPVTATIO II.

De Infidelitate.

INFIDELIVM alij sunt, qui nunquam fidem receperunt, & hi sunt pagani: Alij sunt, qui fidem receptam respuerunt, & hi sunt hæretici: Alij denique, qui Saluatoris fidem diù sub figuris coluerunt, sed eam exhibitam non agnouerunt, & isti sunt Iudæi: Hic de infidelitate in genere pro fidei carentia agendum, & etiam aliquid de infidelibus, non baptizatis, libandum: In sequenti vero disputatione de hæresi disseremus.

QVÆSTIO I.

Quid, & quale peccatum sit INFIDELITAS.

1 NOTANDVM ex D.Bonauentura ad ea verba Lucæ 19. *Non relinquent in te lapidem super lapidem: eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ*, Infidelitatem esse ruinam ædificij spiritualis; sicuti fides è contra est fundamentum eius ædificij. Hæc autem est Infidelitas, non quæ opponitur Fidelitati, quæ est virtus moralis inclinans ad fidem, seu promissum seruandum, de qua Eccles. 5. *Displicet Deo infidelis promissio*, vt monet S.Doct. ad eum locum; sed est infidelitas, quæ opponitur virtuti Theologicæ, vt dixi *disp.* 1. *quæst.* 1. cum D. Bonau. Infidelitatem esse peccatum, ostendi *disput.* 1. *quæst.* 14. *& sequentibus*, vbi actum est de obligatione credendi articulos fidei, & alia; atque adeò peccari posse omissione graui, non discendo res fidei, sufficienter propositas.

2 DVPLICITER verò potest Infidelitate delinqui, vel positiuè, veritatem fidei agnitam impugnando, & recusando, & hæc dicitur infidelitas contrariè: Vel priuatiuè, carendo nutitia debita. Aliqui addunt aliam carentiam negatiuam, quæ sit per ignorantiam inuincibilem, sed hanc non admittunt plurimi cum D.Bonauent. 3. *dist.* 25. *art.* 1. *quæst.* 3. de quibus egi *Prima secunda, tract. de peccato, disp.* 2. *quæst.* 2.

3 DIVIDITVR autem Infidelitas in Hæresim, Iudaismum, & Paganismum à D.Thom. *quæst.* 10. *art.* 5. & D.Bonau. *p.* 1. *Centil. sect.* 26. Ibi probat S.Doct. infidelitatem esse peccatum, maximum inter peccata viæ Ioann 16. *Arguet mundum de peccato, &c. quia non crediderunt in me.* Vocat hoc *Peccatum* antonomasticè, & Ioan. 3. *Qui non credit, iam iudicatus est: quia non credidit in nomine Vnigeniti filij Dei.* Et Marci vltimo: *Qui verò non crediderit, condemnabitur*, quasi pœna summa infidelibus præparata sit. Dixi, inter peccata viæ infidelitatem esse peccatum maximum, cum D.Bonau. quia nullus in via odit Deum expressè, sed solùm interpretatiuè, vt docet D.Bonau. ad ea verba Ioan. 15. *Et oderunt me, & Patrem meum.* Interpretatiuè quidem oderunt, quatenus ab eo auertuntur per peccata, vel nollent puniri; odium verò formale, est damnatorum proprium.

4 DThomas comparat infidelitatem cum odio Dei, & ait, hoc esse peius, quia opponitur Charitati, quæ maior est, *prima Corinth.* 13. Infidelitatem verò maiorem, ait, Desperatione, vt dicam *disp.* 6. *quæst. vn.* tametsi hæc sit periculosior. Vide etiam Tannerum *T.* 1. *quæst* 8. *dub.* 1.

5 PORRO infidelitatem in intellectu ponit S.Doct. *in* 1. *dist.* 5. *quæst.* 5. *ad* 4. opponitur enim fidei, quæ est in intellectu, & voluntate, seu in libero arbitrio, vt dixi *disp.* 1. *quæst.* 18. De quo agunt Suarez *disp.* 16. *sect.* 3. Hurtado *disp.* 67. Lugo *disp.* 18. *sect.* 1. Quæritur præcipuè: an peccatum infidelitatis semper consummetur in Intellectu; an in sola aliquando Voluntate.

NEGANT Suarez *loc. cit.* Coninch. *disp.* 18. *dub.* 3. Tannerus 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 8. *dubio secundo*, Fuliens. *lib.* 3. *cap* 6.

ASSERVNT Valentia *disp.* 1. *quæst.* 10 *p.* 1. Hurtado *disp.* 68. *sect.* 2. quæ sententia Metaphysicè intellecta placet Lugo *num.* 9. licèt communiter loquendo, priori adhæreat. Fuliens. verò malitiam obiectiuam in intellectu ait, qui dissentit à fide; formalem verò in voluntate, à qua liberè exit actus intellectus prauus.

QVÆSTIO II.

An opera omnia Infidelium sint peccata.

D.Thom. quæst. 10 art. 4.
D.Bonau in 2. dist. 41. dub. 2.

SECTARII huius temporis omnia opera infidelium, peccata esse clamant. Sic Lutherus *art.* 36. ex damnatis à Leone X. Melancthon *in Apol. confess. Augustana*, Bucerus *lib. de concordia controuers.* Caluinus *lib.* 2. *Instit. cap.* 3. Kemnitius *in examine sess.* 6. *can.* 7. 6

FVIT verò sententia Gregorij Arim. 2. *sent. dist.* 41. *quæst. vn. art.* 2. omnem actionem istius infidelis esse malam, qui omnino Deum ignoret; non autem hæreticorum, qui Deum saltem agnoscunt. Capreolus verò *in* 2. *dist.* 41. *quæst. vn. art.* 3. putat, saltem omnem actionem præceptam, factam ab infideli, quo tempore præcipitur, esse malam, quia deberet referri in Deum verum, quod non faciunt infideles, qui Deum verum ignorant: & in hoc Gregorio fauet.

VERISSIMVM tamen est, aliqua opera infidelium esse bona.

PROBATVR primò à S.Bonau. 3. *dist.* 38. *dub.* 2. *ex primo Exodi*, vbi Obstetrices Ægyptiæ laudantur, quia contra Regis mandatum seruabant viuos infantulos Hebræorum, ad quod lege Diuinâ, & naturali tenebantur. Illæ autem Obstetrices infideles erant. De hia verò dicitur: *Quia timuerunt Deum, ædificauit eis domos.* Vbi D.Hieronymus: *Ædificauit eis domos spirituales:* Ergo aliquam spiritualem rem adeptæ sunt. 7

PROBATVR secundò à S.Doct. ex dictis *prima secunda, tract.* 5. qui de Gratia, *disp.* 1. *quæst.* 10. vbi ostendi, posse aliquem viribus naturæ, agere bonum opus morale.

PROBATVR tertiò à S.Doct. hîc, quia ad opus bonum morale non requiritur fides, neque gratia sanctificans, vt definit C. Trident. *sess.* 6. *cap.* 7. vbi sub anathemate damnantur dicentes, omnem actionem hominis ante iustificationem esse peccatum.

Idem probatur ex PP. Ambros. *lib.* 1. *de Abraham, cap.* 2. Hieron. *in fine lib.* 2. *com. in epistolam ad Galat.* August. *lib. de spiritu, & litt. cap.* 27. & 28. Chrysost. *homil.* 67. *ad popul.* Vide Tannerum *disp.* 1. *q.* 8. *dub.* 4.

OBIICIVNT aliqua loca Scripturæ, Matth. 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* 8

RESPONDET S.Doct. hîc ex D.August. *lib.* 1. *cont. Iulianum, cap.* 3. & *in Enchir. cap.* 15. dici arborem malam voluntatem, quatenus malè aliquid vult, vel vt voluntas est illius infidelis; non perfectè bona est. Ita etiam Tannerus, & alij.

SECVNDO obiiciunt illud Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.*

RESPONDET S.Doct. ad eum locum, & *in* 2. *dist.* 28. *art.* 2. *quæst.* 3. loqui de operibus meritoriis, & de his, quæ sunt dispositiua ad salutem de congruo. Deinde sufficit, si auxilium Dei adsit, vt operetur ob Deum cognitum authorem naturæ, etiamsi absit fides.

OBIICIVNT tertiò Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.*

RESPONDET S.Doct. *in* 3. *dist.* 23. *dub.* 2. & *in* 4. *dist.* 39. *q.* 3. ibi loqui de conscientia, vt opus, contra conscientiam factum, malum sit. Sic exponitur à D. Chrysost. *homil.* 26. *in epistolam ad Romanos*, & aliis. Ita etiam Tannerus *loco citato.* 9

OBIICIVNT

Obiiciunt quartò id Tit. primo: *Coinquinatis, & infidelibus nihil est mundum.*

Respondetur ex D.Bonau. hîc, & D.Chrysost. *homil.* 3. *ibi*; omnia esse immunda infidelibus, superstitiosè suas actiones peragentibus; tam enim potest infidelis vnum existimare immundum, puta vitulum, quam Suem. Vide reliqua in Valentia *quæst.*10. *p.*2. Tannero *loco citato.*

QVÆSTIO III.

Vtrum infideles possint compelli ad FIDEM *audiendam.*

10 Loqvimvr nunc de infidelibus, qui extra sunt, non baptizati.

Potestatem hanc egregiè probat S.Doct. primò *ad* 14. *Lucæ*, vbi Rex præcipit: *Exi in vias, & sepes & compelle intrare, vt impleatur domus mea.* Vbi ministri illi prædicatures sunt, qui præcipiuntur à Christo, vt extra ciuitatem in vias, & sepes quærant gentiles, iuxta expositionem D. Gregorij *in Gloss. in cap.*14. *Lucæ*, & *homil.*36. *in Euang.* per vias autem vrbis quærunt Iudæos, qui tenere legem sub vrbana conuersatione nouerant. Hos verò compellere terroribus æternorum suppliciorum iubet, non bellicis tormentis, vt aduertit S.Doct. sed rationibus efficacissimis, vt notant etiam D.Thom. *quæst.*22. *de ver. art.*9. & alij.

11 Idipsvm ostendit S.Doct. *ad vltimum Lucæ* ad ea verba Christi: *Sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis: & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Hoc autem ius ostendit ex Genes.22. *Benedicetur in semine tuo omnes gentes.* Genes.49. *Ipse erit expectatio gentium.* Psal.2. *Postula à me, & dabo tibi gentes. Ego autem sum Rex ab eo constitutus, prædicans præceptum eius.* Isa.49. *Dedi te in lucem gentium.*

Confirmat S.Doct. *in* 3. *dist.* 14. *dub.* 4. illo Matth. vltimo: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes.* Pressiùs id ostendit ex hoc loco *in* 4. *dist.*3. *p.*2. *quæst.*1. *ad quintum.*

Et Apostolus secunda Corinth.5. *Posuit in nobis verbum reconciliationis: Pro Christo ergo legatione fungimur.*

12 Cvm igitur diuinâ suâ potestate miserit prædicatores Legatos ad annunciandum Euangelium, habent ius illi coërcendi eos, qui prædicationem hanc vellent impedire: Talis enim potestas inest Regi ad eos coërcendos, qui suos vellent impedire Legatos, vt constat *ex l.*2.*ff. de his, quibus mandata est iurisdictio, C. Præterea de officio delegati*: Ità sentiunt communiter Doctores apud Tannerum 2.2. *disp.* 1. *quæst.* 9. *dub.*1. *num.*10. & sequent.

De his verò sunt nonnullæ quæstiones.

Prima est: Ad quos pertinet authoritas mittendi prædicatores ad Infideles.

Respondet S. Doct. *in opusculo. Quare fratres minores prædicent*; competere Papæ, & aliis Pastoribus *ex Luca* 10. Vnde Innocentius in illud Rom.10. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* relatus *in cap. cum ex iniuncto de hæreticis*, ait, quod non debet sibi quisquam indifferenter prædicationis officium vsurpare. Quod probat S.Doct. illis verbis Christi: *Rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.* Matth.9.

13 Pertinet verò ad Principes defendere Missionarios, non directè ratione suæ iurisdictionis, sed vt sunt ministri Pontificis. Sic Alexander VI. diuisit Regibus Castellæ, & Lusitanæ Prouincias Indiarum, vt prædicatores, & missos in his defenderent.

Posse verò eos comitari exercitibus armatis, vt securi eant, docent Maior 2. *dist.*44. *quæst.*2. & nouiter Ioannes Solorzano apud Dianam, 6. *p. tract.*4. *resol.*15.

Oppositvm tamen sentiunt Lugo *disp.*19. *sect.*2. §.1. cum Suarez *disp.*18. *de fide.* Hurtad. *disp.*75. Castro Palao *Tom.*1. *tract.*4. *disp.*2.*p.*5.

Probant illo *Matth.*10. vbi Christus mittit Apostolos: *Sicut agnos inter Lupos, sine baculo, &c.* Iam verò est nostra quæstio: An, si prædicatio Euangelij pacificè offeratur, & Infideles renuant audire, cogi armorum vi possint ad eam audiendam. 14

Prima opinio est assertiua Maioris *loc. cit.*

Secvnda est negatiua. Ita Valentia *quæst.*10. *p.*6. & indicat Salmeron *T.*12.*tract.*38. Coninch. *disp.*18. *dub.*14. *num.* 24. Caietanus, Bannes, Aragon. 2.2. *quæst.*10. *art.*8. & alij communiter apud Tannerum *disp.*1. *quæst.*9.*dub.*1. Videtur D.Bonau. *ad* 9. *Lucæ* in ea verba: *Nescitis cuius spiritus estis.*

Tertia sententia media asserit, quoad non baptizatus infideles, eos esse subditos Principibus Christianis tantùm. Ita Suarez *disp.*18. *sect.*2. Hurtado *disp.*75. *sect.*3. qui id probant ex Bulla Gregorij XIII. cogentis Iudæos ad audiendam singulis hebdomadibus fidem nostram è concione solùm. Idem vult Scotus 4. *dist.*4. *quæst. vlt.* Castro *lib.*2. *de hæret. punit. cap.*14.

Assero cum hac D.Bonau. sententia. Probatur ab illo. Christus enim corripuit discipulos volentes punire Samaritas, recusantes recipere Christum *Lucæ* 9. corripiuntur verò, quia ad Apostolos non pertinebat pœnis exercere, cùm illis dictum esset: *Sicut misit me Pater; & ego mitto vos.* Ipse autem missus est mansuetis annunciare, vnctus vnctione amoris, vt dicitur *Isaiæ* 61. & 42. *Dedi spiritum meum super eum: Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* Vnde ibi respondit discipulis: *Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Quoniam hic aduentus non erat iustitiæ, sed misericordiæ, Ioan.3. *Non misit Deus Filium suum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*; vnde hinc nomen Iesv accepit *Matth.*1. non Alexandri, non Cæsaris. Et ideò qui Spiritum Dei habet, non debet expetere vindictam, sed exhibere patientiam, vt ait Ambrosius in Glossa ibi: *Perfecta virtus non habet studium vltionis. Nec vlla est iracundia charitatis, sed plenitudo.* Ideo dicitur Rom. 12. *Non vosmetipsos defendentes charissimi, &c.* Hæc S.Bonau. *locis citatis.* 15

Ex quibus video, ipsum inclinare ad sententias, negantes coactionem quamcumque infidelibus posse inferri.

Neqve ex potestate prædicandi data à Christo, sequitur potestas cogendi ad concionem; alioqui Concionator missus ab Episcopo, posset cogere auditores ad concionem. 16

Communis igitur sententia est, non posse cogi infideles extraneos ad fidem audiendam; nulla enim ad hoc potestas data à Christo inuenitur, vt notat Lugo *loco citato, num.*65.

QVÆSTIO IV.

An cogi queant Infideles ad FIDEM *nostram, sufficienter propositam, amplectendam.*

D.Thom.quæst.10 art.8.

17 PRIMA opinio est, posse infideles cogi ad amplectendam fidem, sufficienter propositam. Ita Maior 2. *dist.*4. & quidem Genesius sepuluenda apud Cardinalem de Lugo *disp.*19. *sect.*2. §.2.

SECVNDA sententia id asserit de infidelibus, qui sunt subditi in temporalibus Principi, eos ad fidem cogenti; id tamen asserunt, loquendo de iure Diuino; nam iure Humano hæc coactio prohibetur. Hanc docet Scotus 4. *dist.*4. *quæst.*.7. in fine, & aliqui ex eius Schola; eam probabilem asserit Lorca 3. *disp.*36.

ALII id limitant ad coactionem Indirectam; negant verò de directa. Ita Gabriel *dicta dist.*4. *quæst.*2. Angelus apud Suarez *disp.*18.*sect.*3.

18 COMMVNIS, & vera sententia negat omninò, posse infideles, siue subditi sint, siue non subditi, cogi ad amplectendam fidem. Ita D.Thom. *quæst.*10. *art.*8. *&* 12. vbi Caietanus, & alij Thomistæ, Paludanus, Durandus, Antonius, Richardus, Sotus, Abul. Syluester, Castro, Victoria, & alij, quos affert, & sequitur Suarez suprà, Bannes, Aragon, Turrianus, Valentia, Azorius, & alij, quos afferunt Hurtad. *disp.*75. *sect.*2. Coninch. *disp.*18. *dub.*14. *num.*225. Castro Palao *Tom.*1. *tract.*4.*disp.*2.*p.*6. Lugo *disp.*19. *sect.*2. §.2. Tannerus *disp.*1. *quæst.*9. *dub.*1. qui alios recensent. Adde Bass. *verb. Fides*, 2. *num.*8. Est autem sententia D.Bonau. *in* 4. *dist.*4. *p.*1. *art.*2. *quæst.*1. *arg.*4. *opp.* quod admittit etiam aliis locis, adductis *quæst.*3.

ASSERO cum hac sententia, non posse infideles, siue subditos, siue non subditos, cogi ad fidem amplectendam.

19 ID præcipit S.Gregorius Magn. *lib.*11. *epist.*15. relatus *in cap. Qui sincera*, *dist.*45. & Concilium Tolet.4. *cap.*56. relatum *eadem dist. cit. de Iudæis.* Et id ipsum decernit Innocentius III. *in cap. Maiores*, *de Baptismo*, vbi Pontifex reddit rationem; quia est contra Christianam religionem, quæ est ratio D.Bonau. quia Lex Euangelica libera est; nec de his, quæ foris sunt iudicat, vt docet Apostolus *prima Corinth.*5. vt notat S. Bonau. *in* 4. *dist.*39. *art.*2. *quæst.*2. & ideò obseruat S.Doct. *ad* 10. *Lucæ* Missionem Christi: *Ecce ego mitto vos, sicut Agnos inter Lupos*, vbi arma, quibus vult, mundum reduci ad fidem, esse mansuetudinem, ait; non autem arma, more antiquo, & sic conuertisse ipsummet Paulum, aduertit; de quo dictum erat, Genes.49. *Benjamin Lupus rapax*, qui conuersus fuit, ex Equo sanè à Christo Monarcha deturbatus; sed conuictus argumentis, & luminibus, sponte ad fidem venit. Vnde frustra exemplum hoc adducunt aduersarij, vt aduertit Lugo *num.*85. Hoc sensu explicat, & illud Lucæ 14. *Compelle eos intrare*, idest non armis, sed motiuis cælestibus; non pœnis temporalibus, sed terrore, ad summum, pœnarum æternarum, vt exponit D.Bonau. ad hunc locum: *Arma enim militiæ Christianæ non sunt carnalia*, vt dicitur 2. *Cor.*10. Id aduertit S.Ambrosius *lib.*7. *in Lucam.* Et obseruat, prohiberi Apostolos tollere virgas, quæ sunt signa potestatis, vt describit S. Doct. *ad Psal.*22. & *in commentario*, *cap.*22. *Lucæ* S.Bonau. obseruat cum D.Ambrosio *lib.*10. *in Lucam*, præcipi, vt pro tempore solo passionis sumant Apostoli duos gladios ad meram defensionem, & addit Glossa: *Donec sopitâ persecutorum insaniâ, tempus euangelizandi redeat.* Quod si in Ecclesia non mansit hæc vis coactiua, non appareat quomodo manere possit in Principibus, in ordine ad infideles: nam de rebus fidei iudicare ad Ecclesiam spectat.

20 EGREGIE autem id probat S.Doct. *ad* 9. *Lucæ* facto illo insigni, quando Christus ibat Samariam, & quia Samaritæ noluerunt recipere illum ad prædicandum; Iacobus, & Ioannes volebant igne eos punire è cælo; at Christus eos reprehendit. *Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed saluare*, quem locum, *quæstione superiori* perpendi cum D.Bonau. Hoc si nonnulli pensitassent, non tanta strage & immanitate sæuîssent in miseros infideles, apud exoticas terras, sub prætextu Christianam religionem ipsis conciliandi; de hoc vide Archiepiscopum Valentiæ in historia Americæ.

PROBATVR à S.Doct. *ad* 9. *Lucæ* rationibus, quia gentes ad fidem debent moueri voluntariè, spiritu rectitudinis; alioqui contentiones, & scandala oriuntur, vt dicant gentes: *Haccine hic Christus eorum præcepit, qui se Saluatorem mundi prædicandum mandauit?* His vtitur etiam Tannerus *num.*4.

21 OBIICIES, Sisebutum Regem Hisp. olim Iudæos ad Baptismum coëgisse, qui laudatur à Concilio Toletano 4. *cap.*56. Rex verò Ferdinandus Iudæos è regno expulit.

RESPONDETVR, laudari Sisebuti Zelum; non factum. Ferdinandus verò iure expulit Iudæos, nolens habitare in suis regnis, ne suis subditis nocerent. Sic vtinam sanguisugæ vndique pellantur.

OBIICIES secundò S.Gregorius Magn. *lib.*3. *epist.*26. relatus, *cap. Iam verò*, 23. *quæst.*6. videtur velle, cogendos infideles exactionibus.

22 RESPONDETVR, cogi indirectè, & iure, non remittendo eis tributa debita, nisi conuertantur.

OBIICIES tertiò Leges latas contra Paganos, & eorum ritus, vt *Lex prima*, *Lex Nè quis. Lex Nemo ea. Lex Nemo venerandi*, *C. de Paganis*, quæ leges laudantur à Conciliis, & PP. apud Suarez *sect.*4.

23 RESPONDETVR, eas leges prohibere cultus Dæmoniorum sacrilegos, & alia, quæ sunt contra legem naturæ, ad quod Principes naturale habent ius.

OBIICIES quartò. Baptizati inuiti coguntur ad obediendum Ecclesiæ, vt constat è Concilio Tolet.4. *cap.*56. relato *cap. de Iudæis*, *dist.*45.

RESPONDET Lugo *num.*91. è D.Bonau. *in* 4. *dist.*3. *p.*1. *art.*2. *quæst.*1. non omnes inuitos æstimari baptizatos; sed eos, qui metu adacti, vt vitent incommoda, baptismum adeunt; & hi dicuntur tantùm secundùm quid inuiti.

QVÆSTIO V.

An Infideles non baptizati, cogi queant ad relinquendos errores, vel ritus, rationi naturali contrarios.

24 PRIMA opinio est assertiua. Sic Maior, & Sepuluenda apud Suarez *disput.* 18. *sect.* 4. Citantur à Coninchio *disput.*18. *num.* 184. D. Antonin. 3. *p. tit.* 22. *cap.*1. 5. *&* 8. sed ibi loquitur ad mentem Augustini Anconitani. Adducitur etiam Syluest. *verbo Papa*, *quæstione* 7. qui eodem modo loquitur. Citantur etiam Panormitanus *cap. Quod super his*, *de* voto

voto, & à Panormitano, Hostiensis, & Innocentius *in cap. Quod super his, extra de voto.*

SENTENTIA communis Theologorum id concedit de infidelibus tantùm subditis. Ità Caietan. Victoria, Soto, Valentia, Aragon, & alij, quos refert, & sequitur Suárez *disp.* 58. *sect.*4. Turrianus *disp.*52. *dub.*2. Coninch. *disp.*18. *dub.*12. *num.*187. Hurtad. *disp.*75. §.23. Lugo *disp.*19. *sect.*2. Bassæus *v. Fides* a.8. qui alios afferunt. Idem sentiunt alij cum Tannero *disp.*1. *quæst.*9. *dub.*2. qui etiam dicunt, licere, si infensi, & scandalo sint Christianis. Id probat S.Doct. *de Eccl. Hierarch. p.*2. *cap.*1. ex facto Iudæ Machabæi *lib.*1. *cap.*3.

PROBATVR à Suarez exemplo Dei, qui cùm vellet destruere, vel punire gentes habitantes in terra promissionis, noluit tamen eas debellari ab Israëlitis propter crimen Idolatriæ; sed propter negatum transitum pacificum per terras suas, & colligitur *ex* 20. *Numer.* & hoc significat S.August. relatus *cap.*3. *d.*23. *quæst.*2.

At Coninchius *num.*193. hoc factum ait speciali concessione Dei supremi Domini.

25 ADDIT Lugo *num.*97. solùm transitum denegatum non induxisse mala illa Chananæis, neque satis iustificasse omnia bella Iudæorum. Vnde quando transgressi sunt Iordanem, eos occidebant, non tamen ob transitum denegatum. Præterea occidebantur etiam paruuli, huius barbariei inscij. Melius cum D.Bonau. *ad* 12. *Sap.* inuenies causam vniuersalem belli iusti Israëlitarum, quia nempe Pagani illi correpti, nolebant relinquere opera contra Ius naturæ; sic autem loquitur: *O quam bonus, & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus! Ideòque eos, qui exerrant, partibus corripis: & de quibus peccant, admones, & alloqueris: vt relicta malitia, credant in te Domine. Illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti, quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina, & sacrificia iniusta; & filiorum suorum necatores sine misericordia, & comestores viscerum hominum, & deuoratores sanguinis à medio Sacramento tuo, & auctores parentes animarum inauxiliatarum perdere voluisti per manus parentum nostrorum, vt dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium charior est terra.*

Hæ sunt causæ, vt ait S.D. ibi, ob quas populos illos noluit cum fideli populo habitare, neque fœdus cum eis inire; imò expelli, & occidi, quia opera enormia contra naturam incorrigibiles patrabant in ruinam, scandalum, & damnationem fidelium. Occidebantur verò paruuli in pœnam scandalorum parentum.

26 NICOLAVS Papa ad interrogationes Bulgarorum, loquens de Idolatris, vt sic, ait: *De his, qui idolis immolant, nihil aliud dicere possumus, nisi quod ratione potiùs, quàm vi, conuincendi sunt.*

Et Paulus III. apud Lugo *n.*102. & Coninch.160. declarauit, Indos infideles, esse veros Dominos suorum bonorum, nec posse eis spoliari.

Aduertunt verò Bannes *quæst.* 10. *art.*10. *dub.*2. Suarez suprà *num.*8. Coninch. *num.*188. Lugo *n.*116. debere priùs Principem legem ferre, prohibendo; & postea delinquentes punire.

27 ADDIT Lugo, suauiori, quò potest modo, punire debere: attamen atrociora crimina, suprà relata, grauissimè punienda, ait idem. Mirum autem, in Legibus Solonis, & Romuli nullam pœnam parricidia præscribi. Profectò reor cum Tullio, *oratione pro Roscio Amerino*, & Plutarcho in vita Romuli, causam extitisse, quia tantum scelus non credebant vnquam futurum. At casu adueniente, debet parricida atrocissima morte plecti, sicuti fuit Franciscus Rauellac ab Angolemn, qui Henricum IV. Magnum Galliarum legitimum Regem confodit, vt obseruat Lugo Hispanus. Fuit enim magnus hic Monarcha; Alexandro, & Cæsare non inferior, vt facta eius apud Matthæum, & Danilam ostendunt. Fuit Catholicus sincerissimè factus, sed voluit priùs Regnum ense acquirere, ne vnquam aliquis in animum induceret, eum regni captandi eluuie Sacramentis Ecclesiæ reconciliatum, neque verò fuerat suo iudicio relapsus, quia adolescens, mortis terrore à Carolo nono incusso, fidem Catholicam susceperat. Enim verò, si coram Iudice abiurarat, non excusabatur, vt ait P. Cyprianus *fol.*748. P.Bonagratia *v. Absolutio*, etsi hæc doctrina sit ab Eminentiss. declarata solùm *an.*1068.

QVÆSTIO VI.

An permittendi sint ritus Infidelium.

D.Thom.art.11.

28 REGVLA certa est, hos ritus non esse absque grauissima causa à Christianis permittendos infidelibus subditis.

CAVSÆ autem grauissimæ geminæ sunt; ad vitanda maiora mala, vel ne impediatur maius bonum. Sic Theologi communiter cum D.Thom. 2.2. *quæst.*10. *art.*11. & D.Bonau. *locis allegandis*. Sic Tanner. *disp.*1. *quæst.*9. *dub.*2. Card. Lugo *disp.*19. *sect.*2. §.4. Bassæus *v. Fides*, 2. *num.*9.

ASSERO primò, ob causas allatas posse sustineri à Principibus Christianis infideles subditos.

PROBATVR à S.Doct. *opusc. de sex alis Seraphim*, *cap.*7. ex illo *Matth.*13. vbi Paterfamilias expostulatus de eradicandis Zizaniis, respondit: *Non: ne fortè eradicetis & triticum. Sinite vtraque crescere*, &c. Hæc enim est regula generalis, & à Pontificibus, & Regibus eo tempore seruata, ne in Ecclesia seditiones, & confusiones ebullirent. Sic enim & Deus mala quædam tolerat ob has causas, vt notat Tanner. post D.Bonau. *in* 1. *dist.*47. *quæst.*3. vbi nostram infert conclusionem, eâ sane ratione, quia bona nostra debent habere exemplaria in Deo.

ASSERO secundò, hac de causa sustineri etiam Iudæos, tum quia velut vmbræ veritatem confirmant nostræ fidei, & Libros sacros nobis exhibent ad Paganos conuincendos. Ita habetur *can. Qui sincera, dist.*49. & D.August.18. *de ciuit. cap.*46. Libri sane legitimi veteris testamenti ab eis sunt accipiendi, at verò Thamuldici, Cabalistici, & similes, contumelias in Christum euomentes, flammis tradendi, vt iam olim statutum à Gregorio IX. Innocentio IV. Iulio III. Paulo IV. & nuper à Clemente VIII. 29

ASSERO tertiò, extra hos casus non sunt infideles subditi tolerandi. Sic definitur in Concil. Carthag.4. *can.*15. Elibertino, *cap.*44. *& Clem. vn. de Iudæis, & Saracenis*, & *leg. Nemo, C. de Paganis.* 30

PROBATVR à Suarez *disp.*18 *sect.*4. Tannero *disp.*1. *quæst.*9. *dub.*2. Lugo *disp.*19. *sect.*2. §.4. argumento D. Bonau. *ad Psal.*118. *cap.*2. *vers.*11. explicantis id Matthæi 20. *Principes gentium dominantur eorum*, quia tenentur suos subditos remouere ab animarum perditione, à scandalis, & ad bonum promouere. Ideò enim Constantinus Templa Paganorum combussit, vetuit sacrificia; & laudatur à Sanctis, Ambr. *epist.*56. August. *epist.*48. 50. *&* 204. & refert Nicephorus *lib.*8. *cap.*33. & de Iouiniano *lib.*10. *cap.*39. & Theodosio *lib.*12. *c.*25. sic laudantur Iosias, Ezechias, Iosaphat, qui excelsa abstulêre 3. *&* 4. *Reg.* & culpantur alij, qui ea non abstulêre, vt notat S.August. *epist.*50.

Hic quærunt: an possit Princeps absque Pontificis facultate saluum conductum infidelibus concedere.

RESPONDET Hurtadus *disp.79. sect.5.* posse infidelibus non baptizatis concedi; non hæreticis, qui Ecclesiæ sunt subditi.

31 IGITVR, non obstante quouis Regum saluo conducto, potest Ecclesia hæreticos punire, vt definit Concilium Constantiæ *sess.19.* si tamen ipsa dederit saluum conductum, tenetur seruare: vt docet Magister Ioan. Marq. Augustinianus *lib.2. de gubernatore Christiano. cap.24.* qui *pagina* 302. ait, iis seruandam fidem, præsertim iuramento firmatam.

QVÆSTIO VII.

An liceat cum infidelibus pacisci de eorum ritibus tolerandis.

{ D.Thom. quæst.10. art 11.

32 GRAVISSIMA hæc quæstio est, & his temporibus necessaria.

ASSERO primo; non licet absque grauissimis causis Principi Christiano de hoc pacisci. Conueniunt Catholici cum D.Bonau. *locis citandis.* Sic D.Thom. *quæst.10. art.11.* Molanus *lib 1. de fide hæreticis seruanda, cap.10.* Lensæus *de vnica religione seruanda.* Becanus *lib. de fide hæreticis seruanda, cap.10.* Iacobus Simane. *lib. Cathol. Instit. cap.46.* Conradus Brunus *de hæret. lib.3. cap.15.* Petrus Ribadeniera *lib.1. de Inst. Principis, cap.17.* & alij apud Tannerum *disp.1. quæst.9. dub.3. num.66.*

Probatur primò à D.Bonau. *ad 12. Sapientiæ*, illis verbis; *Illos antiquos habitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti, quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina, & sacrificia iniusta, &c. perdere voluisti à medio Sacramento tuo per manus parentum nostrorum.*

PROBATVR secundò à S.Doct. ibi ex Deuter.7. *Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum; nec sociabis cum eis connubia. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo: quia seducet filium tuum, ne sequatur me, vt magis seruiat diis alienis: irascetur que furor Domini, & delebit te citò.* Idem præcipitur. *Exodi* 34. Hinc reprehenditur Salomon transgrediens 3. *Reg.*11. & Iosaphat, alioqui pius 2. *Paral.*19. & 20. eò quòd incautè fœdus iniisset cum Regibus Israël infidelibus.

33 PROBATVR tertiò à S.Doct. *opusc. de sex alis Seraphim, cap.7.* ex cap.5. ad Galat. *Modicum fermentum totam massam corrumpit, &c. Qui autem conturbat vos, portabit iudicium, &c. vtinam abscindantur qui vos conturbant.* Et prima Corinth.5. *Auferte malum ex vobismetipsis.* Et Lucæ 13. *Succide illam.* Similia habentur 2. *Timot.*2. *Tit.*3. *Ioan. epist.*2. *Apocal.*2.

PROBATVR quartò à S.Doct. *serm.6. Hexaemer.* ex praxi Ecclesiæ, maximè summorum Pontificum, & Conciliorum, damnantium, & separantium hæreticos. Similiter Imperatorum, præsertim Constantini, Caroli Magni, & Theodosij. Extat enim insignis Theodosij, Gratiani, & Valentiniani Constitutio, & habetur *l. Cod. de summa Trinitate*, vbi definitur: *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus Religione versari, quam Diuum Petrum tradidisse Romanis, Religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat, quam Pontificem Romanum sequi claret.* Simile est rescriptum Gratiani, Valentiniani, & Theodosij Imperatorum, qui omnibus hæreticis perpetuum silentium indicunt *l.2. C. de hæret.* similia habentur *l.5. C. de hæret.* & apud Eusebium in vita Constantini *lib.3. cap.6. & 62.*

Probatur etiam rationibus allatis *quæst.6.* nam hæc 34
pacta graue damnum, & scandalum afferunt, & vi, ac dolo extorquentur, vt constat ex fœderibus cum sectariis horum temporum, quæ grauissima bella, & ruinas attulere, vt refert Dauila in historia Galliæ, & Tannerus *disp.1. quæst.9. dub.3.* Bassæus *verb. Infidelitas*, 10.

ADDO tamen, ob grauissimas causas licere pacisci, & tolerare. Ratio est Tanneri *num.99.* ea enim licet pacisci, quæ licet tolerare.

ASSERO secundò. Si quando talia pacta à Regibus 35
ineantur ob graues causas, non esse violanda. Ità Molanus *lib.1. cap.25. & sequent.* Becanus *disp. de fide hæreticis seruanda, cap.7.* Letmaius *de fide hæreticis seruanda*, & alij apud Tanner. *disp.1. quæst.9. dub.4.* Hæc est sententia S.Bonau. *locis allegandis.*

PROBATVR primò à S.Doct. *in 3. dist.39. art.2. quæst.3.* vbi ex eo, quod liceat fœdera cum infidelibus inire, colligit S.Doct. posse ab eis recipi iuramenta, iuxta eorum sectas, vt à Mahumetanis super Alcoranum, vt ostendam *tract. de Relig. disp. de iuramento, quæst.2.*

PROBAT autem, seruanda fœdera, eaque esse le- 36
gitimè aliquando inita; primò exemplo Iacob *Genesis* 31. vbi fœdera iniit cum Laban Pagano.

DEINDE id probat exemplo Iudæ, Sancti Ducis Machabæorum, qui cum Romanis fœdera iniit 1. *Machab. cap.8.* neque reprehenditur.

PROBATVR deinde à S. Doct. *eadem dist. art.3. quæst.3.* exemplo Iosuë Sanctissimi Ducis, qui fœdus, licèt incautè initum, Gabaonitis seruauit, & in hoc laudatur à D. Ambr. *lib. de officiis.* Disputat Abulensis *ad 9. Iosue, à quæst.17. ad 27.* An iuramentum ad illud obligaret: Ille enim asserit, non fuisse obligatorium, nitens contra Lyranum ad oppositum. Cum Tostato est etiam Tannerus *disp.1. quæst.9. dub.4. num.119.*

SVPPONIT quidem S.Bonau. illud fundamentum, quo maximè nititur Tostatus, obligatos fuisse simpliciter Hebræos ad occidendum Gabaonitas, qui erant Chananæi; de quibus occidendis absque misericordia aderat Dei præceptum. *Deuter.*20. *Num.*33. Neque inuenitur aliqua reuelatio Dei dispensans. Ex quo ruit tota argumentatio Lyrani.

VNAM rationem ille affert, quæ est D.Ambrosij 37
loc. cit. dicentis, *Iosue pacem, quam dederat, reuocandam non censuit, quia firmata erat Sacramenti religione, ne, dum alienam perfidiam redargueret, suam fidem solueret.* Ratione igitur scandali videtur innuere, iuramentum seruandum.

RESPONDET tamen Abulensis *quæst.22.* non fuisse scandalum datum, quia Gabaonitæ deceptores extorserant hoc iuramentum, fingentes, se non esse Chananæos.

RATIO, quâ D.Bonau. asserit, rectè seruatum iuramentum, est, quia præceptum de occidendis Chananæis latum erat, quatenus erant incorrigibiles: Ideò *Iosue* 11. dicitur: *Domini enim sententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel, & caderent, & non mererentur vllam clementiam, ac sic perirent, sicut præceperat Dominus Moysi.* Cùm igitur Gabaonitæ non essent indurati, sed se dederent Hebræis, non erat præceptum eos occidere.

RESPONDET Tostatus *quæst.21.* primò, quia sen- 38
tentia Domini erat contra omnes Chananæos, nec fuit declarata exceptio, nisi postea *cap.11. Iosue*, quæ tunc non constabat Israëlitis.

Ego dico, signum euidens haberi, ita declaratum

præceptum

præceptum Iosuë, & principibus, quia post duo capita describitur, non tanquam latum tunc; solùm, sed tanquam manifestum iustæ seruationis Gabaonitarum. Et ideò dicitur: *Sicut præceperat Dominus Moysi, sic præcepit Moyses Iosue, & ille vniuersa compleuit: non prætermisit de vniuersis mandatis, ne vnum quidem verbum, quod iusserat Dominus Moysi:* Moa verò subdit exceptionem in lege occidendi Chananæos. Cùm igitur Moyses in Iio declarasset Iosuë, & hic ad vnguem impleuerit; sequitur, latum præceptum hac formâ, quia sic seruatum est à Iosue. Quod verò aliqui postea Chananæi sint interfecti, nihil contra me; erant enim peruicaces, rebelles, sicuti & cæteri ante occisionem. Addit S.Doct. fuisse ciuiliter punitos perpetuâ seruitute, in quo Principes meliùs se agere arbitrati sunt, quàm eos occidendo, cùm seruituti se sponte subderent. Hanc tamen rationem non accipit S.Doct. quia si validum erat iuramentum, non debebant puniri aliâ pœnâ perpetuæ seruitutis, vt arguit Tostatus *quæst.* 24. qui eorum ignorantiam excusat. Et in hoc solùm S.Doctori adhæret, quod in malum exitum non vergebat, imò eos recipere ad salutem.

39 Enim verò ad rem nostram sufficit, sanctum virum Iosue, qui dicitur, adamussim legem Domini seruasse, fœdera iniisse cum istis, quos sciebat Paganos, esto è longinquis.

Ratio D.Bonau. ex D.Ambrosio *loc. cit.* quâ vtitur Tannerus *num.* 104. est, quia Iuris Diuini, & Naturalis est, pacta seruare; alioqui rumpetur omnis humanæ societatis nexus.

Obiiciunt hæretici nobis, quasi tenentibus, nulla pacta seruanda.

Primò Concilium Constantiæ, quod fidem non seruauit Ioanni Hus, & Pragensi.

Respondetur, Concilium solùm declarasse, non inuare saluum conductum Regum in præiudicium potestatis Ecclesiæ super Hæreticos. Illi verò duo fuere iustè damnati. Et quidem Hieronymus à Praga habuit à Concilio saluum conductum, sed addito, *salua semper iustitia.* Hus verò ab Imperatore. Adde hæreticos sæpe extitisse periuros, vt Hugonotti in Carolum IX. vti refert Dauila.

Obiiciunt multa Concilia, Romanum IV. & Later. III.

40 Hæc tamen solùm absoluunt à iuramento fidelitatis subditos, Regibus excommunicatis, & priuatis per Pontificem eorum iurisdictione.

Assero tertiò, hæc pacta seruanda, etiamsi incautè inita. Ita D. Bonau. 3. *dist.* 39. *art.* 3. *quæst.* 3. quem sequuntur communiter alij apud Tannerum *num.* 112.

Probatur à D.Bonau. argumento D.Ambrosij *loc. cit.* quia maius est malum, fidem frangere, quàm talia pacta seruare; inde enim læditur bonum commune societatis humanæ.

QVÆSTIO VIII.

An Infideles, non baptizati, possint retinere potestatem supra Fideles, &: an possint ea priuari.

D.Bonau. in 2. dist. 44. art. 3. quæst. 1.
D.Thom. quæst. 10 ad 10.

41 Certum est, huiusmodi Principes infideles, seu etiam priuatas personas, esse dominij capaces. Et quidem habere dominium bonorum, definitur à Paulo III. in quadam Bulla apud Coninch. *dispat.* 18. *dub.* 10. *num.* 160. De Dominio etiam super personas tanquam seruos, certum est, illud posse apud eos esse, si iusto titulo, puta belli iusti, &c. retineant seruos.

E multis Scripturis ostendit S.Doct. iurisdictionem esse posse in infidelibus super fideles. Primò ex prima Petri 2. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi, tanquam præcellenti.*

Deinde illo Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et infrà: *Non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Tandem ex aliis epistolis Pauli id colligit S.Doctor.

Tertio ex illo Matth. 22. *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Hoc præceptum inculcabant Apostoli ad eluendam calumniam, quasi nostra fides negaret Principibus obedientiam. Vnde Paulus ad Titum 3. *Admone illos, vt Principibus obediant.* Idem præceptum iniungebant PP. Clemens P. *lib.* 4. *constit. cap.* 12. & *lib.* 7. *cap.* 17. Tertullianus *lib. ad Scapulam, cap.* 2. Polycarpus apud Euseb. *lib.* 4. *hist. cap.* 14. Basil. *in Moral. reg.* 79. Hieron. *epist.* 4. Chrysostomus *homil.* 23. *in epist. ad Rom.* Origenes *lib.* 9. *in eandem epist.* Oecumenius, Nazianzenus, Epiphan. & alij, quos refert Suarez *de defensione fidei, lib.* 3. *cap.* 1.

Probatur quartò à S. Doct. ratione Apostoli: *Omnis potestas est à Deo, atque ordinata; & qui ei resistit, Deo resistit, & damnationem incurrit:* sed dantur inter natiuæ multi habentes potestatem iurisdictionis, titulo iusto, siue bello, siue consuetudine, siue præscriptione, vel translatione dominij siuè in personam veram, vt est Rex; vel fictam, qualis est Respublica. Neque verò semel acquisita amittitur ob infidelitatem Principis, vel per fidem subditorum; potest enim infidelis benè regere populum fidelem Dei, etiam legibus iustis. 42

Confirmatur à D.Bonau. quia seruire non est malum, sed meritorium: Ergo ab illa seruitute non absoluimur per Baptismum.

De dominio igitur etiam reali in seruos fideles probatur à S.Doct. ex illo Ephes. 6. *Serui obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes; sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus.* Idem repetit *ad Coloss.* 3. *ad Titum* 2. Erant autem tunc principes omnes, imò & Domini priuati ferè omnes infideles. De seruis autem dominorum infidelium loqui Petrum *epist.* 1. *cap.* 2. illis verbis: *Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis, & modestis, sed etiam discolis,* obseruat S.Bonauentura, & Lugo *num.* 133. Huius rationem reddit S.Bonau. *fundamento* 4. cum D.August. *in Psalm.* 124. quia Christus non fecit de seruis liberos, sed de malis seruis, bonos seruos, quod etiam confirmat S.August. *conc.* 31. *in Psal.* 118. & author *qq. noui. & veteris testamenti,* sub nomine August. *quæst.* 35. & in Concilio Gangrensi *can.* 3. *relato cap. si quis seruum* 17. *quæst.* 14. anathema infligitur ei, qui, prætextu religionis, seruo fugam suaserit. Fuit autem celebratum tempore Syluestri Papæ, in quo Domini gentiles plures habebant seruos christianos. 43

Obiiciunt primò opinionis aduersæ authores, id prima Cor. 7. *Nolite fieri serui hominum, pretio empti estis.*

Respondent aliqui cum Suarez, Paulum ibi non loqui de seruitute ciuili, vel pœnali: de hac enim paulò antè dixerat: *Seruus vocatus es? non sit tibi curæ,* Et concludit: *Vnusquisque in quo vocatus est, fratres,*

in hac permaneas apud Deum. Loquitur ergo de seruitute vitiosa, quâ vnus, vt alteri obsequatur, Deum offendit: *Nemo enim potest duobus dominis seruire.*

44 ° MELIOREM esse expositionem D. Bonau. *in corpore* asserunt Cornelius *ibi*, Lugo *n.* 136. & alij, intelligi verba illa de ciuili etiam seruitute, nempe, coactos quidem in seruitutem, debere illam patienter sustinere; si tamen non cogantur, & liberi esse possint, non debere, se redigere in infidelium seruitutem, quia sic promptiùs, & expeditiùs, & liberiùs religioni vacare poterunt, & hoc innuunt verba præcedentia, vt refert S. Doct. *Seruus vocatus es? non sit tibi cura: sed & si potes fieri liber, magis vtere*, idest, si in tua libertate est, non seruum esse, vtere ea: si verò coactus sis, patienter sustine.

45 VINEZVR tamen *fundamento* 4. non respuere aliorum expositionem ad hæc verba, nempe, etiamsi posset quis è seruitute egredi, meritorium esse in ea permanere; & ideò hac occasione vtendum ad maritum humilitatis. Imò posse seipsos vendere ostendit S. Doct. 4. *dist.* 36. *dub.* 3. Simpliciter tamen debere subditos Principibus, & Dominis seruos obedire, iniungit Apostolus prima etiam Timot. vlt. *Quicumque sunt sub iugo seruitutis, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur. Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi: superbus est, & nihil sciens.* Et hoc probat enixè *ad Rom.* 13.

OBIICIVNT secundò, Legem Euangelicam secum ferre libertatem: Ideò enim cum *Matth.* 17. tributum ab Apostolis exigeretur, interrogauit Dominus Petrum: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filiis suis, an ab alienis?* Christus conclusit: *Ergo liberi sunt filij.* Quo loco, filiorum nomine, omnes fideles intellexisse videtur, vt indicat Lyra, & Hieronymus.

46 VARIA loci illius expositiones refert Suarez *lib.* 2. *cit. cap.* 4. & *lib.* 4. *cap.* 5. & *cap.* 8.

RESPONDET S. Doct. immunitatem hanc sibi Christum adscribere, vt pote filio Dei per naturam. Ideò ex hoc loco Patres probant filiationem Dei naturalem, quia inde se declarat, non esse subiectum ad tributa soluenda. Ita Chrysost. & Hilar. apud Suarez *cap.* 5. *num.* 5. Hanc verò exemptionem, dicunt eum potuisse extendere ad suam familiam Apostolorum, & aliorum, qui omnia reliquerunt, & secuti sunt eum, & hoc sensu loquitur Hieronymus: præcipuè verò eam Petro, & successoribus communicauit, vt significarunt verba illa: *Vt autem non scandalizemus eos, solue pro me, & te.* secluso enim scandalo, potuisset Petrus non soluere, communicata sibi à Christo immunitate, vt notat Lugo *n.* 138. cum D. Bonau. *prima parte Centil. sect.* 31. subscribit Tannerus *disp.* 1. *quæst.* 9. *dub.* 2. *num.* 44.

OBIICIVNT tertiò ex primo Iacobi: *Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis*, vbi Glossa: *Lex libertatis est lex Euangelica.*

RESPONDET S. Doct. Legem Euangelicam liberos nos reddere à seruitute peccati, & seruitute legis antiquæ, vt dicitur Rom. 8. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba,* (Pater.)

47 OBIICIVNT quartò. Lex charitatis omnes in vnum componens, omnia facit communia; vnde prima Cor. 3. *Omnia vestra sunt, siue mors, siue vita.* Et ad Ephes. & Coloss. *Omnes sumus in Christo*, &c.

RESPONDET S. Doct. charitatem facere nos vnum per quandam communicationem gratiarum, & affectuum; non autem temporalis dominij; alioquin vetitum esset, etiam aliquos Christianos esse inæquales, puta vnum Regem: alterum Ergastulum.

OBIICIVNT quintò. Maius est vinculum legis Diuinæ, quàm humanæ; sed lex Euangelica absoluit ab obligatione legis veteris diuinæ: Ergo.

RESPONDET S. Doct. non esse simile; nam Lex noua euacuat legem veterem, tanquam veritas figuram; non sic autem est de Lege humana, quæ adiuuat ad Diuinam obseruandam: Vnde Apostolus 1. *Timot.* 2. mandat, vt oretur pro Principibus, vt quietam, & tranquillam vitam sub eis agamus.

OBIICIVNT sextò. Christus per se nos redimere 48
voluit, vt in pristinam restitueret libertatem, & sibi homo subiectus esset, vt ait S. Anselmus *Lib. Cur Deus homo, cap.* 5. cùm ergo empti simus pretio magno sanguinis Christi Domini; ipsius tantùm sumus: Ergo videtur, quod Christianus, qui renatus est in Christo, adstrictus non sit alicui seruituti.

RESPONDET S. Doct. nos non assequi libertatem, emptam nobis à Christo, nisi translatos in gloriam. Vnde hîc inchoatur libertas à culpa; sed ibi consummatur libertas à miseria, & ab omni humana potentia; Vnde non sequitur, quod, si sumus empti à Christo, non simus serui alicuius hominis: Excluditur quidem dominium diaboli, vel peccati, secundùm id Matth. 6. *Non potestis Deo seruire, & Mammonæ.*

EST autem adhuc controuersia: an possit Ecclesia 49
Principes infideles priuare dominio temporali, quod in fideles exercent.

INDIRECTE quidem habet Ecclesia hanc potestatem, iure defensionis, & iure gubernationis, quia Ecclesia potest suos fideles vbique tegere. Ita D. Thom. *quæst.* 10. *art.* 2. & Bannes, Aragon ibi, Valentia *quæst.* 10. *p.* 8. & probabile ait Tanner. *disp.* 1. *quæst.* 9. *dub.* 2. *num.* 53.

COMMVNITER verò sentiunt Doctores, Ecclesiam 50
non habere hanc potestatem indirectam in Principes infideles, præcisè vt infideles sunt, nisi redundet in fidei præiudicium. Ita Bellarm. *Tom.* 1. *lib.* 5. *de Romano Pontifice, cap.* 7. Lorca, Caietanus, & alij apud Hurtadum *disp.* 77. *sect.* 2. Coninch. *disp.* 18. *dub.* 10. *num.* 160. Turrianus *disp.* 52. *dub.* 1. Castro Palao *T.* 1. *tract.* 4. *disp.* 2. *p.* 8. *num.* 6. qui alios afferunt; & Tannerus probabile censet *loco citato.*

REQVIRITVR ergo, vt cogatur Ecclesia à Principe infideli persequente, vel vt periculum morale persecutionis instet, vt notat Suarez *sect.* 5. Lugo *sect.* 2. *num.* 148. Vide etiam D. Bonau. *serm.* 16. *in Hexaëmerone*, aliqua indicantem.



DISPVTATIO III.

De Hæresi.



VTi Inter Turcas (vt vulgò notatur) ille Christiani nominis infensissimus est hostis, qui Christianis natus parentibus, in Mahumetanam familiam adsciscitur: Ita inter infideles nullus atrociùs in Ecclesiam grassatur, quàm qui in ipsa aliquantisper nutritus, & fidei Sacramento formatus, pertinaciter suo errori adhærescit, eóque crassiores in tenebras protruditur, quò circumlucente veritatis radio libens excæcatur. Hæc operatur hæresis, ad Simiæ instar Synagogam sibi struens,

quam

quam ementito religionis titulo honestare contendit; de eius natura, statu, & conditione hic pro subiecta materia agendum est.

QVÆSTIO I.

Quid sit HÆRESIS.

D.Bonau.4.dist.13.dub.4.

1 NOMEN Hæresis ab *eligo* ortum habet, Græcè *αἱρέομαι* & significat Opinionem, quam quis sibi voluntariè & pertinaciter eligit, vt docent communiter cum D.Bonau. hîc. Vnde & Secta dicitur, quia eam sequimur, & eo sensu dicebantur variæ Philosophorum sectæ, quia à communitate recedentes, nouas Scholas erigebant, vt ait S.Bonauentura hîc.

2 FVIT autem nomen Sectæ in bono sensu, vt *Act*.24. & 26. Nunc verò à nomine sectæ abstinendum, ad nostram religionem indicandam, vt ait Suarez *disp*.19. *sect*.2. Lugo *disp*.20. *sect*.1. quia ad alienas tantùm religiones exprimendas valet, vt notat Beda *ad* 24. *Act*. & hæreticos iam *Sectarios* dicimus, & sectam non à sequendo, sed persequendo, vt notat S.Doct. hîc, deducimus.

3 DEFINITVR hæresis: *Est error, fidei Catholicæ contrarius, cui pertinaci animo inhæreat is, qui est professus fidem in Baptismo*. Sic definit Turrecremata *lib*. 4. *summa*, *p*.2.*cap*.1. ex communi mente Doctorum *in* 4. *dist*.13. vbi D.Bonau. *dub*.4. D.Thom. *quæst*. 11.*art*.2. *ad* 3. & Interpretes eius. Et rursus D.Bonau. *in speculo animæ*, *cap*.1. & *p*.1. *Centil. sect*.26. Priori autem loco D.Bonau. hæreticum his verbis definit: *Hæreticus est qui diuinæ legis ignorantia, vel contemptu, pertinax inuentor proprij erroris, aut alieni sectator, Catholicæ veritati mauult aduersari, quàm subiici*. Circa hanc definitionem multæ occurrunt quæstiones.

4 PRIMA est: An error ex ignorantia sit hæresis: an dubitatio, vel probabilis tantùm assertio de rebus fidei sit hæresis. Quæ pertinacia requiratur ad hæresim: An requiratur ad hæresim, vt sit personæ baptizatæ, & aliæ similes, quas discurremus.

INTERIM aduerto, diuidi hæresim in Formalem, & Obiectiuam. Formalis est peccatum illud actuale, à quo aliquis formaliter denominatur hæreticus: Obiectiua verò est obiectum, quod falsò creditur, vel asseritur ab hæretico, v.g. *Christum non esse Deum, &c.*

QVÆSTIO II.

An dubitans de articulis FIDEI *sit hæreticus.*

5 PRIMA opinio est negatiua. Referuntur Cano *lib*. 12. *de locis cap*.9. Tannerus *disp*.1. *quæst*.8. *dub*.5.*num*.83. Sequitur Diana *primo Tom*.2. *p.tract*.2. *miscell. resol*.53. Idem aiunt multi cum bis de suspendente actum iudicij. Consentiunt Sanch. *T*.1. *lib*.2. *cap*.7. Portel *addit. ad dub. Reg. v. Hæresis*, Puteanus 2.2. *quæst*.11. *art*.2. *disp*.2. Bassæus *num*.3.

AT Hæreticum clamat communis sententia eum, qui voluntariè, & pertinaciter dubitat circa fidem, iudicando, rem illam esse dubiam, vel posse aliter se habere, (quod iudicium malè Sanchez, Vasquez 1.2. *dist*.65. & Tannerus *loc. cit.* vocant reflexum, cum Maldeno; nam actus reflexus habet pro obiecto alium actum, vt aduertit Coninch. *disp*.18. *dub*.7. *num*.86. & Card. Lugo *disp*.17.*sect*.5. *num*.85. hæc autem iudicia habent pro obiecto rem ipsam, dicendo, rem illam fidei esse incertam. Consentiunt Villalob. *tom*.2. *tract*.1. *disp*.10. Sylu. 2.2. *quæst*.1. Faber *de Sacr. ord. disp*.3.*cap*.4.*num*.112. Homob. *de exam. Eccl. p*.2. *tract*.12. *cap*.4. *quæst*.16. Molf. *t*.1. *tract*.8, *cap*.8. Lara 2.2.*quæst*.11.*art*.3.*disp*.42. & alij sexdecim apud Sanch. Igitur voluntarium hoc iudicium pertinax conclamant hæresim D.Thom. & alij, quos sequuntur Soarez *disp*.19. *sect*.3. Hurtad. *disp*.80. *sect*.4. §.21. Coninch. *dub. cit. num*.102. Lorca *disp*.42. Castro Palao *Tom*.1. *tract*.4. *disp*.3.*p*.2. *num*.9. & alij apud hos, quibus subscribit Card. Lugo *disp*.20. *sect*.1. *num*.17. Fuliensis *lib*.3. *de fide*, *cap*.7.

Suppono ex D.Bonau. *in* 3. *dist*.17. *dub*.3. dubium 6
propriè dici indifferentiam iudicij rationis, respectu vtriusque partis contradictionis, ità vt neutrum præeligat alteri.

SVPPONO secundò ex eodem D.Bonau. *in* 4.*dist*.13. *dub*.4. Hæresim, dictam ab *eligere*, eam esse, in qua deliberatè eligitur sententia falsa. Ex quo deducit, opinari, non esse hæresim; sicuti etiam nec dubitare. Itaque videtur cum priori sententia.

DOCET etiam S.Doct. *in opusc. de profectu religios*. *cap*.3. dubia sæpè aliqua de fide immitti à dæmone, quæ potiùs contemnenda sunt; quia, quantò magis indignamur nobismetipsis, & disputamus cum eis, tantò magis eorum rabies accenditur. Arridet Gerson huic monito *tract. de fœda tentatione*, *alph*. 62. *lit*. O. vsque *ad* T. Sanchez *lib* 2. *decal. cap*.7. *num*.13. & omnes alij etiam secundæ sententiæ.

ASSERO primò cum D.Bonau. dubitantem de re- 7
bus fidei, non esse propriè hæreticum.

PROBATVR primò ab authoribus prioris sententiæ, argumento D.Bonau. *loc. cit. in* 4. sumpto è D. August. *lib. de vtilitate credendi*, *cap*.1. & refertur *cap. Hæreticus*, 24. *quæst*.3. & D. Hieronymo *cap*.5. *ad Galat*. & *ad Tit*.3. & refertur *cap. Hæresis*, 24. *quæst*.3. eoque vtitur etiam D.Thom. 1.*Corinth*.11. *lect*.4. & 2.2. *quæst*.11. *art*.2. *ad* 3. De ratione hæresis est electio pertinax doctrinæ contrariæ fidei: sed dubitans præcisè non eligit, &c. sed pendulus est: Ergo.

CONFIRMATVR; nam hæresis est error fidei contrarius; error autem assensum, vel dissensum importat. Confirmatur, quia hæresis est fidei opposita; dubium autem est medium.

ASSERO secundò, dubitantem esse infidelem priua- 8
tiuè, quia priuatur certitudine assensus, necessaria ad habitum fidei retinendum.

PROBATVR; hoc enim sensu *cap*.1. *de hæreticis* dicitur, dubitantem in fide esse infidelem, non contrariè, quasi assensum fidei contrarium habeat, sed priuatiuè, quia caret assensu necessario. Sic potest damnari dubium fidei, sicut damnantur, qui negant animam esse formam corporis, vel de hoc dubitant, vt habetur *Clem*.1. §. *Porrò*; & qui dubitant de animæ immortalitate, damnantur à Leone X. in Conc. Later. eodem sensu locuti sunt Patres, quos aggerant Franciscus Suarez *num*.12. Lorca *num*.5. Ex quo manet expositus textus *cap*.1. *de hæret*. qui est Steph. Papæ, cui alij respondent, dubium in fide dici infidelem quoad forum externum.

ALII tertiò dicunt, id verum esse, quando reflectit suprà suam cogitationem dubiam, & de facto elicit iudicium erroneum circa res fidei, vt putet eas tantum probabiles. Sed hi quæstiones confundunt.

QVÆSTIO III.

An, qui actu opinatiuo mero assentitur articulo FIDEI, *sit hæreticus.*

{ D. Bonau. loc. cit. & in 3. dist. 24. art. 2. quæst. 2.

9 SERAPHICVS *loc. cit. in* 3. quem imitantur Suarez *disp.* 19. *sect.* 4. Card. Lugo *disp.* 17. *sect.* 5. *n.* 96. distinguunt, dupliciter accipi opinionem probabilem. Primò vt constat rationibus tantùm probabilibus. Secundò vt habet adiunctam formidinem oppositi. Et quidem opinantem cum formidine, hæreticum clamant Suarez, & Lugo post D. Bonau. hîc; in priori verò sensu nequaquam.

ALII verò, opinantem de rebus fidei, absolutè hæreticum vocant. Ita Castro, Aragonius, & Azorius apud Suarez, Coninch. *disp.* 18. *dub.* 7. *num.* 105. Castro Palao *Tomo* 1. *tract.* 4. *disp.* 3. *p.* 2. *num.* 12.

10 ASSERO primò cum D. Bonau. opinantem cum formidine de rebus fidei, amittere fidem.

PROBATVR primò à D. Bonau. *in corpore*, & *ad* 3. *&* 4. ratione, qua nituntur alij. Id, quod negat certitudinem obiecti fidei, eam tollit: Talis est opinatio formidolosa: Ergo.

ASSERO secundò, opinantem de rebus fidei rationibus probabilibus, non excluso certiori assensu aliunde, non esse hæreticum.

PROBATVR à D. Bonau. quia Theologia est de rebus fidei, & opinatiuè incedit rationibus probabilibus, quibus tenemur esse parati rationem reddere poscentibus, vt dicitur 1. *Petri* 3.

ENIM verò; Si quis diceret, obiectum, *Deum esse* probabile esse, erraret, intelligens, id non debere certò credi. Et hoc solùm ostendunt rationes Coninchij, vt aduertit Eminentissimus Lugo.

VIDEO, disputationem esse magis de nomine, quàm de re, & distinctione Seraphici satis resolui concludit.

QVÆSTIO IV.

An, & Quæ Ignorantia excuset ab Hæresi.

{ D. Bonau. in 4. dist. 13. dub. 4.

11 DIFFICVLTAS est, quia hæresis dicit errorem cum pertinacia, num ignorantia includat pertinaciam, & quæ hæc sit.

PRIMA opinio est, nullam ignorantiam grauiter culpabilem excusare ab hæresi. Ita Sotus 4. *dist.* 22. *quæst.* 2. *art.* 3. Lopez 2. *parte Instructory*, vbi *de excommunicatione*, *cap.* 20. Palacius 3. *dist.* 25. *disp.* 2. & Lorca *disp.* 41. *de fide* relicta opinione contraria, quam tradiderat *prima secunda*, *disp.* 33. *membr.* 2. *ad* 3. Idem videtur sentire D. Bonau. hîc, vt refert Sanchez *num.* 19. *loco adducendo.*

SECVNDA sententia idipsum asserit, quando ignorantia est crassa nimis, & facilè vincibilis. Ita Sayrus, & probabile putat Valentia.

TERTIA sententia id admittit, quando ignorantia est affectata. Ita Cano, Nauar, Corduba, & Torrensis, quos refert Suarez *disp.* 19. *sect.* 3. & Valentia *disp.* 1. *quæst.* 15. *p.* 1. *diffic.* 4.

12 QVARTA sententia distinguit de ignorantia affectata, nam si affectetur ex falsa opinione contra Ecclesiam, quasi parui momenti sit Ecclesiæ propositio, vel ad finem liberius errandi in fide, non excusat ab hæresi: Si verò affectetur tantùm ex neligentia, & tædio discendi, vel ex quauis alia causa, non constituit hæreticum. Ita Thomas Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 7. *num.* 33. adducens Vasquium *prima secunda*, *disp.* 126. *cap.* 2. Zumel *prima* 2. *quæst.* 76. *art.* 4. *disp.* 1. & ferè Tannerus *disp.* 1. *quæst.* 8. *disp.* 5. qui ex parte etiam Soto, & Valentiæ adhæret.

13 QVINTA sententia est, quamlibet ignorantiam, & crassam, & affectatam excusare ab hæresi. Ita Syluester *v. hæresis*, Azorius *t.* 1. *lib.* 8. *cap.* 9. *quæsito.* 8. Bannes, Aragon. *quæst.* 11. *art.* 2. Coninchius, & alij, quos affert, & sequitur Castro Palao, *tract.* 4. *disp.* 3. *p.* 2. *num.* 3. Suarez *dicta sect.* 3. *num.* 9. Hurtad. *disp.* 82. §. 10. vbi alios afferunt; & Card. Lugo *disp.* 16. *de pœnit. sect.* 4. §. 6. & *disp.* 17. *de fide*, *sect.* 4. & *disput.* 20. *sect.* 6. Diana *p.* 1. *tract.* 5. *Resol.* 1. Fagund. *lib.* 1. *cap.* 4. dicens esse D. Bonau. & D. Thom.

14 ASSERO ergo, primam sententiam esse probabilem, quam vno verbulo indicat S. Doct. *dub. cit.*

PROBATVR primò ab auctoribus primæ sententiæ cum D. Bonau. ex D. August. *epist.* 162. & habetur *in decret.* 24. *quæst.* 3. *cit. dixit Apostolus*, vbi ait: *Qui sententiam suam, quantumuis falsam, atque peruersam, nulla pertinaci animositate defendunt; quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, vbi inuenerint, non sunt inter hæreticos computandi.*

HIS verbis D. August. eos tantùm ab hæresis luo excusat, qui sollicitè veritatem quærunt; non qui negligunt inuenire, & multò minùs eos, qui ex industria fugiunt, ne eam inueniant.

RESPONDET Card. Lugo *num.* 176. Augustinum excusare quidem eos, qui veritatem quærunt; alios autem nec excusare, nec hæreticos declarare; sed, quod certum erat statuisse; quod autem minùs certum, de eo non disputasse.

RETORQVET autem Lugo authoritatem, quia S. August. lib. contra Manichæos, relatus cap. *Qui in Ecclesia*, 24. *quæst.* 3. eos solos declarat hæreticos, qui admoniti, quòd Ecclesia contrarium doceat, adhuc pertinaces resistunt: *Qui in Ecclesia* ait, *morbidum aliquid, prauumquè quid sapiunt, si correcti, vt sanum, rectumque sapiant, resistant contumaciter, suáque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici sunt.* Quod idem docet *lib.* 4. *de Baptismo*, *contra Donatistas*, *cap.* 16. dicens: *Ex errore credentem idem cum Photino, tum primum esse hæreticum, cum manifestâ sibi doctrinâ, Catholicæ fidei maluerit resistere, & illud, quod tenebat, elegerit.* Hoc vrget Fulensis *lib.* 3. *cap.* 6.

15 HÆC tamen nihil prosunt Lugo: Nam in priori loco vellem inuenias, vbinam particulam *solum* habeat S. August. Ponit sanè, pertinaces scientes esse hæreticos; at in loco, à nobis allegato, assignat omnes conditiones, ne aliquis aliqua de causa sit hæreticus, ideò ibi amplior extenditur.

IN altero loco euidenter loquitur de eo, qui inuincibiliter ignorat, ait enim: *Constituamus duos, vnum eorum id sentire de Christo, quod Photinus opinatus est, & in eius hæresi baptizari extra Ecclesiæ Catholicæ communionem: alium verò hoc idem sentire, sed in Catholica baptizari, existimantem ipsam esse Catholicam fidem. Istum nondum hæreticum dico, nisi manifestatâ sibi doctrinâ, Catholicæ fidei resistere maluerit.*

16 PRÆTEREA fatetur Lugo, certum esse, eum, qui ignorantia inculpabili ignorat articulos, non esse hæreticum, quia veritatem quærit, & opinionem esse

incertam,

incertam, quæ dicit, culpabiliter ignorantes, non eſſe hæreticos.

Probatvr ſecundò à D. Bonauent. *in 2. diſt.22. art.2. quæſt.2. in corpore*. In omnibus materiis aliis peccatum ex ignorantia, & ex ſcientia eandem maliciam participant, & ad eandem ſpeciem ſpectant (eſto ex ſcientia delinquens, grauiùs delinquat in eadem ſpecie;) ſic qui ſcienter, & qui ignorantia culpata occidit, eſt homicidij reus, & ſic de aliis: Ergo & qui ex ignorantia tali hæreſim admittit, eſt hæreticus. Hoc argumento vtuntur communiter.

Mvlta reſponſa aggerunt nullius momenti, quæ refelluntur ab Hurtado *diſt.81.§.56.* & Lugo *loco cit.* de Pœnitentia, qui etiam reſponſa Hurtadi refellit.

17 Respondet Lugo, non differre quidem ſpecie, tamen habere diuerſos effectus, ſicut, & homicidium caſuale, & homicidium voluntarium; nam hoc habet adiunctam irregularitatem grauiorem, ſic neque hæreticum ex ignorantia, & ex malitia meræ eiſdem pœnis damnant.

Fallitvr Lugo; primò enim fatetur, hæreſim eſſe eius, qui ex ignorantia delinquit; atque adeo huius criminis apud Deum eſſe reum, & hoc quæro. Cum autem hæreticus damnetur ab Eccleſia excommunicatione; ſequitur, hunc eſſe damnatum, cùm ſit hæreticus. Vnde dicendo hunc non eſſe punitum ab Eccleſia, etiamſi concedatur hæreticus, petitur principium, & implicatur.

18 Probatvr tertiò à D. Bonauent: *fundamento 3.* quo principaliter nituntur cæteri, vt ait Lugo *n.182.* Cognoſcere credenda, & operanda, ſpectat ad fidem, tanquam actus eius: Ergo oppoſitum, nempe culpabiliter ignorare, ſpectat ad infidelitatem: Non pertinet autem præciſè ad Paganiſmum, aut Iudaiſmum, cùm adhuc retineatur confeſſio Religionis Chriſtianæ: Ergo pertinet ad hæreſim; non enim ſunt aliæ infidelitatis ſpecies. Neque dicant, pertinere incompletè ad hæreſim; nam cùm ſit peccatum grauiſſimum, debet eſſe in aliqua ſpecie tanquam indiuiduum completum, vt fatentur Lorca *num.16.* & Lugo *num.182.* qui neque ſoluit dicendo, eſſe peccatum contra fidem; non tamen hæreſim, Paganiſmum, vel Iudaiſmum, cùm etiam ſit propria infidelitas, quæ in tria capita diuiditur. Contra enim eſt, quia oportet inueniat ſpeciem, ſub qua ſtet hoc peccatum.

Confirmatur à D. Bonauent. quia ad alias ſpecies infidelitatis, nempe Iudaiſmum, & Paganiſmum, ſufficit ignorantia culpabilis.

Probatvr quartò efficaciſſimè à D. Bonauen. *in corpore*, nam cùm neceſſarium ſit ad ſalutem, non ignorare ea, quæ ſunt fidei, profectò omnes tenentur ſcire, & pauci ſunt, qui conſultò nolint ſcire, affectando ignorantiam, ſed vt plurimum ignorant; & ſi hæretici ſunt, tantùm ſcientes, & affectantes ignorantiam, pauciſſimi erunt hæretici; nam, vt experimento vidi, cum hæreticis diſputans, magna ignorantia craſſa laborant, vt fatetur Eminentiſſimus Lugo *num.194.*

Vnde meritò ignorantia culpabilis in foro externo non excuſat, vt aduertunt Caſtro Palao *Tract.4. diſp.3. p.2.* Menochius, Farinacius, Peña, Simancas, Albertinus, & alij apud Dianam *4. p. Tract. 7. reſol.36.* Aliquando tamen ad diminuendam pœnam iuuat, non tamen omnino, vt aſſerunt hi. Hæc verò omnia multò magis de ignorantia affectata vera ſunt.

19 Obiicies. Peccans ex ignorantia, poteſt habere voluntatem vniuerſalem eliciendi actus fidei, & credendi omnia, quæ ſufficienter proponuntur: At hæreſis eſſentialis eſt pertinacia.

Reſpondet D. Bonauent. *locis adductis*, hunc amiſiſſe fidem. Enim vero *dub. cit.* hanc rationem admittit.

Assero ergo ſecundò quintam ſententiam eſſe probabilem. Patet ex allata ratione.

QVÆSTIO V.

Quæ pertinacia ad Hæresim *requiratur.*

Pertinacia, ex D. Bonauentura prima parte Centil. ſect.18. *eſt Voluntas fugiens minorationem probitatis, dicta vel facta ſua irreuocabiliter defendens.* Et ex eodem S. Doctore *in ſpeculo animæ, cap.1.* eſt: *Perſeuerantia in malo propoſito contra voluntatem ſuperiorum.* 20

Omnes concedunt, & in definitione hæreſis ponunt pertinaciam. Ita D. Bonauent. *locis allegatis, quæſt.4.* Vide Suarez *diſp.19. ſect.3.* Conniich. *diſp.18. dub.7. num.76.* Farinacium *de hæreſi, quæſt. 196.* Dianam *4. p. Tract.7. reſol.36.* Sanchez *Tom.1. Lib.2. cap.7.*

Verissima ergo ſententia eſt, requiri pertinaciam. Sed dubium eſt: an hæc pertinacia dari queat, antequam de ſuo errore admoneatur, & ipſe monitionem contemnat.

Prima opinio eſt aſſertiua, exigens temporis moram, vt incorrigibilitas appareat in fide. Ita Alciatus *Leg. 2. Cod. de ſumma Trinitate*. Menoch. *volum.2. conſil.149. num.49.* adducens Lupum, & Turrecrematum. Fundari poſſunt verbis Pauli Tit. 3. *Hæreticum hominem, poſt primam, & ſecundam admonitionem, deuita.* Mihi tamen videntur hi Iuriſtæ loqui in foro externo. 21

Verissima igitur ſententia Theologorum eſt, eam monitionem, & moram non requiri, vt aliquis hæreticus ſit, ſed ſufficere, vt plena deliberatione errori adhæreat. Ita D. Bonauent. *locis adductis quæſt. præcedenti.* Vide Suarez *diſp.19. ſect.3 num.21.* Vaſquez *p.2. diſp. 126.* Valentiam *diſput. 1. quæſt. 11. p. 1.* & alios innumeros, quos referunt Sanchez *dicto cap 7. num.7.* Diana *dicta reſol.36.* qui benè addit cum Eminentiſſimo Lugo *num. 158.* neque in foro externo eam admonitionem exigi, & hoc magis eſt verum nunc, poſt editum decretum Alex.VII. 22

Ratio eſt, quia monitio ſolùm inſeruit, vt aduertat, ſe contra Eccleſiam ſentire, hoc autem aliunde diſcere poteſt; & tenetur conari ediſcere.

Verba Apoſtoli ſupponunt, eum hominem, ante monitionem iam hæreticum, poſt eam vitandum.

Assero ſecundò, in foro interno non ſufficere, ſi corripiatur à ſuo Epiſcopo, aut ab Inquiſitore, quia hi non ſunt regula fidei infallibilis. Ita cum Cano, Vaſquez, & aliis aſſerit Sanchez *num. 25.* Valentia, Torres, Salas, & alij apud Dianam §. *Prima opinio negat.* Hi ſanè dicunt, neque in foro externo ſufficere, quod tamen aſſerit Suarez *num.21.* Lorca & alij apud Dianam, ſufficere, & ſane propter hoc, ſunt in ſancto Tribunali conſtituti. 23

Mihi probatur ſententia Eminentiſſimi Lugo, non eſſe differentiam in alterutro Foro, quia ſi propoſitio Epiſcopi non eſt ſatis, vt faciat credibile, in nullo foro id præſtabit.

Assero tertiò, ad pertinaciam ſufficere, quòd homo velit indirectè reſiſtere auctoritati Eccleſiæ. Ita Suarez *dicta ſect.3. num.22.* Vaſquez *prima ſecunda, diſp.126.* Sanchez *dicto cap.7. num.4.* Vide Cardinalem

dinalem

dinalem Lugum *num.* 163. qui ita explicat pertinaciam indirectam; si sciat, id esse contra sensum Ecclesiæ; & tamen id teneat, ex quouis fine, siue ob lucrum, siue honorem, siue alium affectum. Hæc est expositio D. Bonauent. *p. p. Centil. sect.* 26. sumpta è D. Augustino *Lib. de vtilitate credendi* initio, vbi ait: *Hæreticus est, qui alicuius temporalis lucri, & maximè gloriæ, principatusque sui gratia, falsas opiniones de fide ac nouas gignit, aut sequitur.*

CONFIRMATVR in aliis peccatis, quæ sufficit, volita esse indirectè, etiamsi non sit volita directè inobedientia, irreligio, &c.

INFERT Lugo *num.* 166. non excusari à pertinacia, qui paratus est Ecclesiæ acquiescere, quando tamen ab ea argumentis conuincatur, vt cum Vasquez, & Ledesma aiunt Sanchez *num.* 6. Suarez *num.* 13. & alij. Is enim non est paratus obedire Ecclesiæ authoritati.

DEINDE admonet, protestationem fidei excusare à pertinacia, vt significant aliqui, cum Palao *disp.* 3. *p.* 2. *num.* 7. addit ipse non esse in rigore sufficientem.

QVÆSTIO VI.

An, vt quis censeatur Hæreticus, necesse sit, vt fuerit baptizatus, & fidelis.

24 SVPPONO cum D. Bonauent. *prima parte Centil. sect.* 16. posse aliquem esse hæreticum, etiamsi non sit apostata à fide omninò, vel ab Ecclesia; quod probat ex D. Hieronymo *in cap.* 5. *epist. ad Galat.* dicente, hæreticum esse, qui Scripturam contra Ecclesiæ sensum intelligit, quamuis ab ea non discedat. Erit igitur hæreticus, si vnum Scripturæ locum inuertat.

NON requiri ad notam hæresis, vt quis priùs fuerit baptizatus, asserit Castro *Lib.* 1. *de iusta hæret. punit. cap.* 8. sic & Tanner. *disp.* 1. *quæst.* 8. *dub.* 3. adducens D. Thomam, quem ita refert etiam Bannes 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 5. sed perperam, vt notant Caietanus, Aragon, & alij. Subscribit Fuliensis *lib.* 3. *cap.* 6.

25 HANC sententiam omnes alij reiiciunt, quos afferunt, & sequuntur Suarez *disp.* 19. *sect.* 5. Sanchez *Lib.* 2. *in decal. cap.* 7. *num.* 34. Hurtadus *disp.* 82. *sect.* 2. §. 11. Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 3. *p.* 2. *num.* 20. Card. Lugo *disp.* 20. *sect.* 4.

RATIO inuitur à D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 39. *art.* 2. *quæst.* 2. *in corpore* sumpta ex Apostolo *prima Cor.* 5. qua vtitur Concilium Trident, sess. 14. cap. 2. *Cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis, quæ foris sunt, iudicare.* Quo fit, vt neque Cathecumenus queat censeri hæreticus, si deficiat à credulitate articuli alicuius.

Aduertit Eminentissimus Lugo, baptizatum baptismo inualido, ob defectum scilicet substantialem, non esse hæreticum, si postea neget articulum aliquem. Ita & Sanchez *cap.* 7. *num.* 34. Castro Palao *loco cit.* 10. Suarez *sect.* 5. *num.* 8. Hurtado *disp.* 82. §. 17. nam ibi adhuc ratio Concilij Tridentini valet.

26 DICES anno 1619. Maurus, qui aduersus nostram religionem deliquit, punitus est, etiamsi non inueniretur esse baptizatus, & ipse id allegaret.

RESPONDET Card. Lugo, hunc punitum ob excessum in nostram Religionem: Ecclesiæ enim licet punire Paganos, & Iudæos subditos Principibus Christianis, siue quando negant articulos, quos habent nobiscum communes, vt credere in vnum Deum Creatorem; siue cùm Dæmonibus sacrificant, siue cùm seducere conantur Christianos, vt constat ex Bulla Gregorij XI. incipiente: *Admodum dolenter audiuimus*, & Bulla Gregorij XIII. quæ incipit: *Antiqua Iudæorum improbitas*, quas refert Peña, inter litteras Apostolicas *in fine directorij*, de quibus agit Diana 4. *p. Tract.* 7. *de pœnis debit. &c. resol.* 2. & Castro Palao §. 6. Ibi puniendi decernuntur illi etiam ob alias causas, puta si blasphemias hæreticales euomant in Christum, dicendo, eum peccatorem; Deiparam non esse Virginem (ob id enim nuper Iudæus, quem noui, flagris cæsus est Cremonæ) Si hæreticos adiuuent: si libros prohibitos deferant, retineant, diuulgent: si derisioni habeant Christianos, Sacram Hostiam, Crucem, Christum Dominum conspuentes: si Christianas nutrices habeant, vel cogant eas, quando communicant, effundere lac in cloacas in sacræ communis despectum.

DVBITARI solet etiam de dubiè baptizato; vide 27
Dianam *Tract.* 8. *resol.* 113. vbi refert sententiam Didaci Canteræ *in qq. crim. cap.* 1. *de hæret. num.* 5. dicentis, si ille natus est, & educatus inter Christianos, præsumi baptizatum.

SECVNDA pars quæstionis exigit, an, qui puniendus est vt hæreticus, debuerit priùs fuisse fidelis, seu credidisse.

SENSVS Ecclesiæ est, eum censeri hæreticum, etiamsi non crediderit antè. Vide Suarez *disput.* 16. *sect.* 4. & *disp.* 19. *sect.* 5. & alios apud Cardinalem Lugum *disp.* 18. *sectione tertia.*

QVÆSTIO VII.

Vtrum ECCLESIA *cogere possit hæreticos ad* FIDEM *Catholicam recipiendam.*

DE hoc latiùs disputant Bellarminus *Tom.* 1. *Lib.* 3. 28
de Laicis, *cap.* 21. & 22. Valentia *disp.* 1. *q.* 11. *puncto* 3. Suarez *disp.* 20. *sect.* 3.

HÆRETICI nonnulli perantiqui, libertatis, & malæ pacis amatores conclamarunt, omnes in sua religione relinquendos, & fraterna pace adamandos, atque retinendos. Sic Apelles quidam apud Eusebium *lib.* 5. *hist. cap.* 13. Nicephorum *lib.* 4. *cap.* 29. dummodo tamen (aiunt) fateantur Christum Redemptorem. Idem ferè docuit nostro tempore Georgius Cassander, apud Bellarm. *cap.* 19. sed audiant isti Paulum Apostolum: *Quæ consensio Christi ad Belial?*

HÆRETICI sectarij Catholicorum hostes, & libertatis teterrimæ amatores, dixère, non esse huiusmodi vllo modo puniendos. Id sensere olim Donatistæ, & nuper Ioannes Hus, & Lutherus apud Bellarminum, *cap.* 21. & est vniuersalis hæreticorum querimonia contra nos. Mirum sanè, eos, execrantes Inquisitionis sanctissimæ iustas punitiones, tot in Anglia tormentorum inusitata genera inuenisse ad Catholicos enecandos, vt Barbarorum tyrannides longè præcelluerint.

Constans Ecclesiæ sanctæ veritas asserit, hæreti- 29
cos iustè puniri, & ad fidem posse compelli profitendam.

In definitum est in Concilio Constantiæ *sess.* 15. & à Leone X. *in Bulla contra articulos Lutheri*, & *cap. ad abolendam*, & *cap. excommunicamus*, & aliis *de hæret. cap. super eo, eodem titulo, Lib.* 6. ex Leone P. *epist.* 2. *ad Episcopos Italiæ*, & aliis epistolis, relatis à Suarez *num.* 21. & à Lucio P. *epist. ad Episcopos Galliæ.*

Concilio

Concilio Tolet.4. *cap.57. & 59.* ex Nyceno, vbi postulatum est à Constantino, vt hæreticos Arianos puniret.

Idem constat ex Legibus optimorum Principum, qui grauissimas pœnas in hæreticos statuerunt *Leg. Manichæos. Leg. Arrianis. Leg. quicumque Cod. de hæret.* quas laudat S. Augustinus *Lib.1. contra epist. Parmen. c.7.* & *epist.166. ad Donatistas*, vbi addit, solum Imperatorem Iulianum Apostatam hæreticos reliquisse impunitos. Quare *Lib.2. Retract. cap.5.* & *epist.48. & 50.* retractat id, quod ante dixerat, non esse pœna corporali puniendos hæreticos, & *Lib.1. contra epist. Parmeniani, cap.7.* & *tract. 11. in Ioan.* & *epist.50. ad Bonifacium*, asserit, pœnam mortis eis deberi. Videri etiam potest D. Gregorius *Lib.1. epist.72.* Bernardus *serm.66. in Cant.* & *Lib.4. de consider.* Leo *epist.91. & 93.*

30 Probatur à D. Bonauent. *ad 2. Ioan.* ad ea verba: *Cùm fecisset flagellum de funiculis, eiecit vendentes columbas, oues, & boues.* Vbi potestatem foti exercuit, ostendens, puniendos vendentes *columbas*, idest dona Spiritus sancti, simoniacè: *Boues*, qui labores Ecclesiasticos pro mercede temporali merè subeunt: & *Oues*, qui oues Christi ab eius pascuis auocant, & diabolo vendunt veritates fidei, peruertendo, & ad hæreses trahendo, vt exponunt Patres.

Obseruat autem S. Doctor acriùs iterum exprobrasse dicendo: *Vos autem fecistis domum Patris mei, speluncam latronum.*

Probatur secundò à S. Doctore *in 4. dist.18. p.2. quæst.1.* ex *prima Corinth.5.* vbi incestuosum tradidit sathanæ in interitum carnis, & *1. ad Timot.1.* Tradidit Hymenæum, & Alexandrum sathanæ ad torturam etiam corporalem, vt obseruat *ad vltimum*.

31 Probatur tertiò à D. Bonauent. *ad 22. Lucæ* & *19. Ioannis*, vbi Petrus educens gladium, percussit seruum Pontificis, cui nomen Malchus, Vbi Pontificiam Petri potestatem ostendit, dum percussit seruum Pontificis Malchum, quod sonat Regem, intelligens populum Iudæorum, qui incredulitate factus est seruus, cui amputauit auriculam dexteram, vt iam erronea non audiret. Quod si correctus fuit, non est quia vteretur gladio; sed quia non ad rem, vt notat D. Bernardus *Lib. 4. de consideratione ad Eugenium.* Gladium verò etiam temporalem, & materialem intelligi datum Ecclesiæ, probat eruditè Sanderus *de claue David, lib.2. cap.11.* ex D. Augustino *contra Faustum.*

32 Probatur quartò à D. Bonauent. *in 4. dist.18. p.2. quæst.1.* nam cùm Ecclesia sit Monarchia bene ordinata, debuit habere potestatem proportionatam ad emendandos lapsos, & coercendos rebelles, & contumaces; sic enim in omni recta Republica fit; nullum autem scelus est perniciosius hæresi. Sicut igitur Medicus, non iuuante linitiuo, vtitur ferro, & igne; ita in re nostra Dominus optimus institutor, & fundator Ecclesiæ dedit arma ad regimen, & remedia apta ad corpus Ecclesiæ incolume seruandum, vt lenientibus non proficientibus, scindantur gladio excommunicationis, vtantur pœnâ, digna eorum pestilentissimo morbo.

Fundatur hæc potestas *Matth. 16.* vbi dicitur Petro: *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, &c.* Et Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*, vt docet D. Bonauent. *eadem dist. p.2. quæst.3.*

33 Hanc potestatem fuisse præostensam à Phinees, filio Pontificis *Numer. 25.* cum fornicarios sacrilegos Idolatras confodit, & fuit à Deo illi sacerdotij summo opus illud remuneratum, notat D. Bonauent. ad locum secundò allegatum *Lucæ 22.* ex Glossa Interlineari. Neque absque errore hæc potestas potest negari, vt admonent Suarez *num. 21.* Card. Lugo *num.10. disp.21. sect.1.* & constat ex definitione Innocentij IV. in Concilio Lugdun. & relata *in cap. Ad Apostolica*, *de senten. & re iudicata, in 6.*

His D. Bonauenturæ mediis vtuntur omnes Recentiores.

Obijcies primò. In Scriptura solùm præcipitur hæreticos vitare, non autem occidere: Ad *Titum 3. secunda Timoth.2. prima, Thessal.3.* & *prima Ioan.* Vnde Christus recedentes à se discipulos non puniuit, sed cæteris dixit: *Numquid & vos vultis abire?* Ioan.6. vt notauit etiam Cyprianus *epist. 55. Matth.18.* verò solam separationem ab hæretico iubet: *Sit tibi sicut Ethnicus.*

Respondet S. Doctor ad illum locum Ioannis, id dixisse Christum, ne videretur blandiri discipulis, & noluisse eos vi, & necessitate detinere in sua tantæ perfectionis sequela, cuius non dignos, & capaces se ostenderant alij. Non eos dimisit ergo ad mundum, aut ad errores; sed noluit vti potestate coactiua.

Ad illud Matth. obseruat S. Doctor *in 4. dist.18. p.2. quæst.1. fundamento primo*, Christum statim subdere: *Amen dico vobis: Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis*, dando eis potestatem puniendi eos, quos anathemate proiectos dixerat. Itaque etiam Apostoli separationem quidem adhibuere, sed pœnas etiam coercitiuas. Obseruat autem ampliùs S. Doctor *in Hexaëmer. serm.16.* Ecclesiam non potuisse semper rebelles coercere, quia sub Principibus Paganis iacebat; sed tempore Constantini, caput erexit, & cœpit vti potestate contra hæreticos, decernens in Concilio Nicæno, vt Arriani punirentur. 34

Obijcies secundò *Lucæ 11.* Iacobo, & Ioanni, volentibus ignem è cœlo rapere contra Samaritas, obstitit Christus. 35

Respondet S. Doctor illo loco, Discipulos illos, ductos esse zelo amaro, non rationabili, in illos, qui adhuc infideles nondum instructi erant. Deinde addit, voluisse Christum eos admonere, se velle in illo primo suo aduentu humilitatem, & patientiam in infideles cæcos præ se ferre, vt interpretatur Hieronymus ad Algasiam.

Obijcies tertiò *Matth. 13.* seruos reprehendit Dominus volentes Zizania euellere: Intelliguntur autem hæretici, vt exponunt Cyprianus *Lib.3. epist.3.* Chrysost. & Ambros. apud Maldonatum. 36

Respondetur ex D. Bonauent. *de sex alis Seraph. cap. 7.* & *sermone Dominica prima in Quadragesima*, intelligi per Zizania impios quoscumque, & non hæreticos: Vnde & D. Augustinus, qui per ea hæreticos intellexerat, postea retractauit *Lib. 2. Retract. cap.18.* vbi ex Cypriano intelligit omnes malos. Idem sentiunt Gregorius, Ambrosius, Theophylactus apud Cornelium ibi; Et sicut non iubet, occidi fures, adulteros, &c. ita neque hæreticos; neque tamen omnes hos prohibet extirpari: solùm prohibet ne auferantur incautè cum malis etiam boni. *Ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul & triticum*, vt monet D. August. *Lib.3. cont. epist. Parmen. cap.2.*

Ex dictis inferunt, potestatem hanc Ecclesiæ extendi ad eos etiam, qui in infantia baptizati, à fide deficiunt. Imò Concilium Toletanum 4. *can.55.* etiam metu baptizatos includit. 37

Inferunt secundò, posse filios hæreticorum per se ad baptismum deduci. Vide Suarez 3. *part. Tom.3.*

*disp.*25. *sect.*3. Dixi *per se*, quia per accidens oppositum dic, si certum sit, illos pueros educandos à parentibus in hæresi; tunc enim in iniuriam Baptismi redundaret. Vide Suarez hîc *disp.*25. *sect.*5. & Card. Lugo *disp.*21. *sectione* 1.

QVÆSTIO VIII.

De alio medio, quo vtitur ECCLESIA *contra hæreticos prohibendo eorum Libros.*

38 CONCLAMANT hæretici vlulantes contra hoc Antidotum sanè efficax, quorum querimonias refellunt Bellarminus *Lib.*3. *de Laicis*, *cap.*20. Suarez *disp.*10. *sect.*2.

NON est autem nouum in Ecclesia hoc remedium, nam *Actorum* 19. multi attolerunt Libros vanos, & superstitiosos comburendos.

S. CLEMANS *Lib.*1 *constit. Apost. cap.*7. refert Libros Gentilium, & falsorum prophetarum fuisse fidelibus ab Apostolis prohibitos, & in Concilio Nicæno, teste Nicephoro, *Lib.* 8. *cap.* 18. statutum est, vt Arrij Libri cremarentur, & Coustantious addidit pœnam capitis eos occultantibus.

39 IN Concil. Carthag. 4. *can.* 16. solis Episcopis permittitur in casu necessitatis hæreticorum Libros legere, & Theodosius *in Lege damnato*, *Cod. de hæreticis*, è præscripto Conc. Ephesini, iussit comburi Nestorij Libros. Leo I. *epist.*91. & Gelasius *in cap. Sancta Romana*, *dist.*15. Libros hæreticorum prohibuere; & addit Leo, hæreticos censendos illos Episcopos, qui huiusmodi Libros in domibus fidelium permitterent. Idem constat ex quinta Synodo, *act.*1. & *L. quicunque*, §. *nulli*, & §. *omnes*, *Cod. de hæret.* prohibentur, & igni adiudicantur omnes Libri Eutychetis, ex præcepto Conc. Chalced. *act.* 3. Vide Allegatos Doctores alia referentes cum Basilio Pontio *in Appendice*, *post Lib.*12. *de matrimonio*, *cap.*2.

RATIO est ex D. Bonauent. *in Diata*, *tit.*6. *cap.*3. quia necessaria est nobis ad salutem, & Dei cognitionem, instructio sincera; nam spiritualia per corpores haurimus. Duo autem sunt præcipuè sensus disciplinæ capiendæ, *Visus*, & *Auditus*, Et quidem visu legimus Librum creaturarum, & ideò in cognitionem Dei assurgimus. *Inuisibilia enim Dei*, *per ea quæ facta sunt*, *intellecta*, *conspiciuntur*. Rom. 1. Legimus etiam Libros excusos; & sanè Scripturæ Libri aptissimi sunt: Vnde & Christus Lucæ 24. *Ape-*
40 *ruit illis sensum*, *vt intelligerent scripturas.* Vide igitur è contrario, quàm nocère possint libri, docentes hæreses; sunt enim subuersores, pestilentes, cùm doctrinas sacrilegas contineant. Hi enim vehementissimè mouent, cùm sint diligentius elaborati, & permaneant. Hinc cauiè Gentiles prohibebant Libros, suis sectis aduersos, vt referunt Valerius Maximo *Lib.* 2. *cap.* 2. & Tullius *Lib.*1. *de natura Deorum.*

41 NEQVE doleant Hæretici, permitti nobis Lectiones Librorum Gentilium, nam Libri Hæreticorum sunt eom in finem speciosis titulis & doctrinis adornati ad seducendum: Libri verò Gentilium iam antiquatos, & explosos errores, qui non sunt tanti periculi, recensent. Prohibentur sanè aliqui Libri Iudæorum, & Turcarum, in quibus sunt aliqua periculosiora.

PROHIBENTVR autem in Bulla Cœnæ Libri Hæreticorum, hæresim continentes, vel de religione tractantes.

Includit verò ibidem etiam vnam epistolam hæretici, asserunt Suarez *disp.*20. *sect.*2. Hugolinus apud eum, Megala 3. *p. lib.*3. *cap.*1. *num.*55. Farinacius *de hæresi quæst.*180. *num.*70.

ALII tamen satis probabiliter negant; Sanchez *cap.*10. *num.* 20. Durandus, & Bonacina, quos refert, & sequitur Palao *primo Tract.*4. *disp.*2. *part.*10. Layman, Portel, & Sousa, quos affert, & videtur approbare Diana *p.* 1. *Tract. de Bulla Cruciatæ*, *resol.*34. & Card. Lugo *disp.*21. *sect.*2. §. 1. Ratio est, quia odia sunt potiùs restringenda. Confirmatur, quia quamuis non liceat libros sine authoris nomine imprimere de rebus sacris, stante prohibitione Concilij Trident. *sess.*4. has tamen paruas scripturas sub illo decreto non contineri vsus ipse declarauit, vt testatur Azotius *Tract.*1. *Lib.* 8. *cap.*8. *cap.*17. *quæsito* 4. Lugo *num.*33. 42

OMNES autem personæ includuntur in hac prohibitione, iuxta decretum Vrbani VIII. *de motu proprio*, 2. *Aprilis* 1631. 43

Excommunicantur autem legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quauis causa publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore. Vide Cardinalem Lugo, & ea, quæ dicta sunt *Tomo* 4. *disp.*17. *de conscientia*, *quæst.*10. *ad proposit. vltimam.*

QVÆSTIO IX.

An teneamur hæreticorum conuersationem vitare.

ASSERIT Soto 4. *dist.* 25. *quæst.*1. *art.*1. & 3. & *dist.*20. *quæst.*1. *art.*5. 44

COMMVNIS tamen sententia id negat, quam diu hæreticus non est iuridicè declaratus, & denunciatus, quia Concilium Constant. indulsit, communicare cum omnibus excommunicatis, exceptis nominatim denunciatis, & publicis clericorum percussoribus. Ità authores apud Sanchez *Lib.*2. *decal. cap.*9. Sic cum aliis Henriquez *Lib.*13. *cap.*5. Suarez 3. *p. Tract.*5. *disp.*9. *sect.*2. Toletus *Lib.*1. *summæ*, *cap.*9. Tannerus *disp.*1. *quæst.*9. *dub.*5.

Ex quo adnotandum est, Seraphicum *in* 4. *dist.* 18. *p.*2. *q.*1. asserere sententiam Soti, sed ante Concilium Constantiense: Tunc autem erat communis sententia.

DIFFICVLTAS verò est; num satis sit, aliquem declarari hæreticum; an verò exigatur etiam, vt declaretur excommunicatus.

MIHI satis videtur esse, declarari hæreticum; nam hæresi est infallibiliter nexa excommunicatio. Ita vterque Sotus, Medina, Henriquez, & alij, quos refert Sanchez *Lib.*2. *cap.*9. qui tamen oppositum tenet cum aliis; & Suarez *de censuris*, *disput.* 9. probabilem putat cum Card. Lugo *disp.*22. *sect.* 1. 45

POSSVMVS etiam eis in sacris communicare, nempe assistendo missæ simul cum hæretico. Ità omnes Doctores apud Sanchez *dicto cap.*9. contra Basilium Poncium *in Appendice de matrimonio Catholici cum hæretico*, *cap.*9. 46

POSSVMVS etiam ab hæretico Sacramenta, more Ecclesiæ nostræ, sumere in necessitate, nisi aliunde scandalum surgat. Vide Sanchez *num.*10.

Multa alia de hac re discurrunt Sanchez *Lib.* 2. *in Decal. c.*9. Card. Lugo *disp.*14. *sect.*5. §. 5. & *d.*21. *sect.*2.

ALIQVA dubia tangam, quæ apud Seraphicum inuenio discussa. Primum est: An matrimonium cum hæretico, vel hæretica, sit validum.

De

De his Thomas Sanchez *Lib.7.de matrim. disp.72.* Ferrarius *opusc. de matrim. Catholici cum hæretico:* Basilius Poncius *in sua Appendice, post Lib.12.de matrim.* Communiter verò asserunt Iuris Doctores, & Theologi cum D.Bonauent. 4. *dist.39. quæst.1.* quos refert Sanchez *num.* 2. & Poncius, & colligitur ex *cap. decreuit de hæreticis, in 6.*

Quod si hæreticus spondeat conuerti, & sit moralis certitudo, non modò validum, sed etiam licitum erit matrimonium, vt habetur in C. Chalcedonensi *cap.14.* Ita Hurtado *disp.76.§.219.* Sà *verbo matrim. num.8.* Card. Lugo *disp.22.sect.1.* Tametsi neget Sanchez *disp.72. num.4.* Poncius *in Appendice, capite 8.*

Secundum est, an possit coniux dimittere coniugem lapsum in hæresim; & quidem non ob id solui matrimonium definitum est in C. Trident. *sess.24. cap.5.*

48 Quod verò possit separari, certum est; nam præter fornicationem alias causas definit Tridentinum, ob quas possunt separari *sess.24. can.8.* Idem constat *ex cap. Quanto, de diuortiis,* & *ex cap. litteras in fine,* & *cap. transmissa, de restit. spoliat.* & *cap.1. vt lite non contestata.*

49 Hæretici sectarij vrgent locum Matth.5. & 19. *Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat.*

Respondet Cardin. Lugo *disp.22. sect.3.* cum Sanchez *Lib.10. disp.15. cap.14.* Bellarminus *Lib.3. de matrim. cap.14.* Christum loqui de separatione perpetua, & propria auctoritate, sine consensu coniugis dimissæ.

Hanc tamen expositionem, quoad *propriam auctoritatem*, refellit D. Bonauent. *in 4. dist.35. quæst.3.* vbi ex visu ostendit, necessarium esse iudicium Ecclesiæ.

50 Respondet igitur S. Doctor *quæst. 1. ad 5.* exprimi ibi fornicationem, vt causam separandi se perpetuò, quia inter causas est euidens, cùm sit contra fidem directam matrimonij, reliquas verò causas discutiendas censet: Et quòd loquatur de separatione perpetua, probatur; nam ibi *cap.5.* præmisit vsum repudij, quod erat ad separationem perpetuam. Obseruat etiam S Doctor diuortium Ecclesiæ nunc vsitatum, diuersum esse à repudio illo veteri. Vide S. Doctorem q.1. De his verò, Tractatu de matrimonio agam.

QVÆSTIO X.

Quæ excommunicatio hæreticis infligatur.

51 IAm de pœnis hæreticorum agendum, & primò de spiritualibus.

Prima, & antiquissima hæreticorum pœna spiritualis, est excommunicatio, vt constat *ex capite Achatius, 24. quæst.1. cap. Ad abolendum, cap. Excommunicamus, 1. & 2. de hæret. cap. Quicumque, eodem titulo in 6. cap. Nouerit.*

Porro in Bulla Cœnæ imponitur, & quotannis renouatur excommunicatio, summo Pontifici reseruata. Est autem hæc antiquissima omnium excommunicatio, vt notat Azorius *Tomo 1. lib.8. cap.10. quæsito 1.*

52 Incurritur autem ob hæresim exteriorem, non ob mentalem, vt docent communiter Iuris Doctores, quos refert Sanchez *Lib. 2. cap. 8. num.2.* Ecclesia etiam de merè occultis non iudicat, seu de merè internis. Hæreticus verò externus, sed occultus incurrit hanc censuram, vt docent communiter apud Hurt. *disp.83. sect.4 §.36.*

Suarez tamen *disp.21. sect.2.* refert aliquos negantes de censuris in genere non incurri ob crimen occultum, quod de hæresi docet Crousers *in reg. S.Francisci, cap. 7. lect.4. fol. 518.* apud Dianam 6. *parte, Tract.6.miscel. resol.51.* Magna verò quæstio est de absolutione ab hæresi, quæ quæstio pendet ex cognitione qualitatis huius censuræ.

Referam igitur Bullæ Cœnæ Anathema iactum contra hæreticos, iuxta exemplaria moderna Vrbani VIII. iuxta Bullas etiam Pauli V. & Gregorij XV. *Cæterum à prædictis sententiis, nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus; nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, absolui possit, etiam prætextu quarumcumque facultatum, & indultorum, quibuscumque personis Ecclesiasticis sæcularibus, & quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, etiam militarium Regularibus, etiam Episcopali, vel alia maiori dignitate præditis, &c. per nos, & dictam sedem, ac cuiusuis Concilij decreta concessorum,* &c. Vide *disp.17. quæst. 10. sect. 3. tom.4. de actibus humanis.* 53

Grauis autem oritur quæstio, quia in C.Tridentino *sess.24. cap.6.* conceditur Episcopis facultas absoluendi ab hæresi occulta, & aliis occultis casibus Apostolicæ sedi reseruatis.

Geminæ opiniones celebres extant: Prima est, facultatem à Trident. Concilio concessam Episcopis adhuc extare, nec esse Bullâ Cœnæ sublatam. Doctores refert Sanchez *Lib.2. Decal. cap.21.* qui eam sententiam probabilem fatetur. Alios refert Diana *p.p. Tract. de Absol. ab hæresi, resol.2.* quibus alios addit *4. p. tract. 4. miscel. resol. 239. & 5. p. tract.13. miscel. resol.43.* Eam probabilem dixit Suarez *Tract. de censuris, disp. 21. sect. 3.* licèt postea impugnet. Eam acerrimè defendit Hurtado *disp 84. sect.2. §.111.* & Fagundez *lib. 1. cap. 15.* referens viginti Doctores *de secundo præcep. Eccles. lib. 8. cap. 8.* Bass. V. *Hæresis. num.18.* multos referens. 54

Secunda sententia asserit, ablatam esse Episcopis à Bulla Cœnæ facultatem. 55

Hanc tenent Nauar. *summa Latina noua, cap.27. num.275.* addens ità declarasse Pium V. & Gregorium XIII. Peña *in directorio Inquisit. 3. p. quæst.92. com. 141.* dicens, ita sæpe declaratum esse in suprema Generali Inquisitione Romana. & Azorius ait, ità declarasse Clementem VIII. Suarez dicet ità declarasse Congregationem Eminentissimorum Cardinalium. Consentiunt alij plurimi apud Dianam, & Castrum Palaum *Tract.4. disp 4. p.3. § 1.*

Cardinalis Lugo *disp.23. sect. 3. § 1.* sic concordat sententias: Si Episcopus non credat, voluisse Pontificem reuocare facultatem, posse primam sententiam probabiliter amplecti; quæ tot authores, adeoque graues habet; Si verò id credat, debere stare secundæ sententiæ; Ipse autem testatur, se non posse cum prima consentire, quia moraliter de voluntate Apostolicæ Sedis contrariâ est certus. Enim verò Fagundez ait Gregor. XIII. oppositum declarasse, & de Sacr. Congr. non constare. Addit Bass. in S. Congr. anno 1619. fuisse permissam.

Equidem non apparet, vnde tanto Concilio statim derogatum sit; nam quod dicatur. *Etiam si concessum virtute alicuius Concilij Generalis*, non satis indiuiduæ facultati Tridentinæ detrahunt; Lex autem posteriori indistinctè loquens, & generaliter, limitanda est per anteriorem, specialiter contrariam, vt ait Fagundez etiam *præc.1. eccl. lib.8. cap.8.* 56

Addit., nil certi constare de Oraculis viuæ vocis Pij V. Gregor. XIII. vel Clem. VIII. aut decr. Sacr. Congr. quæ excluderent etiam Reuerendissimos Inq. qui hanc facultatem à Concilio habent, quæ refert Lugo *n.*87. Inanis autem est distinctio Fagundez. De Iure derogatum; non de facto, quia incertum est ius.

Continentur hac facultate Prælati, habentes potestatem quasi episcopalem: sic Rodr. *tomo* 2.*c.*10. & *tom.p. qq. reg. quæst.*54. *art.*16. & *quæst.*61. *art.*9. Henriq. *lib.*4. *de irreg. cap.* 18. Sanchez *lib.*5. *decis. cap.*11. Saytus *lib.*11. Auil. *de cens. p.*7.*disp.*10. Flor. de mena *lib.*3.*var. quæst.*53. Bulla enim Cœnæ eam facultatem eis non aufert, quam ante habebant, vt ait Fagundez *num.*21.

57 Prælatos hos, dico Ecclesiasticos, habentes diœcesim, non regulares, vt notant relati.

Prælatos verò regulares non habere hoc à iure conclamant Suarez *lib.*4.*de Penit.disp.*30.*sect.*2.Garc. *de benef.p.*7.*cap.*11. Armenda *addit. ad recopil.* Nauar. *tit.*18.*lib.*7.*de irreg.* Fagundez *num.*21. Neque enim ante Concil. id iuris habebant, nec eis à Concil. datur.

58 Qvoad priuilegia, refert P. Bonagratia noster, editus anno 1667. Coloniæ; priuilegium Pij V. datum Prædicatoribus, vt possint, quod & Episcopi, in hoc. Et è Suarez *Tom.*4.*de Relig.tract.*8.*lib.*5.*c.*20.& ex Vrbano ab Ascens. *tract.*2.*cap.*3. Prælatos Regul. absoluere posse sibi subditos ab omnibus censuris à *Iure*, vel ab *homine*, etiam publicis, Clem. IV. & Sixti IV. Exceptis 4. Bullæ Cœnæ. Relapsu scil. in hæresim, Schismate. Falsificatione litt. Apost. Delatione prohibitorum ad infideles. Cæteri verò casus etiam Simoniæ includunt. Vide *Com. Priu. mend. tit. Absol.* vbi id conceditur Ministris, Vic. & Custodibus. Hæc verò ad forum contentiosum Extendit Sigism. *de elect. num.* 2. *disp.* 66. author Rotæ, penes Plureum *decis.* 90. excipe casus S. Officij.

59 Porro & 4. casus allatos cum cæteris, concedit Greg. XIII. Societati Iesu, vt refert Suarez *loc. cit.* Amplum verò à Pio V. concessum Prælatis Cassin. refert Tamburin. *de cas. reseru. c.*11.§.1. quod priuilegium extenditur ad participantes cum eis; vt possint absoluere omnes suos, etiam nouitios perseuerantes, ab omnibus casibus, censuris, pœnis, per eos tam ante, quàm post ingressum subitis, & incurrendis etiam Bullæ Cœnæ. Hinc hoc extendi, ait, ad notorios in foro conscientiæ.

60 Qvod si probabile esset Priuilegiis mendicantium per annuam Bullæ Cœnæ publicationem non esse derogatum, vt docent Rodriq. *tomo* 1. *qq. quæst.*10. *art.*9. Suarez *de relig. tom.*4. *tract.*10. *lib.*9. *cap.*10. *num.*18. Diana *p.*1.*tract.*5.*resol.*6. Sousa in Bulla cœnæ *cap.*23. *disp.*100. Bonagratia, V. *Absolutio*, Eligius Bassæus, V. *heresis*, *num.*18. & alij apud hos, possent religiosi mendicantes approbati iuxta formam iuris absoluere sæculares à casibus Bullæ Cœnæ, & etiam ab hæresi, modò sint occulti; & hæc posterior pars probatur ab illis primò ex concessione Vrbani IV. apud Rodriq. *tom.*1. *qq. quæst.*61. *art.*3. *Compend. Priuil. mendic.*
61 *V. Absolutio*, quo ad sæculares *num.*19. in qua concedit fratribus Carmelitis, vt de licentia Prælatorum Ecclesiæ, idest, vt declarauit Sixtus IV. modò sint confessores secundùm formam iuris præsentati, possint audire confessiones omnium Christi fidelium, causâ deuotionis ad eos recurrentium, nisi talia commisissent, propter quæ esset sedes Apostolica meritò consulenda. Sed pro solo relapso, post abiuratam coram Iudice hæresim, est consulenda sedes Apostolica, quia Sixtus IV. pro vt habetur *in Monum. ordinum, concessione* 345. declarat, solos relapsos ad sedem Apostolicam destinandos vnà cum Schismaticis, & falsificantibus litteras Apostolicas, & deferentibus vetita ad infideles: Ergo ab hæresi occulta, posita illa probabilitate, præfatis liceret absoluere.

Probatvr secundò ex concessione Sixti IV. fa- 62
cta Ordini minimorum, vt habetur *in Comp. prædicto, num.*50. *eiusdem tituli*, quâ dictis concedit facultatem confessiones audiendi, & ab omnibus casibus excommunicationis, suspensionis, interdicti, ac super quacunque irregularitate, Ordinario tam à *Iure* quàm ab *homine* reseruatis, toties quoties opus fuerit absoluendi, dispensandi, ac vota quæcunque permutandi, & relaxandi, & pœnitentiam salutarem iniungendi, sicut potest Diœcesanus. At hæresis saltem occulta, seu in iudicium nondum deducta, tam iure antiquo, quàm nouo Tridentini, reseruatur Ordinario: Ergo. Minor probatur ex Trident. *sess.*24. *cap.* 6. vt notant Sanchez *lib.*4. *moral. cap.*54. *num.*57. Diana *part.*1. *tract.*11.*resol.*28. & *p.*3. *tract.*3.*resol.*13. Ampliùs dicit *p.*4. *tract.*4. *resol.*239. Rectè dici posse, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & ideò non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est.

Addit Bassæus *loco citato*, prædictam sententiam, 63
anno 1659. 18. Iulij in Consistorio S. Congregationis Eminentiss. Cardinalium visam, & toleratam, etiam à multis regalis Academiæ Duacensis S. Theol. Doctoribus admissam.

Occultum verò ait, V. *Irregularitas*, 12. *num.*5. esse illud delictum, quod non est notorium Iudicis sententiâ, vel per confessionem criminis factam in iudicio; vel famâ in populo, Collegio, aut Vicinia. Siue non adhuc deductum est ad forum contentiosum; atque hoc vltimum videtur Concilij Trident. *loco cit.* ait Bassæus ex aliorum sensu.

Enim verò nunc editum est Decretum ab Alex. 64
VII. *anno* 1665. 24. *sept.* vbi inter alias propositiones damnat istam: *Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in quo de occultis criminibus sermo est, anno* 1659. 18. *Iulij in Consistorio S. Congr. Eminentiss. Cardinalium visa, & tolerata est.*

Ait tamen P. Bonagratia, V. *Absolutio*, quo ad sæculares *num.*44. *ad finem*, Pontificem nullam facere mentionem reuocandi priuilegia regularium, ea, que adhuc in vigore suo permanere, vide quæ dicta sunt *sectione* 11.*quæst.*10.*disp.*17.*de conscientia, tom.*4. *de actibus humanis.*

Ego his, ex aliorum mente relatis, arbitror nil 65
tutum esse in his absolutionibus, atque adeò primam sententiam non amplector. Cùm enim ex Pontificis voluntate pendeat absolutionis valor, & ea mihi appareat renuens, nullum exhortor, vt interim eis vtatur.

QVÆSTIO XI.

De aliis Pœnis spiritualibus hæreticorum.

Has recenset Card. Lugo *disp.*23. *sect.*4. Fagundez, & Suarez *locis cit.*

Prima est, ne in loco sacro sepeliantur: *cap. Quicumque, de hæret. in* 6. Hunc tamen textum de solis damnatis sententia intelligunt Suar. *de Cens. disp.*12. *sect.*4. *num.*13. Coninch. *disp.*14. *dub.*8 *num.*64. Hurtad. *disp.*76. *sect.*1. *subsect.*5. Lugo *disp.*14. *sect.*5. §.5. *num.*159. Vnde infert, nunc pollui Ecclesiam, solùm per sepulturam vitandorum.

Secvnda pœna est irregularitas. Vide Sanch. 66
*lib.*2.

lib.1.cap.25. Suar. *disp.21, sect.5.* & *disp.43. de Cens. sect.1.* Dianam *2.p. tract.1. misc. R. 24.* & alios apud hos.

Alij tamen probabile existimant hæreticum occultum non esse irregularem. Eos refert Diana *p.1.sup.1, R.114. & 2.p. suprà, resol.24.* & *p.4.tract.1 de Irreg. resol.46.*

TERTIA pœna est infamia: *cap. Excommunicamus, 1. §. Credentes,* & *cap. Statutum, eodem tit. de haret. in 6.* & *cap. Infames, 6. quast.1.* & *Authent. Gazaros, C. de haret.* initio & *L. Cunctos populos, de Summa Trin.* Vide Suar. *disp.21. sect.3.*

67 QVARTA pœna est, vt hæreticus priuetur beneficiis, & officiis acquisitis, & inhabilis reddatur ad futura. Vide Lugum *disp.23. sect.4. §.2.*

QVÆSTIO XII.

De pœnis temporalibus Hareticorum.

68 PRIMA pœna est confiscatio bonorum *L. Manichaes Authent. Gazaros, C. de hereticis L. Quisquis,* & *L. vlt. C. ad legem Iul. Maiest.* & *L. vlt. de bonorum praescript. in cap. vir. gentes de hereticis.*

69 REGVLA autem generalis est, bona omnia stabilia, & mobilia, iura etiam, & actiones hæretici ad fiscum transire, & in vniuersum omnia, & sola, quæ ipse hæreticus in hæredem extraneum transferre potuisset, si liberè testari posset. Hanc regulam statuunt DD. apud Sanchez *Lib.2.cap.14.* Suarez *disp.22. sect.5.* Card. Lugo *disp. 24. sect. 1. §. vnicet,* quos vide.

70 SECVNDA pœna est capitalis. Hæc controuersia contra hæreticos eruditè tractatur à Bellarmino *Lib.3, de Laicis, cap.21. & 22.* Valentia *disp.1. quest.11. p.3.* Et constat ex Extrauag. *Vnam Sanctam, de maioritate, & obedientia,* & *cap. ad Apostolica, de sententia, & re indicata, in 6.*

RATIO est, quia Respublica ordinata debet punire scelera maximè atrocia subditorum. Hac ratione vtitur Lugo *sect. 2.* & est D. Bonauent. *dist.18. p.2. quast. 1.* Ideò & Principes sæculares hanc pœnam hæreticis imposuère, *L. Quicunque* & *L. Arrian. Cod. de haret.* Vide alia iura in Farinac. *de heresi quast.178. 193. & 196.*

MAXIMA verò relapsi vltimo supplicio tradendi sunt: *cap. Accusatus,* & *cap. super eo, de haret. in 6.* & *L. commissis,* & *cap. ad abolendam, extra de hereticis.*

71 Alias etiam pœnas multò magis infligendas hæreticis asserimus, puta carcerem perpetuum: *cap. excommunicamus, de haret.* Vide Cardinalem de Lugo *disp.24. sectione 3.*

In Bulla cœnæ includuntur etiam receptores, fautores, & defensores hæreticorum. Vide Sanchez *Libro secundo Decalogi, capite 10.* Cardinalem de Lugo *disputatione vigesima quinta.*



DISPVTATIO IV.

De Spe.



INGENVE Seraphicus *in Dieta, titulo 5. cap.4. de spe,* ad illud Deuteron. 24. *Non accipias loco pignoris infertarem, & superiorem molam,* inter cæteras virtutes monet, spem & timorem peccatori non subtrahendum: Spes etenim spiritualis mola est, & Inferiùs sustinet animam; sursumque eleuat, ne per nimiam deiectionem in desperationem ruat. Timor verò est mola superior, animam deorsum premens, ne per elationem euanescat: inter has molas optima fit (inquit S. Doctor) animæ molitura, seu peccati contritio. De prima mola, nimirum de spe agendem hic; de timore autem, sequenti disputatione agam.

QVÆSTIO I.

Quid sit SPES.

NOn ago de Spe, vt est passio, quæ definitur, 1
Lib.2. Rhet. cap.5. ab Aristotele *Spes est suspicio futuri boni,* vt refert S. Doctor *3. p. Compil. sect.39.* & *in 3. dist.26. dub.2.* sed pro vt est virtus Theologica.

DEFINITVR primò à Magistro *dist. 26.* apud Seraphicum, eâ dist. dub.2. *Est virtus, qua spiritualia, & aterna bona sperantur,* id est, cum fiducia expectantur.

OBSERVAT autem S. Doctor, hîc definiri Spem in ordine ad obiectum, quod est bonum æternum, & gloriosum, hoc autem est duplex: Increatum, quod est Deus; & creatum, quod est beatitudo, ad quam reducuntur etiam gratia, venia, perseuerantia, & cætera ad gloriam perducentia. Dum igitur dicuntur, *bona spiritualia,* tangitur obiectum genericum; dum verò dicitur, *aterna,* tangitur obiectum specificum.

DEFINITVR secundò à Magistro ex Haymone, vt
refert S. Doctor locis citatis: *Spes est certa expectatio 2
futura beatitudinis, veniens ex Dei gratia, & meritis pracedentibus.* Quæ definitio lata est in ordine ad obiectum, & ad principium, vt aduertit S. Doctor *ibi.*

DEFINITVR tertiò à D. Augustino *Lib. de ciuitate
Dei* passim: *Spes est virtus, qua quis se ad illud, quod 3
credit, peruenturum prasumit.* Quæ definitio lata est in ordine ad obiectum, & habitum.

ALIO modo has definitiones distinguit S. Doctor. Prima lata est per genus, & differentiam; & est Formalis. Secunda Causalis, lata per actum, & causam. Tertia partim est causalis, partim formalis, quia datur per obiectum Spei, & præambulam virtutem fidei.

CONSIDERAT deinde *dub.3.* S. Doct. tam Spem, quàm fidem esse de inuisibilibus, vt ait Magist. sed fides est de inuisibilibus, in quantum non sunt visa; at Spes est de inuisibilibus, vt sunt non habita.

OBSERVAT etiam *dub.4.* Spem, etiam vt passio-
nem, & vt virtutem, differre à gaudio, & dolore, 4
quia sunt de obiecto præsenti; sed Spes est de futuro, & per hoc differt Spes etiam à beatitudine; conuenire verò cum amore, qui est etiam de futuro.

DIFFERRE autem à Timore, quia hic est respectu mali; Spes verò respectu boni. Quare si aliquando respectu mali dicitur spes, impropriè dicitur, vt cum Cicero *Lib.1. ad Atticum,* spem malorum dicit, & Virg. *Æneid.4.*

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

Id obseruat S. Doctor cum D. Augustino, *cap.8. Enchiridij.*

POTEST igitur sic definiri Spes nostra: *Est Theolo- 5
gica Virtus, quâ voluntas fertur in Deum, vt est beati-*

tudo nostra, ardua ad consequendum, quæ obtineri tamen queat Dei auxilio. Dicitur *Virtus*, quia reddit bonum moraliter, eam habentem; hæc enim est nota virtutis insignis, ex Aristotele 2. *Eth. cap.6.*

6 DICITVR *Theologica*; versatur enim circa Deum, excedentem nostram naturalem capacitatem, vt dicitur prima Corinth.2. *Oculus non vidit, &c.* Spem autem esse Dei donum, habetur Rom.15. *Deus autem spei repleat vos omni gaudio, &c. vt abundetis in spe*, & Prima Petri, primo. *Qui regenerauit nos in spem viuam.* Ideò Concilium Trident. *sess. 6. can. 7.* definit, eam infundi; & *can.3.* ait, esse donum gratiæ.

Reliquæ particulæ definitionis explicabuntur in quæstionibus, dum Obiectum Spei examinabimus & subiectum eius discutiemus. Hanc definitionem colligo ex D.Bonauent. *locis adductis*, & *in opusculo Declaratio terminorum Theologiæ*, & *in Dieta, tit. 5. cap.4.* vbi præclarè Spem pretiosis rebus assimilat, & *Lib.5. Compend. Theologiæ, cap.2.*

QVÆSTIO II.

Quodnam sit obiectum materiale SPEI.

D Bonauent in 3. dist.26. art 2. quæst.5.
D.Thom 2.2. q.17. art.1.

7 CONVENIVNT omnes, primariam huius virtutis materiam esse Beatitudinem æternam, vt vidimus in definitionibus spei, allatis à S.Bonauent. & deducitur ex illo Rom. 5. *Gloriamur in spe gloriæ, &c.* & 1. ad Titum *secundum spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus.*

QVÆRITVR ergo, num beatitudo formalis, quæ est visio Dei, & dilectio, ac fruitio; an verò obiectiua, idest ipse Deus, sit huius virtutis obiectum.

PRIMA opinio est, Spem versari circa beatitudinem formalem proximè; circa Deum autem remotè, atque adeò hanc virtutem non attingere Deum immediatè in se. Ita Durandus 3. *dist. 26. quæst. 2.* Palud. *ibi*, & alij antiquiores, inter quos recensetur etiam S.Bonauent. à multis.

8 SECVNDA sententia, è diametro opposita, est, Spem proximè versari circa Deum; visionem verò esse meram conditionem exponentem.

TERTIA sententia, media, est, Spem versari circa Deum, & circa Beatitudinem, vt ad Deum refertur. Ita D.Thom. *prima secunda, quæst.1. art.3. ad 3.* Becanus *cap.17. quæst.1.* Poncius *disp.31. quæst.2.* Coninchius *disp.19. dub.3.* Mastrius *disp.6. de virtutibus Theol. quæst.17. num.442.* Caspens. *disp.5. sect.1. num.3.* Morandus *Tract. vnic. quæst.15.* Tannerus *disp.2. quæst.1. dub.1. num.16.* Valentia *disp.2. quæst.1. puncto 1.* & alij recentes communiter; Et hoc idem volunt, qui dicunt esse Deum, vt beatitudine consequendum, ità vt Deum immediatè attingamus. Ita Scotus 3. *dist. 26. & 27.* Gabriel *dist.26.* Almainus *Tract.2. cap.7.* Suarez *de Spe, disp.1. sect.3. num.4.* Fagundez in primum præceptum *Decalogi Lib.1. cap.31.* Tannerus *disputatione 2. quæstione prima, dub.1. num.14.* Fuliens. *lib.3. cap.7.*

HÆC sanè est D.Bonauent. sententia *in corpore*, vt constat legenti.

ASSERO primò cum hac sententia, non solam visionem ipsam, sed etiam Deum, esse obiectum mate-
9 riale Spei.

PROBATVR ab authoribus allegatis cum D.Bonau. ex 15. *Genes.* vbi Deus ait Abrahamo: *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Hinc D.Augustinus 22. de ciuitate, cap. vltimo: *Præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit, eique seipsum promisit.*

VIDETVR autem id innuere Isidorus *Lib. 8. Ethymolog. cap.2.* cùm ait: *Spes dicitur, quasi pes progrediendi ad Deum.*

ET D.Gregorius *Lib.10. moral. cap.12.* dum ait: *Spes in Deum surgit solidior, quantò pro eo grauiora pertulerit*, vt refert S. Doctor *in Pharetra Lib. 2. cap.24.*

PROBATVR ratione D.Bonauent. à Mastrio; nam 10
Deus non tantùm ratione visionis, sed etiam ratione suæ bonitatis intrinsecæ, est summum bonum nostrum: Ergo, vt sic, in illud tendit amore concupiscentiæ; nam ipse per se nobis datur, & nobis coniungitur, vt dicitur *Ioan.14. Rom.5.* & hoc ipsum est maximum bonum nostrum.

Confirmatur *fundamento 4.* nam idem est obiectum Spei, quod est delectationis, quæ spei succedit, re iam obtenta; sed obiectum delectationis est Deus ipse; nam voluntas delectatur de obiecto cognito, & possesso, vt ostendi *prima secunda, Tract.1. disp.2. quæst.7.*

Confirmatur secundò, alioqui non esset Virtus Theologica, quia Deum non attingeret, vt infert Mastrius ex D.Bonauent. 3. *dist.26. art.1. quæst.3.* & hic *argumento secundo, cum responso.*

ASSERO secundò, etiam beatitudinem formalem ingredi rationem obiecti huius virtutis.

PROBATVR primò à S. Doct. *locis allatis* Patrum, 11
quæst.1. multos etiam affert *Lib.2. Pharetræ, cap.24.* D.Gregorium *Lib.6. moral. cap.14.* & *Lib.10. cap.12.* August. *Lib.10. confess. cap. 43.* & *epist.120.* Bernardum *Lib. de diligendo Deo, cap.14.*

PROBATVR secundò à D. Bonauent. ratione, qua vtuntur Morandus, Mastrius, & alij: nam Spes tendit in suum obiectum, quia est bonum sperantibus; sed est bonum sperantibus, vt habitum in beatitudine, seu ipsa beatitudo nobis est bona: Ergo.

PROBATVR tertiò à S.Doctore *argumento 3. cum responso.* Idem est obiectum, quod speramus, & quod desideramus; sed desiderium est supernaturalis beatitudinis: Ergo & Spes.

OBIICIAS. Amor concupiscentiæ ordinat amatum ad aliud, vt finem; sed ordinare Deum ad alium finem, est peruersum: Ergo.

RESPONDETVR, non esse necesse, vt id quod
amatur amore concupiscentiæ, ordinetur in aliud, vt 12
in finem; sed sufficit, vt sit volitum alij; neque est necesse, vt sit volitum propter illud: Vnde bonus est hic amor, quo Deum nobis amamus. Hinc S. Augustinus, manuali, cap.10. *Accende me Domine voluntate, & concupiscentiâ tuâ, quæ sancta est, & bona*, & Psalm. 83. *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.*

RATIO est, quia non comparatur Deus, vt mi- 13
nus bonum, tanquam perficiendum; vnde non interuenit ratio vsus, à D.Augustino *Lib.83. qq. quæst.30.* reprobatus: *Peruersus est amor vti fruendis*, at in beatitudine beatâ non finitur noster appetitus; sed per coniunctionem cum increata, vnde tandem terminatur appetitus in Deum, vt acutè respondet D.Bonau. *in primo, dist.1. in calce vlt. quæst.* & cum eo Arriaga *disp.27. sect.2.* Mastrius *num.448.* cum suo Scoto 3. *dist 26. quæst. vnic.* Caspens. *num.5.* & mox iterum in referenda tertia sententia *quæst.3.* refricabo: Spes enim tendit in Deum visum. Hinc hymno *Te Deum* dicitur: *Æternâ fac in gloria* munerari, idest, Deo.

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

Quodnam sit obiectum formale SPEI.

{ SS.Doctores suprà cit.

14 TREA opiniones etiam in hac quæst. referunt Suarez *Tract.2. disp.7 sect.3.* Mastrius *disput.6. quæst.17. art.2.*

PRIMA est, beatitudinem esse obiectum formale Spei, vt est ardua. Allegantur Henricus, Richardus, Durandus, Paludanus, D.Bonauent.& alij veteres. Eam sequitur Amicus *disp.19. sect.1.*

SECVNDA sententia est, obiectum formale Spei esse auxilium omnipotentiæ Dei, sicut testimonium primæ veritatis est obiectum formale fidei. Ita Vasquez *p.p. disp.84.cap.1. & disp.239.* quem sequuntur Turrianus, Meracius, allegantes D. Thom. *qq. disp. quæst. de spe, art.1.* & hic, *art.1.& 5.*

15 TERTIA sententia est, obiectum Spei esse Deum, vt summum bonum, amabile amore concupiscentiæ, quasi in commodum amantis; seu obiectum formale Spei, esse beatitudinem obiectiuam, quatenus bonum nostrum. Ita Scotus 3. *dist.26. quæst. vnic. §. ad quæst.* Suarez *disp.1. sect.3.* Coninchius, Arriaga apud Mastrium, Caspensis *disp.1. sect.2.* Mastrius *loco cit.* Morandus *quæst.15.* Aragon *quæst. cit. art.2.* Foliensis *lib.3. cap.7.* Tannerus *disp.2.quæst.1.dub.1.num.19.* qui *n.20.* carpit S.Doctorem, quem mutilum refert, vt dicam.

16 Hic sisto: nam Vulpes *disp.50. art.4.* negat, hanc esse Scoti sententiam, sed Deum, sub absoluta ratione Deitatis, esse formale obiectum Spei; non autem, vt est bonum nobis. Motus est autem Vulpes, quia Scotus *in corpore*, proponit hanc instantiam: si dicatur, quòd desiderare bonum mihi, variat rationem formalem obiecti, quia commutat bonum honestum in bonum vtile. Respondet, falsum esse, quia conditio illa, vel circumstantia *Cui*; non est conditio obiecti per se, imò talis conditio potest addi super obiectum, stante ratione formali obiecti.

17 ENIM verò hæc verba sic exponunt Lichetus, & Arretinos, quòd actus Spei, qui est desiderare bonum infinitum, terminatur primò, & immediatè ad illud bonum sub sua ratione formali absoluta; non quod ille actus terminetur ad tale bonum, vt in se, & propter se, sed ad illud, vt bonum mihi; bonum quidem superabundans, & me vltimarè perficiens, eo tamen modo, quo obiectum potest perficere potentiam; quia perficit, non intrinsecè, sed tantùm extrinsecè. Ratio huius est, quia si voluntas illud bonum tantum vt sibi commodum vellet, illa volitio non esset recta; esset enim amor mercenarius illicitus, quod declarat Lichetus, adducendo notabilem Scoti doctinam *ex 2. dist.6. quæst.2. inf. L.* vbi ait, quòd appetere actum perfectum, vt per illum magis ametur obiectum in se, est ex affectione iustitiæ, quia ex eo, quòd amo aliquid in se, inde volo aliquid in se; & ita boni Angeli potuerunt appetere beatitatem, vt illam habentes, perfectius amarent Summum bonum, & ille actus concupiscendi beatitatem esset meritorius, quia non vtitur fruendo, sed fruitur eo, quia bonum, quod concupiscit sibi, ad hoc concupiscit, vt plus amet illud bonum in se. Hæc refert Mastr. *n.459.* ex D.Bonau. *in 1. dist.1. quæst. vlt.* & refutat sententiam Vulpij *n.458.* è D.Bonau. hîc, *in fundamentis*, in quibus ostendit obiectum formale Spei non esse bonitatem Dei, vt talis est, contra Vulpem.

18 SENTENTIA S.Doctoris est, obiectum formale Spei esse Deum bonum, amore concupiscentiæ appetibile, non vt bonum, sed vt magnum arduum expectatum à nobis; consequendum tamen diuinâ liberalitate, veritate, & omnipotentiâ innixis. Ita *in corpore* se explicat.

Itaque trium sententiarum, quas suprà retuli, colligit, & conciliat diuersitatem, atque adeò mutilam afferunt Moderni sententiam Seraphici, quod frequenter euenit, quia S. Doctorem ex aliis allegant, non in fonte perlectum. Videtur autem Amicus fidelior. Seraphicum rectè interpretari.

ASSERO primò contra Vulpem, obiectum formale Spei non esse Deum, vt bonum.

19 PROBATVR à D.Bonau. primò. Virtutes distinctæ debent habere obiecta distincta; sed virtutes Theologicæ sunt tres distinctæ, vt habetur prima Corinth. 13. *Manent fides, Spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas:* Ergo earum sunt obiecta distincta: At etiam Charitas fertur in Deum, vt bonum: Ergo.

RESPONDENT, Spem respicere bonum, vt bonum quidem, sed futurum.

Contra ait S. Bonau. quia bonum, vt futurum, amatur charitate, nedum desideratur.

ASSERO secundò, obiectum formale benè assignari à S. Bonauentura.

20 PROBATVR ab eo *in corpore*, quod ratio Ardui ingrediatur rationem obiecti. Sicuti rationalis tendit in verum, ita appetitus in bonum: Appetitus autem diuiditur in concupiscibilem, & irascibilem; sed Concupiscibilis fertur in bonum, vt bonum; & irascibilis in bonum, vt arduum, & magnum; Oportuit autem, vtramque potentiam ordinari ad Deum: ergo, sicuti rationalis Fide, & concupiscibilis Charitate perficitur; ita irascibilis Spe.

PROBATVR secundò à S. Doctore. Contrariorum eadem est ratio; sed spes, & timor sunt contraria: Timor autem respicit malum, vt excedens suam potestatem; ergo & spes respicit bonum, vt superexcellens, & arduum.

PROBATVR tertiò, quia Spei officium est animum erigere, vt indicatur *Isa.64.* & prima Corinth. 2. *Oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis non ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Hebr.6. ait, Habere nos spem: *incedentem vsque ad interiora velaminis*, & cap. 11. Definitur Fides: *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

21 Hoc obiectum arduum exprimitur ferè semper in Scripturis, dum Spem nominant, nempe inter multas difficultates, repugnantias, & oppugnationes, ferè creditu insuperabiles. sic Iob.14. *Lignum habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit.* Id passim legitur in Psalmis. *Si consistant aduersum me castra, in hoc ego sperabo.* Psalmo 26. *In te Domine speraui, non confundar in æternum, &c.* Psalm.90. *Et ostendam illi salutare meum.* Rom.8. *Ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. Spe enim salui facti sumus. Spes autem, quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? Si autem, quod non videmus, speramus: per patientiam expectamus. Similiter autem Spiritus adiuuat infirmitatem nostram, &c. ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Affert sæpe S.Doct. id Rom.5. *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.* Adducit etiam *in corpore* id Genes.15. *Ego ero merces tua magna nimis.*

22 HINC soluitur argumentum, quod tanti pendunt Scotus, Mastrius, Caspens. Suarez. Quid intelligatur nomine *Ardui*. Dico enim intelligi bonum, vt ma-

gnum, & excellens, multisque difficultatibus obtinendum.

Instant Caspensis, Suarez, & Mastriûs; Nam difficultates non mouent ad volendum, sed retrahunt; et verò Spes est Volitio.

Sed obuiam responsionem habent in S.Doct. nam difficultas in bono est obiectum, non concupiscibilis, sed irascibilis, quæ insurgit ad bonum impeditum, & ad obstacula remouenda; Spes autem perficit irascibilem.

25 Solvitur etiam alia obiectio Suarez, Mastrij, & Caspensis, ex Scoto *dist.* 26. Deus, vt mihi bonus, est obiectum alicuius virtutis, sed non charitatis; nam hæc amat Deum propter se; non autem, vt mihi bonum; Neque ad fidem spectat, vt patet; ergo ad Spem.

Si Scotus, & Mastrius insignem suam doctrinam suprà relatam pensitassent; inuenissent, amorem concupiscentiæ in Deum, non mutare obiectum amoris amicitiæ; nam ad Deum propter se amandum tendit; & licèt amet bonum sibi, non tamen propter se; atque adeò ad eandem charitatem pertinet; qui enim amat vnum propter aliud, eodem amore amat, vt dixi *p.*1. *Tract. de Angelis, disp.*7. *quæst.*2. Sic respondet S.Doct. *dist.*26.*art.*2. *quæst.*3. *ad* 3.

24 Hinc sanè magis vrget argumentum S.Bonau.nam perfectio omnium animæ rationalis potentiarum, est necessaria; at non alia virtus inuenitur perficiens irascibilem in ordine ad Deum, præter Spem. Quòd enim etiam Charitas respiciat bonum supernaturale, nihil refert; non enim illud respicit sub hac ratione, vel sub ratione Ardui, sed vt bonum; non est autem nouum in obiecto materiali multos habitus conuenire, & in nostra quæstione omnes tres virtutes Theologicæ Deum respiciunt.

Habes etiam ex dictis, imbelle esse argumentum Mastrij *num* 456. quo ostendere nititur cum Coninchio, omnipotentiam, liberalitatem, & fidelitatem Dei non pertinere ad obiectum formale, quia id solùm spectat ad obiectum formale actus voluntatis, quod eam mouet ad aliquam rem appetendam, vel fugiendam; sed auxilium Dei non mouet ad beatitudinem: Ergo.

25 At cum obiectum Spei sit beatitudo, vt ardua, neque arduitas secundùm aduersarios moueat; deberet excitare, & animare Diuina potentia, liberalitas, & veritas ad prosecutionem beatitudinis, vt mox dicam.

Dices cum Tannero: Deus est arduus, etiam Charitati ad consequendum. Respondetur, hoc spectare ad materiale obiectum Charitatis.

QVÆSTIO IV.

An Spe certò obiectum exhibeatur, & speretur.

D.Bonau. 3. dist. 26. art. 1. quæst 5.

26 Ex definitionibus Spei videmur colligi eius certitudo; dicitur enim certa expectatio beatitudinis. Enim verò, cùm euentus pendeat ex auxiliis Dei, & nostris meritis, & nemo sciat: *An amore dignus sit, an odio.* Eccl. 9. non videtur, quæ certa expectatio haberi possit, vt notat D. Bonauent. *in argumentis oppositis.*

Observa, certitudinem propriè, & formaliter ad intellectum pertinere; est enim veritatis effectus, quæ est obiectum formale intellectus: Voluntas verò dicitur certa, quatenus suum finem infallibiliter consequi potest.

Certissimam esse Spem omnes concedunt.

Probatur à D.Bonau. primò ex Apostolo, qui certissimam sibi gloriam sperabat, Rom. 8. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare a charitate Dei.* Et cap. 5. *Spes non confundit.* Et prima ad Timoth. 1. *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare instus index.* Et Hebr. 6. *Fortissimum solatium habentes, qui confugimus per propositam spem, quam velut anchoram tutam habemus.* Quem locum vrget S.Doct. *in Diata, tit.* 5. *cap.* 4. vbi aduertit ideò *Galea* Spem comparari, *prima Thessal.* 5. quæ tutum in pugna; & Hebr. 6. *anchora*, quæ tutum in naui reddit, vt notat etiam hîc *fundamento vltimo.* Præclarè id ostendit S.Doct. *in Psal.* 30. 27

Hinc *opusc. de septem donis, de Dono pietatis* circa finem notat, Spem dici immortalitate plenam, *Sap.* 3. Præclariùs verò *in Commentario.* Et Rom. 5. *Gloriamur in spe filiorum Dei.* Ideò *sess.* 6. *cap.* 13. ait C. Trident. omnes in Dei auxilio, & misericordia debere certissimam Spem ponere. Deus enim nisi gratiæ illius defuerint, sicut cæpit, ità perficiet. Hanc certitudinem sic asserit S.Doct. hîc, & *in Compend. Theolog. verit. lib.* 5. *cap.* 12. Ex quo incipit elucescere, in quo hæc certitudo posita sit. 28

Refert S. Doct. quosdam dicentes certitudinem fidei dare Spei omnem certitudinem; hanc verò nullam à se habere certitudinem, sicut scientia particularis omnem certitudinem obtinet à scientia vniuersali. Per fidem enim credit homo omnes bonos saluandos; per Spem autem credit, seipsum in particulari saluandum, vnde appropriat sibi id, quod vniuersaliter credebat; & quoniam non est certitudo circa singularia, nisi in quantum referuntur ad vniuersale, ideò spes non appropriat sibi certitudinem fidei absolutè, sed sub conditione, videlicet, si perseuerauit vsque in finem. Vnde certitudinem fidei vocant fidelitatis, quia Deus seipsum negare non potest, cùm salutem perseuerantibus promiserit; certitudo verò spei dicitur confidentiæ; confidentia autem non est aliud, quàm fidelitas quædam ad se conuersa. 29

At iste modus non probatur Seraphico, quia Spes habet suam certitudinem, vt ait Glossa ad id Rom. 5. *Probatio operatur spem*, idest spei certitudinem; alioqui non haberet propriam rationem habitus per se, sed subalternatam tantum, vt aduertit etiam Bellarminus *lib.* 3. *de Iustificatione, cap.* 11. Habet igitur Spes propriam certitudinem ex parte voluntaris; alteram ex parte intellectus. Ex parte voluntatis certitudo spei est firma adhæsio voluntatis ad rem speratam, & hæc maximè esse potest, etiamsi ex parte intellectus non sit homo certus, se rem illam consecuturum. Imò videtur Spes, non solùm non exigere, sed nec ferre posse ex parte intellectus certitudinem absolutam: Nam quod certò scimus, nos habituros, non propriè speramus, sed absolutè expectamus, vt innuit S. Doct. *argumento* 4. *opp.* Hoc enim modo animæ beatorum non propriè sperant corporum resurrectionem, sed tantùm expectant, quia certissimæ sunt ex parte intellectus, eam sibi deesse non posse. Hinc infert Bellarminus, hæreticos sectarios, qui certitudinem absolutam ex parte intellectus requirunt de Iustificatione, & salute, nullum locum relinquere Spei, propriè dictæ. 30 31

Quamuis autem Spes absolutam certitudinem non requirat ex parte intellectus; tamen hinc habet etiam duplicem certitudinem. Altera oritur ex fundamento spei primario, quod est promissio Dei. Certi enim sumus,

ſumus, Deum non poſſe fallere. Et ſiquidem nihil requireretur ad noſtram iuſtificationem, vel ſalutem, niſi promiſſio Dei, haberemus etiam de his rebus abſolutam, & infallibilem certitudinem; tamen quia requiruntur etiam alia, de quibus non ſumus tam cer-
32 ti, ideò Spes non expellit omnem timorem. Altera certitudo ſpei ex parte intellectus oritur ex charitate, ac per hoc non conuenit, niſi iuſtis; amicus enim ab amico omnia bona ſperare poteſt, neque confunditur, vt dicitur Rom.5. *Spes autem non confundit: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, &c.* charitas enim eſt forma, quæ perficit ſpem.

IGITVR Spes chriſtiana habet certitudinem diſtinctam à Fide, vt colligit S.Doct. quia fides certa eſt de hac enunciatione: *Credo vitam æternam eſſe*; At Spes fertur in vitam æternam incomplexè.

Hoc etiam probat à contrariis; nam vnum vni opponitur: Certitudo autem fidei opponitur errori, & dubitationi; at certitudo ſpei repugnat diffidentiæ, & deſperationi.

33 Sicut autem certitudo fidei in via non reddit inuincibilem, ne labamur in errorem contra veritatem creditam, tametſi poſſit omnem errorem ſuperare: ità Spes non reddit impoſſibilem omnem diffidentiam, tametſi vtilem adhæſionem ſecum ferat.

Poteſt verò ingruere dubium per accidens in ſpem noſtram, ratione ſubiecti; ſi non curet gratiæ Dei correſpondēte, fideliter operando. Ex quo deducunt alij certitudinem ſpei eſſe conditionatam, quod videtur innuere Concilium Trident. definiens, iuſtos debere ſperare beatitudinem, ſi bene agendo perſeuerauerint vſque in finem. Sic diſſerunt apud Baſſæum.

PROBATVR, quia eodem modo ſperanda eſt beatitudo, quo Deus eam promiſit, ſed promiſit conditionaliter, Rom.8. *Si tamen compatimur.* Et Matth.8. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*: Ergo. Ità diſcurrit S.Doct. *in corpore, & ad 4.*

34 IOBO non placet id, quod ait D. Thom. *quæſt.*18. *art.*4. certitudinem ſpei eſſe, qualis eſt certitudo naturæ; hæc autem abſoluta aſſeritur ab eo *in* 3. *diſt.*26. *quæſt.*2. Neque ratio Caſpenſis vrget, nempè quia ſperamus in Deo, cuius potentia eſt inſuperabilis, & voluntas ad benefaciendum parata; & ſpei certitudo eſt determinatio inclinationis ad proprium obiectum.

HÆC ſanè friuola ſunt; nam determinatio ſpei ad obiectum, eſt, prout nobis proponitur à fide, vt certi ſimus beatitudinis, ſi perſeueremus; ad quem finem inclinatio tendit, abſolutè appetens; ſed non ſperat abſolutè, ſed debitis mediis, vt ait C. Tridentinum.

35 OBIICIT Caſpenſis. Si certitudo ſpei eſſet conditionata, non poſſet deficere; ſicut enim non poteſt deficere illa veritas: *Qui perſeuerauerit vſque in finem, ſaluus erit*; ita neque hæc: *Si ego perſeuerauero, ſaluus ero.*

RESPONDETVR, concedendo non deficere conditionatam veritatem Spei.

OBIICIT ſecundò. Timor opponitur Spei; at timor non fertur conditionatè, ſic: *Si moriar in peccato mortali, damnabor*; eſt enim de hoc certus.

RESPONDETVR, Timorem ferri in malum imminens. Itaque conditionatè fertur. Si ergo non egero, quod teneor, amittam perſeuerantiam, ſine qua certò non ſaluabor.

36 Ex his colligit primò S.Doct. *ad* 2. certitudinem Spei non inniti ſolâ firmitate voluntatis; ſed vt voluntas innititur Deo, qui eſt firmitas noſtra, vt ait D. Auguſt. *lib.* 11. *Confeſſ. cap.* 30.

37 COLLIGIT ſecundò, Spem habere certitudinem ordinis, quia efficaciter, & infallibiliter ſpes ordinat ad ſalutem; non eſt autem certitudo de euentu, & ita etiam præſciti ſperare tenentur, iuxta id: *Speratè in eo omnis congregatio populi.*

DE hac certitudine euentus, ait Caſpenſis, locutum Tridentinum, dum conditionem apponit: Sed verba Concilij aliud ſentiunt; ait enim: *Nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur; tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debent.*

COLLIGIT tertiò *lib.* 5. *Compendij Theolog. cap.* 22. Spem animarum Purgatorij, & Patrum in Lymbo, declinare aliquantulum à ratione Spei, in illam, quæ eſt certitudo ſcientiæ. Sic etiam declinare, ait, altam fidem Pauli ad tertium cælum; Stephani, cùm vidit Chriſtum *Act.*7. & Adæ in ſtatu innocentiæ.

QVÆSTIO V.

An SPES *ſit Virtus.*

{ D. Bonauent. diſt. 26. art. 1. quæſt 1.
D Thom. quæſt. 17. art. 1.

PRÆMITTIT S. Doct. Spem ſumi aliquando pro 38
affectione: & ſic Philoſophi, & SS.PP. dicunt quatuor eſſe affectiones animi: GAVDIVM, & DOLOREM, SPEM, & TIMOREM. Aliquando ſumi pro re expectata, vel ſperata, Tit.2. *Expectantes beatam ſpem.* Sumi verò tertio pro habitu dirigente animæ motum, & affectum in illud, quod expectandum eſt.

ASSERO primò, Spem eſſe Virtutem.

PROBATVR à D. Bonau. *fundamento* 3. Habitus, repugnans culpæ, eſt virtus; Spes repugnat Præſumptioni, & Deſperationi: Ergo.

PROBATVR ſecundò à S.Doct. *fundamento* 4. ra- 39
tione, quâ vtitur D. Thom. Habitus rectificans animam, eſt Virtus: Virtus enim eſt habitus potentiæ regulatiuus, & confirmatiuus, qui facit animam gaudere circa ea, quæ recta ſunt, vt ait Philoſoph. 2. *Eth. cap.* 3. 4. *& 6.* & 2. *Rhet.* & 7. *Eth. cap.* 14. Spes eſt huiuſmodi. Humanorum verò actuum duplex eſt regula, ſeu menſura; Vna proxima, & homogenea, ideſt ratio: Alia ſuprema excedens, ideſt Deus, & ob id omnis actus, attingens ad rationem, & Deum, eſt bonus; actus autem ſpei attingit ad Deum: obiectum enim ſpei eſt bonum arduum, poſſibile haberi: Poſſibile autem eſt aliquid nobis dupliciter: Primò per nos metipſos. Secundò per alios, vt patet 3. *Eth. cap.* 3. In quantum ergo ſperamus aliquid per Dei auxilium poſſibile, Spes noſtra attingit ad ipſum Deum, cuius auxilio innititur. Igitur Spes eſt Virtus, & quidem ſupernaturalis, & gratuita.

ASSERO igitur ſecundò, Spem eſſe virtutem gra- 40
tuitam.

PROBATVR à S.Bonau. primò. id, quod ad ſalutem facit peruenire, eſt à gratia. Talis eſt Spes, vt dicitur Rom.8. *Spe ſalui facti eſtis*: Ergo.

PROBATVR ſecundò. Quod reddit Deo acceptum, eſt gratuitum: Talis eſt Spes, Pſal.32. *Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum; & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia eius*: Ergo.

PROBATVR tertiò. Habitus directè repugnans culpæ, quæ Deum immediatè attingit, eſt virtus ſuperna. Talis eſt Spes repugnans præſumptioni beatitudinis abſque meritis, & deſperationi de Diuina miſericordia: Ergo.

PROBATVR quartò. Ità ſe habet expectare, quod 41
eſt ſupra omnem appetitus naturæ captum, ſicut credere omne, quod eſt ſupra omnem captum intellectus,

lectus: Sed ex hoc capite Fides est virtus supernaturalis: Ergo & Spes, quæ expectat ea, quæ transcendunt cor nostrum, vt dicitur *prima Corinth.* 2.

Tandem probatur *fundamento vltimo, & in corpore*, ratione facta pro primo assertio.

OBIICIES primò. Nulla passio est virtus, *ex* 2. *Eth. cap.* 5. & *lib.* 5. vbi ait: *In anima tria sunt, Potentia, Passiones, & Habitus; inter habitus autem versatur & virtus.* Sed spes est passio ex Boët. *de consol.* Ergo.

42 RESPONDET S. Doct. hîc sumi Spem, vt est regulatiua passionum, & est Virtus.

OBIICIES secundò. Sicut contingit expectare futura, ità rememorari præterita: Sed hoc non est virtus: Ergo neque illud; nam Spes, vel est expectatio futurorum, vel ab ea oritur.

RESPONDET, negando paritatem; nam virtus magis stat in regulandis agendis, quam actis. Deinde rememoratio stat in Cognitiua; expectatio verò in Affectiua; virtus autem magis respicit regulare affectum. Hinc etiam rememorationi, vt iungitur affectioni, adnectitur actus virtutis; puta prudentiæ, vel pœnitentiæ, vel charitatis, quatenus recordatur præteritorum factorum, vt futura melius agat; vel præteritorum malorum, vt doleat; vel beneficiorum, vt gratias agat.

43 OBIICIES tertiò. Sicut contingit rectè sperare, ita & rectè timere: sed habitus, qui dirigit animam in timendo, non est virtus: Ergo.

RESPONDET S. Doct. negando paritatem, quia timor stat in resilitione; Spes in prosecutione; & ideò Timor magis habet de passione; Spes verò de actione; & quia habitus virtutum dirigunt animam in actibus, in quibus consistit rectitudo vitæ, iuxta id, quod dicitur: *Virtus est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur*; hinc est, quòd Spes magis est in genere virtutis, quàm Timor. Hinc etiam patet, cur magis circa affectionem Spei consistat habitus virtutis, quàm circa alias tres affectiones, suprà relatas; nam Gaudium, & Dolor, quia habent obiectum coniunctum, magis sunt in sustinendo; affectus verò Spei inter cæteras, magis stat in agendo; & ideò licèt, vt est passio, non sit virtus, tamen vt est protensio animæ in rem speratam, est virtus.

44 OBIICIES quartò. Omnis virtus moralis consistit circa bonum, & difficile, ex Aristotele 2. *Eth. cap.* 3. Sed in expectatione bonorum promissorum à Deo, non est difficultas, cùm Deus nequeat mentiri: Ergo.

RESPONDET, quòd sicut credere ea, quæ naturaliter probata nobis sunt, est facile; ità & sperare, quæ naturaliter obuia: At sperare supernaturalia, quæ nec sensus, nec intellectus percipit, & pro his bona nostra contemnere, est arduum, & magnâ dignum laude.

OBIICIES quintò. Nulla virtus gratuita in suo actu repugnat perfectioni meriti; sed Spes in suo actu repugnat perfectioni meriti; ex imperfectione enim procedit, vt quis seruiat Deo propter retributionem futuram; quia, vt ait S. Bernardus de diligendo Deo, cap. 3. *Charitas premium non intuetur.* At verò Spes facit expectare pro meritis retributionem futuram: Ergo non est virtus gratuita.

45 RESPONDET S. Doct. primò, Spei actum, non minuere meritum; sed, vt ait Apostolus, illum consurgere ex meriti perfectione: Quantò enim aliquis maiora habet merita; tantò firmiùs, & certiùs sperat. Neque detrahitur Charitati, expectando ipsum Deum, quem diligit, in mercedem, cui vniatur; maxima enim charitas maximè desiderat Deo vniri. Hanc autem mercedem spectamus, vt habetur Genes. 15. *Ego ero merces tua magna nimis.* Et hoc à posteriori ostendit S. Doct. nam veri Sancti, qui expectant beatitudinem, parum de se; multum de Deo sunt solliciti. Sic spernunt omnia, vt Deo vniantur in patria.

CÆTERVM Spes mercenaria ea mala est, quæ ponit finem in proprio commodo, vt ait etiam Caspensis *sect.* 4. seruire autem Deo ob mercedem iuxta Diuinam voluntatem, quæ declarat, se velle dare Matth. 22. *Voca operarios, & redde illis mercedem*; non est defectus, sed actus honestus, vt definit Concilium Trident. *sess.* 6. *cap.* 11. & can. 31. *Si quis dixerit, iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur; anathema sit.* Probant hoc Patres Concilij ex Psal. 53. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Et Hebr. 11. refert Paulus, Moysen sanctissimum studiosissima opera exantlasse, quia *aspiciebat in remunerationem.* Ideò sæpe Deus proponit obiectum præmij *Deuter.* 12. *Apoc. vlt.* honestum est enim vltimum suum finem appetere. 46

HINC contra Sectarios habeo, honestum esse gloriam æternam expectare, vt coronam laborum. Sic enim & Paulus 2. Timot. 4. *Bonum certamen certaui, &c. Ideò reposita est mihi corona iustitiæ.* Et Tobias 4. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Addo, licitum esse etiam sperare ex orationibus, & operibus studiosis bonum temporale, dummodo in hoc non ponatur finis vltimus. 47

QVÆSTIO VI.

An SPES *sit Virtus Theologica.*

D. Bonau dist. 26 quæst. 5.
D. Thom. quæst 17. art. 5.

OMNIVM Theologorum calculis statuitur, Spem esse Theologicam virtutem.

PROBATVR à D. Bonau. primò, quia Apostolus eam ponit in ordine cum Fide, & Charitate 1. *Corinth.* 13. 48

PROBATVR secundò à S. Doct. quia illa virtus, quæ est finis virtutum Cardinalium, est Theologica. Talis est Spes: Ergo. Minor probatur, quia tendit in Deum, vt obiectum beatificum, ad quod obiecta aliarum virtutum inseruiunt, vt media.

PROBATVR tertiò à D. Bonauentura *cap.* 6. *ad Hebr.* vbi dicimur, habere Spem incedentem vsque ad interiora velaminis, idest vsque ad recondita Dei, vt aduertit etiam Valentia *disp.* 2. *quæst.* 1. *puncto primo.*

PROBATVR quartò à S. Doct. eiusdem rationis est medium cum extremis: Sed Spes est media inter fidem, quæ inchoat ædificium spirituale, & Charitatem, quæ consummat; nam Spes erigit in Deum: Ergo.

PROBATVR quintò à S. Doct. Imago creationis reformatur per recreationem; sed imago creationis exigit tres potentias: Ergo & imago recreationis requirit tres virtutes. Cùm ergo imago reformetur per virtutes Theologicas: ergo sunt tres, sed non aliæ præter fidem, Spem, & Charitatem: Ergo.

TANDEM probatur *in corpore* ex obiecto; quia respicit immediatè Deum, vt obiectum acquirendum in beatitudine. Igitur, sicuti fides est Theologica, quia nititur Deo reuelanti vera; ita Spes, quia nititur Deo promittenti magna. 49

PROBATVR etiam ex parte subiecti; quia portio superior animæ reformatur in ordine ad Deum per

virtutes

virtutes Theologicas: At Spes est vna è virtutibus reformantibus; nam sicuti rationalis fide; concupiscibilis charitate, ità Spe reformatur irascibilis. Hoc etiam ostenditur, quia dotes animæ in patria respondebunt reformationi. Sic fidei respondebit visio, reformans Rationalem; charitati viæ Charitas consummata, reformans Concupiscibilem. Sic & tentio respondens Spei, Irascibilem reformabit.

50 Obiicies primò. Nulla virtus, circa cuius actum potest reperiri excessus, est Theologica; nunquam enim nimis Deo creditur, aut nimis amatur; sed in Spe potest esse excessus; aliqui enim plus sperant, quàm merita exigunt: Ergo.

Respondet S.Doct. illam virtutem, in cuius actibus est nimia intensio, verè non esse Theologicam; at in Spei actibus non est nimia intensio; nemo enim nimis sperat in Domino; sed excessus non est in genere spei, sed præsumptionis, ex parte subiecti, ex defectu conditionis spei, quæ exigit, vt speretur in Deo, modo à Deo reuelato. Excessus igitur intensionis non potest esse in actibus virtutum Theologicarum, quæ habent obiectum infinitum; sed in obiecto virtutum Cardinalium, quod est finitum, & determinatum, vnde si limites transgrediens, actus excedat, declinans ad extrema, deuiat ad vitia.

51 Obiicies secundò. Virtus, quæ est media inter duas malitias, est Cardinalis, non Theologica: Sed Spes est media inter desperationem, & præsumptionem: Ergo.

Respondet S.Doct. Virtutem, quæ est media inter duas malitias, participando de extremis quoad ea, quæ bona sunt, esse Cardinalem, vel Cardinalis speciem: Sic Liberalitas est media inter auaritiam participans de eius materiali subiecto, tenens tenenda, & inter prodigalitatem, participans de eius materiali subiecto, quatenus dat danda. At verò, si sit media tantùm, vt eliminatiua vtriusque extremi, potest esse Theologica. Talis est Spes, media inter desperationem, & præsumptionem; liberat enim ab illo duplici malo; sicut fides de Trinitate, & vnitate liberat ab errore Arrij, & ab errore Sabellij, extremis.

52 Obiicies tertiò. Virtus, quæ versatur circa media ad finem vltimum, est Cardinalis. Spes versatur circa gratiam, perseuerantiam, & cætera media salutis: Ergo.

Respondet S.Doct. non determinari genus, vel speciem virtutis penes obiectum quodcumque, sed penes illud obiectum, quod habet rationem motiui; quamuis autem Spes versetur etiam circa media ad salutem; tamen obiectum motiuum est Deus; vt finis vltimus beatus, ad quem ordinantur gratia, & alia media, quæ sperat ab eo.

53 Si dicas, etiam Latriam, & Religionis totius virtutem respicere Deum; attamen non esse virtutem Theologicam, quia respicit etiam rem creatam tanquam obiectum, nempe cultum talem.

Respondet S.Doct. non esse simile, quia Latria respicit actum illum creatum, vt obiectum; atque adeo non respicit Deum immediatè, sicuti facit Spes.

Obiicies quartò. Habitus per actus distinguuntur: Sed actus spei, & actus longanimitatis sunt iidem, nempe, expectare bona: Ergo Spes, & Longanimitas sunt eiusdem generis; Sed Longanimitas est Cardinalis: Ergo & Spes.

Respondet S.Doct. Spem expectare bona æterna, innixam Dei promissis: Longanimitas verò, quæ est pars Fortitudinis, constantiâ, & robore animi expectat de affligentibus triumphare; & ideo eius obiectum est inferioris ordinis.

54 Obiicies quintò. Ad Fortitudinem spectat roborare contra affligentia: Sed hoc etiam ad Spem pertinet; quia facit hominem in aduersis gaudere: Ergo.

Respondet S.Doct. actum posse esse alicuius virtutis, vel sicut elicientis, vel sicut imperantis, vel sicut adiuuantis. Perferre terribilia est fortitudinis, sicut elicientis; sed fidei sicut imperantis, & dictantis, sicuti dicitur Hebr. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, &c. Fortes facti sunt in bello*, sed Spei, & Charitatis, vt adiuuantis. Amor enim Dei, & Spes beatitudinis multum adiuuant virtutem Fortitudinis, vt possit omnia mala perferre iuxta id B.Gregorij: *Spes præmij minuit vim flagelli.*

QVÆSTIO VII.

An aliquando Spes *sit informis*

Certissime assero, Spem aliquando esse informem. 55

Probatvr à D. Bonau. primò ex D. August. de vera Innocentia, vbi soli Charitati tribuit, esse tantùm iustorum.

Secvndo, quia sicut Spes formata oritur è fide formata; ità Spes informis à fide informi debet oriri: Sed datur fides informis, vt dicitur *prima Corinth.* 13. Ergo.

Tertio: Sic enim Spes consurgit ex fide præmiorum, sicut timor ex fide suppliciorum: Sed timor potest esse informis: Ergo.

Qvarto: Multi enim peccatores sperant, se misericordiam consecuturos, & gloriam; Iste autem actus ab aliquo habitu bono oriri debet, quia rectificat potentiam ad Diuinam regulam, quæ maximè prohibet desperare de misericordia Dei. Sic enim & fides roborat rationem ad credendum reuelata, etiam in peccato maculam monifero. Concludit autem S.D. ea, quæ dicta sunt de fide informi, applicari Spei.

Obiicies primò: Spes est certa expectatio gloriæ 56 proueniens ex gratia, & meritis; vt dicitur in definitione Spei.

Respondet S.Doct. quatuor modis spem ex gratia, & meritis oriri; Vel vt habentur actu; & hæc est fides formata iusti emeriti: Vel vt habentur in proposito, & in radice; sed non in effectu, & sic ille habet merita, qui nuper iustificatus, habet radicem gratiæ, sed nondum exercuit virtutes: Vel aliquis sperat ex meritis in proposito; sed non in effectu, nec in radice gratiæ; & hæc est fides informis: Vel sperat sine meritis etiam in proposito; & hæc est præsumptio. Cùm igitur definitur Spes *expectatio ex meritis*, definitur ex meritis, saltem in proposito.

Et per hæc respondet ad secundum, opponens, Spem sine meritis esse malam.

Obiicies secundò. Deordinato subiecto proximo, 57 tollitur virtus in eo existens; at Spes est in affectu; ergo, hoc deordinato, tollitur Spes simul cum charitate, quòd si manet fides, hoc est, quia habet esse etiam in intellectu.

Respondet S.Doct. quòd Spes manet etiam destructâ Charitate, quia stat in expectandis æternis; hoc autem stat sine Charitate; sicut stat credere reuelata absque gratia sanctificante. Ideò ratio subiecti non est adæquata, quia affectus deordinatus in amando potest esse cum aliquo ordine ad sperandum ex meritis sanè in proposito.

Obiicies vltimò. Fides tunc est formata, quando 58 non credit Deo, sed credit in Deum, tendens in illum: Ergo Spes, quæ tendit in Deum, semper est formata.

Respondet

RESPONDET S.Doct. tendentiam perfectam esse à gratia, hæc autem tendentia non est in eo, qui credit, & sperat, dum est in peccato.

QVÆSTIO VIII.

An SPES oriatur ex meritis.

D.Bonauent dist.26.art.2. quæst.2.

59 CALVINVS ore infando *lib.3. Instit. cap.2. §. vltimo*, contra Magistrum, & D. Bonauenturam, aliosque dicentes, Spem gigni in nobis ex gratia Dei, & meritis; sic altè oblatrat: Quis non meritò tales bestias execretur? O magistrum Tartareis dignum discipulis!

AT Vuicleph. errorem huic planè contrarium, docuit, secutus Pelagium. Eos refert Bellarminus *lib.5. de Iustificatione, cap.7.*

CATHOLICA Ecclesia præcipuam quidem Spem, & fiduciam in gratia Dei ponendam docet; aliquam tamen etiam in meritis ex gratia.

ASSERO primò, Fiduciam Sanctorum ex bonis etiam meritis nasci.

PROBATVR à D. Bonauent. primò è Scripturis, Rom. 5. *Tribulatio patientiam operatur patientia autem probationem, probatio verò spem; Spes autem non confundit.* Sic idem Apostolus loquitur etiam prima Timot.3. *Qui benè ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam.* Hebr.10. *Vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. Nolite itaque amittere confidentiam vestram.* Sic Tobias 4. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Iob.11. *Si iniquitatem, quæ in manu tua est, abstuleris à te; & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia: tunc leuare poteris faciem tuam: & habebis fiduciam proposita tibi spe, & defossus securus dormies.*

60 In exemplis confirmatur *Psal.17.* Dauid sanctissimus ait: *Et retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam meam.* Id obseruat S. Doct. *in Commentario*, meritum oriri ex fide, spe, & charitate, sed rursum spem, seu fiduciam ex merito, quo augetur & charitas.

IDEM ostendit S.Doct. *in Bibliis, cap.16.* ex aliis Sanctorum orationibus, Ezechiæ: *Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate;* Isaiæ 38. Hester, cap.14. *Tu scis necessitatem meam, quòd abominer signum superbiæ, &c. Exaudi voces eorum, qui nullam aliam spem habent, & libera nos.*

61 PROBATVR etiam ex Patribus, Cypriano serm. de eleemosyna: *Præclara, & Diuina res, salutaris operatio, munimentum spei, &c.*

SIMILIA habent alij Patres apud D.Bonau. *lib.5. Pharetra, cap.49.* S. Gregorius homil.40. in Euang. in illud Lucæ 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, vbi ait: *Si cæleste patrimonium eleemosynis emitur, pauperes, vt patroni, sunt exorandi.* Vide alios ibi.

ALIOS refert S. Doct. *eodem lib. cap.24.* sic D.Gregorius, lib.10. Moral. cap.12. *Tantò in Deum Spes solidior surgit, quantò pro illo quisque grauiora pertulerit.* S.Bernard. de diligendo Deo, cap.14. *De fide præceptorum oritur spes veniæ; &c.* Plurima habes testimonia eodem Libro Seraphici, & sequentibus.

62 PROBATVR secundò à S.Doct. ex definitione spei. *Est expectatio beatitudinis ex gratia, & meritis.*

PROBATVR tertiò ratione, qua vtitur Bellarminus. Nos ex fide habemus promissa Dei, data seruantibus legem, & diligentibus Deum, vt plurimis constat scripturæ testimoniis, vt mox referam. Igitur spes nostra, sicuti est ex fide, certa est; fides autem promissa Dei ex operibus per gratiam proponit; quæ igitur difficultas est, posse nos hinc sperare?

APPONAM Exemplum Seraphici P. S. Francisci, 63
cuius extrema verba fuere, vt refert S.Bonau. & ponderat Bellarminus: *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo, me expectant iusti, donec retribuas mihi.* Idem de S. Hilarione refert D.Hieronymus, & de Sancto Martino Sulpitius.

EA verò, quæ opponunt aduersarij, solùm probant, nos propter incertitudinem propriæ iustitiæ, & periculum inanis gloriæ, tutè in Dei misericordiæ sinu requiescere.

ID indicat illud Lucæ 17. *Cùm feceritis hæc omnia, dicite: serui inutiles sumus*, vt obseruat S.Bonau. *in Commentario*, vbi alias etiam rationes reddit, cur ità humiliari debeamus.

PRIMA est, quia pretium, quo reddimus opera pretiosa, & digna vitâ æternâ, non est nostrum arbitrium; sed gratia, quæ pretio magno empta est, Christi nimirum sanguine, vt dicitur *prima Cor.6.* & *prima Petri* 1. omnia igitur merita ex Dei gratiâ habemus. Ideò hîc refert illud Iacobi 1. *Omne datum optimum desursum est.* Vide ad 1. *hic.*

SECVNDA, quia quæcumque demus Deo, nihil ei 64
conferunt, Psal.15. *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

TERTIA, quia quidquid facimus nihil est, comparatum cum eo, quod facere tenemur, Psal.115. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi.*

QVARTA, quia quod operamur, & patimur, non est æquale præmio, Rom.8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, &c.* Ideò obseruat, vigintiquatuor Seniores *Apoc.4.* clamasse, mittentes coronas ante thronum Dei, & Agni: *Dignus es Domine accipere gloriam, & honorem*, & Daniel, cap.9. *Nobis confusio faciei, regibus nostris, qui peccauerunt. Tibi autem Domino misericordia, & propitiatio.* Vide Sanctum Doctorem.

EX his etiam habes id, quod probaui *quæst.5. ad* 65
vltimum, licitum esse operari intuitu, & spe mercedis. Deus enim eam sic promisit, Matth.4. *Pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnum cælorum.* Matth.5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, &c.* Hinc enim Ioannes exordium sumpsit prædicationis, *Matth.* 3. Hinc Christus iussit, Apostolos prædicationem exordiri *Matth.10.* & ideò, prima Corinth 9. *Debet in Spe, qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi.* Vide Bellarminum *lib.5. de Iustificatione, cap.8.*

EX quo apparet, scrupulosè deprauatum Calui- 66
num *lib.3. Instit. cap.6. §.3.* & *cap.18.* timuisse hinc conciones exordiri: Satius dixero, infandum malignè vitalibus operibus insidiari.

VT autem percipias, quo pacto Spes gloriæ ex meritis oriatur, cùm merita supponant spem, imò & charitatem; Obseruat S.Doct. *in corpore*, quod Spes aliquando nominat habitum virtutis; aliquando nominat actum; aliquando nominat statum; aliquando terminum, siue obiectum. Virtus, quæ est habitus, non oritur è meritis; sed è contrà, merita oriuntur
ex ea. Actus spei oritur ex meritorum intuitu; nullus 67
enim sperat beatitudinem, nisi, qui Deo seruiuit, vel qui proponit seruire. Spes, vt nominat statum, ortum habet ex meritis præcedentibus, & concomitantibus,

tibus, & hoc modo loquitur Apostolus Rom.5. *Tribulatio operatur patientiam: patientia probationem; probatio verò spem*, vbi habet Glossa, *certitudinem spei*. Secundùm autem quòd spes dicit rem speratam, oritur ex meritis præcedentibus; & hoc modo soluitur obiectio tertia, & alia, quam addit S. Doctor: Sicuti desperatio ex demeritis tantùm oritur, ità Spes è solis meritis nostræ voluntatis.

Respondet S. Doct. negando paritatem, quia malum est à nobis tantùm, cùm sit defectus; At bonum meritorium, cùm sit bonum supernaturale, est à gratia eleuante, vt dicitur *Iacob*.1.

68 Tandem *ad vltimum* aduertit, sperare ex meritis, debere esse absque elatione; ne dicat: *Manus nostra excelsa, & non Deus, fecit hæc omnia*, Deuter.32. & ne dicas: *Propter iustitiam meam introduxit me Dominus, &c.* Sed cum humilitate; & hoc pacto licuit Apostolo, prima Corinth.15. *Abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Sic admonet Dan. cap.9. *Non in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras.* Et Ecclesia: *Deus, qui conspicis, quia ex nulla nostra actione confidimus: concede propitius, vt contra aduersa omnia, Doctoris gentium protectione muniamur.* Rectè autem adducitur Doctor gentium in hoc, vt dixi.

69 Eadem admonent Sancti PP. Chrysostomus *homil.21. in Genes.* & *homil.3.* in id: *Elatum est cor Oziæ*, & homil.3. in Matth. August. *lib.3. cont. Crescontium*, *cap.*80. Bernardus *serm.9. in Psal. Qui habitat.*

Hinc S.Ambrosius apud Paulinum: *Non sic vixi, vt me pudeat inter vos viuere, nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* Quæ verba S.August. laudare, & admirari solebat, vt refert Possidonius, & Rebadineira in eius vita.

QVÆSTIO IX.

An Spes *præcedat* Charitatem.

{ D.Bonau.art.2.quæst.3.
{ D.Thom.quæst.17.art.8.

EX dictis iam ferè soluta iacet quæstio.

70 Svppono, Fidem esse primam; est enim ex parte intellectus, illuminans illum, vt inde appetitus, qui in incognita ferri non potest, actu elicito consurgat ad sperandum, & amandum: Sicuti enim ea, quæ videmus, atque tenemus, non speramus; ità ea, quæ non intelligimus, non speramus; sed ea quæ futura sunt: ex quo etiam differentia quædam oritur inter spem, & fidem; nam fides est de rebus præteritis malis, & bonis; spes autem est tantùm de bonis futuris, vt docet D.August. *in Enchir. cap.*8. ex quo patet perperam Sectarios confundere Fidem cum Spe.

71 Igitvr Fides est prior naturâ Spe; speramus enim, quia credimus. Eadem habet S.Doct. *lib.5. Compendij Theologiæ, cap.*55.

Qvoad Charitatem dico, eam esse posteriorem Spe.

Probatvr à S.Bonau. primò ex Glossa id asserente.

Secvndo, quia fundamentum est prius ædificio & illius perfectione: Sed fides est fundamentum ædificij spiritualis; est enim subsistentia rerum sperandarum: Ergo primò est Fides, secundò Spes, quæ est veluti murus consurgens; & tandem Charitas, quæ est vinculum perfectionis.

Tertio. Quia secundùm ordinem naturæ, imperfectum præcedit perfectius; sed Charitas est perfectior Fide, & Spe, ex *prima Cor.*13. Ergo.

Qvarto: Nullus potest amare bonum sibi agni- 72
tum impossibile: Ergo prius debet sperare.

Advertit autem S.Doct. *in corpore*, Habitus quidem Spei, & Charitatis simul infundi, sed in ordine ad actum priùs operari Spem, quæ præparat ad actum charitatis; non enim amaretur id, quod non speraremus obtinere.

Obiicies primò. Spes est expectatio beatitudinis ex meritis; at merita sunt ex gratia: Ergo supponitur gratia ipsi Spei.

Respondet S.Doct. ibi accipi Spem pro statu, 73
vel pro re sperata, vt explicui *quæst.*8.

Obiicies secundò. Omnis affectio oritur ex amore, vt ait D.August 14. *de ciuitate, cap.6. & 15.* Ergo & Spes.

Respondet S.Doct. amorem in statu imperfecto esse radicem mouentem omnes affectiones; tamen perfectum esse terminum omnium, vnde omnes affectiones ordinantur, vt Deus ametur perfectè: Charitas verò non nominat quemcumque amorem, sed perfectum.

Obiicies tertiò. Nullus sperat, nisi quod amat; quod enim non est mihi bonum amatum, non spero; ergo rectitudo amoris præcedit rectitudinem expectationis. Sed charitas dirigit in amando; spes autem in expectando: Ergo Charitas est ante Spem.

Respondet S.Doct. non amari, nisi quod spera- 74
tur; Sic amore concupiscentiæ non amat charitas Deum, vt sibi bonum, nisi speret obtinendum: Similiter nec amore amicitiæ, nisi confidat in eum; esto nullus speret, nisi quod imperfectè amat.

Obiicies quartò. Timor, & Spes sunt duæ affectiones simul currentes; ideò dicuntur duæ molæ à Glossa *ad* 24. *Deuter.* Sed omnis timor procedit ex amore: Ergo & omnis Spes: ergo Spes gratuita oritur ex amore gratuito.

Respondet S.Doct. amorem sui esse originem ti- 75
moris pœnarum, non sic autem amorem Dei. Ideò non sequitur, quod actus Charitatis præcedat actum Timoris, imò ex Timore filiali oritur Amor, vt docet Concilium Tridentinum.

Obiicies quintò. Prius est, quod est communius, à quo non conuertitur consequentia; sed communius est diligere, quàm sperare: Ergo illud est prius. Minor probatur; nam omne sperandum est amandum, non è contra.

Respondet, veram esse Maiorem de his, quæ 76
essentialiter consequuntur ad inuicem; non de his, quæ se comitantur; & sic sequitur: *Si est nix: Ergo album quid*; non è contra; & tamen albedo niuis non præcedit niuis substantiam. Quia igitur sperare, & amare se concomitantur, ideò, quamuis actus amandi se extendat ad plura diligibilia, non oportet, quòd sit prius ordine naturæ.

Præterea, licèt Charitas sit generalior ex parte obiecti, tamen Spes est vniuersalior ex parte subiecti, Omnis enim viator, qui habet Charitatem, habet Spem; sed non è contra; & ideò actus spei origine præcedit actum Charitatis respectu subiecti, à quo vterque actus sumit originem.

Obiicies sextò. Is est ordo virtutis ad virtutem, qui est ordo dotis ad dotem; sed perfecta tentio, quæ est dos, respondens Spei, sequitur perfectam dilectionem, quæ est dos, respondens Charitati: Ergo & in via Charitas præcedit Spem.

Respondet S.Doct. negando paritatem; quia dotes 77
in patria erunt æqualis perfectionis; in via autem

Charitas, in ratione virtutis, eſt maior Spe, & ideò non ſequitur, quod ſi in via expectatio præcedit dilectionem aliquam, etiam in patria tenſio præcedat dilectionem perfectam. Quamuis enim virtutes æquales ſint quoad rationem merendi; perfectior tamen eſt actus dilectionis, quàm Spei; ſed in gloria æquè perfectum erit tenere, & diligere; vnde quamuis in via actus Iraſcibilis præcedat actum Concupiſcibilis; non tamen oportet, ſic eſſe etiam in patria, vbi eſt reformatio perfecta.

QVÆSTIO X.

Quodnam ſit Spei *ſubiectum proximum.*

D.Bonauent. diſt.26 art 2. quæſt 5.
D.Thom quæſt.18.art.1.

78 Assero, Spem eſſe in voluntate, contra quoſdam apud Suarez *diſp.1.ſect.2.* dicentes, eſſe in iudicio intellectus. Ita D.Thom. & D.Bonau. quos alij ſequuntur apud Tannerum *diſp.2. quæſt.1. dub.2.*

Probatvr à S.Doct. primò ex Philoſophis, & Sanctis PP.

Secvndo. Eiuſdem potentiæ eſt ſperare, cuius eſt timere; ſed timere eſt affectus: Ergo.

Tertio. Oppoſita ſunt circa idem; ſed deſperatio eſt in affectu: Ergo & ſpes oppoſita. Maior eſt Ariſtotelis in *poſtpræd.*

Qvarto, quia oportet in potentia rationali, concupiſcibilique ponere aliquam regulam directiuam, quia poſſunt obliquari. Ideo in Rationali ponimus Fides; in Concupiſcibili Charitas: Ergo in Iraſcibili, non minus erratica, poni debet Virtus Spei, regens & dirigens ad Deum, vt arduum.

79 Qvinto probatur argumento, quo vtuntur Caſpenſis *diſp.16. ſect.7.* Valentia *diſp.2./ſect.5. p.1.* Fulienſ. *lib.3. cap.7.* Virtus, quæ habet pro obiecto bonum, vt arduum, eſt in voluntate. Spes eſt huiuſmodi: Ergo. Minor probatur ex dictis. Maior eſt certa; nam bonum eſt obiectum voluntatis; arduum eſt obiectum Iraſcibilis, quæ eſt pars affectiuæ. Spes verò erigit in finem ſupernaturalem, vt arduum.

Obiicies primò. Spes dicitur conſcientia in Gloſſa *ad primam Timot. primo.*

80 Respondet S.Doct. Spem dici conſcientiam ad modum effectus, quia eſt expectatio conſurgens ex gratia, & meritis; merita autem eſſe non poſſunt, niſi vbi conſcientia pura.

Obiicies ſecundò ex D.Bernardo *in Cant.* Deus futurus eſt memoriæ continuatio æternitatis, quæ dicitur tentio, reſpondens ſpei viæ.

Respondet S.Doct. Deum fore continuationem æternitatis, quæ continuatio mediatè eſt in memoria, quatenus conſeruat ſpecies futuræ, nunquam amittendæ, retributionis, & perpetuorum meritorum in ſpe reſpondentis.

Obiicies tertiò. Spes ex D.Auguſt. in Libris de ciuitate Dei; *Eſt virtus, qua quis ſe ad illud, quod credit, peruenturum præſumit:* Ergo ſperare eſt firmiter credere, quod eſt potentiæ cognitiuæ. Ideò & Rom.4. *Abraham credidit Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam,* & ſubditur: *Qui contra Spem, in ſpem credidit.* Qua authoritate abutuntur Sectarij, vt Spem cum fide confundant.

81 Respondet S.Doct. Spem largè ſumptam, dicere credulitatem quodammodo firmatam reſpectu alicuius boni aſſequendi. Sic Abraham dicitur, credidiſſe in Spem, quia in fide promiſſionum Dei fundauit ſuam ſpem contra ſpem, quam natura, præſtare poterat; non tamen vult, *ſperare*, & *credere* eſſe idem. Sperare enim propriè eſt confidere, & ex illa confidentia, cum quadam ſecuritate tendere ad bonum arduum conſequendum, & hæc duo, nempe confidentiam, & ſecuram tendentiam, intelligit S.Auguſt. verbo *præſumendi.* Vide Caſpenſem *numero 42.*

Qvod verò Apoſtolus diſtinguat ibi fidem à Spe; 82 probatur à Bellarmino lib.1. de Iuſtificatione, cap.5. *Non infirmatus eſt fide, nec conſiderauit corpus ſuum emortuum, & emortuam uuluam Saræ. In repromiſſione etiam Dei non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo: pleniſſimè ſciens, quia quæcumque promiſit Deus, potens eſt facere. Ideò & reputatum eſt illi ad iuſtitiam*, vbi loquitur de fide iuſtificante, vt patet ex vltimis verbis; quæ autem fuerit illa fides, oſtendit verbis negantibus: *Non conſiderauit*; & aſſerentibus: *Pleniſſimè ſciens.* Quæ ad intellectum pertinent. Quod autem ait: *Non hæ- 83 ſitauit diffidentia*; ſignificat, fidem inſignem fuiſſe, & omnem diffidentiam repuliſſe, ſpem pariendo. Deinde diffidentia hic ſignificat incredulitatem, nam in Græco habes ἀπιστία, vt notat Bellarminus *lib.1. de Iuſtificatione, cap.11.* Hinc Epheſ.3. *In quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia per fidem eius:* Si ergo habemus fiduciam per fidem; ſequitur, vt fides ſit cauſa fiduciæ, non autem ipſa fiducia; nihil enim cauſat ſeipſum.

Insvlse autem Kemnitius *in exam.* dicit, D.Bona- 84 uenturam aſſerere; Spem, quantum ad certitudinem, pertinere ad intellectum; quantùm ad expectationem ſpectare ad voluntatem; nam S.Doct. *diſt.26. quæſt.5.* aſſerit, Spem etiam quoad certitudinem pertinere ad voluntatem; fatetur quidem eſſe ab intellectu cauſaliter, vt notat etiam Bellarminus *lib.3. de Iuſtificatione, cap.6.*

Ait autem S.Doct. *in corpore*: Spei eſt ſtabilire, & quodammodo aſſecurare de aſſequenda futura beatitudine; ſtabilitio autem, & confirmatio pertinet ad potentiam iraſcibilem, quæ eſt pars potentiæ affectiuæ. Quid clarius? Sed *ad vltimum* clariora audies.

Fides autem in intellectu ponitur, vt dixi *Tract.* 85 *de fide, diſp.1. quæſt.18.* Ideò Apoſtolus *ſecunda Cor.10.* ait, Captiuari per fidem intellectum. Et ſi *credere* pro; *fiduciam habere*, accipere ſemper velint, abſona inferent, vt cùm ait Chriſtus: *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Act.8. *Credo, filium Dei eſſe Ieſum.* Rom.10. *Corde creditur ad iuſtitiam*, quæ ineptiſſimè de fiducia explicabuntur, dicendo: confido filium Dei eſſe Ieſum, &c.

Obiicies quartò. Imago Dei reformatur recreatione; ſed eſſentia animæ gratià fit deiformis; potentiæ verò Theologicis virtutibus, è quibus fides reſtaurat Intellectum, Charitas Voluntatem: ergo Spes Memoriam.

Respondet S.Doct. Imaginem reformari recrea- 86 tione, vt decet. Quia autem Imago eſt ſecundùm naturalia, ideò magis eſt in cognitiua, ac proinde geminæ reſpondent potentiæ memoria, & Intellectus; & vna affectiuæ, Voluntas. Similitudo verò fit ſecundùm voluntatem magis, qua & auerſione à Deo diſſimilatur concupiſcibili, & iraſcibili effrænibus; ideò duæ virtutes exiguntur; altera Spes reformandæ iraſcibili; altera Charitas concupiſcibili, & vna Fides intellectui. Enim verò Spes reformat & memoriam (cui eſt Sympathia in retentione eorum, quæ percepit) reformando iraſcibilem. Hæc ait, eſſe ad mentem D. Auguſt.

Reformat

Reformat autem irascibilem formaliter, & efficienter memoriam, hoc secundo modo tantùm. Vide hæc *p.1. tract.10.disp.1.quæst.2.*

Obicies quintò. Certitudo respicit cognitiuam potentiam; sed Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis: ergo est in potentia cognitiua.

Respondet iterum S. Doct. certitudinem Spei non spectare ad cognitiuam potentiam; sed magis ad potentiam affectiuam, quæ quidem certitudo est quædam assecuratio, tenens se ea parte potentiæ irascibilis. Hæcnè audis Surde, & mute Kemniti?

QVÆSTIO XI.

Vtrum Spes *maneat in Beatis.*

D.Bonau.in 3.dist.31 quæst.2.
D.Thom.2.2.quæst.15.art.2.

87 Prima opinio est, in beatis manere habitum spei: Ità Suarez *disp.1.sect.*8. Hurtadus *disp.*108.*sect.*4. Poncius *disp.*31. *quæst.*4. Vulpes *disp.*51. *art.*1. Coninch. *disp.*19. *dub.*10. Amicus *disp.*22. Caspensis *disp.2.sect.*9. Arriaga *disp.*26.*sect.*4. Mastrius 3.*dist.*6, *quæst.*18. qui tamen ait, non manere sub denominatione spei. Hæc fuit opinio Scoti 3.*dist.*31.§. *Viso de fide, & spe*, in fine. Hi concedunt, manere Spem etiam quoad aliquem actum.

Secunda sententia est, non manere habitum Spei in patria. Ita D.Bonau. & D.Thom. & omnes hìc Thomistæ, & videtur Scoti 3. *dist.*31. *quæst. vn.* vbi Lichetus, & Tartaretus, Arretinus, & cæteri antiquiores. Consentiunt ferè Moderni apud Tannerum *disp.*5. *quæst.*1.*dub.*2. etsi aliqui actum aliquem spei concedant in beatis, vt Suarez 3.*p. T.*3. *quæst.*7.*art.*4.
88 & de Spe *disp.*1. *sect.*8. Alij animabus beatis id dant in ordine ad resurrectionem, vt Vasquez 3.*p.disp.*44. *cap.*55.

Assero cum hac sententia, in beatis spem non manere.

Probatvr à D.Bonau. primò. Ablato obiecto tollitur habitus; sed beatis tollitur obiectum spei: Ergo. Minor probatur ex Rom.8. *Spes, quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat?* Cùm igitur Beati necessariò Deum videant, non possunt sperare.

Respondet primò Mastrius cum Bassolio *disp.*31. *quæst.vn. art.*2. per accidens esse obiecto spei, vt sit præsens, vel absens.

89 At D.Paulus omninò miratur, velle aliquem sperare ea, quæ habet.

Respondet Mastrius secundò, Spem in beatis non habere actum magis notum desiderij, à quo denominatur Spes; tametsi habeant actum delectationis, & gaudij, à spe productos.

Sed iam ostendi *quæst.*3. non esse delectationem in obiecto spei; nam delectatio est de obiecto præsenti, & ità retunditur prima responsio Caspensis.

Respondet secundò Caspensis, posse beatos habere desiderium etiam beatitudinis aliorum.

90 At spes non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, & ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur, vt ait D.August. *in Enchir. cap.*8. apud Caspensem *sect.*3. Igitur appetere beatitudinem alteri, vt bona est, non est actus Spei; sed Charitatis, vt habet etiam Vasquez 3.*p.disp.*45.*cap.*2. & Caspens. *ibi.* Confirmatur; nam Spe erigitur animus ad vincendas difficultates, quæ sunt in consecutione boni sperati; sed hic affectus nequit esse respectu beatitudinis alterius, vt adnectit Turrianus *disput.*60. *dub.*4.

Dices, posse desiderari alterius beatitudinem, vt re- 91
dundet in accidentalem beatitudinem nobis.

Respondetvr primò, adhuc non haberi obiectum Spei, quod est Deus, vt beatis arduè consequendus, vt diai *quæst.*3. & obseruat S.Doct. *ad* 3. Vnde beatitudo accidentalis non sufficit ad Spem, quæ est virtus Theologica, immediatè Deum attingens.

Probatvr secundò hinc à D.Bonau. Spes est expectatio futuræ nostræ beatitudinis, vt ait Glossa *ad* 5. *Rom.* Sed beatitudo in patria est præsens: Ergo.

Probatvr tertiò ex prima Cor.13. *Manent fides, spes, Charitas, tria hæc: Maior autem horum est charitas*, vbi Glossa: *Charitas, Fide, & Spe discedentibus, permanebit aucta.* Concluditur autem, eo ipsam esse maiorem, quòd sola dicta est, nunquam excidere.

Respondent Mastrius, & Caspensis, Apostolum 92
non dicere, Spem excidere, sed solùm fidem, prophetiam, & linguas; vel euacuari, quoad actum principalem, qui est sperare.

Contra, quia ait Apostolus: *Cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est*, quia, vt S.Doct. vrget, in ratione obiecti spei intrinseca; est vt sit futurum, & ad illud exurgat, vt vincat difficultates.

Probatvr quartò à S.Doctore. Sicut se habet Fi- 93
des respectu non visi, ita Spes respectu non habiti; sed fides necessariò euacuatur superueniente clara visione: Ergo & spes, superueniente comprehensione, siue certissima tensione.

Respondet Mastrius *num.*481. negando paritatem, quia fides nullum actum in patria potest exercere; omnes enim actus eius imperfectionem dicunt repugnantem statui patriæ; non sic autem spes, quæ in solo desiderio habet imperfectionem carentiæ obiecti, sed alios habet actus. Sic respondet etiam Meratius *disp.*34. *sect.*3.

At verò Paulus *Rom.*5. negat ibi dari Spem, vbi 94
possidetur eius obiectum, quod est Deus visus, obiectum beatificum præsens, ad quod spes erigit consequendum, & capectandum; At beati, cùm iam possideant Deum, nequeunt expectare desiderio absentem, & arduum.

Respondet Mastrius *num.* 479. Spem non habere tunc actum desiderij, sed tentionis, & possessionis.

Hæc planè ipsum dicere Miror; nam eadem virtus non potest ferri in obiectum, sub ratione substantialiter opposita. Spes autem, vtpotè simul cum Fide incedens quoad absentiam obiecti, vt dicitur Hebr. 11. *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*; non video, quo pacto, actum tensionis, & possessionis habere queat obiecti beatifici.

Respondet secundò cum Arriaga, neque actum 95
iustitiæ reddendi cuique suum, neque fortitudinis ad vincendas difficultates, in beatis reperiri; & tamen hi habitus manent, quia possunt circa proprium obiectum habere actum complacentiæ, & gaudij.

Sed & in patria beati dant cuique suum, Deo honorem latriæ; beatisque debitum obsequium; habitus verò Fortitudinis directè repugnat cum statu beatorum, vt dicit D.Bonau. *dist.*26.*quæst.*3.*ad vltimum.*

Obicies primò. Sap.3. dicitur: *Spes illorum immortalitate plena.* Glossa postillat: *Indefectiua est.* Si dicas, ibi sumi Spem pro re sperata. Contra probo de ipso actu sperandi; nam Christus fuit beatus, & tamen habuit Spem, vt ait Glossa ad id Psal.30. *In te Domine speraui.*

Respondet S.Doct. Christum non in se, sed in 96
membris habere spem; in se autem habuit aliquam expectationem alicuius beneficij spiritualis, quæ tamen non est spes, quia non respiciebat Deum, vt obiectum immediatè fruendum. Deinde nec gloria

ipsa corporis erat Christo ardua, vt putat Coninchius *disp.17. dub.11.* quia naturaliter sequitur ad gloriam animæ, vt notat Mastrius *num.470.* etsi esset per crucem acquirenda sub titulo meriti.

Obiicies secundò. Vbi est desiderium, ibi potest esse Spes; sed in Beatitudine æterna est summum desiderium, vt dicitur prima Petri 1. *In quem desiderant Angeli prospicere:* Ergo. Confirmatur; possunt enim appetere continuationem suæ beatitatis.

97 Respondet S. Doct. desiderium acquirendi esse cum Spe: desiderium verò continuandi bonum, quod amitti non potest, nullo modo esse cum spe; quia non est ibi expectatio, vel tendentia in bonum absens. Igitur in patria est desiderium, vt dicit incessabilem delectationem, & indeficientiam, nunquam futuram, sed semper cum summa delectatione. Quare frustra nonnulli ex volitione continuationis beatitudinis arguunt in beatis spem; nam, vt ingenuè fatetur Mastrius *num.472.* beatitudinis continuatio Beatis non est ardua, sed imò facilis, & necessariò indeficiens. Qua ratione etiam fatetur, *Arduum*, esse rationem formalem obiecti spei, quo posito, ponitur Spes; & quo deficiente, tollitur. Idem respondet S.Bonau. *dub.5. littera.*

Obiicias tertiò cum Vulpe, Morando, Caspensi, & aliis: Beati sperant, & expectant futuram corporum resurrectionem.

98 Respondet S.Bonau. dupliciter peccare hoc argumentum. Primò, quia beatitudo corporum non est Sanctis patriæ ardua. Spes autem est de summo bono arduo.

Dices cum Amico, arduum esse, quia excellens.

Contra, quia hoc non est arduum spei, vt dixi *quæst.3.* alioqui idem esset obiectum etiam charitatis; nam obiectum eius est excellentissimum, vt notat Mastrius *num.455. & 470.*

99 Secundo peccat argumentum, quia actus expectandi resurrectionem, non spectat ad virtutem Theologicam, quia resurrectio corporis non est bonum increatum, quod est obiectum virtutis Theologicæ; imò neque ad illud bonum consequendum necessaria, vt benè aduertunt etiam Arriaga *loc. cit.* & Mastrius *num.471.*

Instat Amicus *num.20.* esse aliquam participationem boni increati, quatenus cum beatitudine animæ beat totum hominem.

Sed hæc sunt pura verba; nam beatitudo animæ non intenditur in ordine ad Deum immediatè.

Obiicies quartò: Oppositorum oppositi sunt habitus; sed in damnatis est desperatio: Ergo in beatis est Spes.

Respondet S.Doct. non esse simile, quia desperatio facit ad cumulum mali, ideo esse debet in damnatis; At verò spes dicit defectum complementi in bono, idest absentiam eiusdem summi boni; vnde nequit esse in beatis, in quibus bona omnia omnibus numeris absoluta cumulantur.

100 Obiicies quintò. Actus spei est, confidere in Domino; At beati in eo confidunt: Ergo.

Respondet S.Doct. non esse in beatis confidentiam Spei, quæ est cum protensione, anhelatione, & erectione in arduum; sed esse confidentiam amoris amicitiæ in fruitione.

Obiicies sextò. Ad spem pertinet certitudo beatitudinis; sed hæc erit in gloria: Ergo. Deinde beati expectant beatitudinem quoad succedentia tempora, qui enim iam habent beatitudinem hodie, nondum habent cras. Et ideò *Apoc.6.* dictum est eis, vt expectarent.

Respondet S.Doct. non esse ibi expectationem noui boni, aut ardui, sed possessi inamissibilis æternè, non acquirendi, neque ibi certitudo reperitur sola promissionis; sed tentionis, & fruitionis, quæ non est Spei.

Obiicies septimò. Quia spes habet aliquos actus non repugnantes patriæ, vt delectari, gaudere bono commodo infinito, quod est obiectum formale Spei. Hic est Achilles Scoti *loc. cit.* & Mastrij *num.473.*

Respondet S.Doct. *in corpore*, obiectum formale 101
spei esse bonum gloriæ, vt arduum absens, vt ait Apostulus *loc. cit.* neque delectari bono illo iam acquisito, spectare ad spem, sed ad charitatem; alioqui debet manere etiam fides; nam beatus delectatur bono credito in via, & in eo beatur; est enim beatitudo gaudium de veritate, vt ait D. Augustinus.

Cvr verò actus, quo mihi futuram volo beatitu- 102
dinem, non sit Charitas, sed Spes: Ratio est, quia, licèt id velim mihi; tamen obiectum est Deus, vt beans, ad quem ordinatur vltimus actus. Hunc modum indicat Mastrius in fine ad mentem etiam Cardinalis de Lugo *disp.3. de Pœnit. sect.2. num.41.* Est autem concupita beatitudo ad Deum vltimò; alioqui esset inordinata appetitio. Vnde vnum bonum constituitur, licèt plura bona nominentur in definitione beatitudinis, qua dicitur: Spes est virtus, qua æterna bona expectantur; vt explicat S.Doct. *dub.1. litt. dist.26.* & Mastrius *num.487.* Aduertit verò S.Doct. *dub.2.* expectationem boni absentis esse de ratione Spei. Porrò expectationem materialiter dicere posse quietem, vt cùm sedeo expectans socium, tamen dicit motum animi. Eadem docet in *1.dist.17.p.1.quæst.2.ad 3.* Deinde *dub.3.* applicat S.Doct. quo pacto intelligas dictum Pauli: *Quod videt quis, quid sperat?* Vnde spes est de inuisibilibus; non tamen confunditur cum fide; nam Fides est de non visis, vt sic; Spes verò de non visis, prout sunt non habita.

Explicat *dub.4.* Spem non posse esse de bono præ- 103
senti, quia de hoc est Gaudium, quod est affectio distincta à Spe, secundùm omnes sapientes.

Dubio quinto tractat quæstionem nostram hanc, & concludit, nec Christum in via habuisse Spem, quia non ferebatur in Deum beatificum, vt obtinendum, quia beati fruuntur Summo bono, quod est obiectum Spei, & beatificum. Deinde, quia Spes nititur Fide, quam habet annexam; Fides autem est cognitio obscura essentialiter. Talis cognitio tollitur visione, & consequenter euacuando fidem, euacuat Spem.

QVÆSTIO XII.

An detur præceptum sperandi in Devm.

Distingvit S.Doct. *lib.5. Compendij Theol. cap.22.* 104
Spem triplicem, idest, Veniæ, Psal.30. *In te Domine speraui, non confundar in æternum.* Gratiæ: *Sperantem autem in Domino misericordiá circumdabit.* Psal.31. Gloriæ: Prouerb.28. *Qui sperat in Domino, saluabitur.* Adnotat etiam effectus, vt appareat spei necessitas. Hæc enim à tribulatione liberat, Psal.21. *In te sperauerunt Patres nostri, & liberasti eos,* & constat *Dan.13.* exemplo Susannæ. Confortat in discrimine, 2. Machab.7. *Pereuntes septem filios sub vnius diei tempore, conspiciens mater, bono animo ferebat, propter spem, quam in Deum habebat.* Confortat, & mentem eleuat, Isa.40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas vt aquilæ.* Saluat, Psal.16. *Qui saluos facit sperantes in se.* Temporalia ministrat, Psal.144. *Oculi omnium in te sperant Domine.*

Spes multis rebus necessariis comparatur: Galeæ ad 105
præliandum, prima Thessal.5. *Induti Galeam salutis.*

Anchoræ

Anchoræ Hebr.6. *Qui confugimus ad tenendam propositam spem : quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam.* Medicinæ : *Sperans in Domino non infirmabitur* Psal.25. Gemmæ : *Gemma gratissima expectatio* Prou.17. solatium dicitur fortissimum *Hebr.6.* Lignum vitæ, Sap.3. *Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.* Claui,è Glossa in id Psal. *sperate in Domino.*

106 In Diæta salutis, *tit.10. cap.5.* ponit iterum triplicem Spem, Veniæ, Gratiæ, & Gloriæ. Probat autem, spem Veniæ fugare omne peccatum. *Non delinquent omnes, qui sperant in eo.* Psal.33. Spes gratiæ, est, qua quis confisus soli Diuino auxilio, non humanis viribus, acquirit salutem, Hierem. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Beatus, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius.* Spes gloriæ reddit fortes vsque ad mortem; sic martyres tormenta vicerunt. Sic
107 Moyses *Heb.* 11. sic Psal. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino*, & ad *Titum* 2. hortatur ad patientiam, & perseuerantiam : *Expectantes beatam spem, & aduentum Domini.* Ex his colligunt Theologi communiter, Spem esse medium necessarium ad salutem, & hoc ab initio, vt dicitur Hebr.11. *Accedentem enim ad Deum, credere oportet quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Et Rom.8. *Spe salui facti estis.* Et in Tridentino *sess.6.cap.6.& 7.& can.5.* numeratur Spes inter dispositiones necessarias ad iustificationem. Ratio est, quia non potest saluari, qui non credit Deum remuneratorem supernaturalem, & nisi ad Deum conuertatur diligendo super omnia; implicant autem hæc, nisi speret, hoc bonum consequendum, vt arguit Caspensis *num.32.* cum D.Bonau. *3.dist.26. art.2. quæst.3. in corpore* : Ergo.

108 Dices. Sine Spe potest amari Deus amore amicitiæ.

Respondetur, debere sperare à Deo saltem misericordiam, veniam, & gratiam, vt ait S.Bonau. suprà.

Quamuis igitur non inueniantur in scripturis verba, præcepti vim exprimentia; tamen ex necessitatibus relatis colligunt Doctores, dari præceptum Spei. Ita Suarez *de Spe, disp.2.sect.1.* Sanchez *lib.1. Decal. lib. 2. cap. 33.* Fagundez *lib.1. cap.31. num.4.* cum D.Thom. *2.2.quæst.22.art.1*, S.Bonau. *dist.26.quæst.2.* vbi id probat, quia pronunciatur in scriptura, sperandum in Deo solo, & maledictum esse, qui non sperat in eo, sed in creaturis.

Hinc D.August. *tract.83.* ait, Præceptum esse nobis sperare, quæ promissa sunt.

109 Sic igitur formatur argumentum : Actus omnis, qui est medium necessarium ad salutem, cadit sub præceptum, vt ostendit Suarez de fide *disp.13.sect.2.* & *lib.8. de gratia, cap.18. & 19.* Sed actus spei est medium necessarium ad salutem, vt declarat Concilium Trident. *sess.6. cap.6.* nisi enim speremus gloriam, inanis est fides nostra : Ergo datur de illa præceptum. Ità etiam Fagundez *num.4.* Minor probatur à D.Bonau. *5. p. Breuil. cap.4.* quia ad salutem necessaria est rectificatio animæ in Deum; hæc autem fit per tres virtutes Theologicas, nam per fidem ratio, per spem irascibilis; per charitatem concupiscibilis rectificatur.

110 Minor verò explicatur à S.Doct. *3.p.Centil.sect.39.* quia ad consequendam beatitudinem oportet à Deo auxilium expectare, & petere; oportet detestari culpas, tolerare pœnas, aggredi terribilia, erigi ad ardua præcepta, vincendo dæmones, carnem, & mundum : hæc autem absque spe non fiunt, quæ in irascibili residet, mouetque alias vires, fortitudinem, &c.

Est autem hoc præceptum affirmatiuum, includens tamen negatiuum, non desperandi; & prout includit negatiuum, obligat ad semper; vt notant Sanchez *lib.1. Decal.cap.33.* Suarez *de spe, disp.2. sect.1. num.7.* D.Thom. *loc. cit.* Fagundez *num.5.* Nam actus contrarij Spei sunt intrinsecè mali. Existimant tamen aliqui apud Caspensem *disp.2. sect.5.* præceptum hoc esse merè negatiuum; ipse tamen ait dari & affirmatiuum, & quidem speciale, & non tantum generale; vt putant aliqui summistæ. Sic & Fuliens. *lib.3.cap.7.*

Quatenus verò est præceptum affirmatiuum, obligat aliquando ad actus Spei aliquo tempore; sed dubium est quo tempore obliget. 111

Quidam apud Aragonium 2. 2. *quæst. 22. art. 1. dub.1.* existimant, habito semel actu Spei, hoc præceptum non ampliùs obligare.

Obligat verò post vsum rationis, non statim, sed non post multum tempus, & aliquando etiam in vita, prudentis iudicio, vt non sit per multos annos sine actu spei. Vide de actu fidei, quæ dixi *Tract. præcedenti disp.1.quæst.14. & sequenti.* Et dicam *tract. sequent. de præcepto Charitatis disp.8. à quæst. 50.* Ita Suarez *disp.2. sect.1.* Caspens. *num.19.* Addit cum Castro Palao, regulariter homines huic præcepto satisfacere, cum de peccatis dolent, quod ferè nunquam fit sine actu Spei. Addit Fuliens. obligare in fine vitæ, & cum desperationis quis tentaretur grauiter, & quoties vrget fidei præceptum. *Accedentem enim ad Deum oportet credere, quod remunerator sit.* Hebr.11: Sic & Bassæu: 112

Dubitatio Unica.

An vrgeret hoc præceptum, cui reuelata esset damnatio certa.

Hunc tamen casum impossibilem credunt S.Bonau. *1.dist.48.dub.1. lit.* Ioelinat D.Thom. ibi *art.4. ad 2.* Idem habet Dionysius Carthus. *dial. de iudicio animæ, art.5.* vbi refert Alensem, Gullielmum, Altisiodor. Idem sentit Argent. & alij. 113

Cæteri verò dicunt id posse reuelari. Ità D.Thom. *loc. cit.* & *quæst.23. de ver.art.8. ad 2.* Maior 3. *dist.26. quæst.3.* Gabr. *lect.68. & 69. in Can.* Caspens. *de spe disp.3.sect.2.* Vasquez 1.2.*disp.22.* Fagundez *lib.1. in Decal.cap.31.n.13.* Thomistæ passim, Vulpes *disp.59. art.3.* qui dicit, posse id fieri etiam regulariter. Tandem de absoluta potentia id asserunt communiter Scholastici, quibus subscribit Mastrius 3.*disp.6.quæst.19.* Arriaga *disp.30. sect.2.* qui vna cum Arretino Scotista dicit, in eo casu, non posse desperare, licèt non teneatur sperare. Cæteri verò aiunt, posse nolle beatitudinem. Ita Suarez, Turrian. Fagundez, Coninch. Amicus, Mastrius, Poncius, & alij.

Dico igitur, non posse fieri hanc reuelationem. 114

Probatur à S. Doct. quia hæc reuelatio malum causaret, & nullum bonum; tunc enim deberet ille velle à Deo separari, vt hostis, neque posset is præcepta seruare, sed deberet laxè præceps abire, & desperare. Quæ frustra negant aduersi, vnde etiam sequeretur, præceptum sperandi non vigere, cum esset circa rem obtentu impossibilem.

Obiiciunt. Scimus Antichristum fore damnandum, & cùm venerit, agnoscetur ex operibus, & ità iusti aliqui effugient eum. Similiter Iudæ damnatio reuelata est, Matth.26. *Væ homini illi, &c.* & Ioan.17. vocat eum filium perditionis.

Respondet Mastrius *num.498.* non fuisse reuelatam Iudæ ipsi, sed Ecclesiæ perditionem Iudæ, & Antichristi, ideò non sequuntur incommoda inducta. 115



DISPVTATIO V.

De Dono Timoris.



E illo timore præcipuè disputandum est, vnde incipit Deus menti sapere, creaturæque desipere; de hoc dicit Seraphicus *de septem Donis, cap. 3. de Dono timoris*, quod à sapientia nunquam recedit, sed cum ea crescit, & proficit in perfectum diem: affertque Hugonem de S. Vict. *lib. 2. de Arca morali, cap. vlt.* dicentem: *In cordibus Sanctorum per timorem Sapientia seminatur; per gratiam rigatur, per dolorem moritur, per fidem radicatur, per deuotionem germinat, per compunctionem oritur, per desiderium crescit, per charitatem roboratur, per Spem viret, per circumspectionem frondet, & expandit ramos, &c.* Hac gradatione ostendit etiam Seraphicus in hoc timore Sapientiæ crepusculum, meridiem, & vesperam: verùm cùm spei videatur identificari, ideò de hoc primo videndum est.

QVÆSTIO I.

An TIMOR *sit Habitus distinctus à* SPE.

{ D. Bonau in 3. dist. 26. art. 2. quæst. 1.

VIRTVTI Spei adnexum est Timoris donum, quod in fuga mali insudat, vt constabit ex dicendis.

1 NOTA, Timorem aliquando sumi pro affectione sensibili, quæ in fuga mali apprehensi consistit. Secundò pro fuga mali, apprehensi intellectu. Tertiò pro fuga alicuius mali futuri, quæ ordinem aliquem habeat ad Deum, & tali modo consideratur à Theologo, & inter hos Timores, est etiam Timoris donum.

ASSERO, hunc Timorem à Spe differre.

2 PROBATVR à D. Bonau. primò, quia secundùm Sanctos, & Philosophos, quatuor sunt affectiones animi distinctæ. Gaudium, & Dolor: Spes, & Timor. Sic autem retinent sua essentialia in ordine ad quodcumque malum.

SECVNDO: Quia sicut affectiones de præsenti opponuntur, vt Gaudium, & Dolor; ità & affectiones, quæ respiciunt futurum, vt Spes, & Timor.

TERTIO. Plùs differt habitus virtutis ab habitibus donorum, quàm habitus virtutum ab inuicem: Sed habitus Timoris computatur inter Dona: Habitus spei inter virtutes, vt ait D. Greg. 11. *Moral. cap. 4.*

QVARTO: Quando aliqua sunt separabilia, distinguuntur realiter: sed *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi*, Psal. 18. spes autem euacuatur in patria, vt ostendi *disp. 4. quæst. 11.* Ergo.

QVINTO: Quorum effectus opponuntur, etiam causæ opponuntur. Sed Timor pauidum reddit, spes securum: Ergo.

SEXTO. Quorum actus formales sunt diuersi, etiam 3
habitus sunt diuersi; sed actus spei est quædam confidentia, & erectio in bonum æternum arduum; Timoris verò est fuga à malo: Ergo. Quòd etiam diuersi sint actus, venit ex varietate obiectorum, nam Potentiæ per actus, & actus per obiecta distinguuntur, vt habet Aristoteles 2. *de anima*, 33. vt docet D. Bonau. 1. *dist. 7. art. 1. quæst. 1. ad argumenta*, & *quæst. 3. ad argumenta*, & *in 2. dist. 7. p. 1. art. 2. quæst. 1. ad arg.* & *dist. 24. p. 1. art. 2. quæst. 1. ad arg.* & *in 3 dist. 23. art. 1. quæst. 3. ad arg.* & *dist. 26. art. 1. quæst. 2. ad arg.* distinguuntur inquam, saltem à posteriori per obiecta, vt habent rationem motiui. Sed obiectum spei est bonum, futurum, æternum, arduum: obiectum Timoris est malum futurum superabile: Ergo.

OBIICIES primò: Eadem virtus abstrahit ab vno extremo, & attrahit ad alterum, sic enim idem pondus abstrahit à summo, & detrahit ad centrum. Eadem autem est virtus in spiritibus, quod in corporibus est pondus, vt ait D. August. *lib. 11. de ciuit. cap. 28.* & *lib. 6. de Trinit. cap. 10.* & *lib. 13. confess.*
cap. 9. Ergo vnus est habitus, quo refugimus à malo 4
timendo; & tendimus in bonum sperando.

RESPONDET S. Doct. negando paritatem; nam in motu locali eodem motu recedimus à termino *à quo*, & accedimus ad terminum *ad quem*. Ideò, quia motus localis est inter duo extrema, quorum alterum habet rationem principij: alterum termini. In voluntariis autem secùs euenit; quando enim sunt duo opposita, potest anima affici circa vnum, nihil circa alterum considerando; potest enim affici circa bonum, nihil considerando circa malum, & è contrà; & ideo diuersis affectibus mouetur circa opposita.

OBIICIES secundò: In disciplinis vna est opposito- 5
rum disciplina, vt recti, & curui, sani, & ægri: Sed habitus virtutis est quædam ars: Ergo dirigit ad opposita: Ergo idem mouet ad prosequendum bonum, & ad malum fugiendum.

RESPONDET S. Doct. negando similitudinem cum habitibus virtutum, duplici de causa: Prima est, quia voluntas separat ea, quæ realiter sunt coniuncta, vnde aliquis vult antecedens; & tamen non vult consequens: Cognitio autem non separat ea, quæ naturaliter sunt coniuncta; vnde qui nouit, & asserit antecedens, asserit & consequens. Quoniam verò per consequentiam in ipso ad opposita, oppositæ consequuntur proprietates, per quas habent cognosci, vt si album disgregat, nigrum congreget, hinc est, vt vnus possit esse habitus cognitiuus oppositorum, quamuis non sit vnus habitus affectiuus.

SECVNDA dissimilitudo est, quia potentia cogniti- 6
ua consimili actu negotiari potest super vtrumque oppositum: iudicat enim de recto, & obliquo per regulam ipsius recti; sed affectiua non sic; imò si appetit vnum oppositorum; alterum respuit; Si amat vnum, alterum odit, per se loquendo, ratio est, quia affectiua magis vnit ipsi affectibili, quàm cognitiua cognoscibili, vnde amor transformat amantem in amatum; & propterea non sequitur, quòd si vna esse possit scientia oppositorum; etiam valeat esse vna affectio, vel vna virtus affectionis directiua.

OBIICIES tertiò. Duorum extremorum vnum est 7
medium: sed inter Desperationem, & Præsumptionem mediat Spes, & Timor: Ergo sunt vnum.

RESPONDET S. Doct. inter duas extremitates vnam esse medietatem diuidentem ex æquo, & hæc est punctum: at latè sumpta medietate, quæ non est inter extrema indiuisibiliter, possunt esse plures medietates: Sic inter Brixiam, & Venetias est Verona, Vincentia, Patauium. Igitur inter extrema præsumptionis,

tionis, & Desperationis sunt Spes, & Timor, ità tamen, vt Timor magis ad desperationem; Spes magis declinet ad præsumptionem; neutra tamen ad alterutrius defectum pertingat.

Aliter etiam respondet S. Doctor, illud intelligi de medietate, quæ conficitur ex vtroque extremo, sicut Largitas inter Prodigalitatem mediat, & Auaritiam: Spes autem, & Timor non mediant hoc pacto.

8 Tertio respondet, negando, Timorem, & Spem esse medietates eorundem extremorum: Spes enim medium tenet inter Desperationem, & Præsumptionem; sed Timor inter Temeritatem, & Timiditatem, siue pusillanimitatem; & sic non oportet, vt Timor, & Spes conueniant in vnitate virtutis, vnitate affectionis, &c.

9 Obiicies quartò. Genitum est simile generanti; sed Spes gignitur è fide, quæ credit bona, & mala; Ergo & Spes tendit in bona, & fugit à malis.

Respondet S. Doctor negando, in hoc esse debere similitudinem, eò magis, quòd producitur Spes à fide, vt causa æquiuoca; nam fides, quia respicit bona, & mala sub ratione veri reuelati, potest vtraque respicere: Spes autem, & Timor sunt habitus affectiui, qui non respiciunt bonum, & malum. Deinde fides est habitus spectans ad cognitionem, quæ non diuersificatur propter obiectorum contrarietatem; at verò habitus affectiui diuersi esse debent, quia respiciunt sub diuersa ratione; bonum quidem sub ratione conuenientis; malum verò sub ratione noxij.

10 Obiicies quintò. Oppositorum eadem est ratio; sed vitium, oppositum virtuti, auertit à bono, & conuertit ad malum: Ergo eadem virtus idem præstat.

Respondet S. Doctor, actus auersionis à Deo, & conuersionis ad creaturas, esse duos; licèt possint esse circa vnum peccatum relati; quia vnum, & idem potest ad diuersa comparari, & referri; & sic non est simile de affectione Timoris, & Spei, quia non potest simul, & semel vna potentia vno actu circa diuersa contraria affici, propterea non sequitur, quod si auersio, & conuersio possunt esse circa vnam actionem, & formam; similiter Timor, & Spes habeant esse circa vnam, & eandem affectionem.

QVÆSTIO II.

Quodnam sit Timoris *obiectum.*

{ D.Bonauent. dist.34. part.2. dub. primo litt.

11 Timor habet pro obiecto malum, profectò fugiendum.

Obseruat autem S. Doctor *dub. primo, & secundo,* hîc, quatuor esse Timores: Primus mundanus, & est is, quo quis, timens aliquod huius vitæ incommodum, vt hoc effugiat, offendit Deum.

Ab hoc cauere docuit Christus Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Secundus Timor est seruilis, quo quis terretur à peccatis ob pœnas: Hic autem duplex est; alius merè seruilis mœchanicus, qui ità pœnis terretur, vt si illæ non imminerent, adbuc resolutè peccata committeret; & hic est adhuc inordinatus, qui propterea ab omnibus, maximè à D.
12 Bonauent. vituperatur; alius verò est seruilis, non excludens fugam culpæ, qualis est hominis, qui atteritur de peccatis commissis ob metum gehennæ, & talis est bonus, & donum Spiritus Sancti, vt docet Concilium Trident. *sess.14. cap.4.* & *sess.6. can.8.* vt dicam *quæst.3.* Hunc timorem iniungit Christus statim *loco cit.* Matthæi: *Timete eum, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem mittendi in Gehennam,* & prima Ioan.4. *Timor non est in Charitate: sed perfecta Charitas foras mittit timorem.* Hoc sextu innuitur etiam tertius Timor, qui dicitur Initialis, quo quia adeò timet Dei offensam, vt simul timeat pœnam, & hic tangitur *loco cit.* dum dicitur: *Timor non est in Charitate: sed perfecta Charitas foras mittit timorem:* Vult dicere, hunc non esse cum charitate, sanè perfectâ, quod constat illâ coniunctiuâ, *sed perfecta Charitas, &c.*

Qvartvs Timor est filialis, qui est detestans 13
malum, quatenus est contra Deum, & in eius offensam redundat. De hoc dicitur, Rom.8. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore;* idest, non accepistis timorem seruilem, sicuti veteres, qui legis obseruantiam terroribus & minis audiere; Sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba (Pater.) De quo timore dicitur etiam Psalm.18. 14
Timor Domini Sanctus, permanens in sæculum sæculi. Vbi Augustinus, & alij legunt: *castus*, Iusti enim comparantur Deo, vt sponsa castissima ad sponsum, operantes timore quidem, ne sponsum lædant; sed cum amore. Sic prima Corinth. 10. *Despondi enim vos, &c.*

Oportet deinde adnotare cum D. Bonau. *opusc.* 15
de septem Donis. De Dono Timoris, cap.1. Varietatem Timorum ex varietate amorum nasci; Timor enim est amor fugiens quidquid aduersatur, ex D.Augustino 14. *de ciuit. Dei cap.7.* Et in Glossa *ad Ioan. 10.* quæ est S.Augustini, habetur: *Timor est fuga, ne perdat homo, quod amat.* Igitur Timor oritur ex amore, & ita ex amore ordinato oritur timor ordinatus: & ex amore inordinato, inordinatus timor; & qualis est amor boni, talis est timor mali oppositi.

Hinc Adam, qui primò amabat Deum filialiter, timebat eum offendere, postquam verò ex inordinato amore offendit, timuit seruiliter, & ait: *Domine audiui vocem tuam, & timui,* Genesis 3.

Hinc Hugo *Lib.2. de sacr. part.13. cap.5.* quin- 16
que distinguit Timores: Primus est Humanus, seu naturalis, quæ est passio, oriens ex naturali amore, quo quisque timet naturæ nocumentum; passionibus autem nec meremur, nec demeremur, quia non subiacent libero arbitrio, nisi quando quis rationabiliter se habet circa eas. Isto timore Christus timuit mori, sed non nisi quantum voluit nobis in exemplum, & documentum.

Secvndvs est Mundanus, qui sanè ex inordinato amore nascitur vitæ præsentis, vel rerum ad eam pertinentium, & est semper malus; quia, vt ait Ioan. prima c.2. *Qui diligit mundum, inimicus Dei constituitur.* Hic verò iuxta varietatem bonorum mundi, carnis, &c. amatorum, subdiuiditur materialiter, vt notat D.Bonauent. *dub.1. litterali.*

Tertivs est Seruilis, qui è Deo est (vt ait S.D.) 17
non vt merè seruile sonat, sed vt implicitè excludit offensam; de hoc Psalm.118. *Confige timore tuo carnes meas,* & D.Augustinus, enarrat. 25. *Timor seruilis, legis pedagogus noua, præcessit, qui ad Christum ducit,* oritur ex amore æternorum, ne ea perdat æterna damnatione, qui est duplex, vt dicam *quæst.3.* circa finem argumentorum.

Qvartvs est filialis incipientium, de quo dicitur: *Initium sapientia Timor Domini,* & est à charitate inchoata: Ideò de hoc dicitur, non esse cum charitate, idest perfecta, quia: *perfecta charitas foras mittit timorem,* prima Ioan.4. & D.Bernardus *serm.22.*

in Cant. ait: *Non immeritò hic timor dicitur initium sapientiæ, qui sæpe se insipientiæ primus opponit. Hic enim timor est quidam ingressus ad sapientiam.*

18 QVINTVS est Timor filialis, qui ex charitate oritur perfecta, vt dixi.

OBSERVA tertiò cum D. Bonauent. hîc *dist.* 34. *dub.* 3. diuidi hunc vltimum timorem in ordine ad obiecta specifica, vt alius sit Timor castus, qui est sponsæ: Alius amicabilis, idest, Amici; alius filij: filius enim timet offendere Patrem: Amicus amicum: sponsa sponsum; At in ordine ad Deum, vnus est, tum ex motiuo, in quo genericè etiam allati conueniunt; tum quia vna est gratia in ordine ad Deum, constituens animam filiam, sponsam, & amicam Deo.

19 ADVERTIT etiam *dub.* 4. Timorem initialem, & seruilem, aliquo modo conuenire, nam vterque est initium sapientiæ, sed seruilis incipit extra; alter verò per aliquam charitatem. Dicitur verò Timor *initium sapientiæ*, quia incipit gradatim ad dona ascendere vsque ad supremum, quod est sapientiæ.

Ex dictis igitur elice cum D. Bonauent. *dub.* 1. Timorem respicere malum fugiendo; & quia ex variatis obiectis oritur varietas Timorum, hinc lata diuisione possunt etiam ferri definitiones cuiusque timoris, Timor igitur sic definitur à D. Augustinn Tract. 46. in Ioan. *Timor est fuga animi, ne amittat quod amat.*
20 Fugit enim malum, quod est carentia boni amati. Definitur etiam à Damasceno 2. de fide, cap. 18. *Timor est expectatio futuri mali*, sumitur verò expectatio latè pro æstimatione, imminens periculum horrescente; sic enim nuncia infausta expectantur, vt aduertit S. Doctor *dub.* 1. Igitur Timor in genere est fuga mali ardui ad vitandum, & boni ad reuerendum, vt docet S. Bonauent. 3. *part. centil. sect.* 45.

HINC verò data diuisione Timorum, ex variis motiuis possunt singuli definiri. Sic Timor naturalis: *est fuga mali noxij naturæ.* Timor mundanus definitur: *est inordinata fuga à malis huius vitæ.* Timor seruilis: *est fuga malorum pœnalium, non exclusa fuga offensæ in Deum*, & sic de reliquis.

22 Timnr itaque quicumque, est resilitio ab arduo, quod est malum in allatis timoribus; & etiam bonum in timore perfecto filiali; resilit enim, non quidem à bono, sed ab arduitate, quæ est excellentia boni, sed resilit cum reuerentia, & ob id etiam in patria Timorem filialem admittunt, vt dicitur Psal. 18. *Permanens in sæculum sæculi*, sanè in hac vita resilit à malo, vt est offensa, vt dicam *quæst.* 7.

Ex hac obiectorum varietate deducit S. Doctor non esse vnum omnium obiectum specificum vniuocum, sed analogum; nam bonum, quod est obiectum timoris filialis perfecti, qui timet amittere bonum summum in via; & in patria reuerenter in bonum illud sublime fertur, sunt obiecta analoga.

22 PROBATVR igitur à S. Doctore, Obiectum Timoris esse arduum secundum fugam; nam sicuti spes fertur in arduum prosecutione, itá opposito modo Timor fugâ debet ab eo arduo resilire, cùm opposito modo se habeat. Sicut autem Spes in bonum tendit arduum, quod est obiectum prosecutionis; itá timor in malum, quod est obiectum fugæ; sub ratione autem mali includitur etiam boni arduitas; Quod explicabitur suo loco.

QVÆSTIO III.

An mundanus TIMOR *semper sit malus.*

ASSERO, itá rem se habere.

PROBATVR à D. Bonauent. *locis adductis*, 23
præcipuè *de septem donis*; Quia Timnr mundanus nrimr ex amore mundano; sed amor mundanus est iniquus; Ergo. Maior probatur ex definitionibus allatis Timoris: Minor probatur à S. Doctore; quia talis amor præfert creaturas Creatori. Sic probatur etiam à Caspensi *disp.* 2. *sect.* 2.

ADVERTA autem, amorem mundanum ex intensione merâ absolutâ suâ non esse peccatum, vt putauit Adrianus *quodl.* 2. *quæst.* 2. nam intensio, quæ est augmentum secundùm magis, & minus, non variat speciem: sic amor sui crescens, non facit ciuitatem Diaboli, nisi quatenus peruenit comparatiuè ad contemptum Dei, vt habet D. Augustinus 14. *de ciuit. cap.* 28. sic etiam Christus passus est timorem intensissimum vsque ad mortem, neque tamen peccauit, vt monet Caspensis *num.* 13. ex D. Bonauent. *loco cit. de septem donis.*

Tunc igitur est malus, cùm peruenit ad præferendum bonum temporale Deo; & si quidem in illo bono temporali finem vltimum constituat, erit mortale. Si verò leuiter præferat rem creatam Deo, puta mentiendo, vel furando dipondium, erit veniale, vt ait S. Augustinus 22. *de ciuit. cap.* 16. & hoc sensu loquitur etiam S. Hieronymus *contra Iouinianum.* 24

OBIICIES. Tenetemnr omnibus renunciare, Lucæ 15. *Omnis, qui non renunciauerit omnibus, non potest meus esse discipulus*; sed qui intensè diligit creaturas, non habet animum paratum ad eas spernendas propter Christum: Ergo.

RESPONDET S. Doctor ad locum illum, duplicem esse discipulatum Christi; alterum necessitatis; alterum supererogationis, seu perfectionis: Discipuli ex necessitate tenentur omnibus renunciare affectu; idest vti rebus mundanis, non frui; sed tendere in æterna, vt non velint temporalia præferre æternis, atque adeò propter ea Deum offendere, vt notat etiam Caspensis *num.* 14. 25

Discipulatus verò ex perfectione debet omnibus renunciare, etiam effectu, eaquè relinquere. Vnde Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.*

DICES: Amor, si intenditur in creaturas, debet remitti in Deum.

RESPONDETVR, intensionem non tollere amorem Dei appretiatiuum, vt notat S. Bonau. & Caspens. *n.* 15.

QVÆSTIO IV.

An TIMOR *seruilis sit honestus, & Donum Dei.*

D. Bonauent. dist. 34. p. 1. quæst. 1. & 2.
D. Thom. 2. 2. quæst. 19. art. 4.

HAS duas quæstiones S. Bonauenturæ coniungo, quia multa habent communia & vno probatur alterum; Si enim est donum Spiritus Sancti, certè est bonum. 26

ASSERO

26 ASSERO, timorem seruilem esse honestum, & donum Spiritus Sancti.

VIDETVR definitum in Concilio Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. vbi docet, Attritionem, qua detestamur peccata propter metum pœnæ æternæ, esse donum Dei, & fieri ex impulsu Spiritus Sancti.

Sic & D. Bonauent. ait, *dub.* 1. Timor verò ex gratia, vel est ea gratia gratis data, & sic est seruilis; vel ex gratia gratum faciente, inchoata, & sic est initialis; aut ex gratia perfecta, & sic est filialis. Hoc sensu loquitur etiam Concilium Trident. definiens etiam sess. 6. can. 8. *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores priores facere; anathema sit.* Hunc *quæst.* 1. ait esse donum Spiritus Sancti, quod asserunt etiam Alensis 3. *part. quæst.* 76. *memb.* 2. & D. Augustinus, & D. Gregorius citandi.

27 PROBATVR à S. Doctore authoritatibus Scripturæ, & Patrum.

Isaiæ 26. *Sicut quæ concipit, cùm appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus apud te.* Vbi S. Bonauent. iuxta LXX. legit: *A timore tuo Domine concepimus, & parturiuimus Spiritum salutis.* Vbi S. Hieronymus, *timorem seruilem propheta vocat Spiritum salutis.*

Affert etiam in Dieta id Psalm. 118. *Confige timore tuo carnes meas*, iuxta expositionem D. Augustini enarr. 25. relatum *quæst.* 2. & *cap.* 3. ibi, & hîc affert illud Eccles. 1. *Initium sapientiæ timor Domini*, vt exponit S. Augustinus *Tract.* 9. *in epist. Ioan.* quod docent etiam Sancti: Basilius *oratione in princ. Prouerb.* Beda *in cap. primo. Prouerbiorum.* Gregorius *homil.* 19.
28 *in Ezech.* Bernardus *homil.* 23. *in Cant.* Magister cum Scholasticis *dist.* 34. & *ad* 12. *Lucæ* affert S. Bonauent. id. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Vbi primò diuertit à timore mundano. De quo etiam Isaiæ 51. *Quis tu, vt timeres ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi fœnum ità exarescet*, & primo Machab. 2. *A verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria eius stercus, & vermis est.*

29 Deinde timorem seruilem sanctum suadet: *Timete, &c.* Sic est Hierem. 10. *Nolite timere ea, quia nec malè possunt facere, nec benè.* Et post: *Quis non timebit te ò Rex gentium? &c. ab indignatione eius commouebitur terra.* Et Psalm. 32. *Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem.* Et Isa 8. *Ipsum Dominum sanctificate: ipse pauor vester, & ipse terror vester.* Et Hierem. 5. *Me ergo non timebitis, ait Dominus: & à facie mea non dolebitis?* Addit hic illud Prouerb. 15. *In timore Domini declinat omnis à malo.*

Hinc S. Doctor *quæst.* 2. eruit, esse bonum, quia huius habitus est donum Dei: Ergo & actus. Probatur consequentia, quia quales sunt habitus, tales sunt actus; alioqui si vsus eius esset malus, non esset à Deo.

30 PROBATVR secundò à S. Doctore ex Glossa, ad id Rom 8. *Non accepistis iterum spiritum seruitutis*, vbi habet: *Caue ne ex eo, quod ait, spiritum seruitutis, & adoptionis, diuersum intelligas spiritum, cùm sit vnus, atque idem spiritus*, sed Spiritus adoptionis est donum Spiritus Sancti: Ergo Confirmatur. Nam docet, spiritum seruitutis acceptum diuinitus ab antiquis, vt notat Bellarminus. Deus enim dedit etiam legem veterem.

DEINDE id probat ex D. Augustino in Psalm. 127. *Bonus est timor seruilis, & vtilis, per quem fit paulatim consuetudo iustitiæ.*

PROBATVR tertiò à S. Doctore *quæst.* 1. & 2. *in fundamentis*, ratione. Id, quod præparat ad iustitiam, & gratiam, est à Spiritu Sancto: Timor seruilis est huiusmodi: Ergo.

Hoc est argumentum, quo vtitur Concilium Tri- 31
dent. suprà, vbi etiam declarat, eum tantum esse, qui voluntatem peccandi excludat, quo pacto loquitur etiam S. Doctor *locis allegatis.*

PROBATVR quartò à S. Doctore. Plus est timere Deum, quàm credere: Multi enim credunt, qui non timent; & Sanctus timor oritur ex fide vitæ æternæ, &c. Sed fides est donum Dei, vt ostendi *disput. prima*: Ergo.

PROBATVR quintò. Id quod aperit cor, vt Deum 32
per gratiam sanctificantem accipiamus, est donum Dei; nam dispositio est ad formam supernaturalem, atque adeò eiusdem ordinis esse debet: sed timor seruilis est huiusmodi ex Concilio Trident. Ergo: Minor explicatur à S. Augustino *tract.* 9. *in epist. Ioan.* apud D. Bonau. quæst. 3. in corpore: *Si nullus timor, non est quà intret charitas. Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur, seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum; sic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intrauit, vt introduceret Charitatem.* Explicat enim id Ioan. *Charitas perfecta foras mittit timorem.* Probatur deinde minor à D. Bonauent. ex opposito, illis verbis, Isa. 63. *Indurasti cor nostrum, vt non timeremus te:* indurat enim Deus, non dando gratiam, vt notat Bellarminus ex D. Augustino *epist.* 105.

PROBATVR sextò à S. Doctore. Actus sumit suam 33
speciem ab obiecto; obiectum autem timoris seruilis est bonum honestum, scilicet pœna æterna, faciens displicere peccatum ex motiuo Diuinæ iustitiæ, & propter illarum pœnarum timorem cessat homo à peccatorum perpetratione, licèt non omnino cesset à voluntate, vt dicit Glossa *ad Psalm.* 118. quæ est D. Augustini suprà; quod totum (ait S. Doctor) est ex diuino munere. Vnde concludit, esse donum Spiritus sancti; *quæst.* autem 1. & *quæst.* 2. infert esse bonum, quia eo vitantur peccata.

PRO intelligentia horum verborum aduerte ex D. 34
Bonauent. *quæst.* 2. duos quasi gradus posse distingui in timore seruili sancto. Primus est, quando impedit opus peccati externum, sed quia coniunctus est cum mala voluntate, non gignit Contritionem, neque Attritionem. Secundus est, quando non solum actum externum impedit, sed etiam voluntatem coercet, & hic est Timor, de quo loquitur Concilium Trident. esse motiuum attritionis, & sacramento accedente iustificare, vt retuli ex Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. dicens, Attritionem disponere ad iustificationem, si voluntatem peccandi excludat: Et est melior.

DE priori autem locutus est D Augustinus *conc.* 25. 35
in Psalm. 118. ad ea verba, quæ refert *quæst.* 1. S. Doct. *in corpore*, & quæst. 2. ad 1. *Confige timore tuo carnes meas: Timor, quo non amatur iustitia, sed timetur pœna, seruilis est, quia carnalis est, & ideò non crucifigit carnem. Viuit enim peccandi voluntas: quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas. Cùm verò pœna creditur secutura, latenter viuit, viuit tamen: mallet enim licere, & dolet, non licere, quod lex vetat: quia non spiritualiter delectatur eius bono, sed carnaliter malum metuit, quod minatur.* Hæc est Glossa, quam affert D. Bonauent. qui ait, per hunc timorem non omnino cessare voluntatem peccandi habitualiter, licèt aliquo cesset modo; vnde est malus; nam si adhuc manet voluntas actu resoluta; talis voluntas peccandi, si pœna non esset, iam esset inordinata, vt ait S. Bonauent. *quæst.* 2.

Igitur

Igitur timorem seruilem suprà allatum sic accipit hîc S.Doctor, & *de septem donis, loco cit.*

36 PROBATVR septimò à D. Bonauent. *locis allegatis, & in Bibliis pauperum, cap.*38. etenim Deus ipse ideo incussit in scripturis terrores pœnarum, vt à peccatis deterreret: sanè verò Deus timorem malum non immitteret, vt patet. *Exodi* 14. *&* 20. dum legem dabat. Vnde & Iob 31. *semper quasi tumentes super me fluctus, timui Deum.* Deuter. 32. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima.* Psalm.7. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit.* Isa 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante?* Ionas 3. *Adhuc quadraginta dies, &c.* Matth. 3. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, &c.* Matth.5. 13. 24. 25. *Marci* 9. *Lucæ* 12. & alibi.

37 ACCEDANT Sancti Patres relati à Bellarmino *Lib.* 2. *de Pœnitent. cap.*17. vbi eisdem mediis S.Bonauent. vtitur.

Ex quibus eluitur error Lutheri, qui initio suæ peruersionis Timorem hunc damnauit, tametsi Lutherani iam cum nobis eum confiteantur vtilem. Quibus accedit Caluinus *Lib.*3. *instit. cap.*3. §.7.

OBIICIES primò. Omne donum Spiritus sancti stat cum ipso; sed dum infunditur Spiritus sanctus per gratiam, aufertur timor seruilis: ergo. Minor est D. Augustini suprà ad *epist. Ioan.*

RESPONDET S. Doctor, falsam esse Maiorem de dono Spiritus sancti, qui est dispositio, & præparatio ad gratiam; talis est timor seruilis, qui adueniente gratia Sanctificante neque tollitur omnino, sed perficitur. Falsa est etiam Minor.

38 OBIICIES secundò. Donum Spiritus sancti habet exemplar correspondens in Deo; sed in Deo, non est exemplar timoris: Ergo.

RESPONDET S. Doctor extare exemplar solùm quò ad ea, quæ dicunt perfectionem, vt in timore est auertere à malo: Deus enim malum auersatur.

OBIICIES tertiò. Dona Spiritus sancti dantur ad erigendam animam ad præclara: sed timor seruilis potius deprimit: Ergo.

RESPONDET S.Doctor, timorem seruilem sanctum amouere à malo, & ad bonum erigere. Eo enim incipit Deum reuereri.

OBIICIES quartò sic se habet timor, sicut amor: at Deum amare ob bona temporalia non est donum Spiritus sancti. Ergo nec timere.

RESPONDET S. Doctor, amorem in Deum ob temporalia, vt ordinant ad eum vt finem supernum, esse sanctum: sic & timorem Iustitiæ Dei ex pœnis æternis, vel etiam temporariis, vt flagellis ad excitandum ad Dei iustitiam reuerendam, eumque reuerendum esse sanctum; non vt præcisè vitam respiciunt hanc. Ideò ait, *non semper, &c.*

39 OBIICIES quintò. Ad timendum suspendium non eget latro Dono sancto: Ergo minus ad timendas pœnas grauiores. Sunt autem pares hi, timentes solùm pœnas.

RESPONDET S. Doctor negando esse pares; nam timor Dei est ex fide, & est alicuius bonitatis disponens ad gratiam. Neque enim est infructuosus ad hoc, sed solùm ad meritum, vt ait S.Bonauent. *in fine corporis, quæst.*2. Sicuti de fide etiam ait S.Paulus prima Corinth. 3. *Si habuero omnem fidem, &c.* Neque est hypocrisis, quia non fit simulatè, neque corde reduplicatiuè à Deo auerso, vt fingit Lutherus, imò hinc incipit conuersio peccatoris. Neque est malus,

40 eò quòd magis respicit pœnam, quam culpam, quamuis ipse habens, quia seruus est, imperfectè adhuc agit; vnde hæc malitia est subiecti, non formæ, esto & ipsa imperfecta sit. Vide Bellarminum in fine. Neque est ex tumore, licèt sit ex timore; sed timor, & superbia potest esse concomitans ratione subiecti, quod est peccator nondum iustificatus. Et hoc sensu ait D. Gregorius apud D. Bonauent. *Cùm pœna timetur, & Dei facies non amatur, tumor ex timore est.*

OBIICIES quintò. Omnis timor oritur ex amore; nam timemus, ne bonum amatum rapiatur, vt docet D.Augustinus allatus *quæst.* 2. sed Timor seruilis non oritur ex Charitate in peccatore, neque ex amore naturali; alioqui esset timor naturalis: Ergo ex libidinoso.

RESPONDET S. Doctor, non oriri ex Charitate; sed ex amore sui boni æterni, quod timet per gehennam sibi eripi, quam nouit ex fide; & ità est ab amore naturali, & gratuito, orto ex cognitione supernaturali fidei, licèt non ex habitu charitatis.

OBIICIES sextò. Nullus actus, Charitati incompossibilis, est bonus: Actus timoris seruilis est huiusmodi: Ergo. Maior est euidens, quia Charitas bono non repugnat. Minor probatur ex D. Augustino *tract.*9. *in primam Ioan.* & Apostolo *Rom.* 8. vbi spiritus seruituris dicitur repugnans spiritui adoptionis. 41

RESPONDET S.Doctor, actum, qui ex intrinseco est incompossibilis charitati, esse malum; sed actus timoris seruilis non est intrinsecè repugnans charitati, quia potest iustus ex motiuo gehennæ timere Deum: repugnat verò per accidens ratione subiecti; Vnde non sequitur esse malum.

OBIICIES septimò. Sicuti se habet amare Deum, sic & timere; sed amare Deum propter bona temporalia est malum: Ergo & timere propter pœnas. 42

RESPONDET S. Doctor negando simile; nam amans propter temporalia solùm ponit in eis finem & ideò prauus est, dum fruitur vtendis; non sic qui timet Deum propter pœnas, modo dicto ad 4.

Deinde alia ratione negatur paritas; nam qui amat Deum propter temporalia, duo amat: sed qui timet Deum propter pœnas, vnum timet; qui enim timet habentem gladium, timet simul gladium, & ictum, vt vnum & idem.

OBIICIES octauò. Timor seruilis dicitur à seruitute peccati: Ergo nullus seruiliter timet absque circumstantia peccati.

RESPONDET S. Doctor, circumstantiam poni in subiecto, non in actu, qui non deformatur ratione subiecti, cùm essentiam sumat ab obiecto, à quo est bonus.

QVÆSTIO V.

An TIMOR *seruilis expellatur, gratiâ adueniente.*

D.Bonauent. dist 25. p.2. quæst.3.
D.Thom. 2.2. quæst 66. art.6.

PRIMA opinio est, eum expelli quò ad deformitatem adnexam subiecti hominis, qui iustificatur, non ratione ipsius doni. 43

SECVNDA opinio est, pelli formaliter, quia habet adnexam imperfectionem essentialem, quæ repugnat Charitati, nempe operari ex motiuo magis pœnæ, quàm alicuius boni, & hic videtur sensus D. Augustini allati *q.præcedent*, vbi dicit, timorem seruilem respectu charitatis se habere veluti setam caligarij respectu fili, quæ filum inducit, sed ab eo pellitur.

TERTIA

Tertia opinio media, tria distinguit in timore seruili. Primum est materiale, timere scilicet pœnam æternam. Secundum formale, quod est moueri principaliter à pœna. Tertium est adnexum, nempè habere voluntatem deformem.

Assero primò, Timorem tolli quò ad formale, adueniente gratia.

44 Probatvr à D. Bonauent. primò ex D. Augustino *loco cit.* ad ea verba Ioan. prima, cap. 5. *Perfecta charitas foras pellit timorem.*

Secvndo Spiritus adoptionis, & seruitutis, repugnant ex *cap.* 8. *Rom.* Sed gratia est Spiritus adoptionis; Timor seruilis venit è Spiritu seruitutis: Ergo.

Tertio, quia habens charitatem, mouetur amore, non timore pœnæ principaliter: Ergo tollitur quò ad hoc Timor, adueniente Charitate.

45 Qvarto. Sicut se habet amor, qui est ante gratiam sanctificantem, ad charitatem infusam; ita & Timor seruilis ad initialem. Sed amor charitatis alius est ab amore, præcedente iustificationem: Ergo & timor: Et cùm seruilis nequeat fieri initialis, seu in eum mutari: Ergo pellitur.

Respondet tamen S. Doctor negando paritatem, quia Charitas non potest fieri informis, & transmutari, vt patet, cùm aliquis cadit à charitate, & tamen post lapsum remanet timor gehennæ. Et si obiicias, quòd amor est radix timoris? Ergo debet currere pari passu. Respondetur, non valere, quia similiter est radix Spei, & tamen Spes potest esse informis, & formata; & ita non concludit, quod timor omnino expellatur, quia habet aliquid, quod potest esse simul cum Charitate, & sine ea; Charitas verò tota tollitur.

46 Assero secundò, non tolli timorem quò ad materiale operandi ex metu gehennæ. Hoc probant argumenta afferenda; quæ tamen soluit, quia materiale non facit, vt res dicatur permanere.

Probatvr primò; quia sicut se habet fides ad gratiam, ità & donum timoris, sed fides non tollitur, sed formatur: Ergo.

Respondet tamen S. Doctor, non esse simile, quia fides manet quò ad essentiam, nempe assentiendi veris ex reuelatione: At timor seruilis, adueniente gratia, non fugit malum, principaliter ò motiuo pœnarum.

47 Probatvr secundò. Plùs distat natura à gratia gratum faciente, quàm gratia gratum faciens à gratia gratis data; sed adueniente gratiâ sanctificante, non tollitur natura: Ergo nec donum gratiæ: Ergo nec sanctus timor.

Respondet tamen S. Doctor, non esse simile, quia natura datur permanens, vt à gratia perficiatur; At verò sunt aliquæ gratiæ, quæ dantur ad tempus, ideo tolluntur superueniente gratiâ, tanquam statui imperfecto conuenientes.

48 Probatvr tertiò: Quod aliud continet, aliquid addendo, non destruit illud contentum, sed perficit: Timor initialis continet seruilem; nam ambo operantur ob motiuum pœnæ: Ergo.

Respondet S. Doctor, id, quod addit differentiam oppositam, non perficere, sed auferre: sic timor filialis addit differentiam oppositam timori seruili, quæ est operari non principaliter motiuo pœnæ; Ideò ipsum tollit.

Probatvr quartò. Gratia secundùm se non repugnat, nisi peccato. Sed Timor seruilis non est peccatum: Ergo non pellitur à gratia.

49 Respondet S. Doctor, timorem seruilem respicere pœnam, quæ est ex peccato. Ideò gratia, quæ est dos filiorum Dei, non sinit operari magis principaliter ex pœna, esto sinat respicere etiam pœnas, quia filij operantur diuerso modo, ac serui non adhuc reconciliati, sed solùm tendentes ad reconciliationem.

QVÆSTIO VI.

An Timor *Initialis, & Filialis differant specie.*

{ D. Bonau. dist. 34. art. 1. quæst. 1.
{ D. Thom. 2. 2. quæst. 19. art. 2.

Oportet vtriusque obiectum discernere, vt distinctionem habituum percipiamus. 50

Circa obiectum Timoris initialis aiunt, medium esse inter obiectum Timoris seruilis, quod est pœna; & obiectum timoris filialis, quod est ratio offensæ Dei. Itaque obiectum Timoris Initialis est tam offensa, quam pœna; sed principalior offensa. Obiectum verò Timoris filialis habet pro obiecto malum culpæ, vt est offensa Dei, non simpliciter, sed attendens summam Patris reuerentiam.

Probatvr à S. Doctore *de septem donis. De Dono Timoris*, & hîc *dist.* 36. *art.* 1. *quæst.* 1. quia oritur ex charitate filiali, qua diligimus Deum, nullo habito respectu ad nostrum commodum, vel incommodum & hoc modo timet separationem à Deo, vt ostendit S. Doctor *dub.* 3. *litt.* ità, vt non sit timor separationis à Deo, quatenus est bonum nostrum, vt putat Durandus 3. *dist* 34. dicens, pœnam sensus respici, & fugi à timore seruili; pœnam verò damni à Timore filiali; sanè timor hic separationis esset ab amore concupiscentiæ, non autem à Charitate perfecta, seu amore amicitiæ, vt notat Caspensis *disput.* 2. *sect.* 1. *num.* 5. 51

Hinc igitur assero, hos amores diuidi in diuersos, saltem modaliter.

Probatvr à S. Bonauent. primò, quia sic Timores diuiduntur à D. Augustino, à Magistro, & aliis Patribus in Initialem, Filialem, &c. 52

Deinde, quia diuersa sunt obiecta principalia, vt ostendi, nam Initialis respicit principaliùs pœnam, quàm offensam: At filialis principaliùs offensam Dei refugit.

Obiicies. Si vnum oppositorum non multiplicatur; neque multiplicatur alterum; sed Spes, opposita Timori, non multiplicatur: Ergo neque Timor.

Respondet S. Doctor, maiorem esse veram de diuisione vniuocorum, vt testatur Aristoteles *in post prædic. cap. de oppositis*: & 3. *Metaph. tract.* 4. At spes, & timor non opponuntur vniuocè. Diuiditur autem magis Timor, quàm Spes, quia hæc semper in vnum bonum tendit summum; Timor verò è multis malis, principalius fugit, secundùm diuersos status, vt dixi.

Obiicies secundò. Magis, & minus non variant speciem: sed Timor initialis, & filialis differunt, vt minus perfectum à magis perfecto: Ergo. 53

Respondet S. Doctor, non esse ibi propriam differentiam; alioqui deberemus etiam alterum timorem medium ponere, idest proficientem. Deinde respondet, non differre solùm, vt minus perfectum à magis perfecto; sed per motiuum principale, licèt vnum quodammodo supponat alterum, & quod erat formale respectu initialis, fiat materiale filiali.

Obiicies tertiò. Si libet sic distinguere Timorem, potest distinguere & Amorem, à quo Timor manet,

in

in Initialem, & Perfectum: Sed Amor per has differentias non distinguitur specie: Ergo neque Timor.

54 Responoet S. Doctor negando paritatem, quia amor non habet diuersa motiua, sed solùm ratione status perficitur.

Obiicies quartò. Qualis causa vniuoca, talis effectus; sed vterque iste Timor oritur ex amore gratuito ex D.Augustino *Tract.43. in Ioan.* Ergo.

Responoet S. Doctor amorem non esse causam vniuocam Timoris, vnde ex vno amore generantur, non modò diuersæ differentiæ Timorum; sed etiam tria genera affectionum, vt docet D. Augustinus *Tract.9. in epist. Ioan.*

Obiicies quintò. Si plures sint Timores gratuiti: ergo dona Spiritus sancti sunt octo.

55 Responoat S. Doctor, vnum timorem, qui est initialis, includi in alio quò ad id, quod dicit nobilitatis; & ideò includi in vno Spiritu Timoris Domini.

Obiicies sextò. Si Timores isti differunt, quia Initialis refugit etiam pœnam,& Filialis offensam Dei, Tunc sic: In offensa est Deum offendere, quod est culpa; & à Deo separari per inimicitiam, quæ sunt diuersa: Ergo duo Timores.

Responoat S. Doctor. Timorem initialem ad duo respicere; sed ad vnum principaliter; ad alterum consequenter: Similiter & Filialem; ideo est vnum motiuum principale, diuersum in ambobus, vnde variari debent Timores. Ratio verò offensæ, provt dicit separationem, quæ est pœna, minùs respicitur à Filiali; & principaliter ab Initiali.

QVÆSTIO VII.

An crescente Charitate Timor *decrescat.*

D.Bonauent. dist.34. part.2. art.2. quæst.2.
D.Thom. quæst.29.art.10.

56 Mvltas hac de re sententias refert S.Doctor.

Prima est, crescente charitate quò ad habitum, crescere etiam Timorem quò ad habitum, quia habitus gratuiti sunt æquales; At quo ad vsum, crescente charitate, decrescere Timorem; quantoque magis viget vsus charitatis, tantò minus vigere vsum Timoris, & illud experimento apparet: Homo enim initio suæ conuersionis multa ex timore facit, sed cùm gustauerit Spiritum deuotionis, & dulcedinis, quæ est in amore, approximans ad statum perfectionis, iam ad benè operandum magis trahitur liberalitate amoris, quàm stimuletur pœnalitate timoris.

In hoc modo tamen inuenit S. Doctor implicantiam; si enim magnitudo habitus dignoscitur ex magnitudine actuum; decrescentibus actibus, debet argui decrescere etiam habitum; vel si habitus crescit; crescent, & intendentur etiam actus.

57 Secvnda sententia est, Timorem quidem, nedum pœnalem, imò Initialem decrescere crescente charitate, quia iste Timor communicat cum seruili, operans metu etiam pœnarum: Timorem verò filialem non minui crescente Charitate; quia quantò magis aliquis Deum amat, tantò Diuinam refugit offensam. Hæc est opinio D.Thomæ.

Sed contra arguit S. Doctor; quia timor filialis, quo quis timet Deum offendere, pœnam habet, & multum affligitur anima illa formidine. Beatus autem Ioannes *prima, cap. 4.* dicit: *Perfecta charitas foras mittit Timorem*, propter adnexam pœnalitatem.

Tertia igitur opinio est, duplicem esse vsum timoris gratuiti. Alter est quo cor hominis sollicitatur è consideratione suæ fragilitatis: Alter, quo humiliatur è consideratione suæ paruitatis, & diuinæ maiestatis; & primus vsus minuitur, cùm charitas perficitur, quia confidentia consurgit ex perfectione charitatis, vt iam homo dicat illud Apostoli: *Quis nos separabit à Charitate Christi?* Alter verò vsus crescit, charitate crescente, sicut timoris habitus: Vnde quantò quis habet plus de Spiritu amoris, tantò plus habet de Spiritu timoris. 58

Assero primò, crescente charitate, minui Timorem quò ad anxietatem.

Probatvr à S. Doctore, ex illa *prima Ioan.4.* & D.Augustino *Tract.9.* ibi.

Probatvr secundò à S.Doctore; quia quantò crescit charitas in aliquo, tantò magis is sperat: Ergo minus timet separari à Deo, quia strictiùs Deo alligatur. 59

Tandem crescente amore, crescit delectatio: Ergo minuitur Pœna.

Assero secundò, crescente charitate, crescere reuerentialem timorem.

Probatvr à S.Doctore primò. Augmentata causa, augetur effectus; sed fides, & amor causant timorem gratuitum: Ergo fide, & charitate crescente, crescit Timor gratuitus. Hac ratione vtitur etiam D.Thomas sed moderatur eam S.Bonauent. vt suprà. 60

Secvndo. Quantò aliquis amat, tantò arctiùs tenet bonum, & illud æstimat; & si excedit, reueretur.

Tandem. Quantò alicuius intensior est charitas, tantò maior sollicitudo ad seruiendum Deo, ne Dei voluntatem offendat, iuxta id Micheæ 6. *Indicabo tibi ò homo quid sit bonum, & quid Deus requirat à te.* Et postea: *& sollicitum ambulare cum Deo tuo*, quantò autem est maior sollicitudo, tantò maior est timor amittendi bonum.

Responoet S.Doctor, non omnem sollicitudinem esse ex timore: sollicitudo enim, qua quis animo erigitur, vt Deo inseruiat, oritur ex Charitate. 61

Dices: Sollicitus est is etiam ne offendat.

Responoat S. Doctor, illam esse sollicitudinem diligentiæ, quæ in viris perfectis non adeò hærentem habet timorem, nisi ad aliquod tempus, dum ex consideratione diuinorum iudiciorum animo concutiuntur.

Ex his elicit alium modum respondendi quæstioni, quod vsus alicuius habitus dupliciter dicitur crescere, vel decrescere: Primò intensione: Secundò numero actuum. Igitur crescente charitate, decrescit timor filialis actuum numero; quia vir perfectus non eget sollicitari tam sæpe, sicut imperfectus, qui tum ratione culpæ præteritæ, ne fortè adhuc remissa sit; tum ratione futuræ ne ex fragilitate recidat, anxiatur. 62

QVÆSTIO VIII.

An Timor *gratuitus maneat in patria.*

D.Bonau. dist.34.quæst.vltima.
D.Thom. prima secundæ, q 68. art.6. & 2.2. quæst.19. art.11.

Difficile est quidem, in Beatis Timorem, quantumuis sanctum, admittere; & tamen omnes Scholastici illud admittunt, ne dono insigni Spiritus sancti eos expolient; adeò vt illum beatis negare erroneum dicat Valentia *disp.2. quæst.2. puncto 5.* nam in Missa etiam dicitur: *Tremunt potestates.* Varij autem

modi

modi dicendi extant, vt saluent motiuum timoris filialis, qui est Diuinæ offeosæ fuga; etenim beati suoi impeccabiles.

Primvs modus dicendi est Suarez *disp. 8. sect.4. num.20.* Timoris donum manere in Beatis eo modo, quo Temperantia infusa, & aliæ virtutes, quæ manent iu eis, non modò quoad habims, sed quo ad actus simplices voluntatis, quibus complacent io suis obiectis, & honestatibus eorum, & detestantur oppositas turpitudines; Quia odium mali formaliter, & expresè est amor boni contrarij, v. g. odium tenebrarum est amor Lucis, vt ait Hurtado *dispnt.113. sect.9.* subscribit Caspensis *disp.2. sect.1. num.80.* Cum igitur nmor sit odium peccati, aut pœnarum, est formaliter amor carentiæ pœnarum, aut peccati, quam carentiam amant Beati, sed tanquam rem noo cootingentem, cùm sint impeccabiles.

54 Secvndvs modus est Medinæ apud Caspensem *dispnt. cit.* Timorem Domini iu patria amittere nomeo Timoris filialis, quia iam non inuenitur peccatum, quod timeatur, neque, vt est separatio à Deo, neque vt offeusa eius, & inducere nomen timoris reuerentialis, quia nouo modo tendit in Deum.

Tertivs modus est Caietani, & Bannes, *art. cit. D. Thom.* Timorem reuerentialem patriæ respicere omnipotentiam Dei, vt potest sanè inferre malum, seu pœnæ, inferendo; siue culpæ, permittendo; non tamen vt actu inferet. Sic enim reuerentiali quodam timore demittuntur. Huic arridet Valentia citandus infra.

55 Qvartvs modus est, timorem illum beatorum non esse fugam, cùm non amplius sint in pugna, sed reuerentialis prosecutionis, ortum ex consideratione suæ paruitatis, & Dei magnitudinis, & iustitiæ, quæ potuisset punire, & tamen miserta est, & præmiat vltra condignum, & ita prosternuntur reuerentes. Neque est admiratio, vt infert Caspensis *num.10.* sed humiliatio profunda, esto cum admiratione. Ita sentiunt cum D.Bonauent. hîc, D.Thomas *in corpore,* Valentia *disp.2. quæst. 2. puncto 5.*

56 Assero igitur primò, Timorem filialem esse in Beatis.

Probatvr à D. Bonauentura, primò, ex illo Psalm. 18. *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi.*

Secvndo ex illo Isaiæ 11. vbi ait: *Requiescet super eum Spiritus Domini; Spiritus Timoris.* Christus autem fuit semper comprehensor.

Tertio. *Plenitudo sapientiæ Timor Domini*, Eccl.1. ergo cum in beatis sit plenitudo perfectionis sapieotiæ, erit & Timor.

Qvarto. Sicut summæ bonitati debetur summus amor, ità summæ maiestati, summus reuerentialis Timor.

57 Tandem *in corpore*, lonuit testimonia Scripturæ, & Ecclesiæ, asserentia, Timorem istum in Angelis esse. Sic *in Apoc.14.& 15. Hierem.10. Iob* 26. & io Præfatione Missæ: *Tremunt Potestates.* Addunt igitur Sancti nostri DD. ex D. Augustino 14. *de ciuit. cap.9.* ex Gregorio *Lib.7. moral. cap.15.* ad ea verba Iob 26. *Columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutum eius*; diuersum esse timorem filialem viæ, & patriæ; & etiam timorem illum in Christo fuisse diuersum à nostro, ostendam 3. *part, Tract.1.*

58 Obiicies primò. Perfectior est Spes, quàm Timor: sed illa non manet in patria: Ergo.

Respondet S. Doctor, quoad actum resiliendi à malo, perfectiorem esse Spem, sed quo ad reuerendam summam Maiestatem resiliendo in propriam paruitatem, excellentiorem esse actum Timoris.

Cætera resoluuntur per distinctionem timoris fugacis, & reuerentis.

Egregie autem hac de re discutit S. Doctor *de septem Donis. De Dono Timoris, cap.2.* vbi etiam edisserit, qui timor iu via excludatur à perfectione charitatis, supponit autem illud Ioan prima, cap.4. *Perfecta charitas foras mittit timorem.*

59 Perfectos autem alios perfectione necessitatis distinguit, qui sunt in gratia; de quibus Deuter. 18. *Perfectus eris, & absque macula coram Domino.* Alios perfectione excellentiæ. Vtrosque distinguit S. Prosper *Lib. 3. de vita contemplatiua, cap. 13.* Perfectos autem excellentiâ vocat eos, qui maximo eniau ad virtutes properant, de quibus etiam Bernardus in epistolis ait: *Et hæc Charitas horum pellit omnem timorem, qui pœnam habet.* Quid enim timebit Charitas ait Gilbertus, *serm. 19. in Cant.* veteres offensas? Nam *Charitas operit multitudinem peccatorum*, ex 1. Petri 4. *Quid? Infirmitatem conscientiæ?* Fortis est, vt mors dilectio, Cant. 8. *Quid? temporales molestias? Cùm nec etiamsi æterna sint, dissatigari, aut euanescere poterit dilectio consummata? Non ideò amat Charitas ne pereat, sed magis vult perire æternum, quàm priuari vsu amoris interni æternaliter. Si enim dederit homo omnem substantiam pro charitate, quasi nihil despiciet eam; idest substantiam.*

60 Conclvdit, perfectam Charitatem consummatam non expellere timorem filialem perfectissimum, qui iam ferè est amor, cum ferè desierit esse timor, qui non habet quid timeat, nec offendere metuit. Hunc timorem ait esse reuerentiam, & voluntariam subiectionem; est enim necessitas obsequendi, siue conditionis, sed necessitatem ignorat libertas dilectionis.

61 Qvidam dicunt, vt Bernardus *Lib. de diligendo Deo, circa Finem*, quod Timor filialis augetur, augmentata Charitate; & Charitate perfectà, perficietur, & ideò habebit in patria eundem omninò actum, quem habet modò, & illi adducunt authoritatem Augustini *Lib. 14. de ciuitate, cap.9.* vbi ait: *Timor ille castus permanens in sæculum sæculi, si erit in futuro sæculo, non erit timor exterrens à malo, quod accidere potest, sed tenens se in bono, quod adimi non potest, & ità alium actum habebit, quam modo.* Hæc S.Bonauent. Ratio huius est, quia vbi boni adepti amor immutabilis est, profectò si dici potest, mali cauendi timor securus est.

Præclare verò *cap. 3.* ostendit, quo pacto Timor Domini, quasi Lux primæ diei faciat nobis Manè, & Auroram vitæ spiritualis, Meridiem, & Vesperam, permanens in sæculum sæculi. Ipsum vide.

62 Deinde *cap.4.* Timorem Domini conuiuium nobis parare ostendit cælicum, vnde exclamat psalmista, Psalm. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Ipsum Lege obsecro, & Paradisi epulas degustabis ad eius mensam.

Nititur autem illo *Eccles.1.* & Psalm. 111. *Initium sapientiæ*, idest, sapidæ cognitionis. *Timor Domini; Timor Domini delectabit cor.* Ipsum vide.

QVÆSTIO IX.

An Paupertas Spiritus respondeat DONO TIMORIS.

63 BEATITVDINES non sunt habitus distincti à Virtutibus, & Donis, sed actus ab eis eliciti. Per paupertatem verò Spiritus intelligit S. Augustinus humilitatem; quia humilis non est Spiritu inflatus. Ambrosius verò intelligit abdicationem rerum temporalium, & vtroque sensu paupertas Spiritus est elicita à Timore filiali, vt notat Caspensis *disp. 2. sect. 4. num. 26.* & D. Bonauent. *5. part. Breuil. cap. 6. & 3. part. Centil. sect. 45. & 46.* & *opusc. de septem donis, cap. 3.*

PROBATVR à S. Doctore; quia ad perfectionem primò recedendum est à malo, vt dicitur Psalm. 33. *Declina à malo, & fac bonum.* A malo autem primò deterretur pœnarum minis; deinde timore initiali, &c. vt etiam docet Concilium Trident. *sess. 14. cap. 4.* & quia *radix malorum est cupiditas*, prima Timot. 6. Ideò Timor disponit ad paupertatem, in qua simul iungitur humilitas cum paupertate, vt sic elongetur homo à fonte omnis culpæ, idest, cupiditate, de qua dixi, & superbiâ; nam *Initium omnis peccati superbia.* Vide ibi S. Doctorem egregiè dicentem.

64 PROBATVR secundò à S. Doctore, *Lib. 5. compendij Theol. cap. 48.* ex D. Gregorio lib. 16. morâl. cap. 20. *Pauperes spiritu, sunt humiles, & Deum timentes.*

QVÆSTIO X.

De Effectibus, & præcepto TIMORIS DEI.

65 MVLTOS sanctos effectus ibi, *cap. 39.* Timoris Domini recenset S. Bonauent. expellere peccatum *Eccles. 1.* Sapientiam gignere. *Eccles. 7.* Mentem stabilire. *Eccles. 17.* Ditare opibus Spiritualibus *Psalm. 32.* Bona opera cumulare *Eccles. 15.* Cor delectare. *Eccles. 1.* Vitam prolongare, *Prou. 10.* Deuotionem irrigare, *Prouerb. 14.* Æternaliter remunerare, *Eccles. 1.* Pergit docere *ibi*, Timorem seruilem esse à Spiritu Sancto, etiamsi non cum eo, sed pellitur, vt Seta à filo caligarij, vt ait D. Augustinus *Tract. 9. in primam Ioan.* Initialem verò incipere intrinsecè perfectionem, probat *cap. 41.* & perficere, ostendit *cap. 42.* Vide S. Doctorem.

66 MVLTA, eaque præclara de hac beatitudine tradit S. Doctor *ad cap. 6. Lucæ* in ea verba: *Beati pauperes Spiritu*, vbi ostendit Timore Domini nobis aperiri cœlum: *Beatus enim qui semper est pauidus. Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis*, ô verè aurea verba. *Psalm. 111.* cuius vide præclaram Seraphici expositionem.

Ex effectibus Timoris Domini intelligitur, extare præceptum. Sic Deuter. 10. *Quid Dominus Deus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum.* Loquitur de Timore filiali; & de seruili, Lucæ 12. *Timete eum, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem, & corpus, & animam perdere in gehennam.*

67 ADDIT Caspensis in fine *num. 34.* hæc præcepta timoris Dei non esse specialia, sicque non distingui à præceptis aliarum virtutum, quatenus exigunt timorem filialem, & seruilem, vt per hos retrahatur homo à peccatis, tam contra charitatem, quàm contra alias virtutes; & proinde ex defectu timoris nunquam committit speciale peccatum, quod sit necessariò in confessione explicandum, vt obseruat etiam 68
Valentia *disp. 2. quæst. 4. punct. 2.* Sanchez *Lib. 2. cap. 33. num. 4.* Et probatur, quia de hoc neque confessarij eruditi interrogant, vt ait Fagundez *num. 29.*

DISPVTATIO VI.

De Desperatione.



LICET à Præsumptione, pariter & Desperatione Spes imperiatur in ruinam, dicente D. Chrysostomo apud Seraphicum lib. 3. Pharetræ cap. 14. *Confidentia nimia stantem euertit, & desperatio post lapsum non permittit resurgere*, posterior tamen plùs spei aduersatur, quàm prior, cum tota ab ea deficiat, & in Anxietatis barathrum etiam in hac vita deiiciat: Ideo cuius sit potentiæ, & quod peccatum, priùs breuiter videndum.

QVÆSTIO VNICA.

Cuius potentiæ actus sit DESPERATIO, *& quod peccatum.*

{ D. Bonauent. in 2. dist. 43. dub 4 litteræ.

ALMAYNVS *in 3. dist. 26.* & *in moral. tract. 2. cap. 3.* censet, Desperationem esse actum intellectus, & consistere in iudicio, quo quis iudicat, impossibile esse, se consequi beatitudinem, aut veniam; ac proinde non requiri actum voluntatis.. 1

HÆC tamen sententia communiter reiicitur à Theologis cum D. Bonauent. *3. dist. 16. art. 2. quæst. 5* D. Thom. *prima secunda, quæst. 23. art. 2.* & *quæst. 40 art. 4.* 2

PROBATVR à S. Doctore: Opposita sunt circa idem subiectum; sed spes est in voluntate: Ergo & Desperatio. Sic arguunt etiam alij, præcipuè Caspensis *disp. 3. sect. 1. num. 2.*

QVO fit, falsum esse id, quod ait Turrianus *disp. 64. dub. 2.* ad Desperationis peccatum sufficere liberum, & imprudens iudicium, quo quis iudicet, se non consecuturum beatitudinem.

RESPONDET enim Caspensis, hoc iudicium esse contra spem, sed non adhuc esse desperationem: ego video Caspensem secum pugnare. Opposita enim sunt circa idem, vt ait Caspensis; sed iudicium illud est in intellectu: Ergo non est contrarium Spei.

DICAM igitur, opponi tantùm in dispositione, non formaliter; nam posito adhuc eo iudicio, non est factum peccatum, quia potest falli inuincibiliter; & si vincibiliter fallitur, peccat contra præceptum, non quidem Spei, sed sciendi necessaria.

Hinc resoluitur illa quæstio: *An Desperatio sit semper cum Infidelitate.*

RESPONDETVR

3 Rasponuatvr enim negatiuè cum D.Bonauent. *dub.citato in mergine*, D.Thomâ *quæst.*20.*art.*2. quos cæteri sequuntur, vt videre est in Caspensi *loco citato num.*4. Valentia *disp.*2. *quæst.*3. *puncto primo.*

Probatvr à Sanctis Doctoribus. In boc differt Fides à Spe, quod Fides respicit ipsum obiectum in vniuersali, sed Spes respicit in particulari, videlicet respectu sperantis, & in hoc etiam, quod Fides dicit certitudinem in intellectu; Spes dicit certitudinem in affectu. Sicut igitur contingit aliquando, ignorari aliquid in particulari, & sciri in vniuersali, sicut ait Philosophus, *primo Poster. cap.* 1. sicut est de illo, qui scit, omnem Mulam esse sterilem; & tamen existimat, hanc habere in vtem; sic potest aliquis habens certitudinem circa fidem, carere Spe, & sicut potest aliquis non habens certitudine de aliquo in affectu, habere illam in intellectu; sic potest aliquis, non habens Spem, habere fidem.

4 Contra hanc rationem arguit Valentia, quia, qui habet iudicium negatiuum de aliqua propositione particulari, non concedit, esse vniuersaliter verum. Quare, qui desperans iudicat, se non posse sperare veniam, hoc ipso negat, possibilem esse omnibus peccatoribus veniam.

Sed Caspensis *num.* 5. obseruat cum S. Bonauent. posse haberi iudicium speculatiuum de Deo, parato ad miserendum omnibus; quod si etiam speculatiuè quis dicat, non esse talem misericordiam Dei, vt excedat nostra peccata, is est hæreticus; si verò passione oppressum iudicium succumbat ex pusillitate, talis desperatio est sine infidelitate.

5 Itaqve is non eximit se à propositione vniuersali misericordiæ Dei, vt putat Valentia, sed aliquid noui excogitat in se aberrans, propter quod vniuersalis propositio non sit vera, putà, quòd non sit Deus daturus auxilium congruum, vel gratiam efficacem, eò quòd talis sit ex illis probabiliter, qui derelinquuntur à Deo, vt aliqui Theologi asserunt; dicentes, negari quibusdam auxilia sufficientia; hæc enim opinio non est anathemate icta: Neque sequitur id, quod ait Valentia; si vera esset illa opinio, posse aliquem desperare sine peccato; nam adhuc ille, cùm nesciat, se esse de numero eorum, tenetur sperare: Concludit S.Doctor, illam existimationem oriri potiùs ex subuersione confidentiæ, quàm ex subuersione notitiæ. Sic enim homo, licèt sciat aliquid, tamen affectione dominante rapitur ad oppositum; vel dici inaduertentiam potiùs, vt ait D. Augustinus *de pœnit. cap.* 5. apud D. Bonauent. *in Pharetra, Lib.* 3.*cap.*14. quia clausis oculis præcipitatur, vt ait D.Gregorius 26. *moral. cap.*8. vt notat D. Bonauent. *loco citato Pharetra.*

Ratio secunda D.Bonauent. est, quâ vtitur etiam D.Thom. & Caspensis *num.*4. Remoto posteriori, non remouetur prior. Sed Spes est posterior fide: Ergo remota Spe, potest adhuc manere fides, & consequenter non quicumque desperat, est infidelis. Minor probatur à S.Doctore; nam Fides est in intellectu, Spes in affectu, qui est posterior.

6 Hinc etiam infertur, in quo consistat ratio peccati desperationis, quod sanè est grauissimum, quippe oppositum virtuti Theologicæ, vt arguit S. Doctor *in* 3. *dist.* 26. *art.* 2. *quæst.*2. *ad* 1. Vnde Hierem. 18. *Qui dixerunt: desperauimus: post cogitationes enim nostras ibimus, &c. Ideò dicit Dominus: Interrogate gentes: Quis audiuit talia horribilia? Numquid deficiet de petra agri nix Libani? aut euelli possunt aquæ erumpentes frigidæ, & defluentes?* Aurea sanè verba, & intimos artus penetrantia. Hinc S.Doctor ibi hoc peccatum vocat abyssum culpæ; quia desperans se agit per præceps in profundum. Ideò Ephes. 4. *Desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, &c.*

Consistit igitur hoc peccatum in quadam voluntatis fuga, & præcipitio, quo desistit à beatitudine, vel quouis alio obiecto Spei, vt à se consequendo; in hoc enim consistit contrarietas cum Spe; nam sicùt spes est erectio animi ad prosequendum bonum arduum, ità demissio animi, desistens à prosecutione talis boni, est actus oppositus. 7

Hinc tamen dubitatur, an obiectum formale Desperationis sit malum, vt malum; cùm enim sit fuga voluntatis, videtur eius obiectum esse malum.

Respondetvr, Desperationem esse fugam à beatitudine, non vt mala, sed vt impossibili; Ideò definitur: *Desperatio est voluntas graue dine opprimens, de adiutorio, & remuneratione diffidens*, vt notat S. Bonauent. *opusc. declaratio terminorum Theologiæ, & in speculo animæ, cap.*3. circa finem ait, esse pessimum, quia peccatorum immunitatem considerans, & de Dei misericordia diffidens, laxat frænum peccatis: Et hoc quidem grauissimum est peccatum, 8 quod dicitur in Spiritum sanctum, de quo Dominus Matth. 12. *Non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Non quod non possit dimitti, sed quia vix dimitti potest; vel quia non est ibi ratio vlla excusationis, qua locum præstet Diuinæ misericordiæ. Hoc autem peccatum communiter ex Acedia oriri dicitur, quia, vt dictum est, acediosus complacentiam aliquam in bono non inuenit, & ideo à bono opere se subtrahit; Spes autem ex merito operis prouenit: Hæc S.Doctor.

Igitur Desperatio stat in fuga beatitudinis, & nolitione mediorum. Ita etiam Ægidius *dist.* 20. *dub.*10. D.Thom. *prima secunda, quæst.* 25. *art.* 3. Caspensis *num.*7. *loco citato.* Valentia *disp.*2.*quæst.*3.*puncto* 1. allegans D.Gregorium *Lib.*3.*moral.cap.*31. & D.Thom. *hic art.*4. 9

Docet verò S. Gregorius 22. *moral. cap.* 5. oriri etiam ex superbia, vt notat D.Bonauent. *loco citato Pharetra.*

Pebaille S. Chrysostomus *homil.*10. de pœnit. *Vtrumque periculosum est, & confidentia peruersa, & desperatio. Nam confidentia nimia stantem peruertit; & desperatio, post lapsum, non permittit exurgere*, vt etiam suprà, ad Disputationem notaui. 10

D.Isidorvs in Synonymis cap. 1. *Non desperes de salute, si ad meliora conuerteris: qui enim veniam de peccato desperat, plus se desperatione, quàm commisso scelere damnat. Desperatio namque auget peccatum, & peior est omni peccato.* 11

Vvlt autem dicere, peiorem, idest, perniciosiorem; nam procul dubio peius est odium Dei, quod est contra Charitatem, Reginam virtutum, vt docet etiam D.Thom. *art.*3. & Valentia *loco citato*, qui dicunt peiorem esse Infidelitatem, quia est contra Deum in se, vt est veritas; at Desperatio est contra Deum, vt participatur à nobis, nempe per bonitatis diffusionem. Est autem peius malum pugnare 12 contra Deum, vt est verax, per infidelitatem; vel vt est bonus in se, per odium, quàm desperare, se participaturum de bonitate, vt arguit S.Thom. *art.*3. & cum eo Fuliensis *lib.* 3. *de fide, & Spe, c.*6. post D.Bonau. *loco cit.* vbi admonet, desperantem sæpe credere, Deum in dictis veracem; & in promissis fidelem vniuersaliter; sed malè particulari sibi applicare illam diuinarum promissionum fidelitatem, nam sicut error, & dubitatio contra fidem facit, vt Intelle-


ctus dubitet, vel discredat, ità desperatio infirmat affectum, & facit, vt diffidat, stante fide tantùm in intellectu, nullaque inde proueniente applicatione in voluntatem.



DISPVTATIO VII.

De Præsumptione.

PRÆSVMPTIO variis modis sumitur: & quidem apud Iuristas, interpretando vel consensum absentis, vel iudicando iuxta præsumptas causas, non illicitum quid sonat: in Disciplina verò morum, alia est interior, qua sensum proprium perperam quis præfert alieno; alia exterior, cuius indicia sunt (inquit Seraphicus Doctor *part.1. in speculo disciplinæ, cap.5.*) sublimiores oculi, elatum caput, & facies vultuosa. Hic autem quomodo sumatur, infrà indicabo.



QVÆSTIO VNICA.

Quid sit PRÆSVMPTIO, *& quale peccatum.*

{ D.Thom. quæst.21.

1 HIc sumitur Præsumptio pro actu opposito Spei per excessum.

EST autem Spes obtinendi à Deo gratiam, & gloriam, & reliqua dona supernaturalia inordinatè, idest, aliter, quàm Deus ea obtinenda statuit. Ideò contra Dei gloriam pugnat, vt aduertit S. Doctor, *sermone primo Hexaëmeronis.*

2 HINC habes, esse peccatum ex genere mortale: nam grauiter contra Dei iudicium, & voluntatem pugnat. Ità D.Bonauent. *loco citando*, D.Thom. 2.2. *quæst.21. art.1.* Suarez *disp.2. sect.3.* Sanchez *Tom.1. Decal. Lib.2. cap.34.* Valentia *disp.2. quæst.3. puncto 2.* Bannes *quæst.21. art.2. disp.2.* Fagundez *in primum præceptum Decal. cap.31. num.20.*

3 VIDETVR autem grauior Desperatio, quàm Præsumptio: nam illa est contra Dei misericordiam, quæ est illi maximè naturalis, & in effectibus propria; Præsumptio verò est contra Iustitiam, vt notat D.Bonau. *in 3. dist.26. dub.2.* in fine, & D.Thom. *quæst.1. art.2.* Suarez *disp.2 sect.3.* Fagundez *Lib.1. cap.31. n.26.*


4 OPPONITVR autem Præsumptio non modò Spei, sed etiam Timori, vt docet S.Thom. *art.3.* Valentia *disp.2. quæst.3. puncto 2.* & D.Bonauent. *dist.34.*

OBSERVAT autem S.Doctor *dist.26. art.1. quæst.3. ad 2.* Spem esse mediam inter præsumptionem, & desperationem, non ad modum participantis de extremis, sed excludentis extrema.

5 IGITVR Præsumptio potest multipliciter esse: Primò, volendo beatitudinem propriis viribus cum Pelagio. Secundò, sine pœnitentia, & operibus, cum Luthero, &c. Tertiò, volendo in fine vitæ, post laxam vitam, subleuari à Deo. Ita Suarez *disp.2. sectione 4.* Sanchez *Tom.1. Decal. Lib.2. cap.33.* Medina *Lib.1. summæ, cap.14. §.2. folio 79.* Bannes *loco citato*, Azorius *Tom.1. Lib.9. cap.2. quæsito 7.* Fagundez *numero 2.*

POTEST autem esse & cum hæresi, & sine hæresi. Erit cum hæresi, si adsit iudicium, posse haberi salutem propriis viribus, vel sine meritis. Ita Valentia *quæst.3. puncto 2.* Sanchez *num.8.* Fagundez 2.2. Bassæus V. *Spes.* 6

ADVERTE verò, Præsumptionem posse esse contra humilitatem, vt docet D.Bonau. *p.p. Consil. sect.17.* & est species superbiæ. Potest esse contra fortitudinem, & coincidere cum temeritate, &c. Verum de his præsumptionis speciebus, non est hic agendi locus.



DISPVTATIO VIII.

De Charitate.

DE CHARITATE, Seraphicus Bonauentura præclara quidem, & digna, quòd solaribus radiis exarata, omnium in oculis rutilent, in Opusculis passim, aliisque in libris, Diuinæ suæ indolis monumenta reliquit; præcipuè verò *in Dieta salutis, tit.5. c.2.* variis eam comparationibus illustrat, quibus Symbolicè epilogat, quicquid alibi de ea fusiùs dixerit, totum autem reducit ad Typum eius figuralem, actum virtualem, & fructum finalem.

VERVM hæc cùm magis inflammando affectui, quàm Scholasticæ inseruiant eruditioni, eò lectorem remitto, vbi Charitatem, tanquam aurum probatum, maximè pretiosam; tanquam ferrum ignitum, vbique Ductilem; tanquam vinum conditum, semper dulcem admirabitur. Eam etiam, vt nobilem auem, sursum semper volantem, nec terram, nisi necessitate victùs, tangentem; vt nauim onustam, solo Spiritus sancti flatu in huius mundi Pelago nauigantem; vt denique mortem, Carnis improbum sensum, seu Carnalitatem, suspiciet perimentem; Hic verò pro munere scholæ de Charitate differemus, pro vt eam Seraphicus *variis distinctionibus*, in libros Sententiarum, tradiderit.



QVÆSTIO I.

Quid sit CHARITAS.

{ D.Bonauent. dist.27. dub.1. litteræ. D.Thom. quæst.23.

SVPPONO primò, Charitatem hîc accipi pro amore supernaturali. Potest enim supponi pro amore naturali, qui diuiditur in Amicitiam, & Concupiscentiã. Secundò pro amore supernaturali, qui eodem modo diuiditur. Omitto diuisionis tertium membrum amoris turpis, qui sanè impropriè dicitur Charitas, Iudit.9. *Percuties eum labiis charitatis meæ*, idest labiis simulantibus 1

lantibus amorem blandum. Vide D.Bonauent. *Lib.5. Compend. Theol. cap.24.* Dicitur verò Charitas à charis, quod significat gratiam in Græco, vt notat D. Bonauent. *dist.27. quæst.3.*

a Est autem Charitas, Dilectio, & amor Dei, idem, vt notat D.Bonauent. *de profectu Religiosi, Libro 2. cap.23.* Itaque Charitas est amor.

Imò enim Christus primò quæsiuit à Petro: *Diligis me plus his?* & postea: *Amas me?* Propterea S.Dionysius, & S.Augustinus, infrà citandi apud D. Bonauent. *in primo, dist.10. dub.1.* reprehendunt dicentes, Amorem significare affectum libidinosum: Dilectionem verò ordinatum: Attamen aliquam distinctionem inuenit in his tribus S.Doctor, vt Amor significet affectûs adhæsionem ad amatum; quare S.Dionysius *cap.4. de diuin. nom.* ait: *Amorem vnitiuum dicimus.* Dilectio verò prætereà dicit electionem,
3 dicitur enim delectio è pluribus, vt habetur Can.5. *Dilectus meus, electus è millibus.* Charitas verò addit præappretiationem; charum enim dicitur, quod magni tereà æstimatur. Sic Apostolus 2. *Timot.* 1. vocat fideles charissimos. Idem docet S.Doctor, *in primo, expositione Prologi, dub.* 4. quod spectat ad Ethymologiam Charitatis; quo ad amorem verò, & charitatem simul *dist.10. primi sent. dub.4.* Alias distinctiones afferam infrà.

Svppono secundò cum D. Bonauent. *in primo, dist.17. part.1. quæst.1. & 2.* vt ostendam etiam *quæstione* 4. vt ostendi *prima secunda, tract.5. disp.3. q.2.* Charitatem esse habitum creatum, Teste autem Apost. *Rom.5.* ea diuersa est à Spiritu sancto: *Chari-*
4 *tas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, vbi sermo est de charitate, quà Deum diligimus, vt docet D.Augustinus *Lib. de Spiritu, & littera, cap.32.* & prima Corinth.13. *Manent fides, Spes, Charitas, tria hæc: maior autem horum est Charitas.* Quare Concilium Trident. *sess. 6. cap.7.* definit, in iustificatione infundi fidem, Spem, & Charitatem inhærentem. Hanc multis modis definiunt, vt refert S Doctor *in 3. dist 27. dub.1.*

5 Definitvr à D. Augustino Lib. 1. de moribus Ecclesiæ, cap.11. *Charitas est animi affectio iustissima, coniungens nos cum Deo*, & in soliloq. *Charitas est virtus, quâ Deum videre, eoque perfrui desideramus*, & Lib. de Spiritu, & anima, cap.16. *Charitas est vita copulans amantem cum amato*, & ab Apostolo, prima Timot. 1. *finis præcepti est charitas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.*

Vt autem has definitiones explanet, aliquid contra singulas opponit.

6 Contra primam. Idem est dilectio, & charitas; cùm ergo Magister definit charitatem per dilectionem, definit idem per se ipsum. Deinde amori naturali in statu innocentiæ conueniebat hæc definitio: Ergo non est propria charitatis.

Contra secundam, quia affectio animi est ab animo: Charitas autem est à Deo. Deinde hæc definitio potest conuenire Spei: Ergo non est propria Charitatis.

Contra tertiam. Visio respondet fidei, & fruitio est ad omnem virtutem: Ergo malè definitur charitas per *videre*, & *frui.* Deinde desiderium est in absens, & quid imperfectum; sed Charitas est perfectissima: Ergo malè definitur per Desiderium.

7 Contra quartam est, quia vnire amantem cum amato, competit omni amori, vt docet D.Dionysius, *cap.4. de diuin. nomib. part.4.* Ergo non est proprium charitatis. Deinde vita est perfectio absoluta: copulatio amantis cum amato, est qualitas respectiua: Ergo malè definitur: *Charitas est vita copulans.*

Contra vltimam obiicit. Charitas est radix virtutum, & principium merendi: Ergo non est finis. Deinde puritas cordis est à fide, vt dicitur Actorum 15. *fide purificans corda*: Ergo non est à charitate.

Raspondat S. Doctor. Charitatem secundùm multiplicem comparationem multipliciter definiri.

Comparatvr enim Charitas ad obiectum, & 8
hoc modo definitur à Magistro. Quamuis autem sint idem amor, & dilectio realiter, tamen ratione differunt formali. Dilectio enim latiùs patet, quàm Charitas. Vnde solet dici: Amor est naturæ; dilectio voluntatis deliberatiuæ; & Charitas gratiæ Prætereà Charitas nominat habitum: Dilectio nominat actum; & ità definitur Charitas per dilectionem, tanquam minus commune, per magis commune, & habitus per suum actum, neque conueniebat in statu innocentiæ quo ad motiuum, sed quoad rationem formalem.

Segvndo potest Charitas comparari ad actum 9
proprium, & sic definitur à D.Augustino *de moribus Ecclesiæ*; & *Lib. de spiritu, & anima*, & cum dicitur: *Est animi affectio*, ibi est prædicatio causalis, neque conuenit Spei, cuius proprium est erigere, non vnire: Fidei enim est dirigere; Spei erigere; & Charitatis vnire: copulare etiam modo Antonomastico conuenit charitati, vt dicit in actu secundo relationem.

Tertio potest comparari ad finem vltimum, & sic definitur à D.Augustino *in soliloquiis:* nam desiderium videndi Deum est à charitate. Definitur autem charitas viæ, quæ est imperfecta: Vel dic, poni desiderium, excluso fastidio, quod est etiam rei præsentis, vt de Angelis ait D. Petrus, epist. 1. *In quem desiderant Angeli prospicere.*

Qvarto potest comparari ad habitum, qui est 10
charitatis principium. Sic definitur ab Apostolo. Neque repugnat, eam esse formam, & finem, ac efficientem: hæ enim causæ coincidere possunt. Sic enim forma est finis generationis, & efficiens operationum compositi.

Easdem definitiones charitatis affert S. Doctor *Lib.5. compend. cap.23.* vbi latius exprimit descriptionem Apostoli. Dicitur enim *finis*, idest, complementum legis, & finis ad quem omnia ordinantur præcepta, vt augeatur ipsa charitas. Dicitur: *de corde pu-* 11
ro, idest intellectu, seu intellectione, vt ait Glossa; ab intellectione enim causatur actus charitatis: quantò enim homo Deum puriùs, & perfectiùs intelligit, tantò aptior est ad diligendum. Dicitur: *de conscientia bona*, idest conscientia pura, quam qui habet, securè sperat, *& fide non ficta*, idest non fragili, nec simulata, sed inter aduersa forti.

Affert ibi amplam descriptionem Charitatis è 12
D.Prospero *Lib.3. de vita contemplatiua*, cap.13. *Charitas est recta voluntas ab omnibus terrenis, & præsentibus, ac futuris prorsus auersa, iuncta Deo inseparabiliter, & vnita, igne quodam Spiritus Sancti, à quo est, & ad quem refertur, incensa, inquinamenti omnino extranea, corrumpi nescia, nulli vitio mutabilitatis obnoxia, super omnia, quæ carnaliter diliguntur, excelsa, affectionum omnium potentissima, diuinæ contemplationis auida, in omnibus semper inuicta, summa bonarum actionum, salus morum, finis cœlestium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma iustorum, sanctarum mentium armatura, causa meritorum bonorum, præmium perfectorum: sine qua nullus Dei placuit, cum qua aliquis Deo displicere non potuit, fructuosa in pœnitentibus, læta in proficientibus, gloriosa in perseuerantibus, victoriosa in Martyribus, operosa in omnibus omninò fidelibus, ex qua, quidquid est boni operis, viuit.*

13 Hæc definitio complectitur perfectiones charitatis pro omni statu, non autem pro sola via. Eam rursus definit opusc. Declaratio terminorum Theologiæ: *Charitas est virtus, qua diligitur Deus propter se; & proximus propter Deum*: Amorem verò ait esse naturalem affectionem, communem rationalibus, & irrationalibus: Dilectionem esse affectionem rationalium. Eandem definitionem charitatis habet *opusc. de tribus ternariis pecc. cap.4.*

Exacta verò *de septem Itineribus æternitatis, itinere 4.* definitionem tradit Charitatis.

14 Prælibat autem primò, in diuinis pro eodem posse sumi Amorem, Dilectionem, & Charitatem, vt habent SS.Dion. *cap.4. de diuin. nominibus*, & D. Augustinus *Lib.8. de Trinitate, cap.10.*

Vt autem magis Diuinum amorem segreget, obseruat, dari multos amores. Primus est naturalis, qui est inclinatio ad bonum, non supponens cognitionem; sic omnes res amant sui conseruationem. Ideò Iob 37. *Frumentum desiderat nubes*, idest, naturalem habet inclinationem ad hoc bonum. Secundus est amor animalis, supponens cognitionem sensibilem, & hic est in solis animalibus. Tertius est amor intellectualis, supponens cognitionem intellectiuam; & hic est duplex, alius supponens cognitionem intellectiuam tantùm naturalem, seu lumen; & est a voluntate non deliberata: quidam supponit cognitionem deliberatam respectu boni relati ad aliud, vt finem; & hic est amor electiuus: ille verò dicitur adhuc naturalis. Quod si ille amor sit ad bonum supernaturale, erit à charitate supernaturali, sicuti fundatur cognitione superna fidei. Hic etiam in Angelo est Angelicus.

15 Igitvr Amor est virtus, vnitiua amantis cum amato proportionaliter, modis dictis.

Vt autem magis aliorum affectuum amoris scoriam ab auro charitatis separet, in homine iterum distinguit quinque amores.

Primvs est affectus naturalis, qualis est cuiuslibet ad corpus suum: *Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit*, Ephes.5. Item matris ad filium, de quo Isa.49. *Numquid obliuisci potest mulier infantem vteri sui?* Hunc sanè affectum, sicut non nocere impossibile est, nisi ratione frænetur; ità non sequi, summæ virtutis est.

16 Semper iste affectus delicata libenter amplectitur; aspera verò refugit. De hoc immoderato loquitur Christus, Ioan. 12. *Qui amat animam suam, perdet eam.* Proinde S. Augustinus tract. 51. *Si malè amas, tunc odisti, si benè oderis, tunc amasti.* Hinc capies dictum Ciceronis de amicitia: *Charitatem, quæ est inter parentes, & liberos, dirimi, nisi detestabili scelere, non posse.* Loquitur enim quo ad naturalem moderatam inclinationem.

17 Secvndvs est affectus carnalis, qui duplex est. Alius, quædam propensio ad aliquam habitudinem alicuius, puta eloquij suauitatem, vultus elegantiam, sic *Exodi* 2. filia Pharaonis Moysen, infantem vultus elegantis amauit, & in filium adoptauit. Alter verò ad noxia pellicit; talis fuit Dauidis 2. *Reg.* 11. & Salomonis 3. *Reg.* 11. Hunc affectum vocat S. Dionysius de Ang. Hier. cap. 2. *Longinquum Idolum veri amoris*, estque plenus anxietate; at Charitas iucunda est.

18 Tertivs affectus est officiosus, seu officialis, vt ait Richardus *de Trinitate, Lib.3. cap.3.* qui ad obsequia, & officia animos inclinat, qui grati animi est signum: Ergo admittendus, tametsi periculosus sit. Ab hoc affectu distat charitas, quæ *non quærit, quæ sua sunt*, prima Corinth.13.

Qvartvs est Rationalis, de quo D.Gregorius *Lib. 10. moral. cap. 4.* qui ex consideratione alienæ virtutis oritur. Hic est affectus, qui ex præclarè maiorum gestis animum ad eximia animat exantlanda. Differt à charitate, quæ ab interiori Spiritus Sancti afflatu oritur.

Qvintvs est affectus spiritualis, & hic est triplex: Alius immissus à Spiritu maligno; alius à Spiritu humano; alius à Sancto Spiritu. A Spiritu maligno afflatus Amnon exarsit in Thamar, 2. *Reg.* 13. & Iudas in autum contra Christum *Ioan.*13. A Spiritu humano oriuntur Spiritus similes charitati; sic multi animam pro patria, & ciuibus posuère, vt referunt D.Augustinus *Lib.5. de ciuit.cap.*18. & Cicero *Lib.1. de offic.* vbi refert, duo fuisse Platonis præcepta, data volentibus Reipublicæ prodesse. Primum, vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quæcumque agant, ad eam referant, obliti suorum commodorum. Secundum, vt totum corpus Reipublicæ curent principaliter, ne dum aliquam partem tuentur, reliquas deserant. A Spiritu autem Diuino affectus charitatis infunditur. 19

Differt verò hic ab aliis. Primò origine, quia à Deo solo infunditur, vt dicitur *Rom.*5. Naturalis verò cum naturà enascitur, & altera acquiritur. Secundò differt formaliter, quia est vita animæ; non sic ille. Tertiò, quia est forma aliarum virtutum, non sic ille. Quartò in fine, quia hæc est ad finem supernum, educens è culpa, & in gratiam conducens; non sic alij. Has differentias innuunt S. Bernardus *serm.50. in Cant.* & D.Bonauent. *loca citata.* 20

Ex hac doctrina elicit S.Bonauent. quid sit Charitas: *Charitas est virtus creata supernaturalis, qua homines Deum diligunt, quatenus Bonum quoddam spectans ad ordinem supernaturalem propter se*, atque adeò eius obiectum est bonitas Dei immediatè, ideò est virtus Theologica. Ità communiter Theologi apud D.Thom. *quæst.*23. Valentiam *disp.3 quæst.3.puncto* 1. Palaum *tract.6. disp.1.p.1.* Caspensem *tract.17. disp.1. sect.2.* Morandum *tract. vnico, quæst.*21. 21

Nomen charitatis in Hæbreo est אהבת: *Haabat.* Non *Nabaa*, vt legit Valentia *disp.3.quæst.1 puncto* 1. significat gratuitum amorem, Hierem.31. *In charitate perpetua dilexi te.*

Igitur charitas definitur, *Virtus*, quæ sanè est in genere habitus boni: nam verò probabo esse habitum, & bonum, esseque virtutem specialem Theologicam. Dicitur supernaturalis *Haabat.* Deinde dicitur charitate amari Deus propter se, vt est bonus, non mihi, sed in se. Quamuis autem S. Augustinus *in primo solil. cap. 6.* dicat, charitatem esse desiderium videndi Deum, non obstat; nam & hoc desiderium refert beatitudinem in Deum ipsum, vt dicam cum D.Bonauent. *quæst.*17. & aduertit Caspensis *disp.1. sect.1. num.5.* Porrò quæstionibus explicabitur Definitio. 22

QVÆSTIO II.

Quodnam sit Charitatis *obiectum.*

{ D.Bonau.dist.28.quæst.6. D.Thom.quæst 25 per multos articulos.

Svppono ex dictis *Tract. de fide*, duplex esse obiectum Virtutum: Materiale, & est res quæ respicitur; & Formale, quod est ratio sub qua respicitur. De vtroque quæro. 23

Commvnis

Commvnis sententia est, obiectum materiale charitatis esse Deum, & proximum, & quidquid propter Deum diligi potest, vt finis est supernaturalis; ità verò, vt Deus sit obiectum principale attributionis, propter quod reliqua amentur: sic enim, & in Spe, & in fide inuentum est. Neque tamen nos confundimus obiectum materiale cum formali, vt putat Arriaga *disp.*31. *sect.*2. nam obiectum formale est ratio, sub qua amatur Deus, nempe, vt in se bonus, vt dicam; & etiam vt bonus nobis: Obiectum enim formale est, quod est motiuum, & specificatiuum ipsius actus, siue determinatiuum potentiæ, & habitus ad agendum circa materiale subiectum, vt obseruat Mastrius *disp.*6. *quæst.*20. *num.*316.

24 Assero primò, obiectum materiale attributionis Charitatis esse Deum.

Probatvr primò à S.Doct. *dist.*27. *in dubiis litt.* & *dist.*28. *quæst.*6. Primò ex definitionibus charitatis suprà *quæst.*1. allatis.

Deinde ex *Deuter.*6. Matth.10. Lucæ 10. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* Quod latè prosequitur S.Doct. *ad* 10. *Lucæ.*

Probatvr secundò à S.Doct. 3. *dist.*26. *art.*2. *quæst.*4. Quia virtutes Deum immediatè respicientes distinctè respiciunt Deum, vt obiectum immediatè: Talis est Charitas: Ergo.

Probatvr tertiò à S. Doct. *eadem dist. quæst.*5. Virtus illa Theologica, quæ est reformatiua voluntatis; & in volontate stat concupiscibili, fertur in summum Bonum Deum: Charitas est talis Virtus: Ergo.

25 Probatvr quartò à S.Bonau. *dist.*28. *quæst* 6. & D.Thom. *quæst.*25. *art.*1. Id primum est obiectum Charitatis, in quo primo relucet bonitas: Talis est Deus: ergo. Id vrget Fulliens. *lib.*3. *cap.*9.

Assero secundò, alia etiam ad obiectum materiale charitatis pertinere, nempe ea, quæ ad finem supernaturalem possunt habere societatem, scilicet proximus, in quo includimur nos ipsi, sicut & corpora nostra eò spectant, aliique homines, vt dicam *quæst.*28.

Probatvr primò à S.Bonau. *locis adductis* è Scripturis, quæ ponunt in præceptis charitatis etiam proximum. Hæc latè prosequitur S.Doct. *in cap.*14. *& sequentia Ioannis.*

26 Probatvr secundò à S.Doct. *dist.*28. *quæst.*1. Amans Deum vult illi bonum illius; sed nos cum proximo possumus amari in ordine ad Deum, vt bonum eius: Ergo possumus diligere proximum per actum charitatis, quo diligimus Deum, & volumus illi bonum. Ideò Ioan.1. cap.4. *Si diligamus inuicem, charitas Dei in nobis perfecta est.* Consentit D. August.10. *de Trinitate, cap.*8. Ideò Matth.25. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Si enim Christus bona sua reputat illa, quæ hominibus conferuntur, prudentissimè homines operantur, quando volunt bona hominibus, vt in illis eadem bona Deo tribuantur. Confirmo, quia proximus est quid Dei, parti-
27 ceps beatitudinis: Ad perfectam autem amicitiam spectat non solùm diligere eum, quocum primariò, & principaliter amicitia contrahitur, sed etiam ratione illius ea, quæ ad ipsum spectant: Sic enim amicus diligit amicum, & propter eum etiam filium amici; non tamen hic amor amicitiæ se extendit eadem ratione ad Canem amici, vt aduertit S.Doct. qui inde eruit, non diligi charitate irrationalia, quia non communicant in bono supernaturali nobiscum.

28 Pro quo aduertit Caspensis *disp.*3. *sect.*1. cum D. Bonau. *loc. cit.* & *dist* 9. *art.*2. *quæst.*4. proximos duobus modis posse honestè diligi. Primò, propter solam Dei bonitatem, idest ex desiderio diuini boni, quia bonum collatum in proximum, quodammodo est bonum Dei, atque hæc dilectio manifestè pertinet ad charitatem Theologicam; vnus est enim actus, quo diligimus Deum, & proximum propter Deum, vt notat S.Doct. *ad* 3. & D.Thom. *quæst.*25. *art.*1. atque adeo ad eandem pertinet virtutem. Alio modo potest diligi proximus, vel propter similitudinem in natura rationali, vel propter virtutes, &c. & hæc dilectio non est Charitas, vt docet etiam D.Thom. *quæst.*103. *art.*3. *ad* 2. Vasquez *lib.*1. *de ador. disp.*6. *cap.*2. & *lib.*3. *disp.*1. *cap.*6. Caspens. *loc. cit. num.*3. Valentia *disp.*3. *quæst.*1. *p.*1. in fine.

Assero tertiò, formale obiectum Charitatis esse 29
Deum vt bonum in se. Ita D. Bonau. 3. *dist.*26. *art.*2. *quæst.*4. *&* 5. *& dist.*27. *&* 28. passim, atque *in opusculis* frequenter, & communiter Theologi.

Probatvr primò à S.Doct. Dilectio, qua quis diligitur propter se, debet esse absoluta; sed hæc dilectio charitatis est huiusmodi: Ergo.

Probatvr secundò, quia Charitas est virtus perficiens voluntatem in ordine ad Deum, ergo vt obiectum; sed est obiectum vt bonum: Ergo.

At verò, quia etiam Amor naturalis Dei diligit eius bonitatem, oportet aliquid formale inuenire, per quod ab eo Charitas distinguatur.

Commvniter Thomistæ docent cum Doctore 30
Angelico 2.2.*quæst.*109.*art.*3.*ad* 1. Formale obiectum charitatis esse Deum, quatenus in se bonum, bonitate pertinente ad ordinem supernaturalem, vel bonitate, quâ Deus est principium bonorum supernaturalium. Ita Suarez *disp.*1. *sect.*2. Casp. *disp.*1. *sect.*1. Amicus, & alij Recentiores, & videtur D. Bonau. *de septem Itineribus æternitatis, Itinere* 4. *cap.*2. *& dist.*27. *dub.*1. *litt.* circa definitionem charitatis, ex D. Aug. *soliloq.* 1. *cap.*6. *in hoc* 3. *sent.* & clarius *dist.*28. *quæst.*1. *tota*, & *dist.*27. *quæst.*2. *ad* 3.

Mvlti tamen dicunt, rationem formalem obiecti 31
charitatis latiùs expandi, esseque bonitatem Dei, quâ in se infinitè bonus, & perfectus est, secundùm omnem rationem entis. Vnde inferunt, eundem habitum supernaturalem inclinare ad diligendum Deum; vt finem naturalem, authoremque bonorum naturalium, & supernaturalium. Ita Vasquez *p.*2. *disp.*195. *cap.*2. *&* 3. Conineh. *disp.*21. *dub.*2. pro qua sententia adducunt Scotum 3. *dist.*27. *quæst. vnica*, §. *contra primam viam.* Et §. *quantum ad istum articulum*, & probabile censet Arriaga *disp.*31. *sect.*2. *&* 3. & Mastrius 3. *disp.*6. *quæst.*20. *num.*519. cum Bassoli 3. *dist.*28. *quæst. vn. art.*1. Poncio *disp.*32. *quæst.*1. & aliis Scotistis. Videtur hæc sententia D.Bonau. *dist.*28. *quæst.*1. *ad* 3. & *dist.*26. *art.*2. *quæst* 4. *fund.*1.

Assero, Deum esse obiectum formale Charitatis Theologicæ, quatenus est bonum supernaturale in se.

Probatvr, alioqui non distingueretur Charitas 32
supernaturalis ab amore naturali; quia non haberet distinctum obiectum formale; hoc autem repugnat Patribus. Confirmatur; nam Deus diuersam habet amabilitatem, prout est finis naturalis, & vt finis supernaturalis. De hoc satis egi *disp.*1. *quæst.*28. Vide ibi. Confirmatur à D.Bonau. *dist.*26. *dubio* 1. ex definitione Charitatis, quæ est desiderium beatitudinis supernaturalis, seu habendi Deum. Confirmatur à S.Doct. *in Centil.*3. *p. sect.*40. Charitas est virtus vltimò rectificans voluntatem in ordine ad eius obiectum: ergo ad summum bonum sub ratione suprema; sed hæc est vltima consecutio beatitudinis supernaturalis: Ergo.

Respondet Mastrius *num.*529. Deum etiam, vt 33

authorem creaturarum, esse posse obiectum charitatis supernaturalis; vnde Sancti sæpe ex amore creaturarum in amorem Dei excitabantur, & cùm tam ardenter exurgerent in Dei amorem, incredibile est, elicuisse solos actus amoris naturalis, vt aduertit Coninch. *disp.5. dub.3.* Confirmatur à D. Bonau. *lib.2. Pharetra, cap.25.* circa medium ex D. August. *lib.10. confess. cap.6.* vbi clamat: *Domine amore tuo percussisti cor meum, & amaui te. Sed & cœlum & terra, & omnia, quæ in eis sunt, ecce vndique mihi dicunt, vt te amem, nec cessant dicere omnibus, vt sint inexcusabiles*, & ibi diffunditur S. Augustinus ex creaturis exurgens in Dei amorem, è luce, è musicis, è cibis, ex odoribus, & Lib. de spiritu & anima, cap.17. *Miser ego quantum deberem diligere Deum meum, qui me fecit, cùm non eram, redemit cùm perieram. Non eram, & de nihilo me fecit, non lapidem, non arborem, non auem, aut aliquod de animalibus; sed voluit me esse hominem: dedit mihi viuere, sentire, discernere, & intelligere. Perieram, & ad mortalem descendit, mortalitatem suscepit, passionem sustinuit, mortem vicit & sic me restaurauit.*

34 Idem S. August. *epist.3.* ad Volusianum apud D. Bonau. loc. cit. Pharetræ: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: & diliges proximum tuum, sicut teipsum. Hic Physica: quoniam omnes omnium naturarum causa, in Deo Creatore sunt. Hic Ethica: quoniam vita bona, & honesta non aliunde formatur, quam cùm ea, quæ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, hoc est Deus, & proximus. Hic est Logica: quoniam veritas, Lumenque animæ rationalis non nisi Deus est.* Vide alia ibi in S. Doctore.

35 Afferre potes cum Seraphico exemplum S. P. Francisci, qui ex creaturis in Creatorem assurgebat: *Laudans laudare monuit, laus illi semper affuit, laus inquam Saluatoris: inuitat aues, bestias, & creaturas alias ad laudem Conditoris.* Quamuis autem eas amore non charitatis, sed pietatis diligeret, vt ait S. Doct. *dist.28. quæst.1.* tamen inde ad Dei amorem supernum euolabat.

36 Ita verò charitas respicit vtramque rationem bonitatis, vt ad supernaturalem egeat lumine superno, vt aduertit S. Doct. *loc. cit. de 4. Itinere æternit. cap.2.* attamen potest ex obiecto naturali cognito, lumine fidei addito, consurgere ad actum supernaturalem.

Enim verò *disp.1. de fide, quæst.28.* iam sustinui, actus supernaturales à naturalibus distingui ex obiectis. Ideò ad authoritates respondetur, Sanctos consurrexisse ex creaturis in Deum amore naturali, quo disponebantur, vt eleuarentur in Deum, vt finem supernaturalem.

Obiicit Scotus, & cum eo Mastrius *num.519.* Deus ex virtute charitatis ita amandus est, vt adhuc amaretur, etiamsi nunquam vellet nobis esse causa donorum supernaturalium: & hoc pacto Sancti, charitate ardentes, Deum diligunt. Aliàs verò Thomistæ constituentes Deum Charitatis obiectum, vt est author bonorum supernaturalium, ponunt, charitatem esse amorem concupiscentiæ.

37 Hoc tamen argumentum debile est, vt ipse aduertit Arriaga: Non enim dicimus, nos charitate amare Deum solum, vt bonum nobis; sed vt in se bonum diffusiuum bonorum supernaturalium, seu naturâ communicabilem secundum supernaturalia; & sub hac ratione potest excitare amorem amicitiæ.

Instat Mastrius *num.520.* Deus, etiamsi non esset communicabilis hoc modo, adhuc esset Charitate amabilis, quia in se bonus, est infinitè perfectus.

Respondetur, esse amabilem, vt bonus vsque- 38
quaque, sed amore etiam naturali; vnde non sequitur, quod debeat esse obiectum charitatis supernaturalis, alioqui confundentur habitus naturales, & supernaturales; et si naturalis potest attingere obiectum supernaturale, frustrà Concilia, & Scripturæ exigent auxilium per Christum, vt latè argumentabar *disp.1. quæst.18.*

QVÆSTIO III.

An Charitas *sit propriè Dei amicitia.*

D. Thom. quæst. 23.

Ex eo, quòd Deus in se est obiectum Charitatis, 39
videtur, charitatem esse amicitiam inter Deum, & homines.

Negarunt aliqui, amicitiam inter Deum, & homines.

Vera tamen sententia est assertiua. Ita D. Bonau. 3. *dist.27. art.2. quæst.2.* & *in 1. dist.48. quæst. vlt. argumento 3.* quod concedit D. Thom. *quæst.23. art.1.* quos alij sequuntur communiter, vt referunt Valentia *disp.3. quæst.1. p.2.* Casp. *Tract.17. disp.1. sect.2.* Mastrius *disp.6. quæst.20. num.535.* Tannerus *disp.2. quæst.2. dub.1.* Fuliens. *lib.3. cap.8.* Bassæus *v. Charit.* Hanc quæstionem discussi *p.1. tract.1. disp.17. quæstione 3.*

Assero cum hac sententia, dari amicitiam inter Deum, & homines iustos.

Probatur à D. Bonau. *ad 14. Ioan.* illis verbis: *Vos amici mei estis.*

Probatur secundò à S. Doct. *loc. cit. in 3.* & Ari- 40
stotele 8. *Eth. cap.10.* vbi ait: *Filiorum ad parentes, & hominum ad Deum esse amicitiam, sicut ad aliquid excellens.* Et lib. 10. cap.8. ait: *Sapientes, quorum Sapientia extenditur ad vitam honestam, esse Diis amicissimos.*

Est autem amicitia non æqualitatis, sed excellentiæ ad finem vnum supernum, communicando in bonis; non enim æqualitas est essentialis amicitiæ; sed sufficit proportio Geometrica. Hanc porrò Dei amicitiam cum hominibus asserunt Scripturæ. Iudit.8. *Abraham Dei amicus effectus est.* Psal.138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Sap.7. *Participes facti sunt* 41
Amicitiæ Dei. Isa. 41. *Semen Abraham amici mei.* Lucæ 12. *Dico autem vobis amicis meis*, vbi etiam mutuum amorem beneuolentiæ, qui est fundamentum amicitiæ, apponit, iuxta id Ioan. 16. *Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis.*

Deinde *Ioan.15.* ad ea verba: *Iam non dicam vos seruos, sed amicos*, ponit aliam conditionem amicitiæ, quæ est communicatio in bonis, ideò ait: *Quæcumque audiui à Patre, nota feci vobis.* Vnde & D. Petrus: *Diuinæ efficiamini consortes naturæ.* Et Rom.8. *Accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus: Abba (Pater.)*

Qvod verò ad bonum nostrum diligamur à Do- 42
mino, probatur ex forma præcepti: *Diliges Dominum Deum tuum, &c. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.*

Qvod quartò constet de hoc amore, patet Rom.8. *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, &c.* eo scilicet modo morali, quo licet in terris id constare.

Sic probatæ sunt conditiones amicitiæ, latæ ab Aristotele 8. *Eth. c.3.4.5. & 9.* & D. Thom. hîc. Vide Gregorium de Valentia *disp.3. quæst.1. puncto 1.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

Vtrum CHARITAS *sit Habitus creatus.*

D. Bonau in 1. dist 17. p. 1. quæst. 2.
D Thom. 2. 2. quæst. 23 art. 2.

43 MAGISTER 1. *dist.* 17. visus est asserere, charitatem, quâ Deum diligimus, esse ipsum Spiritum Sanctum, mouentem hominis voluntatem ad amandum sine aliquo habitu infuso; eum tamen perbenignè interpretatur S. Doct. non quia Spiritus Sanctus sit forma animæ disponens ad amandum, sed quia immediatè absque habitu moueat affectum. Attamen & in hoc etiam deficit.

ASSERO igitur, Charitatem esse habitum. Est communis Theologorum, & post Concil. Trident. certa es fide.

44 PROBATVR à D. Bonau. Id quod habet rationem formæ infusæ à Deo, seu Spiritu Sancto, est quid creatum, distinctum à sua causa efficiente, nempe à Spiritu Sancto; sed *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis* ex cap. 5. ad Rom. Maior est euidens: Deus enim non potest esse forma, alloqui esset pars inexistens imperfecta, & omnis causa differt realiter à suo effectu. Hoc argumento, Concilium Trident. sess. 6. definit, cap. 7. *Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret.* Et can. 11. definit, Homines non iustificari per solam remissionem peccatorum, exclusa gratia, & charitate, quæ in illorum cordibus diffundatur, & inhæreat. Rursus Minor prin-
45 cipalis probatur ex Concilio Araus. can. 25. *Prorsus Donum Dei est diligere Deum, diffundit enim charitatem in cordibus nostris Spiritus Patris, & Fily, quem cum Patre amamus, & filio.* Idem probatur in Concil. Vien. vt refertur *in Clement. vnica, de summa Trinitate.* Confirmatur rursum Minor; nam sicuti Fides, & Spes ordinatæ sunt ad reformandum animum, ità & multò magis Charitas, quæ est vita animæ: Ergo forma. Deus autem non potest esse forma, quia nequit ingredi compositionem cum alio ente, sicut ad esse formæ est necesse.

PROBATVR à S. Doct. *fundamento* 4. ex omnibus Scripturis, quæ asserunt Charitatem crescere, minui, amitti, & recuperari. Prima Ioan. 2. *Qui seruat verbum eius, verè in hoc Charitas Dei perfecta est.* Philip. 1. *Hoc oro, vt Charitas Dei magis, ac magis abundet.* Apoc. 2. *Charitatem primam reliquisti. Memor esto itaque vnde excideris: & age pœnitentiam.*

46 PROBATVR vltimò. Id, quod distinguit iustum ab impio, non tantùm in actu, sed etiam in quiete; & eos, qui nequeant habere actus proprios, vt paruulos, debet esse creatum, & habitualiter inhærens: nam prima causa vno modo se habet ad omnes. Talis est Charitas è Conciliis allatis, definientibus, eam ideò etiam paruulis infundi. Solum Viennense non definit.

PROBATVR etiam *in corpore* à S. Doct. Si Spiritus Sanctus esset charitas, esset vnibilis, & tunc vel per naturam, vel per gratiam: non per naturam, vt constat. Si per gratiam, rursum per aliud, &c.

PROBATVR ibi etiam argumento, quo vtitur Valentia. Id, quo voluntas, tanquam causa principalis, elicit actum dilectionis, debet esse creatum; sed Charitas est ea, quâ elicit, &c. Ergo.

47 OBIICIES primò. Nullum accidens est melius substantia: Charitas est melior anima, nam eam eleuat, & perficit, & nihil eâ melius, ex D. August. *lib. 1. de moribus Ecclesiæ:* Ergo.

RESPONDET S. Doct. Charitatem esse meliorem, vt medium, quo carens anima nequit ordinari ad finem supernaturalem: proprium est enim accidentium perficere accidentaliter substantiam. Intimè verò ea perficiunt, quæ super naturam à Deo infunduntur, cuius sunt præclara similitudo, & participatio. Tale accidens est charitas, vt dicitur secunda Petri, 1. vt notat cum D. Thoma, etiam Valentia.

OBIICIES secundò. Nulla bonitas creata æquiualet beatitudini; sed charitas æquiualet Beatitudini; nam per eam meremur gloriam: Ergo.

RESPONDET S. Bonau. æquiualere diuinâ æstima- 48
tione, quæ opus charitatis æstimat dignum vitâ æternâ.

OBIICIES tertiò. Omne bonum creatum est bonum per participationem, atque adeò potest non esse bonum: ergo carens ordine.

RESPONDETVR aliam esse rem ordinatam; aliam esse ordinem; & hæc non potest, non esse bona.

OBIICIES quartò. Spiritus Sanctus seipso potest inflammare affectum; ergo frustra requiritur habitus. Probatur Antecedens. Deus enim charitas est, *prima Ioan.* 4. Ideò *prima Cor.* 6. dicitur: *Qui adhæret Deo, vnus spiritus efficitur cum eo.*

RESPONDET S. Doct. ibi significari Deum ipsum, 49
sed tamen requiritur Charitas, qua informati operemur: *Dei enim adiutores sumus* prima Cor. 3. Igitur ponitur charitas inhærens non ex defectu diuinæ virtutis, sed vt nos modo connaturali cooperemur Deo, mouenti per aliquid formaliter determinans

OBIICIES quintò. Plus distat à Deo virtus naturalis, quàm voluntas; sed Deus immediatè mouet naturam: Ergo.

RESPONDET S. Doct. naturam, quia vniformiter necessariò operatur determinata ad vnum, non egere habitu regulante; sicuti voluntas, quæ mouet difformiter, quippe indifferens. Deinde anima mouetur solùm intra terminos naturæ; at voluntas supra naturam, ideò eget habitu eleuante.

OBIICIES sextò. Vbi est primus motor, superfluit alia virtus; sed Deus semper mouet animam: Ergo.

RESPONDETVR, aliam virtutem requiri ad modum connaturalem operandi, vt formaliter perficiatur.

OBIICIES septimò. Non minor virtus est necessaria 50
ad reformandum, quàm ad creandum; sed ad creandum requiritur virtus infinita: Ergo & ad reformandum: sed reformatio fit per charitatem: Ergo hæc est Virtus Dei infinita.

RESPONDET S. Doct. recreationem esse à Deo efficiente, sed quia hæc est eleuatio ad opera supra naturam, requiritur aliqua forma disponens.

OBIICIES octauò. Nulla vanitas potest Deo vnire; omnis creatura est vanitas: Ergo non potest vnire Deo; sed charitas vnit Deo: Ergo non est creatura.

RESPONDET S. Doct. gratiam, vt creaturam, esse inanem; sed vt est influentia Diuina non est vanitas.

OBIICIES nonò. Id, quod ordinat ad ordinatum 51
amorem, debet esse proportionatum; sed charitas ordinat ad amandum Deum, qui est bonum infinitum: Ergo infinitè: Ergo debet esse aliquid infinitum.

RESPONDET S. Doct. Charitatem non facere diligere Deum, quantum diligibilis est, sed quantum à nobis debet diligi, vt æstimetur super creaturas omnes, quæ esse possent in infinitum, & ad hoc sufficit charitas

Charitas supernaturalis finita, vt cæteris bonis præferatur æstimatione.

52 Ex dictis habes, quæ censura debeatur negantibus, charitatem esse habitum: arbitror enim cum Valentia hic, Soto *lib.2. de natura, & gratia, cap.17. & 18.* Bannes *quæst.23. art.2.* non esse quidem hæresim negare, ex Concilio Vienn. *loc. cit.* & Innocentio *cap. Maiores de Baptismo*, vbi sententia negans non damnatur; sed opposita tantùm probabilior asseritur: Attamen dico, esse temerarium, & errori proximum; vt notat Valentia cum Gabriele *dist.23. art.2. quæst.2.*

ECCLESIA enim in Concilio Trident. videtur id definire æquiualenter. Et Scripturæ de charitate, vt de habitu permanente, loquuntur: *Charitas nunquam excidit*, prima Corinth.13. *Manent fides, Spes, Charitas, tria hæc*: Apoc.2. *Charitatem primam reliquisti,*

53 *&c.* Quod si charitas non esset habitus, non inclinaretur adeò perfectè, & facilè, ac delectabiliter in amandum Deum, vt arguit etiam D.Thom. cum D.Bonau. *ad argumenta*; nam potentiæ non habent perfectam connexionem ad actus nisi per habitus, qui à Deo ad actus eliciendos instituti sunt, dando potentiæ modum facilitatis, & si quidem sunt supernaturales, eleuant potentiam etiam ad substantiam actus.

54 Ex his intelliges id, quod opponit Magister ex prima Ioan.3. *Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Vult dicere, Deum esse charitatis authorem. Sic enim dicitur etiam: *Patientia nostra*, causaliter, & *qui manet in charitate*, infusa scilicet, &c. Ita exponitur à S.Doct. *opusculo Reductio artium ad Theologiam*; & *de septem donis, de Dono intellectus, cap.5.* & *de 7. Itineribus æternitatis, dist.6.*

QVÆSTIO V.

An CHARITAS *sit vna specialis Virtus.*

D Bonau. dist 27. quæst.1.
D.Thom. quæst.23. art.4.

55 FVERVNT aliqui apud D.Bonau. asserentes, Virtutes omnes esse indiuisim vnam substantiã, multiplicatas actibus, ità verò, vt vna aliarum actus habeat; vnde & Iustitia est prudens, & Prudentia est iusta, Fides amat, Charitas credit, & magis Charitas, quæ, vt ait Apostolus 1. Corinth. 13. *Patiens est, benigna est*, & enumerat ibi quindecim opera virtutum. Roborare nituntur hanc opinionem D. August. effato *de moribus Ecclesiæ*, vbi ait: *Nihil esse virtutem, nisi summum amorem Dei.*

ALII dixêre, Charitatem, quippe perficientem vim concupiscibilem, quæ per omnes alias diffunditur vires, esse generalem virtutem, cæteras amplectentem.

56 VERA sententia est, Charitatem esse Virtutem specialem, ab aliis distinctam. Ita S.Bonau. D.Thom. & cæteri Theologi.

ASSERO primò, Charitatem esse virtutem specialem, ab aliis distinctam.

57 PROBATVR à D. Bonau. primò ex Apostolo 1. Cor.13. *Manent fides, Spes, Charitas, tria hæc: Maior autem horum est Charitas.* Cùm igitur charitatem vnam è Theologicis, & cæteris maiorem dicat; fatetur, eam esse distinctam, vt notat etiam Valentia *disp.3. quæst.1. p.1.*

PROBATVR secundò à S.Doct. ratione, quâ vtitur D.Thom. Valentia *loc. cit.* Caspensis *disp.1. sect.3.* Fuliens. *lib.3. cap.8.* Illa est specialis virtus, quæ habet speciale obiectum formale. Talis est charitas: Ergo. Minor probatur, quia tendit in Deum, quatenus in se est summum bonum supernaturalis ordinis, quod non potest naturaliter haberi. Hanc autem rationem formalem nulla alia Virtus respicit, neque moralis, vt per se patet, neque Theologica; nam Fides, & Spes, quæ sunt virtutes Theologicæ, sub aliis rationibus Deum respiciunt. Fides enim respicit eum, vt 58
est prima, & summa Veritas: Spes autem Deum, vt bonum supernaturale; & obiectum beatitudinis nostræ, non vtcumque; sed vt est arduum ad consequendum.

PROBATVR tertiò à S.Doct. ex actibus. Habitus per actus diuersi comperiuntur; sed actus charitatis sunt omnino diuersi ab actibus aliarum virtutum: Ergo.

PROBATVR quartò à S.Doct. ex subiecto. Virtutes Theologicæ ordinatæ sunt ad rectificandas potentias in ordine ad Deum; sed charitas diuersam potentiam rectificat, nempe concupiscibilem; sicut Fides rationalem, & Spes irascibilem: Ergo.

PROBATVR quintò à S.Doct. per comparationem 59
ad suum oppositum. Quia vitium oppositum charitati, nempe odium Dei, distinguitur ab omnibus aliis: Ergo ratione habitus specialis vnius Virtutis oppositæ; nam vnum vni opponitur.

PROBATVR sextò per comparationem ad præmium. Quando aliqui sic se habent, vt quando vnus perficitur, alij euacuentur, necesse est, illos habitus essentialiter differre; sed habitus Charitatis in patria perficitur, & consummatur; habitus verò Fidei, & Spei euacuantur, vt dicitur *prima Corinth.13.* Ergo.

PROBATVR septimò *in corpore* ex principio, quod 60
repræsentat. Vt imago Dei sit in anima expressè, oportet, vt tres potentiæ distinctæ reperiantur; & vt reformatæ supernaturaliter habeant similitudinem; oportet, vt habitibus supernaturalibus in Deum vestiantur; sed ob imaginem creationis sunt vna essentia in tribus potentiis, repræsentantes vnam essentiam Diuinam in tribus Personis: Ergo vt exprimat similitudinem supernaturalem, ad quam condita est Genes.1. *Creauit Deus hominem ad Imaginem, & similitudinem suam*, oportet, vt essentia dotetur gratiâ sanctificante, & tres potentiæ habitibus Theologicis, Intellectus quidem Fide; Memoria Spe; & Voluntas Charitate; Vide *disp.6. quæst.10. in calce,*

OBIICIES primò, prima Corinth.13. *Charitas pa-* 61
tiens est, benigna, &c. Ergo est generalis.

RESPONDET S.Doct. actus aliarum virtutum elici ab eis; at imperari à charitate, quæ & proprios elicit actus amandi Deum.

OBIICIES secundò Virtus est charitas, quâ omne diligendum diligitur, vt ait D.Hieronymus.

RESPONDET S.Doct. hanc definitionem esse causalem, quia Charitas mouet omnes virtutes ad operandum, & quod caput est, meritoriè; nam sine charitate nihil prosunt ad vitam æternam, vt dicitur 1. *Cor.13.*

OBIICIES tertiò ex D. Bernardo *lib. de diligendo Deo*, & D.August. *lib.15. de ciuit. cap.22.* Virtus non est aliud, quàm ordo amoris.

RESPONDET S.Doct. primò, hanc esse definitionem causalem; nam Charitas est Causa imperans, atque adeo sic efficiens actus aliarum virtutum: Est etiam forma; nam omnibus dat esse perfectum in genere meriti. Tandem est Finis totius legis, & præceptorum, & Fini vltimo coniungit.

RESPONDET

61 RESPONDET S.Doct. secundò, amorem illum, qui ponitur in definitione Virtutis, esse amorem cuiuscumque virtutis, non charitatem.

OBIICIES quartò. Sicut se habet præceptum charitatis ad alia præcepta; ità habitus charitatis ad alios habitus: sed præceptum charitatis complectitur alia præcepta: Ergo & habitus charitatis omnes alios habitus.

RESPONDET S.Doct. Charitatem comprehendere non per identitatem, sed per quandam reductionem alia præcepta, quæ ad radicem charitatis reducuntur, vt ait D.Gregor. *homil.* 27. *in Euang.* non quod, & aliæ virtutes non adimpleant in suo genere præcepta, vt Temperantia abstinere à fornicatione; sed quia aliæ virtutes sine charitate non exequuntur præcepta secundùm executionem diuinam.

63 OBIICIES quintò. Sicut se habet obiectum charitatis ad obiecta aliarum virtutum; ita actus charitatis ad actus aliarum virtutum; sed obiectum charitatis est bonum, quod est obiectum commune omnibus obiectis aliarum virtutum: Ergo & habitus est communis.

RESPONDET S.Doct. Charitatem non respicere Bonum, vt est passio entis, sed summum bonum immediatè; & hoc est obiectum eius materiale, quo distinguitur à virtutibus Cardinalibus, quæ bonum respiciunt creatum: Neque vtcumque bonum increatum respicit, sed sub ratione formali motiua, vt dixi *quæst.*2.

64 OBIICIES sextò. Id, quod est superfluum, non admittitur à Deo, & naturâ; sed aliæ virtutes sunt superfluæ: Ergo. Minor probatur: nam Charitas ad meritum sufficit. Ideò ait D August. *Tene charitatem, & fac quidquid vis.* Sufficit etiam ad beatitudinem; nam frui, est amore inhærere, vt ait D.August. *lib.* 1. *de Doctrina christ. cap.*4. Ergo vel aliæ virtutes superfluunt; vel Charitas ipsa est Generalis.

RESPONDET S.Doct. charitatem dici sufficere ad meritum, & ad præmium, propter connexionem, quam habet cum aliis virtutibus, & dotibus. Qui enim habet Charitatem, habet alias virtutes; & qui dotem correspondentem; habet etiam alias dotes. Non itaque infertur rectè, superfluere alias, quia non potest aliquis mereri, nisi credat, & speret; neque est habilis ad credendum, & sperandum, nisi per Spem; & fidem.

QVÆSTIO VI.

An CHARITAS *sit vna specie specialissima.*

D.Bonau. dist. 27. quæst. 2.
D.Thom. quæst. 23. art. 5.

65 ASSERO, esse vnam specie vltima. Ità communiter Theologi apud Tannerum *disp.*2. *quæst.*2. *dub.*1. *num.*19.

PROBATVR à D.Bonau. primò. Sicut Fides respicit Deum, vt summam veritatem; ità Charitas eum respicit, vt summam bonitatem; sed quia prima Veritas est vna, Fides est vna, vt ait Apostolus Ephes. 4. *Vna fides*: Ergo. Confirmatur prima Corinth. 13. *Manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc*: vbi eodem modo vna dicitur Fides, & Charitas. Hoc argumento vtitur Valentia *disp.*3. *quæst.*1. *p.*1.

66 PROBATVR secundò à S. Doct. Sicut se habet rationalis ad verum, irascibilis ad arduum; ita concupiscibilis ad bonum; sed rationalis in credendo verum, vna virtute perficitur; & irascibilis in sperando arduo: Ergo & concupiscibilis in amando bonum; sed hæc virtus est charitas: Ergo.

PROBATVR tertiò à S. Doct. Quantò aliquid est vnitiuum, tantò in se est vnum; sed *Charitas est vinculum perfectionis* ex 3. ad Coloss. Ergo.

PROBATVR quartò à S.Doct. In omni genere, in quo est ordo motuum, oportet, vt primus motor sit vnus; sed charitas est motrix omnium virtutum, cæteris omnibus imperans: Ergo est omnino vna specie in omnibus.

PROBATVR quintò à S. Doct. *in corpore*. Cuius vnum est vltimò obiectum, & vnus actus principalis, vnus est habitus; sed obiectum charitatis est vnum vltimò, quia est summum bonum, & vnus actus volendi illud summum bonum: Ergo, licet illud summum bonum velit, Deo amato propter ipsum, & sibi, & proximo, erit vna Virtus; & per hoc resoluitur argumentum oppositum, nitens multiplicare charitates, quia fertur Charitas in Deum, & proximum. 67

RESPONDET enim S. Doct. & cum eo Valentia, vtrumque amari propter vnum sub vna ratione formali, à qua vnificatur, & distinguitur habitus.

ET si dicas, charitatem velle proximo non solùm bonum summum, sed etiam alia bona.

RESPONDET S.Doct. actum principalem esse velle bonum summum; cætera verò secundariò; nec elicitiuè, sed imperatiuè, præcipiendo aliis virtutibus, puta eleemosynæ, vt subueniat, &c. 68

OBIICIES secundò. Vbi sunt duo præcepta diuersa, ibi sunt plures habitus habilitantes; sed duo sunt præcepta charitatis: Ergo.

RESPONDET S. Doct. Illa duo præcepta esse diuersa materialiter, non formaliter; quia vnum includitur in altero. Vnde non sequitur, habitum charitatis diuersificari formaliter.

OBIICIES tertiò. Vbi sunt diuersi actus, ibi sunt diuersi habitus; sed diuersi generis sunt actus amandi Deum propter se, & proximum propter Deum: Ergo.

RESPONDET S.Doct. illam diuersitatem venire ex comparatione diuersa eiusdem obiecti formalis, non ex diuersitate obiecti, quod vnum est; & ideò non sequitur, esse diuersum obiectum formale. 69

OBIICIES quartò. Sapientia, quæ est de æternis, est alius habitus, quàm scientia, quæ est de temporalibus: Et similiter Latria, quæ est cultus Dei, est alia virtus, quam Dulia, quæ est cultus proximi: Ergo pari ratione, & alia est virtus, quâ diligitur Deus, & proximus. 70

RESPONDET S.Doct. negando paritatem: nam Sapientia negotiatur circa æterna secundùm rationes æternas: Scientia circa temporalia, diuerso motiuo à sapientia, nempe secundùm rationes temporales; sed Charitas vnam habet rationem motiuam, nempe Diuinam bonitatem, quæ cùm sit summè amabilis à voluntate quacumque, non solùm prout est in se, sed prout participatur à creatura, vtraque ratione eam amat sub vna ratione formali motiua. Eadem diuersitas inuenitur inter Duliam, & Latriam, quæ diuersis motiuis colunt.

OBIICIES quintò. Sicuti differunt vita Contemplatiua, & Actiua inter se; ita debent differre actus vitæ contemplatiuæ, & actiuæ magis, quàm actus contemplatiuæ inter se: Similiter plus debet differre habitus rectificans contemplationem, ab habitu rectificante actionem, quàm duo habitus rectificantes ipsam contemplationem: Sed Charitas Dei & Fides, rectificantes contemplationem, sunt diuersi; vt dicitur 71

prima

*prima Corinth.*13. Ergo & charitas Dei, quæ pertinet ad contemplationem; differt multò magis à charitate proximi, quæ spectat ad actionem.

72 RESPONDET S. Doct. contemplatiuam, & actiuam denominare statum, seu exercitium virtutum; diuersitas autem status non inducit diuersitatem habituum, quæ oritur potiùs ex diuersitate obiectorum. Vnde eædem virtutes dirigunt homines in vtraque vita. Sic Fides ad vtramque vitam dirigit. Similiter & Charitas; vnde non est necesse, plures esse.

OBIICIES tertiò. Amor amicitiæ, & amor concupiscentiæ sunt obiecta Charitatis; sed hi duo amores sunt diuersi generis: Ergo.

RESPONDET S.Doct. Charitatem adhærere Summo bono, amore vtroque concupiscentiæ, & amicitiæ, qui quidem est principalis, vt ait D.August. *de moribus Ecclesiæ, cap.*14. ad quem alter concupiscentiæ reducitur; amatur enim aliquid amore concupiscentiæ ei, qui est amatus amore amicitiæ. Igitur quia vnum est obiectum formale, nempe Deus vt bonus, cui vniatur, vt ait D.Dion. *cap.*4. *de diu. nominibus, p.*2. ex sententia Hierothæi; Ideò vna est virtus in vtroque amore amicitiæ, & concupiscentiæ.

QVÆSTIO VII.

An CHARITAS *sit virtutum præstantissima.*

D.Bonau in 2.dist.17.dub.4.
Item & in 3 dist.27 q 3.
D.Thom.quæst 23 art.6.

ASSERO, Charitatem esse Virtutum excellentissimam.

73 PROBATVR à D.Bonau. primò *in* 3. *dist.*23.*dub.*6. ex *prima Corinth.*13. vbi dicitur: *Maior horum est Charitas.* Rationem affert, quia ea sola est mater, dans formam virtutis aliis virtutibus ad meritum; dansque eis vitam, vt ait S Ambrosius *in epistola ad Romanos.*

PROBATVR secundò à D.Bonauent. *in* 3. *dist.*36. *dub.* 3. & *in* 1. *dist.* 17. *dub.*4. & *art. vn. dist.*36. *quæst.*6. quia est forma aliarum virtutum, vt ostendam quæst. sequenti: *Est vinculum perfectionis.* Coloss.3. *Est finis legis* prima Timoth.1. Vnde *Matth.*22. dicitur: *Hoc est primum magnum mandatum.* Quamuis enim *Rom.*13. dicatur: *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Respondet S.Doct. 3. *dist.*36. *dub.*5. in eo contineri Amorem Dei, vel illum in amore Dei, ad quem ordinatur.

74 PROBATVR tertiò à D.Bonau. primò *dist.*17.*p.*1. *dub.*6. nam D. August.15. *de Trinitate, cap.*17. & *serm.*35. *de Tempore*, & *tract.*5. *in* 1. *epist. Ioan.* ait, solam esse charitatem, quæ distinguit inter Filios regni, & filios perditionis, illamque esse Margaritam pretiosam euangelicam.

PROBATVR quartò à S.Bonau. hîc, ratione, qua vtitur etiam D.Thom. *art.*6. Illa est virtus omnium præstantissima, quæ respicit Deum sub præstantissima ratione formali: Talis virtus est Charitas, quæ respicit Deum, vt in se bonum, quæ est ratio præstantissima secundùm nostrum modum intelligendi: Ergo. Idem argumentum prosequitur *dist.*15. *p.*1. *dub.*4. & cum eo Tanner. *disp.*2. *quæst.*2. *dub.*1. *num.*23.

75 PROBATVR quintò à S.Doct.3.*dist.*34.*p.*2.*quæst.*3. ex illo prima Corinth.12. *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Glossa indicat rationem allatam: *Demonstro vobis viam eundi ad Deum, idest Charitatem.* Idem adducit *dist.*26. *quæst.* 5. addens illud: *Maior horum est Charitas*, prima Cor.13.

PRÆCLARA Charitatis præstantiam discurrit S.Doct. *in Diæta, tit.*5. *cap.*2. eamque probat illo 1. Cor.13. *Manent fides, Spes, Charitas, tria hæc: Maior autem horum est Charitas.* Apoc.3. *Suadeo tibi emere aurum ignitum*; est enim charitas inter virtutes, sicut aurum inter metalla. Vide obsecro S Doct. qui multis præclaris eam comparatam in Scripturis ostendit. Vide etiam *in Pharetra, lib.*2. *cap.*25. vbi plurima è Patribus congerit eximia. Eundem lege *lib.*5. *Compendij Theologiæ a cap.*23. vsque *ad* 27. quod est Encomium Charitatis. Et *de septem Itineribus æternitatis, Itinere quarto.*

OBSERVA, illam vocari vestem nuptialem, de qua *Matth.*22. qua qui caruit, eiectus est, vt vidit D.Bonau. *in Diæta, tit.*5. *cap.*2. *post medium*; sic enim exponitur à Patribus, vt aduertit etiam Valentia *disp.*31. *quæst.*2.*p.*3. Sic D.Gregorius *homil.*28. *in Euangelia.* Sanè Christus, qui est sponsus, eam habet; non habet autem fidem, quam intelligunt perperam Sectarij per vestem illam nuptialem. 76

OBIICIES primò. Scriptura adscribit fidei vim iustificandi, vt videre est in Apostolo *ad Rom. & Galat.* & vocatur fundamentum ædificij spiritualis. *Hebr.*11. est causa charitatis.

RESPONDET S. Doct. *dist.* 31. *quæst.* 1. *ad* 2. & *dist.*23. *passim*, fidem vocari fundamentum rude ædificij, quod per Spem consurgit, & erigitur, & in Charitate firmatur. Fidei portò adscribitur Iustificatio, tanquam dispositioni ad gratiam, & charitatem, quæ est forma, vt ostendit *dist.*36. *quæst.*6. 77

QVÆSTIO VIII.

An CHARITAS *sit Forma Virtutum.*

D.Bonau.in 3.dist.27 q.4.
& dist.36.quæst 6.
D.Thom. quæst.23.art 8.

RIDENT Sectarij stultè, audientes hunc titulum, à Catholicis assertum.

OPORTET tamen cum D. Bonau. cautè obseruare, quo sensu Charitas dici queat forma Virtutum, vt dixi etiam *disp.*1. *quæst.*19. vbi hanc quæstionem latiùs tractaui.

TRIPLICITER enim possunt Virtutes considerari. Primò in ordine ad obiectum, & hoc sensu cum ab eo specificentur, vel cognoscantur, oportet ab eo formari, non ab alio habitu extrinseco. Secundò comparari possunt in ordine ad subiectum, in quo sunt. Sic, licèt sint formæ informantes, tamen perfici, & actuari valent in ordine ad Deum, quatenus Gratiâ adueniente, & Charitate, viuidæ, & efficaces sunt ad meritoria opera. Tertiò comparantur ad finem, ita sunt formæ disponentes, tamen perficiuntur, & diriguntur charitate, quæ est pondus dirigens. Finis enim, vt finis, est bonum, quod est obiectum charitatis; & ità quoad hanc tendentiam, reliquæ virtutes diriguntur, & complentur in ordine ad finem. 78

ASSERO igitur, in vltimis duobus sensibus, Charitatem esse formam Virtutum.

PROBATVR à D.Bonau. primò, ex illo *ad Galat.*5. vbi primus fructus Spiritus Sancti dicitur Charitas, tanquam vita, iuxta Id prima Ioan.3. *Qui non diligit, manet in morte.* Et cap.4. *Qui manet in charitate, in Deo manet.* Et Iacobi 2. *Sicut corpus sine anima mortuum est, ità fides sine operibus mortua est.* Vbi Apostolus loquitur de operibus Charitatis, iuxta id Galat.5. *Fides, quæ per dilectionem operatur.* Vnde 79

D.August.

D. August. *lib. de cognitione vera vita*, *cap.*28. ait: *Fides dilectione animatur*, *sicut corpus anima vinificatur*. Et Dion. *cap* 2. *de Eccl. Hierarch.* ait: *Charitatem aptissimè formare habitus animæ nostra*. Et D. Bernardus, serm. 2. de resurrect. *Fidem* (ait) *dilectione animari*, *& charitatem esse vitam fidei*.

80 PROBATVR tertiò à D. Bonauent. Id, quod rectificat principium operum, actuat, & perficit etiam opera, sed charitas rectificat affectum, qui est principium operum aliarum virtutum, quæ ab eo dependent: Ergo & perficit, & informat.

PROBATVR quartò. In moralibus complementum, & species attenditur in ordine ad finem; sed amor summi boni est illud, quod facit cætera in finem debitum tendere: Ergo amor summi boni dat omnibus habitibus gratuitis, & eorum operibus formam, & complementum; sed ille amor est Charitas: Ergo. Id vrget Fuliens. *lib.*3. *cap.*8. Bassæus *v. Charitas*, *num.*3.

81 HINC manet explicitum, quâ ratione Charitas sit forma Virtutum; non enim id præstat intrinsecè informando, sed efficiendo suos actus, & alios imperando cum debita ordinatione ad finem supernaturalem, ad quem vita studiosa ordinata est; Redduntur actus aliarum virtutum in genere operationis completi, cum ad finem vitæ æternæ rectè ordinati sint. Ita sentit etiam D. Thom. 2.2. *quæst.*4. *art.* 3. *ad* 2. & *quæst.*23. *art.*8. *ad* 2.

NON autem informat intrinsecè, quia non vnitur aliis virtutibus, aut actibus earum intrinsecè, vt pars; vt aduertit Capensis *disp.* 1. *sect.* 5. *num.* 35. cum D. Bonau. *in corpore*, vbi egregiè id explicat.

82 IGITVR charitas dicitur forma reliquarum virtutum, vel quia earum actibus tribuit quendam moralem dignitatem, & esse meritorium; vel quatenus illas ad altissimum finem, quem habere possunt, hoc est ad Deum, quatenus est bonus in se, eas refert. Sic explicat S. Doct. etiam *ad argumenta*, quæ soluuntur hac distinctione, Charitatem non esse formam intrinsecam constituentem Virtutes in esse essentiali; sed solùm in recta operatione ad meritum, vt finem vitæ æternæ; Atque adeò non informantur intrinsecè, cùm suam formam omnes habeant in ordine ad obiecta, sed solùm in ordine ad operationes. Ex quo fit, vt fides, & aliæ virtutes sine charitate, sint adhue virtutes, vt ostendi de fide *disp.* 5. *quæst.*25.

83 Hic disputant Doctores: An Charitas sit distincta à gratia Dei. Hoc satis egi *prima secunda*, *Tract. de Gratia*, *disp.*2. *quæst.*3. Id verò quærit S. Doct. sub quodam Titulo *dist.*27. *quæst.*3. An Habitus Charitatis sit mere gratuitus. Hîc verò ansam aperit alteri quæstioni controuersæ, quæ sub alio titulo fertur, nempe.

QVÆSTIO IX.

An præter CHARITATEM *infusam detur alia charitas, nostris actibus acquisita.*

MVLTÆ in hac quæstiones clauduntur.

84 PRIMA est: An præter charitatis supernaturalis actus, dentur actus charitatis naturalis. Deinde an, si dantur tales actus, generetur ex eis habitus charitatis naturalis.

ALTERA verò quæstio: An præter habitum infusum naturalem acquiratur ex actibus supernaturalibus nouus habitus charitatis.

QVOAD primam quæstionem: an detur amor naturalis in Deum, vt authorem naturæ, distinctus à supernaturali, fuit opinionum varietas.

NEGATIVAM sententiam tuetur Vasquez *prima secunda*, 1.2. *disp.*195. alios adducens è schola D. Thomæ, præcipuè Bannem 2.2. *quæst.*23. *art.*1. Similiter Alensem 2.*p.* *quæst.*30. *memb.*1. *art.*2. §.2. *ad* 1. Albertum 2.*p.* *tract.*4. *quæst.*14. *memb.*4. *art.*2. Scotum *in* 3. *dist.*27. *quæst.*1. sed perperam, vt notat Tannerus *disp.*2. *quæst.*2. *dub.*2. *num.*37. Et sanè ipse Vasquez cognouit, hanc esse nouitatem. 85

Vera igitur sententia est, dari duplicem amorem Dei, vtique amicitiæ; alterum, vt finis naturalis; alterum vt finis est supernaturalis. Ita D. Bonau. *in* 2. *dist.*3. *p.*2. *art.*3. *quæst.*1. *in corpore*, *& ad* 3. quem retuli ad hoc. *Et prima secunda*, *tract. de Gratia*, *disp.*1. *quæst.*11. §. *Nota secundò*. Idem sensere Alensis 2.*p.* *quæst.*131. *membr.*3. & *quæst.*91. *membr.*1. *ad* 7. Altisiodor. *lib.*2. *summa*, *tract.*1. *cap.*4. Richard. 2. *dist.*3. *art.*7. & *dist.*28. *art.* 1. *quæst.*1. Arim. *in* 2. *dist.*39. *quæst.*1. *art.*2. Abul. *in cap.*19. *Matth. quæst.*177. Sotus *lib.*1. *de natura*, *& gratia*, *cap.*22. Caietanus, Conrad. Medina, aliique Thomistæ Recentiores *prima secunda quæst.*109. *art.*3. Cano *relect. de pœnit. p.*5. Valentia *tom.*2. *disp.*1. *quæst.*1. *p.*4. Tannerus *disp.*2. *quæst.*2. *dub.*2. 86

Idem præclarè docuit S. Thomas *p.*1. *quæst.*60. *art.*5. & *prima secunda*, *quæst.*109. *art.*3. *ad* 1.

ET sanè id dari, definiunt Pius V. & Gregorius XIII. damnantes propositionem 34. Michaëlis Baij, qui hanc diuisionem negabat. 87

PROBATVR etiam ratione allata *prima secunda*, *loco adducto*, quia Deus potest cognosci vtraque ratione, & vt author naturæ præcisè, sicut agnouere ipsum Philosophi: & vt author gratiæ, & gloriæ, vt fides docet: Ergo voluntas sub his rationibus distinctis potest eum amore prosequi, nempe amicitiæ, vt est duplex finis, & bonus, atque adeò amandus, vt arguit S. Doct. *ad* 3.

RESPONDET Vasquez *cap.*4. ratione quidem naturali cognosci bonitatem Dei; at verò non hic ostendi amandum amore amicitiæ, cùm neque inter gentiles aliquod talis amoris vestigium inueniatur; quin Aristoteles amicitiam inter Deum, & homines negauit.

AT Aristoteles 8. *&* 9. *Eth.* ex hoc capite concessit veram amicitiam inter Deum, & homines, quatenus amatur Deus vt finis; esto ex alio capite non omninò completam asserat, cùm sit totalis communicatio in bonis; & sanè nullum inuenies philosophum negantem, amari Deum propter se, vt finem naturalem, vt notauit Tanner. *num.*42. 88

OBIICIES primò, non inueniri in scriptura, vel Patribus hunc duplicem amorem, vt videre est in D. August. in id Psal. 53. *Voluntariè sacrificabo tibi*, & epist. 115. ac Bernardo *lib. de diligendo Deo*.

RESPONDETVR, haberi duplicem amorem in exercitio; nam ex diuersis motiuis, duplicique ex capite diligendum Deum prædicant Scripturæ. & Patres, siue ex beneficiis naturæ, siue ex donis gratiæ: Sic enim etiam duplicem obiectiuè fidem proponunt, vt notauit Tanner. *num.*47.

OBIICIES secundò. Amor ille haberi posset sine gratia, cùm tamen amor Dei amicitiæ repugnet peccato lethali. 89

RESPONDETVR, hoc non esse inconueniens; Neque omnis amor amicitiæ repugnat peccato, sed supernaturalis.

AN verò hinc producatur habitus naturalis amoris Dei; Negant Caietanus *prima secunda*, *quæst.*62. *art.*3. & *quæst.*109. *art.*3. Valentia *hic p.* 1. §.4.

90 Recitus tamen affirmant Aragon. 2.2. *quæst.*25. *art.*1. *ad vlt.* Tanner. *disp.*2 *q.*2. *dub.*2. *n.*52. vbi ait, esse communem sententiam. Alioqui euanesceret nobis fundamentum Inueniendi acquisitos habitus, & quoad hoc, bene arguit Meldula 3. *disp.* 6. *quæst.* 23. *num.*589. cum liquido experimento inueniamus, sic habitus acquiri. Fallitur verò, vt mox probabo, volens, eos acquiri actibus.

Potest autem inquiri cum Tannero *num.*64. An habitus, & actus charitatis, concessi suprà, differant semper in obiecto formali.

91 Assero, posse quidem actus naturales, & supernaturales habere idem obiectum materiale, attamen semper formale adæquatum esse distinctum. Ita D. Bonauent. & alij suprà allegati, vt notat Tannerus, quibus addit Curielem *p.*2. *quæst.* 109. *art.* 3. Nam actus specificantur ab obiecto, vel ab eo specificati agnoscuntur: At verò actus amicitiæ naturalis habent pro obiecto bonitatem Dei, vt est finis naturæ; Actus verò charitatis supernaturalis habent obiectum bonitatem Dei, quatenus est finis supernaturalis. Confirmatur; nam actus dicunt intrinsecum ordinem ad formale obiectum. Ea, quæ obiiciuntur, hinc facilè ruent.

92 Quoad alteram quæstionem: An actibus supernaturalibus acquiratur nouus habitus charitatis, distinctus ab infuso: An verò ille per eos actus perficiatur, additis nouis gradibus: Et quidem hoc secundum inquiram *quæst.*11.

Quoad priorem partem censent aliqui, ex actibus Fidei, Spei, & Charitatis generari nouos habitus, qui non sunt virtutes Theologicæ, cùm non sint à Deo infusi; esse tamen Theologicos, quia circa Deum immediatè versantur. Ità Nominales, & Scotus *in* 3. *dist.* 23. *&* 26. quem sequuntur discipuli, Arretinus *disp.* 27. *art.*6. Poncius *disp.* 26. *quæst.*2. Mastrius *disp.*6. *quæst.*23. & alij Scotistæ.

Idem sentiunt Auersa *quæst.*55. *sect.* 7. Coninch. *lib.* 1. *de virtutibus*, *disp.*7. *dub.*3. Ouiedo 1.2. *tract.*3. *controu.*2. *p.*4.

93 Secunda sententia negat, dari Charitatem acquisitam. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst* 51. *art.*4. *ad* 3. & Thomistæ. Hæc videtur sententia D. Bonau. 3. *dist.*27. *quæst.* 3. *in corpore*, & *de septem Itineribus æternitatis*, *Itinere* 4. *cap.*3. ad finem, vbi semper persistit, ex actibus habitus supernaturalis charitatis proficere quidem in perfectione eiusdem habitus, non tamen nouum produci; sed habitus de nouo productos esse ex naturalitate.

Idem sentiunt Vasquez *p.*2. *disp.*79. *cap.*10. Caspens. *de charitate*, *disp.*2. *sect.*2. & communiter, vt refert Tanner. *disp.* 2. *quæst.*2. *dubio* 4.

Assero cum hac sententia, non dari habitum Charitatis acquisitum.

94 Probatur. Vel is habitus, acquisitus ex actibus infusi habitus, esset eiusdem speciei cum habitu infuso, vel diuersæ. Non primum, quia habitus infusus talis est, vt per naturam fieri non possit: Neque secundum, quia habitus fit ex actibus eiusdem speciei.

Vrgeo: Vel hic habitus, acquisitus ex actibus virtutis infusæ, esset naturalis, vel supernaturalis; non primum, quia non esset eiusdem speciei, cuius sunt actus, è quibus comparatur; habitus autem naturalis est eiusdem speciei cum actibus, ex quibus generatur. Neque secundum, quia alioqui ex actibus nostris non fieret.

Respondet Mastrius, fore habitum naturalem, quia actus harum virtutum sunt supernaturales tantùm, quoad modum, non quoad substantiam.

Sed hæc responsio reuulsa est *disp.* 1. *quæst.*27.

Obiectas, quia Catholicus, assuetus elicere actus fidei, & charitatis, acquirit facilitatem credendi; sed hoc non prouenit ex habitu infuso, quia eundem effectum produceret in Neophito. Deinde probatur, quia hæreticus, post amissum habitum supernaturalem, retinet eandem facilitatem circa illa, quæ adhuc credit: Ergo ex habitu acquisito per actus supernaturales. Idem argumentum viget de Spe, & Charitate; nam idem hæreticus se promptum experitur ad amandum, & sperandum. 95

Respondet S. Doct. *dist.*27. *cit.* ex D. August. *in lib. de spiritu*, *& anima*, circa principium per actus virtutis infusæ perfici, & augeri à Deo habitum infusum, non verò nouum acquiri. Sic respondent etiam alij Thomistæ. Ità verò vt sicut à Deo habet ortum; ità à Deo augeatur, vt docet D. Bonauent. 1. *dist.*17. *p.*2. *quæst.*2. Itaque actibus supernaturalibus meretur homo augmentum charitatis, vt docet D. August. *epist.*106. apud S. Bonauent. *fundamento* 1. & ostendam *quæst.*11. Quod verò maneat aliquid facilitatis in hæretico; Respondetur id fieri per actus ordinis naturalis, qui simul elici solent cum supernaturalibus. 96

QVÆSTIO X.

An Charitas *possit esse informis.*

D. Bonau. 3. dist. 27. quæst 4.

Assero, Charitatem nunquam esse informem.

Probatur à D. Bonauent. Virtus, quæ dilectum facit Deo, & iustum, ac perfectum; semper est formata: Talis est Charitas: Ergo. Minor probatur Ioan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Coloss. 3. *Super omnia hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Prima Cor. 13. vbi perfectiones charitatis describuntur, & sine ea reliquæ virtutes nihili penduntur, tanquam sine forma. Igitur forma virtutum non potest esse informis: Charitas est forma virtutum ex dictis *quæst.*8. Ergo. 97

Probatur secundò. Ea virtus, quâ perfectè conuersus homo in Deum, illum diligit super omnia, obseruando eius legem, non potest esse informis: Talis est charitas, quæ *est finis Legis*, prima ad Timot. 1. *Vinculum perfectionis*, Coloss. 3. Ideò Matth. 22. & Lucæ 10. dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum, &c. Et proximum, sicut te ipsum: hoc fac, & viues.* 98

Probatur tertiò à S. Doct. Virtus illa, quæ omni peccato opponitur lethali, semper est formata; talis est Charitas: Ergo. Maior est euidens. Minor probatur primò ex D. August. *de lib. arbitr. cap.*3. vbi dicitur, omne peccatum esse ex libidine. Deinde probatur à S. Doct. ex D. August. 14. *de ciuit. cap.*18. vbi ait: Quod omnis affectio oritur ex amore, & ciuitas diaboli ex amore inordinato ædificatur; ciuitas autem Dei ex recto amore.

Ea verò, quæ sibi obiicit S. Doct. facilè soluit ex doctrina allata, sumpta ex natura charitatis, quæ vel est gratia sanctificans; vel si distincta, vt certius est, cum ea semper stat, atque adeò, licèt possint esse Timor, Fides, Spes, & aliæ virtutes; non ideò potest esse & Charitas, quæ est forma, & perfectio virtutum. Quare implicat, habere charitatem, & esse impium. 99

Ex his omnibus quæstionibus habemus, Charitatem esse supernaturaliter infusam, neque viribus naturæ 100

haberi

haberi posse. Sic enim Rom. 5. dicitur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*: vel *infusa*, vt significat Cyprianus *lib. de exhortatione ad Martyrium, cap.9.* & intelligit, ac definit Conetlium Trident. *sess.6. cap.9.* & aliis locis suprà.

RATIO D. Bonauent. ex omnibus *allatis qq.* præcipue ex ista, sic formatur: Illa virtus, quæ infallibiliter elenat ad finem supernaturalem, & ad Dei amicitiam supernaturalem, est virtus, seu entitas supernaturalis infusa; Talis est Charitas, ex dictis: Ergo. Eam verò esse à Deo efficiente testantur Scripturæ *Rom.5. 2. Timot.1. Prima Ioan.3. & 4.*

QVÆSTIO XI.

An CHARITAS *augeatur, & quomodo.*

D. Bonau. in 1. dist 17. & p.2. quæst. 1 & 2. & in 2. dist 27 art.2. quæst.2.
D. Thom. quæst. 24. art.4. & 5.

101 IOVINIANVS hæresi hac statuit, nullum esse augmentum charitatis, sed omnes meritis, omnesquè præmiis esse æquales, cuius errorem repuli *prima parte Tract. 5. disput. 11.* & *prima secunda, Tract. de Gratia, disput. 4.* Sic etiam Sectarios insectatus explosi.

ALII apud D. Bonau. dixere, augeri Charitatem per aliam diuersam succedentem, sicuti dicuntur crescere dies, non per additionem ad dies, puta Aprilis, sed per alios succedentes Maij.

Alij dixere, augeri charitatem, sed per maiorem solam radicationem in subiecto. Ità Thomistæ cum D. Thom. hic, Valentia *quæst.3. p.3.*

102 VERA tamen sententia Theologorum est, augeri charitatem per additionem graduum: Ad hanc conatur Caietanus reducere D. Thomam.

ADVERTIT autem *quæst.5.* S. Bonauent. augmentum esse passionem quantitatis, quæ duplex est; alia molis, alia virtutis, ex D. August. *lib. de quantitate animæ, cap.3.* In spiritualibus verò id est virtus, quod in corporalibus moles. Datur etiam incrementum in qualitatibus secundum intensionem graduum, vt in calore vsque ad octauum, & hoc modo quæritur de augmento charitatis: An augeatur secundum intensionem, & virtutem, quod sanè augmentum est physicum, quo aliæ etiam formæ crescunt. Dari verò potest etiam augmentum morale, quo moraliter in ratione meriti crescens subiectum meritoriè causet tale augmentum, & hoc sensu locutus est D. August. *epist. 106.* apud D. Bonau. *Charitas meretur augeri, vt aucta mereatur perfici.*

103 ADVERTIT secundò, S. Doct. *quæst. sequenti*, aliquos dixisse, augeri charitatem per diminutionem solam contrariæ cupiditatis: Sed omninò ipse asserit, eam augeri per Intensionem ipsius; alioqui, neque in Angelis, neque in homine innocente potuisset augeri.

ASSERO primò, Charitatem intendi substantialiter, & meritoriè.

PROBATVR primò à D. Bonau. argumento D. August. *epist. 106.* quo vtitur Concilium Trident. *sess.6. de Iustificatione cap. 10.* Incrementum charitatis fit per meritum in Charitate ipsa, quam habet iustus
104 in via, & perficitur in patria: Sed hæc est vera Charitas physica, diffusa in cordibus nostris: ergo. Hoc argumentum supponit primò, nos posse mereri incrementum charitatis, quod probatur ex 4. ad Ephes. *Crescamus in charitate.* Philip. 1. *Hoc oro, vt charitas vestra magis abundet*, & prima Thessal. 3. *Vos Dominus multiplicet, & abundare faciat in charitate.* Apoc. 2. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* Ecclesi. 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari.* Prima Cor. 9. *Augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Vnde D. August. suprà: *Gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici.* Et D. Gregorius, homil. 15. In Euang. *Vnaquaque virtus, quasi quibusdam gradibus augetur; & sic per incrementa meritorum ad summum perducitur.* Tandem Iacob. 2. *Videte quòd ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm.*

DEINDE supponit argumentum, fieri augmen- 105
tum eiusdem charitatis, quod probant loca scripturarum allata, & ideo orat Ecclesia: *Da nobis Domine, fidei, spei, & Charitatis augmentum*; & ratio philosophica adest, nam intensio, est additio noui gradus, vel virtutis ad idem, vt docet Aristoteles 1. *de Gener. text. 31.* & aduertit S. Bonauent. *quæst.2. fund.2.*

TERTIO supponit, eandem charitatem perfici in patria, quod asseritur prima Cor. 13. *Charitas nunquam excidit.* Et ideò ait Apostolus *prima Corinth. 15.* loquens de merito, & præmio, illi respondente: *Alia claritas solis, Alia claritas Lunæ, alia stellarum. Stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.*

MINOR est de fide probata *prima secunda, Tract.* 106
de Gratia, disp. 3. Hoc argumentum cæteris etiam fundamentis Seraphici roboratur.

SECVNDVM ergo fundamentum est: Omnis motus à minori ad maius, re manente, est augmentum: Sed Charitas manens eadem essentialiter, quæ in via, augetur in patria: Ergo. Maior est euidens. Minor probatur ex 1. Cor. 13. *Charitas nunquam excidit.*

TERTIVM fundamentum. Quantitati charitatis viæ respondet præmium gloriæ, & charitatis patriæ; sed in patria erunt præmia inæqualia, vt ostendi ex *prima Cor. 15.* Ergo.

QVARTVM. Ens, quod non est summum, po- 107
test meliorari: Charitas non est summum bonum, alioqui esset in singulis idem; atque adeò haberet in omnibus, & singulis, æquales effectus, quod est falsum; nam in vno iusto plura, & altiora operatur, quàm in alio. Neque est summum, quod possit esse, cùm sit perfectio, per quam homo constituitur formaliter in via ad vltimum terminum patriæ. Ex quo sic format S. Doct. argumentum, quo vtitur etiam D. Thom. *art. 4.* Illa perfectio, per quam homo constituitur formaliter in via ad terminum, potest augeri; sed Charitas est illa perfectio, per quam homo in via constituitur ad beatitudinem, quæ est vltimus terminus: Ergo. Maior est euidens; nam ad viatorem maximè pertinet, vt in via progredi queat. Minor probatur à D. Bonauent. *quæst. 2. fundamento 3.* quia Charitas est quasi Lux, crescens ab aurora gratiæ ad meridiem præclarissimam gloriæ. Ideò Prouerb. 4. *Iustorum semita, quasi Lux splendet, procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Eadem ratione vtitur Valentia *disp. 3. quæst. 2. p. 3.*

ASSERO secundò, hoc augmentum physicè esse à Deo.

108 Probatvr à D.Bonauent. *quæst.2. fundamento* 4. *& corpore.* Ab eodem res augetur, à quo producitur: Sed charitas infunditur à Deo: Ergo. Maior probatur, quia eadem est virtus potens in essentiam, & in gradus essentiæ, & accidentia eius. Minor probatur Rom 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Secunda Timoth. 1. *Dedit nobis Deus spiritum dilectionis*, prima Ioan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & simus*, & cap.4. *Charitas ex Deo est.* Hoc argumento vtuntur Caietanus *ad art.* 6. D.Thomæ & Valentia *disput.* 3. *quæst.*2. *p.*5. *assert.*7. vbi discutis: An saltem absolutâ Dei potentiâ posset homo, saltem instrumentaliter, esse causa physica augmenti charitatis: Et quidem ipse id asserit, putans, charitatem non creari. Sed hoc explosum est *p.* 1. *Tract.* 3. *disputatione* 1. vbi ostendi, habitus infusos creari.

109 Obiicias primò. Omnis forma est inuariabilis, consistens in indiuisibili.

Respondet S. Doct. verum esse quoad essentias vniuersales, & etiam singulares quoad essentialia, non autem ratione subiecti, contra Scotum 1.*dist.*17. *quæstione* 4. Non vult S. Doctor, formam in subiectis essentialiter mutari, sed quadam substantiali indiuiduâ perfectione, vt patet de anima rationali; accidentalem verò gradibus intensiuis per se vult variari.

Obiicias secundò. Simplicitas non admittit magnitudinem.

Respondet, non admittere magnitudinem molis; sed virtutis.

Obiicias tertiò. Augmentum in corporalibus est secundum accidens ex 5. *Phys.* *t.*8.

110 Respondet S.Doct. quantitatem esse quanto accidentalem; at quantitatis augmentum sibi substantiale esse; fit enim ex propria entitate per gradus, qui in virtute morali essentiales sunt.

Respondet secundò, terminum augmenti in corporeis esse quantitatem perfectam per se; at per accidens augeri etiam additione substantiæ, nisi fiat per rarefactionem, vel protensionem; cum enim augetur quantitas, augetur & subiectum, in quo illa fit, licèt terminus formalis augmentationis sit ipsa quantitas; sic igitur in spiritualibus augetur quantitas virtutis in Charitate, quæ est accidens quidem, sed tamen est illi formæ consubstantialis; sicuti calori tertius gradus, & sequentes, secundùm quos intenditur.

111 Obiicies quartò. Si Charitas substantialiter augetur, mutatur substantialiter, sed: *Charitas nunquam excidit*, ex prima Cor.13. Ergo.

Respondetvr, Charitatem manere respectu esse sui; simpliciter tamen augeri per gradus.

Obiicias primò, ad probandum, charitatem augeri à seipsa, quia potentior est, quàm ignis; sed ignis suo calore seipsum auget combustione: Ergo.

Respondet S. Doct. Charitatem non esse actiuam ad creationem.

Obiicias secundò cum D Thom. ad probandum, eam non augeri per additionem graduum, quia est simplex.

Respondet S.Doct. Charitatem habere gradus perfectionis, ideò posse augeri; neque qualitati repugnant gradus secundùm intensionem, etiamsi sit simplex qualitas, sic enim etiam calor intenditur. Eodem modo respondet S.Doct. *in* 2. *dist.*27. *art.*2. *quæst.*2. *ad* 1.

Dices: Punctum habet quantitatem virtutis, nec tamen augeri potest. 112

Respondet S.Doct. id euenire, quia punctum est in suo genere indiuisibili completum, vnde nihil ei potest vniri, vt augeatur, quia essentialiter est tale.

Deinde respondet, punctum esse in genere quantitatis molis indiuisibile; at in genere quantitatis virtutis, nulla perfectio est indiuisibilis simpliciter, præter Diuinam. Præterea punctum est actus, in genere quantitatis imperfectus, qui non est perfectus in actu; sed solum terminatiuus respectu linearum; ideò non habet potentiam infinitam actiuam, sed passiuam; vnde nequit lineas producere, sed terminare; quare non comparatur virtuti Diuinæ, nec potest augmentari, sicut Charitas.

Obiicies secundò. Omnis additio dicit compositionem, & hæc diminutionem virtutis inducit: Ergo quantò maior fit additio, tantò impotentior fit charitas; & quantò impotentior, tantò minor. 113

Respondet S.Doct. primò, quantum additur de partibus formalibus alicui, tantum addi de actu, & virtute, alioqui minor ignis esset potentior, quàm maior; & Sirupus compositus ex multis, esset impotentior, quam vnum ex ingredientibus illius. Itaque charitas augetur secundùm gradus formæ.

Respondet secundò, Charitatem augmentatam non esse magis compositam, sed magis simplicem; contrario enim modo se habes res in quantitate molis, & in quantitate virtutis; in quantitate enim molis simplicissimum est minimum, & debilissimum, vt punctus; & ideò in hoc genere accessus ad simplicitatem est diminutio; recessus verò à simplicitate puncti est per additionem: at in quanto virtutis, simplicissimum est maximum, nempe Deus, ideò accessus ad simplicitatem, est per additionem; quantò enim creatura plures gradus habet perfectionis, tantò magis ad Dei perfectionem, atque adeò simplicitatem accedit: Sic Anima, & Angelus præcellunt in Dei imitatione reliquis creaturis, neque tamen excludunt simplicitatem quantitatis. Ideò & charitas, quo perfectior, eò similior Deo. 114

Obiicies tertiò. Si additur charitati aliquis gradus; vel is est charitas, vel non. Si non: Ergo non auget illam. Si primum: Ergo charitas prima, respectu charitatis aduenientis, est materialis: Vel si non sic se habent, non fiet vnum, quia non fit vnum ex pluribus, nisi vnum sit vt materia; alterum, vt actuans. 115

Respondet S. Doct. imperfectum se habere ad modum materialis, respectu gradus perfectioris, sic calor vt quatuor, se habet, respectu sui, vt octo intensi; & hoc modo charitas vt quatuor se habet, vt in potentia ad octauum gradum, nec est vllum inconueniens.

Ex quo resoluitur argumentum Valentiæ *assert.*4. quo nititur probare, charitatem non augeri per additionem alicuius gradus charitatis, alioqui essent plures charitates: Nam illis gradibus fit vna qualitas intensa; sicut è pluribus gradibus caloris fit vnus calor vt quatuor, vel vt octo. 116

Qvod verò ipse docet *assert.*5. augmentum fieri charitatis per quendam modum perfectionis in subiecto actuando; fateor mihi inintelligibile esse, quia virtus naturalis agit semper tota in eodem subiecto: ergo manens eadem, semper facit idem: Ergo iustus non est aptus perfectiores actus elicere, quantumuis crescat in charitate, vt arguebat S. Doct. *quæstione* 1. *fundamento* 5. Nam maioritas effectus venit ex maioritate virtutis; & maioritas virtutis 117

ex

ex maioritate essentiæ. Vel enim illa virtus est ipsa essentia, vel non. Si primum: Ergo aucta virtute augetur essentia. Si secundum: Vel illa virtus habet essentiam à qua fluat, vel non; si habet; vel est ipsa essentia charitatis, vel alia; Si ipsa essentia charitatis: Ergo aucta virtute, oportet, auctam esse charitatem; si verò habet aliam essentiam. Quæro de illa: An sit charitas, necne; & tune oportebit, vel abire in infinitum, vel deuenire ad aliquem nouam charitatis entitatem, quæ sit causa illius virtutis.

118 Confirmatur à D.Bonau. *fundamento* 1. & *quæst*.2. *fundamento* 4. quia actio moralis, quâ augetur illa charitas, est noua ex D. August. *epist*.106. Similiter actio Physica Dei influentis: Ergo noua entitas Charitatis producitur.

Respondet Valentia, satis esse, si nouæ actioni adueniat nouus effectus formaliter distinctus. Sic nouo motui locali, nouus modus aduenit.

Contra primò, quia æquiuocat: nam locus ille, seu *Vbi* est entitas in se faciens nouum prædicamentum, esto respectu locati sit modus. Igitur concedat mihi, nouam entitatem aduenire charitati, quæ cum sit virtus, oportet vt & cum noua entitate Charitatis adueniat; non autem nouus modus solitarius in subiecto, absque noua additione facta charitati.

119 Igitur sit Assertio tertia, probatsque, augmentum charitatis fieri per nouum additum gradum charitatis. Est communis Philosophis, & Theologis ferè omnibus.

Hic multa disputantur à Doctoribus. Primò: An quibuscumque operibus quarumcumque Virtutum augeatur gratia, & charitas; Sed de hoc egi t. 2. *Tract. de Gratia*, *disp*.4. *quæst*.4. Deinde: An quolibet opere, seu actu remissio acquiratur augmentum charitatis. De hoc egi *loc. cit. quæst*. 12. Tertiò: An hoc augmentum illicò adueniat. De hoc disserui *ibi*, *disp*.3. *à quæst*.2. contra Scotum; & est sententia communis Theologorum apud Turrianum *disp*.68. *dub*.4. Ideò Concil. Trident. *sess*.6. *cap*.10. definit, Iustificatos, per obseruationem mandatorum, crescere in ipsa iustitia per gratiam Dei acce-
120 ptam: Et ideò ait, Ecclesiam orare: *Da nobis fidei, Spei, & Charitatis augmentum.* Et sanè argumenta suprà allata ostendunt, hoc augmentum fieri statim post actus meritorios, tanquam per causas morales, ad quarum operationem Deus physicè infundit charitatem. Ideò propter authoritatem Concilij Tridentini, Mastrius 2. *disputatione* 7. *numero* 359. oppositam sententiam non posse sustineri, asserit, & reprehendit Fabrum.

121 Dicas: Si statim confertur post primum instans augmentum: Ergo si continuetur actus charitatis per aliquod tempus, in quo sunt instantia infinita, augebitur in infinitum.

Respondetur cum Suarez *opusc. de reuiuisc. merit. disp*.2. *sect*.3. Caspensi *disp*.2. *sect*.6. ex D.Bonauent. *dist*.17. *quæst. vlt*. augmentum esse finitum, quia non computatur secundum durationem per diuisionem temporis, & actus in partes aliquotas; sed secundùm successionem, vel instantaneitatem operis, modo physico; fiunt autem opera tempore finito; & secundùm instantia partium æqualium, in quibus est operatio; nam quoad partes aliquotas, quibus respondent finita, sunt infinitæ, quibus respondent partes aliquotæ actuum; sed hoc pacto non mensurantur, sed secundùm tempus viæ determinatum.

Ex dictis etiam *Disput. de merito*, *quæstionibus allegatis* maximè 8. & ex dictis *hic* resoluta iacet illa 122
quæstio: An augmentum Charitatis, meriti; & gloriæ, crescat ex inæqualitate operum, quæ imperantur à Charitate; ita vt, si charitas, eadem vt quatuor, imperet duos actus; alterum Temperantiæ; alterum Fidei, augeatur meritum ex mera inæqualitate horum operum; cùm tamen charitas imperans sit æqualis.

Et quidem Falsa est opinio Bannes *quæst*.25. *art*.6. *dub*.5. dicens, crescere solùm ad præmium accidentale. Vera est autem sententia Victoriæ *relect. de augmento charit. num*.11. Valentiæ *disput*.3. *quæst*.2. *p*.3. & Caspensis *sect*.7. post D.Thom. *p*.2. *quæst*.114. *art*.4. *ad* 2. crescere meritum substantialiter.

Probatur ex dictis *locis citatis*. Sicut se habet 123
simpliciter ad simpliciter; ita magis ad magis: sed meritum simpliciter habetur ex actibus aliarum virtutum: Ergo & augmentum. Ideò in Concilio Thelensi, in quo hæresis Iouiniani damnata est, excludens inæqualitatem meritorum, cùm Pontifex eam damnasset, scribit Episcopo Mediolanensi Ambrosio, & aliis, epist. 81. *Agrestis, idest, Luporum vlulatus est, nullam virginitatis gratiam, nullum castitatis ordinem seruare, diuersis diuersorum gradus abrogare meritorum, quasi vna sit palma, & non abundent tituli præmiorum.* Retundit hîc Iouinianum, qui volebat, ità meritoriam esse coniugalem continentiam ab illicitis, sicuti virginitatem, quod est contra Apostolum, prima Corinth. 7. *Qui iungit virginem suam, benefacit: & qui non iungit, melius fa-
cit*, quæ verba adducit Concilium, & subdit: *Me-* 124
lior virginitas, per quam regni calestis hæreditas acquisita, & calestium meritorum reperta successio. Quo ostenditur, loqui de præmio, & merito essentiali; nam virginitatem simpliciter meliorem nominat, vt aduertit etiam S.Doct. *in* 4. *dist*.31. *quæst*.1.

Id etiam exprimitur illis verbis Matth. 19. *Sunt qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum*, quo vtitur D.Hieron. *lib*.1. *cont. Iouinianum.* Eodem vitur D. Bonauent. *in Diata*, *titulo* 6. *capite* 2.

Idem probatur à D.Bonauent. *ad* 21. *Luca*, exem- 125
plo illius Viduæ, quæ vno minuto demisso in Gazophylacium, plus Deo placuit, quàm illi, qui integros aureos iaciebant; hoc autem factum est, quia de sua penuria misit: Ergo ex vi operis crescit meritum, vt exponunt S.Gregorius *homil*.5. *in Euang.* & Beda *ad ea verba.*

Respondet Bannes, eam præualuisse ex maiori charitate: Confirmatur ab eo ex D. Gregorio *loc. cit.* & Glossa Interlin. *ad hunc locum*, & D. Vincentio *serm*. 4. *in septuag.* dicentibus, *Perpendere Deum, non quantum offertur, sed ex quanto affectu*, vt refert S. Bonauent. ad eum locum.

Sed æquiuoco scatet: Volunt enim dicere, Deum 126
non respicere solùm id, quod datur; sed magis quo affectu, qui quidem est, non solùm ex charitate, sed ex obiecto illius virtutis. Ideo ait Christus Matth. 10. *Qui dederit vni ex minimis meis calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem*, vt obseruat ad eum locum *Luca* S. Doct. vbi alia affert Scripturæ loca probantia, etiam affectum aliarum virtutum esse ad meritum essentiale. Sic 66. Isaiæ: *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum corde, & trementem sermones meos.* Psalm. 101. *Respexit in orationem humilium.* Et Eccl. 35. *Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam descendunt: à maxilla enim ascendunt vsque ad cælum.* Et Tobiæ 4. *Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.*

127 Ideo ait Christus Lucæ 21. *Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper, plusquam omnes, misit*, quod exponit S.Doct. Copiosiùs dedit ex majori corde. De numero enim illorum erat illa Vidua, de quibus dicitur secunda Corinth.8. *Secundùm virtutem testimonium illis reddo, & supra virtutem voluntary fuerunt*; Loquitur autem de Macedonibus patientibus, & pauperibus, dantibus eleemosynam Discipulis. Vnde Chrysostomus: *Nullus dicat: Non possum eleemosynas facere. Non es Viduâ illâ pauperior, non es Petro, & Ioanne rusticior: Talenta vniuscuiusque sunt, sine præminentia in doctrina, sine in pecunia, sine in quolibet negotio: Nihil est ità Deo amicum, sicut ad commu-*
128 *nem vtilitatem vivere.* Propter quod etiam Petrus ait, Primâ, capite 4. *Vnusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes.* Vnde, sicut qui dimittit parua in re, & nihil vult habere in voluntate, omnia dicitur dimittere, sicut Petrus, Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia.* Sicut qui nulli subiicitur, omnia habet, & abundat, sicut Paulus, secundâ Corinth.6. *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Sic qui magno corde dat, dicitur abundanter dare, secundùm illud allegatum 2. Corinth.8. *In multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipsorum fuit, & altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum.*

129 Ponderat deinde S. Bonauent. rationem Christi: *Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei.* Vnde ex obiecto eleemosynæ, fuit præstantior exhibitio viduæ, quia illi præcepto satisfecerunt suprà lato: *Quod superest, date eleemosynam.* Hæc autem consilio obediuit. Igitur laudatur ex speciali difficultate operis, dando, sibi necessaria ipsa, in eleemosynam. Etsi remissio, & donatio aliis, esset sibi tribulatio, quod ad moderatam eleemosynam requirebat Apostolus *loc. cit. ad Corinth.* atque hæc difficultas ad hoc obiectum reddit meliorem voluntatem, & Deo placentem.

130 Confirmatur à D.Bonau. ad 15. Ioan. illis verbis: *Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quibus verbis significat, magis diligere Deum, qui æquali Charitatis intensione pro illo fundit sanguinem; quàm ille, qui æquali intensione dat potum aquæ frigidæ. Maior enim perfectio dilectionis ex obiecto sumitur, vt aduertit Caspensis *num.69.* cum D.Bonauent. *ad eum locum*, qui & *in 1. dist.17. p.1. dub.7.* explicat illud, esse etiam signum maioris dilectionis; non tamen dicere, esse maximum signum dilectionis, vt vellet Bannes *dub. 5.* Cum D. Bonauent. consentit D.Thom. *ad eum locum.* Itaque non negant, quin inter cætera sit signum maximæ dilectionis; nam Charitas tunc est maxima, quando pro ipsa contemnitur vita, vt ait D.August. *lib. de natura, & gratia, capite vltimo.*

QVÆSTIO XII.

An CHARITAS *augeri queat in infinitum.*

D Bonau 1.dist.17 quæst.vlt.
D.Thom.2.2.quæst.24.art.7.

131 FVere hæretici asserentes, etiam in hac vita esse determinatum charitatis terminum, vltra quem nemo potest perfici. Quæ sententia damnata est in Clementina *ad nostram, de hæreticis*, & in Trident. *sess.6.cap.*10. vbi adducitur illud Apoc. vltimo. *Qui iustus est, iustificetur adhuc*, & alia relatâ *quæst.11.* Sic Psal.83. *Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit. Ibunt de virtute in virtutem.* Prouerb.4. *Iustorum semita quasi lux procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.*

Quæstio ergo manet: An Charitas secundùm se habeat terminum sui augmenti. Scotus 1. *dist.*13. *quæst.*1. quem sequitur Caietanus hîc, asserit, licèt Charitas in hac vita nullum habeat terminum, tamen ex sua natura certum habere terminum; sic & aliqui Scotistæ.

Secunda sententia est S. Thomæ hîc, quem 132
communiter sequuntur Recentiores, vt refert Caspensis *disp.2. sect.8.* asserens, charitatem in quouis subiecto posse magis, magisque in infinitum crescere. Sic etiam Tannerus *disp.2. quæst.2. dub.4.* qui dicit, esse communem, & Seraphicum explodit; sed tamen *num.*130. eum sequitur. Sequuntur aliqui Scotistæ apud Mastrium 3. *dist.2. quæst.3.*

Sententia D. Bonauenturæ est, licèt Charitas possit ex sua natura magis, ac magis crescere in infinitum; in tali tamen subiecto, idest in homine, habere certum terminum secundùm augmentum, ratione finitæ capacitatis illius, & ratione finitæ potentiæ actiuæ, cuius influxus necessarius est ad efficiendum actum charitatis: Itaque is terminus est alio modo intrinsecus.

Assero cum D.Bonauentura, Charitatem, licèt possit magis, magisque crescere in infinitum, habere tamen in vnoquoque certum, & determinatum terminum.

Probatur primò à S. Doct. Quidquid recipitur 133
in aliquo, secundùm capacitatem recipientis recipitur: Sed anima recipiens charitatem, est finitæ capacitatis: Ergo.

Respondet D. Thom. capacitatem animæ dilatari, vt dicitur 2. Corinth.6. *Cor nostrum dilatatum est.* Ideò gratiam, & charitatem non mensurari ex naturali capacitate animæ: Rationem reddit Caspensis *num.79.* & alij, quia potentia hominis actiua, vel passiua ad charitatem, non agit secundùm naturam, sed eleuata à Deo, à quo semper magis eleuari potest.

Contra tamen est, quia forma non confert ma- 134
teriæ id, quod pertinet ad rationem capacitatis materiæ, quæ est passiua propria materiæ, vt arguit Scotus. Probatur assumptum: Quod enim est posterius, non confert priori aliquid, spectans ad eius causalitatem: Sed materia est prior forma: Ergo.

Deinde arguit S. Doct. quia capacitas animæ ad recipiendam Charitatem, est fundamentaliter à natura animæ, quæ est finita.

Respondet Caiet. licèt potentia remota sequatur naturam subiecti; proxima sequitur dispositionem, & variatur. Iam verò Charitas disponit animam ad vlteriorem gradum; Sic & calor vt quatuor, reddit subiectum magis dispositum ad calorem vt quinque, quàm esset antè per calorem vt tres. Itaque materiæ datur à forma dispositio ad aliquid ampliùs recipiendum.

Sed contrà primò, quia virtus summa capacita- 135
tis subiecti finita est, vt obseruat acutè S. Doct. in illa parabola *Matth.25.* vbi ad summum dedit quinque talenta, alij duo, alij vnum; vnicuique secundum propriam virtutem, non quidem secundùm meritum, sed secundùm naturalem possibilitatem, vt exponit B. Prosper *Lib.2. de vocatione gentium, cap.2.* & refert Cornelius à Lapide.

Deinde, quia *Deuter.6.* & *Matth.* 22. & *Lu-* 136
ca 10. habetur præceptum charitatis sic: *Diliges Dominum*

minum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota virtute, hoc verò præceptum perfecta
136 executione solùm in patria impletur. Igitur oportet dari, vt tunc completè impleatur, quando non est alia capacitas in corde, alioqui non diceretur *in toto corde.* Neque est verum, qualitatem intensiorem reddere magis dispositam naturam subiecti vltra eius capacitatem; sed intra limites eius. Itaque, si aliquod subiectum est aptum recipere tantum calorem vt 4. non poterit aduenire vt 5. Sic igitur neque supernaturalis dispositio dilatat potentiam capacitatis in infinitum, sed vsque ad terminum limitatum.

137 PROBATVR secundò à S.Doctore. Quod est in corporeis moles, hoc est in spiritualibus virtus, & proportionaliter se habent vt docet D. Augustinus *de quantitate animæ, cap.*3. sed in quantitate molis ratione subiectorum augmentum habet certum statum, quia, vt ait Aristoteles 2. de anima, textu 41. *Omnium natura constantium terminus est, & ratio magnitudinis, & augmenti*: Ergo similiter in quantitate virtutis. Hac ratione vtuntur Gallus 3.*dist.*13.*quæst.*1. *cap.* 3. & author controuer. Sotus *contr.* 10. *secunda, Partis.*

Ratio autem sumitur in vtroque genere etiam ex finitate perfectionis; Sicuti enim quantitas molis est finita secundùm cursum naturalem ordinarium, ita & gratia, quæ est participatio Dei. Ideo ait Sap. 11. *Omnia in numero, mensura, & pondere disposuisti.* Sic arguit etiam Scotus. Est enim participatio finita infiniti, alioqui calor esse posset infinitus. Quo refellitur Mastrij responsio *disp.*10. *Phys.quæst.*4.*n.*65. Ignem inferni crescere posse è parte subiecti receptiui.

138 Respondet Caietanus, non esse parem rationem de naturalibus, & supernaturalibus: Nam calor, v. g. est participatio infiniti, non cum conuenientia formali; Charitas autem est cum conuenientia formali; nam Deus formaliter est Charitas, non autem formaliter est calor. Porrò de naturalibus quidem ait Aristoteles 2. Animæ text. 41, *Omnium naturalium etiam statutum augmentum.*

SED hæc responsio frigida est; nam videtur supponere, Charitatem, qua perficimur, esse ipsum Deum, non autem habitum creatum, quod est error. Esto autem Deus sit formaliter Charitas, attamen ipse non est illa Charitas, qua nos perficimur habitu, vel actu. Vnde corruit paritas, quòd cùm Charitas sit participatio creata Dei, habeat finitam, & terminatam perfectionem. Quòd verò obiectum amoris sit infinitum, nil facit, vt obseruat S.Doctor *ad vltimum*; nam obiectum est Deus infinitus, cui non commensuratur Charitas nostra creata.

139 RESPONDET Caspensis; non variari habitum ex multiplicatione partium continuantium, eque eandem naturam participantium, sed ex diuersitate graduum essentialium, è quibus constat quidditas, & species illius, & hoc magis locum habet in actibus, qui respiciunt obiectum infinitum. Idem respondet Mastrius *loco citato & in* 3, *disp.*2. *quæst.*3. *art.*2.

SED hæc responsio friuola est: Nam in entibus accidentalibus gradus intensionis sunt substantiales, v.g. in calore octo gradus dicunt summam perfectionem caloris, neque potest ad nouem ascendere; nam
140 virtus oritur ex essentia, nec eam transcendit. Itaque gradus Charitatis, cùm ex essentia finita oriantur, debent esse finiti, vt arguit S. Doctor; non enim est effectus nobilior suâ causâ. Quamuis verò actus respiciant obiectum infinitum, illud tamen respiciunt, sicuti & habitus, secundùm suam capacitatem, & virtutem, quæ creata est; atque adeo à potentia finita habent finitam intensionem. Hoc tamen argumentum non est ad quadrum S.Doctoris, vt dixi *p. p. Tract.*5. *disp.*8. *quæst.*5.

PROBATVR tertiò. Perfectum est, cui in suo genere non est possibilis additio: sed datur Charitas perfecta in patria: Ergo. Maior est Aristotelis *primo cæli, textu* 12. Minor probatur ex prima Corinth.13. *Cum aduenerit quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est*; hoc autem perfectum, ait, esse Charitatem.

PROBATVR quartò à S.Doctore. Quantò aliqua 141
res perfectior est inter creaturas, tantò fini coniungitur: sed Charitas est perfecta: Ergo; at si esset in infinitum augmentabilis, non haberet finem.

RESPONDET D. Thomas, Charitatem habere finem, sed in alia vita. Hoc tamen non soluit, quia finis, qui est terminus, debet dari cuique finito in se.

VNICAM rationem habent, sumptam ex infinitate agentis Dei, & ex parte obiecti, quod est infinitè amabile.

SED hæc atteruntur à S.Bonauent. Nam licèt ob- 142
iectum sit infinitè amabile, tamen potentia creaturæ est finita; vnde, sicuti est infinitè intelligibile, attamen ratione potentiæ creatæ intellectiuæ limitatur intelligibilitas; ita etiam in re nostra. Quòd verò agens principale sit infinitum, nihil facit, alioqui omnes effectus Dei essent infiniti, sed limitantur ex propria capacitate; non enim Deus agit, quantum potest agere, vt obseruat S.Doctor.

QVÆSTIO XIII.

An, & quomodo CHARITAS *huius vitæ sit perfecta.*

D.Thom. quæst.14. art 5. & 9.

CERTVM est, vt ait S.Doctor *dist.*17. *quæst.vltima*, 143
dari aliquos in Charitate perfectos, etiam in via. Ea verò perfectio est duplex, vt docet D.Bonauent.3. *dist.*30. *quæst.*2. Alia necessitatis, quæ excludit peccatum mortale, obseruando legem: alia supererogationis, de qua Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, &c.* Ea autem est huius vitæ perfectio in Charitate, de qua *secunda, Ioan.*3. non quæ excludat etiam venialia; hæc enim est perfectio patriæ, & in via, Christi, & dulcissimæ matris, vt indicat S.Bonauent. *loco cit.* & definit Concilium Mileuit. *cap.*6. 7. & 8. & Tridentinum *sess.*6. *cap.*11. & *can.*13. Vnde D.Augustinus *Lib.* 1. *de doct. Christ. cap.* 39. concludit, nullam esse perfectionem viæ, quæ sit æqualis cum perfectione alicuius beati. Igitur in hac vita est perfecta charitas, vt ait D. August. suprà, & D.Bernardus *serm.*2. *de S. Michaële*, quando edomitis passionibus expedite inuenitur anima ad actus virtutum. Diuiditur Charitas viæ in Charitatem Incipientium, Proficientium, & Perfectorum. Vide D. Thom. *art.*8.

PROBATVR à D.Bonauent. *primo, dist.*17. *part.*1. 144
*quæst.*2. Formæ intenduntur per accessum ad terminum, & impermixtionem contrarij, ex Aristotele 3. *Top. cap.*4. & 3. *Phys. textu* 19. sed quo minuitur concupiscentia, eò augetur, & perficitur Charitas in via, ex D.Augustino *Lib.* 83. *qq. quæst.*36. & *in Enchir. cap. penultimo*, quod est 121. intenditur enim feruor Charitatis, qui ad perfectionem deducit, licèt & gradus ipsi Charitatis augeantur, etiamsi non adesset concupiscentia; sicut patet in Angelis, & in Adamo innocente, in quibus aucta esset Charitas

absque diminutione concupiscentiæ, quæ in eis non esset. Vide etiam Tannerum *disput. 2. quæst. 2. dub. 4. num. 132.* vbi etiam distinguit tres status, incipientium, proficientium, & perfectorum in Charitate, quæ est diuisio familiaris S. Bonauenturæ.

145 Difficultas verò esse potest: An in hac vita possit esse Charitas intensior eâ, quæ est in patria, quam difficultatem exibtant Caspensis *disp. 2. sect. 9. num. 85.* Fuliensis *lib. 3. cap. 8.*

Si sermo sit de Charitate habituali, certum videtur; nam sunt aliqui beati, sola Charitate, obtenta in baptismo, dotati, cùm in hac vita sint homines ditati Charitate acceptâ, non solo baptismo, sed aliis Sacramentis, & meritis. Si tamen loquimur de eodem homine; sic Charitas patriæ est intensior, quia in termino. Quod probat S. Doctor *primo, dist. 17. part. 2. quæst. 1. fundamento 2.* Omnis motus est actus entis in potentia ab imperfecto ad perfectum; sed Charitas viæ est in motu ad Charitatem patriæ in vnoquoque: Ergo.

146 CONFIRMATVR: Nam in patria est remuneratio supra condignum, vt colligit S. Doctor cum aliis Theologis ad 6. *Lucæ* illis verbis: *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem, dabunt in sinum vestrum.* Quod non verificatur, quatenus Deus præmiat super id, quod opera ex merito nudi arbitrij merentur, vt putat Caspensis; nam hoc titulo nullum habent meritum supernaturale; neque catenus, quatenus vnico gradulo præmij gloriæ opera digna recipiunt plures; nam cùm intensiora sint in aliis merita, merentur etiam plusquam infimum gradum, quem merentur infimi iusti.

147 QVOAD actum, D. Thom. *ad 3. quæst. 7.* censet, non posse Charitatem viæ ad perfectionem Charitatis patriæ peruenire, quia est altioris essentiæ. Sic etiam Scotus *in 4. dist. 49. quæst. 5.* Caietanus *p. p. quæst. 82. art. 2.* Confirmatur ex Patribus, asserentibus, Charitatem viæ, à Charitate patriæ superari; qua phrasi vtuntur Augustinus *Lib. 1. de doct. Christ. cap. 38.* & *Lib. de spiritu & litt. cap. vltimo.* Chrysost. *homil. 34. in primam ad Corinth.* Theodoretus, & Beda ad ea verba prima Corinth. 13. *Charitas numquam excidit.*

ATTAMEN S. Doctor *primo, dist. 17. part. 2. quæst. 1. in corpore*, censet, eandem esse auctam. Idem docent D. Thom. *prima 2. quæst. 67. art. 6. ad 2.* Bannes *ad quæst. 25. art. 7. dub. 3.* Aragon *ibidem* Caspensis *disp. 2. sect. 9.* & alij apud Tannerum *disp. 2. quæst. 2. dub. 3. à num. 93.* Morandum *Tract. vnic. quæst. 23.*

148 PROBATVR à S. Doctore: Id, quod augetur tantùm, & nunquam excidit, manet idem; sed Charitas ex dictis augetur, & nunquam excidit *prima Corinth. 13.* Ergo manet eadem. Id verò intendunt Patres, mutari scilicet per augmentum, sicut calor idem manens, fit intensior.

OBIICIES illud Matth. 11. Lucæ 7. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista: Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo:* Ergo minimus beatus præcellit Charitate quemcumque viatorem, etiam Ioannem; dum erat in via.

149 RESPONDET Caspensis, quod ibi Christus non comparabat Ioannem cum aliquo regnante in cœlis, vbi tunc erant soli Angeli, sed cum Sanctis regni Ecclesiæ nouæ Christi in munere prophetandi; nam hi Mysteria altiora, nempe Trinitatis, & Incarnationis, exposuere. Ita explicant hunc locum Iansen. *cap. 47. concord.* Salmeron *Tom. 4. part. 2. tract. 3.* Vasquez *p. p. Tom. 1. disp. 147. cap. 2.*

RESPONDET secundò. Caspensis cum D. Bonau. *ad eum locum Lucæ*, ibi comparari Ioannem cum minimo Ecclesiæ, de qua Gregorius exponit illud Matth. 13. *Colligent de regno eius omnia scandala*, homil. 22. in Euang. Christus igitur dictus est minor humilitate, & apparentia. Sic enim dicitur, Psalm. 8.
Minuisti eum paulo minus ab Angelis, & Philip. 2. *se-* 150
metipsum exinaniuit, & sic de eo verificatum est id Isaiæ 60 *Minimus erit in mille*, & Matth. 22. *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Vnde ait Gregorius: *Humilia te quantumcumque potes, adhuc Christus erat humilior.* Ità exponunt Tertullianus *ibi.* Augustinus *tract. 13. in Ioan.* Beda 7. *Lucæ*, Chrysostomus, Theophylac. & Euthymius *in hunc locum.*

RESPONDET tertiò cum S. Doctore ibi, quòd licèt eo loco fieret comparatio de excessu in perfectione beatorum, adhuc intelligitur ratione firmitatis status patriæ; dixerat autem antè de Ioanne, soliditatem eius laudans: *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?*

QVÆSTIO XIV.

An CHARITAS *minui possit.*

D. Bonauent. primo dist. 17. part. 2 quæst 3.
D. Thom. quæst. 24 art 10.

PRIMA opinio est, Charitatem minui paulatim per augmentum contrariæ concupiscentiæ in peccatis venialibus, non tamen omnino tolli. Sic Altisiodor. *3. part. tract. 5. cap. 5.* 151

VERA sententia est; minui Charitatem per venialia quoad feruorem, non quo ad entitatem; tolli verò per peccatum mortale omnino. Ità cum Sanctis Doctoribus communiter Theologi apud Tannerum *disp. 2. quæst. 5. dub. 6.*

ASSERO, Charitatem nunquam minui quoad entitatem substantialem.

PROBATVR à D. Bonauent. primò, quia est habitus vnus vniformis: Ergo vel totus destruitur, vel non minuitur. Hoc tamen argumentum non adeò probatur Seraphico, qui *quæst. 1. ad 2.* admittit in Charitate augmentum, etiamsi forma simplex sit.

SECVNDO probatur à S. Doctore: Charitas ab eo dependet in destructione, à quo in productione, & augmentatione; sed Deus est productor, & augmentator physicus Charitatis, vt dixi *quæst. 11. assert. 2.* Deus autem non cessat influere, nisi offensus grauiter, & tunc eam tollit omnino ab homine auerso: Ergo. 152

TERTIO. Quod aliquem habitum minuit, ei est contrarium: Veniale non est Charitati contrarium: Ergo. Similiter nec cupiditas est ei contraria, sed per accidens ei aduenit, vt patet in Angelis, & Adamo innocente: Ergo.

QVARTO. Quod aliud diminuit, illi præualet; sed peccatum veniale non habet posse super Charitatem, quia plus diligit Charitas Deum, quàm cupiditas venialis conuertatur ad creaturam: Ergo. 153

QVINTO. Si veniale diminuit Charitatem, tollens ab ea gradus; sequitur, aliquando eam tollere omnino, & reddere hominem inimicum Deo.

SEXTO. Si veniale minuit Charitatem: Ergo & præmium substantiale, quod est bonum æternum: Ergo meretur pœnam æternam. His mediis vtuntur alij.

OBIICIES primo ex D. Augustino Lib. 83. q. q. quæst. 3. *Venenum Charitatis est cupiditas*, vnde ait: *Vbi magna cupiditas, ibi parua Charitas*, & Lib. 10. confess. 154

confeſſ. cap. 29. *Minus te amat, qui aliquid tecum amat, quod non propter te amat.*

RESPONDET S. Doctor, minui Charitatem quoad feruorem. Quamuis autem per veniale peccatum ſe diſponat ad ruinam Charitatis; tamen non minuit Deus ex hoc demerito congruo charitatem; ſicut auget ex diſpoſitione actuum bonorum, quia pronior eſt Deus ad miſerendum, quàm ad puniendum. Hinc ſoluitur ſequens obiectio.

OBICIES ſecundò. Sicut homo progreditur proficiens, ità retrocedit; ſed per profectum augetur Charitas: Ergo dum retrocedit, minuitur.

155 RESPONDET S. Doctor, ex dictis, hominem retrocedendo ſolùm dehabilitari quoad feruorem, quia Charitas non deſtruitur, niſi à mortali contrario, dum autem proficit, aſcendit quoad gradus Charitatis meritoriè. Deinde pronior eſt Deus ad gratias, quàm ad pœnas immittendas.

OBICIES tertiò. Id, quod eſt cauſa ſuæ dehabilitationis in termino, eſt cauſa diminutionis in via; ſed arbitrium in auerſione eſt cauſa deſtructionis Charitatis: Ergo & in diſpoſitione eſt cauſa diminutionis.

156 RESPONDET S. Doctor, negando Maiorem: forma enim ſubſtantialis deſtruitur ſolum in termino, & nulla pars eius in tempore diſpoſitionum.

RESPONDET ſecundò, Maiorem eſſe veram, quando diſpoſitio, & terminus ſunt eiuſdem rationis; at in caſu noſtro, terminus eſt peccatum mortale; diſpoſitio autem eſt veniale.

RESPONDET tertiò, Charitatem pendere à Diuina influentia, & acceptatione; & ità auget, acceptans opera; neque venialia ad hanc pœnam imputat.

OBICIES quartò. Oppoſita nata ſunt fieri circa idem; ſed charitas augetur: Ergo & minuitur.

157 RESPONDET S. Doctor, Maiorem veram, niſi alterum inſit per naturam, alterum non ſic: augmentum ineſt ex natura Charitati, addita Dei acceptatione; diminutio autem ex noſtro arbitrio tantùm venit: Ergo.

OBICIES quintò. Quæ ſunt ſeparabilia, poſſunt ſeparari; ſed primi gradus Charitatis erant ſine gradibus additis per augmentum: Ergo.

RESPONDET S. Doctor, nihil eſſe quod eos ſeparet, ideò nequeunt ſeparari; non enim nos id poſſumus, qui non influimus phyſicè in Charitatis habitum; neque etiam Deus, qui non influit niſi ad deſtructionem, & quidem homine ſe priùs auertente.

QVÆSTIO XV.

An CHARITAS *corrumpi queat, & quomodo.*

D. Bonauent. in 3. diſt. 31. quæſt. 1.
D. Thom quæſt. 24. art. 11.

158 FVIT antiquitus error Ioiniani dicentis, charitatem, & gratiam ſemel habitam, amitti non poſſe. Sic refert D. Hieronymus *Lib. 1. & 2. contra eundem.*

In eo errore fuit etiam Pelagius, vt conſtat ex D. Auguſtino *Lib. de hæreſibus. cap.* 88. Similiter Beguardi, & Beguinæ, vt conſtat ex *Clementina, Ad noſtram.* Vuicleph, vt refert Vega *Lib. 12. ſuper Concilium, cap. 22.* Tandem Caluinus, qui omnes ferè deuorauit hæreſes, hanc quoque deglutiuit *Lib. 3. Inſtit. cap. 4.* eos refert, & refellit Bellarminus *Lib. 3. de Iuſtific. cap. 14.* Bouerius *demonſt. 2. Symb. 2. art. 3.* Valentia 2. 2. *diſp. 3. quæſt. 2. puncto* 4. Hunc errorem S. Bonauentura vocat inſaniam.

VERA tamen, & Catholica de fide ſententia eſt, poſſe iuſtum cadere à Charitate.

PROBATVR à D. Bonauent. primò exemplis in Scriptura pluries enarratis. 159

Primò enim Adam, & Eua, in gratia conſtituti, grauiſſimè peccarunt; vnde peccatum Adæ mortem inuenit Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.*

DEINDE Saul erat iuſtus; Sic enim habes primo Reg. 9. *Erat Saul electus, & bonus: & non erat vir de filiis Iſrael melior illo.* idipſum inſinuatur *cap. 15. & 16.* & aſſerunt D. Auguſtinus *Lib. 2. ad Simplicianum, quæſt. 1.* Cyprianus *Lib. 1. epiſt. 5.* Ex quo vides, mentiri Caluinum, id negantem.

PROINDE Dauid adeò iuſtus erat, vt de eo dictum ſit, Act. 13. *Inueni Dauid virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Sumptum eſt autem hoc teſtimonium ex *primo Reg.* 16. At eum grauiter peccaſſe homicidio Vriæ, & adulterio cum Bethſabea, quis negabit? Sanè Pſalmi eius pœnitentiales apertè teſtantur pœnitentiam ipſius, quæ peccatum ſupponit. 160

FILIVS etiam Dauidis Salomon erat iuſtus, de eo enim 2. *Reg.* 7. ait Dominus: *Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in filium,* & cap. 12. *Et vocauit nomen eius Salomon, & Dominus dilexit eum. Miſitque in manu Nathan prophetæ, & vocauit nomen eius, Amabilis Domino, eò quòd eum Dominus diligeret.* Dauidis viri ſancti erat filius, ex quo inferunt Caluinus, & Petrus Martyr, fuiſſe ſanctum. Hunc autem virum in ſenectute à iuſtitia excidiſſe, teſtatur Scriptura 3. *Reg.* 11. vbi Idolatriæ eius receuſentur, & ſpurci amores in fœminas vetitas *Exodi* 34. & à pluribus SS. PP. damnatus conclamatur, quos referunt Serlogus in *Antiloquys Cant.* Pineda *de rebus Salomonis,* & alij. Audi D. Auguſtinum. Lib. 22. cont. Fauſtum, cap. 88. *De Salomone quid dicam? Quem vehementer arguit ſancta Scriptura, atque condemnat; nihilque de pœnitentia eius, vel in eum indulgentia Dei, omnino commemorat.* 161

VENIAMVS ad iuſtos noui teſtamenti. Petrus ſine dubio iuſtus erat, de quo Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-Iona.* Et Ioan. 13. *Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt lauet pedes, &c. Et vos mundi eſtis, ſed non omnes. Sciebat enim quis eſſet eum traditurus.* Ideo omnes Apoſtolos iuſtos acclamat, Iuda excepto; & tamen lethaliter peccauit, negando Chriſtum, vt notat ex D. Auguſtino *tract. 66. in Ioan.* S. Bonauent. *ad eum locum,* & fatentur Magdeburgenſes *Centur. 1. Lib. 2. cap. 10.* 162

IVDAS igitur fuit antea iuſtus, vt oſtendit D. Hieron. *Lib. 3. aduerſus Pelagianos,* ex illis verbis Domini, Ioan. 17. *Pater quos dediſti mihi cuſtodiui, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis,* vt vidit S. Bonau. *in commentario.* 163

Similiter alij Apoſtoli, quos ſuprà iuſtos oſtendi, dubitauerunt in fide, vt habetur. *Marci, & Lucæ vltimo.*

Aliqui etiam diſcipuli *Ioannis* 6. retrò abeuntes, Chriſtum dereliquerunt.

PROBATVR ſecundò à S. Doctore teſtimoniis Scripturarum, id aſſerentibus. Prima Corinth. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Ezech. 18. *Cùm auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in illa.* Idem habetur *capite* 33. Subſumit Bouer. 164

Per

Per vos iustitia stat in sola Fide: Ergo & hæc amittitur, Lucæ 8. *Nam quod super petram, qui cum gaudio suscipiunt verbum, sed hi radices non habent, sed ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Ad quem locum S.Doctor addit id *Deuter.32.* de populo: *Recessit à Deo salutari suo.* Et Oseæ 7. *Va eis, quoniam recesserunt à me.* Ioan. 15. *Omnem palmitem, in me non ferentem fructum, tollet eum.* Vbi obseruat S.Bonauent. palmites hos viuos aliquando fuisse, & tolli, quia desunt gratiæ Dei contra monitum *Heb.12.* tolli autem priuatos gratiâ, & mitti in ignem, vt exponit D.Augustinus *tract.81.*

165 MATTHÆI 24. *Abundabit iniquitas, refrigescet Charitas multorum. Qui autem perseuerauerit vsque finem, hic saluus erit.* Prima Cor. 9. *Castigo corpus meum, ne fortè cum aliis prædicauere, ipse reprobus efficiar.* Galat. 5. *Euacuati estis a Christo, qui in Lege iustificamini, a gratia excidistis.* Prima Timot. primo. *Quidam circa fidem naufragauerunt.* Et cap.4. *In nouissimis diebus discedent quidam à Fide;* & cap.6. *Quam quidam appetentes, errauerunt à Fide.* Heb. 6. *Impossibile est, eos, qui semel illuminati sunt, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti; gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, renouari iterum ad pœnitentiam.* Apoc.2. *Habeo aduersum te pauca: quod Charitatem primam reliquisti; memor esto vnde excideris, &c.*

166 PROBATVR tertiò ex definitione Ecclesiæ. In Concilio Vien. vt habetur *in Clement. cit.* Tridentino *sess.6. cap.12. & 13* & *can. 23.* vbi dicitur: *Si quis dixerit, hominem semel iustificatum, ampliùs peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur, & peccat, nunquam verè fuisse iustificatum; anathema sit.*

PROBATVR quartò à S.Doctore authoritatibus Patrum, quas refert Magister. His adde SS. Augustinum *Lib. de corrept. & gratia, cap.13.* & *Lib. de prædest. sanctorum, cap. 14.* Cyprianum *Lib. de Lapsis,* Ambros. *exhort. ad Pœnit.* Hieron. *Lib.2. contra Iouinianum,* Gregor. *lib.1. moral. c.42.* & *lib.30. cap.32.* Chrysost. *homil.24. in Matth.*

167 PROBATVR quintò à S. Doctore: Certum est, paruulos baptizatos iustificari, & ditari gratia & Charitate, & tamen multi in ætate adulta peccant grauiter, etiam deficiendo à Fide. Maior conceditur etiam à Lutheranis, imò sine baptismo id asserunt Caluinus, Petrus Martyr, Bucerus, vt refert Bellarminus, qui hanc rationem viget.

Quis autem dicet, eos omnes esse prædestinatos, & impeccabiles? At si omnes baptizati in infantia prædestinati sunt, & perire non possunt, qua ratione nos omnes baptizatos, filios clamant Antichristi, & miserè elapsos?

168 PROBATVR sextò. Facilius est deficere à Charitate, quàm proficere; & cadere, quam resurgere; facilius est etiam perdere Charitatem, quàm fidem; quia perdita Fide, perditur Charitas, sed non è contra; sed possibile est, hominem, qui non habet charitatem, eam acquirere: possibile est etiam, hominem habentem Fidem, à Fide deficere: Ergo facilius est, habentem Charitatem ab ea cadere.

PROBATVR septimò à S. Doctore: Status viæ est talis, vt liberum arbitrium ad bonum, & ad malum sit liberum, quod constat ex tot præceptis, exhortationibus, promissis pro bonis operibus, minis peccatorum, quibus tota referta est Scriptura pro statu præsenti; quæ omnia essent frustra, si non posset homo cadere, & ad vtrumque libertatem haberet.

169 OBIICIVNT hæretici multas authoritates, Cant.8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere Charitatem.*

RESPONDET S. Doctor *in Diata, tit. 5. cap.2.* Charitatem esse ignem illum, de quo Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur?* accenditur autem arbitrio nostro cooperante, vt obseruat S. Doctor *ad 12. Luca.* Itaque Charitas non extinguitur quamdiu nos nolumus eam extingui. Aqua sanè naturalis, naturaliter extinguit ignem; sed aquæ non naturales, inter quas etiam tribulationes computantur, non extinguunt Charitatem. Per has autem aquas intelligunt tribulationes S. Ambrosius *Lib.1. de Iacob cap.7.* Gregorius ad hunc locum: *Charitas enim omnia suffert,* ex prima Cor.13.

OBIICIVNT secundò id Ioan. 4. *Qui biberit ex aqua hac, non sitiet in æternum; sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* 170

Respondet S. Doctor ad *hunc locum*; illum, qui bibens ex aqua hac, semper in ea quiescit, non sitire aquas concupiscentiæ; & dum tenuit aquas Ægypti concupiscentiæ, non amittere aquas istas: *Qui enim bibunt me, adhuc sitient.* Eccl.24. ait Sapiens. Igitur si iuxta pretiosum fontem bonorum spiritualium, quæ habita semper Chariora sunt, stantes in eis labia auidè teneamus, vt ait Sancti, Augustinus *Lib. 1. de doct. Christiana, cap. 38.* & Gregorius *homil. 36. in Euang.* semperque auidè biberimus; perennes dabit aquas. Vide etiam *collationem 21,* S.Bonau. *in cap.4. Ioannis*, vbi egregiè disserit.

OBIICIVNT tertiò id Rom. 8. *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare à Charitate Dei.* 171

RESPONDET S.Doctor *in Diata, tit.5. cap.2.* & de *sex alis Seraphim, cap.2. & 7. & 8.* & *de septem Itineribus Æternitatis, dist.6.* & *Itinere 4. dist.5. art.2.* cum D.Augustino *Lib. de moribus Ecclesiæ, cap.11.* hîc exprimi virtutem Charitatis, vt si ardeat in nobis, reddat nos intrepidos contra omnes tribulationes; si tamen nos constantes esse velimus, vt ait etiam Bellarminus; ideo enim ibidem S.Augustinus monet, posse Charitatem in via amitti.

RESPONDET secundò S.Doctor *de septem Itineribus Æternitatis, Itinere 4. dist.5.* & *opusculo Incendij amoris, cap.2.* loqui Apostolum ex quadam vehementia propositi, in oratione accensi, & Dei gratiâ moralem quandam securitatem sibi promittentis. 172

OBIICIVNT quartò id prima Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit.*

Respondet S. Doctor 3. *dist.31. art.3. quæst.1.* eam ex se non excidere, quia & in hac vita, & in futura locum suum habet, vt ait Glossa: ad oppositum sanè Fidei, & Spei, quæ ex sua entitate cessant; non vult autem Apostolus, nullum à Charitate excidere. Remittit S.Doctor etiam ad responsiones Magistri. 173

OBIICIVNT quintò, prima Ioan.3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen illius in eo manet, & non potest peccare; quoniam ex Deo natus est.*

Respondetur ex D. Augustino *tract.5. in epist. Ioan.* Hieronymo *Lib. 1. aduersus Pelag.* & *Lib. 2. contra Iouinianum*, manente gratiâ in nobis, in esse filiorum Dei conseruante, nos peccare non posse; nam ex suppositione manet Charitas, contraria auersioni à Deo: Hæc responsio est etiam D.Bonauenturæ *ad tertium.*

Addunt etiam, dictum præsumptum Augustini epist. 111. *Charitas, quæ deseri potest, nunquam vera fuit.* 174

Respondetur, illud non esse D.Augustini.

Respondet secundò S.Doctor 3. *dist.31. dub.1.* maiorem esse veram, idest quo ad consecutionem Finis, vnde potius dicitur vana, seu sine Fide.

OBIICIES primò. Fortior est Charitas amore naturali; sed hic vnit indissolubiliter: Ergo.

Respondet

Respondet S. Doctor, Charitatem non esse nobiliorem amore naturali in indissolubilitate, sed in obiecto, & termino, ac fine supernaturali.

175 Obiicias secundò. Non potest validius ab infirmiori expelli; sed Charitas est fortis, vt mors: Ergo.

Respondet S. Doctor; non pelli Charitatem in pugna à peccato, sed deficere ea demerito peccantis, & Deo negante influxum.

Obiicias tertiò; Quia peccatum oritur, vel ex amore, vel ex timore prauo, ex D. Bernardo *Lib. de diligendo Deo*, *cap.*8. sed habens Charitatem non admittit, aut timorem prauè deprimentem, aut amorem malè incendentem: Ergo.

176 Respondet S. Doctor, hos malos affectus non esse actu in sensu composito cum Charitate prius tempore peccato; possunt tamen induci prius origine, & expellere Charitatem; nam liberum arbitrium, rectum à Charitate, potest cupiditate incutuari.

Obiicias quartò: Arbitrium sequitur affectionem prædominantem; sed hæc est Charitas: Ergo.

Respondetur, arbitrium sequi affectionem actu prædominantem, non autem habitu; ideo, licèt prædominetur habitu Charitas, tamen potest actus insurgere auertens arbitrium, dum homo in gratia constitutus, Dei obliuiscitur, & cogitat, quæ sunt mundi.

Obiicias quintò. Habens Charitatem, habet Christum pro fundamento, & Spiritum sanctum pro adiutorio.

177 Respondetur, Christum sustentare solùm volentes, & Spiritum sanctum adiuuare cooperantes. Quomodo verò peccatum mortale destruat Charitatem, physicè, an moraliter, disputatum est *prima secunda*, *Tract. de Peccato*, *disp.*5. *quæst.*6. vbi ostendi, gratiam, & peccatum opponi moraliter, non physicè, cum D.Bonauent. *locis ibi adductis*, & *in* 3.*dist.*38. *art.*2. Scoto *in* 4. *dist.*16.*quæst.*2. contra Thomistas.

Probatur etiam à D. Bonauent. *ad secundum*. Homo non attingit effectiuè productionem Charitatis, eò quòd nequit attingere creationem: Ergo neque annihilationem. Omne enim agens, sicuti agit è subiecto; ità in subiecto resoluit.

178 Vnde ruit responsio Caspensis, sumpta ex corruptione formarum naturalium, quatenus potest aliquid, quod non produxit formam, eam distruere, producendo aliquid ei contrarium. Hoc inquam responsum vanum est; quia peccatum non est entitas formalis, potens expellere Charitatem; sed est priuatio; Et si esset forma, non haberet virtutem annihilatiuam, sicuti non habet creatiuam.

QVÆSTIO XVI.

Quodnam sit subiectum Charitatis *proximum.*

D.Thom. quæst.24. art.5.

179 Assero cum D.Bonauent. passim, esse voluntatem. Omnes subscribunt huic asserto.

Probatur à S. Doctore *in* 2. *dist.*26. *quæst.* 5. & *in* 3. *dist.*23. *quæst.*2. & *dist.*27. *quæst.*1. *& sequentibus*. Habitus est in aliqua potentia, tanquam in subiecto, in qua est actus, cuius principium est ipse habitus vnà cum potentiâ: sed actus dilectionis est in voluntate: Ergo & habitus Charitatis, qui est principium actus. Minor probatur: nam dilectio Charitatis est appetitus, qui fertur in summum bonum, intellectu cognitum.

Docet verò S. Doctor, eam esse in parte concupiscibili, sicuti in Irascibili est Spes; & in rationali Fides, vt sæpe dictum est *disput.*1.

Non vult autem, esse in Concupiscibili sensitiua, 180 quam solam videtur agnoscere D. Thomas: sed in concupiscibili appetitus rationalis, qui profectò non caret viribus, & potentiis, quibus præcellit sensitiuis, vt notant Aragon. *quæst.* 24. *art.* 1. Tannerus *disp.*2. *quæst.* 2. *dub.* 3. De his egi *prima secunda*, *Tract.*5. qui *de Gratia*, *disp.*2. *quæst.*4.

QVÆSTIO XVII.

An solus Devs *ex Charitate diligendus sit; an etiam proximus.*

D.Bonauent. in 3. dist.27. art.2. quæst.3.
D.Thom. quæst.25. art.1.

Dvo præcepta Charitatis sunt: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, *&c. Et proximum, sicut te ipsum*. Deuter.6. Matth.22. Itaque amor proximi includitur in obiecto Charitatis. Ideo Ioannes prima, cap.4. *Hoc mandatum habemus à Deo*: *vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*. 181

Distingvit autem, quibus modis actus respiciant proximum simul cum Deo, vel vt obiecta distincta terminantia, vel vt alter, nempe Deus, sit obiectum, & finis vltimus; proximus verò sit obiectum, tanquam medium amatum in finem.

Si est in vnum, tanquam in obiectum, & in alterum, vt finem vltimum; sic potest vno, & eodem 182 motu, & actu tendere in vtrumque, quia eodem motu volumus finem, & media, vt talia ad eum. Sic autem diligimus proximum, volendo Deo hoc bonum, scilicet proximum, & ideo id etiam, quod datur proximo, dicitur datum Deo *Matth.* 25. Cùm igitur diligamus proximum in ordine ad Deum, vt in Deo sit, sub vna ratione diligimus Deum, & proximum, atque adeo vno actu, vt ait D. Thom. & D. Bonauent. *in argumentis primo loco*.

Qvod si considerentur Deus, & proximus præcisè, vt sunt duo obiecta, terminantia amorem, sic 183 distinguit adhuc: Diligere enim, est velle bonum; potest autem bonum duplex esse obiectum Charitatis, & id, quod est volitum, & is, cui est volitum. Si igitur comparetur Deus cum proximo vniformiter, tanquam is, cui volumus bonum; sic alio motu fertur in Deum; alio in Proximum, quia amantur vt termini distincti, & vnus est intensior, alter remissior; & ità duo præcepta exigunt; si autem comparentur difformiter, vt proximus sit bonum, quod optat, & Deus sit is, cui optatur bonum, sic vno actu amat Proximum, eumque amat Deo.

Asserit igitur primò S.Doctor, duobus actibus amari Deum, & proximum, vt terminos materiales.

Probatvr à S.Doctore primò: Motus numerantur subiecto, tempore, & termino, siue obiecto; sed 184 alius est terminus, siue obiectum dilectionis Dei; alius dilectionis Proximi: Ergo. Maior est Aristotelis 5. *Phys. textu* 38. Minor patet ex dictis.

Probatvr secundò à S.Doctore. Quod diuersas considerationes præexigit; diuersis etiam actibus appetitur; sed non possumus vno actu præcognoscere Deum, & Proximum, vt terminos præcisos: ergo neque

neque amare. Maior probatur *ex 2. Top. cap. 4. in declar. loci 53.*

PROBATVR tertiò à S. Doctore. Idem non potest esse motus simul intensior, & remissior; sed motus dilectionis in Deum est intensior, quàm in proximum: Ergo est alius, & alius.

PROBATVR quartò à S. Doctore, magis conformatur in ratione obiecti diligibilis Petrus, & Paulus, quam Paulus, & Deus; sed non potest vnus motus dilectionis esse in Petrum, & Paulum: Ergo.

PROBATVR quintò à S. Doctore. Præceptum respicit vsum, & actum virtutis, sed duo sunt præcepta Charitatis: Ergo.

185 ASSERIT secundò, vnum esse actum in Deum, & proximum primo modo, tanquam in medium, & finem, & tanquam in bonum, Quod est Bonum, Cui.

PROBATVR à S. Doctore primò. Idem est motus in finem, & medium, vt tale est ad illum, quia motus non numeratur secundùm differentiam medij, sed extremi; sed motus Charitatis est in Deum, tanquam in finem; & in proximum, vt medium: Ergo.

PROBATVR secundò à S. Doct. Vbi est vnum dilectum, ibi vnus actus dilectionis; nam motus specificatur ab obiecto, saltem quo ad nos; sed in proximo non diligitur, nisi Deus, per actum Charitatis: Ergo.

186 SI autem dicas, diligi proximum in seipso ob naturam rationalem nobis similem, vel ob eius virtutes, non est actus Charitatis, vt notat D. Bonauent. *hac dist. 27. art. 2. quæst. 2. & dist. 9. art. 2. quæst. 4.* D. Thom. 2. 2. *quæst. 109. art. 3. ad 2.* Vasquez *Lib. 1. de adorat. disp. 6. cap. 2.* & *Lib. 3. disp. 1. cap. 6.* Caspensis *de Charitate, disp. 5. sect. 1.* Idem sentiunt Turrianus, Coninchius, & Arriaga apud Mastrium *disp. 6. quæst. 22.* de quo agam *quæst. 19.*

187 PROBATVR tertiò: Sicuti adoratur imago D. Petri in ordine ad D. Petrum vno actu, vt ait Damascenus *Lib. 4. de Fide, cap. 17.* quia honor imaginis transit ad prototypum; Sic etiam dilectio proximi refertur ad Deum; atque adeo vnus est actus, quo diligitur Deus, & proximus, vt ad Deum prototypum.

IN hoc tamen est disparitas, quia honor non terminatur vllo modo ad imaginem; sed totus transit ad D. Petrum; at proximus aliquo modo terminat actum amoris, & hoc sensu, diuerso præcepto iubetur amare; esto modo dicto, vt finis, & medium, &c. vno actu amentur.

188 PROBATVR quartò: Vbi vnum propter aliud, ibi est vnum tantum; sed proximus diligitur propter Deum: Ergo vna dilectione. Hoc tamen verum est, ita vt etiam tanquam duo termini, possint esse obiectum amoris.

PROBATVR quintò, quia tametsi sint plures Diuinæ personæ; tamen vnà amantur dilectione, quia vna est ratio obiectiua bonitatis: Similiter vna est ratio summæ bonitatis, propter quam amatur Deus, & proximus.

189 ADVERTIT tamen, diuersam esse in hoc rationem, quia non est eadem omnino terminatiua bonitas proximi & Dei, eo modo, quo est bonitas trium personarum, communicantium in vna essentia; vnde differenti modo se habet; & quia ex diuersitate comparationum consurgit diuersitas actuum; ex vnitate verò rationis principalis motiuæ exurgit vnitas habitus; hinc est, vt actus, quo amatur Deus, & proximus, vnus sit, licèt motus alius, & alius.

QVÆSTIO XVIII.

An CHARITAS sit ex Charitate diligenda.

D. Bonau. in primo, dist. 17. quæst. 2.
D. Thom. quæst. 25. art. 2.

ASSERO, non solum Deum, qui est Charitas, sed etiam habitum, & actum Charitatis esse volitum, & amatum ipso actu Charitatis. 190

PROBATVR à D. Bonauent. primò, ex D. Augustino 8. *de Trinitate, capite 7.* quo nititur etiam D. Thom.

PROBATVR secundò *eodem argumento*, quo vtitur D. Thom. Voluntatis obiectum est bonum vniuersale. Igitur quidquid sub ratione boni cadit, potest esse obiectum voluntatis, & actuum eius, & quia ipsum velle bonum, est quoddam bonum, potest voluntas, quæ perficitur, dum supra se reflectitur, velle hoc bonum; at ipsum velle hoc bonum, est supernaturale, quia est volitum in ordine ad amicitiam supernaturalem cum Deo, dum omnibus optamus hoc bonum Charitatis; & similiter in nobis, dum ipsum amorem amamus; sanè referimus illum Charitate ad Diuinam amicitiam, atque ad Deum in se, vt notat Tannerus *disput. 2. quæst. 3. dub. 1.* 191

PROBATVR tertiò. Amamus proximum, quia videmus, eum habere Charitatem: Ergo & ipsam Charitatem, propter quam amamus ipsum proximum; quia propter quod, vnumquodque tale, & illud magis; diligimus autem hæc Charitate, quia sunt in ordine ad Deum in se amandum.

OBIICIES primò ex D. Augustino Lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 23. *Quatuor tantum sunt amabilia Charitate, Deus, nos ipsi, proximus, & corpus proximi.* 192

RESPONDET S. Doctor, S. Augustinum loqui de amandis, amore amicitiæ, quibus nempe optatur bonum; ità etiam D. Thomas.

OBIICIES secundò. Vel amatur Charitas amore concupiscentiæ, vel amicitiæ; Non amicitiæ, nam hæc est inter similes: Non concupiscentiæ, quia hæc est de rebus non habitis.

RESPONDETVR, Charitatis habitæ esse complacentiam. Deinde spiritualis dilectio boni, eiusque possessio excitat ad desiderandum, dum sefieit; & reficit, dum excitat, vt dicit S. Gregorius, *homil. 36. in Euang.* & D. Augustinus *Lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 38.* & discurrit S. Doctor ad ea verba Ioan. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, &c.*

OBIICIES tertiò. Sicut se habet Fides ad credere; sic spes ad sperare; ità Charitas ad diligere, sed nullus habens Fidem, credit Fidem, quia vt dicit D. Augustinus 13. *de Trinitate*, cap. 1. *credens, scit se credere, & videt se credere*; credulitas autem est de non visis; similiter autem nullus sperat spem ipsam, sed eam habet: Ergo nec diligit Charitatem. 193

RESPONDET S. Doctor, actum Fidei dicere imperfectionem, similiter & actum Spei; vnde, si vterque habitus reflecteretur, diminueret de ratione habitus: Quare qui credit credulitatem, non habet eam; & spem similiter; Sed dilectio est actus perfectus, sicut scientia. Vnde sicut perfectè scis, qui scit se scire, ità perfectè diligit, qui amat dilectionem, qua diligit.

OBIICIES quartò. Si diligit Charitas Charitatem, vel eam diligis alia dilectione, vel se ipsa. Si alia: Ergo & illa per aliam, & sic in infinitum; si eadem: 194

dem: Contra: Nulla forma specialis super se ipsam sese: itur, nisi sit è primis intensionibus, sicut vnitas, veritas, bonitas; vnde non dicitur: albedo albat: Ergo nec: dilectio dilecta est.

195 Respondet S.Bonauent. diligere eodem habitu, sed per alium actum. Ad id de reflexione, respondet, reflexionem aliquando venire ex natura, & sic est in generabilibus; aliquando venire ratione eius, in quo est; & sic est in formis, quæ sunt in potentiis, natis supra se conuerti, & in quantum supra se conuertuntur; & quia potentia cognitiua se ipsam cognoscit, & voluntas est instrumentum, seipsam mouens; ideo per scientiam scit aliquis suam scientiam, & per Charitatem, se, vt ipsam, diligit.

QVÆSTIO XIX.

An omnia dona gratuita sint Charitate *diligenda.*

D.Bonauent. in 3. dist.28. quæst 5.

196 Prima opinio apud D. Bonauent. est, hæc dona non esse amata actu Charitatis elicito; Charitas enim non amat proprium commodum, vt affectus naturalis, sed in alterum protenditur, vt ait D.Gregorius *homil.* 17. *in Euang.* & quia commodum nostrum spirituale reponitur in hisce donis, quæ nos ordinant ad beatitudinem; ideò amor talium donorum est à dilectione naturali elicitiuè; sed à Charitate imperatiuè, cuius est imperare actibus nostris, vt rectè moueantur in suos fines.

Hvnc modum impugnat S.Doctor; Nam Charitas tendit etiam in propriam beatitudinem, vt Deo fruatur. Deinde, quia licèt naturæ sit quærere commoda corporis; tamen spiritualia dona amare est dilectionis gratuitæ.

197 Secvnda opinio est, quod cum bonum sit obiectum Charitatis, & actus recipiat speciem ab obiecto, intensio actus diligendi variatur secundùm rationem boni: Bonum autem dicitur aliquid dupliciter: Vno modo concretiuè, quia est ordinatum ad beatitudinem, vt finem. Alio modo abstractiuè, quia est id, quo ordinatur ad finem. Dona igitur gratuita non dicuntur bona primo modo, sed secundo; quia illis dirigimur nos ad beatitudinem. Ideò magis dicuntur bonitates, quam bona, & magis rationes diligendi, quàm diligibilia; ideò hæc non sunt propriè ex Charitate diligenda; sed potiùs Charitate diliguntur susceptiui donorum. Quoniam verò accidens cum suo subiecto vnum constituit, ideò non multiplicantur dilectiones ad hæc dona, quæ sint distinctæ à dilectionibus, quibus amantur homines.

198 Contra arguit S.Doctor: Nam etiam Deus, qui est bonitas summa, computatur inter diligenda ex Charitate.

Deinde: Propter quod, vnumquodque tale, & illud magis tale; sed dona spiritualia sunt bona, propter quæ homines diliguntur: Ergo multò fortiùs ipsa diligenda sunt, vt arguit etiam D. Thom. *art.*2.

199 Asserit igitur, dona spiritualia diligi Charitate; non tamen amicitiâ, quia eis donis non desideratur bonum; sed amore concupiscentiæ, quatenus nobis bona sunt ad vnionem cum Deo. Sic enim Sancti ex Charitate dona cœlestia suspirant.

Probatvr primò à D. Bonauent. ex D.Augustino 8. *de Trinitate, cap.* 7. vbi ait: *Qui diligit proximum, consequens est, vt etiam ipsam dilectionem diligat.*

Secvndo probatur à S. Bonauent. Id, quod ordinat ad beatitudinem, est Charitate diligendum; talia sunt hæc dona: Ergo.

Tertio probatur. Talia dona sunt à Deo expectanda, & petenda; & qui illa diligit, diligendo meretur: sed præcipua dilectio meritoria, est dilectio Charitatis: Ergo. 200

Collige tamen, secundariò amari Charitate hæc media, vt explicat S.Doctor, *quæst.*6.

Qvarto. Sicut se habet dilectio gratuita ad dona gratiæ; ità dilectio naturalis ad dona naturæ. Sed hæc amantur amore naturali: Ergo.

Obiicies primò. Nulla creatura ratione carens, est amanda Charitate, quia non communicat in vita nobiscum.

Respondetvr, verum esse, tales creaturas non diligi amore amicitiæ; sed concupiscentiæ.

Obiicies secundò: Diligere est velle alicui bonum; his autem donis non volumus bonum. 201

Respondetvr, verum esse de dilectione amicitiæ; amor verò concupiscentiæ est potius bonum desiderare.

Obiicies tertiò. Sola beatificabilia sunt Charitate amabilia, quippe quæ possunt communicare nobiscum in vita supernaturali.

Respondetvr, hoc concedi de dilectione amicitiæ, & hæc sola enumerat D. Augustinus *Lib. primo de doctrina Christiana, capite* 23.

QVÆSTIO XX.

An irrationalia ex Charitate *sint diligenda.*

D Bonauent. in 3. dist.28. quæst.1.
D.Thom. quæst.25. art 3.

Dvobvs modis, vt ait S.Bonauent. potest aliquid ex Charitate diligi: Primò elicitiuè per actum proprium in proprium obiectum. Secundò imperatiuè, dum imperat aliis virtutibus actus earum. Igitur docet, posse Charitate, imperante pietati naturali, diligi irrationalia: non autem actu elicito proprio. Ratio est, quâ vtitur etiam D. Thom. quia Charitas est amicitia quædam supernaturalis; Amicitia autem fertur in amicum, cui volumus bonum, tanquam in finem; at brutis non possumus velle bonum propriè, cum sint incapacia, vt docet Aristoteles 2. *Phys. tex.*59. Deinde amicitia dicit communicationem in bonis; & si est superna, in bonis supernis; at homo non communicat cum irrationalibus in bona vita, quæ est amicorum communicatio, ex Aristotele 8. *Eth. cap.*3. & 4. multò minus communicat in bonis vitæ æternæ, qua communicatione nititur amicitia superna. 202

Alio etiam modo sensum suum aperit, & exponit S.Doctor. Tripliciter potest aliquid diligi ex Charitate: Primò vt obiectum, & finis; & hoc pacto diligitur Deus. Secundò vt obiectum dilectum, non vt finis, & hoc modo diligitur proximus; quia ei volumus summum bonum. Tertiò diligi potest aliquid ex Charitate; non vt finis, vel obiectum amatum, neque intuitu ipsius, sed alterius; & hoc modo irrationalia diliguntur, quatenus in illis diligitur Deus ad modum, quo aliquis diligens amicum, etiam canem eius diligit, vt notat Tannerus *disp.*2. *quæst.*3. *dub.*1. 203

Igitur amor Charitatis, qui est amicitia ad Deum, extenditur ad proximum, tanquam filios Dei; sicuti amicitia, qua diligo Petrum, extenditur etiam ad eius filium; non tamen ad eius carnem. Si autem quæras; quæ virtus amorem istum eliciat in creaturas. Respondet S. Doctore esse pietatem quandam naturalem, quâ Creaturas omnes considerans vt opera Dei, in Deum consurgit laudibus, & amore, vt mirificè præstitit S. P. Franciscus; quantò enim aliquis ad rectitudinem reuertitur naturalem, tantò magis ex ipsis creaturis erigitur in Deum opificem.

Assero igitur, irrationalia non diligi Charitate.

204 Probatvr à S.Doctore, primò ex D. Augustino *Lib.1. de doctrina Christiana, cap.33.* vbi docet, ea sola ex Charitate diligi, quæ nobiscum societate quadam referuntur in Deum, vt homo, & Angelus, vel corpus nostrum.

Probatvr secundò. Ea sola diligi possunt ex Charitate, quæ communicant in obiecto Charitatis, quod est bonum increatum, seu Deus. Charitas enim est virtus Theologica: Igitur ea sola Charitate diligi possunt, quæ frui valent obiecto beatifico: Talia autem non sunt irrationalia: Ergo.

205 Probatvr tertiò à S. Doctore. Charitas est vinculum perfectionis; sed irrationalia nequeunt nobiscum virtutibus necti: Ergo.

Probatvr quartò à S.Doctore Amor Charitatis est ordinis superioris amicitiâ naturali; sed hæc non potest esse inter nos, & irrationalia: Ergo. Minor probatur, quia ad amorem amicitiæ requiritur primò vt amico velimus bonum; vt autem possit ei esse volitum bonum, oportet vt possit vti illo bono; irrationalia verò non habent dominium in bonum; vnde ait Aristoteles 2. *Phys. textu* 39. quod ideo huiusmodi rebus non dicimus, aliquid benè, vel malè contingere, nisi secundùm similitudinem. Secundò, quia omnis amicitia fundatur in aliqua similitudine vitæ, nihil enim proprium est adeo amicitiæ, sicut bona vita, vt ait Philosophus *Lib.8. Eth. cap.3.& 4.* creaturæ autem irrationales nequeunt nobiscum in vita communicare.

206 Probatvr quintò. Ea sola diligenda sint Charitate, quæ includuntur duobus præceptis; sed irrationalia non includuntur in eis, quia non sunt proximus, nec Deus: Ergo.

Obiicies primò. Charitas facit nos Deo conformes; sed Deus diligit omnia; quæ fecit *Sap.11.* Ergo.

207 Respondet S. Doctor, Deum diligere creaturas, non Charitate, volendo eis bonum æternum, sed solum esse ipsarum naturale; Charitas autem vult summum bonum.

Neque Charitas conformat voluntates nostras voluntati diuinæ, quia in Deo est vnus amor simplicissimus, qui ad diuersa fertur; non possumus autem imitari in simplicitate; sed pluribus amoribus ferimur; Charitate quidem in rationalia, quibus potest esse volitum summum bonum; pietate vero in irrationalia, quia Charitas est solùm ad communicantia cum Deo, vt ait S. Augustinus *tract. 65. in Ioannem.*

208 Obiicias secundò. Sicut se habet Fides ad credendum Deum Creatorem rationalium, & irrationalium, ita & ad amandum: Ergo possumus etiam irrationalia, vt ordinata in Deum, diligere Charitate.

Respondet S. Doctor, non esse parem rationem, nam Fides respicit Deum, non modo, vt finem, sed etiam vt principium; ideo credit eũ conditorem etiam irrationalium; Charitas verò respicit Deum solummodò, vt finem, & bonum; & quia creaturæ irrationales cum rationalibus non tendunt eadem ratione in summum bonum, ideò non diliguntur. Charitate.

Obiicias tertiò. Creaturæ rationales diligendæ 209
sunt ex Charitate, quia Deo sunt similes; At verò etiam irrationales sunt Deo similes: Ergo.

Respondet S. Doctor, non quamlibet assimilationem facere aliquid obiectum diligibile ex Charitate; sed eam, quæ reddit capacem, vt ait Augustinus 14. *de Trinit. cap. 3.* Charitas enim optat summum bonum amato; hoc autem non fruimur, nisi per cognitionem, & amorem, quæ in iis tantùm sunt, quæ habent rationem Diuinæ imaginis.

Obiicies quartò. Virtus, & vitium sunt circa idem; sed circa irrationalia potest esse amor prauus, contrarius Charitati: Ergo & Charitas.

Respondet S. Doctor, quòd licèt virtus, & vi- 210
tium sint circa idem subiectum; non sunt tamen circa idem obiectum; plura enim exiguntur ad virtutem, quàm ad vitium. Deinde deficit argumentum, quia licèt Charitas sit amor specialis; tamen non est necesse, vt circa illud idem obiectum sit Charitas ipsa, & omne vitium speciale oppositum. Ideo, licèt cupiditas sit circa bona temporalia, non oportet quod circa illa sit virtus Charitatis; & ideò non oportet, hæc temporalia Charitate amari, sed ex liberalitatis regulis dispensari, & moderatè retineri.

Obiicias quintò. Amor meritorius est ex Charitate; sed aliquis amat diuitias, vt faciat ex eis eleemosynas: Ergo eas amat ex Charitate.

Respondet S. Doctor, actum illum esse merito- 211
rium, etiamsi sit à Charitate solùm imperante. Deinde, cùm quis diligit temporalia ad seruiendum Deo, dirigit suum amorem in Deum; non tamen affectus Charitate extenditur ad omnes, vt dictum est.

QVÆSTIO XXI.

An homo debeat seipsum ex CHARITATE *diligere.*

{ D. Bonauent. in 3. dist. 28. dub. 1.
D. Thom. quæst. 25. art. 4.

Assero, Charitatis præcepto includi etiam sui 212
dilectionem.

Probatvr à SS. Doctoribus; nam in præcepto dilectionis proximi habetur: diliges eum, sicut te ipsum; sed proximum ex Charitate diligimus: ergo eadem Charitate etiam nos ipsos, vt obseruat etiam D. Aug. *serm. 3. post Pentecost.* & S.Doct. *dist. 28. q. 6. ad 2.*

Probatvr secundò à S. Doctore, quia diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, est seipsum diligere. Ideò dicitur *Luca* post tradita præcepta Charitatis: *Hoc fac, & viues.*

Non oportuisse autem speciale præceptum tradere admonet S. Doctor, quia ex naturali propensione satis ad nos inclinamur: *Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit.* Ephes. 5. Ideò non oportuit tertium mandatum, vt ait D. Augustinus *Lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 24.*

Advertit verò S. Doctor, *dist. 28. quæst. 5. in* 213
corpore, & *quæst. 6. ibidem*, quòd cum Charitas, propriè dicta, sit amicitia; dupliciter possumus loqui de Charitate; vno modo sub ratione communi amicitiæ; & hoc sensu non habetur amicitia ad seipsum, quia amicitia dicit vnionem plurium,

vt

vt ait D. Dionysius *cap. 4. de diuin. nominibus, part. 2.* vnicuique autem ad seipsum est vnitas, quæ est potior vnione cum alio. Igitur amore sublimiori, quam amicitiæ, diligimus nos ipsos; sicut enim vnitas est principium vnionis; ità amor, quo quis diligit se ipsum, est forma, & radix amicitiæ. In hoc enim amicitiam habemus ad alios, quòd ad eos nos habemus, sicut ad nos ipsos; dicitur enim *in 9.*
214 *Eth. cap.* 8. quòd amicabilia, quæ sunt ad alterum, veniunt ex his, quæ sunt ad seipsum. Alio modo possumus loqui de Charitate, pro vt est amicitia hominis cum Deo principaliter, & ex consequenti ad ea, quæ sunt Dei, inter quæ etiam est ipse homo, qui Charitatem habet; & sic inter cætera, quæ ex Charitate diligit, quasi ad Deum pertinentia, etiam se ipsum ea Charitate diligit. Sic discurrit etiam Tannerus *disp. 2. quæst. 3. dub. 1.*

Ex quibus intellige, quid velit D. Gregorius *homil. 27. in Euang.* quòd Charitas minùs quàm inter duos haberi non potest; vnde infert, ad seipsum non haberi Charitatem; in ratione sanè amicitiæ, vt exponunt Sancti Doctores.

QVÆSTIO XXII.

An homo debeat corpus suum ex CHARITATE *diligere.*

D. Bonauent. in 3. dist. 28. quæst. 4.
D. Thom. quæst. 25. art. 5.

215 ASSERO, ità esse. Est communis sententia Theologorum.

PROBATVR à D. Bonauent. primò, ex 5. Ephes. *Viri debent diligere vxores suas, sicut corpora sua*, sed vxores sunt diligendæ ex Charitate: Ergo & corpora.

PROBATVR secundò à SS. DD. ex D. Augustino *Lib. 1. de doctrina Christiana, capite 23.*

PROBATVR tertiò à S. Bonau. omne beatificabile est Charitate diligibile: Talia sunt corpora: Ergo.

PROBATVR quartò à S. Doctore. In ordine Charitatis consanguinei sunt præferendi extraneis, vt docet Ambrosius in Glossa *Cant.* 2. sed consanguinitas non est nisi ex parte corporum: Ergo cum maximè sint nobis hac ratione coniuncta corpora nostra, sunt Charitate diligenda.

216 EXPLICATVR à S. Doctore, *in corpore*. Charitas est pondus inclinans ad summum bonum, & perfectam beatitudinem, atque adeò facit, vt diligamus omne beabile. Sic igitur amandus Deus primò beatus per essentiam: Deinde Spiritus per participationem beabiles: vltimò corpora beabilia per redundantiam ex anima. Ità etiam Tannerus *disp. 2. quæst. 3. dub. 1.*

217 OBIICIES primò Ioan. 12. *Qui amat animam suam, perdet eam*; sumitur autem ibi, prout dicit animationem ad vitam.

RESPONDET S. Bonauent. & D. Thom. Christum hortari ad odiendam vitam carnalem, non prout dicit naturalem vitam, quæ est à Deo bona, atque ideo amanda: Vnde non licet interficere seipsum; sed ad odiendam vitam carnalem, vt dicit vitam, concupiscentiæ igne fouentem.

OBIICIES secundò. Id, quod impedit beatitudinem, non est Charitate diligendum: tale est corpus; Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Et Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis, &c.* Vnde dicebat: *Quis me liberabit de corpore mortis huius.*

218 RESPONDENT SS. DD. Apostolum non refugere vitam corporalem, vt est naturalis; neque enim ea est impedimentum ad salutem tali ratione, sed propter concupiscentiam ortam ex peccato.

OBIICIES tertiò. *Charitas nunquam excidit*, prima Corinth. 13. ergo quæ diligenda sunt ex Charitate, non excidunt; sed corpora cadunt: Ergo.

RESPONDET S. Doct. corpora ad perpetuam incorruptionem in beatitudine destinata esse: Vnde, quamuis nunc seminentur in corruptione; tamen resurgent in gloria; atque adeo diligenda sunt Charitate.

219 OBIICIES quartò. Id, quod facit diligibile ex Charitate, est communicatio in imagine Dei: Sed corpora non habent imaginem Diuinam: Ergo.

RESPONDET S. Doct. per se quidem ea diligibilia esse ratione imaginis, & capacitatis Dei, vnde corpora, quia solùm comparticipant, ratione vnionis, imaginem, & beatitudinem, ideò secundariò diligenda sunt.

QVÆSTIO XXIII.

An peccatores sint ex CHARITATE *diligendi.*

D. Bonau. in 3. dist. 28. q. 3.
D. Thom. quæst. 25. art. 6.

220 DISTINGVVNT Sancti Doctores in peccatoribus naturam, qua creati sunt ad Dei imaginem, capaces beatitudinis, & secundùm hanc, Charitate amandos dicunt; ex altera parte vident in eis culpas, ob quas Dei similitudine gratuita carent, & sunt à Deo auersi, odibiles, vt admonet etiam Tannerus *disp. 2. quæst. 3. dub. 1.*

ASSERVNT igitur, peccatores ratione naturæ amandos Charitate.

PROBATVR à S. Doct. primò ex *Matth. 5.* vbi discipulis suis sanctis præcipit Christus: *Diligite inimicos vestros*; inimici autem iustorum sunt impij.

SECVNDO. Omnes prædestinati sunt Charitate amandi; sed ex his multi secundùm præsentem iustitiam sunt praui, vt ostendi *quæst.* 15. Ergo.

221 TERTIO. Omnes sunt diligendi, pro quibus orandum; sed pro peccatoribus etiam orandum præcipit Matth. 5. *Orate pro calumniantibus vos*: Ergo sunt amandi. Maior patet, quia vnum ex effectibus dilectionis Charitatiuæ ponit Christus: *Orate pro persequentibus, &c.*

QVARTO. Nostra Charitas debet Charitati Christi conformari; sed impios dilexit Christus, orauitque pro crucifigentibus, Lucæ 23. *Pater, ignosce illis: non enim sciunt quid faciunt.* Rom. 5. *Commendat autem Charitatem suam Deus: quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.*

222 ARGVMENTA in contrarium solùm probant, odiendos peccatores, quatenus tales sunt.

Porro obiicimt. Charitas est vinculum vnitatis: Ergo illi soli sunt diligendi, qui sunt de vnitate corporis mystici; sed aliqui mali non sunt de vnitate corporis mystici Ecclesiæ, vt infideles, & hæretici; cæteri verò impij sunt membra mortua.

RESPONDET S. Doctor, Charitatem esse vinculum perfectionis, & vnitatis subiectiuè in iusto; terminari verò ad eos, qui possunt esse de vnitate, tanquam ad obiectum. Itaque non est necesse, vt Charitas ponat vtraque extrema actu vnita; sed sufficit, vt ponat in actu subiectum, in quo est alterum in habitu; sicut scientia ponit scientem in actu; scibile verò in habitu.

223 Ex his etiam colligitus, eadem ratione, quatenus peccatores sunt homines capaces beatitudinis, etiamsi impij sint, posse seipsos diligere ex Charitate; si autem diligunt iniquitatem, odio habent animam suam *Psalm.* 10. Vide D. Thom. *art.* 7.

QVÆSTIO XXIV.

An necesse sit ex CHARITATE *diligere inimicos.*

D. Bonauent. in 3. dist. 30. quæst. 4.
D. Thom. quæst. 25. art. 8.

224 NOMINE inimici intelligitur odiens iniquè, vt aduertit S. Doctor; nam qui iusta de causa nobis esset molestus, non esset censendus inimicus; etiamsi secundùm opinionem vulgi talis censeatur, vt dicebat Apostolus, Galat. 4: *Inimicus factus sum vobis, verum dicens.*

PRIMA opinio apud Magistrum, quam refert etiam D. Bonauent. est, necessariò quidem inimicos diligendos, petentes veniam, pœnitentes, & ad satisfactiones promptos; non autem inimicos formaliter reduplicatiuè, sed hos diligere esse tantùm perfectionis.

225 VERA tamen sententia est, & communis, inimicos, vt inimicos, seu impios, non esse diligendos; attamen in statu inimicitiæ non esse excludendos à proximo, dilecto. actibus elicitis Charitatis, quibus velimus eis bonum supernaturale beatitudinis; non tamen, vt actibus imperatis velimus eis bona temporalia transitoria, sed sufficit non gaudere de malis eorum, iuxta id Prouerb. 24 *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas*, & Ecclesi. 8. *Noli de mortuo inimico tuo gaudere.* Ità SS. D. D. cum SS.PP. & Theologis communiter, vt referunt Valentia *disp.* 3. *quæst.* 3. *p.* 2. Caspensis *disp.* 3. *sect.* 2. Tannerus *disp.* 2. *quæst.* 3. *dub.* 1.

226 ASSERO primò, non posse negari sine præiudicio Fidei, in lege Euangelica præceptum diligendi inimicos, extare.

PROBATVR à S. Doct. primò ex illis locis, vbi præcipimur diligere proximum, *Deuter.* 6. *Matth.* 22. sic enim aduertit S. August. *in Psal.* 51. & de disciplina christiana, & *serm.* 59. *de Tempore*, & 221.

227 SECVNDO probatur à S. Doctore, ex ratione, quam affert Christus diligendi inimicos: *Si enim dilexeritis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis*, vbi Glossa: *Nullam de cœlo.* Tunc sic: Charitas non potest esse sine præmio in cœlis; sed diligentes amicos, & non inimicos, non præmiabuntur in cœlo: Ergo Charitatem non habent. Vbi nota, vim habere probationem illam, non modo negatiuè quoad amorem amicorum, & exclusionem inimicorum, quasi præmiandi sint ob alia opera, & pro statu gratiæ, quo pacto præmiandi sunt vitâ æternâ iusti dicentes verbum otiosum, etiamsi non ob illud verbum; sed via est, nullum præmium simpliciter expectandum ex illa exclusiua inimicorum; nam si solam dilectionem amicorum accipias sine exclusiua inimicorum, est actus meritorius, vt ostendam *quæst. sequenti.*

228 IGITVR probatur tertiò à S. Doctore, ex præcepto Christi, Matth. 5 *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Vbi Glossa interlin. *Non sufficit non odisse.*

PROBATVR quartò à S. Doct. Id, quod necessarium est ad remissionem peccatorum, est præceptum; sed parcere inimicis, eosque non excludere ab obiecto Charitatis, est ità necessarium: Ergo. Maior est euidens. Minor probatur à S. Doct. ex Matth. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Et Matth. 18. præcipit, vt dimittamus iniurias vsque sep- 229
tuagies septies, idest semper, vt obseruat D. August. nam numerus septenarius est signum vniuersitatis, quia septem diebus creatum est vniuersum; numerus vndecimus est signum transgressionis, quia transgreditur decimum, in quo Decalogus, lex Charitatis, describitur; septies autem vndecim facit septuagies septies, qui est numerus vniuersitatis, auferens imperfectionem prioris numeri. Infert hîc etiam præpotens motiuum; nam Lamech septuagies septies maledictiones indicuntur *Genes.* 4. Lamech significat humiliatum; peccatum verò Lamech, peccatum totius generis humani; post lapsum verò excurrerunt 77. generationes vsque ad Aduentum Christi, vt habetur *Luca* 3. Igitur vult dicere, præceptum esse nobis remittere omnia peccata contra nos patrata; sicuti & Christus omnia peccata nostra, contra suam maiestatem patrata, remisit, imò & sanguine filij expiauit. Vnde infert id Apostoli. 230
Donantes vobismetipsis, sicut Deus in Christo donauit nobis. Id obseruat D. Augustinus. Hinc eo *cap.* 18. *Matth.* affertur parabola serui, qui nolens dimittere exile debitum conseruo, cùm tamen sibi dimissum esset debitum decem millium talentorum, quæ summant centum & viginti milliones auri, more Persico, damnatus est carcere perpetuo.

PROBATVR quintò à S. Doct. Plus inimica est caro homini, quàm inimicus quicumque; sed *nemo vnquam carnem suam odio habuit.* Ephes. 5. Ergo. 231

PROBATVR sextò à S. Doct. Vbi est ratio obiecti Charitatis, ibi est etiam actus Charitatis terminandus; sed obiectum Charitatis est proximus, quatenus est communicabilis ei vita æterna nobiscum, & in hac omnes etiam inimici nostri conueniunt; & ob id proximi sunt, vt docet etiam Valentia *loco cit.* Ergo.

Ex quibus deducunt multi, hoc esse præceptum naturæ, quod vrgebat etiam tempore legis veteris. ideò Exodi 23. *si occurreris boui inimici tui, seu asino erranti, reduc ad eum, si videris asinum odientis te iacêre sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo* Leuit. 19. *Non quæras vltionem; neque memor eris iniuriæ ciuium tuorum.*

RATIO sumitur ex dictis à D. Bonauent. nam tenemur iure naturæ diligere proximum, vt habetur *Deuter.* 6. *Matth.* 22. Proximus autem est etiam inimicus.

PRÆCEPTVM autem hoc non ligat ad habendum 232
actum Charitatis singularem in hostes; sed solùm generalem ad omnes, & ab eis non excludendos hostes, vt cum Sacerdos orat; *memento Domine, & omnium circumstantium*; non excludat inimicum assistentem. Similiter neque à beneficiis communibus in necessitate spirituali, vel temporali. Cæterum benefacere hostibus extra necessitatem, est opus consilij, & egregiæ perfectionis, vt docet D. Augustinus *in Enchir.* *cap.* 73. vt notat Caspensis, & dicam *quæst.* 25.

QVOAD actum verò, seu affectum dilectionis, est 233
præceptum, vt docet idem S. Augustinus *Lib.* 1. *de doctrina Christiana*, *cap.* 22. & *Tract.* 8. *in primam Ioan.* & alij Patres apud Valentiam. Ideò Christus ait: *diligite inimicos vestros, &c. vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est*: Ergo hoc est necessarium ad filiationem adoptionis, sine qua nemo ingreditur hæreditatem regni cœlorum. Vnde ait Christus, Matth. 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Inter doctrinas autem, & traditiones falsas Pharisæorum, erat hoc: *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Propterea,

vt

vt possimus ingredi regnum cœlorum, ait: *Diligite inimicos vestros, vt sitis filij Patris vestri.* Ex quo deducitur, necessarium esse hoc, atque adeò præceptum, vt arguit S. Doctor, *fundamento secundo, &c. 4.*

234 Ideò ait Apostolus Rom. 12. *Si inimicus tuus esurierit, ciba illum: si sitierit potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius*, Charitatis vtique, carbones, iuxta Ambrosium, Augustinum, Bedam, & D. Thomam, non supplicij æterni, iuxta Chrysostomum apud Tannerum *disput. 2. quæst. 3. dub. 1.*

Obiicies primò Matth. 5. *Audistis, quia dictum est antiquis: Diliges proximum, & odio habebis inimicum tuum:* Ergo Lex Dei integra antiqua seruata est, etiamsi odio haberetur inimicus. Confirmatur, quia in decem præceptis Lex moralis continetur, & in ea non fit mentio inimici diligendi. Ideò Glossa ad id 3. Reg. 7. *Fecit Hiram mare fusile decem cubitorum.* Glossa ibi: *Decem præceptis in lege, omnia, quæ facere debemus, Dominus expressit.*

235 Respondet S. Doctor primò, hoc non præcepisse legem, sed id deduxisse Pharisæos ex opposito, quia Leuit. 19. dictum erat: *Diliges proximum*, vel vt noster vertit: *amicum*; Hebræus enim רע *rea* significat socium, vel amicum; per amicum autem intelligebant socium ex genere Abrahæ, & Iacob, quasi cœteræ gentes essent odio habendæ, & delendæ, quia dicitur Deuter. 25. *Delebis nomen eius sub cœlo. Caue ne obliuiscaris*, vt glossat Maldonatus: At decepti sunt, quia, licet quasdam gentes delendas diceret; tamen non omnes; imò diligendas; quippe essent in vnum parietem lapide angulari sociandæ, vt dicitur *Isaia* 28. *Ephes.* 2. *Prima Petri* 2. *Psalm.* 117.

236 Vide Molanum ad eum locum, Cornelium à Lapide, aliosque expositores. Itaque hoc pacto interpretati sunt locum istum, Imperfectus *homil. 13. in Matth.* Chrysostomo adscriptus, & alij, quos sequuntur Tostatus *quæst.* 344. S. Thom. 3. *dist.* 30. *art.* 1. Valentia *disp. 3. quæst. 3. puncto* 2. vbi eam vocat peruersam traditionem Pharisæorum, atque Cornelius à Lapide, obseruantes, in lege antiqua solùm concessum ad iustitiam occidere, non autem odio habere. Sic enim & Iudex occidit reos. Ideò Cæspensis *num.* 11. vocat eam prauam interpretationem Pharisæorum. Sic etiam Tannerus *disp. 2. quæst. 3. dub. 1.*

237 Deinde respondet S. Doctor, & cum eo Tannerus, concessum, seu permissum antiquitus legi odium, quoad effectus, vt dictum est; non autem affectum odij; & sanè quoad effectum concessit, non in aduersarios priuatos, sed in Idolatras Chananæos, inimicos pugnaces Ecclesiæ. Itaque illi, qui *Exodi* 23. *Leuit.* 19. suprà dicuntur inimici, erant inimici priuati, sed amici quoad Rempublicam. Ex quibus sequitur, ità lege concessum fuisse; eam verò legem Christum correxisse, & nouum Euangelij præceptum edidisse, vt Legislatorem, & illud sanè perfectum. Ità incredibili consensu ferè antiqui Patres, Irænæus *Lib. 4. cap.* 27. Tertullianus *Lib. de Patientia*, Clemens Alex. *lib. 6. strom.* Hilarius *can. in Matth.* 4. Epiph. *in Ptolomaitas, hæresi* 31. Basil. *homil. in Psalm.* 14. Chryso-

238 stomus *homil.* 16. *in Matth.* Auctor *imperf. homil.* 11. Ambrosius *serm. 5. in Psalm.* 118. Hieronymus *epist. ad Herontiam, de Monogamia*, Theophylac. & Euthym. ad hunc locum, quos allegat, & sequitur Maldonatus *in cap. 5. Matth. num.* 21. magis autem quadrat hæc expositio ad probandum, Christum in Euangelio venisse, non vt bonum tantùm nuncium, sed etiam Leges sanxisse, vt Legislatorem contra hæreticos Pelagianos, de quibus Hieronymus *Lib. primo*, & sectatios nostri temporis. Igitur legem

corrigit, & vult, nomen proximi extendi ad omnes, quippe communicantes in capacitate Dei, & Beatitudinis, vt exponunt Hieronymus, Augustinus, Theophylac. & alij apud Cornelium à Lapide.

Et hæc est prima ratio fundamentalis D. Bonau. 239 quæ ostendit, inimicos diligendos, quia iuxta Christi Legem, & interpretationem, in proximo includuntur etiam inimici.

Obiicies secundò ex Glossa ad id Lucæ 6. *Diligite inimices vestros*, quæ dicit, esse perfectionum.

Respondet S. Doctor, diligere affectu elicito esse præceptum; affectu verò, imperante opera, extra necessitatem, perfectionis esse, & ità loqui Glossam.

Obiicies tertiò. Diligere hostes est mirabile, vt 240 ait Glossa ad id Psalm. 118. *Reuela oculos meos; & considerabo mirabilia de lege tua.*

Respondet S. Doctor, diligere hostes esse ex mirabilibus, quæ tanquam maxime ardua mundus admiratur præcipi lege Diuina; possunt tamen fieri gratiâ adiuuante, & Charitate, & cum his mirabilibus includit Glossa diligere hostes, non autem cum miraculis, quæ sunt gratia gratis data.

Obiicies quartò ex D. Ambrosio apud Magistrum dist. 29. *sufficit non odisse hostem.*

Respondet S. Doctor, authoritatem illam esse 241 truncatam, ait enim: *sufficit, si simpliciter diligimus, & non odio habemus.*

Remedia odij tradit S. Doctor, *de profectu religiosi, cap.* 19. nempe timere vindictam Dei, qui non remittit odienti peccata *Matth.* 18. Vincere in bono malum *Rom.* 12. Vide S. Doctorem.

QVÆSTIO XXV.

An teneamur Charitatis *effectus in hostes ostendere, & quosnam.*

D. Bonauent. in 3. dist 30. quæst 5.
D. Thom. quæst. 25. art. 9.

Asserendvm, præceptum esse, non solùm affectu hostem diligere, sed etiam effectibus.

Probatvr à D. Bonauent. primò ex veteri testa- 242 mento, Exodi 23. *si videris, Asinum odientis te, iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo.* Prouerb. 25. *si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi.* Hæc autem mandata omnibus data sunt Israelitis.

Probatvr secundò à S. Doctore, & S. Thom. ex 5. *Matth.* vbi eodem præcepto iniungitur: *Diligite inimices vestros, & benefacite his, qui oderunt vos; & orate pro persequentibus & calumniantibus vos*, Vbi Glossa: *Ecclesia tria facit, diligit, benefacit, & orat:* Ergo non est membrum viuum Ecclesiæ is, qui non benefacit inimicis, & non orat pro eis.

Probatvr tertiò à S. Doctore. Vbi est vera Cha- 243 ritas, ibi effectus eius, sicuti vbi est ignis, ibi calefactio materiæ applicitæ, sed effectus Charitatis sunt opera exhibita ad bonum, vt dicitur Ioan. 15. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis*, vbi Gregorius *homil.* 30. in Euang. *Probatio dilectionis, exhibitio est operis:* Ergo; alioqui erit dilectio ficta.

Probatvr quartò à S. Doctore: Inimicior est caro nostra quouis inimico; sed hanc tenemur conseruare, vt dicitur *Ephes.* 5. Ergo.

244 PROBATVR quintò: Subtrahere effectus Charitatis, est effectus odij, & vindictæ contrariæ Charitati; sed tenemur non vlcisci *Leuit.19. Rom.12.* Ergo tenemur non subtrahere effectus Charitatis.

OBSERVAT autem *in corpore*, S. Doctor, hoc præceptum vrgere in necessitate inimici, quod probat illo prima Ioan.3. *Si quis viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo Charitas Dei manet in eo?* Et claudit: *Filioli mei, non diligamus verbo & lingua, sed opere, & veritate.*

245 ITAQVE præceptum est in casu necessitatis subuenire, maximè in spiritualibus, inimico, vt ostendi *quæst. præcedenti*, ex D.Augustino.

QVIA verò hic est duplex præceptum; alterum negatiuum, non audiendi, nec negandi signa amoris: alterum affirmatiuum, hæc signa ostendendi; scire debes, negatiuum, non odiendi, &c. ad semper obligare. Ideò *Matth.18.* traditur tortori, qui non remiserit iniurias. Ità Nauar. *cap.14.num.25.* Lorca 2.2. *sect.3.disp 25 num.33.* Valentia *disp.3. quæst.3. punct.2.* Suarez *disp.5.sect.5 num.9.* Tannereus *disp.2. quæst.3. dub.1.* Coninchez *disp.24. dub.6.num.82.* Caspensis *disp 3 sect.2.* Fagundez in primum præceptum Deca-
246 logi *Lib.1. cap 18. num.9.* cum D.Bonauent. hîc, & *quæst. præcedenti.* Quatenus verò affirmatiuum est, licèt videatur non obligare ad aliquem actum amoris internum eliciendum; per accidens tamen sæpe obligat ratione scandali vitandi. Vnde cum inimico ita te gerere debes, vt non ostendas signa inimicitiæ, quod prudentia iudicio relinquitur videndum; sed tamen aliquas regulas tradunt.

PRIMO cum orationes fundis generales, non excludas hostem; aliter enim te in Ecclesia non rectè geris, & ostendis, te membrum mortuum Ecclesiæ, quæ pro omnibus orat, vt habet S. Doctor *fundamento secundo.*

247 CVM eleemosynas communitati indigenti largitis, non debes excludere inimicum egenum. Ità Syluester V. *Charitas, num.3. §.5.* Toletus *Lib. 4. summæ, cap.10.* Nauar. *summa Latina, cap.25.* Fagundez *numero 10.*

SIMILITER cum in circulo stas, alloqui communiter inimicum, & salutare eum obuium debes salutantem. Hinc S.Doctor *de profectu religiosi, cap.28.* dicit: *examinent hi, quomodo esurienti inimico cibum ministrarent, si salutationem negant, maxime si affectet eam.* Vnde colligit, hunc non seruaturum illud: Rom.12.& prouerb.25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* Ità etiam D.Thom. 2. 2. *quæst. 25. art.9.* & expositores, & Suarez *disp.5. de Charitate, sect.5. n.7.* Valentia *disp.3.quæst.3. puncto 3* ad finem *vers.3.* Coninch. *disp. 24. dub.6. à num.85.* Fagundez *loco cit.*
248 qui duo hinc colligit: Primum est, esse mortale hæc signa Charitatis negare. Ita etiam Suarez *num.7.* Secundum, tunc esse peccatum scandali, quando omnino eleemosyna, & alia sunt publica; tunc enim necessitas vrget. Non teneris autem primus esse ad salutandum per se; non resalutarè verò, per se est solùm veniale, vt ait Caspensis *num.15.* nisi scandalum adsit. Addit Bassæus V. *Charitas, num. 14.* & notabilis contemptus, vbi circumstantias ait obseruandas, maximè si dispar sit grauiter conditio, neque ita citò mortale damnat. Sic Diana *part.2. tract.1. resol.62.*

SIGNA verò specialis amoris in quauis opportunitate sunt tantùm perfectionis. Ita Fagundez *num.11.* Colerus *Lib 4. summa, cap.10* Caspensis *loco citato,* cum D.Bonauent. *in corpore.* Imò addit Nauar. *loco cit.* & Caietanus *art.9.* etiam reconciliatum cum inimico, non teneri ei prima obsequia, tempore amicitiæ exhibita, exhibere; Imò potest esse necessarium, abstinere aliquando, si familiaritas sit nociua, vt ait Tannerus *disp.2. quæst.3. dub.1. num.9.*

TENEMVR etiam sub mortali, inimicis veniam 249
petentibus iniuriam remittere, quantum ad odium, & quantum ad culpam in nos commissam; non verò quantum ad debitam satisfactionem, nec quantum ad actionem, quam erga illos habemus in iudicio. Ità communiter Doctores cum D.Thom. hîc, sic Caietanus & Aragon. ibi, Toletus *Lib.4. summæ, cap.10.* Syluester V. *Charitas, num.4. §. 6.* Angelus *verbo iniuria, num.6.* Nauar. *summa Latina, cap.14. num.25.* Tannerus *num.8.* Sic Lucæ 17. *Si inimicus tuus reuersus fuerit ad te dicens: pœnitet me: dimitte illi.* Vnde obseruat S. Doctor, in commentario, ex Beda in Glossa, Non iuberi passim peccanti, sed pœnitenti dimittere. Ideò subdit: *& si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens: pœnitet me; dimitte illi:* Hoc autem eleganter ostendit sic: 250
Præcipimur diligere inimicum, eique parcere, vt simus misericordes, sicut & Pater cœlestis misericors est, & ita eius filij simus regenerati. Ipse autem pœnitenti parcit non obstinato Ezech.33. *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit.* Vnde Glossa Bedæ in hunc locum Lucæ: *Aliter fratri petenti, aliter inimico persequenti veniam dare præcipimur, fratri concessa remissione, socia Charitate communicamus. Persecutori malum nobis volenti, vel si potest, nobis facienti, bona voluntate faciamus, quod possumus, & hoc, exemplo Christi,* Lucæ 23. *Pater ignosce illis; non enim sciunt quid faciunt. Exemplo Dauidis* Psalm.7. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, &c.* & Act.7. *exemplo Stephani: Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Hæc S.Bonauentura.

NON tenemur tamen satisfactionem remittere, imò 251
addit Nauar. *in summa Latina, cap. 14. num. 25.* aliquando non posse aliquas remittere, etiamsi velint, vt habetur *cap. Parochianos, de sent. excom. in verb. satisfaciant:* talis est filiusfamilias, seruus, &c. Ità etiam Tannerus *num.10.* cum aliis.

QVANDO autem est æqualis tempore, grauitate, 252
& cæteris circumstantiis iniuria, fiat recompensatio mutua, vt ait Lessius *Tom.1. Lib.1. cap.11. dub.25. num. 133.* contra Nauar. *summa Latina, cap. 18. num 47.* & Caietanum 2. 2. *quæst.26. art.2.* qui non admittunt compensationem, sed malè; nam datur etiam in pecunia, & aliis bonis temporalibus: Ergo & in fama. Certum est verò, primum offendentem teneri primò veniam petere. Si verò vnus incepit, & alter grauiter excessit, tenetur iste primus petere. Ità Syluester *in Rosa aurea, cap.56.* semper tamen attendas ad qualitatem personarum, vt notat Fagundez *num.13.*

ARGVMENTA verò in contrarium soluuntur à D. 253
Bonauent. hac distinctione, teneri in necessitate, & datis conditionibus suprà; extra verò necessitatem, perfectionis asseritur à Glossa *ad 5. Matth.* à D. Augustino *cap.73. Enchir*, qui *cap.24.* ait: *Quisquis autem roganti, & petenti, seu pœnitenti non ex corde dimittit, nullo modo existimet à Domino sua peccata dimitti.* Ità D.Bonauent. *dist.30.*

OBIICIT adhuc. Naturale est, vt inimicus non ametur, sed impugnetur.

RESPONDET, naturam in necessariò agentibus, 254
esto, procedere, vt calidum contra frigidum; at inimicitia contra homines, est contra naturam nostram; Imò & bestiarum eiusdem speciei sociabilem. Addam: Esto non tenear satisfactionem in iudicio remittere, vt dixi, præciso graui læsoris damno; tamen suadenda remissio, maximè si puniendus sit morte, mutilatione,

mutilatione, &c. vnde nihil læso prouenit. Non abnuo, si infamia sit eluenda, satisfactionem petendam &c. Syluest. *verb. Charitas*, *quæst*. 6. Malder. 2.2. *quæst*. 25. *art*. 9. Filliuc. *tract*. 28. *num*. 25. Syluius 2.2. *loc. cit*. Laym. *lib*. 2. *tract*. 3. *cap*. 4. Tanner. ipse *disp*. 2. *quæst*. 3. *dub*. 1. *num*. 11. Bassæus *verb. Charitas*, *num*. 16. qui monent, vt vindictam, iustitiâ palliatam, caueamus.

QVÆSTIO XXVI.

An ex CHARITATE *Angeli sint diligendi.*

D.Bonau.dist.28.quæst 2.
D.Thom.quæst.25.art.10.

255 ASSERO, Angelos ex Charitate esse diligendos.
PROBATVR à S.Doct. *ad* 2. & D.Thom. *in corpore*. Amicitia charitatis fundatur in communicatione beatitudinis æternæ, in cuius participatione communicamus cum Angelis: Dicitur enim *Matth*. 22. In resurrectione futuros Homines, sicut Angelos, in cælo. Quapropter, licèt naturâ differant, qua constituitur amicitia secundùm naturam; sunt tamen secundùm supernaturalia ad eundem finem, & ad idem Bonum. Et ideò conuiuunt nobiscum in vita æterna, quod satis est ad amicitiam supernaturalem; sicuti conuictus naturalis est proprius amicorum secundùm naturam, vt docet Aristoteles 8. *Eth. cap*. 5. Hac ratione vtuntur cæteri, vt videbis apud Tannerum *disp*. 2. *quæst*. 3. *dub*. 1.

QVÆSTIO XXVII.

An Dæmones, & Damnati sint CHARITATE *diligendi.*

D.Bonau dist.28 quæst.2.
D.Thom.quæst.25.art.11.

256 ASSERO, dæmones non esse charitate diligendos.
PROBATVR à D.Bonau. primò. Illi tantùm, qui sunt ordinati ad eundem finem vitæ supernaturalem, sunt Charitate diligendi; sed dæmones non sunt ordinabiles ad vitam æternam nobiscum: Ergo. Maior est certa: nam vbi habetur: *Diliges proximum sicut teipsum*, exprimitur, eos solos diligendos Charitate, qui possunt, sicut & nos, in eodem bono communicare, quod nobis optamus, vt indicat D.August. apud Magistrum *dist*. 28. Aduerte tamen, id expressè non haberi in D.Augustino.

257 PROBATVR secundò à S. Doct. ex illo *Lucæ* 10. vbi Christus profert Præcepta: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: & proximum sicut te ipsum*. Interrogatus autem Christus: *Et quis est meus proximus?* Concludit: *Qui fecit misericordiam cum ille*, vulnerato scilicet. Vbi Glossa: *Proximus est is, cui impenditur, vel qui impendit misericordiam*: Sed dæmones non sunt tales: Ergo.

258 OBSERVAT autem Maldonatus *ad* 5. *Matthæi*, hîc designari proximum, non iuxta legem antiquam, quæ solos Iudæos proximum declarabat, & ideò gentes excludebat; sed modo Euangelico, *vbi non est distinctio Iudæi, neque Græci*: Ideò Samaritanus ille extraneus, est proximus illi, qui incidit in latrones, quem adiuuit operibus, hic enim non solum fuit illi proximus, sed etiam se cum illo vt Proximus exhibuit.

MVLTIPLICITER autem in Scriptura vocatur Proximus. Primò, cognatione, Psal. 37. *Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt*. Psal. 34. *Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum sic complacebam*. Secundò Religione, Eccles. 15. *Exaltabit illum apud proximos suos*, & hoc sensu loquebatur Lex antiqua, saltem secundùm Iudæorum intelligentiam, non includens inimicos, idest, Paganos. Tertiò communicatione in natura, & fine supremo; & sic hominis homo, & Angelus bonus est proximus, vt docet D.August. *lib*. 1. *de doctrina Christiana*, *cap*. 30. Vltimò dicitur proximus probatione ex effectibus, & sic etiam extraneus ille Samaritanus, qui fecit misericordiam, est verè proximus, vt Christus ait. Hæc S.Bonau. *ad cum Lucæ textum*. 259

PROBATVR tertiò à S.Doct. quia Charitas fertur in similes, vel quia iusti sunt, & communicant in vita spirituali, vel quia possunt esse iusti, & habiles ad gloriam, vt ait D.August. 8. *de Trinit*. *cap*. 6. Sed dæmones non sunt tales: Ergo. 260

PROBATVR quartò à S.Doct. Ecclesia militans est Soror conformis triumphanti, quæ ideò dicitur: *Descendens de cælo*, Apoc. 21. Sed Curia triumphans dæmones non diligit: Ergo.

PROBATVR quintò, quia Charitas non comprehendit eos, qui in æternum sunt à Charitate Christi separati. His mediis vtuntur alij. Vide Tannerum *disp*. 2. *quæst*. 3. *dub*. 1.

ARGVMENTA in contrarium ferè omnia soluit S.Doct. concedens, ad amicitiam naturalem sufficere conformitatem in natura, & conuictu: Sed charitas dicit amicitiam supernaturalem, ad quam Dæmones non sunt idonei. 261

DICES primò: Dæmones nobis prosunt ad meritum, & gloriam: Ergo Charitate sunt diligendi.

RESPONDET S.Doct. proficere nobis contra intentum; ideò nihil faciunt ad hoc.

DICES secundò; dæmones conferunt ad Dei honorem, & iustitiam exaltandam: Ergo, cùm Charitas Dei honorem diligat, debemus etiam dæmones diligere.

RESPONDET S.Doct. id verum esse ad summum de eo, quod per se confert ex sui ordinatione. Igitur dæmones sunt quidem materia Diuinæ iustitiæ laudandæ, quatenus puniti, & in æternum priuati beatitudine; & hinc nos ad Dei laudem insurgimus; non tamen sunt obiectum Charitatis, quod exigit ordinationem in se ad beatitudinem, aut ad minus, vt medium, sicuti sunt dona gratiæ. 262

QVÆSTIO XXVIII.

Vtrum conuenienter quatuor, diligenda ex CHARITATE, *enumerentur.*

D.Bonau.dist.28.quæst.6.
D.Thom.quæst.25.art.12.

D.AVGVSTINVS *lib*. 1. *de doctrina Christiana*, *c*. 23. quatuor enumerat Charitate diligenda. Vnum supra nos, idest Deum; vnum, quod nos sumus; tertium iuxta nos, idest, Proximum; Quartum infra nos, idest, Corpus nostrum. 263

SVFFICIENTIA autem sumitur ex ipsius Charitatis natura; cum enim hæc sit amicitia supernaturalis, consistens

consistens in communicatione vitæ beatæ, in qua quidem communicatione interuenit primò Deus, causa beatitudinis, & finis, cui omnia volumus bona. Secundo alij, quibus volumus bonum hoc beatitudinis, in quo communicemus: Et hi vel communi-
264 cant, & participant directè, & sunt Homo, & Angelus; & hoc includit nos ipsos, & animas, & Angelos, qui sunt proximi: Vel participant indirectè per redundantiam, & hæc sunt corpora nostra. Sic etiam D. Thomas *loc. cit.* vbi Malder. Syluius, & Tanner. *disp.* 2. *quæst.* 3. *dub.* 1. Laym. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 1. Fillincius, *tract.* 28. *num.* 8. cum Richard. 3. *dist.* 28. *art.* 1.

265 Sumitur etiam sufficientia diligendorum ex comparatione ad diligentem; nam diligens, aut habet respectum ad id, quod est supra se, nempè Deum; Vel ad se; vel ad consocios iuxta se, vel ad id, quod infra se; & hoc pacto non solùm obiecta diligibilia recensentur, sed etiam ordo dilectionis.

Obiicies primò. Quæ sunt eiusdem speciei, faciunt vnum; sed nos, & proximus sumus tales: Ergo.

Respondet S. Doct. esse vnum naturâ, tamen primò Charitatem mouere nos propter nosmet ad beatitudinem: deinde respicere proximum in ordine ad beatitudinem; nam proximus est minus pertinens ad nos.

Obiicies secundò. Scriptura satis enumerat diligibilia, Deum, & proximum.

Respondet S.Doct. in his præceptis includi nos quoad animam, & corpus, vt ostendi *quæst.* 51. & 25.

266 Obiicies tertiò. Nihil est beatum, præter tria, Deus per essentiam, animus per influentiam, & corpus per redundantiam, quæ sunt tantùm tria.

Respondet S.Bonau. Charitatem sua obiecta respicere ordinatè. Est enim ordinatissima: ideò respicit primò nos, deinde quæ iuxta nos sunt posita.

Obiicies quartò. D. Ambr. In Gloss. in id Cant. 2. *Ordinauit in me charitatem*, sex recenset diligibilia: Deum, Nos ipsos, Parentes, filios & Fratres, Domesticos, ac Inimicos.

Respondet S.Doct. Ambrosium distinctione accidentali distinguere proximum, prout nobis coniunctus est; at D. August. distinguit iuxta ordinem Charitatis secundum se; ideò attenditur secundùm differentias principales boni. Vide S. Doct. etiam *dist.* 29. *dub.* 3. *litt.*

267 Obiicies quintò Sicut diligendum est corpus nostrum; ita & proximi: Si ergo animus noster, & animus proximi distinguunt duo membra: Ergo & corpora.

Respondet S.Doct. corpora nostra, & proximorum, esse infra nos in eodem ordine; vnde vnum constituunt; animum verò nostrum, & animum proximi diuerso modo se habere, quia vnus est intrinsecus, alter extrinsecus in ratione charitatis.

Obiicies sextò. Ex charitate diligendum est etiam id, quod est contra nos.

Respondetur, contineri id in proximo, qui tamen non diligitur, vt contra nos ratione culpæ; sed vt iuxta nos ratione communicationis in vita beata.

QVÆSTIO XXIX.

An eodem habitu Charitatis *diligantur Deus, & Proximus.*

D Bonau. 3. dist. 27. art 1. quæst 2.
D. Thom. quæst 26. art. 2.

Nota, proximum dici nobis ratione identitatis 268 naturæ, coordinatæ ad beatam vitam.

Hæc quæstio alio etiam titulo à Modernis proponitur: An idem sit motiuum Charitatis Dei, & proximi.

Prima opinio est, diuersa esse motiua charitatis Dei, & proximi, ità, vt motiuum diligendi Deum, sit increata eius bonitas; motiuum verò diligendi proximum, sit eius supernaturalis perfectio sanctitatis, virtutis, &c.

Pro hac citantur à Mastrio Vasquez, Caspensis, 269 & alij recentiores, adducentes D.Bonauenturam. Ille autem author, propositio titulo *disp.* 6. *quæst.* 12. *tertiæ partis*: An idem sit motiuum Charitatis Dei, & proximi, sic prosequitur.

Prima sententia negat, docetque, motiuum charitatis Dei esse ipsam increatam bonitatem: motiuum verò Charitatis, quo proximus amore amicitiæ diligitur, esse bonitatem ipsam supernaturalem proximi. Duobus enim modis (inquit hæc sententia) potest proximus honestè diligi: Primò propter solam Dei bo- 270 nitatem, idest ex desiderio diuini boni, quia bonum, collatum in proximum, est quodammodo bonum Dei, ex verbis Christi, Matth. 25. *Quamdiu fecistis vni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis*, atque hæc dilectio manifestè pertinet ad Theologicam virtutem Charitatis. Alio modo potest diligi proximus, vel propter naturam rationalem, quam habet nostræ similem, vel propter morum sanctitatem, in qua dilectione, quoniam formale obiectum longè differt à formali obiecto Charitatis, asserit, illam non esse actum elicitum Theologicæ virtutis; sed alterius inferioris. Ita Vasquez, Turrianus, Caspensis, Coninchius, Arriaga, & alij Recentiores pro se citantes D. Thomam, D.Bonauenturam, Richardum, Durandum, & alios antiquiores.

Hi verò Doctores duo quidem dilectionis motiua 271 fatentur, Dei, scilicet & proximi, vnum tamen dicunt esse motiuum eius dilectionis, quæ est Charitas, vt constat ex D.Bonau. allegato à Doctoribus his; imò ab ipso Mastrio *num.* 569. à Caspensi *disp.* 3. *de Charitate, sect.* 1. *num.* 3. vbi idem asserit cum Vasquez *lib.* 1. *de ador. disp.* 6. *cap.* 2. & *lib.* 3. *disp.* 1. *cap.* 6. & sanè verba D.Bonau. *in* 3. *dist.* 9. *art.* 2. *quæst.* 4. vbi ab his adducitur, sunt pro secunda sententia mox referenda: Neque enim S.Doct. illos duos habitus agnoscit, nec vnum de illis verbulum dicit.

Fallitur igitur Mastrius referens, hos doctores negare, esse idem motiuum Charitatis Dei, & proximi, sed ponere duos: Imò ipse suum errorem detegit, dum ait, hos Doctores ponere quidem duo motiua dilectionis proximi, alterum, esse bona proximi; alterum esse Deum, vt finem; & prius motiuum non esse Charitatis, sed inferioris virtutis dilectionis.

Secunda igitur sententia est, vnum esse moti- 272 uum, quo diligitur Deus, & proximus, scilicet bonitatem increatam. Ita D Bonau. *loc. cit.* D.Thom. 2. 2. *quæst.* 105. *art.* 3. *ad* 1. Vasquez, Caspensis, Turrianus, Durandus, Richardus, Valentia, Suarez, Malderus,

deros, Syluius, quos adducit, & sequitur Amicus *disp.24. sect.3.* Idem sentiunt Lorca, Tannerus, Mastrius, alios allegans, & inter cæteros Scotum 3. *dist.18. quæst. vnica*, & omnes Scotistas. Idem sentit D.Bonau. *dist.27. art.1. quæst.5.* & *art.2. quæst.3. in corpore.*

273 SVPPONO, quæ distinxi *quæst.17.* cum D.Bonau. ex qua quæstione nonnulli deducere potuerunt, duo esse motiua Charitatis Dei, & proximi; sed ibi vult, esse duos amores ratione materialium obiectorum, propter quæ, duo etiam præcepta traduntur: at verò vnum motiuum asseuerat, atque vnum actum charitatis, vnumque habitum, tametsi detur alius habitus virtutis, quo diligamus proximum propter similitudinem eius nobiscum in natura, & propter eius sanctitatem: Et in hoc est differentia vera inter primam, & secundam sententiam; prima enim admittit vnum motiuum charitatis; attamen ponit alium habitum, quo ametur proximus per ordinem ad suas perfectiones, vt dixi; quem habitum, non charitatem vocant illi; Authores verò secundæ sententiæ eum omnino negant.

274 ASSERO primò, vnum esse habitum Charitatis, vnumque actum formalem eius in Deum, & proximum.

PROBATVR à D. Bonau. primò *dist.27. quæst.5. argumentis*, *relatis quæst.6.* vbi id ex professo ostendi.

PROBATVR secundò ex PP. qui eandem charitatem esse definiunt Dei, & proximi. Ità D.August.8. *de Trinit. cap.8.* & *serm. de Dominica post Ascensionem.* Bernardus *serm. de cœna Domini*, Beda *in 5. ad Romanos*, apud Mastrium *num.565.*

275 AVDI D. Gregorium *homil.38.* apud D. Bonau. lib.1. Pharetræ, cap.25. *Si quis quemlibet amat, sed propter Deum non amat, Charitatem non habet; sed habere se simulat, siue putat: Charitas autem vera est, cùm & in Deo diligitur amicus, & propter Deum diligitur inimicus.* His verbis non solùm vnum habitum Charitatis asserere videtur, sed etiam excludere omnem alium virtutis habitum, quo proximum ob supernaturalia diligamus.

Alios Patres vide *ibidem.* Authoritates verò apud Mastrium, illud primum tantùm probare videntur.

276 PROBATVR tertiò à S.Doct. *allegatis locis.* Vbi est idem obiectum formale, ibi vnus habitus: sed vnum est obiectum formale charitatis: Ergo. Maior probatur: nam habitus ab obiectis specificantur, sanè formalibus, vt docet Aristoteles, allegatus *quæstione 6.* Minor probatur; nam vbi est idem motiuum, ibi idem obiectum formale; sed in Charitate Dei, & proximi est idem motiuum: Ergo. Minor probatur à D.Bonau. quia in proximo non diligitur, nisi Deus, vt ait D. August. adductus *argumento secundo, disp.26. art.5. quæst.5.*

DEINDE probatur Minor à D.Bonauen. Quando vnum est propter aliud, ibi vnum motiuum, atque vnus ideo motus: Sed charitas diligit proximum propter Deum: Ergo. Probatur tertiò minor. Quando vnum est principaliter dilectum, tunc vna est dilectio; sed in dilectione proximi principaliter dilectus est Deus: Ergo. Hoc est argumentum D.Bonau. *dist.9. art.1. quæst.4. ad 3.* & *dist.27. art.1. quæst.5. in corpore*, quod Scoto attribuit Mastrius *num.568.* Probatur assumptum; quia, quod principaliter intenditur, principaliter mouet.

277 Ex his video, Seraphicum admittere quidem plura obiecta materialia charitatis, nempe diuinam bonitatem, & creatam sanctitatem; sed tamen compleri actum, dum creata perfectio reducitur in suum finem, sine qua directione non est virtutis perfectæ actus ille dilectionis proximi, quo diligitur eius perfectio, etiam supernaturalis. Et propterea D. Gregorius, suprà allatus, sine hac directione negat, esse actum virtutis. Id arbitror voluisse Apostolum, cùm ait: *Qui diligit proximum, legem impleuit*, Rom.13. & Ioannes dicere solebat: *Filioli diligite alterutrum*, & nihil aliud prædicabat. Interrogatus verò: Cur id solùm commendaret, Respondit: *Quia, si hoc fiat, sufficit.* At sanè si daretur dilectio perfecta terminans in hominis perfectiones, ea certè non sufficeret ad legis Diuinæ obseruantiam, quia non diligeretur per eam Deus, qui principaliter diligendus præcipitur.

ID acutè obseruat S.Bonau. 3. *dist.37. dub.2. litt*, 278 & cum eo Mastrius *num.569.* Idipsum etiam indicat S.Doct. *dist.33. quæst.1. ad 1.* Hinc arguit *fundamento 1. quæst. mox citanda.* Quando vnum est propter aliud, tunc vnum tantùm; sed amor proximi, vt sit perfectus, est propter Deum: Ergo vnus cum Dei amore. Hoc argumentum Scoto adscribit Mastrius *num.570.*

PROBATVR quartò à D. Bonauent. *dist.27. art.2. quæst.3. in corpore.* Idem obiectum specificat actum directum, & collatiuum, seu reflexum, etiamsi ad directum immediatè, & directè concurrat; ad reflexum verò mediatè solùm, & indirectè; Ratio est, 279 quia semper principale specificatiuum est id, quod principaliter intenditur, siue directè, & immediatè; siue indirectè, & mediatè ad actum concurrat: Sed quod actu Charitatis principaliter intenditur, est bonitas Dei, quocumque modo diligatur, siue directè, siue reflexè: Ergo semper ab illa sumitur vltima specificatio; ab illo enim actus principalis specificatur, propter quod principaliter est, & principaliter intenditur. Maior patet, quia, quod principaliter intenditur, principaliter mouet, & influit in ipsam speciem actus. Minor in actu dilectionis proximi satis liquet primo modo; quia, quod vnicè mouet, est bonitas increata: De actu verò dilectionis secundo modo probatur, quia tunc, licèt charitas directè & immediatè moueat ad diligendum proximum propter intrinsecam ipsius bonitatem; non tamen mouet propter illam absolutè, sed respectiuè, vt nimirum singularis est participatio bonitatis increatæ: Ergo etiam illo secundo modo, licèt mediatè, & indirectè, siue terminatiuè, & in obliquo moueat ad illum actum bonitas ipsa increata Dei, adhuc tamen principaliter mouet. Hoc argumentum D. Bonauenturæ, Scoto adscribit Mastrius *num.568.* licèt *numero sequenti* referat D.Bonauenturam idem docentem *in 3. dist.9. quæst. vltima*: Sed argumentum hoc in D.Bonau. est *dist.27. loc. cit.* quo vtitur etiam Amicus.

ADVERTVNT autem Amicus, & Mastrius, charitatem proximi terminari ad Deum de facto; potuisse 280 tamen Deum alium habitum charitatis condere, quo diligeremus proximum in se, independenter à Deo, quemadmodum, & sancti Dulia coluntur ob suas perfectiones.

RESPONDET Arriaga, Scripturam, & Patres solùm velle, habitum dilectionis Dei esse connexum cum habitu, quo diligitur proximus; siue proximus sit obiectum materiale, siue formale.

CONTRA: nam Sancti Patres excludunt alios amores, vt patet ex D. Gregorio; & amor proximi dicitur complementum legis, quod non esset verum, si amor proximi non esset vnus cum Dei amore.

RESPONDET secundò, etiamsi dicat Scriptura: 281 *Qui diligit proximum, legem impleuit*; tamen non sequi, ab vno habitu procedere etiam amorem Dei; alioqui deberet inferri, nullum alium habitum supernaturalem esse à charitate distinctum; nam qui diligit

Deum,

Deum, castus est, iustus est, patiens est, vt dicitur *prima Corinth.* 13. Hoc argumentum sumptum est è D Bonau. 3. *dist.* 33. *quæst.* 1. & *dist.* 37. *argumento primo ad oppositum.*

282 Sed hæc euasio præcluditur, vt vidit Mastrius *num.* 573. Primò enim non educimus vnitatem habitus Charitatis ex hoc solo *Rom.* 13. sed ex *prima Corinth.* 13. vbi Paulus vnam charitatem ponit, sicuti vnam fidem, & spem; sed hæ sunt singulæ speciei: Ergo. Quo argumento vsus sum *quæst.* 6. cum D.Bonau. *dist.* 27. *quæst.* 2. sumpto ex vnitate obiecti; quia sicut vna est prima veritas, qua vnificatur fides; ità vna est bonitas prima, atque vltima, quæ est obiectum charitatis. Quòd verò necessarij sint alij habitus præter charitatem, est; quia charitas alios actus solùm imperat, qui non sunt actus Charitatis, vt notat S.Doct. *dist.* 33. *loc. cit. ad* 1. sed charitas Dei, & proximi elicit, tanquam proprios, vtriusque actus.

283 Obiicies primò. Vel bonitas creata proximi est obiectum formale charitatis, vel solùm materiale. Si primum, habeo intentum; si secundùm: Ergo bonitas supernaturalis non est bonum honestum, quia non potest terminare appetitum, sed est bonitas tantùm vtilis, quæ amatur propter alios.

284 Respondet D.Bonau. *tota quæstione tertia, art.* 2. *dist.* 27. bonitatem proximi esse obiectum honestum, & terminatiuum actus Charitatis; non tamen vltimò terminare actum, qui cum habeat pro obiecto principali Diuinam bonitatem, tanquam obiectum formale vltimum, pergit, ac progreditur ad illam, etiamsi bonitas creata subalternè sit terminatiua actus, & affectus charitatis; ratio autem specificatiua sumitur ab vltimo, ad quod tendit, & terminatur actus, & ad quod obiectum bonitatis creatæ subordinatur: Ex quo patet, non esse necessarias duas virtutes charitatis: alteram Theologicam; alteram moralem, quia duæ illæ bonitates ita se habent, vt vna ad alteram ordinetur; & vbi est vnum propter alterum, ibi vnum tantum; etsi illud, quod ad alterum ordinatur, sit terminatiuum, minus tamen principaliter terminat. Hac doctrina respondent argumento Amicus *loc. cit.* & Mastrius *num.* 576. qui eam attribuunt Scoto 3. *dist.* 31. *quæst. vn.* §. *Sed adhuc*, qui eam hausit è

285 D. Bonau. *loc. cit.* Addo tamen, Scotum *dist.* 28. *quæst. vn. ad argumenta*, asserere, bonitatem proximi nihilò plus mouère, quàm festucam, quod benignè explicat Arrinus *dist.* 28. *art.* 1. intelligi, non mouère, vt causam principalem.

Dices. Quando do eleemosynam, actus vltimò terminatur ad obiectum illud ex pietate in proximum, & non ascendit in Deum, & tali pacto est actus virtutis: Ideò est habitus distinctus: Ergo, &c.

286 Respondetur, negando paritatem; nam habitus charitatis, vtpotè Theologicus, tendit vltimò in Deum, nec est alius cognitus habitus charitatis apud Scripturam, & Patres.

Obiicies secundò. Si ratio motiua charitatis proximi est bonitas Dei, sequitur, Charitatem non esse amicitiam propriè dictam nostram ad proximum: nam secundùm Aristotelem 8. *Eth.* amicitia est gratiâ amici; diligit enim amicum ex complacentia ipsius amici.

Respondetur ex D.Bonau. *quæst. cit.* argumentum valiturum, si concederem, bonitatem creatam non terminare affectum; at dicimus, terminare; ita tamen, vt ad vltimum finem ordinetur, quod non est contra rationem amicitiæ; neque Aristoteles excludit, amicitiam ordinari ad finem vltimum.

287 Obiicies tertiò. Minus distant duæ bonitates, & bonitates creatæ, quàm bonitas creata, & increata: at bonitas creata duplex, est obiectum diuersarum virtutum: Ergo. Maior patet, quia creatæ sunt finitæ omnes; at creata ab increata differt, vt finitum ab infinito. Sumitur ex D.Bonau. *fund.* 4.

Respondetur ex D. Bonau. *in corpore*, negando consequentiam, quia licèt in ratione materiali obiecti magis differant; tamen in ratione obiecti formalis non differunt magis; quia vnum non attingit ratione alterius principalis vltimi, quod est bonitas Dei. Vnde etiam dantur varij habitus bonitatum creatarum, quia altera, puta iustitiæ, non ordinatur ad bonitatem temperantiæ; at bonitas creata proximi amatur in ordine ad Deum, qui solus vltimò intenditur, vt Bonum in virtute Theologica. Subscribit Mastrius, *num.* 580.

Obiicies quartò. Amicitia humana tendit vltimò ad bonum amici: Ergo & supernaturalis. 288

Respondet S. Doct. *dist.* 28. passim, negando consequentiam; quia charitas, quæ nunc datur, est participatio illius Charitatis, qua Deus nos diligit propter se, & ordinatur ad beatitudinem, & vitam supernaturalem in Deo.

Obiicies quintò. Minus differt excellentia Diuina ab excellentia creata, quàm bonitas Diuina à bonitate creata; sed ad colendam excellentiam diuinam datur Latria, quæ est cultus diuersus à Dulia, quo colitur excellentia creata: Ergo. Hoc argumentum extraxit Arriaga è D.Bonau. *ad* 3. vbi de cultu imaginum negans paritatem, concedit (vt videtur) de cultu Sanctorum, & Dei valere paritatem, quòd sicuti terminant diuersos cultus, ità & Deus, & proximus diuersos amores, eò vel maximè, quod charitas immediatè respicit bonitates, creatam, & increatam; Religio verò respicit immediatè, non excellentias, sed earum cultum, vnde minus videtur ratio distinguendi.

Respondetur cum Amico, & Mastrio ex argumento D. Bonau. posse inferri, non repugnare dari talem habitum diuersum; attamen illum, qui nunc est, esse terminatiuum sanè ad duas bonitates, ità tamen, vt creata ad increatam ordinetur. Addo ego ex D. Bonau. melius, terminari sanè charitatem ad duo obiecta distincta, Deum, & proximum; Attamen, quia charitas habet pro obiecto bonum, quod est finis; ideo hunc in charitate recipiendum, atque adeò Charitatem non sistere in bonitate creata, quæ non est vltimus finis, sed eam ordinare ad vltimam Increatam; at religionem non respicere Deum, & Sanctos sub ratione boni, sed secundùm excellentias, quarum altera in ratione obiecti non subordinatur, sed solùm in ratione boni; & hæc est solutio D.Bonau. *in corpore*, vbi omnia complectitur argumenta. 289

Obiicies sextò. Actus speciè diuersi, diuersos requirunt habitus; sed actus charitatis in Deum, & proximum, sunt diuersi: Ergo. Minor probatur *in fundamentis D. Bonau.* quia actus amoris in Deum sunt propter se; at amoris proximi, propter Deum. Similiter actus amoris in Deum sunt speciei diuersæ in appretiatione. 290

Respondet Mastrius, Maiorem in habitibus acquisitis esse veram, quia ex actibus eiusdem rationis gignuntur, non de infusis.

Respondetur secundò ex D.Bonau. *in corpore*, verum de actibus vltimò terminantibus ad diuersa obiecta; actus verò charitatis Dei, & proximi ad vnam Dei bonitatem tendit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXX.

Vtrum in CHARITATE *ſit ordo.*

D.Bonau.diſt.29.quæſt.1.
D.Thom.quæſt.26 art.1.

ASSERO, obiecta diligenda eſſe ordine quodam à voluntate.

295 PROBATVR à SS.Doctoribus primò ex 2. Cantic. *Ordinauit in me charitatem.*

DEINDE probatur à S.Bonau. ex D.Auguſt. *lib.1. de doctrina Chriſtiana, cap.23.* vbi ait: *Primò diligendus eſt Deus, qui eſt ſupra nos*; non dixit autem hoc, loquens, prius tempore diligendum; ſed ordine excellentiæ, & æſtimationis.

TERTIO ex D.Ambroſio in Gloſſa ad verba Canticorum adducta: *Primò Deus diligendus eſt, ſecundò nos ipſi, tertiò parentes, inde filij, poſt domeſtici, qui ſi boni ſunt, malis filiis præponendi ſunt.*

292 PROBATVR quartò à S.Doct. Prius, & poſterius eſt ſecundùm relationem ad aliquid principium, ex Ariſtotele 5. *Metaph.* t.16. & ad finem. Ordo autem includit in ſe aliquem modum prioris, & poſterioris; vnde oportet, vt, vbi eſt aliquod principium, & aliquis finis, ſit etiam aliquis ordo: Charitas autem tendit ad rectificandam voluntatem in Deum, vt in principium, finemque ſupernum, in cuius communicatione amicitia Charitatis fundatur, & ideò oportet, in his, quæ charitate diliguntur, attendi aliquem ordinem ſecundùm relationem ad principium, quod eſt Deus, qui eſt etiam ſummum bonum, quod eſt beatitudo. Hoc argumento vtitur etiam D.Thom. Maior probatur à D.Bonau. *in 2. diſt.35. art.2. quæſt.1.* His nituntur alij, cum Tannero *diſput.2. quæſt.3. dub.2.*

PROBATVR quintò à S.Doct. vnus habitus tendit in vnum obiectum principale, & in alia per ordinem ad illud: Sed Charitas eſt vnus, habitus, habens pro obiecto principali diuinam bonitatem, ex dictis q.19. Ergo cætera amata reſpiciuntur, vt ordinata ad illud; atque adeo principalius obiectum eſt Deus, primò amandus; deinde cætera. Idem repetit *in corpore*, & *ad* 2.

293 PROBATVR ſextò à S. Doct. magis debetur ordo amori deliberatiuo, quàm naturali; ſed naturalis eſt ordinatus reſpectu diligibilium: Ergo.

PROBATVR ſeptimò. Vinculum, multa rectè connectens ad finem, debet ea ordinatè colligare ad eundem finem: Sed *Charitas eſt vinculum perfectionis* ex 3. ad Coloſſ. & ex D. Dion. *cap.4. de Diuin. nominibus*, eaque multa colligans, cùm ſit amor maximè liberalis, complectens multa diuerſa in fine colliganda: Ergo ea vnit ordinatè.

PROBATVR octauò à S. Doct. Quod eſt pondus in corporibus, eſt amor in ſpiritibus, ex D.Auguſt. *lib.13. confeſſ. cap.9. & lib.11. de ciuit. cap.28.* & 6. *de Trinitate, cap.10.* Sed pondus debet eſſe benè libratum: Ergo & amor.

294 OBIICIES primò. Vbi ordo, ibi diſtinctio; ſed charitas reſpectu diuerſorum eſt vna: Ergo non ordinata.

RESPONDET S.Doct. ordinem in habitu attendi in ordine ad obiectum; quamuis autem charitas non ſit multiplex in ſe, habet tamen multa obiecta materialia, & multos actus, ratione quorum ſunt multa præcepta.

OBIICIES ſecundò. Vbi eſt ordo, ibi proportio; ſed inter diligibilia non eſt proportio; creati enim ad increatum nulla eſt proportio: Ergo.

RESPONDET S.Doct. quod proportio eſt duplex. Alia propriè dicta, quæ eſt commenſuratio rerum eiuſdem generis, & hoc ſenſu falſa eſt maior. Secundò proportio dicitur largè, & eſt quæcumque habitudo, quæ attenditur ſecundùm conuenientiam analogiæ; & hoc modo datur proportio boni creati ad increatum, & etiam ordo ſecundùm rationem primitatis, & cauſalitatis; finis enim dignior eſt his, quæ ad finem, & quantum ad hoc attenditur ordo in Charitate.

OBIICIES tertiò. Ordo ſpectat ad cognitionem, 295
quia ſapientis eſt ordinare: Ergo ſi non ponitur ordo in cognitione reſpectu cognoſcendorum, multò minus debet poni in Charitate reſpectu diligendorum. Si dicas, quod ordo eſt in ſcientiis. Contra: nam charitas ſequitur cognitionem fidei; ſed in huius obiectis non eſt ordo: Ergo.

RESPONDET S.Doct. duplicem eſſe ordinem: Primus eſt partium in toto, & rerum in vniuerſo: Et quidem ordinare eſt intellectus. Alter eſt ordo rerum in finem, & hic eſt à voluntate, quæ tendit in bonum, atque adeò in finem, & talis eſt ordo Charitatis.

RESPONDET ſecundò, ordinem in habitibus at- 296
tendi per ordinem ad obiecta, quia verò Summa Bonitas per eſſentiam reſpectu aliorum diligibilium, quæ ſunt participantia, pluris meritò æſtimanda eſt, & ex eis diligibilibus aliqua plus, vel minus participat de bonitate, vt corpus minùs, quàm ſpiritus: hinc eſt, vt charitatis amor ſecundùm hæc ſit ordinandus. Sic enim etiam in cognoſcibilibus eſt ordo, vt prius ſint prima principia, in quibus eſt maior veritatis euidentia; deinde ſcientia concluſionum ſubſequatur; & ita poteſt negari aſſumptum. Nec eſt ſimile de fide; omnes enim articuli ad primam veritatem æquè comparantur, ex cuius reuelatione omnes vniformiter creduntur.

OBIICIES quartò. Sicuti in fide eſt vna ratio cre- 297
dendi, ſcilicet ſumma veritas; ità in Charitate vna ratio diligendi, quæ eſt ſumma bonitas: Sed ex eo, quòd vna eſt Veritas, quæ eſt ratio credendi, vna eſt Fides omnibus articulis æqualiter aſſentiens: ergo ex eo, quod eſt vna ratio diligendi, vna eſt charitas eodem modo ſe habens ad omnia diligibilia.

RESPONDET S.Doct. diſparem eſſe rationem, nam in Charitate inæqualia ſunt obiecta terminantia affectum, eſto omnia ad vnum reducantur.

OBIICIES quintò. Charitas eſt habitus vnus, naturaliter inclinans ad bonum: ergo æqualiter; nam idem, ſemper manens idem, facit idem.

RESPONDET S. Doct. vnum ſemper facere idem, data pari diſpoſitione in obiectis naturalibus; alioqui diuersè operatur. Sic Sol magis illuminat chryſtallum, quàm lapidem; at voluntas eſt potentia operans ex electione, quæ regitur à charitate, quæque & ipſa mouetur; non autem manet eadem ſemper. Præterea reſpicit obiecta, diuerſo modo, & gradu amabilia.

OBIICIES ſextò. Si ordo attenditur in Charitate, 298
aut attenditur penes habitum, aut penes actum; non quoad habitum, qui eſt omninò vnus: Si quoad actum: Ergo non eſt ordinata in infante baptizato, vel in dormiente, qui non habent actum. Igitur quæro, quid attenditur in ordine charitatis? & cur attenditur magis in ipſa, quàm in alia virtute ordo, cùm omnis virtus ſit amor ordinatus, vt ait D.Auguſt. *de moribus Eccleſiæ?* Et rurſus, cùm circa omne bonum ſit modus, ſpecies, & ordo, cur potius charitas dicitur ordinata, quam modificata?

RESPONDET

Respondet S. Doct. attendi ordinem in habitu, in ordine ad obiecta. Præcipuè igitur dicitur charitas ordinata, quia est pondus, cuius est librare; & vinculum perfectionis, cuius est omnia ordinatè colligere.

QVÆSTIO XXXI.

Vtrum Devs *sit magis diligendus, quàm proximus.*

D. Bonau dist 27. dub. 1. & art 2 quæst. 4.
D. Thom. quæst. 26. art. 2.

299 Assero primò; habitum Charitatis principaliùs, & magis ferri in Deum.

Probatvr à D. Bonau. primò, quia sic Deus præcipit, Matth. 22. *Hoc est primum, & maximum mandatum.* Idem habes *Matth.* 10. *Luca* 14.

Secvndo. Causa est prior suo effectu; sed dilectio Dei est causa dilectionis proximi: Ideo enim homo diligit proximum, quia diligit Deum, cuius est imago, & quem Deus iubet diligi.

300 Tertio, quia amicitia principalius, & priùs respicit id, quod habet rationem finis, in quo inueniatur illud bonum, super cuius communicatione fundatur, & est causa illius boni: Sed Deus est tale bonum, ad quod ordinatur & proximus, & est illud, à quo deriuatur illa communicatio in vita supernaturali beatitudinis, in qua consistit amicitia charitatis perfecta: Ergo. Eadem ratione vtitur etiam D. Thom. quam refricat S. Bonau. magis *in corpore.* Et Tannerus *disp.* 2. *quæst.* 3. *dub.* 2. *num.* 21. & cæteri.

Tandem: Amor inclinat priùs ad illud, ad quod inclinat ardentiùs, quia affectus sequitur maiorem inclinationem; sed Charitatis amor ardentiùs inclinat ad amandum Deum, quàm proximum: Ergo.

301 Assero secundò. Charitas quoad exercitium priùs fertur in proximum, tanquam actus imperfectior, vt per actiuam exurgat ad perfectum Dei amorem, & in contemplatiuam; qui enim vult esse perfectus amator Dei, priùs debet se exercere in amore proximi; sicut qui vult esse contemplatiuus bonus, priùs debet esse bonus actiuus, vt docet D. Gregorius. Et in huius rei signum, bis datus est Spiritus Sanctus.
302 Primò io terra, *Ioan.* 20. Secundò de cælo, *Act.* 2. Quia prius oportet amorem charitatis exerceri in his, quæ videmus, vt per amorem visibilium io amorem inuisibilium rapiamur, & secundùm hanc viam procedunt rationes infra afferendæ: Hæc D. Bonauentura.

Probatvr ergo primò. Destructio vnius, est destructiua alterius, & positio eius, est positio alterius: Sed destructio Charitatis proximi, est destructiua charitatis Dei, vt arguit Ioan. prima, cap. 4. *Qui non diligit fratrem suum, quem videt; Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Id autem, ad quod sequitur consequenter positio, vel destructio alterius, debet esse illo prius; hoc autem est secundùm dispositionem, vt ait etiam D. Thom. *ad primum.*

303 Secvndo. *Prius, quod animale est, deinde quod spirituale, sequitur*, prima Cor. 15. sed dilectio proximi est sensibilior: Ergo præcedit.

Tertio. Processus est ab imperfecto ad perfectum, à via ad terminum; sed dilectio Dei est perfectior, & terminus, ad quem dilectio proximi tendit: ergo.

Qvarto. Prior est actio contemplatione; sed dilectio proximi occupatur circa actiuam; Dilectio Dei circa contemplatiuam: Ergo.

QVÆSTIO XXXII.

Vtrum homo debeat ex Charitate *plus Deum diligere, quàm se ipsum.*

D. Bonau. dist 29. quæst. 2.
D. Thom. quæst 26. art. 3.

Assero, ità diligendum.

Probatvr à D. Bonau. primò ex *Deuter.* 6. 304
Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum.* Nulli autem alij impendendus præcipitur totus affectus: Ergo. Idem probat S. Doct. *ad* 14. *Luca*, illis verbis: *Si quis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, &c. adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.*

Deinde probatur ex SS. August. & Ambrosio, qui Deum præ omnibus diligendum monent, vt dixi *quæstione* 28.

Tertio probatur à S. Doct. Propter quod vnum quodque tale, & illud magis tale; sed propter Deum diligimus nos, & proximum; & iure ità diligendus est, quia summum bonum: Ergo magis tenemur diligere ipsum Deum. Maior est Aristoteles: *Primo post, cap.* 3. & 2. *Metaph. t.* 4. 305

Probatvr quartò. Finis est magis diligendus, quam ea, quæ sunt ad finem; sed Deus est finis omnium: Ergo. Maior est Aristotelis 2. *Phys. text.* 23.

Probatvr quintò *in corpore.* Ratio recta dictat, summum bonum esse magis diligendum, quàm cætera bona; sed Deus est summum Bonum: Ergo. Hoc argumento vtitur Scotus, vt dicam *quæstione sequenti.*

Obiicies primò. Perfectio non inuertit ordinem sui perfectibilis; sed gratia est perfectio naturæ, quæ sine gratia magis diligit seipsam, quàm Deum: Ergo gratia addita perficit, non inuertit hunc ordinem.

Respondet S. Doct. naturam duo habere, & Esse positiuum, & defectum corruptionis: Id igitur, quod est positiuum, & perfectionis, perficitur; id autem, quod habet defectus, corrigitur, & emendatur. Igitur amor proprius inordinatus, est naturæ corruptæ, ideò corrigitur à gratia. 306

Obiicies secundò. Sicut si æqualibus addas æqualia, manent æqualia; ità si addas inæqualia, manent inæqualia; sed amor nostri ante aduentum gratiæ præponderat amori Dei: Ergo & post eius aduentum: Ergo secundum ordinem Charitatis debemus diligere magis nos ipsos.

Respondet S. Doct. Maiorem veram, si æquale additum, æqualiter respiciat vtrumque; at verò charitas magis respicit amorem Dei, quàm illum, qui est in seipsum; vnde in aduentu Charitatis minuitur amor sui, & augetur amor Dei. 307

Obiicies tertiò. Amoris affectus sequitur cognitionem; sed magis nos cognoscimus, qoàm Deum: Ergo magis etiam diligimus.

Respondet S. Doct. amorem sequi ad cognitionem, non solùm quoad Charitatem, sed etiam quoad bonitatis perfectionem maiorem. Igitur, licèt clariùs cognoscamus nos ipsos, quàm Deum; tamen agnoscimus, maiorem esse bonitatem Dei, & pluris æstimandam.

Obiicies

308 Obiicies quartò. Quantum aliquis diligit Deum; tantùm appetit frui Deo; & quantum appetit frui Deo, tantum appetit sui beatitudinem; & quantum appetit sui beatitudinem, tantum se diligit: Ergo tantum diligit seipsum, quantum diligit Deum.

Respondet S.Doct. affectu quidem concupiscentiæ tantum aliquem diligere Deum, quantum cupit Deo frui; at amore amicitiæ magis diligere Deum, quia & suam bonitatem ordinat vltimò in Deum, tanquam in finem magis amabilem, vtpote bonum per essentiam, ad quod, tanquam ad principium, ordinatur bonum per participationem: Enim verò amor concupiscentiæ non facit pluralitatem cum amore nostri; & ideo non sequitur, quòd eo amore æqualiter Deum, & nos diligimus: diligere enim nos ex charitate, non est aliud, quàm summum bonum nobis optare.

309 Deinde respondet, negari posse Maiorem; quia potest quis optare frui Deo propter ipsum Deum, & ideo magis diligere Deum, quàm suam beatitudinem; & hic est ordo Charitatis.

Obiicies quintò. Quando duo sunt finita, potest vnum intendi, & alterum remitti, & ad æqualitatem redigi; sed charitas in Deum, & nos, est finita: Ergo potest fieri, vt charitas Dei remittatur, dum amor nostri intenditur à Charitate: Ergo, &c.

310 Respondet S.Doct. amores hos esse finitos; attamen ratione obiecti amorem Dei esse infinitum, & hac de causa non posse æquari. Neque verò est nonum, quod finitum excedat infinitè aliud finitum: Sic enim linea excedit punctum infinitè, & ità nunquam punctum potest peruenire, vt fit lineæ æquale, imò plurima, & infinita puncta nunquam facient aliquam lineæ longitudinem. Ità igitur sunt bona creata respectu boni summi Animæ rationalis; Itaque infinita bona creata nunquam ita amabilia erunt, quia semper bonum Diuinum, etiam vt participabile mihi, semper diligetur, vt finis; atque adeo nunquam æquabitur illi amor sui, vel cuiuscunque creaturæ.

311 Obiicies sextò. Amor est vis vnitiua; non potest autem quis vniri cuicumque, magis quàm sibi ipsi.

Respondet S.Doct. primò, nihil magis esse vnitum nobis, quàm nos secundùm naturam; at non secundùm affectum. Itaque potest Deus esse nobis magis inhærens amore; & hoc secundo modo amor est vis vnitiua affectu, non naturâ.

Respondet secundò, Deum nobis esse magis intimum, & ab eo nos magis pendere, quàm à principiis intrinsecis, quia Deus naturæ illabitur, eamque beat.

QVÆSTIO XXXIII.

Vtrum Natura magis inclinet ad Devm *amandum, quàm nosmetipsos.*

D.Bonau.dist.29.quæst 2.
D.Thom. quæst 26 art 3.

312 Prima sententia negat, nos naturaliter inclinari ad diligendum Deum, magis quàm nos ipsos. Ita Coninchius *disp.*24. *dubio* 3. pro hac allegans D.Bonauenturam, Gabrielem, Altisiodorensem, & alios antiquiores.

Secvnda sententia est, naturaliter nos inclinari magis ad diligendum Deum, quàm nos metipsos. Hæc sententia est expressa D.Bonau. hic, vt vidimus *quæst. præcedenti*, & patet *in corpore*, *fundamentis*, & *ad argumenta*, vbi nihil clarius legi potest; Asserit enim, & replicat, naturam, vt natura est, magis inclinare in Deum, esto ratione deprauationis, & corruptionis, amore propriu magis vrgeatur. Eum sequitur D.Thom. hic, vbi omnes Thomistæ, Caietanus; Bannes, Aragonius; Scotus 3. *dist.* 27. *quæst. vnica* §. *Istis igitur rationibus*, quem omnes Scotistæ sequuntur apud Mastrium *in* 3. *disp.*6. *quæst.* 25. Caspensis *tract. de Charitate*, *disp.*3. *sect.*5. Valentia hîc *p.*1; Vasquez *prima secunda*, *disp* 194. Tannerus *disp.*2. *quæst.*3. *dub.*3. malè in oppositum addocens D.Bonauenturam 3.*dist.*25.

Assero cum hac sententia, naturaliter nos inclinari ad amandum magis Deum, quàm nosmetipsos. 313

Mvltas rationes multi adducunt. Multique eas refellunt, vt suas extollant.

Prima ratio est D.Thomæ *in corpore*, quam innuit S.Bonau. 3. *dist.*29. *dub.*1. *litt.* & *in Dieta salutis* 5. *cap.*5. & *serm* 2. *de vno Sancto Doctore*. Omnis pars naturaliter amat magis bonum commune, & totius, quàm proprium partis: sed bonum cuiuscumque rei creatæ comparatur ad bonum Diuinum, vt bonum partis ad bonum totius: Ergo. Deus enim est summum bonum, cuius participatione cætera sunt bona, & sine quo nullum est bonum, ac proinde est omne bonum, & totale vniuersi. Maior probatur exemplo Serpentis, qui vt saluet caput, in quo est vita, partes exponit ictibus; & manus se naturaliter exponit, vt saluet caput, & totum consequenter; & aqua ascendit, ne admittat in natura vniuersi inconueniens vacui.

Hanc rationem impugnat Scotus §. *Ista rationes*: 314 Nam exempla, quibus nititur assumptum, solùm ostendunt, totum magis diligere seipsum, vel partes principaliores, quàm minus principales; non enim aqua suâ formâ naturaliter ascendit ad replendum vacuum, sed violenter rapitur à natura, curante Vniuersi ordinem; neque manus seipsam exponit; sed homo eam opponit: Similiter Serpens exponit partes principaliores, vt caput seruet. Hinc igitur solùm habes, quòd Deus diligat bonum Vniuersi, magis quàm partis; vel benè, esse partis principalis, quàm minus principalis; sed non colligis, qood aliqua pars Vniuersi magis diligat bonum totius, quàm sui.

Addit Scotus, esto in exemplis id concedatur; at- 315 tamen dispar est ratio; nam partes illæ saluando totum, saluant se ipsas, quæ illius sunt partes; at creatura non est aliqua pars Dei, licèt sit effectus illius. Sic etiam Mastrius.

Sed hæc friuola sunt. Primo quidem natura partis est ordinata ad totum, tanquam finem; atque ideo plus appetit bonum totius. Quòd enim formæ aquæ sit violentum ascendere, si nulla vrgeat totius vniuersi necessitas, nihil facit; at si instet vacuum, mouetur motu naturali, vt est formaliter pars; non enim à Deo miraculosè mouetur, neque ab alio attrahitur: Numquid enim vacuum habet virtutem actiuam? At esto vniuersi natura hoc naturaliter operetur. Sic igitur agere est maximè innatum pariformiter etiam singulis partibus, sicque naturale est agi; oatura enim particularis sequitur naturam communem, quæ est sui regula. Ideò ait Aristoteles 1.*Phys.text.*78. Vnumquodque aptum est agi, & moueri, sicut naturaliter agitur, & mouetur.

Neqve verum est, quòd causa, ob quam pars in 316 mundo, vel serpente, aut homine, se exponit discrimini, sit, quia conseruando totum, conseruat seipsam, quæ est pars totius; &c. imò contrarium est: Nam sui destructionem, & interitum subit, vt sui destru-

ctione saluetur totum. Quæ enim conseruatio aquæ dicedere à loco naturali ad infensum?

317 Ad disparitatem vltimò allegatam à Scoto occurrit D. Bonau. *ad* 6. Nam licèt creatura non sit pars componens Dei, tamen ab eo pendet magis, quàm pars à toto, & magis quàm à se ipsa, ità vt ad destructionem Dei, sequatur per locum intrinsecum Creaturarum annihilatio. Est prætereà Deus intimus peruadens, illabens, continens, atque adeò magis intimus nobis, quàm nosmetipsi nobis.

Mastrius eadem refricat, addens, aquam trahi ad replendum vacuum, ex Aristotele 4. *cæli, textu* 34. Enim verò trahitur à natura ob bonum commune.

318 Durandus rationem SS. Doctorum oppugnat, quia non sequitur, eum, qui se exponit discrimini pro alio, magis diligere illum, quàm se; nam & amicus pro amico, vel pecunià, se exponit discrimini, & tamen magis diligit se ipsum, quàm amicum, vel pecuniam. Similiter bonus ciuis exponit vitam pro Republica, nec tamen magis amat Rempublicam, quàm se, quia in eo actu vult sibi maius bonum, idest bonum virtutis, quo noller carere pro vniuersa Republica. Vnde Aristoteles 9. *Eth. cap.* 8. ait, quod vir studiosus in his, & similibus actibus maximè diligit seipsum.

319 Laborat tamen Durandus in æquiuocis, vt vidit Caspensis *num.* 32. nam SS. DD. id intenduttt, vt quando naturaliter exponitur pars ob bonum commune, tanquam causam adæquatam, amettur magis totum; at exponens se discrimini pro amico, vel Republica, aut pecunia, non se exponit naturaliter, nec ob bonum amici, aut Reipublicæ; multò verò minus pecuniæ, vt constat ex dictis ab ipso Durando. Ideò non est ad rem. Deinde volens non Esse sui pro amico, &c. magis diligit eum, cuius vult Esse, cum destructione Esse proprij, vt aduertit etiam Scotus.

Aohit Mastrius cum D. Bonau. *ad vltimum*, quod destructo Deo, etiam ipse homo destruitur, non solùm formaliter, quia pendet à Deo; sed etiam eminenter secundùm esse, quod habet in Deo; at si maneret Deus, maneret & ipse in causa, à qua posset reproduci, vt notat etiam Amicus *disp.* 29. *sect.* 3.

320 Hinc igitur eruit Scotus aliam rationem, quæ est D. Bonau. *loc. cit.* Fortis Politicus debet secundùm rectam rationem se morti exponere ob Reipublicæ bonum, ex Aristotele 9. *Eth.* quia bonum publicum debet præualere priuato: Ergo multò magis homo debet plus diligere Summum Bonum, quàm bonum suum singulare; nam incomparabiliter est maius, quàm bonum commune Reipublicæ, respectu sui boni singularis.

Oppositiones verò Durandi solutæ iacent.

Ex quibus habes, etiam Scotum, qui subtiliter rationem D. Thomæ diuidit, in qua assumebat, exponi rationabiliter partem pro toto; tandem ad eundem ferè medium terminum confugere.

321 Probatvr tertiò à D. Bonau. *ad* 4. Natura rationalis summè diligit beatitudinem ex Aristotele, & Augustino 13. *de Trin. cap.* 5. Sed non magis diligit beatitudinem, quàm obiectum beatificum, imò beatitudinem ordinat ad Bonum summum Deum motu amicitiæ ordinato.

Ex quo etiam detrita iacet responsio Scoti, quam S. Doct. vidit; nempe hinc sequi, maius dilectum se ipsum, cui concupiscitur Deus ad fruitionem; nam amor concupiscentiæ, quo bonum mihi concupisco, supponit amorem amicitiæ, quo me ipsum diligo, atque Deum ad mei fruitionem amo.

322 Respondet verò S. Doct. amore concupiscentiæ id euenite; monet tamen, hunc amorem concupiscentiæ non facere numerum cum amore amicitiæ sui, & ità non posse dici propriè vnum altero priorem, quod etiam aduerti *p.* 1. *Tract. de Angelis, disput.* 7. *quæst.* 2. vbi Scotus vrgebat, prius Angelum amasse se amore amicitiæ, & postea optasse sibi gloriam; Amorem verò beatitudinis ordinari secundùm rectam rationem ad summum bonum, & vltimum finem Deum, atque adeo plus amari Deum, quàm nostram fruitionem, si rationem sequamur. Adde ablato Deo, tolli beatitudinem nobis.

Probatvr quartò à D. Bonau. *in fundamentis, & corpore*, ratione sua propria, quam vsurpant communiter Recentiores, quamque propriam Scoti aeclamat Mastrius *num.* 619. Ratio amoris naturalis sequitur dictamen naturæ; sed naturæ dictatur, Deum esse summè diligendum præ omnibus: Ergo. Maior est certa; nam voluntas dependet à cognitione, & volitio naturalis à lumine naturali, sicut volitio elicita à cognitione elicita. Minor probatur: Natura enim ordinata dictat actus ordinatos, sed natura secundùm se est recta, & ordinata: Ergo dictat actus voluntatis ordinatos. Confirmatur à D. Bonau. Minor *ad tertium*, quia recta ratio dictat id, quod verè est maius bonum, esse magis amandum; & Deum esse summum bonum; Ergo super omnia amandum. 323

Confirmatvr secundò à D. Bonau. *ad primum.* Gratia & charitas non deordinat naturam, sed perficit; sed charitas inclinat ad Deum super omnia diligendum: Ergo & natura; alioqui si natura inclinaret ad diligendum magis se ipsum; sequeretur, charitatem non perficere, sed peruertere naturam. 324

Confirmatvr adhuc tota ratio, quia natura est à Deo: Ergo bona: Ergo & eius inclinatio est à Deo. Absonum esset autem, Deum indidisse naturam inordinatam, cùm omnis effectus ad suam causam tendat: *Omnia autem propter semetipsum operatus est Dominus.*

Confirmatvr adhuc: Quæ enim diliguntur infra aliud, sunt vsui, & quod diligitur præ omnibus est fruibile; tale obiectum est solus Deus, qui est vltimus finis, & summum bonum: Ergo. Sic arguit S. D. *in corpore*, & latiùs *in primo, dist.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1. & 2. ex D. August. *lib.* 1. *de doctrina Christiana, cap.* 4. & 33. 325

Confirmatvr adhuc *in corpore. Deus creauit omnia in numero, pondere, & mensura.* Charitas autem est pondus, vt ostendi *quæst.* 30. & pondus rectum, vtpote à Deo; atque adeo rectè librans affectus, iuxta maiorem objectorum dignitatem.

Respondet Conincbius, æstimatiuum sanè amorem Dei præ cæteris dictari à natura, non autem intensiorem, sed potius ferri in nos magis, ac vehementiùs, & hoc sensu conatur authores conciliare vtriusque opinionis.

At quæstio nostra est de amore æstimatiuo, & Authores prioris sententiæ contendunt suis argumentis, naturam dictare amorem æstimatiuum nostri, magis, quàm Dei, vt videbimus. Ex quo etiam habes, cum malè allegasse Seraphicum pro priori sententia, ea de causa, quia amorem appretiatiuum quidem Dei, non autem intensiuum, asserit connaturalem, eò quòd natura sensibiliis vehementiùs fertur in se. Quod si de hoc amore esset quæstio, nulla esset controuersia. 326

Obiicitvr primò. Tota ratio diligendi est conuenientia; ratio namque boni, & conuenientis conuertuntur; sed nihil est conuenientius vnicuique rei, quàm suum proprium esse: Ergo nihil magis diligitur secundùm inclinationem naturæ. Confirmatur, quia quidquid natura amat, amat vt sibi vnitum, & coniunctum, vt fumitur ex Aristotele, Elenchorum, cap. 2. *Amabile bonum vnicuique proprium:* Ergo quo magis coniunctum, 327

&

& vnum est, sibi magis amatur; at creatura est magis sibi vnita, quàm Deus; cùm ipsa sit sibi vnita per identitatem; Deus autem per causalitatem efficientiæ. Confirmatur ex Aristotele 9. Eth. *Amicabilia ad alterum, sumuntur ex amicabilibus ad se:* Ergo amor naturalis in Deum venit ex naturali amore nostri: Ergo creatura naturaliter magis se amat, quàm Deum.

328 RESPONDET Mastrius *num.632.* ex D.Bonau. *ad vltimum*, rationem conuenientiæ amabilitatis priùs, & perfectiùs reperiri in Deo, tanquam in bono vniuersali, & totius boni origine, vt explicuerat S.Doct. *in corpore*; vnde nullum est bonum amabile, nisi vt participat de diuina bonitate. Ad confirmationem respondet, quòd, esto sit sibi magis vnita per identitatem; adhuc tamen Deus est ei magis vnitus per virtutem; cum enim creatura magis à Deo suo principio tota pendeat, quàm à seipsa, magisque sustenietur, & conseruetur à Deo intimè illabente; ideò magis est Deus homini vnitus, quàm ipse sibi virtute.

RESPONDET secundò Scotus *dist.27. cit. in solut. principalium*, & Mastrius *num.632*: ex vltimis verbis D.Bonau. *ad vltimum*, vnitatem quidem mouere affectum amoris; attamen bonitatem esse propriè illam, quæ est amabilis: Deus autem est omnibus melior infinitè.

329 AD tertiam confirmationem loquitur Aristot. de amicitia inter æquales, in qua amor sui ordinatus, est mensura amoris ad alterum; innotescit quippe amicitia ad alterum, quando appeto alteri similia his, quæ mihi; sed si amicitia sit minoris ad maximum; negatur, quòd amor sui sit mensura, vnde respectu superioris, præsertim Dei, est superamicitia, eò quòd est fons bonitatis, quæ est potius ratio, vt alia amentur. Aristoteles verò loquitur de bonis alienis particularibus. Ita & Tannerus *disp.2.quæst.3.dub.3.num.48.*

OBIICIES secundò. Experimento constat, nos magis in nos ipsos inclinare, quàm in Deum; vnde quando euenit necessitas moriendi pro Christo, refugit natura, vt patuit in multis martyribus, & etiam in Christo Domino.

330 RESPONDETVR primò, repugnantiam illam venire ex sensu; nam *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*, Matth.26. Neque est absonum id, quod inducit Caspensis sequi; quod sensus naturaliter amet magis naturam, quàm Deum; hoc enim non est absonum, quia sensus non est capax fruendi Deo. Vnde nec lumen, nec cognitionem habet præferendi Deum sibi. Ita etiam Tannerus.

RESPONDET secundò Caspensis ex D. Bonau. *ad primum*, id euenire ex apprehensione vehementiori boni proprij, quod est sensibile; & ideo magis mouet naturam debilitatam, ac deprauatam.

OBIICIES tertiò. Si inclinatio naturalis esset magis in Deum, quàm in nos, non esset necessaria gratia ad diligendum Deum super omnia, quod est contra Concilia, & Patres. Nec satisfacit Mastrius dicens, Concilia, & Patres loqui de statu naturæ lapsæ. Contra enim est, quia D.August. *in Enchir. cap.106.* & Concilium Arausican. *can.19.* idem asserunt de statu innocentiæ.

331 RESPONDET Mastrius, verum esse amore supernaturali; non autem naturali, & hoc imperfecto, quo eniteretur natura in Deum, vt naturale obiectum, puta Creator, quæ affectio naturâ corruptâ infirmatur.

OBIICIES quartò. Si id verum esset, nunquam homo in statu innocentiæ peccasset, cum ad Deum natura magis propenderet.

RESPONDETVR, negando sequelam; quia potuit obiectum creatum vehementius offerri, & attrahere, vt notat Amicus.

QVÆSTIO XXXIV.

An debeat HOMO *magis se, quàm proximum diligere.*

D.Bonau. dist.29. quæst.3.
D.Thom. quæst.26. art.4.

ASSERENDVM. Hoc probatur à S. Doct. primò è Sanctis, August. & Ambrosio, qui immediatè post dilectionem Dei ponunt dilectionem sui, vt vidimus *quæst.28.* 332

DEINDE ex 14. Eccl. *Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit?* Ergo non potest aliquis ordinatè diligere proximum, nisi priùs diligat se: Ideò enim *Matth.22. Deuter.6.* dicitur: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Ergo dilectio sui est exemplar dilectionis proximi: Exemplar autem est potius exemplato.

TERTIO ex D.August. *in Enchir. cap.76.* Vide etiam Valentiam *disp.3.quæst.4.p.3.* Tanner. *disp.2.q.3.dub.3.*

QVARTO. Ordo charitatis est priùs in principium primum, & finem vltimum, qui est Summum Bonum; deinde in participantes: Homo igitur diligit se, vt participem illius boni; alios verò, vt Socios in participatione; data autem paritate participantis, vnitas est potior vnione. Eodem medio vtitur D.Thomas.

CONFIRMATVR primò à S.Doct. *in corpore*, quia pondus magis trahit id, in quo est, quàm id, quod ei adnectitur: Charitas autem est pondus, vt ostendi *quæst.30.* 333

CONFIRMATVR secundò. Vnumquodque plus appetit perfectionem in se, quàm in suo simili: Ergo rationabiliter magis appetimus, Deum nobis vniri, quàm aliis nobis similibus.

CONFIRMATVR tertiò à S.Doct. & Valentia, quia illi reprehenduntur, ac stulti dicuntur, qui salutem propriam negligunt, vt procurent alienam, Matth.16. *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur?*

TANDEM, si singulos proximos deberet diligere, vt se ipsum: Ergo & alium proximum simul coniunctum duplo plus, & quatuor quadruplo, & sic in infinitum. Ex hac assertione sequitur, non posse aliquem dare vitam pro vita amici saluanda. Ità Durand.4. *dist.17. quæst.6.* Richard. *dist.15. art.2. quæst.5.* Gabriel *dist.16. quæst.3. art.1.* Paludanus *dist.15. q.3. art.2.* Bellarm. *de bonis operibus, lib.3. cap.8. tom.3.* Vnde D.August. lib. de mendacio, cap.6. ait: *Si quis vitam corporalem pro vita corporali amici perdat, non diligit proximum sicut seipsum, sed plus quam seipsum, quod doctrinæ regulam excedit.* 334

RATIO est, quam affert S.Doct. *in corpore, & ad 2.* quia amor erga seipsum, est mensura amoris erga proximum; Dicitur enim: *Diliges proximum, sicut teipsum:* mensura autem est perfectior mensurato, vt ait etiam Scotus. Ideò hanc sententiam mordicus tuetur Hurtadus 2.2. *disp.114. sect.4. §.42.* vbi statuit, peccatum esse, mori pro vita proximi.

ALII tamen dicunt, id licere, Azorius *tom.2. lib.2. cap.3. quæsito 2.* Sotus *de Iustitia, lib.5. quæst.2. art.6.* Victoria *relect. de homic. num.25.* Corduba *lib.1. quæst.83. ad 4.* Tanner. *disp.2. quæst.3. dub.4. num.73.* adducens D.Thom. *3. dist.29. quæst.1. art.5. ad 3.* & *lib.1. de regim. Princ.* & hîc *quæst.26. art.4. ad 2.* Bannem, Aragonium, Valentiam *quæst.4. p.3.* Vide infrà *quæst.35.* 335

DIANA *p.5. tract.4. resol.28.* cum Fabro *de Restitutione, in 4. disp.32. num.41.* Valentia *tom.3. disp.3.* 336

quæst.4.p.4. Lorca 2.2. *quæst.26, art.5.sect.3.disp.28. membro 3. num.55.* dicunt, licere aliquando ob additam aliquam causam id facere; puta si amicus sit vtilior, vel si oppressus iniustè sit; & ita saluetur etiam iustitia, & hoc modo esse opus heroicum, ait Lorca.

Idem omnino asserit S. Doct. *in 3. dist.29. dub.1. litt.* Data verò æqualitate, vult S.Doct. eleemosynam sibi prius faciendam. Enim verò perfectam charitatem heroicam vocat *dub.5.* ex D.August. *tract.5. in Ioan.* si quis paratus sit mori pro amore fratrum, quæ mors non subitur præcisè pro illis, sed in ordine ad Deum. Quare actus erit Charitate heroïcus. Ideò dicitur Ioan.15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Sic, & Bass. *v. Charitas, num.19.* vbi multos affert.

337 Contra assertum Obiicies primò. *Charitas non quærit, quæ sua sunt* 1.Cor.13.

Respondetur, prohiberi quærere bonum proprium, vt excludit commune; sic enim est libido. Quærere autem suum bonum, vt sic, non est malum; ita enim & ipse, *Philip. primo,* cupiebat *dissolui, & esse cum Christo.* Ita respondet etiam D.Thomas ex D.Augustino, *regula tertia.*

Obiicias secundò Matth.22 habetur: *Diliges proximum, sicut teipsum*: Ergo æqualiter.

Respondet S.Doct. particulam, *sicut*, non esse notam æqualitatis perfectæ, sed expressæ similitudinis, quæ in hoc attenditur, vt homo diligat proximum ad illud bonum, ad quod diligit seipsum, & post salutem propriam nihil debet magis optare, quàm alienam.

Obiicias tertiò ex D.Gregorio, homil.17. in Euang. *Nemo ad seipsum Charitatem habere dicitur, sed ad alterum.*

Respondet S.Doct. sensum esse, non terminare Charitatem in se, sed extendi debere ad proximum, *qui enim non diligit, manet in morte.* Respondetur etiam, Charitatem ad alterum esse, quatenus est amicitia.

338 Obiicies quartò Liberalitas attenditur ad alterum. Charitas autem est amor liberalis: Ergo.

Respondet, Liberalitatem extendi ad alterum, sed tamen incipere à se.

Obiicias quintò. Charitas adueniens naturæ, inuertit ordinem; & qui priùs amabat magis se, quàm Deum, incipit amare magis Deum: Ergo inuertit etiam amorem in ordine ad proximum, vt is magis ametur.

Respondet S. Doct. non esse varietatem naturæ, vt priùs diligam me, quàm proximum; ideò Charitate non est tollenda, sicut tollitur amor proprius vitiosus.

339 Obiicias sextò. Charitas nostra debet Charitati Dei conformari, qui diligit magis proximos nostros, si sint meliores, quàm nos. Probatur assumptum: Nam vult honorem suum: At salus centum animarum est magis ad Dei honorem, quàm salus mea: Ergo. Sic enim Apostolus *Rom.5.* Cupiebat esse anathema pro fratribus.

Respondet S.Doct. cum D.Thom. ordinem Charitatis non attendi penes magnitudinem boni optabilis tantùm; sed ex parte etiam diligentis; sicut & quantitas actionis pendet ex ipso subiecto. Ideo, licèt proximus sit melior; tamen non præponderat, quia charitas data est mihi priùs ad operandum in subiecto suo, & hic est honor Dei, voluntasque eius in scriptura
340 expressa. Quod verò Apostolus cupiebat, *esse anathema*, intellige ad tempus, vel sub conditione, si optabile foret, vt ait S. Bonau. *ad vltimum.* Vel optabat segregationem à membrorum Christi commercio, vt exponit Chrysostomus; vel optabat mortem pro salute proximi, vt notat Valentia *disp.3. quæst.4. punct.3.* Idem dic de illo Moysis effato, Deuter.32. *Aut dimitte eis, &c. aut dele me de libro tuo*; quod per quandam exaggerationem filialem exponit Fuliensis *lib.3.cap.9.*

QVÆSTIO XXXV.

An diligenda sit magis proximi salus æterna, quàm vita nostra.

Assero, Salutem proximi esse præferendam vitæ 341
nostræ, ex dictis *quæst.30.* cum SS. DD. ac D. August. *lib.1. de doctr. Christi, cap.27.*

Probatur secundò à D.Bonau. hîc. Illud est magis diligibile charitate, quod est magis consociabile in beatitate superna: Talis est anima proximi immediatè comparticipans; cùm corpus comparticipet solâ redundantiâ. Id vrget Fuliens. cum D.Thom. Hoc tamen est in necessitate ineuitabili, puta, si infans sine baptismo periret, si ego non accurrerem, nec possem sine discrimine vitæ; non si is, iniquo in bello, certamini se exponeret; ea enim est euitabilis. Ita D.Thom. *loc. cit.* vbi Syluius, Malder. Arag. Nau. *Man. cap.24. num.10.* Valent. *disp.3.quæst.4.p.3.* Dian. *p.5.tract.13. resol.24.* Tannet. *disp.2.q.3.dub.n.60.* Filliuc. *tract.28. num.35.* nec renuit Bassæus *v. Charitas, num.18.*

Renuit tamen Sancius *select.disp.10.num.9.* qui ait cum Sà *num.4.* teneri nos quidem non inferre damnum spirituale proximo, nec inferre ob nostrum corpus seruandum, sed non teneri impedire; alioqui teneretur mater grauida sinere se secari, vt baptizari queat infans, alioqui sine baptismo periturus, ac indiscretionis arguit eos Doctores, qui dicunt, sed non facerent.

Excipit, si ex conuentione tenear, puta si Parochus; si Nauta conducti. Hoc docet ex D.Bonau. ad 342
id Ioan.10. *Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis*: Ideò enim vterque stipendia accipit. Sic & Bonac. *tract.2.disp.3. quæst.4 punct.4.* Syluius *cit.* Laym. *lib.2.tract.3. cap.3.* Reginald. *lib.4.cap.25. num.336. 348.* & 357. Chapeauilla *cap.1.quæst.4.* Malder. *loc.cit.* Tab. *v.Episc.quæst.5.* Tannetus *cit.disp.4.n.64.* Filliuc. *cit.num.36.* Dian. *loc.cit. & resol.33.* Bassæus *loc.cit.*

QVÆSTIO XXXVI.

Vtrum vnus proximus sit magis alio diligendus.

D.Bonau. loc.cit.
D.Thom. art.6.

Assero. Probatur à D. Thom. quia ordo dile- 343
ctionis attenditur iuxta principium bonitatis. Igitur qui magis bonitati amabiliori est coniunctus, est magis amabilis; aliqui autem proximi sunt aliis viciniores Deo, & nobis. Hac ratione vtitur etiam S.D. *loc.cit.* & Valent. *disp.3.q.4.p.4.* Fuliens. *lib.3.c.9.* & alij.

Primo quidem dilectione maiori obiectiuè melior magis est diligendus. Ita D.Thom. *art.7.* Nam qui est melior, est magis coniunctus cum obiecto præcipuo charitatis, quod est Deus, & plus boni in se habet. Possumus tamen alteri, puta consanguineo, optare maius bonum illo, quod alius habet.

Secundo. Maiori dilectione appretiatiua ille magis diligendus, qui vel Deo, vel diligenti ipsi, vel vtrique est coniunctior: At si alter sit melior, alter mihi coniunctior, is diligendus magis quoad ea bona, quibus est mihi coniunctus; vnde prima Timot.5. *Si quis suorum, maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit*: Et est sententia D.August. *lib.1. doct. Christ. c.28.*

Probatur etiam ratione D.Bonau. allata *q.30.* Om- 344
nis motus accipit intensionem suam, & quasi pondus,

quo

quo tendit in terminum ex ipso sui principio, præcipuè, à quo scilicet procedit; ergo & charitatis motus maiori quasi pondere fertur in illud, quod est coniunctius principio illi, à quo procedit is dilectionis motus; scilicet ipsi diligenti.

HINC habes, coniunctos quoad omnia, magis diligendos, quàm extraneos, etiamsi hi sint meliores, cæteris paribus; nam quoad bona spiritualia magis diligendi sunt, qui sunt coniuncti in gratia, vt filij spirituales, vel parentes spirituales.

QVÆSTIO XXXVII.

Vtrum magis debeat diligi Filius, quàm Pater.

{ D.Bonau.dist.29.quæst.4.
D.Thom.quæst.26.art.9.

345 ASSERO, Parentes magis diligendos ex Charitate, ex parte obiecti amabilis, quod est bonum. Ita D.Bonau. hîc, & D.Thom. *quæst.*26.*art.*9. & *quæst.*31. *art.*3. *ad* 4. Vbi Valentia, Bannes, Aragon, & Tanner. *disp.*2. *quæst.*3. *dub.*5. Fuliens. *lib.*3. *cap.*10.

PROBATVR à D.Bonau. primò, quia post cultum Dei, præcipitur statim honor parentum *Exodi* 20. Ergo quoad honorem debitum, & obligationem subueniendi, parentes sunt præferendi.

SECVNDO probatur à SS.Doctoribus ex D. Ambrosio, allato *quæst.*13.

TERTIO: Vbi est maior dependentia, & vnde maius bonum, atque origo perueniendi ad summum bonum, in cuius fruitione stat consummatio Charitatis, ibi est ad illud maior inclinatio; sed homo magis pendet à parentibus, à quibus habet esse ordinatum ad summum bonum, quæque imitantur primum Principium, & vltimum Finem: Ergo: Hinc Aristot.9. *Eth. cap.*2. ait: *Homo honestius subuenit parentibus, quàm filiis, & sibi etiam ipsi.*

QVARTO *in corpore*, quia plura, & præstantiora bona habemus à parentibus: Ergo ex parte obiecti Charitatis, quod est bonum, amandi sunt magis parentes.

346 ASSERO secundò, ex parte diligentis magis amandos filios.

PROBATVR à SS. Doctoribus, quia filius est pars patris, atque adeò magis intimus diligenti ex 8. *Eth. cap.*12. & in eo magis conseruatur, & exprimitur. Itaque diuersa ratione dilectio se habet vt excedens, & excessum; ità tamen, vt gratia magis inclinet ad parentes; natura verò quoad affectum ad filios; quod adeo clarum est, vt mirer, Valentiam *disp.*3. *quæst.*4. *p.*5. dixisse, Bonauenturam deceptum, in quo etiam Tannerus malè carpit S.Doctorem.

QVÆSTIO XXXVIII.

Vtrum homo debeat ex CHARITATE *magis diligere Matrem, quàm Patrem.*

{ D.Thom.art.10.

347 ASSERO, magis Patrem amandum per se ex parte obiecti, & principij.

PROBATVR à D.Thom. quia charitas sequitur naturam ordinatam; sed natura ordinata magis fertur in suum principium præcipuum, à quo habet esse, cuique magis est coniunctus: Ergo & gratia. Sed præcipuum principium naturæ est Pater: Ergo. Per accidens verò plus sæpè debetur Matri, quæ magis amat, & aliquando plura patitur pro filio educando.

QVÆSTIO XXXIX.

Vtrum homo debeat magis diligere coniugem, quàm parentes, & Filios.

{ D Bonau in 4.d.37.art.2.q.2.
D.Thom. art.11.

ASSERO. In filia, quæ spectant ad Oeconomicam 348
rationem, & extra necessitatem extremam, magis diligenda est coniux. Quia quoad ea, quæ spectant ad hoc genus, arctior est coniunctio coniugalis, vt dicitur Matth.19. *Itaque iam non sunt duo, sed vna caro*; & ideò Genes.2. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Ità Aragonius *art.*11. Imò Sà *verbo Charitas, num.*3. simpliciter vxorem Matri præfert. In extrema verò necessitate præualent parentes, quia maius est debitum in eos, & maior coniunctio quoad esse absolutè, vt notant Valentia *disp.*3. *quæst.*4. *p.*5. & Bannes *ad hunc articulum*; quia vnio cum parentibus est substantialis identitatis; cum coniuge verò ex commixtione. Addit Valentia cum Caietano *ad hunc articulum*, in extrema necessitate præualere obligationem subueniendi filio. Addit Tannerus *disp.*2.*quæst.*3. *dub.*5, *num.*84. etiam in graui, quæ non sit extrema, magis subueniendum parentibus, quàm filiis.

Ex dictis deducit S.Doct. maius esse peccatum per- 349
cutere matrem, quàm coniugem, ob reuerentiam debitam, & dependentiam tanquam à principio; ideò crudelior est longè, quod etiam inter bestias magis seruatur erga parentes, quàm erga solùm coniunctas copula, contra quas ira magis accenditur, quàm contra genitores.

QVAMVIS autem maior pœna vxoricidio videatur imposita; tamen hoc factum esse, ait S.Doct. ad remouendos impetus, qui sæpe ad vxoricidium irrumpunt. Peruersionem inter horum amores venialem censent Tanner. *disp.*2. *quæst.*3. *dub.*5. *num.*83. Bonacina *t.*2.*disp.*3.*quæst.*4.*p.*4. Filliuc.*tract.*28.*c.*2.*q.*9. quia parua est distantia & vtrinque sunt probabiles opiniones.

QVÆSTIO XL.

An ordo CHARITATIS *attendatur penes affectum, & effectum.*

{ D.Bonau.dist.29.quæst.6.

ASSERO, ordinem charitatis seruandum quoad 350
vtrumque.

PROBATVR à D.Bonau. primò ex prima Ioan.3. *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.*

SECVNDO ex D.Gregor. homil.30. in Euang. *Probatio dilectionis exhibitio est operis.*

TERTIO. *Operemur bonum ad omnes, maximè ad domesticos fidei*, hortatur Apostolus *Galat.*6. Sic igitur, data paritate, bona magis propinquis sunt exhibenda, vt notat etiam Valent. *disp.*3. *quæst.*4.*p.*5. Sic & magis diligendus insignis amicus, à quo beneficia eximia acceperis, quàm consanguineus, non valde propinquus. Ita Valentia *loco citato*; non tamen quàm intimus, puta frater, &c.

DICES. Prouerb.18. dicitur: *Vir amicabilis ad so-* 351
cietatem magis erit amicus, quàm frater.

Respondet S. Doct. in textu haberi responsum; nam loquitur de affecto societatis, quatenus potest aliquis magis delectari conuersatione amici, quàm fratris, & quoad conuersationem delectabilius est conuersari cum amicis, quàm in oratione cum Deo. Hoc tamen ait S. Doct. *ad secundum* non esse tolerabile in seruo Dei religioso, cuius est gustare, & videre quàm suauis est Dominus: Maxime verò genitores sunt omnibus præferendi, vt habet Aristoteles 8. *Eth. cap. vltimo*, vbi ait: *Diis, & parentibus non reddi æqualia.* Charitatem verò magis respicere ordinem in actibus suis propriis elicitis, quàm in imperatis, obseruat S. Doct. *ad* 3. Hoc affectu debeo mihi priùs velle vitam æternam; deinde Patri, & aliis ordinatè, vt notat etiam Valentia.

352 Affectus verò imperatus, quo volumus bonum temporale, & procuramus, non est adeo seuerè ordinatus.

Quod si beneficium respiciat personam singularem, tunc benè seruatur ordo prædictus, cæteris paribus.

Verum si beneficium respiciat vtilitatem communem, hæc propriæ vtilitati meritò est præponderanda. Ideo grauiter monet, vt dignitates, beneficia Ecclesiastica, & cætera huiusmodi non dentur ex affectu priuato consanguineis, sed iis, qui meliùs inseruiant
353 bono vniuersali Ecclesiæ, aut Reipublicæ; & hi reprehenduntur Habacuc primo: *Væ qui ædificat Sion in sanguinibus*, & Ezech. 44. *Sufficiat vobis domus Israel, qui introducitis incircumcisos in Sanctuarium Dei.* Ibi reprehenduntur, qui beneficia Ecclesiastica conferunt magis domesticis, quàm aliis, vt obseruat S. Doct. *argumento vltimo.* Vnde in responsione dicit, quantum ad hæc non esse seruandum ordinem Charitatis ratione vnionis, sed ratione obiecti, quod est absoluté bonum, vel respectiuè melius; est autem melius bonum publicum, quàm priuatum.

QVÆSTIO LI.

Vtrum ordo CHARITATIS *maneat in patria.*

D. Bonau. d. 31. art. 3. quæst. 3.
D. Thom. art. 13. quæst. cit.

GEMINAS hac de re opiniones refert Seraphicus. Prima est, eundem penitus ordinem Charitatis mansurum in patria, qui est in via.

354 Ratio prima sumitur ex naturæ dictamine, quæ dictat, priùs se diligendum, quàm proximum, & inter proximos plus eos, qui sunt magis coniuncti. Gloria autem erit summa perfectio naturæ, non illius destructio.

Secunda ratio sumitur ex perfectione gloriæ, quæ magis respicit eum, in quo est, quàm alios similes, & propinquos; alioqui si omnia essent communia; non est cur laboremus ad hoc, vt operibus maiorem gloriam adipiscamur.

Tertia ratio sumitur consequenter ex ordine diuinæ iustitiæ, quæ ordinat, vt plus de suis meritis gaudeat homo, quàm de alienis, eò quòd propria merita debent esse remunerata merenti, non aliena. Hanc opinionem plurimorum esse, ait S. Doctor.

355 Secunda sententia est, charitatem considerari posse, vel quoad bonum, quod est obiectum eius, qui ordo est Charitatis secundùm se, & secundùm intrinseca: Deinde ratione subiecti, in quo est. Quò ad ordinem Charitatis secundùm se, manet in patria; ille enim est essentialis Charitati. Vnde in patria maximè diliget maximum bonum, & consequenter ordinatè ea, quæ sunt meliora.

Ille verò ordo, qui conuenit Charitati ratione 356
naturæ substratæ, non manebit in patria, quia non competit illi statui: In statu namque beatitudinis perfecta erit obedientia naturæ respectu gloriæ, perfecta conformitas voluntatis nostræ ad voluntatem Diuinam, perfecta etiam redundantia lætitiæ communis. Quia perfecta erit obedientia naturæ respectu gloriæ, conformabitur tunc perfectè natura ipsi gloriæ, vt, sicut corpus efficietur spirituale, quatenus spiritui per omnia obtemperabit, quamuis in via cogatur spiritus corpori condescendere; sic natura per omnia conformabitur ordini gloriæ, & gratiæ, quæ attenditur secundùm differentias boni, quamuis nunc gratia condescendat affectui naturali.

Rursus, quia erit perfecta conformitas volunta- 357
tis nostræ voluntati diuinæ, non magis diligemus illud, quod magis erit nobis propinquum; sed illud, quod plus erit Deo placitum, & acceptum, & erit melius; sic enim & Deus diligit.

Præterea, quia ibi erit perfecta redundantia communis lætitiæ, tantùm gaudebit de bono proximi, quantum de suo; neque tamen erit cum præiudicio meriti; nam hæc erit lætitia accidentalis ex redundantia perfectæ Charitatis.

Hoc est, quod ait D. Anselmus in Prosol. cap. 25. *In illa perfecta Charitate innumerabilium Angelorum, & hominum beatorum, vbi nullus minus alium, quàm seipsum diligit, non aliter gaudebit quisque pro singulis aliis, quàm pro seipso.* Et hæc opinio confirmatur, quia ibi cessabunt officia spectantia, cessabit prouisio necessaria, & subuentio debita magis coniunctis, maximè qui sunt principia nostri esse, & omnia vnientur in Deo, Summo omnium bono.

Hanc opinionem ait S. Doct. esse etiam D. August. 358
lib. de vera religione, & Dionysij *de Diuinis nominibus*, D. Bernardi *de diligendo Deo*, *cap.* 7. & patet ex dictis. Eam sequitur D. Thomas hîc, & discipuli, ac Tanner. *Tom.* 2. *disp.* 1. *quæst.* 4. *dub.* 2. & *tom.* 3. *disp.* 2. *quæst.* 3. *dub.* 5. *num.* 87.

Obiicies primò. Sicut gratia est perfectio naturæ, ita & gloria: Ergo sicut ordo naturalis dilectionis saluatur in via cum charitate; ità erit in patria.

Respondet S. Doct. saluari ordinem naturæ, ablatis imperfectionibus viæ, vt dixi, quæ licèt compatiantur Charitatem imperfectam viæ, non tamen charitatem consummatam patriæ.

Obiicies secundò. Ordo est intrinsecus Charitati, 359
alioqui non erit Charitas: Ergo ablato ordine Charitatis, tolletur charitas; sicut ablato modo cognoscendi in ænigmate, euacuatur fides.

Respondet S. Doct. negando paritatem: Nam modus, quo cognoscit fides, conuenit ei essentialiter, ordo verò iste charitati quoad multa, euenit ratione imperfectionis viæ, & subiecti pro hoc statu.

Obiicies tertiò. Si gaudium est commune, & tantùm gaudet ibi non Martyr de gloria Martyris, quantum ipse Martyr, quorsum Martyrio emeritus est Martyr.

Respondet S. Doct. materiam quidem gloriæ omnibus communicari; attamen qui emeritus est, habet intensiorem Charitatem, & magis gaudebit, & in Martyre habet ex Martyrio augmentum Charitatis, quâ magis gaudeat.

Obiicies quartò. Si communis est lætitia: Ergo 360
gaudebis de salute omnium, etiam non conuersorum à nobis, vt quid ergo Laurea Doctoris pro conuersis à nobis?

Respondetur, hoc gaudium fore singulare, ratione cuiusdam decoris, quod est specialis materia gaudij,

quæ

quæ erit in Doctore, etiamsi diffundatur, quo ad congaudium alius, sine tamen præiudicio intensionis, & decoris in eo, qui laborauit.

Si verò priorem sententiam sequi velis, respondère te ducet S. Doctor, hæc intelligenda, cæteris paribus.

361 Ad primum; quòd debemus diligere maiora bona, dic, ex parte obiecti hoc verum; sed ratione vnitatis, quæ respicitur à Charitate, & ratione vnionis, modum alterari.

Ad illud de conformitate cum voluntate Dei, dic, Deum non diligere maiori affectu, licèt maiori effectu, vt prouidentiam decet.

Ad rationem ex perfectione gloriæ, dic, eam non præiudicare meritis cuiusque, quæ debent esse in mente remuneranda.

QVÆSTIO XLII.

Vtrum CHARITATIS *sit magis proprium amare, quàm amari.*

{ D.Thom. quæst. 27. art. 6.

362 PERACTIS quæstionibus de Charitatis habitu, & ordine eius ad obiecta; agendum de actibus illius.

ASSERO, magis conuenire Charitati amare, quàm amari.

PROBATVR à D. Thom. quia amare est actus. Charitas autem, cùm sit virtus, habet suum actum, qui est amare, atque adeò ei competit actus amandi; amari autem conuenit ei, vt est bonum, ad quod ipsa etiam Charitas mouetur.

QVÆSTIO XLIII.

Vtrum Amor sit idem, ac Beneuolentia.

{ D.Thom. art. 1.

363 ASSERIT S. Thomas, in dilectione, vt est actus Charitatis, includi beneuolentiam; sed dilectio, siue amor, addit vnionem affectus.

PROBATVR, quia beneuolentia propriè est actus voluntatis, quo alteri bonum volumus, etiam non præsupposita vnione affectus ad ipsum; amor verò Charitatis est actus voluntatis, quo alicui bonum volumus, importatque vnionem affectus amantis ad amatum, in quantum scilicet amans æstimat amatum, vt vnum sibi, vel ad se pertinens.

QVÆSTIO XLIV.

An debeat, possitque DEVS *in viâ amari ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & omnibus viribus.*

{ D.Bonauent. in 3. dist. 27. art. 2. quæst. 6.
D.Thom. quæst. 2. art. 5.

364 HÆRETICI omnes nostri temporis, legem diuinam esse impossibilem homini, etiam iusto, conclamant. Hinc verò aliud deducunt, opera omnia esse peccata mortalia. Sic Lutherus, *Lib. de libertate Christiana*, & *in assert. art. 2.* 31. 32. 36. Caluinus *Lib. 3. Instit. cap. 14. §. 9.* & *in Antidoto, sess. 6. cap. 11.* & *Lib. 2. Instit. cap. 7. §. 5.* id maximè vrget de hoc præcepto diligendi Deum ex toto corde, &c. Sequuntur Kemnitius *in Examine*, Philippus *de Locis & confessione Augustana*.

CATHOLICA Fides docet, præcepta Diuina, maximè verò hoc dilectionis Dei ex toto corde, non esse impossibilia obseruatu. 365

QVONIAM verò Legem Dei possibilem latè ostendi *prima secunda, Tract. de Legibus, disp. 1. quæst. 9.* & Libertatem ad eam defendi *Tract. de anima disput. 9. quæst. 5.* nunc de hoc præcepto agam; & quia in hoc consistit Legis obseruantia, manebit probatum de omnibus.

PROBATVR ergo primò à D. Bonauent. quia: *Hoc est maximum, & primum mandatum*, Matth. 22. à Deo datum nobis in via, & modum ipsum imperat: *Ex toto corde, ex tota anima, &c.* Ergo potest obseruari. Crudeliter enim Deus sub pœna damnationis præciperet id, quod est impossibile. Quare SS. Patres propositionem illam anathemate damnant, Deum præcepisse impossibilia, vt aduertit S. Bonauent. *in fundamentis*, & Concilium Trident. *sess. 6. cap. 11.* Estque argumentum S. Ioannis Chrysost. *Rom. 8. de Pænit.* vbi ait: *Nequaquam Dominum accuses; haud mandat impossibilia*, & D. Augustini *Lib. de natura &*
gratia, cap. 69. vbi ait: *Eo ipso, quo firmissimè credi-* 366
tur, Deum iustum, & bonum, impossibilia non potuisse præcipere; hinc admonemur, & in facilibus, quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe facilia sunt Charitati, cui vni Christi sarcina leuis est. Idem habet *Lib. de peccatorum meritis, cap. 3. & 6.* & *Lib. de gratia, & Lib. arbitrio, cap. 16.* apud Bellarminum *Lib. 5. de Iustificatione, cap. 10.* & *Lib. de monachis, cap. 13.* Sanè Tyrannis omnibus deterior, atque crudelior foret, si præciperet sub pœna æternæ damnationis, etiam suis amicis ea, quæ impossibilia sunt. Hinc D. Augustinus: *seruum pigrum non damnaret, si ea, quæ nullo modo fieri poterant, imperaret.*

PROBATVR verò secundò, hoc præceptum dilectionis Dei, & proximi esse possibile, Psalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Philip. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Sanè præcepta Dei non nudis viribus arbitrij, sed Dei gratia agnoscimus obseruabilia, vt ostendi *Tract. de gratia, disp. 1. quæstionibus 11. 12. 13. & 14.*

In ostendunt Scripturæ, testantes, mandata de facto 367
obseruari ab his, qui diligunt, quos amicos vocat Deus. Ioan. 14. *Qui diligit me, sermonem meum seruabit*, vt obseruat ibi S. Doctor. Rom. 13. *Qui diligit proximum, Legem impleuit.* Galat. 5. *Omnis Lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Hoc autem dicitur, quia amatur proximus in ordine ad Deum; vnde & præceptum dilectionis Dei impletur, vt dixi *quæst. 29.* cum Seraphico; & *prima secunda, Tract. de gratia, disp. 1. quæst. 12.* Ioan. 13. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Nec possemus amici Dei fieri, si non possemus diligere. Suprà enim ait Ioannes 15. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Quid autem præcipiat, explicat ibi: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Deuteronomij 30. præclarum habes testimonium: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui: vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua.*

DAVID etiam dicit Psalm. 118. *In toto corde meo* 368
exquisiui te, & Lib. 3. Reg. 14. *Non fuisti sicut seruus*

meus David, qui custodivit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo, & Act. 13. *Inveni virum secundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas.*

De Iosia Lib. 4. Regum 23. *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua.*

De Asa, & populo, secundo *Paral.* 15. dicitur: *In tota voluntate sua quæsierunt Dominum, & invenerunt.*

369 De Iosue dicitur, cap. 11. *Sicut præceperat Dominus Moysi servo suo, ita præcepit Moyses Iosue, & ille universa complevit: Non præteriit de universis mandatis, nec unum quidem verbum, quod iusserat Dominus Moysi.* Nec dubium, quin eadem dici queant de Abraham, Moyse, Samuele, & aliis.

In testamento novo, *Luca* 1. dicitur de Zacharia, & Elisabeth: *Erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela.*

370 De Apostolis Ioan. 17. *Tui erant, & mihi eos dedisti; & sermonem tuum servaverunt*, & Lucæ 12. vocantur amici: *Dico autem vobis amicis meis.* Ioan. 15. *Vos amici mei estis*; & tamen diceret ibi, solos eos esse amicos, qui præcepta servant.

Hæc verò non solvunt sectarij, respondentes, dicta esse per non imputationem: Scripturæ enim præclarè dicunt, illos observasse mandata Domini.

Ipso S. Doctor ad ea verba 13. Ioan. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*, observat, Charitatis executionem esse testimonium discipulatus Christi, vt ait D. Gregorius *Lib.* 20. *moral. cap.* 9. Charitatis inquam non imputatæ, sed de qua Ioan. prima, cap. 3. *Non diligamus lingua; sed opere, & veritate. Diligamus alterutrum, sicut mandatum dedit nobis*, & Rom. 12.

371 *Charitate fraternitatis invicem diligentes.* Et ad 15. Ioan. ad ea verba. *Hoc mando vobis, vt diligatis invicem. Maiorem Charitatem, nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ea autem Charitate ait, hæc nos operari, *Quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, nempe dono interno cooperante, non extrinseca imputatione. Hoc testimonio etiam Concilium Tridens. *sess.* 6. *c.* 7. Iustificationem non mera imputatione fieri gravitet cum D. Bonauent. infert. Et ad ea verba Lucæ primo: *Erant autem iusti ambo ante Deum*, observat, tales fuisse, & asseri interius in oculis Dei. Iusti enim tales sunt intus. Ideò Sap. 5. *Iusti in perpetuum vivent, & cogitatio illorum apud Altissimum:* & ideo de hoc, Genes. 6. *Noë vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit.* Primo Reg. 6. *Dominus enim intuetur cor.* Sic & Ezech. 4. Reg. 20. dicit: *Memento quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto.*

372 Ipso & David vir erat secundùm cor Dei, vt dicitur *locis allegatis*. Deus autem intuetur cor, *primo Reg.* 16. vt suprà; quam rationem observat *loco cit.* Seraphicus Doctor. Nam qui verè non observat vnum præceptum, etiamsi cœtera servet, *factus est omnium reus*, vt ait Iacobus, *capite* 2.

373 David ipse, Psalm. 118. *Ad omnia mandata tua dirigebar; viam mandatorum tuorum cucurri*, vt observat S. Doctor ad eum Psalmi locum. Ait & Psalm. 58. *sine iniquitate cucurri, & direxi.* Et Apostolus Philip. 2. *Non in vacuum cucurri.* Tunc sanè, cùm *dilatasti cor meum*, tuâ scilicet gratiâ priùs emollitum.

Vere enim cor emollitur, vt dicitur 2. Paral. 34. *Quoniam audisti verba voluminis, & emollitum est cor tuum, & humiliatus es in conspectu Dei.* Heb. 13. *Optimum est gratiâ stabilire cor.* Hæc sanè internas motiones innuunt. Quæ omnia, aliaque supradicta observat S. Doctor, quasi Sectariorum insanias præuidisset.

Probatur tertiò à D. Bonauent. *Diligere Deum ex toto corde, est diligere dulciter, sapienter, & fortiter*, ex D. Bernardo, *serm.* 20. *in Cant.* & ex D. Augustino. *Est diligere sine errore, sine contradictione, & sine oblivione.* Lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 22. sed hoc totum potest in statu viæ: Ergo etiam tenetur. Alia vide in Bellarmino: Huc etiam recurrunt, quæ dixi *tom.* 4. *de actibus hum. disp.* 17. *quæst.* 10. *ad proposit.* 1. 374

Obiiciunt primò hæretici. Præceptum hoc non potest in vita impleri perfectè, ex D. Augustino *Lib. contra Cælestium, post* 16. *resp.* vbi ait: *Cùm insit aliquid concupiscentiæ, non omnimodè ex tota anima diligitur Deus.* Et Lib. de Spiritu & litt. cap. vltimo ait: *Ad illam vitam iam immortalem pertinet: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Ad hanc autem; Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, &c. Ad illam, Non concupisces: Ad istam, Post concupiscentias tuas non eas.* Similia dicit D. Bernardus *sermone* 50. *in Cant.* & D. Thom. 2. 2. *quæst.* 44. *art.* 6. & *quæst.* 184. *art.* 3. 375

Oportet primò videre, quid significetur illis variis expositionibus præcepti. Primò enim *Deuter.* 6. sic habetur: *Diliges ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine tua.* Matth. 22. dicitur: *Ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente.* Marc. cap. 12. *Ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute.* Lucæ 10. *ex tota corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, & ex tota mente.*

Quidam ex Patribus existimant, ea esse diversa, ideò conati sunt distinctionem eorum ostendere, vt, videlicet Anima significet partem vegetatiuam, Cor sensitiuam, Mens intellectiuam, vt refert Bellarminus *cap.* 13. vel per Cor, vires naturales, idest vegetatiuam; Per Animam, animales, idest sensus; per Mentem, vires rationales. Ita Theophylactus, & ferè Gregorius Nyss. apud Tostatum.

Melius ad mentem Patrum explicatur à D. Bonauent. *dist.* 27. *dub.* 3. sic: Quod quamvis Charitas immediatè respiciat actum Concupiscibilis, circa quem primò consistit; tamen actus illarum virium respicit vt disponentes (vt ait etiam Tostatus:) Vnde omnes vires animæ quodammodo ordinantur ad ipsam dilectionem, sicut ad id, quod habet rationem completam respectu omnium virium; & quoniam vires superiores animæ sunt tres, ideo tres apponuntur conditiones. Rursus, quia ternarius virium animæ dupliciter habet distingui, ita vt vnus illorum modorum non discordet ab alio; ideo conditiones circa actum diligendi, respicientes vires animæ, dupliciter modo distinguuntur: Vno enim modo distinguuntur vires animæ, secundùm quod in eis consistit imago, & dicuntur in mente esse tres potentiæ, nempe, Memoria, Intelligentia, & Voluntas: Et sic secundùm istas tres vires, tres apponuntur conditiones, quarum vna respicit intelligentiam, scilicet *ex toto corde*, vt ait Glossa; altera voluntatem, scilicet, *ex tota animo*, tertia memoriam, scilicet *ex tota mente*, & sic assignantur istæ tres conditiones à Matthæo, & exponuntur à D. Augustino Lib. 1. de doctrina Christ. cap. 22. *Ex toto corde, idest ex toto intellectu sine errore. Ex tota anima, idest ex tota voluntate sine contradictione. Ex tota mente, idest ex tota memoria sine oblivione.* Alio modo distinguuntur vires animæ in Rationalem, Concupiscibilem, & Irascibilem; & secundùm 376 377

dùm hoc tres apponuntur conditiones, quarum vna
respicit Rationalem, ideſt *ex toto corde*. Alia Concu-
piſcibilem, nempe *ex tota anima*. Tertia Iraſcibilem
ſcilicet *ex tota fortitudine*, & ſic aſſignantur in Deu-
teronomio, & explicantur à Bernardo, ſerm. 20. in
378 Cant. *Ex toto corde*, ideſt, ſapienter. *Ex tota anima*,
ideſt dulciter; *Ex tota fortitudine*, ideſt fortiter, vt
non ſeducamur fallaciis, non abducamur blanditiis,
non frangamur iniuriis, & ad hæc tria reduci poſ-
ſunt illa tria, quæ tanguntur: *Ex corde puro, con-
ſcientia bona, & fide non ficta.* Nec eſt in iſtis aliqua
repugnantia, quia Iraſcibilis, & Memoria confor-
tantur in actu: & ideò vna virtus eſt vtriuſque refor-
matiua, & vna dos vtriuſque perfectiua, & vnam
reſpicit principaliter; alteramque ex conſequenti:
Itaque, vbi dicitur in Deuteronomio *ex tota fortitudi-*
379 *ne*, In Matthæo dicitur: *ex tota mente.* Et hæc eſt ra-
tio, cur hæc conditio *ex tota mente*, vltimò loco
ponitur. Vide Gregorium Nyſſ. *Lib. de creatione ho-
minis*, *cap*.8. Theophylactum, & Anſelmum *in com-
mentarius*, *cap*.22. Matth. D.Auguſtinum, D.Bernar-
dum *loco cit.* & Toſtatum *in* 22. *Matth. quæſt.* 275.
vbi ſic explicat, vt *ex toto corde*, &c. dicat vires in-
ternas; *ex tota fortitudine*, executiuas, quæ eſt ex-
poſitio D.Bonauent. *ad* 10. *Lucæ.* Quia enim ad per-
380 fectum modum diligendi Deum requiritur, vt refe-
ramus in eum omnes cogitationes, omnes affectio-
nes, omnes operationes. Ideò *Deuter*. 6. dicitur: *ex
toto corde*, cogitationes; *ex tota anima*, affectiones:
ex tota fortitudine, operationes, & vires executiuas
intelligit: Et quia intellectiones ſunt cogitatiuæ cor-
dis, & memoratiuæ mentis; Ideo Lucas, & Mat-
thæus addunt *ex tota mente*, in quo Legem explicuit,
& quia, qui refert quod interius eſt, ſcilicet actum
memoriæ, Intelligentiæ, & voluntatis In Deum,
per conſequens refert opera; ideo in his tribus clau-
ditur relatio omnium virium apud Lucam. Vide S.
Doctorem, omnes fere expoſitiones referentem.

381 Innvit verò particulam, *ex omnibus viribus* eſſe
incluſiuam omnium, atque omnia idem ſignificare,
vt pro viribus amemus Deum, vt notat etiam Bel-
larminus; multa verò exprimi maioris gratia expreſ-
ſionis. Sic etiam ſentiunt Hilarius, Hieronymus,
Chryſoſt. *ad* 22. *Matth.* Ambroſius *ad cap*.10. *Lucæ.*
Hunc ſenſum eſſe magis Scripturæ conformem ait
Bellarminus hîc, & Maldonatus *ad* 22. *Matth.* vbi
ait, id velle D. Auguſtinum *Lib*. 1. cap.22. Tom.3.
de doctrina Christ. dicentem: *Cùm autem ait, Toto
corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ noſtræ par-
tem reliquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare,
vt alia re velit frui, ſed quicquid in animum diligen-
dum venerit, illuc rapiatur, quò totius dilectionis impe-
tus currit.* Ex quibus impietatem Caluini infert di-
centis, Deum ſic præcipere impoſſibilia; cùm ſolùm
præcipiat, vt pro viribus amemus, adiutis gratiâ,
nunquam deficiente.

382 Qvo verò ad illam particulam replicatam (*ex to-
to*) refert D.Bonauent. duas expoſitiones. Altera eſt,
præcipi totalitatem affectuum, & virium; ita vt
præceptum hoc Charitatis, quæ eſt finis Legis, &
complementum perfectionis, imponatur grauiter quò
ad media, & Indicetur finis, quæ eſt perfectio; ità
verò, vt ſi perfectionem finis non aſſequamur in hac
vita, non peccemus; ſicuti, ſi Rex præciperet exer-
citui: *Capito vrbem*; non eſſent puniendi milites, ſi
finem non aſſequerentur, ſed ſi non pugnarent. SI
autem pugnarent fideliter, ſatis eſſet ad implendum
præceptum. Igitur dicunt SS.Auguſtinus, Bernardus,
& Thomas, præcipi hîc media, & indicari finem,
qui in hac vita non poteſt perfectè obtineri, atque
adeò præceptum hoc ſolùm in altera vita perfectiſſi-
mè adimpleri; ita verò dari locum conſiliis, quæ alia
media, præter præcepta, apponunt. Hanc expoſitio-
nem laudat Tannerus *diſp*. 2. *quæſt*. 4. *dub*.4. *num*.76.
vbi concludit, impleri hoc præceptum in ordine ad
finem, etiamſi finis nequeat hîc attingi.

Secvnda expoſitio, quæ eſt magis Scripturæ 383
conſona, vt notat etiam Bellarminus, quamque re-
cipit S.Bonauentura, eſt; hoc præcepto: *ex toto cor-
de*, non præcipi omnes actus cordis, vel omnem in-
tenſionem poſſibilem, ità vt nihil corde agamus,
quàm Deum diligere; ſed ſolùm, vt amemus Deum
tali amore, vt in anima noſtra nihil ei præferamus,
vel æquemus, atque adeò hoc præcepto non contine-
ri finem, ſed ſolùm media, hoc ſenſu moderata quò
ad appretiationem; ex quo habes, ſeruari hoc præ-
ceptum: dummodo in Deo ponatur vltimus finis, non
In alia re, auertendo ſe à Deo lethaliter.

Hvnc ſane modum Charitatis eſſe intentum, & 384
nil amplius; eſſeque Scripturis magis conſonum,
probatur; quia hoc præceptum ex Scripturis aſſeritur
facilè, Deuter. 30. *Et nunc Iſrael, quid Dominus
Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum
tuum, & diligas eum, ac ſeruias ei in toto corde tuo,
& in tota anima tua*, & cap. 13. *Tentat vos Dominus
Deus veſter, vt palam fiat, vtrum diligatis eum an
non in toto corde, & in tota anima veſtra*, & Lucæ 10.
quærenti Iuriſperito. *Quid faciendo vitam æternam
poſſidebo?* Dominus reſpondit: *In Lege quid ſcrip-
tum eſt, quomodo Legis?* ait ille: *Diliges Dominum
Deum tuum ex toto corde, &c.* Et Dominus: *Hoc fac,
& viues.* Chriſtus dat regulam: *Si præcepta mea ſer-
uaueritis, manebitis in dilectione mea*, vt notat Baſ-
ſæus *num*.8.

Deinde Dominus promiſit, ſe facturum, vt in 385
hac vita adimpleremus hoc præceptum *Deuter*. 30.
allegato, & Hierem. 24. *Dabo eis cor, vt ſciant me,
quia ego ſum Dominus: & erunt mihi in populum, &
ego ero eis in Deum: quia reuertentur ad me in toto cor-
de ſuo.*

Mvltos etiam obſeruaſſe hoc præceptum, te-
ſtantur ſcripturæ multæ ſuprà.

Tandem Patres ſummo conſenſu teſtantur, nil
impoſſibile præcipi nobis. Vide Origenem *homil*.9. *in
Ioſue.* Baſilium in illud: *Attende tibi.* Hilarium *in
Pſalm*.118. ad ea verba: *Latum mandatum tuum ni-
mis.* Hieronymum *Lib*. 3. *cont. Pelagianos*, apud D.
Bonauenturam hîc. Auguſtinum *Lib. de natura, & gra-
tia*, *cap*.69. & *in Pſalm*. 56. Bernardum *ſerm*.50. *in
Cant.* vbi in hanc poſteriorem ſententiam magis pro-
pendet, quæ eſt D.Bonauent. vt notat Bellarminus.
Hanc ſequuntur communiter apud Aragonium *q* 26.
art.2. Tannerum *diſp*.2. *quæſt*.3. *dub*.3.

Ex hac expoſitione colligit Bellarminus cum S.Bo- 386
nauent. *ad argumenta*, huic præcepto non contraue-
niri peccatis venialibus, quia non auertunt ab vlti-
mo fine.

Deinde non aduerſari eidem præcepto motus in-
ordinatos inuoluntarios concupiſcentiæ, etiam circa
materias graues; quia, cùm Charitas ſtet in volunta-
te, non opponuntur ei motus appetitus, qui non ſint
voluntarij. Ex quo etiam ruunt opiniones tumultua-
riæ ſectariorum apud Bellarminum *Lib*.5. *de amiſſio-
ne gratiæ*, *cap*.10. vbi concupiſcentiam indomabilem
conclamant, omneſque eius actus mortales, etiamſi
inuoluntarij; quod eruere nituntur ex confeſſione
Apoſtoli *ad Rom*.6. 7. & 8. ſed horum inſaniam re-
puli *prima ſecunda*, *Tract*.4. *De peccat. diſp*.1.

Ea Edepol indomita eſt ſectariis, qui laxis habe- 387
nis ad omne facinus irrumpunt, deſperati magis,
quàm

quàm concitati. Indomita est Luthero, qui & Monialem Catharinam Bernensem, è monasterio raptam, violauit, & in pseudo-coniugem duxit. Indomita est Caluino, qui infandis, & spurcissimis abominatio-
388 nibus demersus, igne Pentapolis cremandus, putredine vermium consumptus est, sicuti & Lutherus in sinu Bernensis animam inferno efflauerat. Indomita est Theodoro Bezæ, illi Galliarum Antechristo, qui in teneros pueros incensus, vt prius nutriebatur in croceis, postremò amplexatus est stercora; qui seditiones Hugonoticas in regno illo nobilissimo adeò commouit, excitauit, incendit, vt Gens illa bellatrix præclaros de barbaris olim reuectos gloriosè triumphos, in propriorum ciuium stragibus, & sanguine merserit.

QVÆSTIO XLV.

An Diuinæ dilectionis sit aliquis modus habendus.

D. Bonauent. in 3. dist.27. & q.6. articuli secundi,
D.Thom. quæst.27. art.7.

389 TRIPLICIVS modis posse actum virtutis habere modum docet D. Bonauent. Primò per limitationem in seipso; & hoc sensu omnis actus virtutis creatæ habet modum; omnis enim virtus creata finita est, & limitata. Secundò dicitur actus habere modum per aggregationem circumstantiarum; & hoc sensu modum habent omnes virtutes morales, & actus meritorij; quia nullus actus est laudabilis, nisi præditus debitis circumstantiis. Tertio sensu modus indicat medietatem inter extrema, quæ sunt *Excedens*, & *Deficiens*; & hac ratione virtutes Cardinales habent modum, seu medium inter superfluum, & diminutum.

390 QVONIAM ergo Charitas est virtus creata, & gratuita, habet modum finitatis, debitæ creaturis, & modum impositum circumstantiarum, vt diligamus Deum super omnia, & propter se, & pro viribus: at modum illum, qui est standi in medio inter extrema vitiosa, non habet Charitas, quia cùm sit virtus Theologica, habens obiectum infinitum, nunquam nimium in Deum tendit, qui est infinitus, verus, bonus, &c.

ASSERO igitur, Charitatem non habere modum ex tendentia in obiectum.

391 PROBATVR à D.Bonauent. primò ex D. Bernardo de diligendo Deo, initio, vbi ait: *Causa diligendi Deum, Deus est; modus est, sine modo diligere.*

SECVNDO, quia ratio diligendi est bonitas infinita, & vltimus finis, non habens modum; nam finis, maximè vltimus; non enim finis, vt finis, mensuratur ab aliis, sed ipse est mensura mediorum, quæ mensurantur in ordine ad finem. Hoc argumento vtitur etiam D.Thom. *loco cit.* Valentia *disp.3.quæst.5. puncto 2.*

TERTIO: Motus Charitatis est appretiatiuus secundùm dignitatem obiecti; sed obiectum Charitatis, quod est Deus, est infinitæ bonitatis, atque sine modo appetibilis: Ergo.

QVARTO: Quidquid habet modum, vitiatur per excessum; sed nullus est vituperabilis, quantumuis Deum diligat intensè: Ergo.

ASSERO secundò, Charitatem habere modum, iuxta alios modos suprà allatos.

392 PROBATVR à D.Bonau. primò, quia *Omnia disposuit in numero, pondere, & mensura*, vt habetur *Sap.9.*

SECVNDO: Omnis actus Charitatis finitus habet modum: omnis actus noster est finitus: Ergo habet modum.

TERTIO: Modus, Species, & Ordo ad se comparantur, vt Vnum, Verum, & Bonum; sed Bonum præsupponit Verum, & Verum præsupponit Vnum: Ergo pari ratione Ordo præsupponit speciem, & species præsupponit modum; sed motus Charitatis in Deum est ordinatus: Ergo modificatus.

ALIVD argumentum affert, quod non approbat, 393
Sapientia est supra Charitatem, vt ait Bernardus *Lib. de amore Dei, cap.2.* vbi ait: *Amor proficit in Charitatem, & Charitas in sapientiam*: sed sapientiam oportet habere modum, vt ait Apostolus, Rom.12. *Non plus sapere, quam oportet sapere, &c.* Ergo & ipsa Charitas debet modum habere.

RESPONDET S. Doctor, Sapientiam, vt dicit sapidam scientiam, seu saporem scientiæ, non vitiari per excessum; & sic sapientia à sapore, est super Charitatem; at vero vt dicitur à *sapere*, potest habere excessum curiositatis: Sed hoc sensu, non est super Charitatem.

QVÆSTIO XLVI.

An CHARITAS *debeat in patria dilatari.*

D. Bonauent. in 3. art. 3. quæst 2.
D.Thom. quæst. 25 art.15.

ASSERO primò, Charitatis actus fore intensiores in patria. 394

PROBATVR à S.Doctore, primò. Ampliato habitu, intenduntur actus; sed habitus in patria dilatabitur, & amplificabitur; quia excellentiori modo habitabit Deus in corde per consummatam Charitatem, debitam patriæ: Ergo.

DEINDE: Affectio sequitur cognitionem; sed in patria erit perfectior cognitio: Ergo & intensior affectio.

ASSERO secundò, dilatari Charitatem in patria, 395
non diligendorum multitudine, quia tunc non habebimus inimicos, quos diligamus; neque diligemus præscitos; attamen tunc plures habebimus cognitos prædestinatos, quos diligamus; tunc enim dilectio nostra complectetur tam eos, qui sunt in patria, quàm eos, qui sunt in via, ad patriam tamen peruenturi.

ASSERO tertiò, dilatandam Charitatem affectu amicabili. Vide Sanctum Doctorem. Nam ampliori & amicabiliori affectu Deus tunc diligetur, in se, & in suis creaturis; Charitas enim sibi Deum, & omnes beatos affectuosissimè inuiscerabit.

QVÆSTIO XLVII.

Vtrum sit magis meritorium diligere inimicum, quam amicum.

D. Bonauent. in 3. dist.30. quæst.6.
D.Thom. quæst. 27. art.7.

DVPLICITER sumi posse hos duos amores, admonet S. Doctor. Primò pro vt sunt à diuersis habitibus, quorum alter habiles reddat solùm ad amicos diligendos; alter verò extendatur etiam ad inimicos. Sic perfectior est habitus hic secundus, vt 396
ait

ait Augustinus *in Enchir*, *cap.73*. Si verò comparemus istos actus, pro vt ab eadem Charitate procedunt, sic quodammodo sunt æquales quoad meritum substantiale; quoad vigorem verò actuum, & præmium accidentale motus dilectionis erga amicos, excedit alium quoad feruorem, & frequentationem. Quoad difficultatem verò, motus dilectionis in inimicos est purior, & difficilior.

SIMPLICITER tamen motus dilectionis in amicos probabiliter est melior, ratione obiecti, quod est melius, & magis coniunctum sibi, & Deo; vnde maius est peccatum odisse amicum, vt docet etiam D. Thom. *art.7.* & communiter Theologi, vt refert Valentia *disp.3.quæst.5.punct.3*.contra Durandum *disp.30. quæst.2.*

397 ASSERO primò probabiliter cum hac sententia, perfectiorem esse dilectionem amicorum.

PROBATVR à S.Doctore, primò ex D.Ambrosio, relato *quæst*. 30. Respondet tamen, non seruare Ambrosium gradus perfectionis; sed obligationis.

SECVNDO, quia dilectio amicorum, est similior dilectioni Dei, qui diligit diligentes se, vt habetur. *Prouerb.*8. Attamen respondet, commendari Charitatem Dei magis in nos inimicos, *Rom.5*.

TERTIO, quia est feruentior, & frequentior. Respondet tamen, verum esse, data paritate difficultatis.

QVARTO, quia plus habet de æquitate. Respondet tamen æquius esse ex meritorum exigentia, non ex parte diligentis.

QVINTO, quia sic deberet homo se in dilectione inimici magis exercere, si hæc esset perfectior.

Respondet tamen, id verum ad exercitium, non ratione debiti.

398 ASSERIT secundò, probabile esse, etiam amorem inimicorum esse perfectiorem.

PROBATVR à S.Doctore, primò ex Matth. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Respondet tamen, id verum, exclusis inimicis, qui diligi præcipiuntur.

SECVNDO. Diligere inimicos, est præceptum Euangelij, Matth.7. *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros:* Ergo maioris perfectionis. Respondet, id verum, quoad difficultatem; ratione tamen, boni, melius esse diligere amicum.

399 TERTIO vbi est maior victoria, ibi maior virtus, quæ est circa difficilia.

RESPONDET, id verum esse cæteris paribus; at amor amicorum est melior ex subiecto.

QVARTO: Vbi amor purior à carne seiunctus, ibi maior perfectio.

RESPONDET tamen S. Doctor eodem modo, si sint cætera paria, quæ hîc non sunt. Ex his probabilis vtrinque relinquitur hæc opinio.

QVÆSTIO XLVIII.

An homo, in quantulacumque CHARITATE *constitutus, teneatur mortem subire pro* CHRISTO.

{ D.Bonauent. in 3. dist. 30. quæst. 2.

400 ASSERO primò, in necessitate, vel defendendi iustitiam; vel moriendi, vnumquemque teneri mortem subire pro Christo.

PROBATVR primò à S. Bonauent. Lucæ 9. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua.*

DEINDE probatur à S. Doctore, ex prima Ioan.3. *Quoniam ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

TERTIO: Plus tenentur omnes Deum diligere, quàm omnia creata: Ergo si alterum amittendum est, debemus totum creatum profundere.

ASSERO secundò. Extra necessitatem, esse opus supererogationis.

PROBATVR à S.Doctore, primò. Ioan.15. *Maiorem Charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis:* Ergo mortem obire pro Christo, est perfectionis maximæ; sed imperfecti non tenentur ad heroica opera; Ergo. 401

DEINDE id probat ex Glossa *ad Rom.6*. id asserente.

TERTIO id probat S. Doctor, ex D. Augustino *tract.5.* in primam Ioannis. *Perfecta Charitas hæc est, vt quis paratus sit pro fratribus mori.* Infert autem S. Doctor, Prælatos teneri ad maiorem perfectionem, quàm teneantur subditi; nam tenentur pro omnibus animas ponere. Ioan. 10. *Bonus Pastor animam suam dat pro Ouibus suis.* Quæ obseruat S. Doctor etiam ad *Ioannis cap.*10.

IRAQVE tempore pestis tenentur periculo vitæ se exponere, ministrando Sacramenta necessaria, vt communiter asserunt Doctores. Admonet verò Diana *Tract.4. de Sacramentis, resol.167.* posse tempore pestis inungi virgâ oblongâ moribundum Extrema vnctione: & *resol.168.* posse vnam partem inungi celeriter, dicendo: *Per istam sanctam vnctionem, &c. remittat tibi Dominus quidquid visu, auditu, &c. deliquisti.* Ità etiam Syluest.3. *part. quæst.*32. *art.*2. & Doctores Louanienses, *anno* 1573. & 1588. apud Octauium Tricaricensem, Nuncium Apostolicum in Germania, & *in Directorio Ecclesiastica disciplina Chapeau, cap.5. quæst.30.* Addit Diana, se potius velocissimè vncturum, absque cruce, vnum oculum, vnam aurem, &c. 402

QVÆSTIO XLIX.

An habentes CHARITATEM *perfectam, teneantur ea, quæ sunt perfectionis, implere.*

{ D.Bonauent. in 3. dist. 30. quæst. 3.

PERFECTIO in Charitate consistit, *quæ est vinculum perfectionis*, vt dicitur: *Colossenses* 3. 403

ADVERTIT S. Doctor quinque genera perfectionum.

PRIMA est necessaria: de qua Matth.5. *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*, vt aduertit etiam Bellarminus *de monachis, cap.9.*

SECVNDA perfectio est consilij, quæ consilia Euangelica seruat, de qua Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende vniuersa, quæ habes, & da pauperibus.*

TERTIA est perfectio prælationis, seu debita ex officio Prælati. De hac Lucæ 6. *Perfectus omnis erit, si sit sicut magister eius.* 404

QVARTA est perfectio debita ex bono exemplo, nobis iniuncto. De hac Genes.6. *Noe vir iustus, atque perfectus in generationibus suis fuit*, Ad vitandum scandalum.

QVINTA est perfectio tranquillitatis, qua eliguntur

guntur optima opera. Talis est, de qua dicitur prima Ioan. 4. *Perfecta Charitas foras mittit timorem*, & qua Beata Theresia vouit, semper ea facere, quæ magis perfecta intellexisset.

405 IGITVR homo perfectus primâ perfectione tenetur ad præcepta. Sic Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Quo ostenditur, sola obseruatione mandatorum perueniri ad vitam æternam. Hic verò non tenetur ad eam perfectionem, cauendi omne verbulum, de qua Iacobi 3. *Qui non offendit in verbo: hic perfectus est vir.*

PARFECTVS autem ratione obligationis voti tenetur ad promissa.

PRÆLATVS item ad opera sui officij exequenda, &c. Vide S. Bonauenturam.

QVÆSTIO L.

Quomodo, & quando obliget præceptum dilectionis DEI.

{ D. Thom. quæst 44.

406 DVPLEX est hoc præceptum: alterum negatiuum odij, & auersionis à Deo; & hoc semper ligat. Alterum affirmatiuum actus amoris.

QVAMVIS ex dictis habeatur, quo vinculo obliget hoc præceptum, tamen aliqua apponam ad maiorem claritatem. Iam ostendi, diligendum Deum super omnia: Ratio est, quia obiectum amoris est bonitas; cùm autem Deus sit summa bonitas, debet super omnia æstimatiuè amari, esto effectiuâ intensione magis premamur rebus sensibilibus. Vide Valentiam *disp. 3. quæst. 19. puncto* 5. & hoc includit negatiuum, & affirmatiuum præceptum.

DEBERE etiam amari Deum supernaturaliter ostendi: Nam dilectio, qua ferimur in Deum, dicitur ex Fide non ficta 1. *Timot.* 5. Quoad Tempus igitur; Primò suppono, quomodo in hac vita non obseruetur perfectissimè hoc præceptum, vt dixi *quæst.* 44. Posse verò secundùm id, quod nobis iniunctum est in hac vita obseruari, ostensum est *quæst. citata.*

407 FVERE nonnulli, qui dixêre, hoc præceptum nullo modo obligare aliquo vitæ huius tempore ad actum charitatis eliciendum; verum illos censura Apostolica notauit Alex. VII. vt vidimus *tom. 4. de actib. human. disp. 17. de conscient. quæst. 10. sect.* 1.

PRIMVM autem tempus est, cùm homo peruenit ad annos discretionis, & animaduertit suam obligationem amandi Deum, eique seruiendi. Non tamen vrgeo, in primo instanti teneri secundùm sententiam D. Thom. *prima secunda, quæst. 89. art. 6.* vt differam *quæst. sequenti.*

SECVNDVM tempus est, cùm quis adultus suscipit baptismum, vt rectè censuit Sotus *Lib. 1. de natura, & gratia, cap.* 22. Valentia *loco cit.* & si repugnet Bassæus V. *Charitas, num. 9.*

TERTIVM est, cùm quis tenetur habere contritionem. Ita Nauar. & Caietan. apud Valentiam *loc. cit.*

QVARTVM tempus est, cùm aliquis à Deo accipit singulare beneficium, vt probabiliter censet Sotus *Lib. 2. de Iust. & Iure, quæst. 3. art.* 10. & Valentia *loco cit.* Hoc enim lex amicitiæ exigere videtur.

QVINTVM tempus est, dum imminet subeundum
408 Martyrium, vt aiunt Sotus, & Valentia.

SEXTVM tempus est, dum præceptum vrget defendendi honorem Dei violatum. Ità Valentia & Nauar. apud eum.

SEPTIMVM est tempus mortis. Ità allegati, & communiter apud Bassæum.

Tametsi autem ignorantia possit excusare, tamen monet Valentia, tectum esse de hoc se accusare in confessione.

ADDIT Bassæus *num. 9.* obligare aliis temporibus iudicio prudentis, cum Azor *tomo 1. lib. 9. cap. 4.*

QVÆSTIO LI.

An teneatur homo in primo instanti vsus rationis ad DEVM *conuerti.*

{ D. Thom 1. 2. quæst. 89. art. 6.

STATVS vsus rationis incipit, cùm apparet discre- 409
tio inter bona, & mala opera; qui censetur septimo anno.

PRIMA opinio est D. Thomæ hîc assertiua; eum sequuntur omnes fere discipuli; aliqui tamen ab eo recedunt, qui eam sententiam nimis seueram, & creditu difficilem dicunt, vt notat Aluar. *disput.* 191. Porrò & asseclæ non conueniunt in modo conuersionis. Aliqui volunt, teneri elicere actum amoris Dei super omnia. Alij censent, sufficere conuerti ad bonum honestum. Aliqui cogunt conuerti ad Deum, vt finem supernaturalem. Alij, sufficere conuerti ad Deum, vt finem naturalem, puta Creatorem, &c.

SECVNDA sententia est D. Bonauent. *in 4. dist. 21.* 410
art. 1. quæst. 1. in fine, non adesse tale præceptum. Eum sequuntur Scotus 2. *dist. 21. quæst.* 1. & omnes discipuli apud Mastrium *in 2. dist. 4. quæst. 3.* Vulp. *art. vlt. de peccat.* Poncius *disp. 31. de præcept. charit. quæst.* 1. & omnes Nominales, Gabriel, &c. Dur. Richardus, Paludanus, & ferè omnes Moderni apud Arriagam *tomo 3. disput. 48. sect. 7.* Suarez, Vasquez *disp. 149. cap. 1.* Valentia, Sanchez, Coninchius, Amicus, Auersa, Granadus, Corduba, Lorca. Estque communis extra Scholam D. Thom. Bassæus *num.* 10. explicat, teneri aliquem cùm agnouit debitum Deo seruiendi, vel paulo post. Ideò hortatur, parentes parochos, & confessarios, vt erudiant, eos esse creatos à Domino, vt ei seruiant, eum ament, præcepta seruent, & ad beatitatem aspirent.

ASSERO cum hac sententia, non dari tale præceptum.

PRÆCIPVVM fundamentum est. *Non cognoui pec-* 411
catum nisi per Legem, vt ait Apostolus: At non est inuenire tale præceptum expressum pro hoc tempore, aut Dei promissio de auxilio necessario pro eo instanti dando; neque inuenient, quæ conuersio sit præcepta: nam & Thomistæ inter se discrepant. Si enim non exigitur illicò à peccante, cur exigent ab habitualiter conuerso per gratiam, qualis est baptizatus?

IGITVR seruando mandata, saluatur homo, vt di- 412
citur *Matth. 19.* Primum autem mandatum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c.* At hoc præceptum non ligat pro omni momento; non enim ibi exprimitur. Cur ergo in primo instanti, cum in eo sit baptizatus, Charitate præditus? Ita indicat S. Doctor *in 3. dist. 30. quæst. 3.*

THOMISTÆ nullum habent testimonium, quod opponant, nisi præceptum conuersionis à peccato, quod non facit ad rem.

HINC sequitur, posse aliquem in primo vsu ra- 413
tionis peccare venialiter, & si non est baptizatus, decedere cum originali, & actuali veniali; siue quia potest primò habere vsum rationis imperfectum, & venialiter

venialiter peccare ex plena cognitione, seu aduertentia; siue quia, etsi daretur tale præceptum, potest esse, vt omittat ex veniali ignorantiâ, & inaduertentiâ.

Obiicies. Concilium Florentinum ponit locum pro solis damnatis decedentibus cum solo originali, vel cum solo actuali mortali.

414 Respondeo, Concilium explicare solùm modos ordinarios, ad quos alij reducuntur: Nam potest esse, vt infidelis decedat cum originali, & mortali. Potest etiam esse, vt aliquis decedat cum solis actualibus venialibus, & mortalibus. Ità non omnea adæquatè recenset, sed intentio fuit declarare diuersum locum damnati assignari è solo contracto peccato, & ex commissis.

Obiicies secundò. Innocent. III. *cap. Maiores de Bapt.* docet, non posse adultis dormientibus, & amentibus dimitti originale, sicut paruulis per Baptismum sine proprio consensu, quia non potest dimitti originale sine mortali: Ergo supponit, adultum habentem originale, habere etiam mortale.

415 Respondetur, Pontificem id præcipere, quia facilè potest esse, vt adultus, diu moratus sine baptismo, ex vi concupiscentiæ lethali delinquerit, quia nemo potest diu sine Baptismo viuens frænare tentationes; attamen id non supponit Pontifex; & neque in sententia D.Thomæ id supponere ostenditur, quia potest esse, vt is primò instanti vsus rationis se conuerterit ad Deum, etsi non potuerit postea baptizari.

416 Dices Innocentius §. *præcedent.* ait, paruuulum, quia non peccauit proprio consensu, non egere illo ad iustificationem per baptismum; secus docet de adulto dormiente: Ergo supponit, habentem originale, habere etiam mortale, actu suo commissum.

Respondetur, negando consequentiam: Tum quia loquitur cautè, solùm casu, quo habeat peccatum mortale ex hoc capite; & quia in alio debet adultus velle Baptismum. Itaque illa ratio non est adæquata pro quolibet adulto, egente proprio consensu ad Baptismum. Quare ineptè Medina dicit, sententiam D.Thomæ supponi à Concilio Florent. & Innocentio.

417 Esto autem supponant, mortale cum originali; vndenam probant Thomistæ illud euenisse ex omissione illius actus?

QVÆSTIO LII.


Quomodo, & quando obliget præceptum dilectionis proximi.

{ D.Thom. art.2.3. & 7.

418 Modum suprà explicuimus, esse diligere proximum, sicut seipsum, non æqualiter, sed similiter. Primò ex parte finis in ordine ad Deum. Secundò ex parte obiecti, & regulæ bonæ dilectionis. Tertiò ex parte rationis diligendi, vt propter bonum proximi diligat, vt exigit ratio amicitiæ.

Tempus verò est, quoties tenemur benefacere, & quando necesse esset ad vitanda peccata in proximum, maximè odij, &c. Vide Valentiam *punEto 2.*

419 Appono hîc lepidum dubium. Solent desideria mortis eorum, à quibus expectantur hæreditates, insinuari. Hæc sanè esse mortifera, ait Naoar. *man.c.15.* *num.10.* & omnes allegat, quia vita proximi est bonum altius diuitiis. Enim verò alij dicunt non esse necesse ea pellere, sed licita esse, ita Bassæus V. *char. num.23.* adducens Sa V. *Charitas, num.* 8. Azor 420 *p.p. lib.3. cap.12. quæsito 2.* Sancium *select. disp.2. num.9.* Palaum *part.1. tract.6. de char. disp.4. part.1. num.11.* modo non coopereris morti. Probat Bassæus; quia solum cupitur bonum vtile; mors verò, si Deus velit: Sed hæc friuola sunt, ideò prætermittenda.



DISPVTATIO IX.

De effectibus internis Charitatis, Gaudio, Pace, & Misericordia.



Inter præcipuos internos Charitatis effectus enumerantur Gaudium, Pax, & Misericordia. Et quidem cùm homo pigritetur aliquando ad deuotionis, & virtutis studia ob tædium Diuinorum, necesse est, vt alacer, & agilis ad illa affectu gaudij reddatur, quo iucundetur in bonis operibus, & mala fastidiat. Item cùm homo mobilis circa plurima turbetur, dum fluctuat in huius mundi pelago, Charitas ipsum tranquillum, & Pace serenum reddit, carnem pacatam Spiritui, spiritumque Deo placatum subiiciendo. Similiter è Charitate nascitur Misericordia, qua homo alienas miserias, suas reputat, eisque aut corporaliter subuenit, aut spiritualiter compatitur; Cùm enim Charitas sit maximè vnitiua, omnia proximorum, seu bona, seu mala in se transfert, eisque gaudere, aut ea propellere nititur; quare duplex est misericordia, vt infrà dicetur, in cuius figuram Salomon duplex fecit ostiolum de oliuis in ingressu Oraculi, vt habet Seraphicus *in Diæta, tit.7. cap.4.* Verùm de his vlteriùs inquirendum est.



SECTIO I.

De Gaudio.



Primo Anima, decorata Charitatis stolâ, in Gaudij affectum exhilarescit; quare ante alios ipsius effectus imprimis de gaudio agendum est; & quoniam multiplex est lætitiæ genus; ideo gaudium illud, quod est vera Charitatis proles, ab aliis secernendum est.

QVÆSTIO I.

An GAVDIVM *sit Effectus Charitatis, & Qui.*

D.Thom. quæst. 18. art. 1.

1 GAVDIVM non sumitur hic pro passione appetitus sensitiui, quæ dicitur delectatio, de qua D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 26. *quæst.* 1. *& art.* 2. *quæst.* 1.

SVMITVR potiùs Gaudium, prout est diffusio animi in aliquo bono, & hoc ideò non est verum, nisi de vero bono Deo, vt ait S. Doctor *collat.* 73. *in Ioannem*, esse autem effectum vitæ in Domino, quæ est Charitas, probat S. Doctor ex illo Philip. 3. *Gaudete in Domino semper*, & 17. Ioan. *vt Gaudium vestrum sit plenum*; Ibi enim, postquam orauit Christus Patrem, vt discipuli sint vnum in Deo, subdit:
2 *Vt Gaudium vestrum sit plenum, & vt ipsi habeant Gaudium meum impletum.* Hoc Gaudium complendum monet, cum dicetur: *Intra in Gaudium Domini tui*, vbi nos non iubemur gaudere, vel Gaudium recipere, sed intrare in gaudium infinitum, comprehendens nos. Vide S. Doctorem *ad* 16. *&* 17. *Ioannis*, & *sermonibus* 4. *&* 5. *de Natiuitate*, mirabiliter de Gaudiis omnibus differentem, maximè verò de Gaudio, Charitatis effectu, vbi plurimas de omnibus congerit authoritates è Scripturis. Igitur hoc Gaudium est actus, à virtute Charitatis elicitus, qui ideò dicitur fructus eius, Galat. 5. *Fructus Spiritus sunt, Gaudium, &c.* vt aduertit S. Doctor 3. *part. Centil. sect.* 6. & *Lib.* 5. *Compendy Theol. cap.* 57. & Gregorius de Valentia *disp.* 3. *quæst.* 6. *puncto* 1. ac Tannerus *disp.* 2. *quæst.* 4. *dub.* 1. *num.* 17.

3 Hoc autem Gaudium perfectum esse in patria, nec crescere posse, sicuti nec crescit Charitas, admonet S. Bonauent. *in* 2. *dist.* 15. *art.* 2. *quæst.* 2. *argumento* 2. *ad opposita, cum responso.*

4 In hac vita verò: *Gaudium est iusto facere iustitiam*, vt dicitur *Prouerb.* 21. & ideò, & pœnitentem contritum Gaudere oportere, eò quòd Deum inuenerit, attamen mixtum est amaritudine Gaudium, quod amiserit illud bonum. Ità D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 16. *part.* 2. *dub.* 10.

NON habet sanè per se tædium, quia ex sapientia nascitur. Ideò dicitur, Sap. 8. *Non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam, & Gaudium*, iuxta Ecclesiastici primò. *Iucunditatem, atque Gaudium dabit*, & cap. 5. *Iucunditatem, & exultationem thesaurizauit super eum.* Quæ omnia obseruat S. Doctor ad ea verba *Sap.* 8. Tristatur igitur, quatenus aliquid occurrit repugnans participationi diuini boni, vel in nobis, vel in proximis, quos tanquam nosmetipsos amamus, vt docet D. Thom. *art.* 2. Tannerus *num.* 18.

5 ITAQVE hoc Gaudium in hac vita compleri non posse, concludit S. Doctor ad ea verba Ioan. 15. *Vt Gaudium meum in vobis sit, & Gaudium vestrum impleatur*, & toto ferè illo capite. Ratio est, quia non potest esse perfecta quies, quamdiu est motus; in hac autem vita semper in motu sumus, vt ait D. Thom. *art.* 3. Ideò Ioan. 16. *Mulier cum parit, tristitiam habet; & vos igitur nunc quidem tristitiam habetis*, & Christus tristis fuit ad mortem *Lucæ* 22. vt obseruat S. Doctor ad ea loca.

QVÆSTIO II.

Vtrum GAVDIVM *sit virtus.*

D Thom. art. 4.

NON esse virtutem, ostendit D. Thomas *art. tit.* è partium enumeratione. 6

PROBATVR à S. Thom. quia Gaudium non est habitus operatiuus, sed est actus ad quem inclinat habitus, qui dicitur: *Charitas.* Idem enim habitus inclinat ad diligendum, ad desiderandum dilectum, & ad gaudendum de eo; & ideo ab habitu Charitatis non est distinctus habitus, quia omnis virtus Gaudet in suis actibus exercendis, vt docet D. Bonauent. 3. *dist.* 26. *quæst.* 2. *ad* 4. maximè verò conuenit Charitati, quæ habet pro obiecto bonum, vt bonum per habitum delectat.



SECTIO II.

De Pace.

PVRGATISSIMI animi status est Pax; quare pacificis magis tribuitur esse filios Dei, quam aliis, vt notat Seraphicus *in comp. Theol. lib.* 5. *cap.* 54. quia licèt misericordia hominem Deo maximè assimilet, quoad exteriora, quoad interiora tamen, magis assimilatur Pace.

QVÆSTIO VNICA.

Quid sit PAX.

D Bonauent. opusc. de 7. Donis.
D. Thom. quæst. 29.

PACEM describit S. Doctor *opusc. de septem Donis, de Dono timoris, cap.* 4 ex D. Augustino, serm. 167. 7
de tempore: *Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium Charitatis.* His ostendit pacem in consensione, & simplicitate, quæ est vnitas perfecta affectionum in vero bono omnimodo, consistere, vt ait etiam D. Thom. *art.* 1. Differt verò à Concordia; quia hæc est vnio cordium, & voluntatum in vno, vt ait D. Bonau. 3. *p. centil. sect.* 44. & *opusc. declaratorie terminorum Theologiæ* circa finem. Potest verò esse mala concordia, vt notat D. Bonau. *in Pharetra, loco citando.*

Ex iustitia Regum oritur Pax populorum, vt ait Cæsarius Arel. *homil.* 22. in illud Lucæ 17. *Regnum Dei intra vos est*, apud D. Bonauent. *loco cit. de septem donis.* Ratio est, quia duæ sunt germanæ: *Iustitia, & Pax osculatæ sunt*, Psalm. 44. 8

HANC esse effectum Charitatis ostendit S. Doctor *Lib.* 4. *Pharetra*, & D. Gregor. *in registro, lib.* 7 *indic.* 11. & *lib.* 4. *indic.* 13. *cap.* 80. & *Lib.* 7. *indic.* 2. *cap.* 27.

HANC describit ibi ex D. Augustino *serm.* 57. 9
de verbis Domini: *Pax cunctis est placida, non quærit alienum, deputat suum, docet amare, quæ odisse non nouit. Nescit extolli, nescit inflari. Hanc ergo qui accipit, teneat; qui perdidit, repetat, qui amisit, requirat: quoniam, qui in ea non fuerit inuentus*

inuentus abdicatur à Patre, exhæredatur à filio; nihilominus à Spiritu sancto efficitur alienus. Prosequitur ex D. Augustino Lib. 1. de ciuit. cap. 13. Testamentum Dei, & hæreditas, pax est, vt à concordibus consortibus possideatur, non à litigantibus diuidatur; ex quo deducit, oppositum pacis esse dissensionem, ideo ea antithesi Apostolus ait, prima Corinth. 14. *Non est dissensionis Deus, sed pacis.*

IDEM ostendit S. Doctor ibi ex D. Augustino lib. 19. de ciuitate, cap. 12. *Pacis intentione bella geri* (ait) *quia, qui bella volunt, nihil aliud, quam vincere volunt. Victoria autem est subiectio repugnantium; quod cum factum fuerit, pax erit.*

Vide S. Doctorem ibi, alios Patres, mira dicentes, referentem.

10 HINC pacem non esse sine Charitate, ostendit *ad 2. Lucæ* S. Doctor ex illis verbis: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, idest, iustis. Quia *non est pax impiis*, vt dicitur: *Isaiæ 57.* E contra, Iustis dicitur, Philip. 4. *& pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra.* Ideò *super pauperculum, contritum corde, & trementem sermones meos*, ait Dominus Isaiæ 66. *Declinabo super eum fluuium pacis.* Vide Seraphicum *ibi*, præclara promentem. Hanc adeo pretiosam obseruat S. Doctor ibi, & *ad 24. Lucæ*, vt Christus dictus sit Apostolus pacis: *Veniens Euangelizauit pacem vobis*, Ephes. 2. *Ipse etiam dicitur Pax nostra, qui facit vtraque vnum* Ephes. 1. Et *Pacificans per sanguinem eius siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt*, Coloss. 1. Vide S. Doctorem *ad 24. Lucæ* ad ea verba: *Pax vobis.*

11 OSTENDIT autem S. Doctor *allegatis locis*, necesse esse ad pacem, vt non habeatur dissensio cum aliis, & secum ipso. Idem sentit S. Thom. hic, & Tannerus *disp. 2. quæst. 4. dub. 1. num. 20.* & communiter.

ET hoc videtur indicasse S. Augustinus *Lib. 19. de ciuit. cap. 13.* vbi describens pacem, ait, esse tranquillitatem ordinis, quia omnia sunt ordinata. Id ipsum iudicat D. Dionysius *cap. 11. de diu. nominibus*, dicens: *Pacem esse omnium vnitiuam, & consensus operatiuam.* Quod si cum aliis consentiat, non secum, habebit concordiam, non pacem; siquidem pax concordiam quidem includit, & addit consensum appetitionum in ipsomet eodem homine. Latè tamen pax dicitur *ordinata concordia*, à D. Augustino *Lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 11.*

12 PORRO (ait Valentia, puunct. 2.) non quæuis omnimoda consensio, & vnio appetitionum, est pax, de qua loquimur; sed debet esse consensio in vero bono, vt ostendit S. Doctor illo Isa. 57. *Non est pax impiis*, Hierem. 6. *Dicentes pax pax, & non est pax.*

13 TRES autem gradus vnius vnionis, seu vnitatis, constituentis pacem, recenset S. Bonauent. de gradibus virtutum, cap. 13. *Pacis* (ait) *altus gradus est, cùm caro subiicitur spiritui, siue rationi, difficilem se reddens ad omnia mala, perpetranda.* vt dicitur: Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis*, & cap. 7. *Ego ipse mente seruio Legi Dei; carne autem Legi peccati.* Altior, cùm subiicitur caro spiritui, promptam se exhibens ad omnia bona facienda: *Castigo corpus meum, &c.* prima Corinth 9. Altissimus, cùm spiritus subiicitur Deo, omnem ordinationem in omnibus animæ viribus penitus obseruando. Iste vltimus gradus seruatur in cælo.

14 ITEM altus gradus est inferioribus parcere, si in aliquo excesserunt, eosque benignè consolari, si in aliquam afflictionem inciderint. Altior est, cum paribus benignè conuersari, ita vt faciat eis bonum, quod iustè sibi vellet fieri. Altissimus, voluntatem suam, voluntati superiorum in omnibus conformare.

Item altus gradus est, nullum turbare factis: altior est, nullum turbare verbis, vel alio modo absentem. Altissimus, nullum dare occasionem iustam turbationis.

ITEM in altum gradum pacis ascendit, qui mala proximorum non publicat. In altiorem gradum, qui bona proximorum non minuit, nec denigrat, nec inuertit, sed extollit. In altissimum ascendit, qui defectibus eorum compatitur, & profectibus eorum ex corde congratulatur.

VIDE eundem S. Doctorem *de Donis Spiritus sancti, de Dono Timoris, cap. 4.* referentem gradus Pacis.

15 QVOMODO autem Charitatis effectus sit pax: an sit actus eius, vel relatio consequens Charitatis actum; est quæstio de nomine, vt ait Valentia. Nam Caietanus dicit, esse relationem consequentem, quæ est vnio appetitionum, siue tranquillitas, vt dicebat D. Augustinus 19. *de ciuit. cap. 13.* At D. Thom. *art. 4.* omnino videtur velle, eam esse actum, de quo extet præceptum, Marci 9. *Pacem habete inter vos*, sed vtroque modo Pax videtur effectus Charitatis, vt ait Valentia. Significat enim etiam fundamentum relationis illius, quod est idem velle, & nolle, qui est actus Charitatis, vt monet Tannerus *disp. 2. quæst 4. dub. 1. num. 23.*

Hinc videbis, quid velit S. Dionysius *cap. 11. de Diuinis nominibus*, docens, *Pacem esse omnium vnitiuam, & consensus operatiuam.*

16 NON est autem necessaria alia virtus ad pacem producendam, quàm Charitas, quia habita Charitate, facilè habetur vnitio affectionum omnimoda, quapropter non remanet alia difficultas, propter quam necessariæ sunt nouæ virtutes.

Ex his habes, pacem diuersis rationibus numerari, tum inter Beatitudines, *Matth. 5.* tum inter fructus Spiritus, *Galat. 5.* Est enim quædam beatitudo, quatenus est actus virtutis perfectæ, puta Charitatis, seu status virtutis ipsius, in quo est delectatio in Deo, sine contradictione carnis, mundi, & diaboli; vel si est aliqua, inefficax est, vt docet D. Bonauent. *Lib. 5. Compend Theol, cap. 54.* Est verò fructus, quatenus est quoddam bonum vltimum, quod habet iucunditatem, siue delectationem, vt ait S. Bonauent. *loco cit. cap. 57.* & D. Thom. *art. 4. ad 1.* & Valentia *disp. 3. quæst. 6. puncto 2.* circa finem.

17 SEQVITVR etiam, nullam rem esse, quæ suo modo non expetat pacem, vt docet D. Thom. *art. 2.* & ostendit D. Augustinus *Lib. 19. de ciuitate, cap. 12.* apud D. Bonauent. *loco cit. Pharetra.* Ratio est, quia omnis res, modo conuenienti naturæ suæ, expetit bonum, & perfectionem sibi congruentem vult obtineri sine vlla repugnantia; atque adeo nullo etiam repugnante appetitu. Quod ipsum est, pacem habere. Atque hanc rationem innuit D. Augustinus dicens: *Sicut nemo est, qui gaudere nolit, ità nemo est, qui nolit habere pacem, nimirum quia tunc aliquis gaudet, quando bonum possidet cum quiete, & tranquillitate, atque adeò cum pace.* Ideò pretiosum thesaurum nobis Christus linquens, eamque commendans, sæpe refricat *Marci 9. Lucæ 24. Ioan. 14. & 20.*

18 POSTREMO sequitur, non sine causa in Scripturis tantopere commendari pacem, nihil enim expetibilius est, quàm bonum tranquillè possidere. Quamobrem Angeli in Christi Natiuitate, cùm vellent maximum bonum hominibus nunciare, annunciarunt: *Gloria in Excelsis Deo, & in terra pax hominibus*, vt eleganter prosequitur D. Bonauent. *ad 2. Lucæ.* Ideò enim, vt dixi, Christus ipse factus est Apostolus annunciator pacis, eam

sanguine suo acquirens, vt ait Apostolus *locis* suprà *citatis*. Et Euangelium nostrum est *Euangelium pacis*, vt dicitur *Isaiæ* 52.

19 Hinc formulam illam salutandi docuit: *Pax vobis*, Lucæ 24. & *Ioan.* 20. vt eleganter prosequitur S. Bonauent. ad ea loca. Vbi etiam ostendit quanto pretio eam redemerit: *Disciplina enim pacis nostræ super eum*, Isaiæ 53. sic vitâ suâ acquisiuit thesaurum hunc infinitum, vt dans pacem, auferret maximum malum, quod est dissensionis: Dicitur enim Ephes. 2. *Deus pacis, non dissensionis*, vt suprà etiam notaui.

20 Porro regulam obtinendi pacem tradit Apostolus, Galat. 6. *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo, & quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos.*

Hanc regulam interpretatur S. Bonauent. esse regulam Fratrum Minorum, quippe quæ omnimodam abnegationem sui præcipit, vt latè prosequitur *in expositione*, in cuius Procemij locum ponit hæc verba Apostoli: *Mihi autem*, &c. vt suprà.

Porro Pacis præconia egregia vide in D. Bonauent. *in Diæta*, *tit.* 7. *cap.* 6. vbi eam ostendit, cœli Idioma, quo Angeli, & Christus vsi sunt.



SECTIO III.

De Misericordia.



QVÆSTIO I.

Quid sit Misericordia.

{ D. Thom. quæst. 39. art. 1.

21 Misericordia definitur à D. Bonauent. 3. part. Centil. sect. 44. *Misericordia est virtus, per quam animus super calamitate afflictorum mouetur.* Hæc virtus nihil humanum à se alienum putat; aliorum damna, vel commoda, sua æstimat.

Eruitur ex D. Augustino 19. *de ciuit. cap.* 5. vbi sic eam definit, seu describit: *Misericordia est aliena miseria in nostro corde compassio, quâ vtique, si possumus subuenire, compellimur.*

Valentia sic ex D. Thom. *art.* 1. D. Augustino *loco cit.* & Aristotele 2. *Reth. cap.* 8. Misericordiam describit: *Misericordia est dolor, siue tristitia de malo alieno inuoluntario, æstimato vt proprio, & aliquo modo contra personæ miserabilis dignitatem, cui subuenire velit miserans, quantum in ipso est, & commodè possit.*

22 Dicitur à D. Bonauent. *Virtus*; est enim distincta virtus à Charitate, vt docet Apostolus *Coloss.* 3. vbi primò docet: *Induite viscera Misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam*; mox verò ait: *Super omnia autem hæc, Charitatem habete.*

23 Probatur, quia habet peculiare obiectum, idest malum alienum, & calamitates afflictorum, vt subleuabiles operâ nostrâ. Hæc autem est ratio peculiaris obiecti, & in executione efficaci peculiarem difficultatem parit in actu misericordiæ. Profectò enim in subleuanda efficaciter aliena miseria, manet difficultas præcipua, etiam habenti Charitatem.

Observa verò, in descriptione vltima misericordiæ, poni, quòd sit *tristitia de aliena miseria*; nam, vt docet Damascenus 2. de fide, cap. 14. *Misericordia est quadam species doloris, siue tristitia de malo proximi sane, sed æstimato vt proprio.*

Dicitur deinde *de malo inuoluntario*; nam miseria stat in patiendo inuoluntariè; sicut Beatitudo, cui miseria opponitur, consistit in hoc, vt quis habeat ea bona, quæ vult, iuxta illud Augustini, Lib. 13. de ciuit. cap. 4. *Beatus est, qui habet, quidquid vult, & nihil malè vult.* Neque tamen oportet, miseriam illam esse omnino inuolontariam; possumus enim misereri peccatoris, vt docet D. Thomas *art.* 1. *ad* 1. ex D. Gregorij sententia, *homil.* 34. *in Euangelia.* 24

Deinde dicitur *de malo alieno æstimato proprio.* Tristitia enim, & dolor sunt de malo proprio: Vnde motiuum misericordiæ debet aliquo modo miserentem tangere, vt docet D. Thom. *art.* 2. Vnde quando S. Doctor *in explicatione terminorum Theologia*, circa finem describit misericordiam: *Misericordia est compassio miseriæ, & indigentiæ proximi*; non intendit tradere definitionem, sed terminum explicare; alioqui addidisset: *Miseria proximi*, tanquam propriæ. 25



QVÆSTIO II.

Quæ, & qualis Virtus sit Misericordia.

{ D. Bonauent. in Diæta, Tit. 7. cap. 4. D. Thom. art. 3. & 4.

Præclare S. Doctor de Misericordia disserit *loca allegato*. Ostendit autem primò, Misericordiam esse Virtutem peculiarem insignem, quæ circa miserias proximi subleuandas, eo affectu tanquam proprias versatur; vt ait etiam D. Thom. *art.* 1. *&* 3. 26

Deinde eam præfert cœteris virtutibus, præcipuè insignioribus.

Primo quidem eam præfert Pœnitentiæ, quia hæc immolat corpus; illa verò animam. *Corporalis enim exercitatio*, idest, pœnitentia, *ad modicum vtilis est. Pietas verò ad omnia*, vt habetur, prima Timothæi 4. *promissionem habens vitæ.*

Secundo superat Iustitiam: Ideò reos liberat, Matth. 5. *Beati Misericordes, quoniam ipsi Misericordiam consequentur.* Et Matth. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, & Pater vester cœlestis dimittet peccata vestra.* Lucæ 6. *Dimittite, & dimittemini*, Prouerb. 19. *Fœneratur Domino, qui miseretur proximo.* Id etiam affert in argumentum, quia in Deo, *Misericordia superexaltat iudicium*, Iacobi 2. & Psalm. 144. *Miserationes eius super omnia opera Eius.* Hoc verò innuit, valere solum in eo, qui non habet superiorem, vt ait D. Thom *art.* 4. 27

Præcipue verò ostendit, aliqua ratione esse Charitate præstantiorem. Ratio est, qua vtitur etiam D. Thom. Nam Charitas solùm diligit, & ità quasi fluuius in alueo continetur, tendens in bonum dilectione: Misericordia autem redundans super ripas effunditur, communicando se inferioribus agentibus, & ideo non solum bona proximorum, sed etiam mala libentissimè portat. 28

Secunda

Secunda Corinth. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Itaque misericordia, in se considerata, superat Charitatem.

29 Dvobvs autem modis hæc doctrina potest ad Charitatem, & Misericordiam accommodari. Vno modo, vt sunt quidam habitus boni, idest virtutes, quæ secundùm rationes suas adæquatè inueniuntur in homine: inadæquatè verò etiam in Deo, præcisis formalitatibus, scilicet habitus, quæ dicunt imperfectiones, & hoc sensu comparari Charitatem, & misericordiam secundùm se, & secundùm perfectionem, quam exigit in seipsa, sine respectu ad obiectum, vel subiectum, & solùm considerando rationem actus ei.n. Hoc sensu ait Valentia, locutum D. Thomam; nam comparat has virtutes, vt habitus sunt, quorum alter est ad amandum; alter ad subleuandum, vt notat Tannerus *disp.* 2. *quæst.* 4. *dub.* 2. *num.* 31.

30 Secvndo possunt considerari, non vt habitus sunt, sed abstractissima ratione, quatenus misericordia est subleuatiua miseriæ: Charitas autem est facultas diligendi Deum; & hoc modo intelligi D. Thomam, aiunt Caietanus, & Bannes, Misericordiam quidem, suâ abstractissimâ perfectione esse meliorem Charitate: Nam id, quod consistit in subleuando alienam egentium miseriam, & defectus, debet esse actus purus, non potentialitate quadam, seu catentia; alioqui non poterit ad actum reducere egentiam; & hoc sensu resplendet in Deo, qui est actus purus infinitus, qui potest omnes defectus, & potentialitates replere.

31 Qvoad D.Bonau.arbitror, eum locutum vtroque sensu. In priori quidem, quia comparat habitum Charitatis, & alios, cum habitu misericordiæ in genere, vt constat allatis suprà exemplis. In hoc vero posteriori sensu; quia aliqua affert exempla misericordiæ Dei è Scripturis, id indicantia, vt vidimus. Itaque vtroque modo perfectior misericordia in se considerata videtur.

32 Enim verò, si considerentur ambæ in ordine ad subiectum; melior est Charitas in eo, qui non est supremus, quatenus summa perfectio stat in vnione cum summo bono; quod si sit summum bonum; tunc maxima perfectio est diffundere bonitatem ad omnes inferiores. Vide S.Doctorem, ponentem etiam motiua, quibus commoueamur ad misericordiam *loco cit. Diste.* Primum motiuum est considerare miseros esse nostræ naturæ. Vnde Matth. 23. *Omnes enim vos fratres estis*, & Isa. 58. *Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Secundum motiuum misericordiæ est propria indigentia & miseria; homo enim considerans propriam miseriam, compatitur alienæ, vnde Ecclesiastici 31. *Ex te ipso intellige, quæ sunt proximi tui.*

33 Tertium motiuum est Christi, & membrorum eius vnitas, & in ea amor, vt sibi reputet factum, quod pro eis fit, seu profunditur, Matth.25. *Quod vni ex minimis meis fecistis, &c.* In calce verò recenset opera quatuordecim misericordiæ. Ipsum vide mira promentem.

DISPVTATIO X.

De effectibus externis Charitatis.

Postqvam interiùs concupiscentiam, & cupiditatem Charitas minuerit, foras benefaciendo se profundit; Cùm enim sua non quærat, sed nobili questu aliorum miserias, proprij fœlicitatis commutatione, suas faciat; tota beneficentiis mancipatur, & corporali subleuatione per Eleemosynam, aut spirituali eruditione per fraternam correctionem præcipuè occupatur.

SECTIO I.

De Beneficentia.

QVÆSTIO VNICA.

Quid sit Beneficentia.

D Bonauent. in 3. dist 29. quæst 6
D.Thom. quæst 31.

Beneficentia est executio quædam actus interni, & eliciti Charitatis erga alterum. 34

Hanc esse proprium Charitatis actum docent Theologi.

Probatvr à D.Thom. *art.* 1. *&* 4. & D. Bonauent. hîc; Nam actus externus, per quem interior actus alicuius virtutis est efficax, & ad executionem perducitur, ad eandem virtutem pertinet, ad quam actus internus, quatenus vterque actus respicit eandem rationem obiecti. Confirmatur à Valentia cum D.Bonauent. ex illo prima Ioan.3. *Non diligamus lingua, sed opere, & veritate*, vbi satis indicat, ipsum benefacere, esse diligere efficaciter, ac proinde esse actum Charitatis.

Ex hac doctrina colligit S. Doctor, ita esse omnibus benefaciendum pro loco, & tempore, sicut 35
omnes diligendi, vt docet etiam D. Thom. *art.* 2. & Apostolus Galat.6. *Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.*

Hinc etiam deducit, eodem ordine singulis benefaciendum, quo sunt singuli amandi ex ordine Charitatis; ac proinde coniunctioribus nobis priùs benefaciendum, vt dixi *disp.* 8. *quæst.* 40.

Admonet autem Valentia *disp.* 3. *quæst.* 8. *puncto vnico*, prudentiam in hoc adhibendam.

SECTIO II.

De Eleemosyna.

EXIMIE S. Doctor *in Diæta, tit.* 2. *cap.* 7. Eleemosynam comparat radioso lumini, quod non post, sed ante hominem gradientem debeat portari; non enim post, sed ante mortem facienda est fructuosiùs Eleemosyna, dicente sapiente Eccles. 14. *ante mortem benefac amico tuo.* Qui autem secus facit, similis est à tergo lumen portanti, alias præclaras similitudines ibidem vide.

QVÆSTIO I.

An dare ELEEMOSYNAM *sit actus Charitatis.*

36 ASSERO, esse actum Charitatis.

PROBATVR à S. Bonauent. *in* 4. *dist.* 14. *p.* 2. *dub.* 5. *litt.* & *Lib.* 6. *Compendij Theologiæ, cap.* 31. & D. Thom. *art.* 5. Exteriores actus ad eam virtutem pertinent, ad quam pertinet id, quod est motiuum huiusmodi actus; motiuum autem ad dandum Eleemosynas est misericordiæ, de qua *disp.* 9. *sect.* 3. nam in Græco Eleemosyna à misericordia denominatur; Misericordia autem est effectus Charitatis, vt ostendi loco citato.

37 DEINDE probatur à D. Bonauent. *in Diæta, tit.* 2. in fine, quia hoc motiuum est pro amore Dei, qui eam sibi datam adscribit *Matthæi* 25.

QVÆSTIO II.

Vtrum conuenienter ELEEMOSYNARVM *genera distinguantur.*

D Bonauent. in 4. dist. 15. part. 2. dub. 2. litt.

38 PONVNTVR septem genera Eleemosynarum corporalium hoc versu:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Idest, pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, recolligere hospitem, visitare infirmum, redimere captiuum, & sepelire mortuum.

Septem alia sunt genera spiritualium, quæ hoc versu exprimuntur:

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari tristem, corrigere peccantem, remittere offendenti, supportare onerosos, & graues, & pro omnibus orare.

39 HÆC refert S. Bonauent. *in* 4. *dist.* 15. *part.* 2. *dub.* 2. *litt.* & *de septem Donis, de Dono Pietatis, cap.* 5. & *in Diæta, tit.* 7. *cap.* 4. & *Lib.* 5. *Compendij Theologiæ, cap.* 52. & *ad* 11. *Lucæ* in ea verba: *Quod superest, date Eleemosynam.* D. Thom. hîc, & communiter Theologi.

PROBATVR à SS. Doctoribus ex defectibus proximorum, quibus potest subueniri; quorum aliqui sunt ex parte corporis; aliqui ex parte animæ, quæ quidem necessitates facilè colliguntur, & apud Sanctos Doctores claræ sunt.

SVNT autem spirituales per se potiores, in aliquo 40
tamen casu esse possunt corporales; vnde in necessitate extrema potiùs pascendus est deficiens, quàm alius ignorans docendus, vt docent SS. Doctores, Thom. *art.* 4. & Bonauent. *dist. cit. dub.* 4.

QVÆSTIO III.

Vtrum ELEEMOSYNA *sit in præcepto.*

D. Bonauent. tit. 10. c. 5. in Diæta Salut.
D. Thom art. 9.

ASSERO, præceptam esse Eleemosynam iure Naturali, & Diuino. 41

PROBATVR à D. Thom. hîc, & D. Bonauent. *in Diæta, tit.* 10. *cap.* 5. Id, de quo erit iudicium vltimum, & propter quod Christus distribuet præmia æterna, & pœnas æternas, est præceptum; sed in iudicio, qui Eleemosynam egerint, vocabuntur ad patriam; & qui eam omisere, eiicientur in infernum, vt describitur *Matth.* 25. Ergo.

PROBATVR secundò à D. Thom. hîc, & D. Bonauent. ad ea verba Lucæ 11. *Quod superest, date Eleemosynam,* & *in* 3. *dist.* 29. *quæst.* 6. quia dilectio proximi est in præcepto; ideo necesse est, ea cadere sub præcepto, sine quibus dilectio proximi non conseruatur; ad dilectionem autem proximi pertinet, vt proximo non solùm velimus bonum, sed etiam operemur, iuxta id, prima. Ioan. 3. *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.* Ad hoc autem quod velimus, & operemur bonum alicuius, requiritur, quod eius necessitati subueniamus, quod fit per Eleemosynarum elargitionem; & ideò earum largitio est præcepta. Sed quia præcepta dantur de actibus virtutum, necesse est, quòd hoc modo donum Eleemosynæ cadat sub præcepto, vt est de necessitate virtutis, vt recta ratio requirit; tamen ex parte dantis, vt det superflua, secundùm id *Lucæ* 11. *citatum*, superfluum inquam sibi, & aliis, quorum cura incumbit. Ex parte etiam recipientis requiritur aliqua necessitas: Hinc dixit Paulus 2. Cor. 8. *Non enim vt aliis sit remissio; vobis autem tribulatio,* vt notat S. Doctor *ad* 11. *Lucæ*, quia si tu, vel tui habent necessitatem, non debetis vobis tribulationem inferre, vt alteri subueniatis, excepta illius extrema necessitate, si vestra sit mediocris. Vide D. Bonauent. *locis adductis*, & D. Thom. *art.* 6. Valentiam *p.* 4. Iure etiam naturæ, præceptum constat illo Matth. 7. *Quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* 42

43

Eleemosynæ Encomia vide in D. Bonauent. ibi & *Lib.* 2. *Pharetræ, cap.* 59. quæ accipit Valentia *disp.* 3. *quæst.* 9. *p.* 3.

OBSERVAT autem S. Doctor *locis allegatis, quæst.* 2. 44
sepulturam mortuorum non recenseri, Matth. 25. attamen esse opus misericordiæ recensitum, *Tobiæ* 4. & 12. Vnde D. Ambrosius, Lib. de Tobia, cap. 1. *Si viuentes operire nudos lex præcipit, quantò magis debemus operire defunctorum corpora. Nihil hoc præstantius vindicare à volatilibus, & à bestiis consortem naturæ.*

PROBATVR etiam à S. Bonauent. *locis allegatis*, & S. Thom. *art.* 2. *ad* 1. quia magnus est honor defuncto, sepultura;

sepultura ; & magna pœna, iacêre insepultum ; & non minus, quàm in vita nuditates ostendere. Quæ ratio innuitur à D.August. *lib. de cura pro mortuis, cap.* 7. Valentia *disp.* 3. *quæst.* 9. *p.* 2. Bannes *articulo* 2.

45 PROBATVR tandem de aliis eleemosynis, Prou.21. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur*, & prima Ioan.3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in illo?* Idem asserunt Cyprianus *serm. de eleemosyna*, Ambrosius *lib. de Nabuta, cap.*22. Basil. in id dictum diuitis: *Destruam horrea.* Nazianzenus *de pauperum amore.* Vide Valentiam *puncto* 4. vbi obseruat, Ioannem dicere: *& viderit*; nam si ignorat, excusatur, vt aduertunt etiam communiter Doctores.

46 QVONIAM verò hoc præceptum est affirmatiuum, non obligans ad semper, multæ oriuntur quæstiones, quoad tempus, in quo obligat.

SVPPONAM autem aliqua certa. Primò in extrema necessitate incumbere hoc præceptum subueniendi inopi. Intelligitur autem necessitas extrema, non sola mortis imminentia; sed etiam graue vitæ discrimen 47 imminens, vt notat Valentia cum Medina *de eleemosyna, quæst.*3. Nauar. *in Manual. cap.*24. In hac verò debemus eleemosynas facere, etiam de spectantibus ad decentiam status, quæ non stant in in insibili, sed latitudinem admittunt, vt docet D. Thom. *art.*6. Syluester *verbo eleemosyna, num.*5. & alij cum Tannero *disp.*2. *quæst.*5. *dub.*2. De necessariis ad statum, dandam eleemosynam extremè indigenti docent: Ita D.Bonau. *locis allegatis*, D. Thom. *art.*5. Ioan. Medina *tract. de eleemosyna, quæst.*3. vbi ait, esse communem, & certam Doctorum sententiam.

48 PROBATVR, quia ordine charitatis tenetur magis vitæ proximi, quàm suis facultatibus: Vnde currit illud: *Pasce fame morientem; si non pauisti, occidisti*, quam sententiam adscribunt S.Ambrosio *de offic.* Gratianus *disp.* 86. *can. Pasce.* Et D.Thom. *art.*5. Reliqua vide in Valentia. Nunc quæstiones aliquas controuersas apponam.

QVÆSTIO IV.

An præceptum sit, in communibus necessitatibus largiri pauperibus superflua.

{ D.Thom.quæst.32.art.5.

EXTREMAM necessitatem suprà explicui. Grauis est illa, quæ priuat necessariis ad suum statum. Ordinaria autem est, qui pauperibus est communis.

49 PRIMA opinio negatiua est, quàm sequuntur Gerson *p.*2. *Alphab.* 32. *litt. E.* Alens.4. *p. quæst.*113. *membr.*1. Panormit. *in cap. si verò, extra de Iureiurando.* Turrecrem. *in cap. sicut hi, dist.*47. Antonin.2.*p. tit.*1. *cap.*24. Summa Rosella, & Pisana *verbo Eleemosyna.* Gabriel *in* 4. *dist.*26. *quæst.*1. Propendet Durand.4. *dist.*15. *quæst.*6. Ioan Med. *quæst.* 3. & videtur D. Thomæ *art.* 5. *in fine corporis* Fernandez *in sua Exam. Theol. p.*4. *cap.*20. §.2. Victorellus *in notis ad Nauar. cap.*23. *num.*74. Turrian. 2.2. *disp.*82. *dub.*2. Vasquez *opusc. de eleem. cap.*1. *dub.*3. *num.*21. Malderus 2.2. *quæst.*27.*art.*6.*dub.*4. Petrus Nauar. *lib.*3. *cap.*1. *num.*158. Couar. *lib.*3. *var. cap.*14. quos allegat, & sequitur Diana *Tom.*1. *tract.*15. *resol.*35. & *tom.*5. *tract.*8. *resol.*17. addens Hurtadum *disp.*159. *sect.*4. §.135. Nec abest Granado *Contr.*3. *tract.*11. *disp.*2. *sect.*4. dicens, esse solùm veniale dimittere. Inclinat Bassæus *v. Eleem. num.*5. *in praxi*, & alij.

SECVNDA sententia est, omninò teneri. Ita D. 50
Thom. *hic, art.*7. vbi Caietanus, & Bannes, ac cæteri Thomistæ, Paludan.4. *dist.*15. *quæst.*3. *art.*5. Richard. *quæst.*2. *art.*2. Abul. *in cap.*6. *Matth. quæst.*34. Lyra *in cap.*3. *prima Ioan.* Carthus. *in eundem locum*, Adrian. *in* 4. *de restit.* Nauarr. *in manual. cap.*24. Valentia *disp* 3. *quæst.*9. *p.*4. vbi ait, esse iam receptam in scholis. Becanus 2. 2. *cap.*31. Bellarm. *lib. de Eleemos. cap.*7. Beia *in resolut. casuum*, *p.*2. *casu in Sabb. die* 19. *Octob.* & alij, quos refert, & sequitur Tannerus *disp.*2. *quæst.*5. *dub.*5. *num.*12. Est autem clarè sententia D.Bonau. *locis allegandis in argumentis.*

CASPENSIS medio quodam modo incedens *tract.*17. *disp.*5. *sect.*2. negat quidem vniuersaliter tale præceptum. Addit verò, teneri aliquoties, ita, vt, qui haberet propositum, etiam virtuale, non dandi eleemosynam, nisi in graui necessitate, mortaliter peccaret. Allegat Suarez *disp.*7.*sect.*3. Castrum Palaum: 51
adde Lorcam *disp.*39. *sect* 3. *membr.*3. Tanner. *disp.*5. *quæst.*5. *dub.*2. *num.*12. & alios; sed nolens, in nostram redit sententiam; nam reddit rationem, cur non teneantur vniuersaliter diuites, quia prudenter credunt, pauperum necessitates communes depellendas ab aliis. Lepida ratio quidem. Sic igitur nunquam bona hac fide tenentur, vel semper tenentur; quia non debent hoc credere de aliis diuitibus; vel si hoc vniuersaliter datur pro regula; omnes credent de aliis, & nullus tenebitur succurrere, neque succurret.

ASSERO, teneri diuites in communibus necessitati- 52
bus, è superfluis eleemosynas erogare.

PROBATVR primò à D. Bonau. *ad* 11. *Lucæ*, ad ea verba: *Verumtamen, quod superest, date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis.* Hoc autem de eleemosyna, debita nostræ necessitati, ad pœnitentiam profectò necessarium explicat vt mundemur. Deinde de vera eleemosyna è superfluis. Ex effectibus autem ostendit suam necessitatem. Ratio enim Christi est: *Et ecce omnia munda sunt vobis*, idest, cùm pleni sitis iniquitate, docet mundare vos, vt notant etiam Valentia, & Tannerus.

PRIMO enim per eleemosynam mundatur anima; 53
disponitur enim ad gratiam, prima Timot.4. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Eccles.3. *Eleemosyna enim Patris non erit in obliuione: & sicut in serena glacies, soluentur peccata tua.*

SECVNDO liberat à pœna æterna, Tobiæ 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur, animam ire in tenebras.*

TERTIO defendit à pœna transitoria, Dan.4. *Peccata tua eleemosynis redime.*

QVARTO mitigat fomitis concupiscentiam, Ecclesiast 3. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.*

QVINTO dat de hoste victoriam, Ecclesiastici 29. 54
Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Super Scutum potentis, & super lanceam, aduersus inimicum tuum pugnabit.

SEXTO conseruat gratiam, Eccles.17. *Eleemosyna viri, quasi signaculum cum ipso, gratiam hominis quasi pupillam conseruabit.*

SEPTIMO dat fiduciam perueniendi ad gloriam, Tob.4. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna facientibus eam.* Et subdit, de his disceptari in 55
iudicio, *Matth.*25. nempe quia, qui eleemosynas fecerunt, vocantur ad vitam; & qui omiserunt, eiiciuntur in ignem æternum.

Qvod verò loquatur de communibus necessitatibus, patet; nam vniuersaliter de operibus misericordiæ in omnes egentes fit inquisitio.

De his porrò dat conditiones: Prima est simplicitas cordis, Matth.6. *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Secunda, discretio, Ecclesi.12. *Si benefeceris, scito cui benefeceris.*
56 Tertia, compassio, Isa.58. *Cum effuderis esurienti animam tuam.* Et Iob.30. *Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Quarta, dulcedo in sermone, Ecclesi.18. *Nonne ardorem refrigerabit ros? Sic & verbum, melius quàm datum.* Quinta, hilaritas in facie, Ecclesi. 35. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Sexta, debita quantitas, Tob. 4. *Quomodo potueris; ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, &c.* en loquitur de communibus necessitatibus. Septima, celeritas, Prouerb.3. *Ne dicas amico tuo: vade, & reuertere.*

57 Infert igitur D.Bonau. *ex illo textu* argumento Christi: Cùm vos Pharisæi, pleni sitis immunditia, & iniquitate, doceo vos modum necessarium emundandi vos ipsos, nempe vera pœnitentia, & eleemosyna de superfluis. Sic enim facietis fructus dignos pœnitentiæ.

58 Similis est locus *Lucæ tertio*, vbi interrogatus Ioannes à turbis, Quomodo possent facere fructus dignos pœnitentiæ, de quibus dixerat: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Respondit: *Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui escas habet, similiter faciat.* Cuius sententiæ vim rectè D.Hieronymus *epist. ad Hedibiam, quæst.*1. eam esse interpretatur, vt necessarium sit superflua indigentibus erogare, vt aduertit S.Doct. ad eum Lucæ locum. Igitur (ait S.Doct.) ex quo necesse esse audierant, facere fructus dignos pœnitentiæ, interrogant; & adducit etiam id *Lucæ* 11. suprà allatum. Monet autem perbellè cum Beda, & Gregorio *homil.*20. *in Euangelia*, dari præceptum de duabus tunicis diuidendis, quia altera est superflua; non
59 de diuidendo vnam, si aliam non habeat; Sic enim neuter vestiretur; tametsi opus egregium esset, quale fuit gloriosissimi Martini in porta Ambiani, cum Chlamydem diuisit: En S.Bonau. apertè cum SS.Patribus aduertit, esse præceptum. Idem igitur est præceptum, Lucæ 3. & 11. *Quod superest, date.* Vbi particula, *superest*, non significat id, quod dicimus: *De cætero*, sed quod suppetit, seu superexistit, vt habetur in Græco, & obseruat Valentia cum eodem Beda, & D.Bonau. qui legit: *De eo, quod superest*, seu *superexistente*, ex Græco idiomate, cuius fuit S.Doct. peritissimus, vt norunt, qui eius opera perlegunt. Obseruant autem hic, & *locis allegandis*, præceptum è sola sumi superfluitate.

60 Probatvr tertiò à D.Bonau. *in Diæta, tit.*2. ad finem, ex illo 1. Timot. cap.6. *Diuitibus huius sæculi præcipe facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum.* Aduertit autem S.Doct. hoc esse præceptum, datum diuitibus, non in ordine ad pauperes grauiter egentes, sed præcisè, quatenus illæ opes diuitum, cùm superfluæ cùm sint, debentur Domino in tributum, seu debitum ex iustitia. Et sicut Principes defraudantibus tributa auferunt etiam capitale; ità & Dominus, negantibus eleemosynas, & retinentibus superflua, non solùm aufert gratiam, sed etiam, & sæpe, bona temporalia. Quod grauiter admonendum est; & de hoc interpretatur id Matth.25. *Tollite ab eo talentum, & date ei, qui decem talenta habet*; auaro siquidem tollenda est substantia temporalis, & danda illi, qui miserendo pauperibus, implet mandata Domini, & negotiatur illas diuitias, vt Centuplum recipiat in hac vita, & deindè vitam æternam. Hinc rationem inferam.

Deinde S.Doct. considerat motiua, quibus di- 61
ues elargiri debet eleemosynam. Primum motiuum est, quia eleemosynam sibi factam Christus protestatur *Matth.*25. Ideò omnibus, volentibus regnum æternum, faciendas eleemosynas imponit. Vnde non est magnum, quod diuites volentes à Deo regnum, illud emant frustulo panis; & timere debent, ne audiant: *Ite maledicti*, iuxta id Prouerb.21. *Qui obturat aures suas ad clamorem pauperis, clamabit ipse, & non audietur.* Igitur primum motiuum est: *Quis postulet?* idest, Deus in paupere. Secundum motiuum est: *Quid petatur?* quia Deus in pauperibus petit id, quod suum est: Proinde (ait S.Doct.) dicebat Dauid, Psal.29. *Tua sunt Domine omnia, & quæ de manu tua recipimus, dedimus tibi.*

Tertium motiuum est: *Ad quid petis Deus?* nempe 62
vt ad vsuram reddat: *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Hæc argumentis vtitur S. Doct. mixtis tot Scripturarum ornamentis, etiam ad conciones vtilissimis.

Probatvr tertiò à D.Bonau. *in* 3.*dist.*30.*quæst.*5. illo Prouerb.25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; & si sitierit, potum da illi.* Et Exodi 23. *Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo.* Hæc sanè non est lex cære- 63
monialis, aut iudiciale præceptum, sed Naturalis, & Diuina Lex, ob quam *Matth.*25. in iudicio examinabuntur omnes.

Probatvr quartò à D.Bonau. *ad* 18. *Lucæ* illis verbis: *Facilius est, camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum:* Hoc autem dixit Christus illi, qui volebat suas diuitias aliqua ex parte dare pauperibus, contra quem dicitur, Ecclesi.7. *Noli esse pusillanimis in animo tuo: exorare, & facere eleemosynam ne despicias*, vt obseruat S.Doctor cum Theophylacto.

Immo homines tenaces non saluari, ait, quia, vt 64
dicitur prima Timot.6. *Incidunt in laqueum Diaboli, & desideria, quæ mergunt homines.* Vbi aduerte, hæc non dici in diuites, qui nolunt omnia dimittere, & paupertatem vouere; hoc enim est consilium, quod illi Iuueni dedit Christus; sed videns eum auarum, renitentem ad quamcumque eleemosynam è superfluis, dixit: *Quam difficile est, &c. Facilius est, &c.* vt suprà ad 18. Lucæ.

Probatvr quintò à S.Doct. ex *illo Lucæ* 16. vbi diues ille: *Sepultus est in inferno*, nimirum propter immisericordiam in Lazarum.

Probatvr sextò à S.Doct. ex *illo Lucæ* 12. vbi 65
diues ille, cui ager fructus vberes reddiderat, dicebat: *Destruam horrea mea, & faciam maiora: & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea*, sed nocte audiit: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te; quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est* (inquit Christus) *qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues*, vbi admonet id, quod docuerat *Matth.*6. vbi eleemosyna iniuncta, & modo tradito simplici: *Cùm facis eleemosynam noli tuba canere.* Subdit: *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, &c. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Quasi diceret: Omnis, qui 66
thesaurizat in terris, retinens superflua, amittit cælestes thesauros, inops Diuinæ gratiæ. His mediis vtitur etiam Tannerus.

Hinc Basilius in illum locum: *Destruam, &c.* ait: *Cur tu abundas; ille verò mendicas, nisi vt tu bonæ dispensationis merita consequaris; ille verò patientiæ brauiis decoretur. Est panis famelici, quem tu tenes; nudi tunica,*

tunica, quam in conclaui conſeruas; diſcalceati calceus, qui penes te marceſcit; indigentis argentum, quod poſſides inhumatum. Quocirca tot iniurias, quot dare valens es.

67 Simili exclamans habet S.Gregorius Nyſſ. & concludit, oratione de pauperibus amandis: *O pauperum inimici? an neſcitis horum cauſà commemorari in Euangelio exempla horrenda, & terribilia?* Ac ſubdit duo exempla geminorum diuitum ſuprà allata *Lucæ 12. & 16.*

Et D. Ambroſius *lib. de Nabuthe, cap.11.* Eadem habet. Et ſerm.81. *Quis tam iniuſtus, tam auidus, quàm, qui multorum alimenta ſuum non vſum; ſed abundantiam, & delicias facit? Neque enim maius eſt crimen habenti tollere, quàm cùm poſſides, & abundas, indigentibus denegare. Eſurientium panis eſt, quem tu detines.*

68 D.Hieronymus *in regula, cap.6.* & refertur à Gratiano, ait: *Aliena rapere conuincitur, qui vltra neceſſaria ſibi retinere probatur.*

D.August. in Pſal.147. *Cætera, quæ ſuperflua iacent, aliorum ſunt neceſſaria: ſuperflua igitur neceſſaria ſunt pauperum; res alienæ poſſidentur, cum ſuperflua retinentur.* Idem aſſerit *ſerm.119.* vbi concludit: *Quidquid enim Deus nobis, pluſquam opus eſt dederit, non nobis ſpecialiter dedit, ſed per nos aliis erogandum tranſmiſit: quod ſi non dederimus, res alienas inuaſimus.* Similia habet Beda *in cap.11. Lucæ.*

69 Confirmatur à D. Bonauent. *lib.2. Pharetra, cap.49.* ex illo Lucæ 16. Matth.6. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis,* vbi D. Gregorius: *Si cæleſte patrimonium eleemoſynis emitur, pauperes non ſunt audiendi, vt egeni; ſed vt patroni exorandi,* ita homil.40. in Euang. circa finem. Aduertit autem ad eum locum S.Doct. vocari Mammonam iniquitatis, non quia de rapina, & iniquitate acquiſita ſint bona; ſed quia diuitiæ plerumque ad iniquitatem ducunt, vt dicitur Eccleſ.11. *Si diues fueris, non eris immunis à peccato.* Sed intelligitur (ait D.Bonau.) quod dari debeat de diuitiis, quæ iuſto titulo poſſidentur, & tamen iniquitatem pariunt, niſi deſtribuantur ſecundùm illud
70 Eccleſ.10. *Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam.* Hic enim & animam ſuam venalem habet. De his inquam diuitiis debent tibi fieri amici per largitionem eleemoſynarum, quæ manifeſtant pietatis affectum; nam dicitur prima Ioan. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo.* Et Eccleſ.29. *Perde pecuniam propter fidem, & amicum, & ne abſcondas illam ſub lapidem in perditionem.* Et Prouerb.11. *Qui abſcondit frumenta maledicetur in populis.* Hucuſque S.Doctor ad 16. *Lucæ.*

71 Rursus *in Pharetra* idem confirmat, illo *Matth.25.* vbi apponit D.Gregorium homil.40. *Ad tribuendum pigri cur eſtis, quando hoc, quod iacenti in terra porrigitis, ſedenti in cælo datis? Dominus ait: Quidquid feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.*

Hæ ſanè authoritates, non de ſolis grauibus neceſſitatibus loquuntur, ſed de ordinariis, vt conſtat legenti. Neque ſolum præceptum hoc eſt nonnullis vicibus, ſed ex natura ipſa diuitiarum ſuperfluarum ſumitur, & obligat eo ipſo, quod diuitiæ adſint ſuperfluæ.

72 Probatur etiam ratione indicata *argumento* 3. ex D.Bonau. *in Diæta, tit.2.* quæ ſumpta eſt è SS. Patribus, Baſilio, Ambroſio, Auguſt. Nyſſeno, & aliis ſuprà, eaque vtuntur D.Thomas 2.2. *quæſt.66. art.7.* Valentia hìc, & alij. Diuiſio rerum facta iure gentium iuſta fuit, cùm eſſent antea omnia communia. Quod ſi iuſta eſt, oportuit, vt conſtituerit modum humanum viuendi de rebus antea communibus iure naturæ: At quæ eſſet æqua diſtributio, ſi aliqui lauarent in vino ſtolas, in butyro natarent, opibus omnibus redundantes, commodis omnibus affluerent; alij verò nec panem ſatis haberent; neque his pauperibus tenerentur opulentiſſimi neceſſaria ſuppeditare? Sanè hoc eſt Deo pedagium reſeruatum, vt ſi diuites habent redundantia, dent inopibus aliqua ſaltem ad neceſſitatem. Hoc ſanè iniquum eſſet, relinquere maiorem hominum partem in miſeria, cùm iure naturæ eſſent æquè antea domini.

Quod verò illa diſtributio fuerit iuſta, probatur; 73
nam in eam conſenſerunt omnes gentes vnanimes, naturalis rationis dictamine; alioqui Leges iuris gentium eſſent reſcindendæ, quæ tamen vbique plurimi æſtimantur.

Igitur iuris naturæ hoc ſeruauit in illo iure Deus ex natura, vt ſuperflua in pauperes diſtribuantur. Ideò Ambroſius, ſerm.81. *Numquid iniquus eſt Deus, vt nobis non æqualiter diſtribuat vitæ ſubſidia? vt tu quidem eſſes affluens, & abundans, aliis verò deeſſet, & egerent?* En ratio D.Bonau. ſuprà aſſignata.

Obiicies primò cum Diana, & aliis apud eum; Si 74
omnia ſuperflua eſſent danda pauperibus, oporteret damnare omnes diuites, qui habent ſuperflua, & omnes eorum Confeſſarios. Vrget Vaſquez *num.*14. Laïci poſſunt de bonis patrimonialibus ſeruare ad ſtatum ſuum, vel conſanguineorum, augendum; at tunc illud non erit vnquam ſuperfluum. Vnde vix in ſæcularibus, & Regibus ſuperflua inuenies. Hæc ſanè Confeſſariis diuitum plauſibilia ſunt.

Respondet Valentia ex doctrina D.Bonauenturæ 75
ſuprà *in argumentis*, præceptum erogandi eleemoſynas egentibus, non graui, ſed ordinaria neceſſitate oriri, non ex vi neceſſitatis; ſed ex vi ſuperfluitatis, quæ quidem prudenter æſtimanda, vt non cuicumque teneatur erogare egenti, ſed illis, quos proportione prudenti viderit ad ſe pertinere, ſeruatis ſeruandis, ad ſtatum, & ſtatus ipſius conſeruationem; imò, & aliquo cauto augmento, vt ſolent homines timoratæ conſcientiæ. Cauenda tamen eſt auaritia illius diuitis, *Lucæ* 12. qui horrea volebat ampliare, vt mutaret ſtatum, hìc enim modus eſt à Deo reprobatus. Ideò diues ille ſtultus vocatur à Deo. Debent igitur per partes egentibus diſtribuere diuites è ſuperfluis, habita ratione loci, temporis, & aliarum circumſtantiarum. Itaque in noſtra ſententia non damnantur adeò in præceps diuites, aut eorum Confeſſarij; ſed damnantur auaritia, & cupiditas, quam ſiqui foueant Confeſſarij (ait Valentia) cæci erunt, cæcis ducatum præbentes, & ambo in foueam cadent, vt dicitur *Matth.*15.

Obiicies ſecundò. Si tenetur, date ſuperflua, nec 76
ea poteſt retinere: Ergo neque poteſt ea acquirere.

Respondet Valentia, negando ſequelam, quia non eſt peccatum, ſimpliciter habere ſuperflua; ſed ea retinere, non dando pro opportunitate, etiam egentibus; imò aliqua acquirere, vt & ſibi prudenter prouideat, & egentibus valeat largiri: eſſet autem peccatum, ſi ſtatim habita eſſent malæ poſſeſſionis. Nequeunt ſanè acquiri, quæ contra iuſtitiam detinentur; neque ſi eo animo acquirantur, vt mordicè velis ea retinere, negando in opportunitatibus eleemoſynam egentibus; At ea acquirere ſimpliciter, non eſt malum; nam hæc poſſunt licitè retineri, dando pro opportunitatibus etiam pauperibus Eccleſiis ad pios vſus, &c. Vnde nec prohibentur etiam aliqua pro ſuo ſtatu, vt conuiuia, &c.

Ex

77 Ex quibus elicitur, multò magis in graui necessitate teneri eleemosynas erogare è superfluis. Ita tenent Diana *resol.* 14. *tract.* 8. Cretatus Granado *contr.* 3. *tract.* 12. *disp.* 2. *sect.* 4. *num.* 18. Vuigera *quæst.* 46. *art.* 6. *concl.* 3. Laym. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 4. Sanchez *in opusc. tom.* 1. *lib.* 1 *cap.* 5. *disp.* 5. Bannes *quæst.* 32. *art.* 6. Sotus *de Iustitia, lib.* 5. *quæst.* 3. *art.* 4. Aragon. *quæst.* 32. *art.* 5. Salon *quæst.* 32. *art.* 5. Salon *quæst.* 71. *art.* 1. *controu.* 2. *ad* 1. Nauar. *de restit. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 358. Malder. *quæst.* 32. *art.* 6. *dub.* 4. Valentia *disp.* 3. *quæst.* 9. *p.* 4. Hurtad. *disp.* 159. *sect.* 4. §. 82. Azorius *tom.* 2. *lib.* 22. *cap.* 7. *quæsito* 4. Coninch. *disp.* 27. *dub.* 8. *num.* 125. & 130. Turrianus *disp.* 82. *dubio* 1. Vasquez *opusc. de eleemosyna, cap.* 1. Tannerus *disp.* 2. *quæst.* 5. *dub.* 2. *num.* 13. adducens plurimos.

Probatvr, quia charitas præcipit subleuare graue malum proximi. Confirmatur ex omnibus, quæ dicta sunt pro necessitate communi, quæ multò magis hîc vrgent.

78 Ad hanc autem eleemosynam tenentur etiam monasteria redundantia. Ita Sanchez *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 28. *num.* 17. & vterque Rodriquez, Emanuel, & Hieron. hîc *in Compend. qq. regul. quæst.* 59. Ille *in qq. regul tom.* 2. *quæst.* 37. *art.* 1. Sotus *de iustitia lib.* 10. *quæst.* 4. *art.* 4. Reginald. *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 283. Tostatus *ad cap.* 6. *Matthæi, quæst.* 60. qui adducunt id Lucæ 11. *Quod superest, date eleemosynam*, vt citatur *cap. Quia sua*, 12. *quæst.* 1. Hi loquuntur etiam
79 in necessitatibus ordinariis. Sed Diana *Resol.* 33. cum Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 13. limitant de grauibus solis necessitatibus, quibus adde Peirinum de Prælatis *tom.* 2. *quæst.* 1. *cap.* 3. *num.* 37. Ad hæc addo cum D. Bonau. *in* 4. *dist.* 15. *p.* 2. *quæst.* 1. etiam religiosos singulos ex licentia prælati id posse.

Tenentvr etiam omnes habentes dominium, vt filij in bonis castrensibus. Vide Filliuc. *tom.* 2.
80 *tract.* 28. *cap.* 4. *num.* 94. Dianam *loc. cit. resol.* 25. Sic etiam vxores è bonis paraphernalibus, quæ scilicet, cùm nupsit, præter dotem, sibi reseruauit ad proprios vsus, & quæ, constante matrimonio, illi obueniunt in hæreditatem, vel ex donatione. Ita D. Thom. *quæst.* 32. *art.* 8. D. Bonauentura *in* 4.

Similiter tenentur Tutores, & curatores, habentes administrationem, in grauibus necessitatibus.

QVÆSTIO V.

An teneatur quis aliquando facere eleemosynam de necessariis ad statum, extra necessitatem proximi extremam.

81 Prima opinio est negatiua. Ità Caietanus *in tract. de eleemos. & in Summa, verbo Eleemosyna*, Sanchez *tom.* 1. *opusc. lib.* 1. *cap.* 5. *disp.* 5. *num* 44. Martin. Ledesma *in* 2. *p.* 4. *quæst.* 18. *art.* 3. D. Thom. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. *art.* 4 *quæstiunc.* 1. Salon. *quæst.* 31. *art.* 1. Sotus *de iustitia, lib.* 5. *quæst.* 8. *art.* 1. Nauar. *de restit. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 122. Diana citandus. Fulicos. *lib.* 3. *cap.* 10.

Secvnda sententia est, teneri, si tamen potest fieri cum minori incommodo, quàm sit illud, quod subit proximus egens, puta, si proximus excidere debeat è suo statu, vel calamitates incurrere. Ità Palud. 4. *dist.* 15. *quæst.* 3. Adrianus *quodl.* 12. *art.* 2. *concl.* 2. Bannes *quæst.* 31. *art.* 6. *dub.* 4. qui ait, hanc sententiam docuisse aliquos Theologos huius tempesta-
82 tis, Victoriam, Sotum, Canum; & videtur sententia esse D. Thomæ *art.* 5. *ad* 3. Eam etiam tuetur Valentia *disp.* 3. *quæst.* 9. *p.* 4. Tannerus *disp.* 2. *quæst.* 5. *dub.* 2. *num.* 12. Hæc mihi videtur sententia D. Bonau. *ll. cc. quæst. præcedenti*, quam è modernis tuentur Hurtadus *disp.* 159. *sect* 4. §. 92. Syluest. *quæst.* 32. *art.* 6. & alij apud Dianam 4. *p. tract.* 4. *resol.* 225. & *p.* 5. *tract.* 8. *resol.* 13.

Probatvr primò à D. Bonau. 3. *dist.* 29. *quæst.* 6. vbi ostendit, charitatem debere in effectum exire, affert autem id, *prima Ioan.* 3. vbi postquam dixit: *Si quis habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo Charitas Dei manet in illo.* Concludit: 83
Non diligamus lingua, sed opere, & veritate. Id autem fieri infert, si propriam substantiam non negauerit vtcumque proximo suo, in necessitate non extrema constituto: quod si negauerit, infertur, eum Charitatem non habere.

Probatvr secundò, exemplo illo *Matth.* 18. illius, qui noluit remittere debitum illi, qui debebat sibi; & traditus est tortoribus; & tamen iste erat talis, vt neque ipse haberet vnde solueret Domino suo. Ideò egebat his, quæ conseruus debebat.

Probatvr tertiò ex Patribus, qui dum aiunt, è 84
superfluis dandam eleemosynam, per superflua, etiam abundantia, statui conuenientia, videntur intelligere, quæ in necessitate proximis sunt danda, vt obseruat Valentia post D. Bonau. 4. *dist.* 15. *p.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad vltimum*.

Obiicies. Cùm plurimæ sint necessitates inopum, plurimi diuites, non dantes ea, quæ suo statui competunt, damnarentur, qui profectò hanc musicam libenter non audiunt, nec viri sapientes inueniunt, cur eos damnent.

Respondetvr, non esse adeò multas necessitates, 85
de quibus loquimur, ità vt etiam nobis constent, vt multi damnentur; & certè charitas Christiana videtur suo lumine docere, subleuandos alios Christianos, in miserias elapsos, aliquo nostro incommodo, etiam notabili: Neque verum est, quod ait Diana, diuites habere ius ad viuendum in suo statu opiparè, tanto inopum damno, & miseria.

QVÆSTIO VI.

An extremè indigenti debeatur eleemosyna ex iustitia.

Prima opinio est, ex solâ misericordiâ erogari ta- 86
li casu eleemosynam. Ita Lorca 2. 2. *sect.* 3. *disp.* 39. *membr.* 4. *num.* 45. Sancius *in opusc. tomo* 1. *lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 5. *num.* 61. Salon 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 7. *controu.* 2. Bannes 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 6. Mald. 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 6. *dub.* 3. Azor. *tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 9. *quæsito* 3. Turrianus *tom.* 1. *in* 2. 2. *disp.* 82. *dub.* 3. Sotus de Iustitia *lib.* 4. *quæst.* 7. *art.* 2. *ad* 4. & *lib.* 5. *quæst.* 3. *art.* 4. Bellarminus *lib. de eleemos. cap.* 6. Ludouicus de Sancto Iuan *in summa, quæst. de eleemos. art.* 3. *dub.* 3. *diff.* 3. Coninch. *disp.* 27. *dub.* 7. *num.* 104. Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 264. Gordonus *tom.* 2. *lib.* 6. *quæst.* 14. *cap.* 3. §. 2. Molina *Tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 144. Vasquez *opusc. de eleemos. cap.* 1. *num.* 37. Suarez *de Charitate, disp.* 7. *sect.* 6. Villalob. *in summa, tom.* 1. *tract.* 22. *diffic.* 2. *num.* 9. Diana *p.* 5. *tract.* 8. *resol.* 2. Caspens. *disp* 5. *sect.* 2.

Secvnda sententia est, debitum esse ex iustitia in 87
tali casu. Ita D. Bonau. *in* 4. *dist.* 15. *p.* 2. *dub.* 5. D. Thom. *quæst.* 118. *art.* 4. *ad* 2. Caietan. ibi *art.* 3. Aragon. 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 5. Spino *in spec. testament. gloss.* 6. *num.* 8.

Nauar.

Nauar. *de restit. lib.3. cap.1. à num.344.* Alens. *4.p. quæst.113. membr.1.* Sarmiento *de reddit. Ecclesiæ,p.3. cap.1.concl.3.* Ex hac sententia deducit Hurtado 2.2. *disp.159. sect.3. §.31.* omittentem teneri ad restitutionem damni, sicuti, vt si fame pereant, tenetur filiis. Idem vult Tannerus *disp. 2. quæst. 5. dub. 2. num.21.*

Eadem est sententia Sanctorum Patrum, quos recensui *quæst.4.* & referuntur in Gratiano *dist.42.*

Assero cum hac sententia, extremè indigenti deberi Eleemosynam ex iustitia.

88 Probatvr, quia bona omnia, iure naturæ communia, facta sunt propria cum hac conditione, vt dixi *quæst.4.* Quare Hurtadus sic authores conciliat, teneri ex iustitia, quando proximus extremè indiget pecuniâ, veste, & cæteris bonis, quorum diuisio facta est iure gentium, non quando proximus eget nostrâ industriâ, quia ad eam nunquam ille ius habuit.

Respondent aduersarij, non esse adeò strictè capiendum, vt in extrema necessitate dominus rerum diues amittat dominium ob necessitatem alterius; sed solùm quòd ex misericordia obligetur.

At non est necesse, vt amittatur dominium; sed sufficit, vt pro tempore necessitatis possit illis vti, egens.

Ex his aliæ quæstiones soluuntur.

Primo enim deducit Villalobos *Tom.1. tract.22. difficult.2, num.10.* cum Caietano, Sarmiento, & Aragonio, posse extremè egentem ad Iudicem recurrere contra diuites.

89 Secvndo habes, quod si proximus eget non solo vsu, sed re ipsa, non satisfieri mutuando. Ita Villalobos *Tract.2. difficult.2.* Ariag. *quæst.118, art.5.* Bannes *dub.3.* Granado 22, *controu.3. tract.11. disp 7.* Valentia *Tom.3. disp.3. quæst.9. p.4* Turrianus 2.2. *Tom.1. disp.82. dub.6.* Suarez *de Charitate, disp.7. sect.5.* Becanus 2.2. *tom.1. cap.21.* Lorca 2.2 *disp.39. num.54.* Sotus *de Iustitia, lib 4. quæst.7. art.1.* Coninch. *disp.27. dub.9. num.153.* Reginald. *tom 1. lib.4. cap.20. num.260.* Diana *loc. cit. resol.5.* contra Tannerum *num.20.* & alios apud eum. Sic & Fuliens. *lib.3. cap.10.*

90 Tertio colligunt, obligari, ex bonis necessariis ad statum, opitulari extremo indigenti. Ita Suarez *de Charit. disp.7. sect.4.* Turrian. 2.2. *disp.82. dub.4.* Valentia *disp.3. quæst.9. p.4.* Vasquez *de eleemos. cap 1. num.10. & 25.* Filliuc. *tom.2. tract.28. cap.3. num.64.* Gordonus *tom.2. lib.6. quæst.14. cap.4. n.7.* Villalob. *Tom.1. tract.22. diffic.20.* adducens Baonem, Caietanum, Syluestrum. contra Fuliensem *loc. citat.*

Dedvcvnt quartò Diana *resol.8.* Petrus Nauar. *lib.4. cap.4. num.24.* Coninch. *disp.27. dub.10. num.166.* Palao *tom.1. tract.6. disp.2. p.10.* Hurtadus 2.2. *disp.159. sect.3. §.63.* eum, qui furatus est ante extremam necessitatem, & furtum in necessitate extremâ consumpsit, non teneri ad restitutionem; multò minus, si in extrema necessitate furatus est, postea non tenetur, etiamsi possit restituere, vt docent Sotus *de Iustitia, lib.4. quæst.7. art.1.* Aragon. 2.2. *quæst.31. art.6.* Syluest. Angel. Rosella, Tabiena, quos citat, & sequitur Azor. *Tom.2. lib.12. cap.8. quæstio 7.* nec dissentit Diana *resol.9.*

91 Ex quo deduco argumentum ad hominem pro nostra principali assertione; Ideò non tenetur is restituere, quia iusta est consumptio rei alienæ in extrema necessitate, ideò enim in ea necessitate licet auferre res à diuitibus, & hoc fit iustè: Ergo ex iustitia debetur eleemosyna extremè indigenti.

Imo deducunt, quod si creditor sit in extrema necessitate, & debitor habeat patrem & matrem in extrema etiam necessitate, tenetur prius subuenire patri, matri, imò & filiis, & fratribus. Ita Diana *resol.12.* Sylnius 2.2. *quæst.31. art.3.* Hurtad. 2.2. *disp.159. sect.3. §.9.* Lessius *lib.2. cap.16. dub.1. num.14.* Tolet. *lib.5. cap.24.* Castro Palao *tom.1. tract.6. disp.2. pag.11.*

92 Imo dicunt multi apud Dianam *resol.23.* posse inopem, etiam in necessitate graui, non extrema, furari à diuitibus, quando ipsi tenentur dare eleemosynam. Ita Diana, Coninch. *disp.27. dub.10. num.161.* Ioan. Vigera 2.2. *quæst.32. art.6. num.23.* Vasquez *opusc. de eleemos. cap.1. dub.7. num.60.* Hurtad. *disp.159. sect.4. §.92.* iuncto § 19. Angel. *v. furtum, num.37.* Castro Palao *tom.1. tract.6. disp.2. p.10.* Andreas Duallius *in 2.2. D. Thom. tract. de charit. quæst.8. art.3.* Neque dicimus nos, dominos rerum in extrema aliorum necessitate amittere dominium earum, vt nobis imponit Caspensis *num.10.* sed in necessitate extrema, egenum acquirere vsum, quantum necessitas extrema exigit, atque adeò non acquirit simpliciter dominium, sed solum quo ad id, quod secum fert vsus in rebus consumptibilibus.

93 Colliges tandem, Ecclesiasticos magis hoc præcepto teneri, tum ratione status: tum ratione bonorum Ecclesiæ, quæ sunt patrimonium pauperum Ideò ex communi sententia tenentur in eleemosynas, aliaue pia opera, expendere quidquid ex reditibus, beneficij, eo quæ eorum sustentationi superest. Sic enim ea bona à testantibus legata sunt; vt obseruant Petrus à S.Ioseph Fuliensis *lib.3. cap.10. de Charit.* Obsecro vt Sanctum Tridentini Concilij decretum *sess.25. cap.1. de Reform.* aureis characteribus cedro cordis inscribant, & assiduâ meditentur, ac perlegant pietate. Ibi mediocritatem dimetientur; excessus dignoscent, eos mudetabuntur. Legito D. Bernard. *epistol. ad Fulc.*

QVÆSTIO VII.

An Eleemosyna *fieri debeat ex rebus iustè possessis.*

{ D.Bonau. in 4. dist.15 p 3 quæst 2.
D.Thom quæst.31.art.7.

Observat S.Doct. res posse esse, vel manifestè alienas, vel communes, vel proprias; has verò vltimas posse esse acquisitas, vel honestè, vel turpiter.

Assero primò, de rebus alienis non posse fieri eleemosynam.

94 Probatvr à D.Bonau. primò ex iuribus omnibus, quæ præcipiunt, non fieri donationes de rebus alienis, quia, qui non habet dominium rei, non potest illud transferre.

Secvndo ex Scripturis, Prouerb. 30. *Honora Deum de tua substantia.* Eccles.34. *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata. Qui offert sacrificium de substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu Patris sui.* Et infra: *Dona iniquorum non probat Altissimus.* Addit S.Doct. ad 11. Eccles. id: *Mitte panem tuum, &c.* tuum, non alienum (ait S. Doctor.)

Tertio ex D.Gregorio *in Registro, lib.7. epist.110.* id insinuante.

95 Neqve dicant, velle satisfacere pro domino, earum rerum auaro, qui non dat eleemosynas: Nam

ad

ad nos non pertinet adigere quemcumque ad id, ad quod ipse tenetur, vt ait D.August. *homil.7. & 50.* & refertur *in Decretis 14. quæst.5. Can. Fortè.*

Asserito verò intelligitur, quando fit sine consensu, saltem præsumpto Domini: ideò enim potest filius de rebus Patris, vxor de rebus Mariti, seruus de rebus Domini largiri, quia de horum consensu possunt præsumere. Addit tamen Valentia cum D.Bonau. & D.Thom. in casu extremæ necessitatis proximi, posse dari de alieno, quia tunc omnia communia. Ita Tanner. *disp.2. quæst.5. dub.2. num.21.*

96 Assero secundò. Quoad res communes, necessarius est consensus, vel communitatis, vel Prælati, ad quos pertinet, vt habetur *cap. Cum in cunctis, extra de iis, quæ fiunt a maiori parte Capituli.* Et 12. *quæst.1. can. Certum est.* Vt benè aduertunt Medina *Tract. de eleemosyna, quæst.4.* Valentia *disp.3. quæst.9. p.5.* Tannerus *disp.2. quæst.5. dub.2. num.28.*

Assero tertiò. Siquis non habet rerum administrationem, non potest dare in eleemosynam, vt mente capti, & minores, vt notant etiam iam allegati.

Assero quartò. Ea, quæ turpiter acquisita sunt, per aliquod negotium iniustum, vt vsuram, ludum deceptorium, furtum, rapinam, non possunt dari in eleemosynam; sed debent restitui.

97 Probatvr à S.Bonau. *ad 4.* quia horum non habetur dominium ab eo, qui ea possidet. Quoad acquisita ludo alearum, si acquisita sunt ab aliquo, qui non habet administrationem, vt filio, minore, &c. debet restitui. Similiter, si aliquis traxit alios ad ludum illicitum, vt alearum, vel alium, qui pendet ex fortuna magis, quàm ex arte. At verò, si ipse inductus fuerit ab alio, & vicit, non tenetur; attamen dicitur *Malæ fidei possessor* à iuribus, vt referunt Valentia *disp.5. quæst.6. puncto.5.* Nauarr. *Manual. cap.29.* & habetur, *can. Episcopus, dist.35.* & *cap. Clerici 2. Extra de vita, & honest. clericorum,* & *L. solent, ff. de alea lusu. Et Auth. Alearum vsus, C. de Relig. & sumpt.*

98 Addit Tannerus, posse de malè acquisitis, quæ non sunt restituenda in indiuiduo, fieri eleemosynam, salua obligatione restitutionis; sed hæc quis ignorat?

Assero quintò, acquisita turpi modo, qui non est contra iustitiam, vt meretricio, posse dari in eleemosynam. Ita S. Doct. *ad 4.* D.Thom. *art.7.* quos sequuntur alij. Nam res illa est ipsam acquirentis. Vide Tannerum *num.12.*

Addo primò cum D.Bonau. D.Thom. *art.7..* & Valentia, id quod acquiritur per ludum, ad quem alium compulit ex cupiditate lucri, esse illegitimè acquisitum. Probatur, quia sic non est translatum dominium plenâ voluntate.

Addo secundò cum D.Bonau. *ad 4.* D.Thom. Valentia, Tanner, ob scandalum, non offerendum Domino de meretricio, nec acceptandum; vnde dicitur Deuter.23. *Non offeres mercedem postribuli in Domo Domini Dei tui*; id, quod prohibebatur solùm ob scandalum, & ob irreuerentiam.

99 Addit tertiò S.Doct. non esse dandas eleemosynas communiter de eo, quod est necessarium simpliciter victui humano, nisi velimus sequi statum perfectionis, iuxta consilium Euangelij Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.*

Advertit etiam, ad eas eleemosynas non compellendos pœnitentes.

100 Ex his omnibus habes cum D.Bonau. *in fine corporis quæst.* illos omnes, & solos posse facere eleemosynam, qui habent dominium legitimum, & administrationem. Itaque mulier coniugata non potest facere eleemosynas è bonis mariti, sed solùm è suis, vt ait S. August. *epist.199.* Sic de lucratis prouentibus, saltem vigesimam partem dare potest. Ita Bannes *art.8.* Malderus *ibidem* Cenedo, Ledesma, Vega, & alij, quos refert Diana *p.1. tract.1. Miscel. resol.35.* Caspensis *disp.6. sect.3.* Tanner. *num. 24.* De suis autem bonis Paraphernalibus potest largiri. Similiter & filius de bonis Castrensibus, vel quasi castrensibus. Vide Valentiam *p.6.* Dianam *p.5. tract. 8. resol.25.* Azorium *t.2. lib.12. cap.10. quæsito 1.* Hurtadum *2.2. disp.159. sect.6. §.139.* qui addit, posse filium ad vsus honestos aliqua surripere.

Circa accipientes eleemosynas, simulantes pau- 101
pertatem, tenentur ad restitutionem. Ità communiter Doctores apud Dianam *5. p. tract.8. resol.21.* Fabrum *in 4. dist.50. num.120.* qui adducit Scotum, Gabrielem, Alensem, & alios. His adde D.Bonau. *Tract. de paupertate, & in regulam Minorum.* Addit Diana quoad ostiatim mendicantes, eos excusari, quia in paucis habetur ratio non paupertatis, sed misericordiæ. Horum autem restitutionem aliqui dicunt faciendam donanti; alij faciendam pauperibus. Vide Dianam *loc. cit. resol.22.*

Adverte adhuc, sicuti diximus de charitate, & 102
ordine eius intrinseco; ita loquendum de extrinseco, quoad faciendam eleemosynam; vt prius fiat propinquioribus, & sicuti ibi docuit S.Doct. etiam peccatores, vt naturæ socios, amandos; ità etiam ipsis eleemosynam erogandam dico contra Vuiclephum apud Vualdensem *Tom.3. lib.2. doctrinalis fidei antiquæ, cap.81.* esto non peccatori, vt peccator obstinatus est, & hoc sensu intelligitur id Eccles.12. *Da misericordi, & ne suscipias peccatorem,* vt habet etiam S.Thom. *art.9. ad 1.*

Quibus omnibus facienda sit eleemosyna, docet S.Doct. ad 11. Eccles. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas.* Aquæ sunt gentes. *Apoc.17.*, & tribulationes *Psal.68.* Ideo Lucæ 14. *Cùm facis conuiuium, voca pauperes, & debiles, cæcos, & claudos.*

Obiicies primò contra primum assertum id 103
Lucæ 16. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis.*

Respondet S.Doct. id intelligi de eo, quod per accidens iniquè lucratum est, non de iniusto contra iustitiam; hoc enim debet restitui.

Vel dicuntur iniquitates, quia sunt origines iniquitatum, vt exponunt S.Thom. hîc, & S.Bonau. ad eum locum. Vide SS. Doctores, alias expositiones afferentes.

Obiicies secundò. Hebræi obtulerunt pro Sanctuario aurum, & argentum, furata Ægyptiis.

Respondet S.Doct. Deum transtulisse dominium 104
in eos; & iure mercedis, ea fuisse eis debita, alij aduertunt.

Quoad quantitatem eleemosynæ Ecclesiasticorum refert Diana *resol.27.* se omnes authores deuorasse, & latissimam opinionem esse, vt dent quartam partem redditnum, vt ait Bannes, & Tanner. vel medietatem residui congruæ sustentationis.

Et hoc etiam de Papa multi asserunt apud Dianam *resol. 28.* & de Pensionariis multa apud eundem *resol.29.* habentur.

Addvnt plurimi, eos teneri ad restitutionem, ex 105
quibus referuntur decem, ferè omnes classici, à Diana *resol. 31.* Attamen ipse oppositum tenet cum 16. Doctoribus, ferè omnibus modernis. Ratio est, quia habent dominium. Asserit quoque *resol.31.* etiam Regulares, ad Episcopatum assumptos, habere dominium, & refert multos DD. *loc. cit. & 3. p. tract.2. resol.50.* oppositam tamen non reiicit, quæ est plurimorum.

Qvatv

206 Qvatvor genera elemosynarum recenset S.Doct. *ad Psalm.36. & in 4. dist.15. punct.2. dubiis litteralibus.* Correctio, Iniuriarum remissio, sui miseratio, Proprij beneficij collatio. De primo, & vltimo dicitur: *Omni petenti te, tribue,* Lucæ 6. rem, vel salutem animæ per correptionem. De secundo dicitur, Matth 5. *Qui percusserit te in maxillam vnam, prebe illi & alteram.* De tertio dicitur Ecclef.30. *Miserere animæ tuæ, placens Deo.* Et sanè spirituales elemosynas digniores, ait S.Bonauentura *dub.3. litt.* cum D.August. *Enchir.cap.73.*

A seipso autem spiritualem eleemosynam incipiendam, monet S.Doct. *dub.4.* Deinde austeritatem in se magis, quàm erga alios, io corporalibus laudat.

107 Circa quantitatem *dub.6.* eleemosynas largas commendat pro cuiusque statu; attamen admonet è facientibus eleemosynas, tantùm mereri vetulam, quæ dat secundùm suum statum modicum, sicut Regina dans thesauros, vt dicitur *Luca 21.*

Apponit *dub.7.* aliquas conditiones eleemosynæ substantiales; alias accidentales. Inter substantiales primam ait, vt procedat ex charitate, vt sit meritoria, vt dicitur prima *Corinth.13.* Secondam ex parte suscipientis Lucæ 14. *Voca pauperes, &c.* Tertiam ex parte muneris: *Honora Dominum de substantia tua.* Quartam ex parte intentionis, ne fiat, vt hypocritæ solent, nam hi *receperunt mercedem.* Matth.6.

108 Aliæ sunt conditiones eleemosynæ ad benè esse, Eccles.3. *Da iusto, & ne receperis peccatorem,* quod exponit de postponendo peccatore. Vel de hæretico, cui non est danda eleemosyna sine necessitate extremà. Secundò exigitur hilaritas in dando 2. *Cor.9.* Tertiò abundantia, quanta fieri potest, Tob.4. Quartò exigitur velocitas, Prou.3 *Ne dicas: vade, & reuertere* Eccles.4. *Ne protrahas datum angustianti.*

109 Præclara eleemosynæ Symbola vide in S.Bonau. *in Diata, tit.2. cap.7.* vbi eam comparat Lumini, quod præmitti debet ante mortem, vt iter videamus ad vitam æternam. Flumini, quod exit à mari & reuertitur, Eccles.1. Eadem enim reuertitur ad nos. Ideò eam comparat Semini, quod grana multiplicat. Ideo Prouerb.19. *Foeneratur Domino, qui miseretur proximo,* obseruat autem semina pretiosa, vt tritici, non colligi eodem anno, ità etiam eleemosynas, optimè latas, non in hac vita, sed in alia: aliàs verò habere in hâc vita præmium ad modum, quo semina vilia, statim reddunt prouentum, vt millium. Vide alia præclara in S.Doctore. Eleemosynæ acceptæ habet plurimas è SS. PP. authoritates in Pharetra *lib.2.cap.49.* Inacceptæ verò eleemosynæ alias, *cap.50.*



SECTIO III.

De correctione Fraterna.

INter duplicem Misericordiæ speciem, in septemfluos riuos vtrinque deriuatam, vt suprà habes, *quæst.2. sect.2. de eleemon.* Solet annumerari Correctio Fraterna, per quam multa bona præstantur inuitis, quando eorum consulitur vtilitati, non voluntati, vt habet D.August. apud Seraphicum *lib.4. Pharetra, cap.38.* & si fortè vtilitas hæc non sequutura præuideatur, etiam pro bono publico corripiendum proximum suadet D. Gregorius hic apud S.Bonau. *Cum melius sit,* vt ait, *pro multorum saluatione vnus condemnetur, quàm per vnius licentiam multi periclitentur.* Hic tamen de correctione, vt est species quædam spiritualis eleemosynæ, delinquenti exhibita, agendum est.

QVÆSTIO I.

An Correctio Fraterna *sit precepta.*

Tota Sectariorum turma, quia se existimant cæco impetu more iumentorum duci, nullo præditos 110
libero arbitrio ad operandum, omnem fraternam correctionem penitus excludunt, non enim meliorari desiderant, qui in deterius semper ruunt.

Eam tamen esse in præcepto, docent omnes Theologi *in 4. dist.19.* Vbi D.Bonau. *dub.4. litt.* ait: De correctione verò fraterna hoc notandum, quod tunc tenetur homo corripere, quando videt fratrem grauiter peccare, & credit probabiliter, quod debeat prodesse, & non obesse. Hoc tamen cauendum, ne quis 111
formet sibi conscientiam stultam ex modica coniectura. Et *in speculo animæ, cap.3.* ait: Correctio proximi est omnibus in præcepto, cùm tum scitur, vel creditur, quod correctio peccatum impediat. quod aliàs fieret. Et licèt sit omnibus in præcepto; illis tamen præcipuè, quibus incumbit ex officio, vt sunt Domini, Principes, Prælati, & magis in hoc peccare possunt, Quòd autem correctio sit omnibus in præcepto, patet per August. de verbis Domini, serm.16. *Si negligis corripere, peior factus es eo, qui peccauit.* Sic etiam D.Thom. *quæst.33. art.2.* vbi Expositores, & Canonistæ super *cap. Nouit, extra de Iudiciis,* & super *Can. si peccauerit, 2. quæst.1.*

Probatvr à S.Doct. in Bibliis pauperum *cap.36.* 112
pluribus Scripturarum exemplis. Huius regulam, ait, datam Petro, Matth.18. *Si peccauerit in te, &c.* Quo testimonio euidenter habetur præceptum.

Ita asserunt Innocentius III. *in cap. cùm ex iniuncto, extra de hæreticis.* Anacletus 24. *quæst.3. Can. tam Sacerdotis.* Origenes *homil.3. in Leu.* Basil. *in moral. summa 52. cap.2.* Chrysost. *homil.60. in Matth.* Hieronymus *in Psal.140.* August. *serm.16. de verbis Domini.* Gregorius *lib.22. Regist. epistola 31.* quos refert Valentia *disp.3. quæst.10. punct.2.* & alij apud D. Bonau. *lib.4. Pharetra, cap.38.*

Idem probat S.Doct. *ad 17. Lucæ* ex præcepto ibi 113
imposito. Et 2. Timot.4. *Argue, obsecra, increpa, &c.* & Eccles.19. *Corripe amicum, ne fortè non intellexerit.* Eccles.17. *Mandauit illis vnicuique de proximo suo.* Prima Timot.5. *Peccantes argue.*

Probatvr ratione ibi à D. Bonauent. sumpta ex D.Gregorio, quia tenemur diligere proximum, sicut nos ipsos; ergo etiam maximè quoad salutem. Hanc rationem adhibet Valentia, inde colligens, esse præceptum naturæ agnitum ab Aristotele ipso *9.Eth. cap.3.*

Secvndo probatur à D.Bonau. *dist.19. quarti sent. in dubiis litt.* Nam si extat præceptum eleemosynæ corporalis, multò magis spiritualis. Ità etiam Valentia.

Igitvr sic præcipit grauiter Christus, Lucæ 17. 114
Attendite vobis, quasi dicat: Prius te exhibe aptum, vt possis alium corripere, ne tibi dicatur id: *Qui præcipis non furandum, furaris.* Et id Rom.2. *Qui alium doces, teipsum non doces.* Et id Matth.7. *Hypocrita, eiice primùm trabem de oculo tuo; & tunc videbis eiicere festucam*

de oculo fratris tui. Et id Lucæ 4. *Medice cura te-*
115 *ipsum*, vt aduertit *ibi in commentario* S. Doctor. *Si peccauerit* (ait Christus) *in te frater tuus, increpa illum.* Igitur: *Si peccauerit in te*, quod dupliciter exponi solet, vt ait S. Doct. *In te*, idest, *contra te.* Qui sensus patet ex interrogatione Petri: *Quoties peccauerit in me frater meus, & dimittam ei?* Sic exponunt Hieronymus, & Chrysost. *ibi.* Ambrosius *ad* 17. *Lucæ.* Hilar. *can.*18. *in Matth.* & August. *serm.*16. *de verbis Domini*, vbi secundam etiam amplectitur expositionem: *Si peccauerit in te*, idest, coram te: Lyra *ibi*, S.Thom. *quodl.*11. *art.*12. & iuxta hanc expositionem, quæ alteram non excludit, datur præceptum corripiendi proximum, quomodocumque pecantem, siue contra nos, siue contra Deum.
116 Id, quod supponunt omnes Doctores, præsertim D.August. *loc. cit.* concludens, non solùm quando in nos peccatur, sed quando peccatur ab aliquo, nescientibus aliis, in secreto debemus eum corripere.

Hoc autem præceptum est, quando proximus peccauit mortaliter. Ideò Christus ait: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Vnde S. August. *in serm. citato* infert: *Si lucratus es fratrem tuum, ergò perierat.*

QVÆSTIO II.

An ordo correptionis fraternæ etiam in Religionibus, sit præceptus, vt priùs correptio fiat secreta.

117 QVÆRIMVS hîc: An datis conditionibus, suprà à D. Bonau. assignatis, vt proximus grauiter deliquerit, deinde correptione fraterna probabiliter emendandus sit, corrigi debeat prius, quàm eius peccatum deferatur Prælato, etiam tanquam Patri; non Iudici. Loquor autem de peccato secreto, non in publicam perniciem, vt sunt hæresis, rebellio, &c.

PRIMA opinio est; Si spes sit, Prælatum magis profuturum, non teneri ad correptionem secretam; ità tamen, vt Prælatus sit prudens, discretus; non violentus, non inimicus religioso, qui peccauit. Citantur à Caspensi *Tract.*17. *disp.*6. *sect.*3. D. Thomas *quodl.*11. *art. vltimo*, Syluest. *v. Correctio*, Gabr. *lect.*74. *in Can.* Antonin. 2. *p. tit.*9. *cap.*6. Ri-
118 chard. 4. *dist.*19. Iulius Calous *in Synaxi cura animarum*, Angelus Clauasius *in summa*, *v. Denunciatio*, *num.*10. qui asserit, esse sententiam D.August. & omnium Doctorum ordinis Seraphici. Gerson 2.*p. Alph.*24.*litt. T.* Turrecremata *in cap. si peccauerit* 2. *quæst.* 1. Nicolaus Orbellius 4. *dist.*19. *quæst.*1. Iacob. Graffiis *lib.* x. *cap.*69. qui plures alios allegant, & omnes Theologos Societatis Iesu.

ADDIT D.Bonauenturam *in cap* 19. *Lucæ*, & Capitule Generale Barcinonensi, & Constitutionem Patrum Prædicatorum, *cap.*18. *lect.*6. Quam constitutionem antiquissimam ait; nam Smaragdus Abbas *in Regulam S. Benedicti*, hanc Constitutionem refert *cap.*24. & alia addit *cap.*32. Hanc porrò communem inter Doctores clamat; & omnino tenendam; sed videbimus mox oppositum.

119 ALIOS Doctores refert pro hac sententia P.Antoninus Diana *p.*2. *Tract.*2. *resol.* 37. hi sunt Turrianus *Tom.*1. *in* 22. *dist.*89. *dub.*4. vbi citat D.Bonauenturam, Angelum, Rosellam, & Armillam. Addit Bictus *de denunc.* ausus *quæst.* 16. referre etiam D.Thomam, & D. Bonauenturam, quasi verè citatos.

MONENT tamen ferè omnes, hanc sententiam veram, dummodo superior sit prudens, discretus, non violentus, vel religioso infensus, vt suprà monui alioqui ad secundam sententiam euolant.

OPPOSITA sententia videtur D.Bonau. *ad* 17. *Lu-* 120
cæ, quo loco vtuntur aduersarij ad ea verba: *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum* vbi ait: Et nota, quod in hac increpatione seruari debet ordo, qui exprimitur ibi: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. Et postea subdit, quod adhibendi sunt testes; deinde, dicendum est Ecclesiæ.* Hunc tamen ordinem quoad testes, ait esse congruitatis, non necessitatis, & maximè si percipiatur, quod proximus incorrigibilis sit. Vbi causam affert, ob quam prius possit dici prælato; addit rationem ex Prouerb.9. *Noli arguere derisorem, ne oderit te*, & addit ex D. Hieronymo: *Frustra niti, & nihil aliud laborando quam odium quærere, extrema dementia est*; alioqui verò esse præceptum assentit *in speculo animæ, cap* 3. vide dicta tomo superiori *de conscient. disp.*17. *quæst.*10. *ad propositionem* 3.

Ex hoc verò supposito colligit, posse dici Prælato 121
culpam proximi absque præuia correptione fraterna, intelligens, quando fructus non speratur è correptione. Eandem sententiam apertè indicat *aliis locis* suprà *quæst.*2. *allegatis*, & *in speculo animæ, cap.*1. expressè ordinem correptionis fraternæ sub mortali asserit ex plerisque, quibus subscribit. Vide post medium capitis. Idem grauiter asserit absolutè ad ea verba Eccles.10. *Si mordeat serpens, &c.* vbi ordinem ipsum asserit, esse præceptum Diuinum. Idem infert *in speculo animæ, cap.*3.

EIVSDEM sententiæ omnino est D.Thom. *in vlti-* 122
mo suo testamento 2.2. *quæst.*33. *art.*7. vbi expressè docet, hunc ordinem esse sub præcepto, nec prælatum posse illum inuertere, etiam si perciperet in virtute obedientiæ, non esseque ei obediendum, imò & præcipientem, & eum, qui obedit, peccare contra diuinum præceptum. Idem docet *art.*8. *ad* 4. Rodriquez *de ordine iudiciario, tit.*4. *cap.*19. vbi alios refert Thomas à Iesu *lib. de iust. tract.*1. *cap.*9. *num.*1. & 6. Lorca 2.2. *sect.*3. *disp.*47. Ioan. de Cruz *in directorio conscientiæ, p.*1. *præc.*5. *art.*2. *dub.*5. *conclusione* 1. Miranda *de ordine iudic. com.*1. *quæst.*11. *art.*4. quibus subscribit Diana *tom.*1. *parte* 2. *tract.*2. *resol.*37. Bannes 2. 2. *quæst.*33. *art.*8. *dub.*2. Nauar. *in Manual. Lat. cap.*8. *num.*14. Petrus Nauar. *lib.*2. *cap.*4. *dub.*12. *num.*131. Sotus *relect. de tegendo secreto, membr.*2. *quæst.*4. *concl.*3. *dist.*3.

E Societate Valentia *disp.*3. *quæst.*10. *punct.*5. Tan- 123
ner. 2.2. *disp.*2. *quæst.*5. *num.*106. qui citat Adrianum, Syluest. Sotum, Bannes, Nauarrum, Valentiam, Vmbertum, Hugonem, Victorinum, & D. Thomam. Becanus 2.2. *cap.*21. *dub.*4. Sayrus *in Claui Regia, lib.*11. *cap.*4. Fagundez *in octauum præceptum Decal. cap.*8. *num.*7. vbi *num.*8. carpit quasi audaces, Richardum, & alios primæ sententiæ, oppositum dicentes. Et *num.*9. dicit, eam opinionem nullo modo esse probabilem stando in iure communi. Admittit tamen *num.*13. cum aliis Patribus suæ Societatis, posse aliquam Religionem peculiari statuto aliter determinare, si tamen iure suo velint religiosi renunciare, sicuti fit in Societate Iesu; cuius constitutionem absque præiudicio huius secundæ sententiæ defendunt, Suarez *tract. de fide, disp.*8. *sect.*6. Coninch. *de act. supern. disp.*28. *dub.*12. *num.*121. Layman *in Theol. moral. lib* 3. *sect.*5. *tract.*3. *punct.*2. *cap.*4. *num.*5.
Valentia *loc. cit.* Cantarellius super Decal. *lib.*2. *cap.*69. 124
num 111. Rodriquez *in exercitiis spiritualibus, Tom.*3. *tract.*8. *cap.*6. vbi tamen malè allegat Seraphicum, quem falsò etiam allegant Suarez, & Tannerus *super*

Regulam

Regulam nostram. Sancius *in select. disp.* 46. *num.*28, Sanchez *summa*, *t.*2. *lib* 6. *cap.*18. *num.*50. Ribadineira *de Iust. soc.-cap.*34. Becanus 2.2.*cap.*21. *dub.*5. *num.*33. & alij apud Dianam *loco adducto*, Bouerium *in direct. p.*2. *cap.*14. Bictum, *de denunc. quæst.*15. *&* 16. Eandem sententiam tenent Octauianus spatarius *in Practica, de modo corrigendi Regulares, tract.*5. *cap.*1. *num.*4. & *cap.*3. *num.*4. Petrus à S Ioseph *lib.*3. *cap.*10. Bailæus *v. Correptio*, *num.*11. & noster Ordo *in Const.*

Asserendvm cum hac sententia, in correctione fraterna seruandum, ex præcepto, ordinem Euangelij.

125 Probatvr à D.Bonau. *ad locum Lucæ*, quia correctio fraterna præcepta est à Charitate ad medelam salutarem proximi; sed suauiùs, quàm potest, ex amore: At amor magis operatur cum minori, quàm potest, damno proximi: Ergo.

Vnde non rectè Caspensis *loc. cit.* & P. Matthias Bellintanus, conantur ostendere, religiosum melius mederi fratris saluti, deferendo ad Superiores, vt manu forti remedium præbeant. Sanè medicina docet, non esse adhibendum ferrum, quando lenitiua iuuare valent, vt aduertit Fagundez *num.*7.

126 Probatvr secundò quia *Matth.*18. *&* *Lucæ* 17. fatentur Patres allati *quæst.*1. esse præceptum, latum à Christo, profectò etiam quoad ordinem. Id confirmatur ex Glossa *ibi*, & D. August. *in Catena aurea D.Thomæ*, vbi ait: *Non corripientem modo dicto, esse proditorem.* Idem habet D. Chrysost. *ibi*, afferens exemplum medici suprà allatum, & *homil.* 60. *in Matth.* idem docet. Et D. Hilarius ad hunc locum ait: *Eum ordinem continenda Charitatis nobis Dominus imposuit.* Ità & D.Hieronymus ad hunc locum: *Corripiendus est frater seorsim, ne si semel pudorem, ac verecundiam amiserit, remaneat in peccato. Sin autem audire noluerit, adhibeatur frater.* Sic etiam D.August.
127 homil.2. ad hunc locum: *Denique ex his verbis attende, cuius amore id facere debeas. Ergo propter illum fac, vt lucreris.* Et conferens illud Apostoli 1. ad Timot.5. *Peccantes coram omnibus argue*, ait: *Dico ergo, ista præcepta fratres sic audiamus, & inter vtraque præcepta parati constituamur, verum est vtrumque, aliquando corripiendum esse fratrem inter te, & ipsum solum: Audi, si peccauerit in te, quia secretum fuit, quando in te peccauit, secretum quære.* Hinc habes, malè ab Angelo adduci pro prima sententia D. Augustinum.

Idem habet Eusebius Emiss. & alij *in Bibliot. homil. feria tertia post Dominicam tertiam Quadragesimæ*, & alij Patres, adducti à Lezea *disp.*47.

128 Probatvr tertiò. Religiosi non modò non eximuntur ab obseruantia præceptorum Euangelij, maximè Fratres Minores, quorum Regula incipit: *Vita, & regula fratrum minorum, hæc est, Sanctum Domini nostri Iesu Christi Euangelium obseruare; sed ei magis obligantur.* Hoc autem esse præceptum asserit S.Bonau. *locis adductis, quæst. prima.* Vnde malè à Sanchez, & Caspensi adducitur pro opposita sententia. Confirmatur; nam & Constitutiones nostræ, quæ protestantur obseruantiam secundùm regulam, iniungunt *capite* 3. hanc ordinationem correctionis fraternæ seruandam, vt primò corripiatur frater, & non secuta emendatione, dicat alteruter peccatum alterius. Miror, adduci Capitulum Barcinonæ in contrarium, quod solùm id decernit, *quando sunt socij criminum*, vnde neuter inemendatus potest alterius peccata corripere, ne ei dicatur: *Ait Latro ad latronem.* De fratribus verò extrà, scandalosè delinquentibus, præcipit, & solùm damnat in fine, negantes teneri vnquam fratrem peccata fratris dicere Prælato. Idem damnauit Iulius II. Vnde Capitulum illud non est ad propositum nostrum.

Probatvr quartò: nam Nullus est Dominus famæ alterius. Ideò non potest illicò ad Prælatum deferre, quo famam turpiter conspurcet, & verecundiam primò excitatam in subdito eliminet; dum enim Religiosus coram Prælatis defertur, peius ei damnum infertur, quàm si aliis multis dicatur. Ideò P. Marinus Rex de Caluasesin, Brixiensis, qui 30. fere annos definitoris, Vicarij Prouincialis, & Visitatoris, Apostolici munere fungebatur in Missiones Rhetorum, Vir summæ integritatis, ac sanctitate, Zelo, & Charitate præfulgens, dicere solebat: *Mallem peccatum meum graue* (si me Deus permitteret labi) *potius sciri ab omnibus fratribus, quàm in Definitorio, vbi Patres me disponunt, atque ad libitum gubernant.* 129
O vtinam agnoscerent auream hanc nostram sententiam Prælati omnes! Plurimi enim, semel ad superiores delati, animo ita concedunt, vt in reprobum ruant. Quòd si essemus Domini famæ proximi, neque perderetur dilatione secreta ad Prælatum, tanquam Patrem: cur Patres Societatis Iesu id premerent; vt Nouitij de illo suo more instruantur, & si velint profiteri, iuri famæ quoad hoc abrenuncient? Cur tot Patres Societatis eruditissimi adeò insudarunt, vt suam illam constitutionem tueantur? Profectò adhuc Lorca 2. 2 *quæst.*33. *art.*8. *sect.*3. *disp.*47. *num.*12. Ledesma *in summa Tom.*2. *tract.*4. *cap.*4. *concl.*24. & Cosmas Philiarcus *de officio Sacerdotis*, *tom.*1. *puncto* 2. *lib.*4. *cap.*14. etsi Iesuitæ, contra tale statutum clamant, quorum sententiam, vt probabiliorem, secuta est nouissimè Academia Salmaticensis, teste Hieronymo Rodriquez *in Compend. regularium quæstionum*, *resol.*36. *num.*13. Est autem Academia illa Patrum Prædicatorum. 130

Probatvr quintò. Ab eo, quod aut semper, 131
aut vt plurimum euenit, metienda est natura rerum; plerumque autem delatio ad prælatum exercitat odia, verecundiam excitat, & illam posteà eliminat; ad deteriora prostituit, vt docent SS. PP. suprà relati: Vide Dian. Videtur D.Bonau. ad illud *Lucæ* 17. aliquantulum inclinare; sed quia volebat, Prælatos omnes, sicut & ipse, qui eximia ferebatur lenitate, Charitate, & benignitate etiam in Apostatas, ne dum lapsos intra parietum secreta, vt omnes mirificè in eum confiderent, vt habetur in eius vita in Breuisrio, & in primo Tomo operum. Nullus legitur abiisse absque consolatione, nullus absque refrigerio. Omnes, etiam olim lapsos, sinu benigno
complectebatur. Talis fuit etiam S.P. Franciscus, qui 132
illi erat in lenitatis & Charitatis exemplar, de quo legitur, voluisse Prælatos adeò esse mites, vt si centies peccator resipisceret, semper, vt primò, benignissimè, facie hilari reciperetur. Et si misericordiam nollet subditus; volebat tamen S.Pater humanissimus, etiam erga animalcula, Hirundines, Lepores, &c. vt summam erga lapsos Charitatem præferrent Prælati, diceretque solebat, eum Prælatum, qui vult lapsum eleuare, debere se inclinare ad terram, sicut Christus inclinauit se, quando adulteram ad se pertractam vidit, quam noluit, iuxta legem, lapidandam tradere, sed ait: *Nemo te condemnauit: Nec ego te condemnabo. Vade & iam ampliùs noli peccare.* Inclinauit se, scribens in marmore peccata Prælatorum illius Synagogæ, qui supercilio
eleuato condemnationi mulieris inhiabant. Debent 133
itaque Prælati recordari, vt aiebat S.P. Franciscus multò peiores futuros fuisse nos omnes, si Deus desereret, neque meritis nostris id non fieri. Hæc iniungunt

etiam nostræ Constitotiones in *eo capite*. Itaque constitutio illa Barcinonæ, inter Constitutiones Farinerij *cap.7.* vel non facit ad rem, vel abolita est. Sed dic, non esse ad rem, quia solùm damnat nolentes vnquam prælato deferri peccata proximi complicis, etiam publica, & perniciosa Religionis corpori; quod idem damnauit Iulius II. in Constitutionibus Franciscanæ familiæ, vt refert Fagundez *num.* 20. & vt suprà monui.

134 Date nobis perpetuò Prælatos SS. Franciscos, Bonauenturas, ac alios secundum hęc Charitatis exemplaria. At in hoc itinere trito non possum gressus figere, nec sententiam oppositam vniuersaliter sustinere: Non tamen renuo aliud in, quo eruditè loquitur Bouërius noster, aliquos esse religiosos reprobos, qui correctionibus abutuntur, vt secretò delinquant. Hos verò deferendos reor Prælato, non modò vt Patri; sed etiam vt Iudici. Verùm hos enormia non horrentes, facile ab aliis discernes, qui ex aliquo passionis impetu, aut fragilitate delinquunt.

135 Ex his attritæ sunt responsiones Caspensis, dicentis, præponderare debere bonum animæ, bono famæ. Iam enim vidimus, bonum animæ famâ bonâ facilius promoueri. Et quidem scio, aliquos in præceps corruisse ob famam amissam. Deinde fama est iuris naturæ, necessariò sustinenda, *nec sunt facienda mala, vt eueniant bona*, sicuti ait Apostolus.

Altera etiam responsio contrita est, modicam esse infamiam ex noticia Prælati.

Imo maximam ostendi, quæ perpetuò est obfutura in regimine, dispensationibus officiorum, & cæteris Religionis bonis; imò religionis peritissimi maiorem hinc famæ iacturam æstimant, quàm ex notitia aliorum fratrum. Satis etiam ostendi, constitutionem Farinerij nihil eum iuuare, vbi doctrinam illam, pluribus infensam, declarat ex mente D. Bonauent.

Sane D. Bonan. profitetur Euangelium, & hoc Domini præceptum *ll. cc.* confessus est; Et ad minimum in illo loco *Lucæ*, admittit admonitionem: Ergone pestifera Christi præcepta? Heus P. Caspensis, Euangelij professor!

136 Qvod verò spectat ad Constitutiones Patrum Prædicatorum *loc. cit.* nihil moueor; nam loquuntur de peccato scandaloso. Deinde Patres Theologi Salmaticenses, & alij Prædicatores nobiscum sunt. Deinde Regula fratrum minorum hæc est, Sanctum Domini Euangelium obseruare, *cap.1.*

Qvoad regulam S. Benedicti, apertè loquitur de eo, qui apostasiam molitur, & de scandalosis. Vnde non est ad rem. Addo Constitutiones nostras, *cap.3.* correctionis ordinem imponere.

Addvcit etiam Innocentium III. 39. *cap. Qualiter, & quando*, 2. *de accusat.* Sed is loquitur de delicto, ità iam noto Prælatis, vt possint procedere. Vbi solummodò magis landat sine processuum telis prouidere, si potest fieri, remouendo ab officio, in quo frater peccat. Neque loquitur de ordine Euangelico. Imò Innocentius ipse *cap. cum ex iniuncto*, ait: *Aliud est, fratrem in se peccantem occultè corripere, quod quisque tenetur efficere, iuxta regulam Euangelicam.*

137 Hoc tamen admoneo cum Caietano, oculatè incedendum, dum Religiosum lethaliter peccantem videmus; & præsumendum difficilè huiusmodi reduci ad pœnitentiam. Vide ipsum *opusc. primo, resp.5. ad vltimum dubium*, & Durandum *in 4. dist.19.* & D. Chrysost. *homil.40. in Matthæum.*

Oportet igitur, vt monitor induat viscera Charitatis, & cor Zelo armet, & neque Prælatorum faueat curiositati, nec subditorum licentiæ indulgeat; nam fraterna correctio est filia misericordiæ, nepos Charitatis, vt omnes Doctores, etiam primæ sententiæ, fatentur, apud Sanchez *num.46.* qui addit *n.47.* non esse Prælato deferendum, si dubium sit, an Prælatus aptior sit ad salutem peccatoris.

Crimina verò, rumosa communitati, hære- 138
sis præcipuè, absque correctione sunt deferenda, vt nouissime dicitur in Constitutione Sanctæ Inquisitionis Alexandri VII. Inter peccata verò publicè damnosa refert Caspensis fornicationem, & refert sexdecim Doctores. Addit verò, lapsos ex fragilitate commiserandos, & pallio potiùs Charitatis tegendos.

Ex dictis habes, mortale esse hoc præceptum transgredi, vel odium inuertere. Quo fit, vt non possit dici Prælato, antequam adhibiti sint testes, vel saltem vnus. Ita Hugo de S. Vict. qui fuit alter August. vt ait Trithem. & refert eundem August. Idem asserunt Albert. Nauar. Valentia, qui id probat ex D. Basilio *quæst.46.* & D. August. *regula tertia.*

Probatvr etiam, quia Christus suauem mo- 139
dum Charitatis, hoc correctionis ordine, præscribit: Certum autem supponit, maius detrimentum esse famæ, si Prælato deferatur, quàm si duo subditi tantùm norint.

Tandem admoneo, Christum dedisse hoc præceptum Apostolis religiosis; Vnde miror, dicentes, bonum religionis aliud requirere, quasi non instituerit Christus optimam religionis normam.

Addvnt multi apud Dianam *resol.38.* pecca- 140
tum esse veniale, venialiter peccantem non corrigere: sed hoc displicet; neque placet Azorio *punct.2. lib.12. cap.14. quæsit.4.* Angelo, vel Syluestro, & aliis *ibi.* Excipiuntur Prælati, qui debent etiam venialia corrigere. Ipsum vide. Imò addit Fuliens. Prælatum lethali culpatum iri, si omittat corrigere venialia, grauiter noxia, puta silentium; & similia, quæ in religionis detrimentum non modicum vergunt.



DISPVTATIO XI.

De Odio.



Odivm, si inter passiones numeretur, harum indifferentiam obtinet, ita vt modò malum, modò bonum, iuxta obiecti dispositionem nominetur; vnde aliquando est virtutis, aliquando vitij; Hîc verò sumitur pro praua animi affectione, Charitati è diametro opposita, vt infrà videre licet.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Quodnam sit obiectum ODII, *& quid ipsum sit.*

< D.Thom.quæst.34.

ODIVM respicit totum, quidquid apprehen-
141 sum est, vt malum, & molestum. Hinc patet, posse odio haberi, non modo proximum; sed etiam Deum, si apprehendatur vt molestus; sic enim eum odio habent damnati, & oderunt in hac vita. Ita *Ioan.15.* ait Christus. *Oderunt me, & Patrem meum. Sed vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.* Psalm.34. & 138. Vbi obseruat arguté S.Doct. *ad 15. Ioan.* ex D. August. *tract.81.* & Glossa; Deum dici odio haberi gratis, quia nullam causam habemus odiendi Deum, nullumque inde commodum ferimus. Diuiditur in odium affectua, & effectiuu. Vide D.Bonauent. *in 3. dist. 30. quæst.4.* & *ad Psalm.30.* vbi veré diuidit odium. Definitur à D. Bonauent. in opusc. declaratorio terminorum Theologiæ: *Odium*
142 *est voluntas, affectans proximo malum, vt careat bono, quod ipsum odientem contristat.* Vbi definit solum odium in proximum. Nyssenus vero *homil. 8. in Eccles.* sic definit: *Est alienatio, & auersio appetitus, seu voluntatis ab eo, quod est iniucundum, aut molestiâ afficit*, siue, vt ait D.Thom. prima 2. quæst.29. art.1. *ab eo, quod æstimatur vt noxium, & malum.*

Ex his definitionibus habes duplex odium, Abo-
143 minationis, & Inimicitiæ. Illud est, quo aliquem; vt indignum nostrâ amicitiâ abominamur; hoc verò est, quo volumus proximo malum præcisè, vt illi malè sit, vt notat Tannerus *disput. 2. quæst.6. dub. cit.*

QVÆSTIO II.

Quod, & quale peccatum sit odium.

NVLLI dubium est, odium esse peccatum contra
144 Charitatem, vt latè ostendit S. Doct. *ad 15. Ioannis.* Ideò odientes Deum, increpat ibi: *Oderunt me, & Patrem meum.* Odientes verò proximum: *Quia verò de mundo non estis, propterea odit vos mundus.* Leuit.19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.* Prima Ioan. 3. *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Ideò reprehenduntur odientes proximum, *Amos 5. Prouerb. 9.* vt refert S. Bonauent. *ibi ad 15. Ioan.* Vnde D. August. tract.5. in primam Ioan. *Non mouit manum ad occidendum hominem, & iam homicida tenetur à Domino. Viuet ille; & iste iam inter-*
145 *fector indicatur.* Dixi autem odium, cuius obiectum materiale sit Deus, vel homo, esse peccatum; nam si odium feratur in peccatorem, vt talem, non est malum, vt notat D.Bonauent. *ad 15. Ioan.* quod probat illo Psalm. 138. *Perfecto odio oderam illos,* vbi D. Gregorius in Pastorali, p.3. cap.1. admon.23. *Perfectum odium, quo oditur vitium, & diligitur natura.*

Vel, si chari etiam nostri obstent diuino obsequio, odiendi sunt, Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem, & Matrem*, vt obseruat S.Bonauent. ad
146 eum locum. Grauissimum autem, & monstruosum est, odium in Deum, qui est Lux, Veritas, & Summum bonum, vt latè edisserit S.Doct. *ad 15. Ioan.* ruminans ea verba: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem, & viderunt, & oderunt me, & patrem meum.*

ASSERO primò, odium Dei esse grauissimum peccatum.

PROBATVR à D. Bonau. *loc. cit.* primo ratione 147
D.August. *tract.92. in Ioan.* & Chrysost. *homil.72. in Ioan.* sumpta ex illo Ioan.15. citato: *Odio habuerunt me gratis.* Nam vbi est summum bonum, extra quod non est aliquod bonum, & in quo non est inuenire aliquid mali, esset necessariò quoad specificationem amandum; & monstruosissimum est odisse. Confirmatur ex Aristotele 8. Eth. cap.10. *Illud est pessimum, quod optimo est contrarium.* Sed odium Dei est contrarium Charitati, quæ est summa virtus, quippe quæ fertur in Bonum summum, vt Summum bonum est: Ergo.

PROBATVR secundò à D.Bonau. *in Incendio amoris, & Stimulo amoris*, quia, sicuti est maximum debitum diligendi Summam bonitatem, à qua nobis, Esse, Vita, & omnia bona proueniunt; ità est maxima abominatio, & iniquitas, ferri odio in eam bonitatem, eiusque destructionem velle.

PROBATVR tertiò à D.Bonau. *locis adductis*, & 148
alibi passim, ratione, qua vtitur etiam D.Thom. *art.2.* quia sicuti charitas optima est, quia tota toti adhæret Deo, vt Deus est; ita odium eius pessimum, quia auertit à Deo totum, & omnibus modis. His, & similibus argumentis repleta sunt omnia Seraphici opera.

ADVERTIT tamen S.Bonau. homines viatores ordinariè non odisse Deum explicitè, sed solum implicitè, quatenus ab eo auertuntur, vt ad bonum commutabile conuertantur; & ideo virtualiter omnia peccata odium Dei continent, vt notat etiam Valentia *disp.3. quæst.11. puncto 1.*

ASSERO secundò, Odisse proximum est grauissimum peccatum.

PROBATVR à S.Doct. *ad cap.15. Ioan.* & *collat.70.* 149
homicidæ enim vocantur odientes proximum, vt dixi. Ibi affert multos PP. odium detestandum asserentes: Gregorium *homil.27. in Euang.* & D.August. dicentem: *Odium tenere aduersus fratrem, est fontem Charitatis obturare.*

HINC S.Doct. *lib.1. de profectu religiosi, cap.29.* inter remedia odij primum ponit serio considerare, Deum non parcere illi, qui non parcit, vt dicitur *Matth.18.* Vnde oportet odium deponere, qui vult saluari, & melius est id citò facere; est autem semper ex genere suo peccatum mortale; per accidens verò potest esse veniale, primò ex imperfectione deliberationis. Secundò, quando vult proximo maximum malum. Ità Suarez *de Charitate, tract.3. disp.6. sect.1.* Azorius *Tom.3. lib.2. cap.10.* Syluester *v. odium*, Fagundez *in 10. precept. Decalogi, lib.10. cap.2. num.12.*


IMO ex genere suo est maximum peccatum, ex his, 150
quæ in proximum fiunt. Ita D.Thom. *quæst.34. art.4.* & Suarez. Quamuis enim nocumenta, quæ proximo inferuntur, alia peccata aggrauent super odium; tamen hoc ex deordinatione voluntatis est peius, quia auertit omnino à Proximo, obiecto Charitatis, amando iure naturæ, & Diuino.

NON ponitur tamen inter vitia capitalia, quia ex 151
eo non procedunt primò alia peccata, sed est potiùs fæx aliorum peccatorum, Inuidiæ, Iræ, &c. ex qua postea fæce alia sanè serpunt. Ita D.Thom. *art.5.* Fagundez *num.24.*

EX dictis habes, diuersa specie esse odia in Deum, & proximum; quia obiecta sunt diuersa; neque

habent per se, vt vnum sit propter alterum, vt in Charitate dicebamus cum D.Bonauent. 3. *dist*. 27. *quæst*.2.

Imo vtrumque udium videtur duplicari, quatenus auertunt à bono Diuino naturali, & supernaturali; similiter & proximi, vt dixit Bannnes *art*.6. sed Valentia *puncto* 2. assentitur opposito.



DISPVTATIO XII.

De Acedia.



Cvm charitas, ad instar ignis, semper agat, sitque otij impatiens, hinc, subministrata ipsi operandi materia ab operantis promptitudiue, in magnam hilarescit lætitiam; verum pigrescente à bono opere voluntate, tristitia enascitur; hinc Gaudio Charitatis opponitur Acedia, vt notat D.Bonau. *prima parte Centiloq. se* .21. Ideò de ea agendum est hîc.

QVÆSTIO I.

Quid sit Acedia, *& quodnam eius obiectum.*

{ D.Thom. quæst. 5.

152 Acdia Græcum est vocabulum ἀκηδία, quod significat iniosiam, seu negligentiam. Deinde etiam tristitiam quamdam aggrauantem, & opprimentem animum, vt afferat incuriam illam. Potest autem tristitia illa esse, vel sensus, vel voluntatis. Hîc accipitur pro tristitia voluntatis, afferente incuriam in bono opere.

Hæc autem sic potest describi ex D.Thom. *art*.2. & D.Bonauent. *p*.1. *Centil. sect*.21. & *in Diæta, tit*.2. *cap*.7. & *in Declaratione terminorum Theologiæ*, vbi etiam eius filias describit Latiùs *in speculo animæ*,

153 cap.3. *Acedia est tristitia voluntatis de bono aliqualiter diuino, & nostro, existimato vt malo proprio, propter adiunctam difficultatem illud obtinendi, afferens proinde incuriam, & torporem in operibus salutaribus.*

Ex quibus habes primò, Acediam esse peccatum, cùm sit tristitia de bono. Hinc reprehensam inuenies in Scriptura hanc tepiditatem, Prouerb 8. *Vsquequo*

154 *piger dormies?* Deinde: *Vult, & non vult piger.* Ecclesiast. 6. *Subiice humerum tuum, & porta illam* idest spiritualem disciplinam, *& ne acedieris vinculis eius.* Matth.3. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, &c.* Ideo *Matth*.25. & *Lucæ* 19. punitur grauiter seruus, quia in terra fossum abscondit talentum, vt ostendit S. Doct. *in speculo animæ, cap*.3. vbi etiam obseruat, euomendum, *Apoc*.3. illum tepidum; & *ad* 8. *Lucæ*; illum qui lucernam sub lecto ponit. Vide multos PP. apud D. Bonauent. *lib*.2. *Pharetræ, cap*.10.

155 Habes secundò, peccatum hoc opponi virtuti Charitatis: est enim contraria gaudio eius, vt docet S.Bonau. *p*.1 *Centiloq. loc. cit*.

Habes tertiò, esse ex genere suo mortale, si sit de bono diuino præcepto, &c. vt notat D.Thom. *art*.3. *ad secundum*. Et D.Bonau. *in Speculo animæ, cap*.3. & *lib*.3. *Compendij Theol. cap*.25. at si sit de bonu non præcepto, est venlale.

Habes quartò, hoc esse vitium capitale; nam, vt Philosophus 8. Eth. cap.6. *Nemo diu permanere potest in tristitia sine dilectatione*: Adeò vt, qui tristitia venantur, aliquid aliud faciunt, vt quærant delectationem. Sic nominatur à D.Gregorio 21. *Moral. cap*.17. apud D. Bonau. *in speculo animæ, cap*.3.

Remedivm acediæ assignant Cassianus *lib*.10. 156 *de Institut. Cœnobiorum, cap. vltimo.* Et Climacus *grad*.21. apud D. Bonau. *de pugna spirituali, cap*.7. Bernardus *serm*.3. *de Ascensione*; grauiter resistere, & opus strenuè aggredi, atque prosequi. D.Bonau. *loc. cit. Diæta* assignat diuersitatem occupationum, nunquam otiando, sed variè operari, nunc orando, nunc legendo, nunc cantando. Vide D. Bonau. *de pugna spirituali, loco citato.*

Ex his intelliges multas definitiones acediæ, rela- 157 tas à D.Bonau. *p*.1. *Centil. sect*.1. Prima ex D.August. *Acedia est tædium interni boni.* Secunda ex Richardo: *Est tepor animi, bonum inchoare negligentis.* Tertia ex Damasceno, lib.2. de fide, cap.14. *Est tristitia aggrauans.* Quarta ex Magistris multis: *Acedia est diffidentia de propriis viribus, & auxilio Dei, implendi ardua, siue mandata.*

Ex quibus elicit S.Bonau. Acediam essentialiter quidem opponi gaudio charitatis; sed non quantum diffidentia opponitur Spei, in quantum est tædium interni boni, ex quo generatur pusillanimitas: Opponitur Fortitudini: Quatenus reputat difficilia omnia, etiam faciliora; Opponitur Charitati, quæ omnia efficit facilia.

Cvm autem Acedia sit vitium capitale, habet 158 multos filios, & filias. Prima est malitia, quæ est voluntas, grauedinis impatiens, machinans malum illius, quem illud sibi æstimat inferentem. Secunda est rancor, qui est voluntas, ex impotentia repellendæ grauedinis amaricata, amaritudinem intus clausam per signum exterius manifestans. Tertia est pusillanimitas, quæ est voluntas immoderatè metuens grauedinem in agressu agendorum, siue de propriis viribus immoderatè diffidens. Quarta est desperatio, quæ est voluntas, grauedine opprimens, de adiutorio ad agenda diffidens, siue de remuneratione diuina propter sustinentiam grauedinis, quæ est in implendis præceptis diffidens. Quinta est Torpor, qui est voluntas grauedini succumbens, tepida, vel pigra ad impletionem agendorum inchuatorum: Sexta est vagatio mentis circa illicita, quæ est voluntas, interno gaudio destituta; in rebus exterioribus illicitis quietem, vel consolationem quærens.

Secvndvm Isidorum *lib. in Deuter. cap*.16. aliæ 159 sunt filiæ tristitiæ; aliæ acediæ; ipse enim tristitiam vocat voluntatem, in quantum à graui debito se auertit.

Acediam verò vocat voluntatem, in quantum se ad quietem indebitam conuertit. Dicit primò: De tristitia exeunt rancor, pusillanimitas, amaritudo, desperatio; De acedia oriuntur, otiositas, somnolentia, importunitas, inquietudo mentis, corporis instabilitas, curiositas. Hæc omnia habet S.Bonau. *loc. cit. p*.1. *Centiloquij.*

In Diæta *tit. primo, cap*.7. Quindecim filias ac- 160 cediæ nominat, & sunt, Tepiditas, mollicies, somnolentia, otiositas, dilatio, tarditas, negligentia, imperseuerantia, remissio, dissolutio, ignauia, indeuotio, tristitia, tædium vitæ, desperatio. Hæc vitia expressa fuisse, ait per quindecim cubitos, quibus

aqua

aqua super montes ascendit in diluuio, *Genes.* 7. sic enim hæc vitia acediosum submergunt, ac suffocant.

Præclara ibi habet S. Doctor contra Acediam ad conciones, quæ hîc transcribere nimis foret prolixum.

Plurimas ad id Scripturas congerit *in Bibliis pauperum*, *cap.* 117.

161 Docet autem S. Doctor *in confessionali*, *cap.* 2. *particula* 5. quomodo de Acedia interrogandus sit pœnitens: An per tædium, bonum illud, etsi præceptum, omiserit: An in faciendo malo lætitiam ceperit: An retraxerit alios à bono; deridendo, &c. Ipsum S. Doctorem vide, discutientem omnes filias Acediæ, cogitationibus, verbis, & factis distinctas.

DISPVTATIO XIII.

De Inuidia.

CHARITATI ità aduersatur Inuidia, vt sicut illi omnia etiam mala cooperantur in bonum, ità huic omnia etiam bona cooperantur in malum; & sicut Charitas multitudinem peccatorum operit; ità Inuidia omnia proximi bona, ne videantur, obtegit; vnde Inuidus dicitur à non videndo, vt habet Seraphicus, vbi infrà.

QVÆSTIO I.

Quid sit INVIDIA, *& quodnam eius obiectum.*

D. Tom. quæst 36.

162 DE Inuidia multa præclarè scripserunt PP. Cyprianus, *serm. de liuie*, Basil. *homil.* 11. *&* 21. Chrysostomus *homil.* 44. *&* 45. Cassianus *collat.* 18. Prosper *lib.* 3. *de vita contemplatiua*, *cap.* 9. & alij apud D. Bonauent. *Lib.* 2. *Pharetra*, *cap.* 8. vbi ex D. Gregorio *Lib.* 2. *moral. cap.* 20. *Lib.* 3. *cap.* 17. refert Inuidiæ filias; quæ sunt Odium, Susurratio, Detractio, Ira; & aliæ, ex aliis Patribus, præcipuè D. Augustino *de disciplina Christiana*, *cap.* 1. Hieronymo *epist.* 99. vbi eam vocant *diabolicam culpam.*

163 INVIDIA ab omnibus definitur: *Tristitia de bono alieno proximi, æstimato vt malo proprio, quatenus per comparationem imminuit proprij boni excellentiam.* Ità S. Doctor *opusc. explic. Terminorum Theologiæ*; & *p. p. centil. sect.* 19. Ideò Aristoteles *Lib.* 2. *Rhet. cap.* 9. ait, causam Inuidiæ esse æqualitatem, vel similitudinem, & propinquitatem. Et similia habent Sancti, Augustinus *in Psalm.* 104. apud D. Bonauent. *loc. adducto*, Damascenus *Lib.* 2. *cap.* 24. Etiam D. Augustinus *Lib.* 11. *de Genes. ad litt. cap.* 14. describit Inuidiam dicens: *Amando quisque excellentiam suam, vel paribus inuidet, quod ei coæquentur, vel inferioribus, ne sibi coæquentur; vel superioribus, quòd ei non coæquantur, &c.* Idem docet S. Doctor *p. p. centil. sect.* 19. Vnde etiam cecinit Lucanus.

—— Stimulos dedit æmula virtus,
Nec quemquam iam ferre potest, Cæsarve priorem,
Pompeiusve parem. ——

IGITVR non modò bonum præcellens proximi parit Inuidiam, sed quodlibet etiam æquale, quatenus minuere nostram excellentiam apprehenditur, aut præcellentiam impedire. Quo sensu intelligendus D. Gregorius Lib. 5. moral. cap. 33. *Inuidere non possumus nisi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus*, non enim meliores vocat simpliciter, sed quatenus minuunt nostram excellentiam, vt adnotauit Tanerus *disp.* 2. *quæst.* 6. *dub.* 1. Valentia *disp.* 3. *quæst.* 14. *puncto* 1. Hinc D. Augustinus *Lib.* 11. *in Genes. cap.* 13. apud D. Bonauent. *loco cit.* ait, differentias inuidiæ esse tres, nempe, Inuidere superioribus, quia eis non æquantur: Paribus, quia in melius prosperantur: Inferioribus, ne ei æquentur. Oportet autem aduertere, Inuidiam in ratione Tristitiæ conuenire cum aliis tribus affectibus; sed differre per alias particulas definitionis, vt indicat S. Doctor *p. p. Centil. sect.* 19. & *in speculo animæ*, *cap.* 1. 164

PRIMO enim datur quidam effectus timoris, qui est tristitia de bono alterius, quatenus timetur allaturus perniciem nobis; neque est peccatum, vt constat ex Aristotele *loco cit.* & D. Thom. *hic art.* 1. *&* 2. & D. Bonauent. *in speculo animæ.* Inuidus verò non sub hac ratione tristatur de bono alieno, sed vt de facto æstimat; alium supereminere propriæ excellentiæ. 165

SECVNDVS effectus Inuidiæ similis est, cùm quis tristatur, non de bono alterius, vt Inuideat, sed de suo defectu, quatenus & ipse illud bonum non habet; & hoc non est peccatum, vt ait S. Bonauent. Hic affectus dicitur zelus, & æmulatio, vt docet Philosophus *Lib.* 2. *Rhet. cap.* 11. & D. Thom. *art.* 1. Inuidia verò tristatur de bono alterius, quatenus minuit propriam excellentiam. Vnde *prima Ioan. cap.* 3. dicitur, Proptereà Cain occidisse fratrem, quia fratris opera erant iusta. Vbi aduertit S. Doctor aliquando Inuidiam nomine iræ vocari, Genes. 4. *Quare irasceris?* vbi Glossa: *liuore torqueris*: Aliquando nomine odij: *Oderant eum fratres*, Genes. 37. Aliquando nomine æmulationis, primo Reg. 1. *Affligebat eam æmula eius.* Eo pertinet id, quod ait Nyssenus Lib. de vita Moysi: *Inuidus fœlicitate aliorum dolet, calamitatibus gaudet.* Et Chrysostomus homil. 44. ad pop. *Cur doles, ò homo, proximi bonis? Dolere nos oportebat iis, quæ patimur malis, non bonis, in quibus alios probabiles haberi videmus. Propterea omni venia caret istud peccatum.* Et Isidorus, Lib. 3. sent. cap. 25. *Nulla est virtus, quæ non habeat contrarium Inuidiæ malum: sola miseria caret inuidiâ.* 166

TERTIVS affectus, similis Inuidiæ, est tristitia de bono alterius, quatenus illum æstimamus eo bono indignum, & hic affectus dicitur *Nemesis*, siue *Indignatio.* Ità Aristoteles *loco cit. cap.* 9. & hunc affectum quò ad bona temporalia, quæ sæpius ruinam offerunt, non esse peccatum, asserit S. Bonauent. *in speculo animæ*, suprà citato. Vide ipsum etiam *Lib. primo de profectu Religiosi*, *cap.* 13. Vnde S. Gregorius *in Pastorali*, *part.* 3. *cap.* 1. *admon.* 23. ait: *Euenire plerumque solet, vt non amissâ Charitate, nos inimici ruina lætificet, & rursum eius gloria sine inuidiæ culpa nos contristet: dum & ruente eo, quosdam benè erigi credimus; & proficiente eo, plerosque iniustè opprimi formidamus.* Ità refert S. Bonauent. *Lib.* 3. *Pharetræ*, *cap* 22. 167

EX dictis sequitur, Inuidiam non esse inter eos, qui in aliquo statu non sint æquales, vel similes, vt docet Aristoteles *cap.* 10. nam inter hos tantùm per 168

vnius præstantiam, Excellentia alterius obscuratur. Hinc deducit, nec mortuis, nec remotissimis ad columnas Herculis inuideri: sed inuidiam, ait, esse inter proximos, & riuales; & inter eos, qui eadem cupiunt, & intendunt, vnde dictum est: *figulus figulo inuidet, faberque fabro.*

169 Hinc deduces, eos inuidiæ obnoxios, qui pusillanimes sunt, quippe eis omnia videntur magna, vt adnotat D. Gregorius suprà, ad id Iob. 5. *Paruulum occidit Inuidia.* E contra, magnanimi inuidiâ carent, vt ait Silius Italicus. Vide Valentiam.

Ex his omnibus colligit S. Doctor *loco cit. Centil.* Inuidiam opponi pietati, quæ ex Charitate orta est.

QVÆSTIO II.

Quam praua sit Invidia.

§ D. Thom. art. 2.

170 Assero primò, Inuidiam, ex suo genere, esse peccatum mortale.

Probatvr primò à D. Bonauent. *in speculo animæ, cap. 3.* Ex primo Rom. *Tradidit eos Dominus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, &c. plenos inuidia, homicidio, &c.* & ad Galat. 5. Inter opera carnis nominantur inuidiæ, de quibus subdit: *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.*

171 Probatvr à S. Doctore *Lib. 2. Pharetra, cap. 8.* è SS. PP. qui hoc peccatum grauiter exaggerant, præcipuè D. Gregorius 2. *moral. cap. 20.* & *Lib. 31. cap. 17. Lib. 3. Dial. cap. 15.* & *homil. 5. in Euang.* Chrysostomus *homil. 54. in Ioan.* Augustinus *de disciplina Christiana, cap. 1. de Virginitate, cap. 31.* Hieron. *epist. 99.* Isidorus *in Synop. cap. 9.* Anselmus *de simil. cap. 45.* Inuidiam, ad conciones, describit egregiè S. Doctor *in Dieta, tit. 1. cap. 4.* & *in Bibliis pauperum, cap. 42.*

Probatvr secundò à D. Bonauent. *in compend. Theol. Lib. 3. cap. 16.* quia opponitur diuinæ bonitati, quæ est communicatiua; *tam bonum autem Deum*, ait D. Augustinus in Enchir. cap. 27. vt habetur in offic. Septuagesimæ, *vt de malis bonum faciat;* sed inuidus adeò prauus est, vt è bonis ipsis mala sugat; & bona in malum ei cooperantur. Vide S. Doctorem.

172 Probatvr tertiò à S. Doctore *cap. 28. De profectu religiosi,* & *Lib. 3. Compend. Theol. cap. 23.* quia Inuidia opponitur virtuti Misericordiæ, & Charitatis, eiusque gaudio. Hinc etiam infert, esse peccatum inuidiæ, non solùm tristari de bono alterius; sed etiam non gaudere de eo, & non dolere de malo. Addit verò, posse esse veniale ex subreptione actus. Vide ipsum *in Compend.*

173 Asseto secundò, Inuidiam esse peccatum capitale. Ità D. Gregorius 31. *moral. cap. 31.* D. Thom. *art. 4.* D. Bonauent. *locis allegatis* hic, & *in præcedenti quæstione;* nam de hac multa vitia nascuntur, ex D. Gregorio 31. *moral. cap. 17.* nempe, Odium, quod est velle malum alicui, & nolle bonum. Secundò exultatio in aduersis proximi, afflictio in prosperis eius, susurratio, detractio. Vide S. Doctorem *de profectu Relig.*

De Inuidia etiam ait S. Doctor *in speculo animæ citato*, exire duos ramos. Hi sunt, exultatio in aduersis proximi; & dolor in prosperis. Idem habet *loco iam cit.*

De Primo ditamantur primò Machinatio, quæ 174 est mali occulta procuratio. Secundò scandalum, quod est dictum, vel factum minus rectum, præbens aliis occasionem ruinæ, vt ait D. Hieronymus *in c. 15. Matth.* & D. Augustinus *locis allegandis disp. 18.* Tertiò Insidiæ, quæ sunt inuestigatio factorum alterius, vt inde accusari possit proximus. Quartò Proditio, cùm quis amicitiam simulat cum alio, vt eum decipiat. De hoc ait Boëtius, nullam esse pestem, familiari inimico deteriorem. Quintò Suspicio, cùm quis facilis est, vt malum de alio suspicetur. Vnde Tullius: *suspicio est mala opinio ex leuibus causis,* & hoc ex mala affectione Inuidiæ procedit, & tunc habet rationem mortalis, aliàs autem non iudicatur mortalis, vt ait S. Doctor, quem sequuntur Suarez, & alij apud eum. Sextò est iudicium peruersum, cum 175 quis ad alium malè affectus, non solùm malum suspicatur in ipso ex causis leuibus, verum etiam definit in corde, vel ore sententialiter, & hoc est semper peccatum mortale ex genere; vnde Glossa ad id, prima Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare*, hoc damnat.

Ex hoc ramo pullulat discordiæ seminatio, quæ est peccatum mortale, *Prouerb. 6.* sicut & secretorum reuelatio, quando sunt in damnum.

Ex altero ramo Inuidiæ præcipuo, qui est Dolor 176 in prosperis proximi, procedunt Detractio, qua proximi prosperitas impeditur; hæc autem fit, vel bonum proximi amouendo, vel tacendo, vel negando, vel peruertendo. Aut volendo, malum reuelare, aggrauare, imponere, confirmare, libenter audire, vt notat S. Bonauent. *in speculo cit.* & sunt decem cornua bestiæ, visæ à Daniele, *cap. 7.* vt exponit Glossa.

Obseruat autem S. Doctor, denigrari famam per 177 verba occulta, & nutus, iuxta id Ecclesiaste 10. *Si mordeat serpens in sibilo, nihilominus habet, qui occultè detrahit.* Habet autem ex genere rationem mortalis; cùm enim secundùm sapientem, Prouerb. 22. *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ*, sicut peccatum mortale est furari, & fur ad restitutionem tenetur; ita etiam, qui famæ detrahit: Monet tamen, non omne verbulum esse mortale.

Ad detractionem autem spectat tacere, quando 178 est necessitas iustificandi proximum, iniustè vituperatum; sicut enim in temporalibus necessitatibus tenemur succurrere illi; ita & in Spiritualibus. Sic etiam peccatur, bonum grauiter proximi minuendo, vel peruertendo, quasi malo fine patratum: De hoc dicitur Eccles. 11. *Bona in mala conuertens insidiatur, & in electis imponet maculam.* Sic negare bonum scitum alterius, grauiter detrahere est. Item malum de aliquo libenter audire, vel ansam detractionis dare, vel dissimulare, cùm possit corrigere, est mortale. Vnde Apostolus Rom. 1. *Detractores Deo odibiles*, ait, *Non solum autem facientes, sed etiam consentientes.* Addit tamen S. Doctor, quod si aliquis de- 179 tractionem non corrigat ex verecundia, vel timore humano, non esse mortale, nisi sit persona, cui incumbat corrigere. Item ait, malum alicuius dictum confirmare, amplificare ad infamationem, esse mortale. Multum tamen interest, an hoc procedat ex Inuidia, an verò ex zelo indiscreto iustitiæ; Aliquando enim mala aliorum dicuntur ex indignitate, vel leuitate dicendi, quæ dictum esset iudicare mortale, vt ait S. Doctor.

Ex Inuidia, ait D. Bonauent. oritur etiam rancor, 180 qui est motus cordis grauis, ex mala affectione in proximum procedens, & habet rationem mortalis, si ex Inuidia procedat; ex rancore autem nascitur odium; Hæc S. Doctor.

DISPVTATIO



DISPVTATIO XIV.

De Discordia, & Contentione.

ISTÆ animi prauitates eò solummodò conuenerunt, vt inconsutilem Domini Tunicam, cui ipsi pepercère milites, Charitatem vtique, dilacerent: Hæc quidem veritatem, quam nequit rationibus, clamoribus impugnat; Illa corda, in pacis vinculo priùs vnita, disrumpit; vnde discordiæ nomen accepit.



QVÆSTIO I.

Quid sit DISCORDIA, *& quale peccatum.*

{ D Thom. quæst 37.

181 DISCORDIA *est dissensio voluntatum circa bonum diuinum, vel proximi, quod quisque tenetur ex Charitate velle.* Idem sentit D. Bonauent. *p. p. Centil. sect.* 18. vbi eam sic describit: *Est voluntas fugiens minorationem sapientiæ, ab his, quæ ab aliis dicuntur, dissentient.*

ITAQVE est peccatum, ex genere mortale; Nam opponitur paci Christianæ, quæ est actus Charitatis. Ideò *Galat.* 5. nominatur inter opera carnis, de quibus dicitur: *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*, & Prouerb. 6. *Septimum detestatur anima eius, &c. Qui seminat discordias inter fratres*, vt ostendit S. Doctor in speculo animæ, *cap.* 1.

182 EST autem proles superbiæ, vt docet D. Gregorius 31. *moral. cap.* 31. & D. Thom. *art.* 2. D. Bonauent. *loco cit.* sæpe etiam Inuidiæ, vt ait D. Thom. *ad* 2. Plurima mala gignit, vt dicitur, Matth. 12. *Omne regnum in se diuisum desolabitur.* Vbi Hieronymus: *Quemodo concordiâ res paruæ crescunt, sic discordiâ maximæ dilabuntur*, vt refert D. Bonauent. mox citando loco.

183 VNDE SS. PP. apud D. Bonauent. *in Pharetra, Lib.* 3. *cap.* 22. grauiter eam reprehendunt, præcipuè D. Gregorius *in registro, lib.* 6. *indic.* 15. *cap.* 166. & *Lib.* 1. *indic.* 9. *cap.* 78. & *Lib.* 10. *indic.* 10. *cap.* 37. & *Lib.* 1. *moral. cap.* 4. & *Lib.* 22. *cap.* 6. & *in Pastor. part.* 3. *cap.* 1. *admonit.* 23. *&* 24. & *Lib.* 2. *Dialog. cap.* 3. & *homil.* 38 *in Euang.* D. Hieronymus *epist.* 14. & *in cap.* 12. *Matth.* & *in Micheam, Lib.* 2. *cap. septimo.* D. Augustinus *serm.* 56. *de verbis Domini, epist.* 13. *ad Macedon*, & *Lib.* 9 *confess. cap.* 8. D. Ambrosius *de Virginitate, Lib.* 2. *ad finem.* S. Isidorus *in Synon. cap.* 8. & *de summo bono, Lib.* 3. *cap* 31. D. Chrysostomus *homil.* 26. *in Matthæum*, D. Bernardus *epist.* 78. & *serm.* 71. *in Cantica.* Glossa *in primam Ioannis*, 3. Boëtius *de Consol. Lib.* 3. *prosa* 5. *in fine.* Hinc
184 ad conciones mira describit.

Plurima etiam è Scripturis affert S. Doctor *in Bibliis pauperum, cap.* 50.



QVÆSTIO II.

Quale, & quantum peccatum sit Contentio.

{ D Thom quæst. 38.

CONTENTIO est altercatio quædam verborum 185
contra veritatem ad eam impugnandam. Itaque est peccatum paci Charitatis contrarium, vt docet D. Bonauent. *in explicatione terminorum Theologiæ, & in primo sent. dub.* 7. *Prol.* vbi ex D. Ambrosio in Glossa ad id Rom. 1. *Contentione, &c.* ait: *Contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris.*

QVAPROPTER est ex genere mortale, vt ostendit D. Thom. *art.* 2. ex D. Gregorio 31. *moral. cap.* 31. Vnde in Scriptura aliis mortalibus adnumeratur *Galat.* 5. *Rom.* 1. *prima Corinth.* 1. vt aduertit D. Bonauent. *in speculo animæ, cap.* 1.

PORRO per Contentionem oppugnatur veritas: 186
Primò formaliter impugnando veritatem agnitam, vt notant Caietanus, & Valentia. Secundò, qui rem propositam, ità oppugnat, vt non curet sitnè vera, an falsa. Tertiò qui potest, & debet scire, veram esse rem propositam, quam oppugnat; quomodo veritatem fidei oppugnant hæretici, vt notat Valentia, *quæst. vnc.* 14.

De hac multa habet ex SS. PP. apud D. Bonauent. 187
Lib. 3. *Pharetra, cap.* 3. §. 9. D. Gregorius in 26. moral. cap. 2. *Culpabiliores esse solent hi, qui contentiones inchoant, quàm qui respondent*, & in Past. part. 3. admon. 24. *Quisquis in seminando iurgia dilectionem proximorum perimit, hosti familiarius seruit*, & Lib. 31. moral. cap. 8. *Hyppocrita, assumpto sanctæ religionis habitu, fidelium suorum custodiam deserit, & temporalia quæque defendere, etiam iurgiis quærit.*

D. AVGVSTINVS in regula 3. cap 37. *Lites* 188
autem nullas habeatis, aut quam celerrimè finiatis: ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam. Sicut enim legistis: Qui odit fratrem suum, homicida est. Et cap. 39. *Vobis a verbis durioribus parcite: quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, vnde facta sunt vulnera.*

ISIDORVS in Synon. cap. 9. *Contentio faces odiorum accendit, pacem cordis contentio extinguit, concordiam contentio rumpit.*

SENECA in epistola prima: *Primâ est inter competitores.*

ADVERTIT autem S. Doctor *loco cit. in spe-* 189
culo animæ, Contentionem iudicandam ex radice, nam si oriatur ex odio graui, vel ira graui, vel voluntate opprimendi veritatem sanctam, vel confundendi, est mortalis. Et *in* 22. *Lucæ* ad ea verba: *Facta est autem contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior*, ait S. Doctor. Quæ fuerit huius contentionis occasio, nescitur. *Contentio tamen est signum amoris priuati boni*, Hinc Iacobi 4. *Vnde bella, & lites in Vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Contentio autem de primatu est signum amoris excellentiæ, & dominij: Hæc repressa fuit per Christum; & per Apostolum Paulum dissuadetur, prima Cor. 11. *Si quis videtur inter vos contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Quia* Prouerb. 11. *honor est homi-* 190
ni, qui separat se a contentionibus. Sed hæc consuetudo recessit ab aula. Imò, sicut imminente passione Christi contenderunt de primatu; sic imminente morte

morte prælati, contentio fit inter Canonicos, quis debeat præponi.

191 PRÆCLARAM sententiam S. Doctoris appono, *ex speculo disciplinæ ad nouitios, cap.* 20. Indignum penitus seruis Dei *&* mulierculatum more contendere, si resistentiæ incidant verba, cedendum est continuò resistenti. Honor est homini, qui separat se à contentionibus. Nunquam discendi, vt dicitur, gratiâ litigent, scientes, ad se verborum contentiones nullo modo deinceps pertinere. Non potest esse, quin contentio aliquid quod contra conscientiam dicatur, extorqueat. Peruersum est, maximè si ausu damnabili ad iniuriosa, vel maledica verbà, quæ secundùm Apostolum, *prima Corinth.* 10. à regno Dei excludantur, os viri religiosi laxetur. Hoc Seraphicus.



DISPVTATIO XV.

De Schismate.



O deteriùs per Schisma delinquitur, quod agnitam in mente veritatem, discordi voluntate reprobet, & propiorem in Dogmate fidei vnionem sequatur longa voluntatum distantia; quam ob rem Charitati, quæ voluntati insidet, & membra Ecclesiæ in vnum corpus reducit, maximè opponitur; hinc inquiremus, quale, & quantum peccatum sit Schisma.

QVÆSTIO I.

Quale peccatum sit SCHISMA.

{ D.Thom. quæst. 39.

192 SCHISMATIS nomen, à verbo *scindo* deducitur, vt notat D. Bonauent. *in speculo animæ, cap.* 1. ex hoc vocabulo incipit elucere, quodnam peccatum sit Schisma; *Est enim schisma disiunctio, qua quis se separat ab vnitate Ecclesiæ, vt est quoddam corpus mysticum, constans ex diuersarum conditionum fidelibus, tanquam membris inter se connexis, præcipuè cum Capite summo Pontifice, Christi Vicario.* Ità refert D. Bonauent. in declaratione terminorum Theologiæ: Breuiùs definitur à S. Doctore *loco hic cit.* propè finem: *Schisma est illicita dissentio eorum, inter quos debet esse vnitas.*

HOC inferunt Patres, cùm dicunt, per Schisma separari hominem ab Ecclesia, vt ait Hieron. *in cap.* 3. *ad Titum.* Scindi Ecclesiæ vnitatem, vt ait Irenæus *Lib.* 4. *cap.* 43. & Cyprianus *Lib. de vnitate Ecclesiæ.*

193 QVOMODO autem quis se ab ea Scindat vnitate, percipietur agnita ratione vnitatis corporis Ecclesiæ, quæ consistit in analogica proportione ad officia, & vnitatem corporis humani, in quo diuersa sunt membra, variis officiis deputata; aliqua ad operandum, vt manus; aliqua ad videndum, vt oculi; aliqua ad loquendum, vt Lingua, labia, palatus, &c. Sic enim, & in hoc mystico aliqui sunt ad laborandum destinati in operibus sanctis; alij ad videndum, & prouidendum; alij ad loquendum, docendum, erudiendum, &c. Ideo sæpe Apostolus in Epistolis hàc metaphorâ explicat Ecclesiæ statum, vt *Rom.* 12. *prima Cor.* 13. *Ephes.* 4.

HINC verò apparet ratio Schismatis, quæ est, nolle se gerere modo sibi ab Ecclesia proposito, ac sibi conuenienti inter operandum, & subesse Capiti Supremo, cuius regimini totum corpus subiicitur.

ASSERO igitur primò, Schisma esse peccatum 194
mortale.

PROBATVR illa *prima Cor.* 1. vbi grauiter iniungit Apostolus: *Non sint in vobis Schismata*: Nam seiungere se ab vnitate, necessaria ad salutem, grande peccatum est.

ASSERO, Schisma esse peccatum speciale mortale.

PROBATVR, quia per Schisma rumpitur vin- 195
culum singulare Charitatis, vt docet Apostolus, prima Cor. 12. dicens: *Non sit Schisma in corpore, sed idipsum pro inuicem sollicita sint membra, &c.* Et Ephes. 4. *Supportantes inuicem in Charitate, solliciti seruare vnitatem in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus Spiritus*; & infrà: *Totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam administrationis, secundùm operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in Charitate.* Vide etiam D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 13. *dub.* 4. *litt.*

DEINDE probatur ex Patribus, qui dicunt Schismate violari Charitatem, & pacem; sic D. Cyprianus *Lib. de vnitate Ecclesiæ*, vbi mira hac de re profert: Augustinus *Lib. de fide, & Symbolo, cap.* 10. & *Lib.* 2. *de Baptismo contra Donatum, cap.* 6.

PROBATVR tertiò, quia quisque tenetur sibi, 196
& proximo velle bonum illud Charitatis, & pacis, ac communionis in eodem Ecclesiæ corpore.

HINC scire potes, Schismaticum esse posse aliquem, etiamsi non sit hæreticus, si nempe se separet ab obedientia Pontificis, quem tamen credat Christi Vicarium. Hæresis enim, præter scissionem, addit dogma prauum, vt notat S. Bonauent. *in centil. loco citando.*

Hanc distinctionem agnouêre Patres, Chrysostomus *homil.* 11. *ad Eph.* Augustinus *de fide, & Symbolo, cap.* 10. & *Lib.* 2. *contra Cresconium, cap.* 7. Hieron. *in* 3. *ad Titum*, vt notat D. Bonauent. *in speculo animæ, cap.* 1.

HÆC autem inobedientia non est, contra sim- 197
plex aliquod præceptum; puta ieiunij, sed rebellis inobedientia contra ipsum Pastorem; vt notant Valentia *disp.* 3. *quæst.* 15. *puncto* 1. Caietanus *in summa, verbo Schisma.* Admonet autem S. Doctor *p. p. centil. sect.* 26. Schisma plerumque inducere in hæresim, seu dogma hæreticum; Non esse scilicet obediendum Ecclesiæ.

ERIT etiam Schisma, si à membris Ecclesiæ se 198
separet, nolendo se cæteris membris in ritibus conformare: Ex quo patet, etiam Papam, eueniente illa suppositione, posse fieri Schismaticum, vt notant Turrecremata *lib.* 4. *summæ de Ecclesia, part.* 1. *cap.* 11. Caietanus *hic, art.* 1. Bannes *ibi*, Valentia *loco cit.* Quod fieret, si totam Ecclesiam excommunicaret; si nollet Ecclesiasticis ritibus vti, &c. Vide hos Doctores.

HOC autem dico euenturum, si ita Pontifex se- 199
gessisset; nam existimo, Deum perpetuò astiturum peculiari prouidentiâ, ne persona Pontificis ità cadat, sicuti semper præfuit, ne vllus Pontifex hæresi, vel Schismate caderet. Vide authores allegatos.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

Quantum peccatum sit SCHISMA.

{ D.Thom.art 4.

200 ASSERO primo, Schisma esse peccatum grauissimum.

PROBATVR, quia lædit magnum Ecclesiæ bonum, quod est vnitas præclarissima corporis mystici Ecclesiæ; vnde videtur grauissimum inter peccata contra proximum, vt ait Valentia *puncto* 2. Ideò Sancti Doctores scissionem hanc grauiter vituperant. Sic Irenæus *lib*.4. *cap*. 34. Chrysostomus *homil*. 11. *ad Eph*. Augustinus *Lib*. 2. *de Baptismo cont. Donat. cap*.6.

ASSERO secundò, ex obiecto grauius esse peccatum hæresis, quod est contra veritatem diuinam; attamen ex damno sæpe est deterius Schisma, vt patet, & patuit experimentis, vt notant cum D.Thoma Tannerus *disp*.2. *quæst*.6. *dub*.2. *num*.17.

QVÆSTIO III.

Quanam pœna SCHISMATICIS *debeantur*.

{ D.Thom art.3 & 4.

201 SVPPONO primò, Schismaticos non amittere spiritualem potestatem: consistentem in Charactere Baptismi, Confirmationis, vel Ordinis; nam hæc est indelebilis, vt docet D. Thom. *art*. 3. & alij, & patet ex Vrbano, *can. Ordinationes* 9. *quæst*.1. qui, ordinatos ab Episcopis Schismaticis, decernit, esse verè ordinatos, & D. Augustinus *Lib*. 6. *de Baptismo, cap*.5. vbi ait: *Potest Sacramentum tradere separatus, sicut habere*.

202 SECVNDO certum est, priuari hos Schismaticos facultate vtendi rectè, & legitimè huiusmodi potestate Characteris; atque adeò priuari hac potestate, quò ad vsum legitimum. Ità D.Thom. *art*.3. Habetur *cap*, *Nouatianus*, *causa* 7. *quæst*.1.

HOC sensu intellige Patres Concilij Later. *cap*.1. *extra de Schismaticis*, dicentes: *Ordinationes ab Octauiano, & Guidone, hæresiarchis, factas, irritas esse censemus*. Quod etiam ait Vrbanus *in can. Ordinationes*, 9. *quæst*.1. debet enim intelligi quo ad executionem earum legitimam, vt ibi exponit Glossa, & D.Thom. *loco cit*. ac Turrecremata *Lib*. 4. *summa, part*.1. *cap*.7.

IN necessitate tamen licèt à Schismatico Baptismum accipere, vt notat D.Thom. *art*.4. *ad* 1.

203 TERTIO certum est, hos incurrere excommunicationem, latam *in can.Nulli, dist*.19. secundum Syluestrum V. *Schismatici, num*.5. post Archidiaconum, Hugonem, Innocentium, & Ioan. Andream, & *in cap. Excommunicamus, de hæret*. & *in Bulla Cœna*, vt notant Valentia *quæst*.15.*puncto* 3. Tannerus *disp*.2. *quæst* 6. *dub*.2.

QVARTO certum est, per Schisma amittere ipso facto iurisdictionem eos, qui possunt incurrere excommunicationem, qui sunt omnes infra Papam; nam Excommunicati amittunt iurisdictionem, à quorum potestate liberamur, vt notat Valentia *loco cit*. ex Caietano *de authoritate Papæ*, *cap*. 22. imò ex Gregorio VII. *can*. *Nos sanctorum*, 15. *quæst*.6.

204 AT verò Pontifex non potest per excommunicationem cadere à dignitate.

QVINTO certum est, Schismaticos pertinaces, posse puniri depositione, vt patet *in Can. In nomine Domini*, 23. & notant Turrecrem. & Valentia suprà, Et si adhuc non resipiscant, possunt puniri pœnis corporalibus, auxilio brachij secularis, vt iubet Pelagius Papa *de Liguribus* 23. q 5. & docet D. Thom. *art* 4. *ad* 3, Tannerius *num*.11,

205 CONTROVERSIA est autem, an ex vi Schismatis amittatur iurisdictio, atque adeò etiàm Pontifex, si fiat Schismaticus, excidat à Papatu.

Eadem quæstio est, de peccato hæresis: an ex vi illius amittatur iurisdictio, etiam Papalis.

PRIMA sententia est, neque per Hæresim, neque per Schisma, quod minus est amitti vnquam iurisdictionem præsertim Papalem. Ità Caietanus *de authoritate Papæ*, *cap*.20. 21. & 22. Idem videtur sentire Sotus 4. *dist*.22. *quæst*.2. *art*.2. Canus *lib*.4. *de locis*, *cap*.2. & *cap. vlt. ad arg*.22. & alij apud Turrecremata *Lib*.4. *summa*, *part*.2, *cap*.19.

206 SECVNDA sententia, extremè opposita, est, per Schisma, vel hæresim, etiam occultam, amitti iurisdictionis potestatem, etiam Papalem. Ità D. Thom. *hic*, *art*.3. Turrecrem. *cap*. 20. Syluest. *verbo Schismatici*, *num*.3. vbi ait esse omnium Doctorum vnanimem sensum, & alij apud Valentiam *disp*.3. *quæst*.15. *puncto* 3.

207 TERTIA sententia media est, Schismaticum, & hæreticum manifestum, ipso facto amittere potestatem iurisdictionis; non autem occultum, donec is, vel manifestus fiat, vel per sententiam Ecclesiæ declaretur. Ita sentire videntur, quicumque arbitrantur, non omnino desinere esse membra Ecclesiæ, qui externa saltem professione fidei, & Sacramentorum communicant cum aliis fidelibus. Ità Vuald. *Tom*.1. *Lib*.2. *cap*.9. & 11. Driedo *Lib*.4. *de Ecclesiasticis dog. & Scripturis*, *cap*.2. *part*.2. *sent*.2. & 7. Canus *Lib*.4. *de locis*, *cap*.6. *ad arg*. 12. Bellarm. *Lib*.3. *de Ecclesia*, *cap*.12. & *Lib* 2. *de Romano Pontifice*, *cap*.30. Valentia supra, qui ait, hanc sententiam vitare faciliùs confusiones, & pericula, quæ alioqui sequi possunt in Ecclesia, si actiones Schismaticorum, & hæreticorum essent ipso facto inualidæ; sic & Tannerus *disp*.1. *quæst*.6. *dub*.1. *num*.12.

SECVNDO, quia hic licèt non sit intrinsecè pars Ecclesiæ, tamen externa vnione adhuc est Ecclesiæ membrum per professionem, & vsum Sacramentorum.

208 CONFIRMATVR ex eo, quod ait Cœlestinus Papa, *epist. ad clerum Constantinop*. vbi ait, Nestorium, & asseclas, postquam suas hæreses prædicare cœperunt, non potuisse vllum excommunicare, aut de suo loco mouere, quia potestatem ad id amplius non habuerint. Eadem dicit in alia epistola ad Ioannem Antiochenum. Idem dicitur de quouis Episcopo *in can. Audiuimus*, 24. *quæst*. 1. Neminem posse damnare, ea quo hæresim, à se confictam, cœperit prædicare.

TANDEM id omnino tantùm volunt alij Patres, adducti à Doctoribus secundæ sententiæ, vt Cyprianus *Lib*.1. *epist*.6. Ambrosius *Lib*. 1. *de pœnit*. *cap*.2. Augustinus *in Enchir*, *cap*. 65. Optatus *Lib*. 1. *cont. Parmen*. & Beda *in cap*.18. *Matthæi*.

209 OBIICIES cum secunda sententia. Qui habet iurisdictionem in corpus Ecclesiæ, debet esse membrum illi vnitum; nam, qui est diuisus, non potest influere, aut mouere; sed Schismaticus, & hæreticus, etiam occultus, est seiunctus: Ergo. Minor probatur de hæretico; nam Fides est fundamentum vnionis. Quo ad Schismaticum, patet ex definitione Schismatis.

RESPONDET

neminem percutite, vulnerate neminem, sed quia sciebat, eos, cùm hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non vltores iniuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores: respondit eis: *neminem concutiatis, &c. sed contenti estote stipendiis vestris.*

218 Loquebatur sanè Baptista pro hominibus etiam noui testamenti; erat enim Christi præcursor.

PROBATVR secundò etiam ex Heroibus, in Scriptura laudatis vt sanctis, qui bella gessêre, sic Abraham, Moyses, Iosue, Gedeon, Sampson, Dauid, Iosias, Machabæi, & alij.

PROBATVR tertiò ex Pontificibus sanctis, qui bella gesta à Christianis laudarunt, vel gerenda suasêrunt. Ità: Damasus apud Theodotum *lib. 5. c. 10.* Gregorius *lib. 1. epist. 72.* Chrysostomus *in Psalm. 45.* Nazianzenus *oratione 3. de pace*, Ambrosius *Lib. 1. offic. cap. 40. & 41.* Hieronymus *in 4. Michea.* Vide S. Doctorem in sermonibus Hexaëmetonis.

219 PROBATVR ratione D. Bonauent. *loco allegando*, sumpta ex Aristotele 7. *Polit. cap. 14.* & D. Augustino *epist. 207.* quia pax humanæ Reipublicæ est necessaria, vt nos, nostraque habere possimus ad viuendum; sed hæc sæpe violentiis impeditur, quæ nequeunt aliter quàm bello propulsari; est autem ius naturæ, vt violentias propulsemus, ea quo argumenta aduersa corruunt.

220 In totum confirmat S. Doctor *ad 6. Luca*, in ea verba: *& qui te percutit in maxillam, &c.* ex D. Augustino *primo de ciuit. cap. 21.* vbi ait, exponens illud præceptum: *Non occides: Contra hoc præceptum non fecerunt, qui, Deo authore, bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis, secundum eius leges, hoc est, iustissimum rationis imperium, sceleratos morte punierunt.*

CONFIRMAT ex *cap. Fortitudo 23. quæst. 3.* qui est D. Ambrosij Lib. 1. de offic. cap. 27. *Fortitudo, quæ vel bello tuetur a barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena iustitia est.*

OBIICIES primò. Prædictum est *Isaia 2.* & *Michea 4.* bella tempore gratiæ abigenda.

221 RESPONDETVR cum D. Ambrosio *in Psalm. 45.* & D. Hieronymo *in cap. 4. Michea*, prædictam tempore aduentus Christi futuram pacem in toto orbe, vt recipiendo Euangelio esset peruius.

OBIICIES secundò in Euangelio præcipitur, Matth. 5. *Qui te percusserit in vnam maxillam, præbe illi & alteram.* Matth. 26. *Qui acceperit gladium, gladio peribit.* Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes.*

RESPONDETVR ex D. Augustino *epist. 5. ad Marcellinum*, id prohiberi, ne fiat priuatâ authoritate.

222 AVDARTE in Concilio Nicæno, *can. 11.* damnati eos, qui priùs deposito cingulo militari, ne idolis immolarent, rursus ad vomitum redibant, seruientes Imperatoribus Paganis, Diocletiano, Licinio, & aliis, qui omnes Christianos cingulo militari dehonestabant, nisi immolarent Idolis.

ALIQVI verò Patres damnant bella tantùm iniqua, vel quæ occasiones sunt proximæ peccandi, vel dissuadent viris religiosis, vel suadent ad religionem ire, &c.

223 Ex his habes, bella etiam contra Turcas esse licita; esto enim Deus vtatur Turcia ad exercitium hostium, vtitur etiam peste, & fame, & tamen nos tenemur defendere, ne Christianum orbem superstitionibus obruant. Vide Valentiam *loco cit.* & Bellarminum, *cap. 16.* Sunt enim Turcæ iniqui possessores Regnorum Christianorum.

QVÆSTIO II.

Quæ conditiones ad bellum iustum requirantur.

PRÆCLARE post D. Augustinum *Lib. 22. contra Faustum, cap. 74.* & *epist. 5. & 207.* hac de te scripsêre D. Thom. *hic* Alens. 3. *part. quæst. 76. memb 3.* Gandau. *quodl. 15. quæst. 16.* Gabr. *4. dist. 15. quæst. 4.* Victoria *relect. de Iure belli.* Castro *Lib. 2. de iusta hæret. punit. cap. 14.* Couar. *relect. in cap. Peccatum de regulis iuris, part. 2. §. 9. & 10.* Bellarm. *Lib. 3. de moribus Ecclesiæ, cap. 14.* Bannes, Caietanus, & alij Thomistæ hic, Valentia *quæst. 16. puncto 1.* Tannerus *disp. 2. quæst. 6. dub. 3.* Sylvester, & alij Summistæ, *verbo Bellum.* Canonistæ 23. *quæst. 1. 2. & 3.* & D. Bonauent. *in speculo animæ, cap. 5.* ad finem, & *in Bibliis pauperum, cap. 82.* vbi è Scripturis mira colligit exempla, egregiè probantia integritatem, orationesque Sanctorum magis ad victoriam conducere, quàm arma. 224

PRIMO autem tres conditiones ad iustum bellum requirit S. Doctor *in speculo animæ, cap. 1.* ex D. Augustino. Prima est authoritas legitima. Ità S. Augustinus *loco citato, contra Faust. cap. 74.* Secunda est causa iusta; sic D. Augustinus *quæst. 10. in Iosue.* Tertia est intentio bona; Ità S. Augustinus *epistola 207.* 225

QVOAD primam conditionem solus Princeps, vel Respublica, absolutè dominantes, possunt offensiuum bellum indicere. Hinc Principes, qui sunt partes alicuius totius dominij, id nequeunt: ita, Molina *disp. 100.* Tanner. *num. 30.* & communiter. Ad defensiuum autem omnes populi, & Magistratus admittuntur, quia cuique licet vim vi repellere.

QVOAD secundam causam oportet, esse contra hostem, iniustè, grauiter lædentem, & vt monet D. Augustinus *loco cit.* Referam autem iniurias certas, ob quas possit bellum indici, quas refert D. Bonauent. *in Bibliis pauperum, cap. 82.* 226

PRIMA est, si negetur id, quod debitum est: sic filij Israel debellarunt Amorrhæos, quia eis transitum innoxium negarunt *Num. 21.* & aduertit S. Augustinus *quæst. 43. in Lib. Numerorum.*

NEQVE verò iustam causam habuit Iulius Cæsar, eò quòd Romani aditum ad vrbem negarent, vt putant Alphonsus à Castro *lib. 2. de lege pæn. cap. 14.* & Coar. *loco cit. §. 9.* nam tenebatur ille ad Rubiconem arma deponere, cùm esset subditus Reipublicæ, id iubenti. Neque iustum bellum Indis infertur, eò quòd negant liberum accessum ad suas prouincias. Ità Molina *disp. 105.* Tanner. *num. 34.* si tamen non resistant fidei prædicationi. 227

SECVNDA causa est, pro rebus propriis recuperandis. Sic pugnauit Dauid contra Isboset, 2. *Reg. 2.*

TERTIA causa est ad resistendum inuasoribus Reipublicæ. Sic pugnarunt sæpe Iudæi aduersus Philistæos, & Machabæi contra Antiochum, & Demetrium. 228

QVARTA, si hostibus iniquis suppetias exhibent; sic pugnauit Dauid contra Sitiam Damasci, eò quòd ferebat opem Adarezer, 2. *Reg. 8.*

QVINTA, ad vleiscendam publicam iniuriam. Sic Dauid pugnauit aduersus Hannon, qui nuncios vilipendio dimiserat 2. *Reg. 10.*

SEXTA aduersus rebelles subditos, sic Dauid 2. *Reg. 20.* Vnde iustum esse bellum contra pertinaces hæreticos, infert D. Gregorius *Lib. 1. Registri, cap. 72.*

SEPTIMA, si aliqui publicos malefactores defendunt, vt docet D. Augustinus *quæst.* 10. *in Iosue*, sic *Iudicum* 10. pugnatunt Hebræi contra Beniamitas, suos contribules.

229 OCTAVA, ob violatum pactum; exemplum habes in Ioram, & Iosaphat 4. *Reg.* 3. Itaque causa iusti Belli est sola iniuria, aut iure defensionis repellenda, aut iure commutatiuæ iustitiæ compensanda, aut iure vindicatiuæ vlciscenda, idque, cum aliunde debita satisfactio non præstatur. Ità cum D. Augustino *Lib.* 22. *contra Faustum*, *cap.* 74. fatentur omnes.

CONTRA infideles autem, non Baptizatos, agere Bellum, laudant Castro, & alij; sed communis sententia est, id non licere; non enim ad hoc ius habet Princeps aliquis, nisi vt membrum Ecclesiæ, quæ non habet ius in non sibi subditos.

230 In hoc verò nonnullos Christianæ militiæ exercitus aberrasse narrat Archiepiscopus Valeotiæ *in historia America*, qui bellum misertimis Indis, religionis conciliandæ gratiâ, inferentes, gentem illam ad internecionem vsque deleuerunt: Id sanè Euangelium non præcipit, vt ea immanitate gentes perimantur, sed vt summa humanitate, & patientia redimantur, potiusque esset proprium pro illis sanguinem labore, & longanimi prædicatione impendere, quàm ipsorum cruorem in riuos ita deducere; vt enim oues sint Apostoli, præcipit Christus, non manus, sed linguæ gladium, verbum scilicet Dei, omni gladio ancipiti penetrabilius, ipsis tradens.

POTEST autem, qui iustè bellum infert, alios sibi in adiutorium, & belli societatem aduocare; sic etiam & Machabæi Romanorum fœdus expostularunt, vt, Notat Tannerus *num.* 52. sic etiam vbique gentium, dum bella geruntur, fieri exploratum habemus; Non tenuo tamen, vbi Christiani nominis Scandalum inde imminet, id non licere; Ita Molina *disp.* 112. Azorius *Tom.* 3. *lib.* 8. *cap.* 25. *quæstio* 14. & Tannerus vt suprà.

231 Verùm cum iam nota sit aduocantis necessitas, vt id agere compulsus in proprium defensionem, non in fidei iniuriam, cognoscatur; nemini inde Scandalum obuenturum nemo inficiabitur. Pet hæc patet ad ea, quæ obiicit Valentia *disp.* 3. *quæst.* 16. *puncto* 2.

232 POTEST etiam insidias struere, nec tenetur certamen prænunciare, vt notat S. Doctor *in Bibliotheca*, *cap.* 81. quod probat exemplis Abrahæ *Genes.* 14. *Iosue* 8. & 10. & *Iudit.* 8. ex Gedeone. Ità Tannerus.

IN dubio autem iustæ causæ melior est conditio possidentis, vt docent communiter apud Valentiam. Attamen rationabile est etiam patti aduersæ satisfacere, vt notant Victoria *num.* 28. Molina *disp.* 103. Valentia *quæst.* 16. *puncto* 2. Tannet. *num.* 41.

ADVERTE autem, non statim agnita iosta causa, esse bellum indicendum, sed priùs petendam satisfactionem, vt habetur *Deuter.* 20. alioqui erit contra Iustitiam initum, & consequenter cum reitate, & restitutionis obligatione. Ità Bannes *dub.* 8. Tannerus *num.* 32. & 51. Valentia *puncto* 2. *in calce.*

233 SI autem neuter sit in possessione legitima, res pro rationibus diuidenda, aut facienda est ab altero, pro rata compensatione. Vide Tannerum *numero* 43.

QVOAD intentionem ità est necessaria, vt si adsint aliæ conditiones, hæc verò desit, non inducat necessitatem restitutionis. Ità ex communi docet Caietanus, Bannes hîc, Valentia *puncto* 2. Molina *Tom.* 1. *de iustitia*, *disp.* 123. Tanner. *dub.* 2. *num.* 28.

POTEST autem bellum vtraque parte esse iustum per accidens, si ex vna parte sit inuincibilis ignorantia, quo pacto videntur fuisse bella Amorrhæorum cum Israele, vt docet Tostatus *ad* 20. *Iosue*, & tunc agnita veritate, tenentur recedere, & restituere ea, quæ adhuc salua sunt, & in quibus sunt facti ditiores; vt notat Valentia; sed antè debent Principes consulere eruditos; alioqui in re grauissima exponitur periculo culpæ. Ita Victoria *de iure belli*, *num.* 20. Valentia *quæst.* 16. *puncto* 2. Molina *disp.* 109. Tanner. *disp.* 2. *quæst.* 6. *dub.* 4. *num.* 37. 234

PRÆTER allatas conditiones, ad substantiam belli iusti requiritur modus in eo gerendo. Primò quidem in damnis inferendis licere quidem tractionem necessariam, tum ad damna illata resarcienda, tum ad pacem stabiliendam; non tamen excessus omnes licere, puta occidere Innocentes, vt mulieres, infantes, vt decernitur *Exodi* 23. *Deuter.* 20. Quod si aliquando Deus præcepit, etiam mulieres, & infantes necari: *Iosue* 6. in Iericho, *primo Reg.* 15. in Amalech, fuit peculiaris causa ex voluntate supremi Domini. Ita Molina, Valentia, Victoriæ apud Tannerum *num.* 66. 235

PRÆTER pueros autem, & mulieres, præsumi debent innocentes alij, vt habetur *in cap. Innocentius, de Treuga, & pace*, ex Alexandro III. *Innocentius, vt Presbyteri, monachi, Conuersi, Peregrini, Mercatores, Rustici, euntes, & redeuntes, & animalia, quibus arant, & semina portant ad agrum, securitate congrua lætentur.* Quibus addontur & Legati, siue Oratores *in cap. Paternarum* 24. *quæst.* 3. Vide ibi. 236

LICITVM esset tamen per accidens, si Arx non posset aliter expugnari, & plurimum expugnatio illa referret. Ita Tannerus *num.* 67. cum Victoria.

LICERE tamen expoliare innocentes hostes, ait Valentia, eos scilicet, quæ sunt partes Reipublicæ, quæ intulit iniuriam. Hoc enim & ad damnum publicum resarciendum, & ad pacem confirmandam conferre potest, ne hostes illis rebus vtantur, sed infirmati pacem quærant. Vel si ex nostris innocentibus expoliati sint; ideò conceduntur Repressalia. Ità etiam Caietanus *verbo bellum*, Victoria *de iure belli*, *num.* 41. Corm. *in regula Peccatum*, *part.* 2. *quæst.* 4. Molina *disp.* 121. Tannet. *num.* 71. Valentia *loco cit.* & alij. 237

EXCIPIVNTVR autem Clerici, & Ecclesiæ propter immunitatem, nisi aliter hostes vinci queant, vt notat Valentia *disp.* 3. *quæst.* 16. *puncto* 3. cum Syluest. *verbo bellum*, 3. *quæst.* 6. & 8. Bannes *art.* 2. *dub. vlt.* 238

PRÆTEREA modus talis seruandus est, vt neque Duces, neque milites contra iustitiam agant, illi non soluendo stipendia militibus: isti rapiendo, nam *Lucæ* 3. Ioannes eis imposuit: *estote contenti stipendiis vestris.*

Similiter ne contra fortitudinem agant, temerè se discrimini exponendo.

DEBET etiam seruari modus, iure gentium constitutus, vt res mobiles acquisitæ, sint exercitus; res verò Immobiles sint Principis. Vide Valentiam, & Bellarminum, *loco citato*, ac Tannerum *num.* 75. qui mobilia capientibus dat; Immobilia verò Principi designantur *Leg. si captiuus*, *ff. de captiuis.* 239

ADVERTE cum D. Bonauent. ad locum adductum Lucæ, peccare milites, scienter in bello iniusto militantes, siue paratos in omni bello militare. Ità ex communi, Caietanus *verbo Bellum*, Bannes *hic*, *quæst.* 40. *art.* 1, *dub.* 6. Valentia *quæst.* 16. *puncto* 2. Molina *disput.* 103. Tanner. *num.* 47. Ratio est.

est, quia malum agere, seu periculo etiam se exponere non licet.

140 In dubia quidem causa milites subditi, vel stipendiatij perpetui, non tenentur iustitiam Belli scire, & examinare, nisi fortè grauia indicia habeant de iniustitia: cæteri verò tenentur priùs inquirere, antequam nomen dent militiæ; Est doctrina communis apud Caietanum, Bannem, & alios *hic, quæst.* 40. *art.* 1. Victoriam *num.* 25. Molinam *disput.* 114. & 118. Valentia *puncto* 2. Taoner. *num.* 48. Patet ex *can. Qui culpatur*, 23. *quæst.* 1. post D. Augustinum *Lib.* 22. *contra faustum*, *cap.* 75. At Fulleosis *lib.* 3. *cap.* 11. addit, etiam exteros posse in primo casu militare, si Princeps sit bonæ famæ, & Christianus, de quo benè præsumitur.

QVÆSTIO III.

A quibusnam BELLVM *geri possit.*

{ D. Thom. quæst 40. art. 2.

141 PRIMO certum est, Clericos in sacris constitutos, & monachos etiam Laicos, iure Ecclesiastico prohiberi. De Monachis habetur *Can. eos qui*, *d.* 20. *quæst.* 3. De Clericis verò 23. *quæst.* 8. præsertim *Can. clerici*, & *can. Quicunque ex clero*. Ità D. Thom. & alij.

POSSE tamen hos è licentia Pontificis pugnare in casu necessitatis, adnotant Couar. *Relect. in Clement. si furiosus.* Bannes *art.* 2. Caietanus *ibidem*, Valentia *puncto* 4.

RATIO est; quia tunc obligatione naturali cedit ius Ecclesiasticum. Non prohibent tamen allegati Canones clericis, adesse, hortari, succurrere spiritualibus. Vide D. Thom. *art.* 2. Valentiam *loco cit.* Molinam *disp.* 108. Suarez *Tom.* 5. *disp.* 47. *sect.* 6. Tanner. *num.* 80.

142 ITAQVE si Clerici absque debita iustitia, & licentia pugnent, irregulares fiunt, vt colligitur, *cap. de cætero*, *extra de homicidio*, modo tamen aliquis ibi occidatur.

Imò etiamsi in Bello iniusto tantùm hortentur, vt colligitur *ex cap. Quod in dubiis*, *extra de Pœnis*, & *cap. Clericus*, *extra de homicidio.*

ITAQVE si Bello iusto pugnent clerici ea licentia pontificis, etiamsi occidant, non fiunt irregulares.

143 Quod si bello iusto, sine tamen licentia pugnent, adhuc non incurrunt irregularitatem, iuxta communem sententiam, Sylvest. *verbo Bellum*, 3. *quæst.* 2. Couarru. *loco cit. part.* 2. §. 3. *num.* 9. Castro *Lib.* 2. *de lege pœn. cap.* 14. Valentiæ *loco citato*, *puncto* 4.

Ratio est, quia non sunt Iura odiosa amplianda. Iura verò solum homicidium illicitum, & ministrorum iustitiæ publicorum, irregularitate onerant.

Neque est credibile, quòd propter actum, ad quem tenetur iure naturæ, incurrat quis impedimentum ad suum officium.

QVÆRES, quo tempore licitum sit Bellum.

144 HOC quæritur ob dies festos, certum quidem est, hisce diebus bellum defensiuum licere, vt habetur *primo Machab.* 2. Probatur; Nam si licet bouem extrahere è fouea, vt dicitur *Lucæ* 14. & sanare hominem, vt dicitur *Ioan.* 7. cur non licebit pro conseruatione Reipublicæ pugnare? sic decernit etiam Nicolaus *can. si nulla*, 23. *quæst.* 8.

LICITE etiam fit, quando est necessarium ad finem belli, nempe ad victoriam. Ideò dictus Nicolaus, vrgente necessitate, id licere affirmat.

NON est tamen peccatum mortale, extra necessitatem, die festo pugnare, dummodo audiatur Missa, vt ait Caietanus apud Valentiam, Tannerum *numero* 87. adducens Bannem *hic*, & Molinam *disput.* 111. 145



DISPVTATIO XVII.

De Rixa, & Seditione.



IN Charitate continetur eminenter Amicitia, (quæ, iuxta Philosophum, perfectè inter duos tantum initur) vti & pax politica, quæ plures conciues vnius facit voluntatis, & labij, ad repellendos exterorum insultus; contra priorem ex aduerso pugnat Rixa; contra alteram Seditio; contra Charitatem verò vtraque; quare de illis hìc videndum breuiter.

QVÆSTIO I.

Quid RIXA, *&* *quale peccatum.*

RIXA à *Ringor* dicta, quòd significet pugnam priuatam, qualis est pugna canum, qui ringunt: Hinc ab ita onium habere colligitur. 146

EST igitur Rixa, ex parte inuasoris, peccatum mortale, vt habetur *Galat.* 5. ex parte verò inuasi, potest esse mortale, si grauiter repugnando excedat.

Describitur à D. Bonauent. in declar. terminorum Theolog. *Rixa est audax voluntas vindicandi, in iniuriam facti procedens.*

MVLTA Rixarum exempla refert S. Doctor *in Bibliis pauperum*, *cap.* 50. Genes. 26. Rixati sunt pastores Geraræ cum Isaac. 147

Exodi 2. duo Hebræi Rixati sunt, quibus superuenit Moyses, reprehendens.

Duæ mulieres litigant ante Salomonem 3. *Regum*, 3.

Litigabant Iudæi de Christo *Ioannis* 7.

Disceptabant Iudæi *Act.* 11. nolentes prædicari Gentilibus.

Diuisa est multitudo Iconij, è quibus aliqui pro Iudæis stabant, alij pro Apostolis *Actorum* 14. & alia *cap.* 15. alia *cap.* 19. alia *cap.* 21. alia *cap.* 23. 148

HIC agi solet de duello, quod est Rixa duorum ex condicto.

De quo egregiè Caietanus 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 8. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 39. Filliuc. *tract.* 29. *cap.* 8. Suarez *de cens. disp.* 23. Bonac. *tract.* 3. *disp.* 11. Fagundez *loco citando*, cum Tannero.

ASSERENDVM autem, duellum iure naturæ illicitum esse, nisi necessarium sit ad effugiendam mortem.

DAMNATVR autem in sacris Legibus, vt constat *in cap. Monomachiam*, 2. *quæst.* 5. & cap. Hentiens, *extra de clericis in duello*, & Concilio Tridentino. *sess.* 25. 149

in Decreto de reformatione generali, *cap.* 19. & ex D. Augustino habetur 23. *quæst.* 1. Damnantur ex *Leg. unic. Cod. de gladiatoribus*, *Lib.* 11.

Et Nostra tempestate Ludouicus XIII. Iustus meritò acclamatus, Rex Galliæ Legem seuerissimam sanciuit, quâ duellum infamiæ notâ obsignat, damnat duellantes morte, & aliis pœnis, vt tantam in regnis suis strenuissimorum Ducum, ac militum internecionem auerteret.

Novissima etiam tanto patre digna Soboles Lvdovicvs XIV. immenso Iustitiæ zelo, infracti, & intrepidi animi adiiciens magnitudinem, quo verè Magnvs proclamatur, id ipsum regio Diplomate decreuit, statuitque insuper vltra capitis irremissibilem pœnam, bonorumque proscriptionem, nobilitatis infulis in perpetuum exuendos, qui inter nobiles anathematisata istâ pugnâ certauerint; Nec efficaciùs sanè remedium generosæ procerum gallorum sanguinis ebullitioni attemperandæ potuit applicari, vti exitus quotidie comprobat, quàm vt gloriam ita sectantes ingloriùs cum viuæ etiam posteritatis nobilitate tumulentur. Quare quem sanguinem gens illa præclara nequit effundere duellando, propè, longeque hostes Ecclesiæ debellando gloriosius profundit.

Nec Honorem sanè defendunt duellantes; imò sibi aucupantur ignominiam; Non iniurias rectè rependunt, cùm priuatè id non liceat.

250 Qvod verò *primo Reg.* 18. Dauid certamen iniit, fuit ad defensionem Diuini honoris, publica authoritate Regis ex diuino instinctu, vt habet & Glossa *in cap. Cura suscepi*, *de pugnatione ordinariâ*.

Peccant grauiter, & excommunicati sunt etiam cooperantes duello. Vide Concilium Tridentinum; neque ex aliqua consuetudine excusantur, vt notat D.Bonauent. *in speculo animæ*, *cap.* 1. nam communiter omnes Doctores, Theologi & Iurisperiti reclamarunt, vt aduertit S. Doctor. Ideò & Dominos id permittentes, vel locum concedentes patrinosque, procuratores à consilio, spectatores & excommunicat ipso facto Concilium Trident. *sess.* 25. *cap.* 19. & Bulla Clementis VIII. cooperantes, etsi duellum non sequatur; si per eos non stetit, excom-
251 municat Gregorius XIII. non tamen reseruat. Itaque præter infamiam, & carentiam Ecclesiasticæ sepulturæ, si in duello moriantur, etiam excommunicationem incurrunt duellantes, Papæ reseruatam; si fiat cum solemnitate, patrinis, Chartulisque prouocatoriis, ex propria bulla Pij IV. Adde si duellum sit tantum priuatum, iuxta Bullam Gregorij XIII. & Clem. VIII. qui excommunicationem Concilij Trident. ad priuatum etiam duellum extendunt, vt cum Nauarro docet Suarez *Tom.* 5. *disp.* 23. *sect.* 3. Tanner. *disp.* 2. *quæst.* 6. *dub.* 7. Fagundez *in* 5. *præcept. lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 3. & est latæ sententiæ.

Easdem pœnas incurrunt alij cooperantes. Iam igitur excommunicatio, esto à Gregorio non reseruata, sanè reseruata est à Pio & Clemente; Absolui tamen possunt à Religiosis Romæ, & extra Italiam. Vide Fagundez *num.* 5. de hoc plura dicta sunt *prima secunda*, *tract. de actib. human. disput.* 17. *quæst.* 10. *ad propos.* 2. iuxta Decretum Alexandri VII.

QVÆSTIO II.

Quid sit seditio.

D Thom. quæst. 42.

Seditio est ciuium dissensio, quasi aliqui seorsum eant. 252

Est autem profectò ex genere suo mortale peccatum, cùm paci Reipub. repugnet: Et est contra Charitatem, imo & iustitiam. Vide D. Thom. *art.* 2. & Tannerum *disp.* 2. *quæst.* 6. *dub.* 7. *num.* 94.

Multas Seditiones, à Deo grauiter punitas, refert S. Doctor *in Bibliis pauperum*, *cap.* 50. præcipuè contra Moysen. *Exodi* 15. 16. *Num.* 11. 21.

Narrat seditionem Ephraitarum contra Iephte *Iud.* 12. & Iudæorum contra Roboam 3. *Reg.* 12.

Certvm est autem ex parte eorum, qui iu- 253
stitiam, & veritatem defendunt, non esse peccatum, vt docet D.Thom. *art.* 2. Caietanus *in summa*, *V. seditio*, Valentia *disp.* 3. *quæst.* 17. *puncto* 2. Vnde hi propriè non sunt vocandi seditiosi.

Est autem Seditio speciale peccatum contra Charitatem, cui speciali modo repugnat, differente à Discordia, Schismate, Bello, Rixa, vt ostendit D. Thom. *art.* 1.


Discordia quidem est tantùm in animis; se- 254
ditio verò etiam extrà prodit.

Schisma aduersatur vnitati Ecclesiæ; seditio autem vnitati politicæ Reipublicæ.

Bellvm est inter Respublicas integras; seditio verò inter membra eiusdem Reipublicæ.

Rixa est inter duos, aut paucos; sed Seditio est inter plurimos. Ideò Apostolus 2. *Corinth.* 2. seditiones recenset, vt peccata ab aliis distincta.

Est igitur Seditio contra pacem Charitatis, sed 255
materialiter; est etiam contra iustitiam, quatenus infert damnum Reipublicæ, & eius ciuibus. Vide Valentiam.



DISPVTATIO XVIII.

De Scandalo.



Boni operis exemplo, quo Dei Ecclesia ædificatur, opponitur Scandalum, quo satagit inimicus homo vt in ruinam procumbat: hoc enim Charitatis cœmentum dissoluit, ponitque eius loco lapides offensionis, in quos è structura decidentes, impingunt pedes iniquè ambulantium, vt mox dicam.

QVÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Scandalvm.

D.Thom. quæst. 43.

Scandalvm significat impactionem pedis 256
in aliquod offendiculum, vt ait D. Hieronymus *in cap.* 15. *Matth.* & D.Bonauent. *p.p. Centil. sect.* 31.

à

à Græco *Scandalon*, qood significat obicem, offendiculum *Σκανδάλων* quod apud Græcos significat paruulum illud signum in muscipula, quod cùm mus tetigerit, vt rodat escam, sequitur casus asserculi.

257 IGITVR Scandalum apud Theologos est id, quod est occasio spiritualis ruinæ, proximo data. Hinc illud definiunt: *Scandalum est dictum, vel factum minus rectum, præbens proximo occasionem spiritualis ruinæ.* Ita D.Thom. hic, Alens. *part.2. quæst.* 189. *memb.*1. Richardus 4. *dist.*38. *art. vlt. quæst.*1. Durandus *ibi, quæst.*3. Maior *quæst. vlt. art.*1. Adrianus *quodl.*1. *art.*1. Sylnest. & alij Summistæ *verbo Scandalum.* Couar. *Relect. in cap. Peccatum, de reg. iuris, part.*1. *num.*5. & D.Bonauent. *in speculo animæ, cap.*1. & *parte prima Centiloquij, sect.*31.

258 DICITVR verò *dictum, vel factum*, quia debet esse aliquid externum. Dicitur *minus rectum*, quia non est necesse, vt absolutè sit malum; sed sufficit, vt minus rectum sit deficiens in vna circumstantia ex illis integralibus, quibus bonum constituitur, secundùm D.Dionysium, *cap.4. de diuin. nominibus.* Includitur etiam omissio debiti.

DIVIDITVR Scandalum primò in Actiuum, & Passiuum. Actiuum est illud, quod modò definimus: Passiuum est ipsa spiritualis ruina alterius. Vide S.Bonauent. *loco cit. Centiloquij.*

259 SECVNDO diuiditur Scandalum actiuum in Scandalum per se, & Scandalum per accidens. Scandalum per se hoc loco dicimus, cùm ex certa, & expressa intentione datur occasio ruinæ, eam promouendo, sollicitando, suadendo, hortando. Per accidens est duplex: alterum respectu operantis, non respectu operis, vt cùm quis peccat, in facie aliorum, tali crimine, quod ea se inducit ad peccatum, tametsi is non hoc intendat; tali Scandalo peccat alendo concubinam in facie filiorum, & dicitur generale. Aliud est per accidens, tum respectu operantis, qui non intendit alios ad peccandum inducere; tum ex parte operis, quod non est suapte natura incentiuum ad peccatum, esto næuo scateat.

260 DIVIDVNT adhuc Actiuum per se in illud, quo intenditur formaliter ruina spiritualis proximi; & in aliud, quo intenditur sola voluptas, vel vtilitas à peccante, non autem formalis ruina. Et vtrumque à multis dicitur speciale.

SCANDALVM passiuum subdiuiditur in Datum, & Acceptum. Scandalum Datum est id, quod oritur ex actiuo alterius Scandalo; & vocatur Scandalum pusillorum, quod est cauendum, iuxta di-
261 ctum Christi, Matth. 18. *Qui autem Scandalizauerit vnum de pusillis istis, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris*; oritur hoc etiam ex infirmitate videntium. Scandalum Acceptum est, quod non ex occasione data, sed accepta, propria malitia oritur, & dicitur etiam Pharisaicum. De hoc ait Christus Matth.15. *Sinite illos: cæci sunt.* De hoc enim non est curandum.

QVÆSTIO II.

An SCANDALVM *sit speciale peccatum.*

262 CERTVM est primò, Scandalum omne, etiam per accidens datum, non voluntate directa, sed ex opere, esse mortale ex natura sua.

PROBATVR primò à D. Bonauent. *p.p. Centil. sect.*31. & *ad* 17. *Lucæ* ex illo Matth. 18. *Væ homini illi, per quem Scandalum venit. Expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris*, quod idem refricat B.Lucas, vbi ex Beda in Glossa, obseruat, imponi pœnam grauissimam potius subeundam, quàm æternam; illam verò fore illi vtilem.

PROBATVR secundò à D. Bonauentura *ibi*, 263
Quia contra Charitatem pugnat, deducens ad Infernum animas. Est etiam contra iustitiam, eripiens Christo animas creatas, & suo sanguine redemptas; de quibus dicitur Sap.11. *Tua sunt omnia Domine, qui amas animas.* Hinc grauiter Apostolus, prima Corinth.*cap*8. ait: *Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccan-*
tes in fratres, & in Christum peccatis. Ideò Apoc.2. 264
protestatur: *Habes tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere Scandalum, &c. Pœnitentiam age: si quo minus, &c.*

PROBATVR tertiò à S. Doctore, quia sicuti ædificanti bono exemplo grande paratur præmium, ità destruenti opus Dei, grandis pœna. Ideò Rom. 14. *Noli propter escam destruere opus Dei.*

PROBATVR quartò à S.Doctore, quia magna 265
crudelitas est seducere simplices, vt dicitur Leuit. 19. *Nec coram cæco pones offendiculum.*

PROBATVR quintò, quia scandalizans tenetur illi pœnæ: *Animam pro anima.*

Hoc autem est maius peccatum in personis publicis, vt Prælatis, ac religiosis, de quibus Malach.2. *Legem requirent ex ore eius. Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege: Propter quod & ego dedi vos contemptibiles.*

OBIICIES Matth.18. dicitur: *Necesse est vt ve-* 266
niant Scandala. Quod autem est necessarium, non est culpa.

RESPONDET S. Doctor, *loco cit.* loqui ex suppositione, quod mali sint, maximè verò de Scandalo passiuo ex suppositione actiui; imò ex suppositione malitiæ, qua scandalizatur etiam de operibus sanctis, sicut scandalizatus est mundus de Christo. *Ioan.*7. *Matth.*13. *Marci* 11. *primus Petri* 2. & Paulus, Christum, ait, Iudæis esse Scandalum, & Lucæ 2. dicitur: *Positus in ruinam multorum.* Ità respondet etiam Valentia *puncto* 2.& alij.

CERTVM est etiam, Scandalum passiuum sem- 267
per esse peccatum mortale, vel veniale, pro vt erit peccatum ipsum.

CERTVM est etiam, Scandalum ex intentione trahendi in ruinam animæ, seu ad aliquod crimen, vt sic, esse speciale Scandalum; nam opponitur beneficæ Charitati.

QVÆSTIO est iam: an ille, qui alium induxit iussu, concilio, &c. tametsi ruinam eius directè non intenderit, specialis criminis Scandali sit reus. Insuper, num etiam, non solùm qui intendit solummodò ad illam voluptatem sibi attrahere, sed & qui è sola operis prauitate malo exemplo accenderit, sit Scandali specialis contra Charitatem reus.

PRIMA opinio est esse peccatum speciale. Ità 268
Adrianus *in* 4. *dist.*38. *quæst. vltim.* Antoninus 2. *part. titul.*7. §.4. *cap.*4. Nauar. *relect. in cap. Consideret, de Pœnit. disp.*5. & *in Manuali, cap.*6. *numero* 19. Valentia *disp.*3. *quæst.* 18. *puncto* 2. vbi allegat etiam Alensem *part.*2. *quæst.* 189. *memb.* 2. Idem sentiunt Petrus Soto *Lect.* 9. *de confess.* Suarez *de Charitate, disput.*10. *sect.* 2. Layman *Lib.*2. *tract.* 3. *cap.*13. Tannerus *disp.*2. *quæst.*6. *dub.*8. afferens etiam Victoriam, & modernos Thomistas, Syluius 2. 2.

*quæst.*43. *art.*3. Syluester, V. *Scand. quæst.* 2. apud Bassæum, *num.*4.

268 SECVNDA sententia est, hoc scandalum esse meram circumstantiam aggrauantem. Ità D. Bonau. *in* 4. *dist.*38 *dub.*2. *litt.* D.Thom.2. 2. *quæst.*43. *art.*3. Caietanus *ibi*, & *in summa*, *V. scandalum*, Couar. *relect.in cap. Peccatum*, *part.*1.*num.*5. Bannes *quæst.*43. *art.*4. Durandus 4. *dist.*38.*quæst.*3. Palud. *ibi*, *quæst.*6. Fagundez *part.* 2. *Lib.* 4. *cap.* 4. Ledesma *Tom.*2. *Tract.*4. *cap.*5. *concl.* 5. Lorca 2. 2. *quæst.*43. *sect.*3. *disp.*56. *num.*7. Villalob. *summa*, *Tom.* 2. *tract.*3. *diffic.*8. Becanus 2.2. *cap.*27. *quæst.* 2. Conineb. *de act. supernaturalibus*, *disp.* 33. *dub.* 5. *num.* 35. Filliucius *Tomo* 1. *tract.* 28. *cap.*6. *num.*216. Syluius 2.2. *quæst.* 43. *art.* 3. Sanchez *summa*, *Tom.* 1. *Lib.* 1. *cap.*6. Vasquez *prima secunda*, *disp.*102.*cap.*4. Azor *Lib* 4. *cap.*7. *quæsito* 1. Diana *part.* 3. *tract.*4. *resol.* 114. & *part.*5. *Tract.*2. qui totus est de scandalo, vbi *resol.*2. renuit sententias Doctorum referre, quia hæc disputatio videtur metaphysica; nam quo ad praxim parum refert, quia iusta communem D. Bonauent. sententiam, quocumque modo des occasionem spiritualis ruinæ, teneris eam confiteri. Eodem modo loquuntur aliqui è suprà allegatis, præcipuè Layman, & Hurtadus 2. 2. *disp.*173. *sect.* 8. §.61. Fuliensis *lib.*2. *cap.*12. Bassæus, & alij.

ASSERO cum hac sententia, huiusmodi scandalum solummodò esse circumstantiam aggrauantem.

269 PROBATVR à D. Bonauent. & D.Thom. quia peccatum non nominatur ratione eius, in quem est; vnde si quis vna contumelia plures offenderet, vnum peccatum committeret; sed sumitur ratione actus, circa quem est, & circa id, quod per se est intentum, non circa id. quod per accidens. Ideò id, quod est præter intentionem formalem, non nisi reductiuè pertinet ad actus speciem, vt fatetur etiam Valentia.

270 RESPONDET Valentia, assumptum verum esse de eo, quod est præter omnem intentionem, & absque omni voluntario; neque spectat ad moralem actum, neque habet aliquid quo inter actus morales computetur. Ast, sufficit Seraphico, si actus non habeat esse morale per se, sed egeat ad aliud reduci, vt non constituat distinctam speciem actus moralis.

OBIICIT Valentia. In omni alia materia, in qua peccatum specificatur à nocumento, vel iniuriâ illatâ, intentio, & voluntas tacita, & indirecta, siue virtualis æquiualet intentioni expressæ, saltem vt committatur peccatum talis speciei: Ergo & in materia scandali. Antecedens probatur: Nam verè committit detractionis peccatum, qui temerè dicit aliquid, ex quo sequitur detrimentum famæ proximi. Item committit verè peccatum furti; qui aufert rem alienam, non intentione nocendi proximo; sed sibi commodandi; & qui committit fornicationem in loco sacro, committit Sacrilegium, licèt expressè non intendat inferre iniuriam loco Sacro: Ergo. Huius argumenti nodum fatetur Caietanus, se nescire dissoluere *quæst.*53. *art.*2. *ad* 3.

271 RESPONDETVR tamen, diuersos esse casus: nam omnes habent entitatem moralem per se, neque egent iam alteri inniti, non sic in casu nostro. Quò ad primum; probabile censent multi, non esse peccatum. Quò ad secundum casum, ea est voluntas directa, nam necessariò vult eripere alteri, vt sibi commodet. Tertius casus est diuersæ materiæ, circa quam actus per se fit in Ecclesia, si fornicans vult profectò fornicari in eo loco, esto principaliter id non intendat.

OBIICIES secundò. Qui per actum bonum scandalizat, verè committit peccatum scandali, vt concedunt Caietanus, & Paludanus; licet is indirectè solùm velit proximi ruinam: Ergo etiam, qui scandalizat per actum malum. Neque enim is est melioris conditionis, quàm ille; nec, quòd actus eius sit alioqui malus, obstat, quo minus alia ratione possit esse in alia simul specie peccati, vt patet ex doctrina D.Thom. *prima secunda*, *quæst.*18. *art.* 10. Non puto (ait Valentia) hoc argumentum solui posse. 172

RESPONDETVR cum D.Bonauent. negando Antecedens: Nam ille peccat contra prudentiam, atque adeò circumstantia illa actus est, non peccatum per se, & per hoc patet *ad tertium*. 273

OBIICIES tertiò: Si formalis intentio necessaria est ad speciale scandali peccatum; ratò, aut nunquam peccato scandali peccabitur. Quotus quisque enim est diabolico ità veneno imbutus, vt velit specialem, ac spiritualem aliorum ruinam? & tamen in Scriptura hoc peccatum, vt frequens describitur *Matth.*18. *prima Corinth.*8.

RESPONDETVR facilè, ad intentionem directam non esse necesse, vt velis illum inducere in ruinam spiritualem. nempe ad infernum directè; sed satis est, vt velis illum inducere ad peccandum tali modo, suadeasque, sollicites, mineris, &c. Heu quàm frequentes sunt actus isti. Hoc sensu aliqui secundæ sententiæ non negant, esse peccatum speciale. Sic D. Bonauent. *in speculo animæ*, *cap.* 1. & *lib.*3. *Phar. cap.*39. vbi id sentire videntur SS. Patres allati, & *ad* 17. *Lucæ*, & *in* 4. *loco cit.* idem visus est loqui.

EX dictis colliges; quomodo se debeat gerere in confessione, qui scandalum dedit.

SANE videtur, non esse confitendam hanc circumstantiam necessariò, iuxta doctrinam D. Bonau. *de circumstantiis aggrauantibus*, *vt dicam* 3. *part. Tract. de Pænit.disp.*2.*sect.*3.*quæst.*5. Ità multi hac de re asserunt. 274

COMMVNITER verò docent, eam confitendam. Ità Lorca, Villalobos. Becanus, Coninchius, Fagundez, Ledesma, suprà citati, quibus subscribit ferè Diana *Parte* 3. *Tract.*4. *resol.* 114. cum D.Bonauent. Imò aduertunt Syluius, Filliucius, Sanchez, Layman suprà, Bonacina *de sacrament.disp.*5.*quæst.*5. *sect.*2. *puncto* 2.§.3.*diff.*3.*num.*21. & Diana, debere ex- 275
primi numerum personarum, & earum conditionem, quibus scandalum datum est, etiam vnico peccato, & qua ratione, num colloquiis de fornicatione? num de infandia? vel de coniugatis? Quare cæcos conclamant hi duo postremi confessarios, qui hæc non interrogant. Subscribit iterum Diana *Parte* 5. *Tract.*7. *resol.* 3. addens Palaum, Molfesium, Leonem, & alios.

NOTA verò primò, sollicitare paratum, vel paratam, esse scandalum probabiliter directum, in confessione dicendum, apud Sanchez *lib.*1. *cap.*6.*num.*14. Bonacin. *tract.*1. *disp.*5.*quæst.*5. *puncto* 2.§.3. Vasquez *quæst.*91. *art.*1. *disp.*4. Fill. *tract.* 28. *num.*231. Excipiunt, si explicito actu satis perciperetur, vt dicto, te fornicatum cum fœmina, colligere potest id te petiisse; non enim solet fœmina, vt plurimum, petere. 276

ALII tamen non confitendum admittunt; non enim indocit, cum paratum inueniat. Sic Fagundez *precept.*2. *lib.*4. *cap.*5. Suarez 3. *part. tract.*4. *disp.*22. *sect.*4. *num.*18. Henriquez *lib.*2. *de pœn. cap.*6. *num.*7. Diana *part.* 1. *tract.*7. *res.* 34. Azor *tract.*2. *lib.*12. *cap.*16. *quæsito* 5. Bassæus §.1.

SOLLICITARE verò non paratum, vocatur à Diana scandalum indirectum; sed renuo, Opera enim 277

facere

facere in facie perfectorum, quæ incendunt, multi non excusant; nam & hi cadunt, vt Dauid 2. *Reg.* videns Bethsabeam in balneo. Salomon 3. *Reg.*11. Vide D.Thom. *art.*5. & 6. Excusaris forsan, si opineris, videntes non mouendos, vt dicunt multi cum Diana *Tract. de scandalo*, *resol.*3. vel si ita peruersi sint, vt non moueantur ob id. Vide ibi.

QVÆSTIO III.

Quænam sint facienda, & quæ omittenda ad vitandum scandalum.

NON agimus de scandalo per se speciali, seu intento; sed de generali ex opere solùm.

278 MVLTÆ regulæ dantur de hac re à Gregorio de Valentia *disp.*3. *quæst.*18. *puncto* 4. Tannero *disp.*2. *quæst.*6. *dub.*9. ex D.Bonau. *p.*1. *Comil. sect.*31. quorum latè Bassæus eas tradit *v. Scandalum, a num.*8.

PRIMA est, non licere ad vitandum scandalum, facere aliquam rem, vel aliquam omittere, quam facere, vel omittere sit peccatum mortale per se intrinsecè. Ita D.Thom. 2.2. *quæst.*43. *art.*7. & D.Bonau. *loc. cit.* & alij infra *cit.* Ratio prima est, quia peccatum non est ordinabile in bonum.

PROBATVR secundò: Nam, vt dicitur Rom.3 *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona.* Et confirmatur ex ordine charitatis, debet enim quisque se magis, quàm alium, immo nem à spirituali ruina seruare.

279 SECVNDA regula est, neque licere aliquid intrinsecè veniale. Ità D.Thom. *art.*1. *ad* 5. Valentia *loc. cit.* & D.Bonau. suprà Tanner. *disp.*2. *quæst.*6. *dub.*9. Diana *p.*5. *tract.*7. *resol.*21. & *seq.* Bass. *num.*12. & aliæ apud istos.

TERTIA regula est, ad vitandum scandalum infirmorum, ea omnia vitanda, quæ sine peccato vitari valent, ne infirmi, & simplices cadant. Ità D. Gregorius *homil.*7. *in Ezech.* Beda *in cap.* 9. *Marci*, & communiter Doctores.

PROBATVR ex natura charitatis, quæ tenetur proximi saluti in necessitate prospicere, si potest. Ita etiam D.Bonauentura ex D. Bernardo, & hoc colligit S.Doct. illo Matthæi 17. *Ne autem scandalizemus eos, vade ad mare*, &c. Sanè tributo non tenebatur Christus, aut Apostoli. Addit Bassæus *num.*12. quando horum scandalum aliter vitari nequit; debent enim fieri capaces.

280 HANC regulam colligit S. Doct. etiam ex Glossa, ad illud Matth.15. *Scis quia Pharisæi audito verbo hoc, scandalizati sunt*, vbi ait: *Omittendum esse, propter scandalum, omne, quod potest prætermitti, salua triplici veritate, scilicet vitæ, doctrinæ, & iustitiæ.* Comprehendit *Veritas vitæ* omnes actiones conformes rationi, atque adeò veras, practicè continentes præcepta, imo & consilia. *Veritas doctrinæ* continet ea, quæ ad veritatem magistris incumbit. *Veritas iustitiæ* spectat ad Prælatos, quoad puniendos malos, & iustos præmiandos, ac sustentandos, atque adeò in ordine ad alterum. Ita ferè etiam Valentia *disp.* 3. *quæst.* 18. *punct.*4. cum Adriano *quodl.*1. *art.*2.

281 Hæc sanè ex D. Hieronymo non sunt omittenda ob metum scandali. Quod si scandalum oriatur ex mera malitia videntis, temnendum esse monet S.Doct. *ibi ad 6. Ioan.* afferens illud Matth.15. *Sinite illos: cæci sunt.* Eandem doctrinam habet S.Doct. *ad* 18. *Lucæ* ad ea verba: *Impossibile est vt non veniant scandala.* Apostolus dicebat, se abstinere à carnibus, ne scandalizet, *Rom.*14. & *prima Corinth.*8, quia scandalum poterat hinc oriri. Vide etiam Tannerum *numero* 15.

ORITVR verò quæstio: an aliquando ad vitandum scandalum, teneamur aliquod præceptum omittere.

Negant Vasquez *opusc. de scandalo*, *art.*8. *dub.*1. Turrianus 2. 2. *Tom.*1. *disp.*96. *dub.* 1. Becanus 2.2. *Tom.*1. *cap.*27. *quæst.* 5. Basilius Ponc. *de matrim. lib.*5. *cap.*18. §.2 Castrus Palaus *T.*1. *tract.*6. *punct.*16. *num.*3. Videtur colligi ex Innocentio III. *cap. Cum ex iniuncto de noui operis nunciatione.* 282

AFFIRMANT tamen Hurtado 2.2. *disp* 173. *sect.*10. à §.256. Valentia *disp.*3. *quæst.*18. *punct.*4. Suarez *disp.*10. *sect.*3. *num* 9. Bannes 2. 2. *quæst.*43. *art.*8. *concl.*2. Tanner. *T.*3. *disp.*2. *quæst.*6. *dub* 9. *num.*120. Gordonus *Tom.*1. *lib.*6. *quæst.*16 *cap.*5. §.1. Sà *verbo auditio missæ, num.*3. Lorca 2.2. *quæst.*43. *art.*8 *num.*10. Henriquez *lib.*8. *cap.*47. Exemplum affert Bannes de muliere, quæ, ne lædat virum zelotypum, omittit sacrum.

DIANA *Tom.*5. *tract.*7. de scandalo vtramque probabilem censet, sed priorem magis amplectitur; At si aliquis posteriorem hanc sequi velit, aduertere debet, quando præcepta sint omittenda ob vitandum scandalum, quæ tradit Hurtado §.268. 283

PRIMO quando præceptum est humanum, & nullum malum sequitur ex eius omissione, tunc est vitandum. *Exempli gratia.* Si ego non possum audire Sacrum, quin alicui præbeam occasionem grauis iracundiæ, odij, luxuriæ, teneor abstinere à Sacro. Idem docet Valentia *loc. cit.* Suarez *disp.*10. *sect.*3.

OPPOSITVM tamen censent de fœmina, quæ esset concupiscenda, si vadat ad Sacrum, Castro Palao *T.*1. *tract.*6. *disp.*6. *punct.*16. Granado 2. 2. *contr.*3. *tract.*13. *disp.*5. *sect.*5. *num.*28. Azorius *tom.*2. *lib.*12. *cap.*18. *quæsito* 12. Vasquez *opusc. de scandalo, quæst.*43. *art.*8. *dub.*2. *num.*27. Diana *loc. cit. resol.*22. Tannerus *num.*121. 284

SI verò ex omissione præcepti immineat aliud damnum graue proximo, non est prætereundum præceptum, v.g. si ego teneor opitulari indigenti, & alius videns sit detracturus, & prauè iudicaturus suspectam conuersationem cum persona illa, v.g. Vidua, teneor ei subuenire. Quidquid dicat Bannes *art.*8.

HINC facilè etiam eruas: an fœmina teneatur se non ornare, & in publicum non exire, ad vitandum aliorum scandalum.

ARBITROR enim, nulla existente necessitate, euitandos esse ornatus lasciuos, & egressus inanes. Ita multi Doctores apud Dianam *resol.* 31. Vide etiam circa ornatum mulierum Suarez *disp.*10. *sect.*3. *n.*10. Gordonum *tom.*1. *lib.*6. *quæst.*16. *cap.*5. §.2. *num* 15. Sanchez *T.*1. *lib.*1. *cap.*6. *num.*17. Layman *lib.*2. *t.*3. *cap.*13. *num.*11. *quæst* 13. qui tamen ait, excusari fœminas se ornantes, nudas mamillas ostendendo, iuxta morem patriæ. 285

PLVRIMOS etiam casus referunt Doctores, docentes, quandonam pericula subire teneamur ad vitandum scandalum. 286

PRIMO quidem non est subeundum periculum damnationis, puta si vrgeat necessitas confessionis, & non adsit, nisi Sacerdos indignus.

IMO multi apud Dianam *resol.*4. extra necessitatem, afferunt licere petere Sacramentum à ministro indigno exposito; non enim ille inducitur ad peccatum, Imò licere petere etiam ab excommunicato, qui non habet absoluentem. Ita Sanchez *de Matrim. tom.*2. *lib.*7. *disp.*9. *n.*8. Hurtado 2.2. *disp.*113. *sect.*18. §.249. Nituntur decreto Concilij Constantiensis, & Martini V. Quare non erit scandalum petere.

Sacvndo, non esset scandali peccatum in pictore, si turpis Amasiæ imaginem pingeret amanti, ad mortem vitandam. Ità multi eum Diana *resol.*5. Bassæo §.5.

Ea de causa multi apud Dianam *resol.*6. dicunt, posse pingere Idolum; attamen id adcò malum videtur, vt non relinquatur excusatio.

Idem dicunt aliqui apud Dianam *resol.*27. de seruis, deferentibus litteras amatorias turpes; sed hoc videtur absonum, vt notant Petrus Ledesma *sum. tom.*2. *tract.*27. *cap.*9. *diff.*3. & Martinus Ledesma *in* 2. *p.*4. *quæst.*17. *art.*7. Alphonsus de Leone *de effic. Confess. tom.*1. *recoll.*14. *num.*63. Rebell. *p.*1. *lib.*2. *quæst.*14. *num.* 53. Bonac. *de matrim. quæst.*4. *p.* 14. *num.*6. Laym. *lib.*2. *tract.*3. *cap.*13. & videtur Sanchez *tom.*1. *lib.*1. *cap.*7. *num.*26. qui tamen oppositum docet *lib.*9. *de matrim. disp.*46. *num.*34. vt aduertit Diana.

288 Asservnt aliqui apud Dianam *resol.*28. licere seruo; ad vitandum graue damnum, porrigere scalam hero ascendenti, ad rem habendam cum fœmina. Sic & Bassæus *num.*10.§.1. Similiter alij apud Dianam *resol.*29. ob similem causam, aiunt posse famulam in domum heri ducere concubinam. Bassæus *loco citato.*

Similiter multi apud Dianam *resol.*30. dicunt, posse ergastulos Christianos adiuuare in bello Turcas, & ad vastandas domos Christianorum, vt mortem vitent. Sic etiam alij cum Bassæo *num.*10. excipiunt tamen, si in bello, non iuuantes, darent nobis victoriam.

289 Eodem modo ad vitandam mortem dicunt multi apud Dianam *resol.*33. licere vti pileo Iudæorum, vel Tobalia Turcarum. Ità Gordonus *summa*, *Tom.* 2. *lib.*6. *quæst.*12. *cap.*9. §.3. Duallius 2.2. *Tract. de fide*, *quæst.*3. *art.*3. Vuigers 2. 2. *quæst.*3. *art.*2. *num.*50. Tanner. *tom.*3. *disp.*1. *quæst.*7. *dub.*5. *num.*110. Palaus *Tom.*1. *tract.*4. *disp.*1. *punct.*17. Coninch. *de fide*, *disp.* 15. *dub.*3. *concl.*8. Hurtadus 2. 2. *disp.*48. *sect.*3. §.27.

Similiter alij apud Dianam *resol.*34. dicunt, tali necessitate licitum esse vti vestibus, signisque aliis institutis ad superstitiones. Eos vide *ibi.*

Similiter dicunt multi apud Dianam *resol.*35. licere transeunti per loca hæreticorum edere carnes, ad euitandum graue damnum.

290 Nec dissimili ratione aiunt alij apud Dianam *resol.*36. vendere idolum gentili licere, ad euitandum graue damnum. Vide alia in ipso Diana *ibi.*

Qværvnt etiam: an teneat non petere pecuniam ab vsurario, parato patrare peccatum vsuræ, sine causa honesta.

Asservnt Palaus *Tom.*1. *tract.*6. *disp* 6. *p.*10. Poncius *de matrim. lib.*5. *cap.*18. *num.*50. Vasquez *opusc. de scandalo*, *art.*8. *num.*33. Suarez *disp.* 10. *sect.*3. Molina *Tom.*2. *tract.*2. *disp.*335.

Negant tamen probabilius Hurtad. 2. 2. *disp.*173. *sect.*14. § 176. & 177. Diana *resol.*8. Imo Sanchez *T.*1. *lib.*3. *cap.*8. *num.*27. Valentia *tom.*3. *disp.* 5. *quæst.* 20. *punct.* 4. Molina *de Iustitia* *T.*2. *disp.*335. *concl.*5. Bannes 2. 2. *quæst.*78. *art.*4. *dub.*2. dicunt posse aliquem dicere vsurario: da mihi mutuum, etsi ad vsuras, quam sententiam probabilem censet Suarez *de Religione*, *T.*2. De *Iurament. lib.*3. *cap.*13. *num.*9. Diana *resol.*8.

291 Ex dictis habes, quid dicendum de soluente vsuras; eadem enim est in vtroque ratio. Quare Valentia idem de soluente, & petente censet. Vide Dianam *resol.* 12.

Ex dictis etiam ferè habes, qua ratione, bona siue spiritualia, siue temporalia dimittenda sint propter scandalum; De quibus agit Tannerus *dub.*9.

92 Primo igitur omittenda est omnis actio, habens mali speciem, vt ais D.Thom. *quæst.*43. *art.*2. & communiter apud Syluestrum, Caietanum, & Sà, *v. Scandalum*, iuxta id Thessal.5. *Ab omni specie mala abstinete vos.* Et prima Corinth.6. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* In casu tamen magnæ vtilitatis, quæ valdè præponderaret secuturo scandalo, existimat Tannerus non esse illicitum. Huius exemplum videtur Petri, quem à peccato excusant etiam Patres multi, & tamen reprehensus fuit à Paulo. *Galat.*3.

Deinde non sunt ad scandalum vitandum omittenda spiritualia, hic & nunc, ad salutem necessaria. Ita cum Thom. *art.* 7. & D.Bonau. suprà, docent omnes Theologi.

Tertio, bona spiritualia, quæ non sunt necessaria ad salutem, non sunt omittenda ob scandalum Scribarum. Ità D.Thom. *art.*7. & constat illo Matth.15. *Sinite illos.* Vide Bassæum. 293

Qvarto, spiritualia, non necessaria ad salutem, sunt differenda, ne scandalum patiantur pusilli, donec rei fiant capaces.

Qvinto, sunt omittenda aliqua opera, ad remouendum scandalum ordinata, si ex eis oriturum sit scandalum. Talis est aliquorum punitio sceleratorum. Ita D.August. *lib.*3. *contra epistolam Parmen. cap.*2. Talis est etiam correctio fraterna.

Sexto, Veritas quidem doctrinæ ob scandalum non est deserenda, ità vt falsum doceatur; attamen actus docendi nonnunquam omittendus. Ità D.Bonau. suprà, & D.Thom. *art.*7. Non ità tamen, vt necessaria in fide instructio omittatur.

Septimo consilia Euangelica, & opera misericordiæ, non sunt simpliciter omittenda ob periculum scandali. Ita D.Thom. & D.Bonau. suprà; quia iuxta D.Hieron. *ad* 15. *Matth. in Gloss. ordin.* relatum suprà à S. Doctore: *Propter scandalum dimittendum est omne, quod potest prætermitti, salua triplici veritate, vita, iustitia, & doctrina.* Sub his comprehenduntur ea, quibus facilius ad salutem venitur. 294

Octavo bona verò temporalia. Ea, quorum nos domini sumus, propter scandalum infirmorum, aut dimittenda, aut aliter scandalum sedandum: non tamen ob Scribarum scandalum. Ita D.Thom. *art.* 8. & communiter. 295

Addit Tanner. *num.*116. id verum, nisi aliunde ob aliorum bonum, eiusmodi temporalium rerum iactura sit negligenda, vt si Princeps hæresim potius in suam Prouinciam introducturus sit, quàm restituere bona Ecclesiastica, vt docent Caietan. Valentia, Bannes, & Sà *locis citatis.*

Ea verò bona, quæ nostra non sunt, sed nobis tradita ad conseruandum, vt bona Ecclesiæ, commissa Prælatis, non sunt dimittenda propter scandalum, iuxta D.Thom. *loc. cit.* & communem sententiam; cum ea sub necessitate tueri teneamur: Idque confirmatur exemplo S.Thomæ Cantuariensis.

Adde tamen, debere aliquando Prælatos dissimulare vsurpationem.

Qværes primò: an liceat inuitare ad cœnam, paratum frangere ieiunium. 296

Prima opinio est negatiua, Ità Vasquez *de scandalo quæst.*43. *art.*2. *disp.*3. *num.*17. Palai *Tom.*1. *tract.*6. *disp.*6. *p.*9. Turriani, *Tract.*1. *in* 2. 2. *disp.*95. *dub.*6. Poncij *de matrim. lib.*3. *cap.*8. §.7. Suarez *de charitate*, *disp.*10. *sect.*3. alioqui (aiunt) posset quis etiam paratum ad venerea, illum hic, & non ad ea inuitare.

Licitvm tamen id asserunt Hurtado 2.2. *disp.*173. *sect.*12. §.154. Azorius *p.*1. *lib.*7. *cap.*31. *quæsito* 12. Salas *de empt. dub.*47. *num.*10. qui citat Sà, & alios. 297

Idem

Idem docent Naldus *v. Ieiunium*, Nauar. & Caietanus, *v. Ieiunium*, Tanner. 2.2. *disp.3. quæst.3. dub.5. num* 94. Filliuc. *de offic. Sacer. Tom.1. p.2. lib.3. c.25. & Tom 2. tract.27. p.1. cap.5. num.94.* Ortiz *in summa, cap.19. mand.2.* Villalob. *sum. Tom.1. tract.23. diff.3.* quam opinionem probabilem ait Diana *Parte* 1, *Tract.9. resol.38.* & *part.5. tract.7. resol.7.*

Ex his excusantur serui, & ancillæ, vendentes, & coquentes cibos vetitos heris, nolentibus ieiunare. Ita Azorius *p.1. lib.7. cap.31. quæsito* 11. & *p.2. lib.12. cap. vlt. quæsito* 5. Villalob. suprà, Caietanus 2. 2. *quæst.147. art.4.* Bassæus *num.9.* citans alios; non enim seruiunt fractioni ieiunij. At hæc ratio est vana.

Hinc Diana *Tom.1. tract.9. resol.39.* aliam expedit quæstionem: An Caupones, proponentes indifferenter cænam omnibus in die ieiunij, peccent.

298 Respondet autem negatiue cum Ledesma *in summa, Tom.2. tract.27. cap.2. concl.6. diffic.4. fol.698.* Pro ea Sanchez *T.1. lib.1. cap.7. num.34.* citant Salonium, Martinum de Ledesma, Rodriquez, & alios, eamque sequitur Honobonus *de exam. Ecclesia, p.2. tract 8. cap.7. quæst.21.*

Oppositam tamen tenent Fernandez *in exam. Theol. p.2. cap.8. §.2. num.22.* Toletus *summa, lib.6. cap.5.* Nauar. *in manuali, cap.21. num.26.* Gabriel. *in 4. dist.16. quæst.3. art.3. dub.9.* Medina, & alij.

Videtvr tamen probabilis media sententia, licere, quando non potest aliter fieri sine graui incommodo. Eam tenent Filliuc. *Tom.2. tract.27. p.2. cap.4. num.93.* Lessius *lib.4. cap.2. dub 4. num.24.* Sanchez *Tom.1. lib.1. cap.7. num.37.* nec tenuit Diana *loc. cit.* Bassæus ait, si alioquin alibi inuenirent parantem.

299 Qværes secundò: An liceat petere iuramentum ab aliquo, quando timeo, illum peieraturum.

Asservnt Suarez *T.2. lib. de Relig. lib.3. de iuram. cap.15.* Hurtado 2. 2. *disp.173. sect.15. §.197.* Diana *Tract.7. de Scandalo, resol.9.* Dummodo tamen adsit iusta causa, & non petatur, vt falsum iuret.

300 Oppositam sententiam tenent D. Thom. apud Syluium 2.2. *quæst.98. art.4.* D.Bonau. *3. dist.39. art.2. quæst.3.* & alij apud Suarez *loc. cit.* Sotus *de Iust. lib.8. quæst.2. art.14.* Vasquez *opusc. de Scandalo quæst.43. art 9.* Basil. Ponc. *de Matrim. lib.5. cap.18. §.8. num.57.* Est autem sententia D. August. serm.2. decoll. S. Ioannis. *Si dicas: Ipse videris se perimens.* Respondet S. August. serm.28. de verbis Apostoli, cap.10. *Ille suo periurio se perimit; sed iste manum interficientis pressit*, vt refert S.Bonau. *arg.2. ad oppositum.* Si dicas, tua interesse, iuramentum ab homine illo accipere. Respondet S. August. serm. illo 2. *Nonne melius erat, vt rem tuam perderes, quàm hominis istius animam falsa iuratione perimeres?* Hinc soluitur argumentum Suarez *loc. cit.* & Dianæ.

301 Obicies primò. Nam homines hinc acciperent ansam ad furta, si intelligerent, non licere actoribus petere iuramentum à falsò iurantibus.

Respondetvr, negando sequelam; latrones enim timent suspendium ex aliorum testimoniis, & negantibus dantur torturæ ad excutiendum verum.

Obicies secundò. Sequeretur, non posse iudicem exigere iuramenta à reis; nam dubitare debet, ne velint dicere verum.

Respondetvr, posse reos sæpe tergiuersari, & negare. Quod si sciret Iudex, reum peieraturum, & posset aliter veritatem excutere, malè faceret iuramentum exigendo.

302 Qværes tertiò: an possim persuadere alicui, vt iuret rem veram, illi tamen ignotam.

Respondet Hurtado *disp.173. sect.15. §.200.* non licere, nisi iuraturus prius sibi persuadeat, rem ità esse probabili fundamento, ex quo possit formari dictamen practicum de honestate iuramenti. Vide etiam Dianam *loc. cit. resol.10.*

Cæterum, quando ex malitia propria scandalizantur, non est curandum, vt ait Christus, Matth.15. *Sinite illos: cæci sunt*, vt obseruat S.Doct. ipsumque omnes sequuntur.

Addit Bassæus *num.10. §4.* excusari heros, & parentes, qui filiis, vel famulis non auferunt occasionem furandi, vt eos experiantur; nequeunt tamen offerre; sicuti nec maritus potest suadere vxori, vt fingat assentiri amasio, vt deprehendatur.

QVÆSTIO IV.

An liceat resoluto in malum grande, suadere minus malum.

Hæc quæstio ad materiam scandali pertinet. Intelligitur autem, supposito, quod nequeas eum reuocare alia ratione; & ille non cogitet nisi de illo malo grandi, non de illo minori potius eligendo, quia si hoc cogitaret eligere, suaderes malum absolutè. 303

Prima opinio est negatiua. Ita docent Caietanus 2.2. *quæst.78. art 4. notab. 3.* Gabr. *in 4. dist.15. quæst.11. art.3. dub.24.* Azorius 1.2. *lib.12, cap.16, quæsito 8.* Couar. *in 4. decr. p.1. cap.4. in princ.* Valentia *Tom.3. disp.5. quæst.21. punct.4.* Sà, *v. peccatum, numero 8.* Castro Palao *Tom.1. tract.6. disp 6. p.6. num.9.* Hurtado 2. 2. *disp.173. sect.10. §.110.* Layman *lib.1. tract.3. cap.13.* vbi alios refert. Sic Lyra *Genes.19.* & *Iudicum 19.* Videtur D.Bonau. *in 4. dist.33. quæst. penult. ad 2.*

Secvnda sententia est affirmans. Ità Abbas *in cap. super eo, num.4. de vsuris* Adrian. *quodl.1. art.3. & quodl.9. art.3.* Nauar. *cap.14. num.40. & cap.17. num.263.* Sotus *lib 6. de Iustitia, quæst.1. art.5.* Bartholomeus Medina *prima 2. quæst.96. art.4.* Rodriquez *tom.1. sum. cap.12. concl.9.* Molina *1.2. disp.335.* Sanchez *lib.7. de matrim. §.11. num.15.* Becanus *cap.27. quæst.4.* Vasquez *opusc. de scandalo, super quæst.40. art.1. dub.1.* Turrianus 2.2. *Tom.1. disp.95. dub.6.* Basilius Puncius *de matrim. lib.3. cap.28. §. num.16.* Diana *Parte 3. Tract.5. resol.37. & p.5. Tract.7. resol.18.* Bassæus, *v. Restitutio, num.4.* & alij apud istos. 304

Assero primò, probabiliorem esse primam sententiam. 305

Probatvr primò. *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona:* Ergo multò minus, vt minora mala; at peccatum illud est verè malum, vt suppono verum: Ergo. Confirmatur, quia illius peccati tu verè causa es inducens. Est argumentum D.Bonau. *loc. cit.*

Respondent, non persuaderi illud malum simpliciter; sed sub conditione, quod maius malum velit; & suaderi non malum illud, sed antepositionem minoris mali, vt maius vitetur, alioqui ineuitabile.

Contra; quia adhuc illud est malum, non eligendum, vt quodcumque bonum eueniat, vt imperat Apostolus; multò minus, vt malum grauius vitetur. Nam adhuc vetitum est illud minus malum, nec vsquam eligendum conceditur, sed vitandum.

Assero secundo, probabilem esse etiam secundam sententiam. 306

Probatvr primò ex *Genes.19.* vbi Lot Sodomitis

domitis locutus est, vt à nefando complexu illo eum adolescentum remoueret: *Habeo duas filias, quæ nec dum cognoue unt virum. educam eas ad vos, & abutimini eis, dummodò viris istis nihil mali faciatis.*

307 Respondet Layman, fuisse hoc, non consilium, aut inductionem, sed permissionem comparatiuam, sic: Potius filias prostituerem, quàm hoc permitterem. Quo sensu dixit Absalon, vt Patrem induceret ad libere se in aulam admittendum: *Quod si memor es iniquitatis meæ, interficiat me.* Sic interpretantur Caietanus, Basilius, Sà, Valentia *locis citatis*, Sanchez *loc. cit. disp.* 11 *num.* 28. Molina *disp.* 335. Tali modo concedit S. Doct.

Qvamvis S. August. Abulensis, & Lyra existiment, Lot peccasse; sed minus grauiter ob animi perturbationem, ait Layman.

308 Profecto verba eius clarè ostendunt oppositum, imò iussionem: *abutimini eis*, non autem eum modum dicendi, qui prætexitur.

Quòd verò non peccauerit Lot, ostendo; nam eo tempore, quo egressus est Sodomis, dicitur Iustus fuisse 2. *Petri* 2. vt obseruant Diana, Poncius, & alij cum D. Bonau. *in* 1. *dist.* 43. *dubio* 2.

309 Probatvr secundò ex illo *Iudic.* 15. vbi Leuita suasit fornicationem spurcissimis illis, vt ab infandioribus reuocarentur. Hunc verò non peccasse, multi apud Lyranum asserunt, licèt ipse eum non excuset.

Probatvr tertiò ex D. August. *lib.* 2. *de adulterinis coniug. cap.* 15. & refertur *in cap. si quod verius* 33. *quæstione* 2. *Si facturus est, quod non licèt, iam faciat adulterium, & non faciat homicidium; & viuente vxore alteram ducat, & non humanum sanguinem* (idest vxoris) *fundat.*

310 Respondet Glossa, non fuisse consilium D. August. sed comparatiuam permissionem, si alterutrum peccatum committendum sit, potius se permissurum adulterium, quamuis neutrum suadeat; Quare statim subiungit: *Quod si est vtroque nefarium, videlicet vxorem occidere, & altera viuente, aliam ducere, non debet alterum pro altero perpetrare; sed vtrumque vitare.*

Probatvr quartò; nam omnes fatentur, licitum esse, à Tyranno iustitiam suæ causæ petere, vt docent Caietanus, Armilla, Sà *v. Tyran.* Nauar. *cap.* 14. *num.* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 9. & tamen Tyrannus peccat exercendo iurisdictionem.

311 Respondet Layman, Communitatem tacitè consentire, vt Tyrannus interim, dum principatum cedere non vult, saltem iustè iudicet. Ideò non peccari, dum ab eo ius postulatur, vt notat etiam Lessius *num.* 73.

Concedit Layman *loc. cit.* cum Azorio *c.* 17. *quæsito* 1. posse tunc minus peccatum suaderi, quando est pars maioris peccati; vt latroni, volenti totum abripere, possum suadere, vt partem relinquat saltem; Volenti occidere, vt percussione pugnorum contentus sit; volentem adulterare, vt fornicetur cum soluta.

312 Admonet tamen, suasionem minoris mali non debere esse in damnum tertij, v. g. vt qui vult adulterare, fornicetur cum tali determinata; vel qui vult furari centum à Titio, furetur quinquaginta à Caio.

Alivo exemplum mouet Diana *resol.* 19. an sit licitum volenti rapere nummos pauperi, suadere, vt à diuite surripiat determinato.

Hoc vltimum negant Castro Palao *Tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 6. *part.* 6. *num.* 12. Hurtado 2. 2. *disp.* 173. *sect.* 10. §. 156.

Oppositvm tamen censent Vasquez apud Palaum. Basilius Poncius *de Matrim. lib.* 5. *cap.* 18. §. *num.* 28 Turrianus 2. 2. *tom.* 1. *disp.* 95. *dub.* 6.

At non determinando personam, adhoc non licere docet Palaus. Verum enim verò oppositum docent Sanchez *de matrim. Tom.* 2. *lib.* 7. *disp.* 11. *num.* 24. Molina *de Iust. tract.* 2. *disp.* 335. Addunt autem consequenter Diana Sanchez, & alij, non teneri suadentem ad restituendum diuiti, si furtum secutum sit. 313

Imo addit Diana, posse suadentem ad minus furtum, respectu eiusdem etiam cooperari, quia in bonum operatur.

Ad bona tamen vitæ non licet cooperari, v.g. ad rescindendum nasum ei, quem volebat occidere; Ratio disparitatis est, quia bonorum fortunæ ille est dominus, & præsumitur assentiri; non autem bonorum vitæ. Ità docent Diana *loc. cit.* Basil. Poncius *loc. cit. cap.* 18. §. 5. *num.* 28. Vasquez *art.* 1. *num.* 13. Turrian. *disp* 95. *dub.* 1. Hurtado §. 122. qui §. 119. concedit etiam, posse proponi ei, qui maius malum vult, aliud minus, non suadendo, si is velit infandum peccatum; proponas: Maior delectatio capitur cum fœminis. Sed hic ad nostram sententiam reuertitur; nam proponitur tale malum minus, vt ad illud alliciatur, & consentiat. 314

Movent dubium: An ad impediendam proditionem vrbis, liceat traditorem inebriare, si alio modo ipsum auertere non vales. 315

Asservnt Less. *lib.* 4. *cap.* 3. *disp.* 4. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 60. *diff.* 6. quia ebrietas tunc non est mala, & sicut eum possem ferire, ità, &c. Minor Bassæum hoc reprobare cum Vulgers *tract. de Temper. cap.* 1. *disp.* 7. Laym. *lib.* 3. *sect.* 4. Nam bonum publicum priuato præualet.



DISPVTATIO XIX.

De Dono Sapientiæ.



LEVE licèt Iugum faciat charitas, non tamen sapidum absque sapientia, quæ affectiuam simul, & intellectiuam, cæterasque facultates afficit per redundantiam; diciturque meritò Donvm, quia non studio acquiritur, sed inspiratione donatur; quare ait D. Iacob. *cap.* 1. vt habet Seraphicus *in Dieta, tit.* 7. *cap.* 4. ad finem: *Si quis indiget Sapientiâ, postulet à Deo*: Proptereà comparatur ibidem Soli splendidissimo, omnia illustranti, Melli sapidissimo, cui degustato cætera desipiunt: Mari denique profundissimo, cuius viæ, & semitæ sunt inuestigabiles: vide Seraphicum.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Quale donum sit SAPIENTIÆ.

D.Bonau variis in locis.
D Thom quæst.45.

316 NOTANDVM ex D.Bonao. *de septem Itineribus æternitatis, Itinere 3. dist.3. art.3.* & *de septem donis, de dono Sapientiæ, cap.1.* & *3.p. Centiloquy, sect.45.* & aliis locis, Multas enumerari sapientias. Omitto *Sapientiam carnis, inimicam Deo*, vt dicitur Roio.8. & *Sapientiam huius mundi*; quæ dicitur à D.Iacobo, cap.3. *animalis, & diabolica*, & à Paolo dicitur *Stultitia*, quippe quæ bona transitoria æternis præfert, veluti auro ferrum. Vide D. Bonauenturam *ll. cc.*

EST Sapientia Increata, cuius Panegyricos intexuit Sap. cap.7. *Candor lucis æternæ, speculum sine macula, &c.* quæ eleganter prosequitur S.Doct. *in Commentario*, & D.August. *lib.1. de Genes. ad litt. cap 5.* Est autem hæc sapientia FILIVS DEI, non Donum, sed Donator donorum.

317 DATVR duplex Sapientia Creata: Altera, quæ studio humano acquiritur, & est virtus intellectualis, de qua Aristoteles *lib.1. Metaph cap.2.* & D.August. *lib 14. de Trinit. cap.1.* aiunt, esse vniuersalem cognitionem omnium rerum diuinarum, & humanarum. Hæc sanè potest dici sapientia, quia est sapida scientia, tametsi non perfectè condita: Quamuis admirabiles in ea delectationes asserat Aristoteles *in Ethicis*; eas tamen imperfectas esse, addit S.Doct. quia non sunt oleo gratiæ conditæ.

318 POTEST verò illa Sapientia aliqualiter rectum habere iudicium circa res diuinas, vt ostendit Hugo *supercælestem Hierarchiam, cap.1.*

EST autem Sapientia, quæ de rebus abstractissimis, atque diuinis agit, quam Aristoteles *Metaphysicam* vocat; nos autem aptius *Theologiam* nuncupamus, ad cuius splendorem eclipsata est, & in figmenta est resoluta terrena sapientia. Eam verò laboribus acquirimus, supposita fide.

319 PORRO est etiam altera Sapientia infusa, vt ait *Iacobi 3.* cuius obiectum est Deus, non sub ratione nudi veri, sed veri, vt ad bonum degustandum; & hæc est verè Sapida Scientia. De hac Sap.11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, &c.*

320 HVIVS actus est contemplari Deum, non quocumque modo, sed ex dilectione cum quadam experimentali suauitate, & affectu. Hinc D.August.15. *de Trinitate, cap.7.* ait. *Vbi nulla est dilectio*, (scilicet gratuita) *quis vllam dicis esse Sapientiam?* Et Bernardus serm.85. in Cant. *Nec dixerim reprehendendum, si quis sapientiam saporem boni definierit.* Vnde Isidorus, lib. 10. Ethymol. *Sapiens dictus est a sapore*: Quia sicut gustus aptus est ad discretionem saporis ciborum, sic sapiens ad dignoscendum sapores rerum, atque causarum est aptus.

321 Ex his habes, Donum Sapientiæ esse habitum supernaturalem, animæ à Spiritu Sancto infusum, ad Deum cognoscendum, & saporosè diligendum. Sic autem definitur; *Est habitus, à Deo infusus, reddens animam facilè mobilem ad Deum amanda, & degustanda ex dilectione, seu Charitate.* Itaque actus eius est contemplari Deum, non quocumque modo, sed ex dilectione, cum quadam experimentali suauitate, & affectu.

OBIECTVM igitur Sapientiæ principale est 322
Deus, non sub ratione veri absolutè; sed sub ratione veri in relatione ad rationem boni, vt est excitatiuum voluntatis ad eius saporosam delectationem. Ideò dicitur Sapientia, quasi sapida scientia, vt sæpe ait S.Doct. Sapientiæ quasi subiectum est intellectus quidem, sed redundans operationes ad volontates, sicut Sol in quarto cælo influit in alios orbes, & in elementa. Probat igitur S.Doct. eam non sistere in intellectu *lib. de septem donis. De Dono sapientiæ, cap.1.* & *in Diata, tit.6. cap.4.* & *in 1. quæst.3. Procem.* è Scriptura, & Patribus.

PRIMO quidem *Eccles.* 6. dicitur: *Sapientia enim Doctrinæ est secundùm nomen eius*, idest, Sapida scientia.

RESPONDET D. Thom. *quæst.45. art.2. ad 2.* 323
Tanner. *disp.2. quæst.4. dub.3. num.44.* & alij, hanc non videri veram sapientiæ nominis interpretationem, quod scilicet sit Sapientia, quasi sapida scientia.

CONTRA quia sic interpretantur SS. PP. relati à S.Doct. D.Bernardus, sermone 85. in Cant. *Nec dixerim reprehendendum, si quis sapientiam boni definierit.* Isidorus, lib.10. Ethymol. verb. Sapiens. *Sapiens dictus est a Sapore; quia sicut gustus aptus est ad discretionem saporis ciborum, sic sapiens ad dignoscendos sapores rerum, atque causarum aptus est*, vt modò suprà notaueram.

CONFIRMAT ex *cap.24.* Vbi Sapientia ait: 324
Spiritus meus super mel dulcis.

RESPONDET S.Thom. id in Latino haberi, non in Græco; sed sensum esse, Sapientiam esse secundùm nomen, idest *Magnam*, nec minorem suo nomine, idest *Fama*. Sed in Græco habetur secundum nomen *το ὄνομα*.

DEINDE dico, eam non posse esse sine charitate. Probatur à S.Doct. ad id Sap.1. *In maleuolam animam non introibit Sapientia.*

PROBATVR à SS.DD. quia facit rectitudinem iudicij: adde & saporis circa diuina, secundùm regulas diuinas sibi connaturales, quæ quidem sunt per Charitatem.

QVÆSTIO II.

Quæ sit vtilitas, & necessitas huius Doni.

NOTANDVM primò cum D. Bonau. *de Dono* 315
Sapientiæ, cap.2. ex D. Bernardo *lib. de natura, & dignitate amoris Diuini, cap.7.* quòd: *Sicut corpus habet suos quinque sensus, quibus anima coniungitur, vitâ mediante; sic Anima habet suos quinque sensus spirituales, quibus Deo coniungitur, mediante Charitate; & sicut sensus omnes, sine sensu Gustus, infirmantur, & hebetantur in operationibus suis; sic omnes sensus spirituales infirmantur, & languescunt in operibus suis, sine gustu sapientiali, qui gustabilia spiritualia sapida facit.* Hunc saporem, vt ait S.Bernardus, *serm.85. in Cant.* perdidimus in esu pomi acidi, veneno infecti, ex quo sapiunt nobis concupita. Hic autem sensus per sapientiam reparatur, vt diuina nobis suauia fiant; vnde vegetantur vires animæ, vt ait S.Bernardus suprà,
cap.10. Sensum itaque Auditus excitat ad verbum Dei 326
audiendum; Sensum Olfactus ad dilectum sectandum, vt dicat: *In odorem curremus vnguentorum suorum*; sensum Tactus ad dilectum firmè tenendum, vt dicat: *Tenui eum, nec dimittam. Introducam in domum patris mei, & in cubiculum genitricis meæ.* Cant.3.

ITAQVE omnes sensus spirituales, gusto sapientiæ

pientiæ excitantur in summum appetibile, vt docet D.August. *lib.*10. *Confess. cap.*6.

De hac sapientia dicit Iacobus, cap.3. *Sapientia, quæ desursum est, primùm quidem pudica est*, quia vitat corruptelas peccati; pacifica quidem, & modesta est, in omnibus tenens medium, &c.

327 Igitvr donum Sapicotiæ, noo solùm docet secundùm iudicium rectum contemplari dioina, sed etiam docet regulari humanos actus excellentiori modo, quàm doceat sapientia, quæ est virtus intellectualis. Rationem affert D.August.12.*de Trin.cap.*14. dicens: *Superior pars rationis sapientia deputatur; inferior autem scientiæ. Superior autem ratio meditationibus supernis scilicet diuinis, & conspiciendis, & consulendis. Conspiciendis quidem, secundùm quod diuina in se ipsis contemplatur. Consulendis autem, secundùm quod per diuina iudicat de humanis, per diuinas regulas dirigens actus humanos, vt homo non solum assimiletur Deo secundùm imaginem, sed etiam secundùm*
328 *operationes, prout potest.* Vnde S. August. de serm. Domini in monte cap.9. ait: *Sapientia est contemplatio veritatis, pacificans totum hominem, & suscipiens similitudinem Dei. Pretiosior est sapientia cunctis operibus, & omnia, quæ desiderantur, non valent huic comparari.*

Ex dictis deducit S. Doct. cum D.Thom. *art.*3. Sapientiam esse practicam. Vnde Apostolus *Coloss.*4. ait: *In sapientia ambulate*; indè elicitur etiam, ad quam operationem ordinet, nempe, vt saporosè degustata diuina, iudicentur palato emundato, non infecto, & ad ea auidè famelici aspiremus, sublata infectione mali humoris, ad modum, quo Saccaro rosato expurgata bile, sapiunt nobis postea cibi necessarij. Idem habet S. August. 12. *de Trin. cap.*14.
329 Ratio est, quia quantò aliqua virtus est altior, tanto ad plura extenditur, vt habetur *lib. de causis, prop.* 10. Cùm igitur sapientia, quæ est donum, sit præcellentior sapientia intellectoali acquisita, quæ ad contemplationem dirigit; sequitur, ad actionem etiam extendi, vt arguit etiam Tannerus *num.*39.

Dicas *Sap.*8. habetur: *Non habet amaritudinem conuersatio illius* (scilicet Sapientiæ,) *nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium.* Cùm tamen in actiooe tædium, & amaritudo reperiatur, vt ait D. Gregorius *lib.*6. *Moral. cap.*28. dicens: *In contemplatione principium, quod Deus est, quæritur; in operatione autem sub graui necessitatis fasce laboratur.*

330 Respondetvr, amaritudinem, quæ est in actione, non prouenire à Sapientia; sed ab ea potius in dulcedinem verti, vt obseruat Tannerus *numero* 40. ex D. Bonauentura ad eum locum Sapientiæ, & D.Thoma.

QVÆSTIO III.

Qua ratione DONVM SAPIENTIÆ *à Deo obtineatur.*

331 Observat S. Doctor, Sapientiam inueniri per cognitionem; sed possideri per dilectionem; per cognitionem quidem videri; per dilectionem autem amplecti, & gustari. Videre pertinet ad intellectum; sed amplecti, & gustare ad voluntatem, vt ait Richard. *lib.*4. *de contempl. cap.*15. dicens: *Sicut Deus per memoriam auditur, per intellectum videtur: ità per affectum amplexatur, & gustatur, vel astringitur, & sic tenetur:* Et hoc vtique est perfectius, quàm solùm videre, quod ostendit D.August. *lib.*9. *de Trinitate, cap.*12. vbi ait, actum amplexandi esse proprium voluntatis actum.

Igitvr docet sapiens *Prouerb.* 2. quærere Sa- 332
pientiam: *Si quæsieris Sapientiam quasi pecuniam, & sicut Thesauros, effoderis illam: tunc intelliges timorem Domini, qui est initium sapientiæ.* Quæ verba exponens Hieronymus, ait: *Qui thesauros effodit, terram reiicit, foueam in altum fodit, sedulus insistit, donec inueniat quod quærit. Sic qui thesauros sapientiæ inuenire desiderat, omne pondus terrenum à se reiiciat, in se fossam humilitatis faciat, nec quiescat, donec inueniat.* Hæc ille: *Ipsa enim sapientia facilè videtur ab his, qui quærunt eam: & cogitare de illa, sensus est consummatus.* Est igitur quærenda Sapientia, quia sicut ipsa dicit, Prou.8. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem a Domino.*

Qvomodo autem agnoscas, inuentam à te sa- 333
pientiam, docet S.Bernardus in sententiis: *Inuenisti planè sapientiam, si prioris vitæ peccata defleas, si huius sæculi desiderabilia paruipendas, si æternam beatitudinem toto desiderio concupiscas. Inuenisti sapientiam, si tibi horum singula sapiunt, prout sunt, vt hæc quidem amara, & omnino fugienda; illa quoque, velut caduca, & transitoria contemnenda; ista verò vt perfecta bona, toto desiderio appetenda, quæ intimo quodam animi sapore diiudices, & discernas.*

Igitvr hoc donum, quod est habitus supernaturalis, est à Deo enixè postulandum, vt ait Iacobus, cap.1. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans.*

Qvatvor autem conditiones apponit: Pri- 334
mam, indigentiam in postulante: *Si quis indiget.* Secundam, Postulationem, quæ est filiorum, vt dicitur Psal 2. *Postula a me, &c.* Sicut rogare est serui. Vnde habes, sapientiam non infundi, nisi filiis gratiâ adoptatis. Ideò Sap.7. dicitur: *Neminem diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia habitat.* Tertiam, largitatem donatoris: *Qui dat affluenter omnibus*, vnde 3. *Reg. cap.*3. dicitur Salomoni, qui Sapientiam postularat: *Sed & hæc, quæ non postulasti, dedi tibi, diuitias, & gloriam.* Quartam, postulantis fiduciam: *nihil hæsitans.* Hæc S.Doct. de Sapientia. Vide multos SS.PP. in D.Bonau. *lib.*3. *Pharetræ, cap.*32.

QVÆSTIO IV.

De illuminatione, quam affert Sapientia.

Sapientia est veluti Sol, diem afferens lu- 335
centem cognitione, & feruentem affectu. Ideò Alanus de insulis: *Sapientia est Sol, per quem lumen mentis diescit in tenebris, cordis oculus, fructus internæ dilectionis, deliciosa animæ paradisus. Hæc in cælestem terrenum, in immortalem caducum, hominem in Deum deifica mutationis auctoritate conuertit. Hanc luminosam sapientiam desiderauit, qui dicebat*, Sap.7. *Inuocaui, & venit in me Spiritus Sapientiæ: & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, quoniam horum omnium bonorum Mater est.* Vide S.Doctorem in *Diæta, tit.*6. *cap.*4. mira dicentem.

Tvllivs primo de legibus ait: *Mater omnium* 336
bonarum rerum est Sapientia, qua nihil vberius, nihil præstantius, quia bonum vitæ datum est. Hæc enim cùm cæteras res omnes docuit; tum quod difficillimum est docuit, vt nos nosceremus. Vide D.Bernardum *sermone* 85. *in Cant.* & *serm.*3. *de circumcisione*, vbi ostendit, ea

sapientia

ſapientia oriri decorem in anima, conſcientiæ claritatem, cuius teſtimonio nihil clarius, *Cùm veritas*
337 *in mente fulget, & mens in veritate ſe videt.* Hunc
diem, ſereniſſimum Sabbathum mentis, in contemplatione ait fulgêre, qui ſanè dies ſeptimus, ſeptimum ſcil. donum, non habet veſperam, ſed hîc auroram habet, & in cælo æternum meridiem. Optimam enim partem vocat eum Dominus, *Luca* 10. Vnde Anſelmus *lib. de ſimilitudinibus, cap.* 131. ait: *Donum Sapientia pertinet ad vitam contemplatiuam, qua eſt optima pars, quam Maria elegit, qua non auferetur ab ea: Sed magis in patria perficitur.* Vnde Gloſſa ibidem dicit: *Contemplatiua vita hîc incipit, & in caleſti patria perficitur; quia amor eſt ignis, qui ardêre incipit, ſed cùm ipſum, quem amat, videbit; amplius in amore igneſcet.* Hæc S. Doct. quem vide.

QVÆSTIO V.

De Sapientia ſpiritualibus delicijs.

358 EDISSERIT hæc eleganter S. Doct. à *cap.* 3. *de Dono Sapientia*, vbi ſub ſpecie conuiuij exponit ſpirituales delicias Doni Sapientiæ.

HOC conuiuium exponitur Cant. 5. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Vbi triplex conuiuium præparatum oſtendit à Sapientia. Primum amicis iuſtis, vt comedant, labore maſticando, vnde dicitur: *Labores manuum tuarum, quia manducabis.* Secundum conuiuium eſt potatio ſuauis animæ poſt hanc vitam. Tertium eſt inebriatio hominis poſt reaſſumptum corpus in reſurrectione; & hi vocantur *chariſſimi.* Vide D. Bernardum *lib. de diligendo Deo*, vbi ſic habet: *Cibat in hac vita laborantes, potat poſt hanc vitam quieſcentes, & inebriat in æterna vita regnantes*, &c.

339 PRIMVM igitur conuiuium eſt amicorum, quibus Spiritus Sanctus præparat conuiuium Sapientiæ. In hoc anima edit Sapientiæ panem, ſed in ſudore vultus. Hic cibus eſt ipſum opus, facere voluntatem Dei; vnde Chriſtus Ioan. 4. dicebat: *Meus cibus eſt vt faciam voluntatem Patris mei.* De hoc D. Gregorius lib. 1. moral. cap. 16. *Sapientia in die ſuo conuiuium facit: quia mentem de æternorum ſpe, & certitudine reficit.* Hoc cibo veſcuntur, qui mandunt meditatione panem, qui de cælo deſcendit, vt dicitur *Ioan.* 4. Vide D. Bonauent. mirabilia de his promentem.

340 PERGIT *cap.* 6. apponere vinum ſapientiæ, de quo Prouerb. 9. *Bibite vinum, quod miſcui vobis.* Hoc carent mundani, Ioan. 2. *Vinum non habent*, vt egregiè exponit S. Doct. & S. Gaudentius Brixiæ Epiſcopus. Vnde lætatur ſponſa Cant. 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam*: Hæc eſt Sapientia increata, Verbum æternum, continens omnes theſauros Sapientiæ Dei abſconditos.

Hoc erat vinum generoſum, de quo vmbraticè *Eſther* 13. incaluit Aſſuerus. De hoc Cant. 8. *Dabo tibi poculum de vino condito.* Vide S. Doctorem.

Explicat verò *cap.* 7. qui ſint amici, & chariſſimi ad conuiuium inuitati Sapientiæ.

341 ORIGANENS ad illud Cant. *Amore langueo*, diſtinguit inter ſimplicem amorem, ardorem, & languorem, dicens: *Amant incipientes, ardent proficientes, ſed languent in amore perfecti.* Igitur, qui maiori amore diligunt, diliguntur à Deo: *Ego diligentes me diligo.* Prouerb. 8. ſunt chariſſimi Deo, qui maximè Deo delectantur, quia maximè diligunt. Vnde *Cant.* 7. dicit Dilectus: *Quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima in delicijs.* Hinc Vercellenſis: *Quàm pulchra es feruoribus affectualibus, & ſpiritualibus, chariſſima, propter præcipuam pulchritudinem, & feruidam dilectionem.*

PORRO ebrietatem iſtam exponunt S. Diony- 342
ſius *epiſt. ad Titum*, & Vercellenſis ad ea verba Cant. 5. *Inebriamini chariſſimi*, per abundantem cæleſtium theoriarum, id eſt reuelationum frequentiam, & experimentalem redundantiam. Talem, ait Richard. *lib. de Beniam. cap.* 37. fuiſſe illam Pauli, prima Corinth. 12. *Siue in corpore, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit.* Cui alludit Pſal. 67. *Ibi Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu.* Dixerat autem antea: *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hereditati tua, & infirmata eſt*, *&c.* Ebrietas enim alienationem mentis efficit, vt ait Richard. *lib.* 4. *de contempl. cap.* 16. Vnde Pſal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tua, & torrente voluptatis tua potabis eos.*

SI igitur cupimus hac ebrietate madêre, ſataga- 343
mus Dominum intimè diligere. Sic enim in Deum transformati, extra nos viuemus, vt aiebat Paulus. Tanta eſt enim vis amoris, & pulchri, vt ait Vercellenſis *in prologo ſuper Cant.* vt non ſolùm homines, & Angelos extra ſe in Deum rapiat, ſed & Deum ipſum extra ſe eliciat ad creaturas. Hoc didicit à D. Dionyſio *cap.* 4. *de diuinis nominibus*, vbi ait: *Audendum, eſt dicere pro vero, quia ipſe Deus omnium, tam pulchro, & bono amore exit per abundantiam amatiua bonitatis, quaſi extra ſeipſum.*

HINC igitur S. Doctor *cap.* 8. aſcendit ad ſecundum conuiuium exponendum in gloria, vbi anima, carne exutâ, bibit vinum cum lacte Soporatiuo. *Cant.* 5.

PERGENS *cap.* 9. tertium exponit conuiuium 344
regnantium poſt reſurrectionem; de quo Lucæ 22. *Ego diſpono vobis regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam, &c.* Vide S. Doctorem.

MOX *cap.* 10. Conuiuantium in illo regali ſapientiæ epulo ſeriem deſcribit, vbi mira è Sanctis Patribus contexta enarrat.

POSTREMO *cap.* 11. iuxta numerum ſeptem donorum, conuiuantium beatitatem exponit. Eum vide diuinitus eloquentem.

EX ſuprà dictis colligere potes, differre donum 345
Sapientiæ ab aliis donis. A dono intellectus differt, quia Sapientia eſt cognitio Dei abſolutè; intellectus verò collatiuè, ſcilicet in comparatione ad creaturas. Secundò, quia intellectu cognoſcitur Deus per illuminationem de auditis in Scriptura; Sapientia autem cognoſcitur experimento. Itaque per Intellectum Deum cognoſcimus; per Sapientiam dulcedinem eius guſtamus; vnde Sapientia dicitur, quaſi ſapore virtutum condita ſcientia. Atque adeò, ſicut donum Intellectus eſt ad ſpeculationem, vt intellectus facilè moueatur ad res diuinas, prout in ſe ſunt tales. Donum autem Sapientiæ eſt practicum, reddens intellectum facilè mobilem ad percipiendas res diuinas, vt ſunt bonæ, & expetibiles, & vt iudicet illis inhærendum, vt docet D. Bonau. *lib.* 5. *Compendij Theologia*, *cap.* 46. D. Thom. *art.* 2. *&* 3. Caietanus *ibi*, & *quaſt.* 46. & Valentia *diſp.* 5. *quaſt.* 20. *punct.* 1.

DIFFERT etiam à dono ſcientiæ, quia hoc reddit 346
intellectum facilem ad iudicandum, quibus rebus creatis, & quomodo inhærendum; atque hoc ſecundùm rationes creatas docet. Donum verò Sapientiæ monſtrat, quomodo rebus diuinis, & ſecundum rationes diuinas ſit hærendum. Vide D. Bonau. *de ſeptem donis, de Dono ſcientia.*

347 Differt etiam à Dono Consilij; nam hoc edocet quid hîc, & nunc agendum: Sapientia verò vniuersalis est. Vide de Dono *de Consilij* Seraphicum.

QVÆSTIO VI.

Quo pacto stultitia opponatur Sapientiæ.

348 SAPIENTIÆ opponitur stultitia, quæ dicitur falsa Sapientia à D.Gregorio *lib.13. Moral.cap.14.* apud D. Bonau. *lib.3 Pharetra, cap.32.* à Paulo dicitur: *Sapientia huius mundi*, prima Cor.1. & à Gregogorio lib.31. cap.20. vocatur: *Stultitia apud Deum*, apud quem est rectum rerum iudicium.

HÆC autem consistit in prauo iudicio, quod diuina postponit caducis, vt ait D. August. *lib.2. de lib. arb. cap.16.* & *de quantitate animæ, cap.19.* & *lib.10. de ciuit. cap.28.* & hoc vocatur *malè sapere, & desipere* à D.Bernardo *lib. de gradibus humil.gradu 1.* & in illud: *Ecce nos*, &c. vocat eam maledictam sapientiam, quæ supplantat, & terrenam, animalem, diabolicam, vt notat S.Doct. *loc. cit. Pharetra*, quem vide.

EODEM pacto vocatur à D. Iacobo *cap.3.* vt egregiè exponit S.Doct. *de dono Sapientiæ, cap.1.* Dicitur sane *diabolica*, quia fallit ad perdendum. Vide D.Thom. *quæst.46. art.2.*.

349 SECVNDI autem Sapientia dat saporem, suauitatem, & gustum in rebus Diuinis; sic stultitia in rebus caducis. De hac *secunda Sapientia*, vbi iuuenes illi conclamabant: *Venite, fruamur bonis, &c. Vbique relinquamus signa lætitiæ nostræ*, vt explicat S.Doct. *serm.2. infra octauam Natiuitatis.*

Ex quo deducitur, stultitiam esse peccatum eius generis, cuius est obiectum, quod Deo anteponitur. Vide etiam D.Thomam *art.2. & 3.*

QVÆSTIO VII.

An septima Beatitudo respondeat dono Sapientiæ.

350 D. AVGVST. *lib. de serm. Domini in monte*, distribuens dona per beatitudines, ait: *Sapientia conuenit pacificis, in quibus nullus motus est rebellis, sed rationi obtemperans.*

IGITVR Sapientia respondet huic septimæ beatitudini: *Beati pacifici; quoniam filij Dei vocabuntur*: Ratio D. Bonau. *5. p. Breuiloq. cap. 6.* est; quia Sapientia iungit nos summo, & vero bono, in quo est finis, & tranquillitas totius nostri rationalis appetitus; Qua pace adepta, necessariò sequitur superabundans delectatio spiritualis, quæ in duodenario fructuum Spiritus continetur.

351 CVR autem Sapientia ordinet ad pacem, explicat etiam S.Thom. *quæst.45. art.6.* nam pax est tranquillitas ordinis, vt ait D. August.19. *de ciuitate*; ordinare autem pertinet ad Sapientiam, vt docet Aristoteles *initio Metaph.* & ideò *esse pacificum* attribuitur Sapientiæ.



DISPVTATIO XX.

De Prudentia.

POST virtutes Theologicas agunt Theologi de Cardinalibus, quarum prima recensetur Prudentia. Hæc namque præficitur toti moralium virtutum Œconomiæ, easque, vel discernendo, vt Consiliarius, aut diffiniendo, vt Imperator, ad suos actus dirigit: præterita recognoscit, de præsentibus disponit, futurisque prouidet; hinc habet partes suas subiectiuas, præteritorum Memoriam, præsentium Intelligentiam, & futurorum prouidentiam; insuper passionum retinet habenas, et si quando repentino motu insurgunt, eas subitò cohibet, & in concordiam redigit: aliquando mundana est in cumulandis diuitiis; humana, in carnis sectandis commodis; Diuina verò obsequiis mancipatur æternis, vt notat S.Doctor locis infrà notandis; huius adhuc natura, & qualitas inuestiganda est.

QVÆSTIO I.

Quid sit PRVDENTIA.

{ D.Thom. à quæst.47. vsque ad 56.

VARIIS modis accipitur nomen prudentiæ, vt docet D.Bonau. *lib.5. Compendij Theol. cap.34. in Dieta, tit.5. cap.5.* & *opusc. de quatuor virtutibus Cardinalibus.* Et *de septem Itineribus, Itinere 7. dist.5.* & *in Pharetra, lib.2. cap.27.* 1

Primò enim significat quamcumque veri cognitionem, humano studio comparatam, sic accipitur à D.Ambrosio *lib.1. de offic. cap.24.* à Tullio *lib.1. de offic.* & *lib.2. de Inuentione* apud D.Bonau. *in Pharetra* & *3. p. Centiloquij sect.41.* & *serm.6. Hexaëmeronis.*

SECVNDO significat cognitionem tantùm practicam rerum, quæ vel expeti, vel repudiari debent. 2
Sic illud accipit D.August. *lib.1. de lib. arb. cap.13.* & *lib.83. qq. quæst.31.* Prudentiam esse rerum appetendarum, & vitandarum scientiam: ita accipitur & apud S.Doctorem *in Pharetra.* & D. Isidorum *in Ethymol. lib.10.* verbo Prudentia: *Prudens dicitur, quasi porro videns, perspicax est enim, & incertorum prauidet casus.* Vnde in Græco habetur *φρόνιμος*. Et hoc modo accipitur à S. Doct. *in declaratorio Terminorum Theologiæ*, & *in Centiloq. loc. cit.* à D. Gregorio. Sed neque hæc est propria Prudentia, quæ debet, & scire, & prouidere.

TERTIO sumitur Prudentia pro omnibus facultatibus intellectus practici, quæ ad rectè instituendas humanæ vitæ actiones conducunt, aut etiam sunt necessariæ. 3

cessatriæ. Sic accipitur frequenter à Philosopho *lib.6. Eth. cap.5.10.& 11.*

QVARTO Prudentia,maximè propria,nominatur facultas quædam intellectus practici ad rectè statuendum, quid agendum sit in quouis actu particulari.

Porrò hanc Prudentiam definit Aristoteles lib.6. Eth. cap.5. *Prudentia est habitus intellectus, vera cum ratione actiuus circa ea, quæ homini & bona, & mala sunt.*

Idem volt S.Doct. de septem Itineribus, Itinere 7. dist.5. definiens: *Prudentia est ad rationis normam vniuersa dirigere.*

4 Et in opusculo de quatuor virtutibus Cardinalibus: *Prudentia est bonarum rerum, & malarum discretio, vtraque cum fuga mali, & electione boni: de qua procedit circumspectio, docilitas, & cautio.* Circumspectio est cautela contrariorum vitiorum, qua fugimus auaritiam, & cauemus prodigalitatem, &c. Docilitas est potentia erudiendi, hoc ordine, vt priùs te, & postea alios instruas. Cautio est prudentia discernendi vitia, virtutum speciem inferentia.

Huc refertur etiam definitio Macobrij *lib. 1. in* somn.Scipionis: *Prudentia est ad rationis normam, quæ cogitat, quæcumque agit, vniuersa dirigere, ac nihil præter rectum velle, vel facere.* Sic D. Bonau. *lib.6. Compend. Theologiæ, cap.34.*

DEFINITVR etiam à Tullio de requie mentis: *Prudentia est rerum bonarum, & malarum, cum alterarum dilectione, & reliquarum detestatione scientiarum:* apud D.Bonau. *3 p. Centiloquy, sect.41.*

5 SIMILIS est definitio D.August. *de moribus Ecclesiæ, lib.1.cap.15.* apud D.Bonauent. *loc. cit,* Centiloquij. *Prudentia est amor, ea, quibus adiuuatur in Deum, ab his, quibus impeditur, sagaciter discernens.* Et lib.83. qq.32. definit: *Est cognitio rerum appetendarum, & fugiendarum.*

6 DESCRIBIT autem Prudentiam, vt est virtus purgatoria, ex Macrob. lib.1. in somn. Scip. *Prudentia est mundum istum, & omnia, quæ in mundo sunt, diuinorum contemplatione despicere, & omnem animæ cognitionem in sola diuina dirigere.* Prudentia autem, prout est virtus purgati animi; definitur: *Est sola diuina noscere, & tanquam nihil aliud existat, eam intueri.* Sic definitur *lib 5. Compend. Theol. cap.34.* & *opusc. de quatuor virtutibus Cardinalibus,* & alibi.

QVÆSTIO II.

An PRVDENTIA *sit virtus.*

S.Bonau.3 dist.33.quæst.1. & 4.
D.Thomas quæst.47.art.4. & 5.

CERTVM est, Prudentiam esse Virtutem.

7 PROBATVR à D. Bonau.1. *ad 8. Sap.* & *in 3. dist.33. quæst.1. & 4.* ex illis verbis: *Sobrietatem, & Prudentiam docet, & Iustitiam, & Virtutem,* idest Fortitudinem. Idem probat illo Prouerb.8. *Mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me Reges regnant, & Legum conditores iusta decernunt.*

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *in Diæta sit.5. cap.* . & aliis Scripturæ locis, Prouerb.28. *Dux indigens prudentiâ, multos opprimet,* &c.

PROVERB.6. *O piger, vade ad formicam, & disce Prudentiam; quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat.*

PROVERB. 30. Comparatur prudens quatuor animalculis,ibidem laudatis. *Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora Sapientibus: Formica, populus infirmus, qui præparat in messe cibum suum: Lepusculus, plebs inualida, quæ collocat in petra cubile suum: Regem Locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas: Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis.* Hæc quatuor animalia proponuntur Magistri prudentiæ, vt notat Lyranus *ibi* cum S. Bonau. vbi egregiè hæc animalia mysticis parallelis exponit nobis; vt imitemur Lepusculum, ponentes cubile in petra, quæ est Christus, vt dicitur *prima Cor.10.* Stellionem, vel Lacertum, qui alas non habens, supplet manibus indigentiam naturæ, sic & prudens diligentiâ in operando suppleat defectum naturæ: Lo- 8
custam, quæ altè ascendit, & statim ad terram descendit; sic enim & prudens altè per sancta desideria ascendit, & descendit statim ad propriæ infirmitatis cognitionem, atque inde diuini auxilij necessitatem recognoscit; iuxta id Psal.110. *Ascendit vsque ad cælos, & descendit vsque ad abyssos.* Et iuxta D Gregorium infrà. Denique Formicam imitemur, vt prudenter paremus nobis merita, iuxta id Ioan.9. *Operamini dum dies est.* 9

Matth. 10. *Estote ergo prudentes, sicut serpentes,* quam similitudinem optimè exposuit S.Doct. *loc. cit.* quinque parallelis. 10

PRIMO enim serpens totum corpus exponit ictibus, vt caput seruet, sic prudens Christianus exponit omnia, vt honorem Christi Capitis seruet, vt dicitur Philip.3. *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum, propter Christum, detrimenta.*

SECVNDO, serpens inter angusta, ac radentia saxa pellem expoliat veterem; sic & Christianus debet veterem hominem exuere, vt monet Apostolus *Ephes.4.*

TERTIO serpens deludit incantatorem, vt dicitur *Psal 57.* Sic & prudentes Sancti dæmonem deludunt, vnam aurem obturans cauda, idest memoriâ nouissimorum; iuxta id Eccles.7. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*; & alteram aurem, more serpentis obturans in terra, memoriâ propriæ fragilitatis, quia dicitur Genes.4. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* 11

QVARTO, insidiatur serpens calcaneo; sic viri prudentes superant desideria carnis, attendentes, quia finis delectationis, scilicet mors infernalis, iuxta id Rom.6. *Finis illorum mors.*

QVINTO,fugit mulierem ob inimicitias,*Genes.3.* intimatas; sic prudens fugit occasiones fornicationis, iuxta consilium Pauli *prima Corinth.10.* 12

ALIAM prudentiam serpentis exponit S.Doct. *serm. de SS. Philippo, & Iacob,* nam cùm se sentit veneno grauatum, herbam quandam edit, cuius virtute venenum euomit; mox ad balneum aquæ properat, ibique se lauat, & multis diebus ieiunus permanet; ex quo cutis à carne relaxatur, inter radentes angustias petræ pellem exuit, vt nouam induat. Sic & homo prudens, volens ex veteri fieri nouus homo, debet se lacrymis lauare, amaram pœnitentiæ herbam edere, & sic venenum peccatorum confitendo euomere; mox per satisfactionis foramen arctum transire, & sic spoliis culparum exutus, induere gratiam. Vide ibi Sanctum Doctorem.

EASDEM comparationes habes *sermone 2. de vno S. Doctore*, qui est 31. & *serm. 33.* vbi loquitur iuxta Aristotelem *libro de historia animalium, 8. capite 17.* 13

SERMONE verò 2. *de S. Antonio de Padua* ex *Iob*.38. Galli prudentiam laudat: *Quis dedit Gallo intelligentiam*. Et serm. de S. Lucia, multa prudentiæ exempla refert ex historiis Sacris, & prophanis. Eam enim esse virtutem fatentur Aristoteles 3. & 6. *Eth. cap*.5. & 13. Cicero *lib*.1. & 2. *Tuscul. qq*. Seneca *epist*.68. Plutarchus *in lib. de virtute morum*, Iuuenalis *Satyra* 10. Valerius Maximus *de prudentia*. Vide S. Doct. etiam *in* 3. *dist*.33. *quæst*.5. illos referentem.

14 PROBATVR tertiò à S. Doct. *lib. citato Pharetra, cap*.27. è SS. PP. id vnanimiter asserentibus.

D. AVGVST. *lib*.1. *de moribus Ecclesiæ, cap*.15. diuidit quatuor virtutes Cardinales, vt docet etiam D. Bonau. *in* 3. *dist*.33. *quæst*.2. *ad* 1. *argumentum*; mox *in soliloquiis lib*.1. *cap*.14. docet, opus perfectum prudentiâ fieri, dicens: *Cauendum est magnopere, dum hoc corpus agimus, ne quæ sensibilium visco penna nostra impediantur. quibus integris, perfectisque, opus est, vt ad illam lucem ab his tenebris euolemus.*

15 D. AMBROSIVS de offic. lib. 1. cap. 10. *Sapiens, vt loquatur, multa prius considerat, quid dicat, & cui dicat, quo in loco, & tempore*, & cap. 27. ait: *Primus officij fons, prudentia est*. D. Gregorius lib. 2. Moral. cap. 36. ait: *Solidum mentis nostra ædificium fastigari his quatuor virtutibus, è quibus prima est prudentia*, & lib. 7. Moral. cap. 15. *Cum rectitudo Sanctos viros ad libertatem vocis erigit, consideratio infirmitatis propria in humilitate custodit.*

16 D. Bernardus super Cant. serm. 49. *Discretio est non tam virtus, quàm quædam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix: Tolle hanc, & virtus vitium erit*. Eodem modo loquitur D. Isidorus, lib. de Synon, cap. 16. *Quidquid boni cum discretione feceris, virtus est, quidquid sine discretione gesseris, vitium est. Virtus enim indiscreta, pro vitio reputatur*. Et lib. 2. de summo bono, cap. 25. *Nihil iuuat, quod inter bonum, & malum sensu prudentiore discernimus, nisi opere, aut malè cogitata caueamus, aut bona inchoata faciamus.*

Et D. Hieronymus in Oseam, lib. 2. cap. 7. *Prudentia absque bonitate, malitia est.*

Et Cassianus, *Coll*.1. *cap*.23. ex sententia Abb. Moysis de Discretione, seu Prudentia ait. *Hæc inter cunctas virtutes arcem, & primatum tenet.*

17 ET coll. 2. cap. 2. *Hæc namque est, quæ oculus, & lucerna corporis in Euangelio nuncupatur, secundùm illam sententiam Saluatoris: Lucerna corporis tui est oculus tuus*; & Matth. 6. Et Lucæ 11. *Eò quòd* (inquit) *ipsas cogitationes hominis vniuersas, actusque discernens, cuncta, quæ agenda sunt, prouideat, atque perlustret*. Eadem habet S. Doct. hîc, & ad eum Lucæ locum, tametsi per lucernam intentionem explicet. Quo pacto etiam D. Gregorius, prudentiam cum intentione permiscet, homil. 22. in Ezech. *Restat vt siue in verbi ministerio fatigemur, seu indigentibus nostra largiamur, seu per abstinentiam carnem domemus, seu Zelo moueamur, seu per patientiam aliquando leniter praua toleremus, vt summopere debemus in intentione nostra discutere, quatenus omne, quod facimus, non nostro, sed Domini Zelo faciamus.*

18 ALIA loca Sanctorum Patrum refert S. Doct. *in* 3. *dist*. 33. vt D. Hieronymi *ad* 8. *Sap*. D. August. 12. *de Trinitate, cap*.14. & *lib*.14. *cap*.9. Bedæ *in Glossa, ad* 26. *Exodi*; & Gloss. in id 1. Genes. *Fons egrediebatur de Paradiso, qui diuiditur in quatuor capita*. Omnia huius virtutis Encomia claudit Iuuenalis, *Satyra* 10.

Nullum numen abest, si sit prudentia.——

Et hoc est, quod dicunt SS. Patres allegati, prudentiam esse Ducem, & Aurigam Virtutum omnium.

PROBATVR quartò ratione, qua vtitur S. D. omnibus ferè *allegatis locis*, præcipue *in tertio sententiarum, dist*. 33. passim. Omnis habitus bonus, & conueniens homini, est virtus; Sed habitus ille prudentiæ est huiusmodi: Ergo. Maior patet; nam virtus est, quæ bonum facit habentem, ducens in eius finem, & actum eius reddit bonum, vt docent Aristot. *in Ethicis, lib*.3. *cap*.1.8. & 12. & *lib*.6. & Tullius *lib*.2. *de Inuent*. apud D. Bonau. 3. *dist*.33. *quæst*.3. & D. August. *lib*.83. *qq. quæst*.31. & *lib*.1. *soliloq. cap*.6. apud D. Bonauent. *loco citato*. Minor probatur: nam optimum, & conuenientissimum est naturæ hominis, ratione constituere, & sibi præfigere ad expetendum, vel fugiendum ea, quæ secundùm rectam rationem sunt expetenda, vel fugienda, quod est officium Prudentiæ Quod confirmat S. Doct. *quæst*. 1. & 3. à contrario. Malum est enim, quod contra prudentiam est, quod idem est ac contra rationem, quod sanè prauum fatetur esse S. Dionysius *cap*.4. *de diuinis nominibus, p*.4. 19

ASSERO secundò, Prudentiam esse Virtutem rationalem, intellectualem, & moralem. Est sanè rationalis, quia in ratione, vt obseruat S. Doct. *in* 3. *dist*.33. *quæst*.3. *in corpore*, §. *Ad euidentiam*. Nam dirigit in discernendo, quod rationis proprium est, vt notat S. Doct. ex Aristotele 6. *Eth. cap*.3. Idem docet S. Thomas 1.2. *quæst*.57. 20

RATIONIS autem duplex est officium, discernere, & definire. Hæc autem sunt munera prudentiæ, vt docet S. Bonau. *locis* suprà *allegatis*. Hinc *in Dieta sit*, 5. *cap*. 5. Eam comparat Iudicis assessori, qui iudicando dirigit iudicem, vel regem, non tamen imperando; ita regit Prudentia rationem: Quare non rectè Valentia eam definit *puncto primo*. Est facultas intellectus practici ad rectè statuendum, per actum imperij, quid agendum sit. Nullum enim imperium intellectui vsquam conceditur, contra Thomistas *prima* 2. *quæst*.57. *art*.6. Tannerum *disp* 3. *quæst*. 1. *dub*. 1. & alios confutatos *prima secunda, Tract*.1. *Disput. de Imperio*. Est verò virtus moralis extrinsecè, quatenus ab appetitu recto per inclinationes moralium virtutum mouetur, & excitatur intellectus, vt per Prudentiam sequatur agibile bonum, & appetitui recto consentaneum. 21

ASSERO tertiò, Prudentiam esse Virtutem, à cæteris distinctam. 22

PROBATVR à D. Bonau. suprà authoritatibus, quæ eam specialem esse virtutem recensent.

SECVNDO probatur ab eo *in* 3. *dist*.33. *quæst*.2. & 3. ex ratione obiecti diuersa, quæ est ratio agibilis secundùm rationem, vt conformis appetitui recto, atque adeò vt practicè vero, seu bonu. Hac ratione vtitur Tannerus *num*. 12.

TERTIO probatur à S. Doct. ex actibus Prudentiæ, qui sunt dirigere ad omnes actus virtutis, secundùm rectum dictamen rationis.

PROBATVR quartò ex potentiis, in quibus subiectantur Virtutes Cardinales, quasque dirigunt, quia Prudentia dirigit Rationalem, Temperantia Concupiscibilem; Fortitudo Irascibilem. 23

PROBATVR quintò à S. Bonau. ex vitiis oppositis; vnum enim vni opponitur; nam Prudentiæ sub vna ratione opponuntur Præcipitatio, Inconsideratio, Inconstantia, Negligentia, Astus, Dolus, Fraus, quæ sanè aliis non opponuntur virtutibus.

PROBATVR sextò à S. Doct. ex medietatibus; nam Prudentia est media inter extrema, inter quæ non

mediant

mediant aliæ virtutes, sic enim Prudentia est inter Inconsiderantiam, Præcipitationem, Astutiam, Dolum, &c.

24 OBIICIAS primò. Ratio agibilis, vt est verum practicè per conformitatem cum appetitu recto, tam latè patet, & communior est, quàm ratio agibilis, vt est bonum morale, per conformitatem cum ratione recta, seu cum appetitu recto; sed hæc ratio boni non constituit specialem aliquam virtutem, sed solùm genus moralis virtutis: Ergo neque illa ratio veri constituet specialem virtutem Prudentiæ.

RESPONDET S. Doct. *dist*.33. *quæst*.2. *ad* 5. vniuersalitate quadam prædicationis esse pares; sed ordine nequaquam; nam Verum practicum habet ordinem solùm ad rationem, quia vno modo rectificare difficile est, ideò vna virtus est necessaria: At materiæ potentiæ, in ordine ab bonum, varias patiuntur difficultates.

25 OBIICIES secundò. Prudentiæ est inspicere medium, quod cuilibet virtuti etiam conuenit; quæcumque enim videt medium essentiale sui finis: Ergo non est virtus specialis.

RESPONDET S. Doct. appropriari cuilibet virtuti videre suum medium per modum determinatæ inclinationis; sed tamen proprium esse prudentiæ videre medium per modum directionis. Quare Prudentia sibi, & aliis hoc modo videt medium dirigendo; perficit enim potentiam rationalem, cuius est considerare, & discernere, & hoc modo proprium est Prudentiæ. Quare sicut oculus videt sibi, & aliis membris, sic prudentia dirigit, se videns, ac
26 virtutes cæteras. Tametsi quoad inclinationem omnes tendant ad suum finem, atque quasi pondus moueant, ad modum quo grauitas dicitur aspicere ad centrum mundi; sic enim omnis virtus dicitur aspicere ad medium rectè viuendi.

QVÆSTIO III.

Quænam sint PRVDENTIÆ *munera.*

D.Thom. quæst.48. art.6. vsque ad 10.

27 EX nuper allato argumento habemus primò cum D. Bonauent. Prudentiæ munus non esse proponere virtutibus moralibus earum fines intrinsecos, quatenus sunt formaliter fines, sed solùm proponere ipsis media, per quæ attingant huiusmodi fines. Idem sentiunt D.Thom. *hic*, *art*.6. & discipuli, ac Tannerus *disput*. 3. *quæst*.1. *dub*. 3. contra Scotum *in* 3. *dist*.36. *quæst*. *vnica*, *art*.2. vbi contendit, fines ipsos præfigi virtutibus moralibus à Prudentia.

28 PROBATVR à D. Bonauent. *loc. cit.* ex doctrina Aristotelis 6. *Eth. cap*.13. vbi affirmat, ab ipsa virtute morali intendi finem ex impulsu rationis, nimirum per Synderesim; à Prudentia verò dirigi, & recta effici ea, quæ sunt ad finem: *Opus* (ait) *& ex Prudentia, & ex morali Virtute efficitur: Virtus enim propositum scopum: Prudentia autem, quæ ad ipsum tendunt, recta efficit*, & cap. 13. *Virtus finem; Prudentia, quæ ad finem tendunt, vt agamus, facit.*

29 SECVNDO probatur à Valentia *disp*.4. *quæst*.1. *punct*.3. ratione ducta ex differentia Synderesis, & Prudentiæ; nam munus Synderesis est præfigere virtuti bonum, ei præstitutum in finem, vt Temperantiæ esse vtendum delectationibus moderatè, vt docet D. Bonauent. *in* 2. *dist*.39. *art*.2. *quæst*.1. & hæc sanè mouet, quasi pondus, affectum, vt docet S.Bonau. *ibi*, *& in* 3. *dist*.33. *quæst*.5. Prudentia ergo dirigit ad media, ordinando rationem, alioqui si ambæ essent ad idem, oporteret ponere alium habitum, rationis directiuum.

PROBATVR tertiò ex connexione Consilij, & 30
Prudentiæ; nam Prudentia circa illa solum versatur, de quibus est consultatio, vt docent SS. PP. relati a D. Bonauent. & ex aliis *locis citatis* Seraphici constat. Consultatio autem est de mediis ad finem, non de ipsis virtutum finibus formaliter: Ergo etiam Prudentia. Maior patet ex Philosopho *lib*.6. *Eth. cap*.5. *& 7.* vbi ait: *Prudentia circa humana bona versatur, atque ea, quæ in consultationem cadunt. Prudentis enim id maximè opus esse dicimus, vt rectè consultet.* Minor probatur; nam consultatio est tantùm de rebus dubiis tales autem non sunt ipsi fines virtutum, vt docet Aristoteles *cap*.7. dicens: *De illis autem consultat nemo, quæ euenire aliter nequeant, neque de iis, quorum finis aliquis non est.*

ADVERTE tamen cum D. Bonau. *opusc. de septem donis*, *cap*.6. Prudentiam, & Consilium esse ad finem. Primò quatenus media præfigit in ordine ad eum, atque adeò intendit eum, vt id, *cuius gratia*, vt docet etiam Caietanus *quæst*.47. *art*.6. & Valentia *puncto* 3. 31

DEINDE Prudentia dicitur tendere ad finem, quatenus iudicat, & decernit ad modum Assertoris, in quibus medietatibus sit ratio finis virtutis, vt docet S.Doct. *in Dieta, loc. cit.* cum Aristotele 2. *Eth. cap*.6. & D.Thom. *art*.7.

ASSIGNAT autem S.Doct. *in Dieta, tit*.6. *cap*.2. 32
differentiam Prudentiæ à Consilio, nam Consilium dicit: vtrum sit aliquid agendum: Prudentia verò ostendit, quo fine, & quibus circumstantiis adhibitis, temporis, loci, &c. sicut alterius est scientiæ cognoscere: An expediat aliquem saluari, alterius verò scire qualiter sit saluandus, &c.

OBIICIES primò cum Scoto. Omnis virtus moralis supponit dictamen Prudentiæ: Ergo ad finem.

RESPONDETVR. Supponere hoc dictamen in ordine ad media tantum; circa finem autem supponere dictamen Synderesis, vt dixi.

OBIICIES secundò. Nisi prudentia præfigat finem virtuti, non poterit esse vna prudentia in materia cuiusque moralis virtutis.

RESPONDETVR, esse vnam Prudentiam, 33
communem omnibus virtutibus.

ASSERO tertiò, Prudentiam non præfigere media virtutibus per rationis imperium.

PROBATVR, quia imperium est voluntatis, quæ est veluti regina, vt ostendi *Tractatu de Anima*, *disp*.9. *cap*.5. *quæst*.8. & aliis locis.

Neque verò Aristoteles 6. *Eth. cap*.10. eam ex rationis imperio præceptiuam facit, vt putat Valentia.

ASSERO quartò, dictamen Prudentiæ esse cum 34
quadam sollicitudine. Ideò Aristoteles *lib*.6. *Eth. cap*.9. ait: *Citò agenda esse, quæ consulueris; tardè verò, ac diù consultandum, maximè in rebus grauibus*, vt docet etiam D.Gregorius *lib*.2. *Regist. indic*.10. *cap*.6. apud D.Bonau. *lib*.2. *Pharetra*, *cap*.27. vbi ait: *Summis in rebus, citum non oportet esse consilium.*

PROBATVR ex contrario. Negligentia enim, desidia, & torpor vituperantur, vt videbis apud D.Bonau. *p*.1. *Centil. sect*.8. & *lib*.3. *Pharetra*, *cap*.8. & in Dieta *tit*.1. *cap*.7.

HINC obseruat ibi, valdè reprehendi pigrum. Prouerb. 21. *Desideria occidunt pigrum.* Prouerb. 10. *egestatem operata est manus remissa.* Sic Matth. 12.

otiosum ingrediuntur septem dæmones. Et Matth. 25. *Tollite ab eo talentum.* Ecclesi. 22. *In lapide luteo lapidabitur piger.* Prou. 18. *Timor deiicit pigrum.* Prou. 24. *Per agrum hominis pigri transiui: & ecce totum repleuerant vrtica.* Et ibidem: *Vsquequo piger dormis?* Et Prouerb. 6. *Vade ad formicam ô piger.* Vide ibi S. Doct. egregiè disserentem.

35 Addo, Prudentiam præfigere media pro omnibus finibus, etiam publicæ commoditatis.

Probatvr: Nam 6. *Eth. cap.* 5. ait Aristoteles, Prudentiam esse rectam rationem agibilium: Ergo etiam circa bonum publicum: eò vel maximè, quia hæc magis necessaria est, quò magis necessarium est bonum publicum, maximè verò Christiano; de quo *prima Cor.* 13. dicitur: *Charitas non quærit quæ sua*
36 *sunt.* Hoc obseruabant Romani apud Valerium maximum *lib.* 6. *cap.* 4. Patriæ enim rem vnusquisque, non suam augere properabat. Ratio est, quia, vt ait Aristoteles 1. *Eth. cap.* 2. etiamsi & vni hominum, & ciuitati bonum idem sit; bonum tamen ciuitatis & acquirere, & conseruare, maius quid, ac diuinius videtur. Ac contentus quidem esse etiam vnisquisque potest, si vni soli; pulchrius tamen, ac diuinius, si vni genti, ac ciuitatibus bonum efficiatur.

37 Igitvr diuidi potest Prudentia, vt alia sit Regalis, seu Legislatiua in communitate Regni: Alia Politica in Ciuitate: Alia Oeconomica in domo: Alia militaris in Exercitu; vt videtur sentire Aristoteles 6. *Eth. cap.* 8. Vide latius D. Thomam *quæst.* 50.

QVÆSTIO IV.

Quinam sint Prvdentiæ *participes.*

⟨ D.Thom art. 12. 13. 14. quæst 47.

38 Primo oritur quæstio: An Prudentia sit in subditis; nam id videtur negare Aristoteles 3. *Eth. capit.* 3. sed loquitur de subditis, vt subditi sunt. Enim verò cum Prudentia connexa sit cum cæteris virtutibus moralibus, quibus præditi esse possunt etiam subditi, non est dubium, quin in eis sit prudentia. Loquitur ergo Aristoteles de subditis formaliter, vt subditi sunt, vt ait Diuus Thomas *articulo* 12.

De peccatoribus etiam dubitatur; nam Aristoteles 6. *Ethic. cap.* 12. ait: *Manifestum esse, non posse quempiam prudentem esse, nisi bonus sit.*

In contrarium verò vrget, quia *cap.* 5. multos etiam improbos consilio valere dicit.

39 Dico primò, in peccatoribus falsam esse prudentiam; loquor de mortaliter peccantibus: De hac Rom. 8. *Prudentia carnis mors est.* Et Lucæ 16. *Filij huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt,* vt aduertit S. Bonau. ad hunc locum, & *locis adductis* initio *quæst.* 1.

Dico secundò, prudentiam infusam non esse in peccantibus lethaliter.

40 Probatvr: Sunt enim virtutes infusæ morales; connexæ Charitati; vt ostendi *prima secunda, Tract. de Virtutibus.*

Assero tertiò, Prudentiam acquisitam veram non esse in iis, qui valde frequenter peccant. Est enim connexa cum virtutibus moralibus, & actibus frequenter oppositis destruitur.

Assero quartò, Prudentiam infusam circa bonum proprium esse in iustis.

Probatvr, quia connexa est cum charitate, vt ostendi *loco suprà citato.* 41

Assero quintò, In iuuenibus non esse prudentiam acquisitam.

Probatvr ex Aristotele 6. Ethic. cap. 8. *Causa autem est, quia prudentia est singularium, quæ experientia nobis innotescunt; Iuuenis autem expertus non est; experientiam enim temporis efficit longitudo.*

QVÆSTIO V.

Quomodo acquiratur, Prudentia & amittatur.

⟨ D.Thom. art 15. & 16.

Primo igitur acquiritur longi temporis experientiâ, vt dicitur Iob. 1. *Et in multo tempore Prudentia.* Et docet Aristoteles 6. *Eth. cap.* 8. & 11. 42

Secvndo, eruditione seniorum sapientiorum, vt docet Aristoteles *cap. illo* 11. & D. Gregorius Nazianzenus, *oratione ad Nicolaum*; & Cassianus *coll.* 2. *cap.* 10. Ideò Prouerb. 3. monemur: *Ne innitaris prudentia tua; ne sis sapiens apud temetipsum.* Et Ecclesi. 6. *Si dilexeris audire, sapiens eris. In multitudine Presbyterorum prudentium sta, & Sapientia illorum ex corde coniungere.* Vide Cassianum suprà.

Amittitvr verò, partim obliuione, & affectibus prauis. Per obliuionem quidem, quatenus pendet ab experientia, & hæc ex memoria, vt docet Philosophus 1. *Metaph. cap.* 1. Per prauos autem affectus: nam pendet ex appetitu recto. Ideo Exodi 23. *Ne accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes.* Rom. 1. *Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, &c. obscuratum est enim insipiens cor eorum.* 43

QVÆSTIO VI.

De partibus Virtutis Prvdentiæ.

⟨ D.Thom. à quæst. 48.

Vnanimes fatentur Philosophi, Prudentiæ aliquas esse partes; de quibus Aristoteles 6. *Ethic. cap.* 8. *& sequent.* Cicero *lib.* 2. *de Inuent.* August. *lib.* 83. *qq. quæst.* 61. Macrobius *lib.* 1. *in somn. Scipionis, cap.* 8. eas refert ex his S. Doct. passim *lib.* 5. *Compend. Theol. cap.* 34. Et 3. *p. Centiloq. sectione* 41. & *opusc. de quatuor virtutibus Cardinalibus.* 44

Triplicis generis sunt partes Prudentiæ. Aliæ integrales, sine quibus non est perfectus vsus Prudentiæ: Aliæ subiectiuæ ad modum, quo species, subiectæ generi, dicuntur partes subiectiuæ generis, vt Homo, & Leo sunt partes animalis, quia, scilicet animal, de illis, tanquam de subiecto prædicatur. Aliæ sunt Prudentiæ partes potentiales per similitudinem partium potentialium animæ. 45

Partes Integrales Prudentiæ, quæ eam veluti integrant ad modum, quo membra integrant corpus, sunt octo. Memoria, quæ est cognitio præteritorum; Intelligentia quæ est cognitio præsentium; Docilitas, quæ est cognitio per alterius eruditionem; Solertia, quæ est cognitio per propriam inuentionem; 46

nem; Ratio huius, est quia est] cognitio per illationem vnius ex alio; Prouidentia, quæ est ordinatio mediorum ad finem; Circumspectio, quæ est animaduersio circumstantiarum negotij; Cautio, quæ est machinatio quædam aduersus ea, que obstare, & impedimento esse possunt.

A Memoria sanè pendet vsus perfectus Prudentiæ,
47 quia is pendet ab experientis; ea verò à multis experimentis, & experimenta à mulós memoriis, vt docet D.Thom. *quæst.49.art.1.* ea Aristotele initio 1. *Metaph.*

A a Intelligentia etiam pendet, quæ est cognitio particularium, circa quæ versatur Prudentia, quæ cognitio est ab intellectu, partim per conuersionem ad phantasmata, partim etiam in sensu interiori, seu potentia cogitatiua.

Pendet etiam à Docilitate, quam laudat Cicero *Lib.2. qq. Academ.* hinc definit S. Doctor, eam esse potentiam erudiendi prius se; deinde alios.

Pendet à Solertia, quæ est celeris coniectatio, vt docet Aristoteles 6. *Eth. cap.* 9. & D. Thom. *quæst.49. art.4.*

Pendet à ratione, quæ est cognitio vnius ex
48 alio per illationem; nam Consultatio, ex qua pendent decreta Prudentiæ, omnino est cum ratiocinatione; vt docet Philosophus 6. *Eth. cap.*10. & D. Thomas *art.5.*

Pendet à Prudentia, quæ est ordinatio mediorum idoneorum in finem; versatur enim Prudentia circa agibilia propter finem; vt explicat S.Doctor *locis allegatis*, & D.Thom. *art.6.*

Pendet à Circumspectione; nam prudentia
49 versatur circa particularia agibilia, vndequaque bona, rationi consona; pendet autem bonitas actionum humanarum è circumstantiis, vt ostendi *prima secunda, Tract.1. disput.9. quæst.5. & 10.*

Pendet etiam ea Cautione, quæ est prouisio aduersus mala contraria, quam S.Doctor vocat Prudentiam discernendi vitia, virtutum speciem præ se ferentia.

Quò ad partes Prudentiæ subiectiuas, agit S.Thom.
50 *quæst.* 50. Diuiditur In Prudentiam gubernatiuam, & singularem operantis. Rursus Gubernatiua diuiditur in Legislatiuam, quæ est in Principe, vel Republica; in Politicam, quæ est in subditis circa idem bonum Regni, vel ciuitatis; in Oeconomicam, quæ est circa bonum familiare; & Militarem, circa quæ bonum exercitus versatur. De Gubernatiua agit egregiè S.Doctor *de Eccl. Hierarchia.* Prudentia verò particularis est vna specie specialissima.

Partes Prudentiæ potentiales sunt tres virtu-
51 tes Intellectuales adnexæ, deseruientes prudentiæ, scilicet, Evbvlia, quæ est rectè consiliatiua, vt habes 6. *Eth. cap.*9. Synesis est rectè indicatiua per communes regulas; & Gnomes, quæ est rectè iudicatiua in naturali ratione præter communes regulas, quando hæ deficiunt ob circumstantias casus particularis. Vide D. Thomam *quæst.* 51. facilè hæc declarantem.

De his agit etiam S. Bonauent. *locis* passim hîc *adductis.*

QVÆSTIO VII.

Quomodo ex Angelica Hierarchia eruantur quædam regulæ prudentiæ, statui Monastico & Politico Applicabiles.

D Bonauent. de Ecclesiastica Hierarchia per totum.

CVM Iuxta ordinem Ecclesiæ Triumphantis re- 52
gatur, & disponatur Ecclesia militans, vt dicitur Sap.5. *Dixisti me ædificare templum, & Altare secundum similitudinem sancti Tabernaculi, quod præparasti ab initio*, Seraphicus Bonauentura, cuius Ingenij stupenda sublimitas hîc præclarè elucet disserit, quomodo triplex saluandorum status, triplici Angelorum Choro, tam publico, quàm priuato regimine conformetur: Et hunc triplicem statum ait designari illo Ezechielis 14. *Si fuerint in Ciuitate hi tres viri* (scilicet Daniel, Noë, & Iob) *Num liberabunt animas suas.* Daniel quidem Abstinentiæ merito obtinens rerum supernarum Intelligentiam, Typum gerit Claustralium, qui & à licitis, illicitisque abstinendo merentur desuper illuminari. Noë autem Arcam Gubernans, prælatos indicat, quibus Ecclesiæ Arca à peccati Diluuio saluanda, à Deo commissa est, Verùm Iob coniugatus, pietatis, & misericordiæ operibus intentus, Cœtum actiuorum, & coniugatorum designat.

Ex his primi, Religionis voto Deo sacrati, & supremam perfectionem, ac meliora Charismata æmulantes, supremo Angelorum choro comparantur; hi etenim, & Amoris incendio, & Cognitionis priuilegio, ac Institiæ perpendiculo, cæteris præeminent.

Secvndi autem, qui Prælationis funguntur officio, alteri choro Angelico assimilantur; Prælatio etenim à Deo est Instituta, vel ad morum Disciplinam, & correctionem, propter quam est dignitas sacerdotalis, Dominationibus respondens: vel ad lites rescindendas, pacemque componendam, cui inseruit Iudiciaria potestas, Virtutibus conformis: vel denique ad malitiam, & Tirannidem coercendam; & hunc in finem data est Potestas Regalis, seu Imperialis, Potestatibus configurata.

Vltimi verò tertio choro comparantur; si enim subditi sunt & humiles, principatibus sunt similes; si continentes Archangelis; si denique operibus pietatis mancipati, Angelis configurantur.

De primo statu prius breuiter nobis quibusdam sectionibus agendum.

SECTIO I.

De Prudentia, quam viri votis sollemnibus obstricti, ex primo Angelorum choro sibi vindicent.

SVPPONIT hîc S. Doct. tres illas Hierarchicas
operationes, Purgare, Illuminare, & Perficere; 53
Angelorum autem nominibus tum priuatas personas ob aliquas excellentias, tum etiam rectores, & Principes ob regimen comprobat. Sic *Matth.*11. Ioannes

dicitur Angelus; & 2. *Reg.*14. *&* 19. Dauid Angelo comparatur. Ità etiam *in Apoc.* Rectores Ecclesiarum Angeli dicti sunt.

PRIMO igitur supremam Hierarchiam Religiosis, & viris omnibus perfectis applicat.

54 SERAPHIM, à diuinis incendiis Charitatis denominatos, Religiosos nominat, quibus id *Heb.* 1. applicat. *Qui facis Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis*, & Apoc. 10. *Vidi Angelum, cuius facies vt Sol, & pedes eius, tanquam columnæ ignis.* Et Isa. 6. *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus ignitus, &c.* Sic igitur serui Dei accensi debent ignis naturam imitari; semper enim sursum attollitur ignis, consumit rubiginem, & terrena in se resoluit, velocissimè mouetur, expanditur ad omnia in se conuertenda.

55 ITA Religiosi igne Charitatis accensi probabuntur, si velociter ascendunt, terrena spernentes; si omnia in amorem Dei resoluere satagant; si velociter operentur, & celeres, vt dicitur: Isa.18. *Ite Angeli veloces*, & Ezech.1. *Quocunque ibat Spiritus, rotæ leuabantur sequentes eum, spiritus enim vitæ, &c.* idest Charitatis splendere debent optimo exemplo; nam religiosi vita est aliorum exemplar. Ideo Deuter. 17. *Accipient legis exemplar à sacerdotibus*, & prima Timot.4. *Esto exemplum fidelium.*

56 DEBENT autem alios purgare, vt dicitur Malach.3. *Erit quasi ignis conflans, & sedebit, & purgabit filios Leui.* Ideò Seraphim Isaiæ dicunt: *Auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum purgabitur.*

ILLVMINANT etiam, Matth.5. *Vos estis Lux mundi*, Ephes.5 *Vt filij lucis ambulate in dilectione.*

E SERAPHIM *Isa.* 6. lucentibus, arguit quali flamma lucere debeant religiosi, in aliorum exemplum.

57 PRIMO enim dicuntur fuisse duo, quo exprimitur in Charitate cohabitatio. Ideò & *Dominus binos misit discipulos.* Lucæ 10. & Ecclesiastici 4. *Melius est duos esse simul, quàm vnum: habeat enim emolumentum societatis suæ.* Et Genes. 19. *Duo Angeli missi sunt in Pentapolim.* Quo graue præceptum prudentiæ datur securiorem esse vitam in Cænobiis, quàm in solitudine Anacoretiсha.

SECVNDO Seraphim illi non sedebant, sed stabant. Vnde in Psalm. 121. *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem.*

HIEREMIÆ 6. *State super vias vestras, & videte, & interrogate, quæ sit via bona?* & Psalm. 5. *Mane astabo tibi, & videbo*, & Habac.2. *Super custodiam meam stabo*, & Apoc. 8. *Angelus stetit iuxta aram templi.* Igitur impigra eleuatio intentionis in Deum in omnibus traditur.

58 HABEBANT singuli sex alas, idest duodecim, quibus opera misericordiæ spiritualia, & corporalia signantur, & inuicem iunctæ sunt, vt dicitur *Ezech.*1. His alia debet velox operari ad salutem omnium.

HIS alis velabant manus, & pedes, operando, vt non videantur, de quibus Matth. 6. *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Caput igitur, manus, & pedes velant, qui nec in principio, nec in fine, nec in medio laudari appetunt de operibus suis.

59 HI volabant, quia religiosi semper altius in Deum ferri debent. Vnde Psalm. 54. *Quis dabit mihi pennas, &c.* Igitur mutiplicatu alarum spiritualium motu, debent assiduè contemplatione, & actione in altum ascendere, nunquam torpendo, nunquamuè otiando.

HI clamabant: SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS, *alter ad alterum*, quia in Diuinis laudibus tenentur perpetuò inclamare. Ter autem orant, vt rectè instituantur, promoueantur, & perducantur ad salutem. Ideo Ioan.17. *Sanctifica eos in veritate, vt ipsi sanctificati sint, & consummati in vnum, &c.*

QVOD verò labia Isaiæ polluta calculo purgarint ignito, atque ipsum accenderint, vt se ad diuinas missiones exhiberet, exprimit, religiosos in se purissimos, teneri ad alios igne sancto purgandos, illuminandos, & accendendos ad opera salutis; sic Moyses *Num.* 11. Mariam leprosam orationibus vmbraticè purgauit & S. Iob amicos suos *Iob. vltimo.*

SEQVITVR ordo Cherubim à sapientia, qua viri religiosi esse præditi tenentur & alios illustrare. Hæc autem sapientia est practica, seu prudentia, vt aduertit S. Doctor *Lib.* 1. *cap.*3. quæ non est mundana; de qua Lucæ 16. *Filij huius sæculi prudentiores filiis lucis sunt*, quæ est in auaris; neque debet esse prudentia carnis, quæ mors est, vt dicitur *Rom.* 8. & est in voluptuosis, quia hæc, *non inuenitur in terra suauiter viuentium*, Iob 28. neque debet esse diabolica, de qua Isa.5. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, &c.* Ideò ad sapientiam, quæ desursum est recurrendum, quæ est pudica, pacifica, &c. 60

D V O autem Cherubim aurei indicantur *Exodi* 25. quia debet eis inesse duplex sapientia, & prudentia. Altera agendorum circa se, & proximum: Altera agendorum circa Deum, & vtraque aurea è Charitate. Ideò aurum purissimum datur ad Cherubim, *primo Paral.* 28. quod puritatem significat conscientiæ, ex qua sequitur, eos videre Deum, quæ est beatitudo, mundis corde data. Deinde verò sequitur, vt diuina luce radiati videant clarissimè (vt ait S. Doctor) Ideò Cherubim *Ezech.* 1. *& Apoc.* 4. erant oculis pleni antè, & retrò. quia viri Angelis Cherubim comparati circumspectionis gratia, & prouidentiæ dono, quæ sunt partes prudentiæ, dotati vndique vident, prouident, & alter ad alterius pericula inuigilat. Vnde & Cherubim se mutuò respiciebant in Propitiatorio. 61

HI sancta quiete in Deum eleuantur. Ideò in eis residet Deus, *qui sedet super Cherubim*; & hi trahunt etiam alios. Ideò *Ezech.* 10. dum leuarentur Cherubim, cætera etiam eleuabantur; ex sanctitate enim religiosorum, pendet & sæcularium salus. Ideò Iudith, cap.8. ait: *& nunc fratres, quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum.* 62

HI sunt interpretes Dei, ideò vmbraticè è propitiatorio inter duos Cherubim egrediebatur vox Dei, Num.7. & Ezech. 1. *Sonus alarum Cherubim erat sicut vox Dei.*

HI debent viam ligni vitæ custodire, & flammeo gladio ostendere, vt dicitur. *Genes.*3. omnibusque clamare illud Hierem. 6. *Hæc est via, ambulate in ea.* 63

TERTIVS ordo est Thronorum, in quibus residet Iustitia Diuina, Psalm.9. *Sedes super Thronum, qui iudicas iustitiam.*

RESIDAT Deus super humiles, vt ait Isa.66. & Dan.7. *Thronus eius flamma Ignis.* Hi sunt Religiosi, vt exponit ibi Origenes: Sicut enim Throni sunt sedes Dei, in vnum compactæ, atque coniunctæ, vt ait D. Hieronymus *cap.*7. *de cælesti Hierarchia*; Ità religiosi, in vnum compacti quietis locum, sunt Throni Altissimi: Hi sunt Throni eburnei, adumbrati in Throno Salomonis, de quo 2. *Paral.*9. 3. *Reg.*10. & *Cant.*2. Simbolum pudicitiæ, in quo Deus requiescit, qui pascitur inter lilia: Ideò in ventre B. Virginis requieuit, qui dicitur eburneus *Cant.*5. 64

DEBENT esse Throni è Sapphiro, de quo Ezech.1. 65

Ezech. 1. *Similitudo Throni quasi aspectus Sapphiri.* Est autem Sapphitos gemma coloris cœlestis stellata, quæ significat cœlestem conuersationem. In Sapphito scripta fuit à Deo Lex Moysi: Ità religiosi à rebus terrenis per paupertatem eleuantur. His dicitur Isa. 58. *Sustollam te super altitudinem terræ, & cibabo te hæreditate Iacob Patris tui*, &c.

Vide S. Doctorem ibi mira eloquentem, quomodo optimus ille euadat religiosus, qui hæc documenta è supernis hauserit.



SECTIO II.

De Regimine Prælatorum Ecclesiæ, ex Hierarchia Secunda Choro Primo, Dominationibus assimilato.

66 DOMINATIONES Pontificibus, aliisque Ecclesiæ Prælatis S. Doctor comparat.

DICVNTVR autem Dominationes, quia, vt ait S. Isidorus *Lib. 7. Etymol. cap. 5* inferioribus Angelis dominantes, eos instruant, & informant qualiter in prælationis officio debeant subditos ad Deificam similitudinem reuocare, & sine tyrannide subditorum facta liberaliter ordinare. Vnde S. Dionysius de cœlesti Hierarchia, cap. 8. *Nominatio Dominationum absolutam, & liberam Anagogen absque vlla tyrannica seruitute liberaliter seueram, & ab omni subie-*
67 *ctione ignominiosa remotam declarat, Quasi dicat: Sicut per Anagogen, idest, per excellentiam vniuersalem super alios Angelos, sine subiectione eleuantur; ità per nullam tyrannidem ad depressionem aliorum inclinantur. Quarum dominatio, & liberalis est, & seuera: liberalis in benignitate; seuera in potestate, & hoc propriè conuenit Prælatis, qui in spiritualibus singulariter dominantur; sicut Sacerdotes, & Episcopi, qui in spirituali officio reputantur aliis digniores.* Hæc S. Doctor.

68 DICVNTVR igitur illi, qui præsunt purè in spiritualibus, Dominationes; quia verum dominium obtinetur, quando superantur vitia, ac virtuosa opera in regno animæ, siue Ecclesiæ dominantur. Non autem possunt extirpari mala, vt bona efficaciter dominentur, nisi per prælatorum ministerium, quibus cœlitus collata est auctoritas, vt per ipsorum officium, & Sacramentorum Misteria euacuentur vitia, & mores in hominibus corrigantur, & sic subditorum mentes per morum disciplinam ad Deiformem similitudinem reformentur. Et ideò apud Prælatos animarum istiusmodi Dominationis auctoritas est à Domino relicta, vt ipsis cooperantibus peccati seruitus exulet, & vera libertas Spiritus per eorum ministerium dominetur. Vnde dicitur Sap. 9. *In sapientia tua constituisti hominem, vt dominaretur creaturæ suæ, quæ à te facta est, vt disponat orbem terræ in æquitate, & directione cordis, & iustitia.*

69 RECOGNOSCANT igitur (ait S. Doctor.) Pontifices Christi, ac Sacerdotes, quod à Dominatore vniuersæ terræ receperunt supremum Dominium, & à diebus sæculi non solùm hominibus, sed & Angelicis Spiritibus penitus inauditum, quia vt dicit Bernardus *sermone de cœna Domini*, nec Regibus, nec Principibus legitur attributum, vt conficiant gloriosum, ac Sanctissimum Christi corpus, il-
70 lud offerentes Deo. Istud donum concessum est Prælatis, non ad turpem quæstum extorquendum, neque ad superbiendum, vel subditos opprimendos; sed potius ad veræ libertatis statum per Sacerdotum ministerium reducendum, & hoc dicit Zachar. 6. *Sedebit, & dominabitur, & erit Sacerdos in solio suo, & erit consilium pacis inter eos, & erunt coronæ memoriales in templo Domini.*

DICVNTVR igitur Christi Sacerdotes, non vt tanquam dominantes in cleris se gerant ad superbiam, sed vt formam gregi ex animo sese ostendant, *prima Petri 5.* & ad Angelorum conformitatem verbo, & exempla promoueant subditos.

IGITVR Prælati Ecclesiæ Dominationibus com- 71
parantur. Primo quia, sicut illæ nullius terrestris dominationis dignitati subditæ sunt, vt ait S. Dionysius *de cœlesti Hierar. cap. 8.* Ita Ecclesiastici Laïcis præeminent, nec vllis eorum legibus, contra Ecclesiasticam immunitatem vigentibus, subduntur. Vnde eis dicitur id Deuter. 15. *Dominaberis omni nationi, & nullus tibi dominabitur.*

DEINDE quia, sicuti cœlestes Dominationes nullam in subditos Angelos tyrannicam, vel grauem exercent potestatem, sed simpliciter eis condescendunt; ità debet talis esse clericorum vita.

TERTIO quia, sicuti Dominationes vocantur à 72
S. Dionysio loco citato *sursum acti*, quia conuersi ex suo ordine alios inferiores conuertunt, & perfecti in se, alios perficiunt, & illuminant, sic illi, qui præsunt verbo, & exemplo alliciant; *& qui audit, dicat: Veni*, Apoc. vltimo, & fiat id Ecclesiastici 10. *Qualis est Dominus, vel rector ciuitatis, tales sunt, qui habitant in ea.*

QVARTO quia, sicut Dominationes Angelicæ dicuntur Liberales cum seueritate; Ita Prælati Ecclesiastici liberales, & benigni circa humiles, seueri circa superbos, & rebelles, censuris eos puniendo. Sic monet Apostolus Episcopos, Timotheum, & Titum, vt faciant: *Increpa, obsecra, &c.*

QVINTO quia, sicuti Dominationes Angelicæ
sunt magna perfectionis dissimilitudine segregatæ, 73
quia nihil indecens diuinam similitudinem in illis reperitur; Ità Ecclesiastici magna vitæ disparitate à peccatoribus præeminneant, ne illis dicatur id Rom. 2. *Qui prædicas non furandum, furaris.* Vel id Isaiæ 8. *Audite illusores, qui dominamini super populum meum.*

SEXTO, quia sicuti Dominationes Angelorum 74
dicuntur, quia hi dominantur potentissimè etiam sibi ipsis, vt ait S. Dionysius *loco cit.* sic dominantes in Ecclesia debent suis dominari passionibus, vt veluti Melchisedech sine patre, sine matre, sine Genealogia, etiam charos non agnoscant, vbi ratio sui officij est adimplenda.

SEPTIMO quia, sicuti Angeli Dominationes dicuntur, quia bonam, & stabilem affectus inmutabilitatem tenent in Deo, ità vt nihil eis apparens dominetur, sed ad verum Ens incommutabile sint perpetuò conuersi: Sic & Ecclesiastici ità in Deo stent, vt ad vanitates, & insanias non conuertantur, vt ait Tobias cap. 4. *Nunquam in tuo sensu superbiam dominari permittas.*

Sic igitur Ecclesiastici omnes inferiores, purgant,
illuminant, & perficiunt, vt ab eis nec purgentur, 75
&c. Sicut enim Spiritus præest corpori, eique præcellit; sic Spiritualis potestas corporali. Vnde benè sortitur nomen Dominationis. Vnde Regalis potestas spirituali subest Dominationi. Ideò Petrus prima cap. 2. *Vos estis Regale Sacerdotium, gens sancta.* Nam temporale regnum, velut quoddam adiectum subiacet Sacerdotio in nouo testamento; tametsi in veteri testamento

testamento Sacerdotium temporalium promissionum vmbraticum, regiæ potestati adiectiuum videatur apponi. Exodi 19. *regium Sacerdotale*, vt ait S. Doctor cum D.Hieronym. *lib.1. cont. Pelag. & epist. ad Dardan.* August. *quæst.33. in Num. & lib.19. cont. Faust. cap.31.* Quamuis adiectiuum apponatur ibi etiam, vt
76 adiiciens dignitatem, & virtutem necessariam Ordinis superioris; nam sine Religione regna corruunt. Hinc 27. *Num.* iubet Deus, Principem etiam Iosue à Pontifice pendere, & *Leu.4.* exigitur altius Sacrificium pro Sacerdote, quàm pro Rege: vt videtur Philo *lib. de victoria* Theodoretus *quæst.1. in Leuit.* Procop. *in cap 4. Leuit.* Quod si Abiathar Pontifex à Salomone depositus opponatur; dic eum S. Bonau. iuxta priorem Doctrinam, disparem esse rationem: Vel, id factum, *iuxta verbum Domini*, vt dicitur 3. *Reg.2.* Vide de hac re fusè Seraphicum *cap.1. de eccles. Hierarchia, part.2.* propè finem.

77 Enim verò vt Pontifices etiam Deo valeant vacare, simulque populum ingentem ad Deiformem similitudinem eleuare, atque reformare, debent alios in partem sollicitudinis assumere. Ideò & Iethro Moysi suasit, Exodi 28. *Vltra vires tuas est negotium, solus illud sustinere non poteris, &c. Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt referas, quæ dicuntur ad eum: ostendasque populo cæremonias, & ritum colendi Deum, viamque, per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant. Prouide ergo viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis Tribunos, qui iudicent populum in omni tempore, leuiusque sit tibi, partito in alios onere*: Et tales sunt Decani, Præpositi, Archidiaconi, & Iudices, siue ordinarij, siue delegati, qui lites sopiunt, & ad concordiam satagunt reuocare. Et tales Potestatibus, & Virtutibus cœlestibus comparantur, vt statim dicam *sect. seqq.*

SECTIO III.

De Prudentia Iudicum, Virtutibus comparata, ex ordine secundo Hierarchiæ secundæ.

78 Angeli Virtutes dicuntur propter firmam, & immutabilem virilitatem ad susceptionem diuinarum illuminationum, vt ait S. Dionysius *cap.8. de cœlesti Hierarchia*, nullatenus infirmam, sed viriliter in Dei imitationem reductam, Deiformem motum non derelinquentem, sed firmiter ferentem in superessentialem, & potentificam virtutem deiformiter prouenientem.

79 Virtutes præcipuè commendantur ob Impensam Iustitiæ defensionem, ob Diuinæ sapientiæ imitationem, ob expeditam causæ pauperum determinationem, ob Auaritiæ, munerumque constantem fugam, ob strenuam denique oppressorum liberationem.

Hæc ad illos, qui Iudiciaria funguntur potestate, diriguntur; absque his enim in iudiciis ferendis Iustitia facilè peruertitur; nam qui Iustitiam violant, quomodo aliis eam possunt administrare; Qui diuinæ sapientiæ studiis non vacant, Dei nullatenus Iudicia poterunt proferre; nec, qui Diuitibus indulgent, pauperibus æquitatem valent impendere, &c.

Verum cùm hæc non tam ad Iudicum spectent prudentiam, quam ad intemeratam Iudiciorum æquitatem, ideò in proximam disputationem, vbi de Iustitia egero, ea remitto.

SECTIO IV.

De regimine Principum, Potestatibus similium.

{ D.Thom. quæst.50.

Hic agendum esset de regimine Principum; de 80
quo prolixum opusculum, quod est vigesimum, intexuit D.Thomas.

Repeta autem partes subiectiuas prudentiæ, suprà numeratas.

Ponit vero Aristoteles 3. *Eth. cap.3.* Prudentiam 81
esse propriam virtutem Principis. Ratio est, quia ad prudentiam spectat regere, & præcipere; & ideò vbi inuenitur specialis ratio regiminis, & præcepti in humanis actibus, ibi etiam inuenitur specialis ratio prudentiæ. Manifestum est autem in eo, qui non solùm seipsum regit, sed etiam communitatem perfectam, vel regnum, inueniri perfectam rationem regiminis. Tantò enim regimen perfectius est, quantò vniuersalius est, ad plura se extendens, & vlteriorem finem attingens; ideoque Regi, ad quem pertinet regere ciuitatem, vel regnum, prudentia competit speciali ratione, & quidem perfectissima.

Huic respondet Politica in subditis, vt mouean- 82
tur, atque regantur; sed enim quia non reguntur, & mouentur ad modum irrationalium, imò seipsos mouent per liberum arbitrium; ideo requiritur in eis quædam rectitudo regiminis, per quam seipsos dirigant ad obediendum principantibus, & ad hoc pertinet species prudentiæ, quæ Politica vocatur, vt ait D.Thomas *articulo 3.*

Ab his autem differt alia prudentia, quæ dicitur 83
Oeconomica, & est media inter prudentiam principum, & singularum personarum; nam ordinatur ad regimen domus, quæ est pars ciuitatis.

Vt autem propiùs accedam, quarta species sub- 84
iectiua Prudentiæ gubernatiuæ est Militaris, vt innuitur *Prouerb.24.* Ratio est, quia ea, quæ secundùm artem, & rationem aguntur, debent esse conformia his, quæ sunt secundùm naturam, quæ à ratione diuina sunt instituta: Natura autem ad duo tendit. Primò quidem ad regendam vnamquamque rem in se ipsa: Secundò verò ad resistendum extrinsecis impugnantibus, & corruptiuis. Propter quod non dedit animalibus solùm vim concupiscibilem, per quam moueantur ad ea, quæ sunt saluti eorum accomoda; sed etiam vim irascibilem, per quam animal resistit impugnationibus. Quare, & in his, quæ sunt secundùm rationem, non solùm oportet esse prudentiam Politicam, per quam disponantur ea, quæ pertinent ad bonum commune, sed etiam Militarem, per quam hostium insultus repellantur.

Vtraqve verò in cœlestibus Potestatibus elu- 85
cet, vt docet D. Bonauent. nam & ad regendos inferiores subordinatè Dominationibus ordinatæ sunt, & præcipuè ad insultus hostium infernorum retundendos, vt docet S. Dionysius *de cœlesti Hierarchia, cit.* vnde cœlestes definit Potestates apud Seraphicum sic.

Sanctarum Potestatum cognominatio do- 86
cet potentem, & benè ornatam, & inconfusam circa diuinas susceptiones ordinationem, non tyrannicè inferiora

inferiora potestatiuè præcipitantem, sed potenter in diuina reducentem; & ad potentificam causalem potentiam, quantum fas est, assimilantem, & ad Deum, qui princeps est omnis potestatis, secundùm hierarchicam dispositionem, inferiora conuertentem, diuinam, & lucentem potentiam in inferioribus resplendêre facientem. Vnde Angeli illius ordinis refrænant, & coercent omnes, hierarchicam prælationis, & subiectionis ordinationem impedientes. Vnde prælationis potestatem à subditis contemni non permittunt, & subditos per violentiam ab iniquis dominis opprimi non sinunt, imò omni iniuriæ istorum, & illorum obuiant potentissimè, & resistunt.

86 Iam Principes, & Reges debent sanctas, & cœlestes intueri potestates, scilicet vt sapienter regant, ordinatè viuant, & potenter malum reprimant, & vindicent, innocentibus parcant, & iniuriam fieri miseris personis non permittant, vt etiam de suscepta potestate non superbiant, sed potius humilibus condescendant.

87 Ordinata igitur erit Potestas sæcularis, secundum similitudinem cœlestium potestatum disposita, si in potestate constituti fuerint sapientes, idest non secundùm voluntatis impetum, sed secundùm rationis gubernaculum in singulis procedentes, vt dicitur Prouerb. 1. *Audiens sapiens, sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit.* Ideò Salomon ini-
88 tio regni petiit sapientiam, dicens 3. Reg. 3. *Deus tu me fecisti regnare pro patre meo, & ego sum puer paruulus, ignorans egressum, & introitum meum. Da ergo seruo tuo cor docile, vt possit iudicare populum tuum, & discernere inter bonum, & malum.* Sicut enim in spirituali iurisdictione, sic nec in temporali, sine sapientia, & discretione est agendum. Ideò præcipitur
89 Deuter. 17. *Cùm sederit Rex in solio regni sui, faciet sibi describere Deuteronomium, &c.* Ideò prouectæ ætatis homines, & senes solebant eligi in Principes, & in reges, quia non in pueris, sed in antiquis sapientia reperitur, qui multa experimenta ex memoria præteritorum componunt, vnde prudentia integratur, vt dixi. Hinc Roboam perdidit regnum 3. *Reg.* 12. quia relicto consilio seniorum, iuuenum consilio acquieuit. Quare dicitur Eccles. 10. *Væ terra, cuius Rex est puer.*

90 Deinde similes erunt potestatibus cœlestibus, si ornati moribus, vitam bonam, & innocentem subditis ostendant. Nihil enim prodest vestiri purpura, diademate insigniri, gemmis lucentibus splendêre, & moribus incompositis sordescere, itaque dicuntur Potestates benè ordinatam, & inconfusam accepisse à Domino potestatem. Nam sicut ait Poëta:

Virtus non quæritur extra.
Non eget exterius, qui moribus intus abundat,
Nobilitas sola est, animum, quæ moribus ornat.

91 Dominus itaque non attendit in potestatibus, mundi, vel carnis nobilitatem, siue corporis, siue habitus venustatem, sed nobilitatem morum, & conscientiæ honestatem, & hoc est, quod dicitur primo Reg. 16. *Non respicias vultum, neque altitudinem staturæ eius: quoniam abieci eum, neque iuxta intuitum hominis ego video.*

92 Item Potestatibus cœlestibus sunt similes, qui amore iustitiæ animati omnem malitiam in reprobis vindicantes, & pacem publicam perturbantes persequuntur, vt dicitur de Iuda, 1. Machab. 3. *Persecutus est iniquos, perscrutans eos, qui populum conturbabant, &c.* Est enim potestas Regum inter homines à Domino ordinata, vt ipsorum metu, malorum audacia refrænetur, quæ quidem tantum inualescerent, vt si non resisteret potestas publica, etiam humana societas penitus dissiparetur. Ideo Exodi 18. *Elige tibi viros potentes.* Et Psalm. 44. *Super femur tuum potentissime.*

Item Potestates cœlestes imitantur, qui non 93
tyrannica crudelitate, sed potius humana, imò Angelica benignitate subditos regunt, & custodiunt innocentes. Ideò dicitur Esther. 12. *Cùm pluribus gentibus imperarem, & vniuersum orbem meæ ditioni subiugassem, nolui abuti potentiæ magnitudine, sed cum clementia, & lenitate gubernare subiectos, vt absque terrore vitam transigentes, optata pace fruerentur.*

Itidem Potestatibus comparantur Principes, 94
& Reges, si de potestate non superbiant. Imò quantò magis eminent cœteris, tantò humiliantur singulis, vt monet Eccles. 3. *Quanto maior es, tanto plus te humilia, &c.* Sicut Dei filius, suprema potestas, Virtus, & brachium Patris, semet exinaniens, omnibus subiectus factus est, & per mansuetudinem mundum redemit; Ità monentur Psalm. 146. *Non in forti- 95
tudine equi voluntatem habebit.* Ille igitur potentissimus, qui in Deo confidens, de seipso diffidit. Vnde obserua, Reges, & Duces magis semper Dei auxilio, quàm armis triumphasse; eos porrò, qui in fortitudine exercituum confidebant plurimum, dissipatos; Ideò magnæ actus prudentiæ est prouidere sibi coram Deo, & postea coram hominibus, & nosse, in manu Dei esse potestatem vniuersæ terræ, vt dicitur *Eccl.* 10.

Similiter supernis potestatibus similantur 96
Principes, pacem vniuersæ terræ procurantes, quæ sanè non conseruaretur, nisi Regales potestates id conarentur, quod agnouêre Machabæi *Lib.* 2. *cap.* 4. Ideò debent recordari Principes, se gladium portare, vt aduersas, ac rebelles Ecclesiæ comprimant potestates, quæ à potestate eorum timent, vt dicitur *Rom.* 13.

Similiter, sicuti cœlestes potestates lucen- 97
tem Dei potentiam in inferioribus resplendêre faciunt, vt ait S. Dionysius; ità vt veritas, bonitas, & potentia, quæ in eis elucet, mediantibus angelis superioribus, transfulgeat inferioribus, qui in consimiles participationes gratiæ, & gloriæ inde educuntur. Ità Principes nunc per seueritatem, & iustitiam; nunc per clementiam, & benignitatem populum simplicem ad Dei reducant cognitionem, & potentes ad inuiolabilem legum diuinæ iustitiæ obseruationem. Ideò dicitur Eccles. 44. *Dominantes in po- 98
testatibus suis, homines magna virtute, & prudentia præditi.* Sic enim prudenter debent præesse, vt luce suarum virtutum subditis omnibus adsplendeant, magis quàm potestate supersint. Sicuti Deus *fecit Solem 99
in potestatem Diei, & Lunam in potestatem noctis.* Psalm. 135. vt sicuti Sol præclaro, & benefico lumine Diei præest, tenebras dissipans, prauos humores sursum rapiens, vt in pluuias, & rores terræ fœcundos resoluat, omnes causas inferiores adiuuat ad suos effectus, tanquam causa vniuersalis; ita Principes, tenebris vitiorum fugatis, virtutes vsquequaque spargant, illuminent, calefaciant, accendant, atque inflamment, terrendo animalia inimica lucis. Hinc Prouerb. 19. *Sicuti fremitus Leonis, ita & Regis ira; & 100
sicut ros super herbam ita hilaritas eius.* Sic erunt digni, vt *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, vt dicitur *Rom.* 13. Vnde ait & Petrus prima, cap. 2. *obedite Dominis vestris, &c. siue Regi tanquam præcellenti, &c.*

Alivm tractatum habet S. Doctor de regimine 101
prælatorum, qui titulo hoc decoratur: *De sex alis Seraphim.* Quia enim Seraphim inter Angelos præeminent,

nent, ideò prælatis similantur Ecclesiæ. Quoniam verò hi senis alis decorati apparuêre *Isa.6. Apoc.4.* Numerus autem senarius perfectus est, constans ea partibus suis aliquotis; Ideò virtutes Antistitis ex hoc alatum numero capilare satagit, vt his ad scopum euolent.

102 PRIMA igitur Ala Rectoris est zelus iustitiæ, quo nequit malum quodcumque sine murmure sustinere. Tantò enim bonus est aliquis æstimandus, quantò malum detestatur, & bonum prosequitur, non modo ordinario, vt nolit deserere dulcedinem suæ quietis ad modum Ficus *Iudit.9.* quæ noluit deserere dulcedinem suam, vt arboribus præesset; sed tales esse debent, vt propriæ etiam quietis obliti non delectentur salutis propriæ profectibus, nisi alios ad salutem promoueant, veluti Paulus prima Cor. 13.
103 *Non quæris quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi.* Hoc sanè zelo, maxime Christi vicem gerentes, debent æstuare; sic enim de Christo dicitur Psalm.44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem; propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.* Hæc iustitia est obseruantia omnium, quæ sunt ad salutem necessaria, vt sunt præcepta Charitatis, Decalogi, & cætera, quæ à lege æterna manant, vt virtutes, humilitas, castitas, misericordia. Deinde etiam, quæ iure humano constituta sunt lege Ecclesiæ, vt ritus Sacramentorum, & cœterorum, ad iuris positiui legem pertinentium.

104 Hæc autem & in se, & in aliis obseruanda curent, sed ordine debito, ne sint ex his, de quibus Lucæ 11. *Decimantes mentam, & rutam, & relinquentes, quæ grauiora sunt*, sicuti quidam Prælati, qui pro vna inclinatione in choro, magis accenduntur, quàm pro grauibus transgressionibus: magis pro vna rubrica neglecta, quàm pro scandalo.

105 DEBENT autem sedulò magis pro peccatis publicis remedia porrigere; Præcipuè verò vt studium orationis necessarium seruetur.

Arida est omnis Religio (ait D. Bonauent.) quæ non oleo isto saginatur. Instabilis est bonorum operum structura, quæ deuotæ orationis frequentia non compaginatur, sicut paries lapidum sine cœmento. In omni religione, vbi feruor orationis tepuerit, etiam aliarum virtutum machina incipit deficere, & propinquare ruinæ; Lampades quoque fatuarum virginum sine oleo extinguuntur, vt dicitur *Matth.25.*

106 DEINDE cauenda est negligentia exterioris disciplinæ, ne aliquid incorrectum, aut impunitum relinquat, ne cum Heli damnetur *primo Reg.4.* Hanc autem notam ad internoscendam laudabilem religionem à relaxata præbet S.Doctor, non quòd, nullus peccans in reformatis religionibus reperiatur, sed quòd nullus impunè peccare sinatur, & peccandi aditus studiosè præcludatur, & incorrigibiles, & alij inficientes eliminentur, & boni foueantur, & diligantur, vt perseuerent. Nam cùm in conuentu Angelorum, & Collegio Apostolorum inuenta sit prauitas, etiamsi sub magisterio Dei viuerent; quis ordo bonorum in hac vita sibi arrogabit, nullum in eo peccatum reperiri.

107 CONCLVDIT igitur S. Doctor, Prælatum grauiter Deo rationem redditurum; Primò pro inobseruantia sua, & omissione officij, Sap.6. *Cùm essetis ministri regni eius, non rectè iudicastis, custodistis legem iustitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè, & citò apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet.* Secundò peccata subditorum, quæ poterant, & debuerant correxisse, & præcauisse, non correxerunt, aut præcauerunt.
108 Ideò dicitur Ezech.33. *Si non fueris locutus, vt se custodiat impius à sua via: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Quam expositionem è Seraphico P. Francisco didicit S. Doctor. Tertiò reddent rationem pro abusione potestatis ad proprium commodum, & honorem. Ideò Matth.25. *Tollite ab eo talentum, & inutilem seruum eiicite.*

SECVNDA Ala Antistitum est Pietas, vt sicut 109
eum Charitas Dei ad zelum iustitiæ inflammat, ità fraterna dilectio ad pietatem informet; nam, etsi vitiis debetur virga percutiens; infirmitati tamen necessarius est baculus sustentans; de his Psalm.22. *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Debent autem Prælati esse prudentes medici spirituales, vt infirmitates internoscant varias, & remedia omnibus apta habeant. Neque de illis fiat, de quibus Psal.68. *Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt.* Itaque pietate vigeant, ne penitus pereat, qui abiectus est, vt ait 2. *Reg.* prudens Tecuitis; sed vt dicitur *primo Reg.* 23. possint dicere subditi: *Benedicti vos à Domino, quia doluistis vicem meam.*

NEQVE dicas (ait S. Doctor.) Illis dignè sub- 110
uenitur, de quibus est spes conualescentiæ; in illis verò, de quibus non præsumitur, quòd aliquando conualescant, inutiliter consumuntur expensæ; nam misericordia propter meritum Charitatis exhibetur, & non propter vtilitatem tuam; oportet igitur Pontificem experiri infirmitates, vt possit compati, vt dicitur *Heb.4.*

ADMONET autem S. Doctor, infirmorum 111
mente tria esse genera. Primi sunt, qui ex deuotionis affectu proni ad scandala facile cadunt, vt ait Apostolus, prima Cor.11. *Inter vos multi infirmi.* Secundi, qui, licet deuoti, tamen facilè ex correptione, vel commouentur impatientiâ, vel diffidentiâ desperant. Tertij sunt imperfecti omnes, qui passionibus agitati vacillant. Hîc amouendas ait occasiones scandali, opportunitates peccandi, ne videant, vel audiant, vnde infirmentur, ne extra domum vagari sinantur. Dina enim *Genes.34.* egressa domum, corrupta est. Hi per exempla, & exhortationes mouendi, neque ad iracundiam prouocentur, vt dicitur Coloss. 3. *Patres nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant.* Debent Prælati his omnibus compati, vt
aiebat Iacob 33. *Nosti, quod paruulos habeam teneros,* 112
& oues, & boues fœtas mecum, quas, si plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges. Ideò Paulus prima Thessal. 2. *Facti sumus paruuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foueat filios suos,* quod ita nimirum homilitet, & piè blanditus sum vobis, condescendens vestræ teneritudini, & imperfectioni.

E contra de duris pastoribus conqueritur Domi- 113
nus, Ezech.34. *Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, & quod confractum non colligastis, & quod perierat non quæsistis, &c. sed cum austeritate imperastis, & cum potentia.* Ideò Bernardus, sermone 23. in Cant. *Vt quid grauatis iugum vestrum, cum ceruicis discipulorum, quorum vos potius iugum portare debetis? Ponite onera, producite vbera, pectora lactate, quiescant. Et si interdum seueritate opus sit, paterna sit, non tyrannica, iuxta id* Num.11. *Porta eos in sinu tuo, sicut portat mulier infantulum suum, & defer in terram, pro qua iurasti, &c.*

TERTIA Ala Antistitum est patientia, & con- 114
stans longanimitas; sicut enim tabernaculi tectum pluuias excepit, ventos, & puluetes; vt interiora manerent munda; ità Prælatus debet suscipere tempestates, vt interiora seruet, & veluti Gallina pro pullis, se Miluo obiicere. Propter tria autem est ei necessaria

pro pullis se Miluo obiicere. Propter tria autem est eis necessaria patientia: Primò propter varias ingruentes occupationes. Propter hoc & Moyses erat mitissimus Deuter. 1. *Non valeo solus vestra negotia sustinere, &c.* Secundò propter tardum eorum profectum, pro quibus laborat; Quapropter Psalm. 118. *Tabescere me fecit zelus meus.* Tertiò ob ingratitudinem eorum, pro quibus laborat, qui nunquam contenti, semper conqueruntur.

115 HIS, & aliis aduersis, quibus impetitur, triplici patientiæ scuto vir prudens se opponat. Primò vt maturè, & benignè ad singula respondeat, & impetum sermonis reprimat, ne voce, aut vultu impatientiam ostendat. Tunc enim magis sedat impatientes, sic Iudic. 8. Gedeon compescuit iurgantes, nam teste Sapiente: *Responsio mollis frangit iram; sermo durus suscitat furorem.* Secundò studeat in domo esse pacificus, vt nec vindicet se de illatis iniuriis, nec in corde oderit illos, sed imitetur Patrem supernum: *Qui benignus est super ingratos, & malos.* Tertiò vt non ob id minùs promptè incumbat officio suo, vt dicitur 2. Paral. 15. *Vos ergo confortamini; & non dissoluantur manus vestræ.*

116 QVARTA Ala est exemplaris vita. Ipse namque debet esse norma viuendi, vt quæ docet verbis, ostendat actionum figuris, sicut qui Geometriam docet, describit in tabulis figurarum demonstrationes, vt quod dicit, melius capiatur. Sic de Christo dicitur, Act. 1. *Cœpit Iesus facere, & docere,* & Ioan. 13. *Exemplum dedi vobis,* & Iudic. 7. ait Gedeon *Quod me facere videritis, hoc facite.*

Quamuis autem in omnibus virtutum exemplis debeat rector præcedere subditos; specialiter tamen in his tribus: In communis scilicet obseruantiæ conformitate: In mansuetudinis humilitate. Et in maturitatis honestate. Vnde ad Titum 2. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, &c.*

117 COMMVNEM vitam cum aliis obseruet in victu, vestitu, & labore, vt non vacet conuiuiis, & potationibus, nec sit eis dissimilis habitu, quibuscum est professio communis: Omnia omnibus debet fieri, vt omnes faciat saluos, vt dicitur 2. *Cor. 9.* Vide S. Doctorem.

118 QVINTA Ala Prælatorum est Prudentia, & circumspecta discretio. Hæc est præcipua, vt docet Concilium Tridentinum, quam latè prosequitur S. Doctor *cap.* 7. Propterea etiam Salomon 3. *Reg.* 3. habens à Deo optionem postulandi quidquid vellet, hanc petiit: *Dabis ergo Domine seruo tuo cor docile, vt iudicare possit populum tuum, & discernere inter bonum, & malum.* Et Sap. 6. *Ad vos ergo Reges sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, & non excedatis.* Et Psalm. 2. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram.* Rector enim est oculus populi, & D. Bernardus, sermone 49. in Cant. *Tolle discretionem, & virtus vitium erit.* Ob id, Leuit. 2. *in omni oblatione tua offeres sal.* Vide S. Doctorem, de his mirè disserentem: Ex Rationali antiqui Pontificis, & ex quatuor ordinibus gemmarum, quatuor necessaria habet rector obseruanda. Primò, quomodo in statu debito subditos gubernet, vt boni exemplo suo proficiant. Secundò, quomodo lapsos eleuet, & dubios corrigat. Tertiò, quo pacto exteriora negotia disponat. Quartò, quomodo in his se custodiat, & gerat.

119 IN singulis ordinibus lapidum erant tres, signando tria ad prædicta singula pertinentia, vt onera quocumcumque aptè, & suauiter disponantur, vt dicitur Num. 4. *Aaron, & filij eius intrabunt, ipsi quoque disponent onera singulorum.*

Est autem triplex obseruantia in gemmis illis triplicibus expressa.

PRIMA circa ea, quæ sunt de necessitate salutis iuxta cuiusque professionem.

SECVNDA circa ea, quæ respiciunt exercitium altioris perfectionis singularis; patientiæ scilicet admirandæ, humilitatis stupendæ, Charitatis arduæ, sobrietatis eximiæ, &c. ad quæ Rector allicere suauiter debet. Igitur hanc gemmam in pectore teneat, vt ad eximiam virtutem subditos animatos dirigat.

TERTIA sunt quæ ad vtriusque instituta sunt 120
consecutionem, vt silentium, ieiunia, &c. In quibus discretè Prælatus se habeat, etiam dispensando, si oporteat.

CIRCA lapsorum correctionem Prudentia est necessaria, vt dicitur Galat. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis,* ipsum supportando, sicut Christus Iudam tolerauit, & sicut *Matth.* 13. zizania vsque ad messem intacta relinquuntur. Abscindantur verò, cùm perniciem afferunt, vt dicitur *Galat. 5. prima Cor 5. secunda Cor. 7. Lucæ* 13. & *Numer.* 5. permittuntur leprosi; monet tamen illud Eccles. 32. *Omnia cum consilio fac, & post factum non pœnitebis.*

CIRCA negotia, alia expedit à Prælato per se 121
perfici, alia per alios; sic Christus Iudæ loculos commisit, & noluit inter duos fratres diuidere bona; sic dixere Apostoli, Actorum 6. *Non est æquum, nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis, &c.*

Igitur debet tanquam caput præsidere, & motum, & sensum membris compartiri, & ità agere, tamquam rationem pro subditis redditurus, *Heb.* 13.

SVPERFLVA verò negotia expedit præcidere, vt dicitur Ecclesiastici 11. *Fili ne in multis sint actus tui, &c.*

SVPER omnia debet Rector se ipsum circumspi- 122
cere. Quid enim prodest homini, si alios saluet, & animæ suæ obsit? *Matth.* 16.

Igitur semper conscientiam mundam seruet, vt nihil velit, agat, vel permittat illicitum, & indecens, professionique suæ contrarium, in quo peccatum, scandalumue deprehendatur, *&c.* Vide Seraphicum *cap.* 7. mirabilia promentem.

ALIA circumspectio versatur circa externos mores, qui enim pluribus ad exemplum cupit viuere, eget magna discretione; ne sit, de quibus Ezech. 34. *Vos autem cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia, & dispersæ sunt oues meæ.* Et Eccles. 4. *Noli esse quasi Leo in domo tua, &c.* Imitetur potiùs mansuetudinem Christi.

TANDEM ipsa circumspectio circumspiciat seip- 123
sam, ne sit vt oculus videns alios, non se, vt scilicet non plus sapiat, quàm oportet, nec sibimetipsi sapiens sit. Vnde Prou. 26. *Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spem habebit stultus.* Debet igitur alios consulere, sic enim & Moyses, cui Deus facie ad faciem loquebatur, consuluit Socerum *Exodi* 18. & Apostolus, qui fuerat ad tertium cœlum raptus, consuluit alios Apostolos. Vitet autem consilia adulatorum, vt dicitur *Isa.* 3. & detractorum, vt dicitur. *Esth.* 16.

SEXTA Ala Prælatorum est deuotio; per hanc enim zelus iustitiæ accenditur, pietas confertur, patientia roboratur, exemplum bonum conditur, discretio clarificatur. Hæc est vnctio spiritus, docens omnia 2. *Ioan.* 2. Vide S. Doctorem, *capite citato de sex alis Seraphim, ala 5.*

Q SECTIO

SECTIO V.

De Prudentia singularium ex Hierarchia infima.

124 INFIMÆ Hierarchiæ chori sunt Principatus, Archangeli, & Angeli, qui normam subditis exhibent Prudentiæ.

PRINCIPATVS igitur, vt ait S. Isidorus, dicuntur Angeli, qui præ cœteris possident donum reuerentiæ; vnde eorum ministerium est docere homines, exhibere vnicuique reuerentiam, secundùm gradum suum.

125 DE his S. Dionysius de cœlest. Hier. cap. 6. *Sancti Principatus ad principalem principatum Deiformiter sunt motiui, & inferiorum ordinatione sancta, & conuenienti reductiui, & ad superprincipalem omnis principatus principem totaliter conuersiui, & ordinationis eius manifestè ostensiui, &c.* Igitur Principatibus similantur subditi; qui sicuti Principes volunt sibi absque tyrannide præesse; ità ipsi reuerenter iis obediunt, & sibi etiam inferiores Oeconomica subiectione subditos ad obedientiæ leges, tum in Deum, tum in Principes, siue Ecclesiasticos, siue sæculares, mirificè reducunt. De his multa tradunt monita Scripturæ *Rom.* 13. *Coloss.* 3. *prima Cor.* 7. *secunda, Cor.* 13. *Leu.* 19. *Iob.* 29. Perpulchrum est dictum Isa. 9. *Factus est principatus super humerum eius, &c.*

126 HINC verum principatum super omnia obtinet; nam *vir obediens loquetur victorias*, & Iosue 10. Cœlestes Sphæræ obedientes steterunt ad vocem principis obedientis, *Imò obediente Deo voci hominis, & pugnante pro Israel.* Propterea, & ipsi debent esse superioribus reuerentes; Ideò Exodi 22. *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices.* Vide S. Doctorem, *cap. 1. de Eccl. Hierarchia.*

IN subditis autem debet esse & munditia, & innocentia, Archangelis assimilans. Hanc munditiam commendant Scripturæ, Matth. 5. Prou. 22. *In resurrectione erunt sicut Angeli Dei.*

127 DE Archangelis ait S. Dionysius, quòd hic ordo communicat cum Principatibus, & superioribus ordinibus, quantum ad susceptionem illuminationum, & sui ad primum principium reductionem; communicant etiam cum inferioribus per eorum ad Deum reductionem. Nam vniti Deo mediantibus aliis ordinibus superioribus per amorem, Angelos inferioris ordinis, & homines nituntur vnire Deo, quemadmodum & ipsi sunt vniti, ideò vnificam, & simplificam dicuntur habere virtutem. His igitur similes sunt innocentes, & casti, maximè Virgines, qui miro alios rapiunt ad puritatem exemplo, & ita gratiis ditantur.

128 OBSERVAT autem S. Doctor, Archangelos semper dignioribus officiis prælatos, vt patet de Michaele, *Daniel.* 10. Raphaele, *Tob.* 6. Gabriele *Lucæ* 1. è contra immunditia abiicit, & proiicit homines, vt patet in Sampsone *Iud.* 16. & *Daniel.* 13. in illis sensibus; ille enim excæcatus, infirmatus, & prostratus est; Isti sensibus euersis, *declinauerunt oculos, ne aspicerent cælum.* Ideò monet S. Doctor cum D. Thom. & aliis, Luxuriam maximè Prudentiæ obesse, quia mentem excæcat. Vide S. Doctorem mirè disserentem.

129 ANGELI tandem sunt, qui immediatè se habent ad Ecclesiasticam hierarchiam, vt eam purgent, perficiant, & illumineot, vt illis mediantibus sit sursum in Deum actio, conuersio, communicatio, & vnitio, vt ait S. Dionysius. Est autem Angelus nomen officij, non naturæ, vnde illuminationes è superis acceptas ad nos deferunt. Istis Angelis similantur boni subditi, propter opera misericordiæ, quæ respondet dono Consilij adnexo Prudentiæ. Vide S. Doctorem, hæc eximiè pertractantem, vbi sollicitudinem in operibus pietatis iniungit, & celeritatem, ac indefessum laborem, Vnde, & Angeli iuuenes pinguntur alati. Ex dictis ferè potest definiri alia quæstio.

QVÆSTIO VIII.

An vna sit PRVDENTIA *pro omnibus Virtutibus moralibus.*

PLAVSV ingenti vnam admittunt Prudentiam
Thomistæ omnes cum D. Thoma *quæst.* 60. *art.* 1. 130
vbi Caietanus, Medina, Conradus, Aluarez, Durandus 3. *dist.* 36. Buridanus 6. *Eth. quæst.* 13. Valentia *prima secundæ, disput.* 85. *cap.* 2. Tanner. *disput.* 3. *quæst.* 1. *dub.* 2. *num.* 30. & alij.

E regione, Scotus *in* 3. *dist.* 36. §. *Quantum ergo ad istum*, voluit, tot esse Prudentias formales, & specie distinctas, quot sunt virtutes morales acquisitæ circa ipsas, atque adeò cuilibet virtuti morali suam propriam Prudentiam respondêre. Sequuntur Nominales, & Scotistæ omnes apud Mastrium *disput.* 7. *quæst.* 7. Arriaga *disput.* 34. *sect.* 3. Nominales apud Tannerum, Lessius *Lib.* 1. *cap.* 2. *disp.* 2.

HÆC mihi videtur Sententia D. Bonauent. *Lib.* 5. 131
compend. Theol. c. 34. vbi rationem etiam indicat, qua Scotus nititur; est autem hæc: Sicut ars respicit factibilia; ità etiam Prudentia agibilia, imò ampliùs se expandit; nam ars sola obiecta ordinis artificialia habet; At Prudentia debet regere cœteras virtutes morales, non solùm quò ad Ethicam, idest, sui gubernationem moralem: Oeconomicam familiæ: Politicam Reipublicæ: Sed quia plures habet homo fines, idest, naturalem, quò ad naturam humanam, & quò ad mundum extra; & diuinum, quò ad supernaturalem beatitudinem, & in ordine ad hæc omnia debet dare regulas regimini corporis in deliberationibus oris in loquendo, & in humanis commerciis, & operis, in omnibus actionibus moralibus, in quibus tam variæ honestates ad inuicem non inseruientes, pro regula debent adiri; non videtur quo pacto
vnica regula Prudentiæ sufficiat, sed profectò sicuti 132
respectu diuersorum arte factibilium dantur diuersæ artes, vt constat; ità debent assignari diuersæ Prudentiarum species. Videmus sanè, eum, qui habet regulas Architectonycæ artis, non habere artem Aurificum; & qui habet artem Sartoriam; non habere consequenter artem Medicam; & qui habet fabrilem, illicò non habere lanificam, & textrilem. Multò igitur magis plurimæ Prudentiæ sunt assignandæ tot ordinibus rerum, tot diuersis honestatibus, &c. vt singulis media assignentur; non enim, qui nouit medium Temperantiæ, illicò habet medium Iustitiæ, vel Fortitudinis, &c.

RESPONDENT Thomistæ, diuersam esse ra- 133
tionem artium, & Prudentiæ in agibilibus, quia in his vnus est modus iudicandi inueniendo mediocritatem virtuti, & vnus modus consultandi. Ità Caietanus *ad* 1.

At

134 At si hæc firma sunt, oportebit omnes artes in vnam redigere; nam omnes artes conueniunt in modo consultandi circa suas materias, & omnes virtutes morales in vnam redigentur, quia omnes eodem modo operantur in quærenda sua mediocritate; vnde sicuti vna est dirigens prudentia, ità vna virtus directa, quod tamen est falsum; nam mediocritas in materia fortitudinis erga terribilia, vel in materia Temperantiæ erga cibos, longè diuersas petunt considerationes ex parte intellectus, à mediocritate requisita in humiliatione, oratione, contractibus, &c. Hanc diuersitatem amplius declarat Arriaga *num.* 28. Nam, vt homo iudicet prudenter; vtrum imminente periculo vitæ liceat omittere Sacrum; & imminente eodem periculo possit Aggressorem interficere, diuersa planè principia reperiuntur. Confirmatur à Rubione ex D. Bonauent. nam prudentia circa aliorum regimen, est distincta specie virtus à sui regitiua, quæ dicitur Prudentia Monastica. Et rursus prudentia aliorum regitiua, est multiplex, & diuiditur in Regnatiuam, Politicam, Oeconomicam, & Militarem, vt concedunt Vasquez, Tannerus, & alij ex aduersis: Ergo idem erit de prudentia dicendum, respectu virtutum.

135 Confirmatur; nam habitus, respiciens plura obiecta secundùm diuersas rationes formales, non est vnus, sed plures specie, vt habetur ex Aristotele 3. *de anima*; Sed Prudentia est talis: Ergo. Minor probatur; nam obiecta dirigenda, sunt constitutiua diuersarum virtutum, atque adeo egent diuersis specie directionibus intellectus.

Vrgeo, nam Prudentia respicit non minus regimen virtutum singularum sub diuersis earum obiectis, quàm ipsæ in ea obiecta ferantur, & tendant, iuxta easdem regulas. Neque enim satis est, Prudentiam dictare mediocritatem virtutum in communi, sed debet singulis singula media ostendere.

136 Neque dicant Thomistæ, id fieri vna ratione boni, alioqui non erit cur adeo laboret Prudentia circa præcisas, indiuiduas, variasque bonitates, circa quas insudans, acquirit species de illa mediocritate, puta Fortitudinis; neque tamen intereà simul acquiruntur species circa medium Temperantiæ, vt experimento constat, & acutè arguit Scotus, & hæc ratio à posteriori, vt ait Mastrius, est euidentissima. Tunc sic arguit Bassolis. Illi sunt distincti essentialiter habitus, quorum vno acquisito non acquiritur alius; sed sic res habet, vt ostendi: Ergo.

Respondet Vasquez, eum habitum primò acquisitum circa vnam virtutem, posteà per modum superadditum extendi ad nouum actum alterius virtutis.

137 Contra, quia, vt arguit Arriaga, non est ratio dicendi, vnam ex illis habilitatibus esse habitum; alteram esse modum, cum vtraque sit disparata, & independens, adeoque obiecto diuersa.

Respondent Thomistæ, eas omnes esse partes habitus, tamen inter se vniri, vnumque constituere habitum.

Contra, quia si habitus Prudentiæ vniuntur, poterunt etiam habitus virtutum moralium in vnum coire. Deinde, si sunt diuersæ partes: Ergo non vnus est habitus, sed multæ partes Prudentiæ, vna pro vna virtute; alia pro alia.

138 Vna est igitur Prudentia generica, & multæ species; sicuti vna est virtus Temperantiæ, & sub ea plures clauduntur species.

Obiiciunt primò ex Aristotele 6. *Eth. c.* 13. vbi ait: *Etenim cum Prudentia, quæ est vna, simul inerunt omnes*, (idest virtutes.) Ratio est, quia omnes habent vnum modum quærendi mediocritatem virtutibus.

139 Respondetur, quod licèt laboret Prudentia circa mediocritatem, seu circa bonum morale, tamen non agit in genere, quærendo finem, aut media in genere bona, & mediocritatis; alioqui non satis dirigeret ad obiecta specialia, neque virtutes satis dirigerentur; sicut autem virtutes singulæ diuersis tendentiis in peculiaria obiecta propria feruntur; ità Prudentiæ multæ in ea obiecta dirigunt, neque Thomistæ in hoc assignare nouerunt diuersitatem: Aristoteles verò loquitur de Prudentia in genere, pro vt ad omnes virtutes dirigendas extenditur.

140 Obiiciunt secundò: Obiectum Prudentiæ est verum; sed eadem est ratio veri in quauis materia moralis virtutis, quam iudicat Prudentia: Ergo vna est virtus Prudentiæ.

Confirmatur: Sicut vna est Medicina contra omnes ægritudines, ità vna Prudentia contra omnes errores practicos.

Respondet Mastrius *num.* 150. si argumentum validum esset; probaret etiam, non esse plures scientias speculatiuas, quia est vna omnium veritas. Igitur neque Scientia, neque Prudentia speciem sumunt à veritate, sed à rebus; hæ enim sunt obiectum sub tali ratione. Ad probationem negat paritatem; nam Medicina est ad vnam sanitatem; At Prudentia ad plures valetudines spirituales.

141 Sed non aduertit vim argumenti, neque arguens benè exercit. Stat igitur neruus rationis in hoc, quod Prudentia non dirigit ad practicam veritatem, vt est temperantiæ, vel iustitiæ, sed vt debent aptari ponderi, & mensuræ rationis; sicuti, qui probat stateras varias per vnum pondus, & agnoscit inde, an sint æquæ. Sic igitur Prudentia omnes ad suam mensuram actus moralium virtutum ponderat, esto eos consideret materialiter; tamen omnia obiecta, etiam formalia singularum virtutum pensitat ad suam regulam.

142 Respondetur igitur, Prudentiam dirigere actus singularum virtutum ad rationis mensuram, non tanquam ad vnum genus commune præcisè, sed secundum hanc, vel illam rationem specialem, quærens singulis mediocritates indiuiduas, tot circumstantiis vestitas, ità vt non sistat in esse rationis, sed adæquet actus singulos regulis indiuiduis illius speciei virtutis; Est enim Directrix humanorum actuum, qui sunt singulares, & hos dirigit ad specialem normam mediocritatis huius indiuiduæ. Sæpe enim, quæ sunt recta in specie, possunt aliquâ circumstantiâ vitiari, atque adeò in indiuiduo esse mala; adeoque eget regulis specialibus singularibus practicis, cum tam variæ sint virtutum species, quarum vna, neque est species, neque est circumstantia alterius, v. g. hic actus attendendi infirmo in die festo; & ob id omittendi Sa- 143
crum, non dirigitur à prudentia nudè sub hac ratione communi, vt est rationalis, quatenus actus Charitatis, præstitus in graui necessitate, est meritò præferendus iuri positiuo humano; sed vt formaliter est talis actus, omnibus bonis circumstantiis munitus indiuiduis; atque adeò vt est talis actus talibus de causis bonis perfectè; ac proinde oportet, vt Prudentia regulas omnes, & singulas habeat, & in hoc simile est exemplum Medicinæ, quæ, licèt vna genere sit, tamen plurimæ sunt specie necessariæ, puta purgatiua, præseruatiua, & sanè ad plures fines; vnde non est vna sanitas genere, sed plures; neque enim medicina considerat sanitatem in genere, sed hanc, & hanc numero sanitatem,

quæ ſunt variæ, & ſæpe oppoſitæ, ratione ſubiecti, quia ſæpe id, quod reducit vnum ad temperiem, diſtemperaret alium; ſic enim purgatoria, quæ vnum nimis debilitarent, atque infirmarent, ſanant robuſtum, pluribus onuſtum humoribus, & ſuperfluitatibus plenum; & quibus febri ardenti prodeſt; nocebit Catharro.

144 Dices. Sicuti ſe habet Scientia in materia ſpeculatiua: ita Prudentia in practica; ſed in ſpeculatiua vna eſt ſcientia, principia conſiderans, & concluſiones, cùm tamen magis diſtent inter ſe, quàm diuerſa principia practica: Ergo diuerſitas agibilium non multiplicat prudentias. Adde, omnes eſſe ad vnum finem ordinatas.

145 Respondetvr, non eſſe eundem habitum principiorum, & concluſionum; nam habitus principiorum dicitur Intellectus; habitus concluſionum dicitur Scientia ex primo *Poſter. & 6. Eth.* Ad illud quod innuit de fine, dico, Prudentiæ diuerſos eſſe fines, vt aduertit S. Doctor *loco citato*, & cum eo Scotus *diſt. 36. circa litteram I.* nam alius eſt finis Prudentiæ Oeconomicæ, alius Politicæ, &c. Alius Ethicæ; & vt dixi in argumento pro aſſertione, diuerſi penitùs ſunt fines, atque adeò plures habitus prudentiales, quia non ſatis eſt prudentiæ dirigere ad finem in genere, ſed debet in indiuiduo rem aptare, vt veluti ſagitta Scopum attingat; & propterea plures habitus prudentiales ſunt neceſſarij, vt aduertit Rada *controuerſ. 15. de Virtutibus, articulo 3.*

146 Obiicies vltimò. Prudentia, vt vnam virtutem regat, debet regere ad normam rectitudinis generalis, complectentis omnes regulas rectitudinis, alioqui ex vno defectu illa actio erit praua: Ergo eſt vna prudentia, extenſa ad omnia.

Respondetvr, ſatis eſſe ſingulis virtutibus perfectionem intenſiuam in ſua ſpecie morali, neque extendendam ad omnes regulas rectitudinis aliarum, quæ ſanè impertinenter adhiberentur. Quid enim inſeruit regula ieiunij ad regulam emptionis? Quamuis autem Prudentia ſit regula conſiliatiua, directiua, & imperatiua, (prout tamen præfinit dictans; non enim intellectus imperat,) & ad hæc plurimæ regulæ rectitudinis ſint neceſſariæ; non tamen omnes, & ſingulæ pro ſingulis virtutum actibus ſunt applicandæ.

Ex dictis corruunt aliæ obiectiones Tanneri, & aliorum, quas hîc indicabo.

147 Prima, quia vnus eſt iudicandi modus de omnibus agibilibus particularibus, videlicet per conſultationem inueniendo mediocritatem in qualibet virtutum materia, & conuenientiam mediorum ad finem eiuſdem virtutis.

Secvnda, quia medium, & honeſtas vnius virtutis præſcribi non poteſt, niſi cum reſpectu ad alias.

Tertia, quia diuerſitas agibilium, in ordine ad habitum intellectus, eſt ſolùm materialis.

148 Respondetvr enim, negando aſſumpta & quidem primæ propoſitionis; nam modus, qui inſeruit vni particulari agibili, nihil facit ad directionem alterius agibilis; iſte autem modus vnus iudicandi de omnibus eſt genericus, ac proinde inſufficiens; cùm ſpecialis requiratur; Similiter licèt in vnaquaque virtute ſit conuenientia medij ad ſuum finem; tamen hæc conuenientia alia eſt in virtute temperantiæ, alia in virtute militari, nec eadem medij conformitate tenet Arator ſtiuam, quâ Nauta temonem; Idem dic de cæteris.

Ad ſecundam obiectionem Dico ſimiliter, vnam virtutem habere totam ſuam honeſtatem intenſiuam, abſque honeſtate alterius; vt ſuprà probatum eſt; eſto extenſiuè in materia aliarum virtutum non poſſit occupari; niſi illarum copiis auxiliaribus adiuta; id tamen, cùm ſit per accidens, & aliquando ſuperfluum, cùm non ſemper neceſſe ſit, virtutem aliquam vltra ſuos limites exire, non eſt ad rem.

Ad tertiam patet, quia licèt agibilia plura, vel 149
pauca induant rationem obiecti materialis; cùm tamen vnumquodque agibile cadat ſub directione vnius virtutis particularis; per ordinem ad hanc, neceſſe eſt, obtineat rationem obiecti formalis; & cum inſuper talis virtus ſubeat onus diſcernendi, dirigendi, & imperandi in ſua materia, opus habet particulari prudentia, quæ illud muneris valeat obire, quod cùm ſit obiectum huius Prudentiæ, & quidem diſtinctum ab obiecto Prudentiæ alterius, vt luculenter ex dictis patet; ſequitur hanc, & illam Prudentiam diuerſæ eſſe rationis, ac proinde inter ſe differre.

DISPVTATIO XXI.

De Dono Conſilij.

QVÆSTIO I.

Quid ſit donum Consilii; *Et quod ipſius Munus.*

D. Bonauent. locis infra cit.
D. Thom. quæſt. 52.

Donvm Conſilij eſt Habitus ſupernus, quo 150
mens redditur facilè mobilis ad inquiſitionem, deliberationi neceſſariam. Eſt autem hic modus mouendi mentem ei connaturalis, quia procedit per inquiſitionem ad ſua decreta. Congruè autem modis connaturalibus Deus mentem hominum mouet, vt notat D. Thom. *art. 1.* & D. Bonauentura.

Obiicies. Dona dantur in adiutorium virtu- 151
tum; at ſatis ad conſilium homo perficitur per prudentiam, & Eubuliam: Ergo.

Respondet D. Thom. Prudentiam, & Eu- 152
buliam dirigere ad Conſilium ſecundùm ea, quæ ratio comprehendere poteſt; ſed quia humana ratio nequit comprehendere contingentia ſingularia, quæ poſſunt occurrere; hinc *cogitationes mortalium timidæ ſunt, & incerta prouidentia noſtra*, vt dicitur *Sap. 9.* vbi præclarè S. Doctor eloquitur; Ideò indiget homo in inquiſitione Conſilij dirigi à Deo, qui omnia comprehendit, quod fit per donum Conſilij, per quod homo dirigitur, quaſi Conſilio à Deo accepto; ſicut etiam in rebus humanis, qui ſibi ipſis in inquiſitione Conſilij non ſufficiunt, à ſapientioribus conſilium requirunt.

Hinc S. Doctor explicare ſatagit, ad quid neceſſarium ſit donum Conſilij; ſcilicet ad inquiſitionem eorum, quæ ratio per ſe non aſſequitur.

Qvare Donum Conſilij ſe habet vt Mouens ſu- 153
perius, quia nempe Prudentia mouet, vt mouens rationē ad rectitudinem ſecundùm regulas rationis creatæ. Conſilium autem mouet ſecundùm rationes æternas, quæ ſunt regulæ primæ dirigentes ad rectum; hinc elucet alia differentia, quòd Conſilium ſcire faciat; an aliquid

aliquid sit faciendum, præcaueatque præcipitia, ne post factum pœniteat; prudentia verò docet quo tempore, quibus mediis, & circumstantiis, hîc & nunc, agendum sit; quare sicut prudentia præest specialiter virtuti fortitudinis, nè præceps in opus ruat; sic Consilium præest Dono fortitudinis, quà diuinitus imbutà voluntas Spiritui sancto, an, & quid agendum consulenti, ociùs acquiescit; Hinc D. Gregor. *in moral.* ait apud Seraphicum de 7. Donis, de Dono Consilij, cap. 1. *valde fortitudo destruitur, nisi Consilio fulciatur.*

154 VNDE Prudentia, & Consilium videntur quasi Luminare minus, & Luminare maius; prudentia enim est minoris lucis, quam etiam, quò securiùs dirigat, à Consilio mutuatur; hoc autem fulgidis, feruidisque radiis præest spirituali diei, quæ in mente exoritur; cuius Manè tunc incipit, quando æterni Consilij radius voluntatem ad sanctum propositum accendit, tenebrasque longiùs dissipat, quibus diu priùs mens in propriæ prudentiæ Domicilio pernoctabat; At modò susceptione diuinæ inspirationis esurgit, ad perfectè se confonnandum supremo illi Consiliario, cuius vocem intimis auribus percipit insusurrantem: *Fili audi, accipe consilium meum, & ne abiicias.* Audi (postillat Seraphicus,) quo ad Intellectum, *accipe*, quo ad affectum, *ne abiicias* quoad effectum. In hac die qui ambulat, non offendit, præterita enim faciliùs respicit, præsentia tutiùs intuetur, & futuris securiùs prospicit; quamobrem Consilium dicitur Oculus, & Cautio futurorum; de Mane huius Diei ait Psalmista: *Mane astabo tibi, & videbo*, vt notat Seraphicus Doctor, *de 7. Donis*, vbi suprà, *cap.4.*

PROCEDIT S. Doctor meridianam huius Doni Illuminationem piorum mentibus offundere; quæ in eo stat, vt concordi flamma, & luce, affectum simul, & Intellectum perpendicularibus radiis sursum recto tramite accendat, & acceleret; quod præstatur, dum mens Diuinis præceptis, ac Consiliis obseruandis tota intenditur; tunc enim Deitatis Sol, è supremo cœli orbe clariùs refulgens, triplici splendore animam visitat; venit quippe Pater, & visitat Memoriam, excitando ad perfectè operandum, venit & visitat Filius, illuminando Intellectum ad clarè contemplandum; visitat etiam Spiritus sanctus Voluntatem inflammando ad dulciter amandum, iuxta Dictum Domini Ioannis 14. *Ad eum veniemus, & mansionem faciemus*; tunc Sol diuinus (ait Seraphicus) *In meridiano exurit terram, tripliciter exurens montes, radios igneos exsufflans, &c.* vt habetur *ecclesiastici, cap.43.*

155 VARUM Vespera, huius Diei spiritualis Consummatiua, tunc declinat, quando, quod à Domino præcipitur, ancipiti curà non attenditur, sed exuberanti desiderio tota se mens perfectionis studio impendit, & certo consilio, quicquid consulitur, amplectitur: In hanc vesperam peruenit S. Theresia, dum vouerit, quicquid perfectius, Deoque gratius, iudicaret, se estemplò acturam; vt legitur in ipsius vita; Consilia enim, quò sunt perfectiora, eò etiam luminosiora ad perfectum Diem conducunt, & consummant; vt notat S. Doctor *cap. 4.* propè finem. vbi suprà.

QVÆSTIO II.

Qualiter DONUM CONSILII *mentem ordinet.*

{ D. Bonauent. cap 5 de Dono Consilij.

CVM Donum Consilij proponatur, tanquam œconomus, potentiis animæ quoad superna dirigendis, prosequitur hic S. Doct. ostendere quomodo familiam suam ordinet.

OBSERVAT itaque, Animam esse nobilem quamdam creaturam, *ex libro de spiritu, & anima, cap.37.* apud D. August. *tomo 3.* est quippe Ciuitas illa Dei, de qua gloriosa dicta sunt, *Psalm. 86.* In ciuitate autem sunt populi multi; Sapientes scilicet ad consulendum, Milites ad pugnandum, & Artifices ad operandum; Itidem in Anima sunt ingeniti & naturales vigores, quasi Indigenæ, vt ait S. Doctor, in tres gradus distincti; primum gradum obtinent facultates Intellectuales, medium possident Rationales, infimum retinent Sensibiles, seu Animales.

DONUM igitur Consilij præficit tali animæ vires Intellectuales ad superna bona penetranda, & suadenda; vnde hi sensus sunt optimi Consiliarij animæ, Consulunt enim: *Deum time, & mandata eius serua; hoc enim est omnis homo*, idest, totus: His pro Aduocatis adiunguntur Fides, Spes, & Charitas, vtpote è superis ad humanæ salutis causam agendam vocatæ.

ITAM hoc Donum potentias rationales Intelle- 156
ctualibus subordinat, ad malum, discretionis oculo, aspernandum, & bonum viriliter eligendum; vnde sunt quasi Milites Animæ, Insolentiam concupiscentiæ pro viribus impugnantes; quibus in Auxiliares copias adiiciuntur habitus acquisiti, Prudentia nimirum, Temperantia, Fortitudo & Iustitia; hæ etenim virtutes vitia fortiter repellunt, suumque Ius animosè tuentur.

INFIMO denique loco Consilium ordinat sensus animales, ad visibilia corporis necessitati subministranda; vnde sunt veluti Rustici, & Artifices, manuum operibus insistentes, & crassiori mineruа operantes, cœteris animæ facultatibus subseruiunt. Hi, vt in artium Instrumenta, assumunt sibi exteriores sensus, qui sunt etiam veluti Tyrones crassiora rudimenta sectantes; Item sensibus animalibus associantur quædam passiones, vt Amor, Odium, Dolor, & Gaudium, quibus instructi espeditiùs superioribus facultatibus obsequuntur; hæc autem omnia præstat mediatè, vel imediate, Donum Concilij, suo ordine, & ad suum munus vnumquemque sensum disponendo, vt concludit egregiè *hîc* Seraphicus; de his autem mira eloquitur *cap. 6. & 7. seqq.*

QVÆSTIO III.

An Donum CONCILII *maneat in patria.*

D.Bonauent. in 3. dist. 34. art. 2. quæst. 3.
D.Thom. art. 3.

157 ASSERENDVM, manere in patria Donum Consilij.

PROBATVR primò à D.Thom. Quando mouens est causa tantùm motus, habito fine, cessat mouere; vt quando domos ædificatur, promouetur; at quando iam ædificata est, non ampliùs ædificatur; at verò quando mouens est causa, non solùm motus, sed etiam formæ, ad quam est motus; tunc non cessat actio mouentis etiam post adeptionem formæ, sicut Sol illuminat aërem, etiam postquam est illuminatus, & hoc modo Deus causat in nobis, & virtutem, & cognitionem, non solùm quando primò acquirimus, sed etiam quamdiù in eis perseueramus: sic autem Deus in beatis causat cognitionem, non quasi in ignorantibus, sed continuando in eis cognitionem eorum, quæ agenda sunt. Circa ea verò, quæ nesciunt, Deum consulunt, non inquisitione anxia, vt nos, sed simplici conuersione.

158 PROBATVR secundò à D. Bonauentura *hic in corpore.* Multò abundantior, & perfectior est status gloriæ, quàm status Gratiæ; sed status gratiæ admittit omnia dona, quibus anima ad Deiformem perfectionē coaducatur; inter hæc autem est Consilium; Ergo. Consequentia patet, quia vbi maior est animæ Deiformitas, ibi potiùs danda sunt Dona, quæ id præstent; sed in patria maior est Deiformitas: Ergo. Aduertit tamen S.Doctor, Dona, & habitus ibi admitti quò ad nobiliores actus, & vsus; non verò quò ad ea, quæ viæ imperfectionem respiciunt.

159 PROBATVR secundò à Seraphico *fundam.* 2. Non erimus nos beatiores in patria, quàm fuerit Christus in via; sed Christus habuit Donum Consilij, vt habet Isaias; ergo ex perfectione patriæ non sequitur Consilij euacuatio.

CONFIRMATVR *fundam.* 4. Infimum Donorum, scilicet timor, in patria non euacuabitur; dicitur enim in Psalmo. *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi:* Ergo multò minùs Consilium.

OBIICIES. Vbi non erit defectus dubitationis, aut Compositio discursus, ibi non erit Consilium, quod hæc duo secum portat; sed ista non erunt in patria: Ergo.

RESPONDET S. Doctor *ad* 4. Consilium importare ponderatam partium discussionem, & stabilem, firmam, certamque dignioris partis electionem: primum est accidentale, & imperfectionis; quare tolletur: secundum vero Consilio est essentiale, & perfectionis, vnde remanebit.

160 QVODNAM autem sit Consilij munus in patria, colligitur è D. Bonauentura, latè differente *de septem Donis, de Dono Consilij, cap.* 5. 6. & 7. vbi totam Animæ familiam spiritualibus ferculis, & condiuis poculis conuiuantem eximiè describit, modumque præscribit, quo, etiam in via, hoc Donum prægustetur; ipsum vide, cuius verba, diuinum quid, & sapidum, proprio loco perlecta, suggerunt, quæ ideò huc transferre non libuit.

QVÆSTIO IV.

An quinta Beatitudo respondeat Dono Consilij.

D.Thom. art. 4.

D. AVGVSTINVS *Lib.* 1. *de sermone Domini in monte, cap.* 9. ait: Consilium conuenit misericordibus, quia vnicum remedium est de tantis malis erui, dimittere aliis, & dare. 161

PROBATVR ergo à D. Thom. quia Consilium est de his, quæ sunt vtilia ad finem; at inter omnia media, *vtilis ad omnia est pietas*, vt dicitur: *prima Timot.* 4. Ideò dono consilij, tanquam dirigenti, respondet Misericordia, cum optimum Consilium sit, vt alteri facias, quod tibi fieri velles.

PROBATVR etiam è D.Bonauentura *in Diæta, tit.* 7. *cap.* 4. illi Dono Beatitudo hæc respondet, ad cuius Præscriptum operatur; sed ad præscriptum Consilij operatur misericordia; ergo. Consilium enim ostendit, quomodo de aliorum malis possimus meliorari, ipsis compatiendo; sicut & de paupertate ditari, de infirmitate sanari, & de onere alleuiari, Iuxta illud Apostoli Consilium: *alter alterius onera portate*, cui misericordia obsequens omnium onera portare satagit, & quantò plùs oneratur, tanto plus lucratus, & velociùs ad brauium supernæ patriæ currit.

PRÆTERSA, sicut Humanum Consilium suadet, Regi libentiùs mutuare, eò quod securiùs Capitale possit reddere, damna resarcire, lucra, vsurasque soluere; Ita misericordibus hoc dono Consulitur, vt bona sua pauperibus vberiùs curent elargiri; per quorum manus Rex liberalis, DEVS, ea recipit, qui Mercatoribus (inquit *hic* Seraphicus) suis solet Capitale custodire, conseruando gratiam, damna resarcire, remittendo culpam; vsuras soluere, largiendo scilicet gloriam, & vitam æternam. 162

HVIC consilio prudenter obtemperarunt virgines, portantes oleum, Misericordiæ nimirum & compassionis, in vasis suis, vt explicat S. Doctor quare, vt iuxta hoc consilium negotiemur, hortatur Christus Matthæi 25. *Vade, & vende omnia, & da pauperibus.*



DISPVTATIO XXII.

De vitiis Contrariis Prudentiæ.



QVo altiori sede virtus locatur, pluribusque præsidet, eò etiam vulgatioribus vitiis frequentiùs impetitur; quare Prudentia, quæ cæteris virtutibus ad scopum dirigendis in mentis.

Arce præficitur, plurimâ vitiorum turmâ impugnatur.

VITIA verò opposita, virtutibus stantibus in medio, alia sunt ex defectu; alia ex excessu. Vitia ex defectu prudentiæ, ei opposita, sunt quatuor, Præcipitatio, Inconsideratio, Inconstantia, Negligentia.

PECCATA per excessum opposita prudentiæ

dentiæ, quæ falsam quidem speciem prudentiæ præ se ferunt, sunt sex, Prudentia carnis, Astutia, Dolus, Fraus, Sollicitudo temporalium, Sollicitudo futurorum: Hæc omnia sunt sub genere Imprudentiæ, contraria rectæ discretioni, quæ ad Prudentiam spectat; de his omnibus cursim inquiremus.

QVÆSTIO I.

De PRÆCIPITATIONE.

☙ D.Thom. quæst. 53. art. 3.

164 PRÆCIPITATIO est metaphoricè sumpta à præcipitatione corporum à summo ad imum impetu quodam, vel innato, vel impresso; non per ordinem gradatim, sed ruinosè. Sic igitur præcipitatur aliquis, quando ratio, & voluntas corruit non descendendo ad operationes per media debita, & gradus memorandi præterita, intelligendi præsentia, prouidendi futura, &c. Sed ruit per impetum passionis absque consilio. Hæc, si ex mero proprio voluntatis fiat, dicitur præcipitatio; at si addatur contemptus eorum, quæ consiliari oportuit, dicitur Temeritas, vt docent D.Thom. *ad* 2. & D.Bonau. infrà Tannerus *disp.* 3. *quæst.* 5. *dub.* 4. & Caietanus *quæst.* 53. *art.* 3. Ideò S.Doct. *in speculo animæ, cap.* 3. negligentiam, quæ ex contemptu ducit hominem præcipitanter ad opera, saluti contraria, absque debita consideratione, ait
165 esse mortiferam. Id notandum monent Caietanus *art. cit.* & Valentia *disp.* 4. *quæst.* 5. *punct.* 1. vt sciamus, quando incurratur pœna alicuius Legis, siue Canonis, statuta in facientes aliquid temerè, scilicet quando fit ex contemptu. Id colligere è D.Bonau. *loc. cit.* & *cap.* 1. *eiusdem speculi*; & in Confessionali.

ADDIT Syluester *verbo Temeritas*, eos etiam censeri temerè agere, & pœnas illas, temerariæ iniunctas transgressioni, subire, qui scienter sub prætexto aliquo fraudulento exercent actum à iure prohibitum, vt patet ex *C. Venerabilem extra, qui filij sint legitimi.* Ità etiam Tannerus.

166 SOLET etiam Temeritas appellari quæuis audacia circa malum, vt patet *l. Iubemus C. de Sacrosanctis Ecclesiis*, vt notat Syluest. suprà, & Tannerus. *in Clem.* 1. *de Sacrosanct. Eccles.* Sed hæc temeritas non prudentiæ opponitur, sed Fortitudini. Nunc autem agimus de præcipitatione, & temeritate, opposita Prudentiæ, ratione Eubuliæ illi adnexæ, cuius actus est benè consultare, vt docet D.Thom. *quæst.* 53. *art.* 2. & 3. Ideò etiam opponitur dono Consilij, vt dixi. Ex quo etiam habes, talem temeritatem esse peccatum.

QVÆSTIO II.

De INCONSIDERATIONE.

☙ D.Thom. quæst. 53. art. 4.

167 INCONSIDERATIO est incogitantia, vel non satis attenta cognitio earum veritatum, ex quibus esset rectè iudicandum, vt ait D.Thom. Itaque peccatum hoc opponitur Prudentiæ ratione *Synesis*, & *Gnome*, ipsi adiunctarum, quę sunt rectè iudicatiuæ. Ob id sub hoc peccato clauditur Incautela, & Incircumspectio, contra Cautelam, & Circumspectionem, quæ sunt partes integrales Prudentiæ: Ordinationes enim istæ fiunt ad rectum iudicium, à quo deficiunt illæ duæ oppositæ, quæ propterea vnum vitium constituunt, & simul, & eum Inconsideratione, vt ait Valentia, & Tannerus *numero* 52.

ACCIDIT autem plerumque, cùm quis alioqui Iuris, aut facti habens scientiam, inconsideratè contra vtrumuis delinquit; vnde ad illam ignorantiam reuocatur, quam prudens debuit vitare; hinc habet culpam, quando oritur ex illa inconsideratione, quæ dicitur affectata, qua quia sinens se suæ passionis impetu abduci, considerare desinit, quid & qualiter agere debeat; Culpam verò multoties non habet, si ex repentina inspectatæ alicuius rei præsentia mentem subitò in obliuionem rapiat, & alioquin rectè operari sit paratus; sæpe enim ex alicuius negotij subreptione animus in varia dispergitur, & quæ prius quantumuis attentè considerauerit, in alienas cogitationes disperguntur; quare hoc sensu sumpta inconsiderantia, prudentiæ non aduersatur; cùm in naturam Ignorantiæ inuincibilis transeat.

NEC solùm in malo simpliciter eligendo interuenit Inconsiderantia culpabilis; sed & etiam in maiori, aut meliori bono respuendo; quod accidit, quando bonum sensibile vehementius allicit, nec ratio omnia maturâ deliberatione ponderat; vnde sequitur, hoc vitium semper antecedere peccatum; licèt aliquando illius peccati, cuius non est causa, sit effectus; cùm quò magis voluntas rerum sensibilium appetitui succumbat, eò minus Intellectus debitæ rerum ponderationi vacare possit.

QVÆSTIO III.

De INCONSTANTIA.

☙ D.Thom. art. 5.

INCONSTANTIA est cessatio ab eo Prudentiæ decreto, quod continuari oportebat; aut illius reprobatio, vt ait D. Thomas. Igitur opponitur actui essentiali Prudentiæ, qui est rectum iudicium practicum de permanendo in proposito. 168

HINC definitur Inconstantia: *Leuis transitus à proposito in propositum*, vt eruitur è D.Bonauent. 3. *p. Centiloquij, cap.* 43. quare apta similitudine Pardi describitur vir inconstans, apud D. Bernardum in serm. Gilleberti, serm. 29. *Pardo similis est homo, dissimilis sibi, homo varius, & inconstans, subindè mutans Consilia.* Colorum enim varietate, *Quasi vult; & non vult Pardus*, vt ibidem dicitur.

INCONSTANTIA ab Imperseuerantia in eo differt; quòd hæc sit discontinuatio à debito fine, alium sibi proponendo; illa à suscepto proposito, aliud eligendo; verùm hæc & illa prudentiæ, dictanti in bono perseuerandum, & in proposito permanendum, secundùm magis & minùs aduersantur.

HÆC, ex opposito Constantiæ, habet tres gradus, vt colligitur è Seraphico *de Gradibus virtutum, cap.* 14. Primus est, cùm quis à cæpto percellitur laude, vel etiam vituperio bonorum hominum: Secundus, quando facilè quis seducitur laude, vel adulatione Histrionum, aut malorum hominum: Tertius est quando à proposito bono quis mouetur irrisione, aut quauis alia leui causa; Hæ Inconstantiæ in hæreticis præcipuè animaduertuntur, qui Carentes Anchora

Spei, ac proinde infusæ prudentiæ gubernaculo, omni vento facilè circumferuntur; ab his longè abiit Iob *cap.27.* qui tam prosperitatis adulatione blanditus, quàm aduersitatis procellis impetitus, prudenter amicis respondit: *Iustificationem, quam tenere capi, non deseram*, vt notat Seraphicus Doctor, vbi suprà: De Inconstantia præclarè ait D. Greg. apud D. Bonau. in Pharetra lib. 3. cap. 5. *Dum cor in aduersis sperat prospera; in prosperis formidat aduersa, huc illucque quibusdam fluctibus voluitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate versatur.*

QVÆSTIO IV.

De Negligentia.

D. Bonau. p. 1. Centil. sect. 8.
D. Thom art. 6.

169 NEGLIGENTIA in proposito, est rationis, & appetitus cunctatio, seu tarditas in promouendo id, quod est iam benè consultatum, & iudicatum. Itaque opponitur Prudentiæ ratione sullicitudinis debitæ. Hinc D. Bonau. *p. 1. Centil. sect. 8.* eam describit: *Est debita circumstantia derelictio in opere bono.*

OBSERVAT autem Gregorius de Valentia, hæc peccata esse specie distincta, & esse specificanda in confessione, quando directè sunt volita, vt sunt contra Prudentiam, non autem quando indirectè, in ordine ad opus; tunc enim satis est dicere opus peccati, puta furtum. &c. Si autem, è negligentia graui examinis omittas mortale, erit dicendum, vt ait D. Bonau. *in spec. anima, cap. 3.* ad finem: Sicut & si negligas ediscere necessaria ad salutem.

170 OBSERVAT secundò peccata hæc, cùm sint rationis, maximè à Luxuria oriri, vt docet D. Gregor. 31. *Moral. cap. 31.* quamuis ex aliis etiam peccatis nriantur, maximè Acedia, vt ait S. Doctor.

SVNT autem mortalia, vel ex parte obiecti, & materiæ, si sint circa aliquid ad salutem necessarium sub mortali: vel ex parte causæ, si committantur ex tali incuria, seu neglectu salutis, vt quis nihili faciat Dei amicitiam; alioqui, si ex negligentia omittantur aliqua non necessaria ad salutem, erit veniale, vt docet D. Thom. *quæst. 54. art. 3.* & vniuersim de omnibus vitiis Prudentiæ oppositis docent Syluester *verbo negligentia*, Valentia *quæst. 5. p. 1.* Tannerus *num. 54.* cum D. Bonau. *in spec. anima, cap. 3.*

171 NEQVE verò sunt necessariò distinctè explicanda in confessione, nisi quando directè sunt volita, alioqui sunt tantùm conditiones peccatorum. Ita D. Thom. Valentia, Caiet. Tannerus cum D. Bonau. *loc. cit. Centil.* & clariùs *in speculo, anima, cap. 3.* & affert id Prouerb. 19. *Qui negligit vitam suam, mortificabitur:* Addit, negligentiam proptiè esse omissionem circumstantiæ; desidiam verò esse desistentiam ab opere.

QVÆSTIO V.

De prudentia Carnis.

D. Thom. quæst. 55. art. 1.

IAM agendum de vitiis oppositis Prudentiæ per excessum, quæ speciem falsam Prudentiæ habent.

PRVDENTIA carnis est machinatio rationis, 172
solers, & accommodata ad consequendum prauum aliquem finem, conformem deprauato appetitui carnali; estque peccatum mortale, si eum vltimum finem sibi præstituat.

De hac intelligitur Apostolus Rom. 8. *Prudentia Carnis inimica est Deo: Legi enim Dei non est subiecta.* Vide D. Thom. *quæst. 55. art. 1.* Valentia *quæst. 5. punct. 2.* Tanner. *num. 55.* cum D. Bonauent. allegato initio.

Hoc verò peccatum non est distinctum ab eo, 173
quod patratur prauo opere, nisi directè sit volita hæc prudentia, vt dixi *quæstione 4.*

QVÆSTIO VI.

De ASTVTIA.

D. Thom. quæst. 55. & art. 3.

ASTVTIA est excogitatio mediorum, quæ 174
ad finem aliquem, siue bonum, siue malum, ita sint idonea, vt quidem videantur bona, sed reuerâ sint falsa, & simulata. Ita colligitur ex Philosopho *lib. 1. Magn. Moral. cap. 33.* & *lib. 6. Eth. cap. 12.* & D. Thom. *art. 3.* Vide Tanner. *disp. 3. quæst. 1. dub. 4.* Ipsa sæpè prudentia vocatur Astutia *Prouerb. 1.* sicuti Prudentia in malo sensu sæpè accipitur. Propriè tamen est vitium, vt dicitur 2. Corinth. 4. *Non ambulantes in astutia.* Astuti enim, & simulatores prouocant iram Dei, siue pro occulta iniquitate, siue pro aperta simulatione; vt ait D. Bernard. *de ordine vitæ, finem versus.* Hæc imbecilliores & minùs discretos sol t aggredi; sic Diabolus, primus Astutiæ Magister, in serpente, callidissimo Animale, non virum, sed mulierem, minori quippe discretione dotatam, simulata loquela decepit.

QVARE ait D. Gregor. lib. 9. moral. cap. 17. *Duo sunt in bonis operibus timenda, desidia, & fraus. Desidiam facit minor amor Dei; Astutiam facit maior amor sui*, hæc ex priuata sui dilectione prodit exterius in circumuentione proximi, aliud simulans factis, aliud præferens verbis, vel è contra.

PLVRIMA Astutiæ exempla è Sacris litteris commemorat S. Doctor *in Biblus pauperum, cap. 54.* vt cùm scrutaretur Laban suppellectilem Iacob, & veniret ad Tentorium Rachel, illa, simulatâ fœminarum consuetudine, eum astutè delusit *Genes. 31.*

ITA Gabaonitæ, scientes quid fecerit Iosuë Iericho, & Hai, callidè cogitauerunt, quomodo ita facere possent, vt non penitus delerentur *Ios. 5.*

SIC Absalon, Ambiens regnum sui Patris, malitiosè cœpit populo adulari, astutè iactans se cum omni æquitate iudicaturum 2. *Reg. 15.*

HIS adiice in nouo testamento Astutiam Herodis, volentis addiscere tempus stellæ *Matth. 2.* vt veniens potiùs occideret, quàm adoraret, licèt posterius callidè simularet; Ità sæpenumerò Pharisæi cupientes capere Dominum in sermone, nunc miserunt ad eum discipulos, Institiæ simulatores, modò fœminam in adulterio deprehensam adduxêre; & alia plura, quæ vide *loco* suprà *citato.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO VII.

De Dolo.

¶ D.Thomas art.4.

175 DOLVS est,cum aliud agitur, aliud fingitur, vt ait S.Bonau. ad id Ioan.1. *In quo dolus non est*, Dolosus dicitur, duo corda habere, vt ait Psalmista: *In corde, & corde locuti sunt.*

DOLVS est etiam executio quædam Astutiæ,tum per verba, iuxta id Psal.5. *Linguis suis dolosè agebant*; tum per facta, iuxta id Psal.105. *Vt dolum facerent in seruis eius.* Astutia enim dolos meditatur, vt dicitur *Psal.*37. & *Eccles.*19.

Hic potest esse, vel expressus foris sermone, sicuti qui sponsalia contrahens, vocaret se Petrum, cùm vocaretur Ioannes; vel potest esse occultus, vt cùm quis ita loquitur, sicut qui simpliciter consentit. Ità D.Bonau. *in* 4. *dist.*17. *dub.*2. *litterali.*

QVÆSTIO VIII.

De Fravde.

¶ D.Thom art.5.

176 DEFINITVR à D.Bonauent. in Comp. term. Theol. *Est voluntas profectum proximi decipiens ob terrenum emolumentum.*

DIVIDITVR, 1.*p. Centil. sect.*8. pro varietate obiectorum; vnde per actus dignoscuntur habitus.

FRAVS est executio Astutiæ,sed præcisè per facta patet, tum etiam verbis, (ait S.Bonau. *ad* 1. *Ioan. loco adducto.*) Est autem peccatum mortale, vel veniale pro subiecta materia, vt notat Caietanus *verbo Fraus*, Valentia *quæst.*5. *puncto* 2.

177 IN hoc igitur differt à dolo, quòd dolus fiue per verba, siue per facta; hæc verò per facta magis astutiam exequitur,vt notat Tannerus cum D.Bonau. *ibi.*

QVÆSTIO IX.

De sollicitudine temporalium.

¶ D.Thom.art.6.

178 HÆC est studium immoderatum circa bona temporalia, vel quia in eis constituatur vltimus finis, vel quia habet adiunctum timorem superfluum eis carendi. Hanc sollicitudinem prohibet Christus Matth.6. *Nolite solliciti esse.* Ità S.Bonau. *Opusc. Explicatio terminorum Theologiæ*, & *parte prima Centiloquij, sectione* 8. Ea definitur à Tullio, hic,sectione 22. *Est Amor immoderatus habendi.*

TRES habet præcipuè species: Prima est magna acquirendi temporalia anxietas, siue effectus sequatur,siue non; & hæc habetur tam in his qui multum, quàm qui modicum possident: Secunda est, magna retinendi tenacitas, quæ in pias causas, aut pauperum subsidium nihil finit erogari: Tertia denique est ardens sitis vndecumque mundanas diuitias,siue per fas,siue per nefas, accumulandi. Ità D.Bonau. *de profectu Relig. lib.*1. *cap.*54. eximiè verò *in Diæta, tit.*1. *cap.*6. rerum temporalium sollicitum Talpæ comparat; huius enim sollicitudinis atra est nequitia, & cæca imprudentia; quot habet possiones, tot habet tumulos, quos continua sollicitudine sibi speliendo effodit. Deinde variis aliis appositis similitudinibus reprobat S. Doctor hanc Diuitiarum curam, quas ibi vide.

AD finem verò Capitis,plures effectus huius sollicitudinis recenset, quorum præcipuus est Idolorum seruitus *Ephes.*5. Ad hanc enim Auarus omnia sua opera refert. 179

SECVNDVS,est stultitia prudentiæ opposita;nam sicut stultos non præcauet periculum,quamuis propinquum sit; ità de mundo sollicitus, etiam morti propinquus, suum periculum non præcauet, vt dicitur, Lucæ 12. *Stulte, hac nocte animam tuam repetent*, alios effectus *ibidem* vide.

QVÆSTIO X.

De sollicitudine Futurorum.

¶ D.Thom art.7.

IMMODERATA sollicitudo de futuris reprehenditur, Matth.6. *Nolite solliciti esse in Crastinu.* De ea agit S.Doct. *in expositione cap.*2. *regulæ*, ad ea verba: *Et non sint solliciti.* 180

HÆC in Religiosis, quamuis parua, à perfectione retrahit; in Patrefamilias moderata laudabilis; in quocumque verò immoderata, culpabilis est; & prudentiam, ac confidentiam illam destruit, qua omnem nostram sollicitudinem in Deum conijcere debemus; qui nutrit volatilia cæli, crastino die moritura; & vestit lilia agri, mox licèt in clibano proiicienda.

DE hac sollicitudine eximiè D.Bernard. de verb. Psalm.23. *Sunt & aliæ cogitationes violenta magis, quæ ad necessitates naturæ pertineant; Sæpè enim sic nos afficit cogitatio Carnalis de potu, de cibo, siue vestimento, vt vix eradicari queat de cordibus nostris.* Rationem affert, eò quòd sollicitudo huiusmodi viscosa,& limosa, limosam quoque terram, cui adhæsescat, inuenerit, homo etenim non de alia terra, quàm limosa plasmatus, suæ indigentiæ conscius; futurorum prouidentiæ diffidit, omnemque cogitatum eò confert, vt de ea securus sit. Verum cum incertæ sint prouidentiæ nostræ, iuxta veram prudentiam, in Deum omnis sollicitudo nostra conijcienda est; sibi enim de se confidere in his, quorum euentus incertus est, diffidere est, vt habet D.Bern. *serm.*5. *de vigil. Natiuit. Domini.*

QVÆSTIO XI.

De præceptis Prvdentiæ.

¶ D.Thom.quæst.56.

NON est dubium, Virtutem Prudentiæ, quæ est regula omnium virtutum, esse præceptum;etenim omnia alia præcepta affirmatiua de actibus virtutum supponunt præcepta affirmatiua prudentiæ; tum in genere, tum in specie, hoc ipso, quod ipsi prudenter fieri debent ex recta electione per prudentiam. Similiter omnia præcepta negatiua, vetantia contrarios actus 181

actus vitiorum, supponunt præcepta negatiua prudentiæ, inhibentia imprudentiæ actus, à quibus actus vitiosi prauè dirigerentur.

ATQVE hinc habetur ratio, cur non oportuerit in Decalogo dari præcepta prudentiæ: habent enim hæc se antecedenter ad omnia præcepta Decalogi.

182 PONVNTVR autem in multis locis hæc præcepta Prudentiæ, Leuit. 19. *Non facies Calumniam proximo suo*, per astutiam scilicet, dolum, vel fraudem. Deuter. 25. *Non habebis in sacculo tuo diuersa pondera, maius, & minus.* Prouerb. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*; idest, ne nimirum sis tenax tui proprij iudicij.

Prouerb. 4. *Acquire prudentiam, & arripe illam*, & cap. 9. *Ambulate per vias prudentiæ.* Et Matth. 10. *Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*, vbi D. Hieronymus ait: *Vt per prudentiam deuitent insidias; per simplicitatem non faciant malum.*
183 *Et serpentis astutia ponitur in exemplum, quia tota corpore occultat caput, vt illud, in quo vita est, protegat. Ità nos toto periculo corporis caput nostrum, qui* CHRISTVS *est, custodiamus, idest, fidem integram, & incorruptam.* Hæc est interpretatio etiam Hilarij *can. 10. in Matth.* Epiph. *hæresi* 37. ac D. Bonau. passim, vt dixi *disp. hac, quæst. 2.* vbi alias etiam serpentis proprietates attuli, è quibus aliquas afferunt etiam Rabbanus, Remigius, & alij multi.

184 PERTINENT etiam ad præceptum prudentiæ ea verba Rom. 12. *Nolite esse prudentes apud vos metipsos* iuxta id Prouerb. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ. Ne sis sapiens apud temetipsum.* Et cap. 4. *Posside prudentiam.* Et infrà: *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Dirige semitam pedibus tuis, & actiones viæ tuæ stabilientur.* Tit. 2. *Sobrij sint, pudici, prudentes, &c.* prima Petri 4. *Estote itaque prudentes, & vigilate in orationibus.* Matth. 10. *Estote ergo prudentes, sicut serpentes.*

185 Sunt etiam præcepta negatiua abstinendi ab his, quæ Prudentiæ opponuntur, suprà relatis.



DISPVTATIO XXIII.

De Iustitia.



IVSTITIA alia est dirigens hominem in bono, & hæc cæteras virtutes complectitur; quare dicitur *Generalis*: Alia est corrigens, & Coërcens à malo, quæ vocatur *Iudicialis*; Alia denique quæ reddit vnicuique proprium, & debitum bonum, de qua hîc, vocaturque *Cardinalis*: Hæc variis similitudinibus Illustratur à D. Bonauentura, quas infrà *quæst.* 3. indicabo.

HÆC etiam aliquando cum priori acceptione Iustitiæ apud Patres, oratoria applicatione confunditur; ita è D. Bernard. definitur apud Seraphicum, lib. 2. Pharetræ, cap. 42. *Iustitia virtus est, quod suum est, vnicuique tribuens; tribue ergo tribus, quæ sua sunt; redde superiori, redde inferiori, redde æquali, cuique quod suum est*, idem ibi prosequitur: *Habemus ante nos, priores; post nos, Iuniores; à Dextris amicos; à sinistris inimicos; reddamus ergo singulis, quod suum est, prioribus obedientiam; Iunioribus Doctrinam; amicis lætitiam; inimicis patientiam.* Verum quantum hæc distet à Iustitia legali; de qua *hic* disputatur, *dicta quæstione* 3. aperiam.

QVÆSTIO I.

An IVS *sit obiectum* IVSTITIÆ.

{ D. Thom. quæst. 57.

OMNES Theologi, Iurisconsulti, atque Philo- 1
sophi Ius statuunt obiectum Virtutis Iustitiæ: sed oportet sedulò videre, quodnam Ius constituatur obiectum huius virtutis; & quæ Virtus Iustitiæ à nobis intelligatur; multis enim modis vtrumque accipi potest.

IVSTITIA enim tribus modis præcipuè accipitur. Primò pro habitu, quo reddimur idonei ad omnia æqua, tàm in ordine ad se, quàm in ordine ad Deum, aliosque: sic accipitur ab omnibus Philosophis, magis verò à Theologis, qui hoc sensu intelligunt id, quod vniuersaliter in Scripturis traditur, cùm aliquem iustum nominant, nempe omnibus præditum virtutibus, quod passim obuium est, quæ Iustos
heroes nominant, vt Genes. 6. *Noë vir iustus* Genes. 6. 2
Iob. 1. *Eccles.* 40. *& seq.* vt obseruat S. Doct. passim. Ideò *ad* 3. *Lucæ* interpretatur id: *Rectas facite semitas*, iuxta 16. Isa. *Semita iusti recta est.* Prouerb. 4. *Duxi te per semitas æquitatis.* Sic Prouerb. 8. *In viis iustitiæ ambulo.* Sic Gregorius Nyssenus *lib. de beat. oratione* 4. intelligit id Matth. 5. *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam*, quo sensu accipitur etiam à D. August. ad eum locum apud D. Bonau. 3. *p. Centiloquij, sect.* 44. & *lib.* 2. *Pharet. cap.* 42.

SIMILI modo accipitur Iustitia pro habitu in- 3
fuso gratiæ sanctificantis, quo quis constituitur iustus, & sanctus, omnibus virtutibus doatus. Sic Rom. 3. *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, qui credunt in eum.* Quæ dicitur iustitia Dei, non formaliter, sed efficienter à Deo, seu donum Dei, vt docet D. August. *lib. de Spiritu, & litt. cap.* 9. & sæpe iniungit, atque grauiter definit Sanctum Concilium Tridentinum, vt ostendi *Tract. de Gratia, disp.* 2.

NON igitur tam generali ratione iustitiam accipi- 4
mus, sed vt est quædam peculiaris virtus è quatuor Cardinalibus, cuius propria laus, & munus fit constituere æqualitatem debitam inter homines, vt aduertit S. Doct. *in* 3. *dist.* 33. *dub.* 1. & *in quæstionibus* passim, & *in* 4. *dist.* 15. passim & 3. *p. Centil. sect.* 44. & 5. *p. Breuil. cap.* 4. & *lib.* 2. *Phar. cap.* 41. & *in Diæta, tit.* 5. *cap.* 8.

EAM sic accipit Sapientia c. 8. vbi dicitur, docere Sobrietatem, & Sapientiam, Iustitiam & Virtutem; vbi sobrietatem vocat Temperantiam; pro Sapientia intelligit Prudentiam; pro Virtute Fortitudinem; Iustitiam verò pro Iustitiæ Virtute accipit, quæ inter illas est secunda virtus Cardinalis, vt aduertit Gregorius de Valentia *disp.* 5. *quæst.* 1. *puncto* 1. post D. Bonau. *in Commentario eius loci.*

TERTIÒ alio modo eam accipit S. Doct. *in* 3. 5
dist. 33. *dub.* 1. *litt.* & *in Diæta, tit.* 5. *cap.* 31. pro iudiciali coërcente pœnis; Sed hæc est species Cardinalis,

dinalis, vt dicam; eam tamen communiter vocant omnes, cùm dicitur: Iustitia inquisiuit Petrum, punit; vel: Petrus in Iustitia vexatur.

PORRO Ius etiam multis modis accipi potest.

PRIMO, quidquid quouis modo æquum est, seu bonum, vt ait Paulus Iurisconsult. *l. Ius, ff. de Iustitia, & Iure.*

6 SECVNDO significat quidquid est legi conforme, seu legitimum, vt ait Philosophus 5. *Eth. cap.*1. Quo pacto S. Isidorus dixit *lib.*5. *Ethymol. cap.*3. Legem esse quandam speciem (idest normam, seu ideam) Iuris, iuxta doctrinam D.Thom. *art.*1. *ad* 2.

TERTIO significat legitimam facultatem, seu potestatem faciendi, aut acquirendi, aut possidendi, aut alienandi quippiam, quomodo Iurisperiti distinguunt inter Ius *ad rem*, quæ alicui debetur; & Ius *in re*, quam etiam quis possidet.

QVARTO sumitur pro Sententia iudicis, vt habet Paulus Iurisconsult. *loco citato*.

7 QVINTO significat idem, quod Lex, idest, dictamen prudentiæ, aut naturale, aut in habitu authoritatem ad condendas leges, quo pacto Ius diuiditur in Naturale gentium, & Ciuile, ab Vlpiano *in l. Iuri*, & sæpè à D.Bonau. *in* 4. *dist.*36. *quæst.*1. *&* 3.*p. Centil. cap.*44. & alijs locis, adductis *tract. de Legibus.*

8 NVLLO ex dictis modis, vel aliis enumeratis à
Valentia, accipitur hîc Ius, sed sumitur pro eodem,
ac Iustum, per æqualitatem cum altero. Hinc Sotus
lib 3. *de Iustitia, & iure, quæst.*1.*art.*1. Ius per APO-
COPEN, quasi iustum, dici ait: Vnde etiam in Græco
Ius, & Iustum eodem vocabulo *δίκαιον* exprimitur.
Cuius vocabuli ethymologia Ius propriè sonat, esse
iustum per æqualitatem rei cum re. Nam, vt ait Phi-
losoph. 5. *Eth. cap.*4. propterea appellatur ius *δίκαιον*,
quia *δίχα*, idest bifariam diuisum est, quasi dixeris
bipartitum, quod autem bifariam diuiditur, in par-
tes diuiditur æquales secundùm rationem discretæ
quantitatis, quandoquidem diuiditur in vnum, &
vnum. Vnde, & Iudex, vt ibidem ait Aristoteles,
quia iustum per æqualitem rei cum re determinat,
9 dicitur Bipartitor. Et hac ratione Iustitia dicitur
Æquitas. Sic Prouerb.8. *Mea est Æquitas, mea est
Prudentia, mea est Fortitudo*, vt obseruat S.Doct. *ad
cap* 8. *Sapientiæ.*

HOC etiam sensu Ius vsurpauit Aristoteles *cap.*4. cùm dixit: *Ius, quod in commerciis est, esse æquum quoddam constans proportione Arithmetica; id autem ius est, quod est in distributionibus constare,* dixerat cap.3. *proportione Geometrica.*

10 LABORANT moderni in hoc iure, quod est
obiectum Iustitiæ, enucleando; & vt video, rem ob-
seruat Mastrius *Tom.*2.*disp.*7.*num.*163. dicens, esse il-
lud, quod dominium constituit, quod duplex est,
Iurisdictionis, & Proprietatis. Hoc autem dominium
definitur à Iuristis: *Facultas vtendi re pro libito, citra
iniuriam alterius.* In qua definitione ait cum Hurtado
*disp.*12. *de Incarn. sect.*3. committi circulum; nam
etiam definiendo iniuriam, aiunt, *esse vsum rei con-
tra ius, & voluntatem Domini.* Sic autem Ius per In-
iuriam, & hæc per Ius definitur, quod est circulum
11 obire contra Aristotelem 5. *Metaph. cap.*15. Hinc
Cardinalis Lugo *disp.*1. *de Iustitia*, & *disp.*3. *de In-
carn. sect.*2. *num.*42. docet, hoc ius, quod est ob-
iectum Iustitiæ, nihil aliud esse, quàm prælationem
quandam moralem, qua hic homo moraliter præfer-
tur aliis in vsu huius rei, ratione peculiaris connexio-
nis, quam res habet cum eo. Quam explicationem
complectitur etiam Bellutus *disp.*7. *de Incarn. quæst.*6.
*art.*1. & Mastrius *num.*164. Addit tamen, hanc præ-
lationem explicandam, ex quo capite oriatur, puta
ex dispositione legum, vel natura rei. Sic à priori
explicatur.

EGO verò, nouum hoc inuentum ponderans, inuenio, omnes hos in eundem circulum relabi; nam Prælatio in vsu rei, est effectus iuris. Ideò enim præfertur quisque in vsu rei, puta domus, vestis, &c. quia habet ad eam præ cæteris ius, atque adeo Ius est fons, & causa illius prælationis, & propterea non exprimitur ius à priori. Rursus ergo Si quæras originem illius prælationis, sumenda est à priori ex iure; & ideò in circuitu ambulant. 12

TANNERVS itaque *disp.*4. *quæst.*1. *dub.*2. *n.*8. ait, Ius in re per modum dominij vix posse aliquo communi conceptu explicari, cùm sit analogum proportionalitatis ad sua inferiora, qualia sunt dominium Iurisdictionis, & Proprietatis, de quibus agam *Disputationibus de Furto, & Rapina.* 13

HIS prælibatis, iam constat, Iustitiæ, de qua agimus, obiectum esse Ius, idest, pro vt dicit Iustum per aliqualem æqualitatem.

PROBATVR primò ex Iustitiæ definitione, quæ per huiusmodi Ius definitur, tanquam per proprium obiectum. Sic Aristoteles 5. Eth. cap. 1. *Videmus, omnes huiusmodi habitum appellari Iustitiam solere; ex quo ad agendas res iustas homines idonei efficiuntur.* Et cap.5. *Iustitia est, qua iustus dicitur iusti operator ex electione.* Vbi iustum accipit pro æquali. 14

IVRISPERITI etiam verbis Vlpiani *l. Iustitia. ff. de Iustitia, & iure*, Sic definiunt Iustitiam: *Iustitia est constans, & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi.* Quam definitionem ponit etiam D. Thom. *quæst.*58.*art* 1. & D.Bonau. 3.*p. Centil.sect.*44. vbi eam Magistrorum esse asserit. 15

SIC etiam D.Ambrosius *lib.*1. *de offic. cap* 24 ait: *Iustitia suum cuique ius tribuit, alienum non vendicat, vtilitatem propriam negligit, vt communem æquitatem custodiat.* Et D. August. lib.19. de ciuit. cap.21. *Non est (ait) ius, vbi nulla iustitia est: Iustitia porrò ea virtus est, quæ sua cuique distribuit.* Sic refert etiam D.Bonau. *loco citato.*

PROBATVR secundò à D. Bonau. *in Dieta*, 16
*tit.*5. *cap.*8. Illud est obiectum Iustitiæ, quod con-
stituit virtutem, in medio constantem, non declinan-
tem ad extrema vitiosa per excessum, & defectum:
Tale est ius, seu iustum: Ergo. Maior est Aristote-
lis 2. *Eth. cap.*6. Minor probatur; Nam tunc pecca-
tur contra iustitiam, quando plus, minusue datur,
quàm debetur. Medium autem est æquum, vt osten-
dit Aristoteles 5. *Eth. cap.*3. *&* 4. apud D Bonau. *loc.
cit. Dieta.* Sic *cap.*4. ait: *Vnde cum altercantur homi-
nes, ad iudicem confugiunt, &c. & quærunt iudicem
medium, & vocant nonnulli mediatorem, quasi si me-
dium fuerint consecuti, ius quoque ipsum sint consecutu-
ri. Ius igitur medium quoddam est, si quidem & iudex* 17
*medium est; Iudex autem ad æqualitatem redigit; &
quemadmodum, si linea in duas inæquales partes diuisa
sit, illud, quo maior pars dimidium excedit, ab ea
aufert, & adiungit minori.*

ID explicat S.Doct. eleganti exemplo Astronomi-
co: Sicut enim ait stella Polaris vicina polo, paruu-
lo gyro motu diurno circa Polum fertur; ità tamen,
vt a medio non recedat, seu à polo mundi; sic & Iu-
stitia creata gyrat proximè circa immobilem Dei iusti-
tiam: Et sicut non declinans seruat rectitudinem mo-
tus diurni; ità vt linea Æquatoris in medio sua circu- 18
latione describat Summum circulum, ideò non sinit
stellas gyrantes declinare à dextris, vel sinistris, siue
ad Austrum, siue ad Aquilonem; cum tamen im-
menso 1017. Millionum milliarium feratur; sic &

Iustitia,

Iustitia, seruans lineam æquatoriam æquitatis, res varias à primo mobili raptas, ab Oriente in Occasum non sinit declinari, aut ad dexteram excessus, aut ad sinistram defectus, dando plus vni; & alteri auferendo.

19 Ex his deducit S. Doct. *in* 3. *dist.* 33. *dub.* 1. & 5. *p. Breuil. cap.* 4. cum D. Thom. apud Caietanum *art.* 1. & Valentiam *p.* 1. *in fine.* Et Sotum *lib.* 3. *de Iustitia, quæst.* 1. *art.* 1. differentiam inter iustitiam, & alias virtutes morales; nam Iustitia secundùm propriam sui rationem facit rectum in ordine ad alterum; aliæ verò tantùm in ordine ad se. Propterea D. Ambrosius *lib.* 1. *offic. cap.* 28. ait, Iustitiam aliis potiùs natam esse, quàm sibi. Sic & Cicero *lib.* 2. *de Republica*, & Seneca *epist.* 77. vt docet S. Doct. *in Pharetra, lib.* 2. *cap.* 42.

20 Colligitur etiam, medium Iustitiæ esse medium rei, etiam sine comparatione vel ad ipsum operantem; aliarum verò virtutum, quæ circa passiones proprias versantur, & non circa alterum, nullo modo consistit in medio sine comparatione ad ipsum operantem. Est autem illa æqualitas illud ipsum ios, quod dicitur æquum inter nimium, & paucum, vt ait Aristoteles 5. *Eth. cap.* 4.

21 Hoc adhuc exemplo illo Seraphici elucet: Sicut enim nullo cogitante polus est, super quem mouetur cœlum, & stella polaris; quæ suo circulo paruulo diurno descripto circa polum rectum seruant motum vtriusque Hemisphærij per lineam Æquatoris, seruata vtrinque Mathematicè vtrique Hemisphœrio substantia cæli; ita & Iustitia ante omnem cogitationem, & ante omnem suam operationem habet obiectum illud tantùm, & tantùm seruandum, quod in aliis virtutibus moralibus non reperitur.

22 Hinc etiam est, vt in *Disputatione de Iustitia* priùs agatur de obiecto eius; deinde de Virtute, quia obiectum supponitur ante virtutem; non sic in aliis virtutibus moralibus. Vide Valentiam *in fine puncti.*

Oportet autem obseruare, Ius, quod est obiectum Iustitiæ, duo includere; Primum, vt sit debitum: Secundum, quòd sit æquale.

23 Qvatenvs est debitum, potest esse vel debitum Legale ex vi alicuius Legis, vel singulare, ortum ex aliquo pacto, vel conuentione aliquorum, quale est inter ementem, & vendentem.

Secvndo diuiditur Ius, vt est debitum, in Ius naturale, & Ius humanum. Debitum primi generis est ortum ex lege naturæ, puta, vt si mutuum das modium tritici; & modium ille tibi reddat. Hoc verò triplex distinguitur à D. Bonau. *in* 4. *dist.* 33. *quæst.* 1. Primum dicitur, quod in lege, & Euangelio continetur, & hoc dicitur Ius naturale communiter. Secundum est proprium, & definitur initio Decreto-

24 rum: *Ius naturale est, quod est commune omnium nationum*; & hoc ius est, quod dictat ratio. Tertium propriissimum, quod natura docuit omnia animalia.

Debitum ex lege humana est, quod statutum est aliquâ lege humanâ, vt inter res aliquas venales, & pretium illud, quod humana lege, taxatur, sit solum pretium.

25 Ex altero verò capite, quatenus est aliquid iustum, & æquale; Diuiditur primò ab Aristotele *lib.* 5. *Eth. cap.* 3. & 4. in Ius, seu æquale Geometricum; & Arithmeticum. Æquale Geometricum, quod est secundùm proportionem, seruatur in distributione bonorum communium in eos, qui sint membra communitatis, vt ea proportione, qua vnus alterum meritis superat, eadem plus de bonis communitatis recipiat. Ius autem per æqualitatem Arithmeticam exerceri ait Aristoteles, tum in commutationibus, quæ voluntariè fiunt inter homines, vt in emptione, venditione, mutatione, &c. tum in compensandis, siue emendandis commerciis hominum inuoluntariis, iisque siue clandestinis, vt furto, adulterio, veneficio, lenocinio, seruorum seductione, doloso homicidio, falso testimonio, &c. siue manifestè vio- 26 lentis, vt flagellatione, captiuitate, cæde, rapina, mutilatione, conuitio, contumelia, &c. quæ exempla affert Philosophus *illo cap.* 2. ac per hanc distinguuntur duæ species Iustitiæ propriè dictæ, scilicet Distributiua, & Commutatiua, quas latè exposui *p.* 1. *Tract.* 1. *disput.* 19. *quæst.* 1. & 2.

Secvndo diuiditur Ius, quatenus æquale, in 27 Ius, seu iustum simpliciter, & Ius secundùm quid. Ius simpliciter est, quod omnino est æquale, seu per quod exequantur illi, inter quos est; & quia æqualitas est inter distinctos, ideò hoc æquale est inter illos, quorum alter non est pars alterius, vt inter duos ciues, & dicitur Ius Politicum. Ius secundùm quid æquale, est inter eos, quorum vnus est pars alterius, vt inter Patrem, & filium, qui est pars Patris, quippè ea ius femine, vt docet Aristoteles 8. *Eth. cap.* 12. Sic inter Dominum, & seruum, qui est aliquid Domini, puta instrumentum eius, & pars in bonis, vt docet Aristoteles 1. *Polit. cap.* 3. Tale est etiam inter Maritum, & Vxorem, vt ait Aristoteles, eò quòd quicumque coniugum est alterius, vt colligitur ex Philosopho 6. *Eth. cap.* 5. & magis ex Matth. 19. *Ephes.* 5. Sunt enim vna caro, & propterea id ius vocatur à D. Thoma *hic, art.* 4. Oeconomicum, & intercedit aliquod dominium in corpora, & aliqua alia, vt docet D. Bonau. *in* 4. *dist.* 41. *quæst. vlt.* Tale ius improprium videtur etiam inter ciuem, & communitatem, cuius ille est pars.

Altercantvr: An hoc ius improprium, 28 sit etiam ex parte patris ad filium, cùm pater non sit pars filij. Respondent affirmatiuè Caietanus *art.* 4. Valentia *punct.* 2. nam quidquid pertinet ad totum, pertinet etiam ad partem. Hinc fit, vt, quod filius tribuit patri, tribuat etiam sibi ipsi.

Dvbitant etiam: An filius, etiam emancipa- 29 tus, debeat includi sub hoc iure improprio. Respondetur, includi ea ratione suprà facta, quia esse partem Patris aduenit ei ex generatione, quæ semper conseruat filios, vt sint quasi alteri Patres, vt loquitur Aristoteles 8. *Eth. cap.* 11.

QVÆSTIO II.

Quid sit Ivstitia.

D. Thom. quæst. 58. art. 1.

Varias Iustitiæ definitiones variis in locis af- 30 fert D. Bonau. *in* 3. *dist.* 33. *dub.* 1. *litt.* & 3. *p. Centil. sect.* 44. In *Diata tit.* 5. *cap.* 8. & *ad* 3. & 20. *Luca & lib.* 2. *Pharetra, cap.* 42.

Prima habetur ex Tullio in primo Rhet. *Iustitia est habitus animi, communi vtilitati seruata, suam vnicuique tribuens dignitatem.*

Secvnda in Macrobio: *Iustitia est vnicuique seruare quod suum est.*

Tertia ex D. August. de lib. arb. *Iustitiam* 31 *quid dicam esse, nisi virtutem, quâ sua cuique tribuuntur.* Et lib. 19. de ciuitate, cap. 21. *Iustitia, est virtus, qua sua cuique distribuit.* Eandem habet D. Bernardus *serm.* 3. *in aduentu Domini*, & Glossa *Matth.* 5. Alias definitiones retuli suprà.

Definitio

32 DEFINITIO autem magis recepta, quam esse Magistrorum, ait D.Bonau. est illa, quam habet Vlpianus, l. Iustitia, ff. de Iustitia, & iure: *Iustitia est constans, & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi*. Hanc approbat D.Thom. *quæst*.58. *art*.1. & communiter Doctores.

33 Dicitur *Voluntas*, non formaliter, sed causaliter, quasi dicat: Iustitia est habitus, qui efficit actum voluntarium,& ex electione; est enim de ratione virtutis, vt sit actus voluntarius, vt docet Aristot. *lib*.2. *Eth. cap*.4. & proprium est Iustitiæ rectificare voluntatem in ordine ad ius alterius, vt docet D.Bonau. 3.*p. Breuil. cap*.4.

DICITVR *constans, & perpetua*, quia Iustitia habet actum firmum, & stabilem, quod est operari constanter, & immobiliter, vt operatur virtus, ex Aristotele 2. *Eth. cap*.4. D.Thom. *ad* 4. & D.Bonau. *in Diæta, tit*.5. *cap*.31. vbi ideò Iustitiam stellæ polari comparat. Per *Ius* intelligitur iustum, secundùm
34 æqualitatem, vt explicui *quæst*. 1. Per particulam *suum* significatur id,quod cuique secundùm leges est debitum, vt explicat D.Bonau. *locis adductis*, D.Th. *art*.12. Per extremum verbum *tribuendi* intelligitur non solùm actus ipse tribuendi ius suum cuique, secundùm formam rectæ distributionis, aut commutationis; sed etiam omissione iniuriæ; siquidem eiusdem virtutis est facere bonum in materia propria, &
35 omittere malum contrarium, vt ait Vlpianus statim post hanc definitionem. Quare non rectè Buridanus hanc definitionem carpit, quasi non ponat adæquatum obiectum iustitiæ, quod includit etiam non lædere.

QVÆSTIO III.

An IVSTITIA *sit virtus specialis*.

D.Thom. quæst 58 art.6. & 7.

36 IVSTITIA secundùm rationem abstractam, vt in ordine ad alterum perficit, duplex est, ità Aristot. 5. *Eth. cap*.1. *&* 2. Altera particularis, quæ perficit hominem in ordine ad alterum particularem, puta venditorem in ordine ad emptorem. Altera perficit hominem in ordine ad alterum, non per se primò, vt particularis est, sed in ordine ad illum, vt est pars communitatis, & dicitur Legalis; nam Leges præcipiunt, quæ ad bonum commune spectant.

37 IVSTITIA quidem particularis, absque controuersia, specialis est virtus, vt ait D.Thom. *art*.7. D.Bonau. *in* 3. *dist*.33. *quæst*.2.

PROBATVR à D.Bonau. *ad caput citatum Sapientiæ*, & *in Diæta salutis, tit*.5.*cap*.8. ex illis verbis: *Sobrietatem enim, & prudentiam, docet & Virtutem, & Iustitiam*, vt explicui *quæst*.1. Deinde affert in illo Commentario id Prou.8. *Mea est Æquitas, mea est Prudentia, mea est Fortitudo*.

DEINDE probatur à S. Doct. *in Pharetra, lib*.2. *cap*.42. ex Patribus suprà relatis.

PROBATVR tertiò rationibus à D. Bonau. *in* 3. *distinct*.33. *quæst*.2. & *dub*.1. & aliis locis suprà adductis.

PRIMA ratio sumitur ex potentia, quam perficit; nam Prudentia dirigit rationalem, Temperantia concupiscibilem. Fortitudo irascibilem; Iustitia verò
38 omnes ad æquale tribuendum. Elegantem verò hac de re similitudinem affert *in Diæta, tit*.5. *cap*.31. Sicuti enim Deus, in mundo Megacosmo: *Omnia disposuit in numero, pondere, & mensura*, vt dicitur Sap.11. ità Iustitia in hoc Microcosmo omnia disponit in numero, pondere, & mensura, commutationibus, & distributionibus. Vnde lepido schemate eam nomine DEÆ decorat, cui dixit Dauid Psalm.4. *Sacrificate Sacrificium iustitiæ*, idest agite actus iustos, vt exponit etiam Valentia *punct*.1. & *ad cap*.1. *Sap*. in ea verba: *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram*, ait ex D. Anselmo: *Diligite iustitiam, vt Deo conformemini, quia iustus Dominus, & iustitias dilexit*. Diligite (ait S.Bonau.) iustitiam increatam, quæ est rectitudo diuinæ voluntatis; & creatam, quæ est rectitudo humanæ. Sic exponit illud: *Beati, qui esu-* 39
riunt, & sitiunt iustitiam, cum D.Ambrosio *lib*.5. *in Lucam*, vbi Iustitiam cum aliis Cardinalibus adnumerat. Sic & D. August. *lib. de moribus Ecclesiæ, cap*.15. apud D.Bonau. *in Centiloq. loco citato*.

SECVNDA ratio S.Doct. sumitur ex actibus, à 40
quibus diuersi agnoscuntur esse habitus; nam actus Iustitiæ est, vt dixi *quæst*.1. reddere cuique suum ius, seu æquum, & debitum, modis expressis *quæst*.2. Hoc autem non conuenit aliis virtutibus.

TERTIA ratio S. Doct. sumitur ex obiecto; nam ab eo actus discernuntur, sicut habitus ex actibus. Ea est specialis virtus, quæ versatur circa obiectum peculiariter laudabile. & difficile, vt est in confesso apud omnes: Talis est Iustitia particularis, cum versetur circa æquale debitum, ad alterum, circa quod non versantur aliæ virtutes: Ergo. Hac ratione vtitur etiam Valentia *puncto* 3.

QVARTA ratio S. Doct. sumitur à contrario. 41
Nam, si quis iniquè se gerat erga particularem alterum, v. g. eripiendo ei aliquid, &c. committit speciale vitium, ob quod est dignus speciali vituperio, etiamsi ex nullo alio vitio id committat: Ergo rectè, & æquè se gerere erga alterum, est virtus specialis. Hæc est ratio Aristot.5. *Eth. cap*.2. quam Valentia *loc. cit.* sequitur.

QVINTA ratio D.Bonau. sumitur ex medietatibus virtutum; nam cum hæ virtutes in medio consistant, illa virtus erit specialis, quæ habet medietatem specialem: Talis est Iustitia, quæ stat inter nimium, excedens; & parum, detrahens de æquo, & debito. Hanc autem medietatem cæteræ virtutes morales non seruant, vt omnes agnoscunt.

QVOAD iustitiam legalem certum est, eam esse 42
virtutem generalem, quatenus versatur in omni materia virtutum moralium. Sicuti enim Leges in omni materia præscribunt ea, quæ ad bonum commune conducunt, vt docet Aristot.5. *Eth. cap*.1. ità iustitia legalis perficit hominem, vt rectè, & iustè se gerat erga communitatem in omni materia moralium virtutum.

CONTROVERSVM est autem: An Iustitia Legalis non modò ex materia sit generalis, sed etiam ex sua ratione formali.

BVRIDANVS 5. *Eth. quæst*.4. existimat, Iusti- 43
tiam Legalem esse quamcumque virtutem,vt operatur propter bonum commune, & ita Temperantia, vt dirigit ad valetudinem ob proprium commodum, dicitur temperantia, vt autem dirigit in bonum commune Reipub. vocatur Potentia; Quatenus verò possit seruire Reipub. militando, &c. est Iustitia.

Contraria tamen sententia est S.Bonau. suprà, D. Thom. *art*.6. quem sequuntur Valentia *punct*.2. Soto *lib*.3. *de Iustitia, quæst*.2. *art*.5. & alij communiter apud Mastrium *in* 3. *disp*.7. *num*.189.

ASSERO cum hac sententia, Iustitiam legalem 44
non esse virtutem generalem.

PROBATVR primò ex Aristot. 5. *Eth. cap.* 1. vbi specialia illi dat Encomia, quibus specialis virtus comprobatur, quæ elogia collegit S. Doct. *in Diata, titulo 5. cap. vltimo.* Sic eam virtutem perfectam, atque præstantissimam acclamat, eamque stellæ comparat.

SIC etiam S Doct. comparat eam viæ rectæ, quæ neque ad dextram declinet, neque ad sinistram, & huic applicat illud Psalm. 106. *Deduxit eos in viam rectam*, nempe, vt ad brauium æternum peruenirent.

45 DEINDE comparat eam rectæ Regulæ, quæ est mensura rerum: Sicut enim Regulâ omnia mensuramus, & omnia æquè partimur, ita etiam Iustitiâ. Et sicut regula Astronomica per lineam *Fiducia* mensurat altitudinem poli super locum habitationis, Clima, &c. ità etiam Iustitia terræ, ciuitatis integrum statum meritur, vt omnibus debitum tribuatur.

46 TERTIO comparat eam rectæ Lineæ. Sicut enim linea recta est pulcherrima linearum, vt ait Philosophus, adductus *quæst.* 1. sic etiam Iustitiæ rectitudo facit hominem pulcherrimum in intentione, & conuersatione. Sicut etiam statura humani corporis est pulcherrima, quia recta ad cælum. Sic statura cordis est speciosissima, cùm per Iustitiam est erecta ad Deum. Vnde Cant. 7. *Statura tua assimilata est Palmæ.*

DEINDE eam comparat Gemmæ, insitæ auro. Virtutes enim Cardinales quatuor gemmas ait in aureo Diademate. In anteriori parte, seu in fronte est Prudentia, cuius est videre non modò præsentia, sed etiàm futura. In dextera est Temperantia, quia hæc
47 facit hominem iustum in dextra prosperitatis; Fortitudo in sinistra aduersitatis. Iustitia verò in posteriori parte, sicut Episcopus in processione, sicut Rex in fine aciei, sicut Gubernator in cauda nauis, sicut Sententia iustæ profertur in fine causæ, & sicut in fine certaminis datur victori Corona triumphalis. Vnde ab ista tanquam à principali denominatur Corona. Sic Apostolus prima Timot. 4. *Reposita est mihi corona iustitia.* Aurifex, in cuius Fucina fabricatur hæc pretiosa corona, est Sapientia, de qua *Sap.* 8. Comparat deinde eam Stellæ polari, & Deo, vt suprà ostendi. Vide S. Doctorem eximiè eloquentem.

48 PROBATVR secundò ratione D. Bonau. *locis ferè omnibus adductis*, quia in actu Iustitiæ Legalis est specialis laus, & difficultas. Ergo. Probatur consequentia ex Aristotele 2. *Eth. cap.* 6. *&* 7. Antecedens est Aristotelis 5. *Eth. cap.* 1. & 3. *Politic. cap.* 3.

Hic possunt applicari etiam argumenta, primò posita.

OBIICIES cum Buridano. Omnes Virtutes operantur secundùm rectitudinem, & in ordine ad bonum publicum; alioqui possent virtutes esse non rectæ.

49 RESPONDET Valentia ex D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 33. *quæst.* 2. *ad* 2. *&* 4. omnes quidem virtutes habere suam propriam rectitudinem, & mediocritatem, declinantem ab extremis; attamen singulæ habent suas singulares rectitudines, è quibus Iustitia facit rectum secundùm omnes circumstantias, prout ordinatur ad alterum, & hoc competit Iustitiæ, non aliis virtutibus.

QVÆSTIO IV.

In quo subiecto IVSTITIA *consistat.*

D. Bonau. 3. dist. 34. quæst. 3.
D. Thom. quæst. 58. art. 4.

CERTVM est primò, Iustitiam non esse in intel- 50
lectu; non enim quisquam iustus censetur, quia cognoscat, quod iustum est; sed quia iustum eligat, vt monent D. Thom. & D. Bonau. *hic.*

CERTVM est secundò, iustitiam esse in aliquo appetitu hominis; nam cùm virtus sit in ea potentia, à qua proximè elicitur virtutis actus; & iustitia non sit in intellectu; reliquum est, vt sit in alia potentia, quæ sit principium proximum actus boni, & iusti, vt distinguitur ab actu intellectus, & includit electionem obiecti iusti, aut est ipsa electio talis obiecti. Tale autem principium est appetitus aliquis, vt asserunt SS. Doctores, & cum eis Caietanus *art.* 4. & Valentia *disp.* 5. *quæst.* 2. *punct.* 4.

CERTVM est tertiò, iustitiam esse in appetitu 51
rationali, idest voluntate, vt docet è communi consensu Aristot. 5. *Eth. cap.* 1. *&* 5. & ex Vlpiano *l. Iustitia, ff. de Iustitia, & iure*, definiente Iustitiam; *Est voluntas constans ius suum cuique tribuendi*, vt docet D. Bonau. *locis allegatis, quæst.* 2.

CONTROVERSVM est autem: An sit constituenda in appetitu sensitiuo quædam Iustitiæ circa bonum alienum, quæ, licèt re ipsa à iustitia, quæ est in voluntate, sit distincta; tamen in nomine, & in materia cum ea conueniat.

PARVULA autem est de hoc controuersia; nam 52
communiter omnes eam ponunt in appetitu rationali, nempe in Voluntate, vt monet D. Bonau. solus verò Buridanus non modò Fortitudinem, & Temperantiam, sed etiam Iustitiam in appetitu sensitiuo ponit.

IGITVR communis sententiæ est D. Bonau. *hic*, D. Thom. *art.* 4. quos alij omnes sequuntur, vt ait Sotus *lib.* 5. *de Iustitia, quæst.* 2. *art.* 4. Valentia *disp.* 5. *quæst.* 2. *punct.* 4. Tannerus *disp.* 4. *quæst.* 2. *dub.* 1. *numero* 7. qui tamen omninò reclamat.

PROBATVR à D. Bonau. primò ex D. August. 53
lib. 1. *Solil. cap.* 6. vbi ait: *Virtus est ratio recta, perducens in finem.* Quæ prædicatio est causalis, siue materialis.

SECVNDO: Virtus est principium merendi, & operis meritorij, ac laudabilis: Ergo circa illam potentiam habet esse, circa cuius actum consistit laus, & meritum: Sed talis est appetitus rationalis: Ergo.

TERTIO. In eo subiecto est virtus, in quo anima habet imaginem Dei, cùm virtutes cæteræ habeant ortum à gratia, cuius homo est capax, quatenus est imago: Sed non est imago, nisi per potentiam rationalem: Ergo. Maior est D. August. 14. *de Trinitate, cap.* 8. *&* 15.

QVARTA ratio singulariter probat de Iustitia: 54
Ille habitus, qui consistit in propria electione boni, & fugæ mali, est in appetitu rationali. Talis est Iustitia: Ergo. Maior probatur, quia electio dicit selectionem alicuius, vel aliquorum, post comparationem cum aliis factam. Ideò Cant. dicitur: *Dilectus meus candidus, &c. electus ex millibus*, comparatio autem plurium, & electio alicuius ex illis, includit saltem virtute discursum. Minor probatur; nam Iustitiæ obiectum est æqualitas cum altero, quatenus refugit extrema, idest, *Nimium*, seu excedens; & *Parum* . idest deficiens

deficiens ab æquo, quod seruandum est proportione cum altero, vt alienum donum est.

HANC autem rationem formalem non percipit sensus. Hac ratione vtuntur etiam D.Thom. & Thomistæ, atque Valentia *loco citato*.

55 QVINTA ratio. Virtus est in genere boni honesti, vt ait Tullius *lib.2. de Inuent.* & *de off.* non tard. Bonum autem honestum est obiectum solius appetitus rationalis; nam sensus solum bonum commodum aspicit: Ergo.

RESPONSIONES aduersantium his argumentis, quatenus de omni virtute probant, retuli, & repoli *prima secunda Tract.2. disput.2. quæst.9.*

QVÆSTIO V.

An IVSTITIA *sit Virtutum moralium præstantissima.*

{ D.Thom.art.12.

56 VIDETVR S.Doct. *in Diæta, tit.5. cap.8.* hanc præ cæteris nobilissimam ponere. Ideò eam regulæ, lineæ, semitæ rectæ comparat; Stellæ polari assimilat; gemmam pretiosissimam inter cæteras acclamat. Est Aristotelis 5. *Eth. cap.3.* & Scoti *in 4. dist.49. quæst.4. post litt. L.* Mastrij. *disp.7. quæst.8.*

PRIMO quidem Iustitia legalis perfectior videtur omnibus moralibus, quia habet pro obiecto bonum commune, & tanquam superior, & vniuersalior imperat omnibus moralibus virtutibus, referendo ad bonum commune omnia eorum obiecta. Ideò eam Aristot.5. *Eth. cap 1.* Stellæ præfulgidæ comparat, & D.Bonau. *in Diæta, tit.5. cap. vltimo* rectæ Regulæ, Mensuræ, Lineæ, Polari stellæ, &c. vt dixi *quæst.3.*

57 SECVNDO Iustitia particularis non est simpliciter perfectior cæteris omnibus virtutibus, quæ sunt ad alterum; nam Misericordia videtur perfectior. Similiter Pietas, & multò magis Religio, quæ respicit proximè Deum infinitum, tanquam obiectum, cui debitus est cultus exhibitus, non vt obiectum *Quod* virtutum Theologicarum. Et sanè nobilissima est inter virtutes, quæ circa bonum proprium versantur.

58 RATIO est, quia, vt docet D.Thom. *art.cit.* bonum alterius continetur in quadam diffusione, in qua maximè resplendet ratio bonitatis, vt docet Aristoteles *primo Rhet. cap.9.*

Deinde obiectum iustitiæ ad bonum commune maximè conducit Societatis humanæ, vt ait Cicero *lib.1. offic.* & Aristot.5. *Eth.cap.5.*

OBIICIAS cum Buridano post Scotum *in 3. dist.27. quæst.1.* virtutes, quæ versantur circa bonum proprium, sunt magis secundùm inclinationem Naturæ, & Charitatis.

59 RESPONDETVR, Iustitiam legalem esse magis secundùm inclinationem, quia est ad bonum commune; particularem verò alias præcellentias habere, quæ hinc præpondent, vt dixi *prima secunda, Tract.1. disp.2. quæst.12.* Deinde Virtutes, quæ circa bonum proprium ad moderandas passiones versantur, sicuti Fortitudo, Temperantia, & aliæ his adnexæ, non habent obiectum adeò rationale, sed magis sensibile, vt ait D.Thom. & Valentia *puncto 5.*

NON repetam Iustitiæ præcellentias, indicatas *quæst.3.* ex D. Bonau. *in Diæta*, quas iterum prosequitur S.Doct. *ad Psal.18.* in ea verba: *Vtinam dirigantur viæ meæ, &c.*

QVÆSTIO VI.

Quale peccatum sit INIVSTITIA, *& quomodo committatur.*

D.Thom.quæst.59.

QVOT modis dicitur Iustitia, relatis *quæst.1.* tot 60
modis dicitur Iniustitia opposita, iuxta regulam oppositorum, apud Aristotelem 5. *Ethic.cap.1.*

IDEO iniustitia primò significat omnem iniquitatem, vt accipitur *prima Ioan.3.* & notat Valentia *quæst.3. punct.1.* Hæc igitur opponitur iustitiæ generali, quæ facit sanctum. De hac in Psalm.91. *Dispergentur omnes filij iniquitatis:* Mox ponit antithesim
Iustus vt palma florebit. Hæc iniustitia omnia peccata 61
complectitur, siue ex suggestione, siue ex propria voluntate, siue ex consuetudine, quæcumque sint cordis, oris, & operis; vt obseruat S.Doct. *ad eum Psal.* & sicut omnis declinatio à malo, & prosecutio boni est iustitia, vt dicitur Psalm.33. *Declina à malo, & fac bonum, &c. Oculi Domini super Iustos*, ità omnis prosecutio mali, & fuga à bono debito, est iniustitia, vt monet S.Doct. *serm.18. Hexaëmeronis.*

ALIAM iniustitiam *ibi* adducit S.Doct. quæ est 62
imperfectio in virtutibus. Talis est eorum, qui sæpè cadunt: *Septies in die cadit iustus.* Prouerb.24. è contra, aliqui iusti perfecti sunt, qui rariùs cadunt, de quibus Prouerb.12. *Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit.* Et cap.28. *Iustus quasi Leo confidens, absque terrore erit.* Hanc perfectionem iustitiæ docet Eccles.4. *Pro iustitia agonizare vsque ad mortem*, & Matth.5. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.* Vide S.Doctorem.

IDEO iustitiam in tribus ponit *Psalm.33.* In declinatione à malo; electione boni; & profectu in bono, vt notat S. Doct. *loco suprà citato*, & *ad Psal.110.*

PRÆCIPVE verò Iniustitia generalis est quæ- 63
libet Legum transgressio, sicuti iustus est, qui legem obseruat: Talis dicitur Simeon, Lucæ 2. *Homo iustus.* Et Zacharias cum Elisabeth: *Erant iusti ambo, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela.* Et Noë Genes.6. *Iustus in generationibus suis*; ad omnia mandata Dei scilicet, vt dicitur Psal.118. *Ad omnia mandata tua dirigebar; omnem viam iniquam odio habui. Quicumque enim totam Legem seruauerit; offendat autem in vno, factus est omnium reus*, vt dicitur Iacobi 2. & prosequitur S.Doct. *in cap.1. Luca.*

PROPRIE verò magis Iniustitia est vitium, & 64
peccatum, oppositum iustitiæ legali, quæ est virtus dirigens ad bonum commune: Hanc D.Thom. vocat *art.1.* illegalem, quæ est speciale peccatum, si ex contemptu boni communis, & ex certa intentione faciendi contra illud committatur, vt docet D. Thom. *loc. cit.* Sotus *lib.3. de Iustitia, quæst.3, art.1. ad 1.* Valentia *quæst.3. punct.1.* Alioqui non erit distinctum peccatum ab iis, quæ committantur contra virtutes eas, quarum actus sunt exercendi ex imperio iustitiæ legalis; sed erit communis conditio huiusmodi peccatorum, & quasi commune peccatum, vt appellant Sotus, & Valentia, & dixi *disputat.22. quæst.1.*

PROPRIISSIME verò significat vitium, & 65
peccatum peculiare, oppositum æqualitati debitæ vnius ad alterum, quam Iustitia tuetur parti-

culatis. Hæc autem iniustitia est mortalis ex genere, vt docet D. Thom. *art.* 4. etsi possit esse veniale ob materiæ paruitatem, vel ob imperfectionem actus non satis deliberati, vel non satis voluntarij, vt ob ignorantiam leuiter culpabilem, vt docet D. Thom. *artic. citat.* & latiùs D. Bonauent. *in speculo animæ, cap.* 2.

66 DIVIDITVR autem Iniustitia huiusmodi in varias species subalternas, nempe primò in Iniustitiam, contra Iustitiam distributiuam, & Iniustitiam, contra Commutatiuam. Deinde in varias species iniustitiæ contra Commutatiuam pro diuersis valde modis, quibus contra eam delinqui potest, quos recenset, atque explicat S. Doct. *loco adducto*, & cum Aristotele recensui *quæst.* 5. & propriis locis explicabo.

QVÆSTIO VII.

An Iudicium sit IVSTITIÆ *actus.*

67 IVDICII significatus varios habes in Nauarro *supra Rubricam de Iudiciis*, & Valentiam *disp.* 5. *quæst.* 4. *puncto primo*.

MVLTA significat nomen Iudicij. Primò significat definitionem eius, quod est Iustum, & æquum inter aliquos, connotan[s] simul quandam potestatem compellendi partes ad executionem iuris definiti. Tale iudicium est sententia iudicis. Vnde ille dicitur Iudex, cuius est secundùm iura iudicare, quod in Græco est *δικαστὴς* à *δικάζειν*, vt notat Valentia cum D. Bonau. *in* 2. *dist.* 25. *parte* 2. *dub.* 1. *litt.* Ideò *iudico* est *ius dico*.

68 SECVNDO per Metaphoram translatum est ad significandum id, quod à iudice est iudicatum, vt Ioan. 5. *Procedent, qui fecerunt mala, in resurrectionem iudicij.* Et prima Cor. 11. *Iudicium sibi manducat, & bibit.* Ideò præcipuè condemnationem exprimis, vt indicat S. Doct. *in* 4. *dist.* 18. *p.* 2. *dubio secundo.*

TERTIO eodem modo significat etiam q[u]o[d] e[st] spectantia ad iudicium, vt tribunal. Sic diuiditur Iudicium in Sæculare, & Ecclesiasticum *cap. Quanto, extra de Iudiciis.*

69 QVARTO significat quamcumque intellectus definitionem, quo pacto ad Synesim, quæ est pars Prudentiæ potentialis, dicitur spectare, & debet esse regulatum ad veritatem, vt docet S. Doct. *dist.* 25. *citata, secundo sent. dub.* 1. Hoc autem duplex est, Speculatiuum, & Practicum, vt docet D. Bonau. *in* 2. *dist.* 23. *quæst.* 2. *ad* 2. & *dist.* 7. *p.* 2. *quæst.* 2. *in corpore.*

QVINTO significat eam intellectus sententiam, quæ de alterius probitate fit, de quo Matth. 7. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.*

HÆC autem Sententia est à voluntate imperante, cuius est iudicare. Ideò & liberum arbitrium definitur *iudicium rationis*, quia in actu libero, maximè iudicandi de alterius probitate interuenit ratio, & iudicium, seu decretum voluntatis, vt obseruat *loc. cit. Secundi sent.* S. Doctor.

70 OBSERVAT autem S. Doct. *in* 2. *dist.* 3. *p.* 2. *quæst.* 1. *ad* 4. iudicare de aliquo esse duplex. Primum discernendo, vtrum sit, vel non sit; & hoc modo conuenit iudicium omni intellectui cognoscenti respectu omnis obiecti. Secundum approbando, vel reprobando; & sic non iudicat de veritate, sed secundùm ipsam de aliis, sicut ait D. August. *de vera Religione, cap.* 31. quod iudex non iudicat de lege, sed secundùm ipsam iudicat de aliis, & hoc modo iudicans potentiam exercet, & Ius super iudicatum. Ideò hoc iudicium est reseruatum Deo, non autem nobis concessum, vt ait Matth. *loc. cit.* & Paulus Galatas 6. *Itaque nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus.*

HOC ferè pacto tria dicit Iudicium. Primò collationem meriti, vel demeriti ad præmium, aut pœnam propriè. Secundò addit discussionem meritorum, & prolationem sententiæ. Tertiò appropriatè dicitur ipsa condemnatio, vt aduertit. S. Doct. *in* 4. *dist.* 47. *art.* 1. *quæst.* 3. *in resol.* Ideò prohibemur iudicare, idest discussis meritis, & demeritis aliquem condemnare, etiam priuatè, quia hoc ad iudicium Dei pertinet, vt docet S. Doct. *ibi*, & *in Dieta, tit.* 9. *in finem*, adducens illud *prima Corinth.* 4. Quem locum elucidans S. Doct. *in Appendice Dieta Dom.* 4. 71

Aduent. ait: *Dicit Lex Imperatoris, cessat iunior potestas.* Ideò Apostolus considerans aduentum æterni iudicij, reprimit dicens: *Nolite, &c.* & in speculo animæ, cap. 1. postquam dixit: suspicio est mala opinio ex leuibus causis, & hoc ex mala affectione inuidiæ procedit, & tunc habet rationem mortalis, aliàs autem non iudicatur mortalis; subdit: Iudicium peruersum est, cùm quis ad alium malè affectus non solùm malum suspicatur in ipso ex causis leuibus, verum etiam definit in corde, vel ore sententialiter peccatum mortale commissi ab aliquo, & hoc de suo genere est mortale, ex quacumque radice procedat. Vnde Glossa super illud, prima Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare* ait: *Suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus; iudicium autem* idest, sententias diffinitiuas, *cauere debemus.* Hoc autem iudicium semper est nimis graue peccatum. Hæc S. Bonau. & *p.* 3. *Stimuli, cap* 8. apponit rationem, ob quam nobis vetita sint hæc iudicia, ex Apostolo Rom. 14. *Tu quis es, qui alienum seruum iudicas*, & iterum repetit: *Nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus*, nempe quia proximi non sunt nobis subiecti in foro conscientiæ, sed Domino, & in Sacramento, ipsius Ministris. 72 73

CÆTERVM si iudicium sit rectum, erit actus Iustitiæ: Erit autem rectum, si statuatur æqualitas debita, tum à Iudice publico in Tribunali Fori, & ad damnationem; tum à quocumque in iudicio priuato conscientiæ, nempe cùm practicè iudicatur secundùm id, quod nobis constat, non tamen ad condemnationem, vt monet S. Doct. *opusc. de profectu Relig. cap.* 1. Itaque, quod spectat ad statuendum verum, spectat ad prudentiam; quod verò ad stabiliendam æqualitatem in ordine ad famam proximi, ad quam vnusquisque habet ius tuendi, erit actus Iustitiæ, vt declarat Valentia *loc. cit.* Iudicium verò, quod à nobis potest priuatim fieri de inexcusabili improbitate proximi, ad Prudentiam spectat, non ad Iustitiam, quia ad nos non pertinet ius dicere de aliorum omnium criminibus. Vide etiam Tannerum *disp.* 4. *quæst.* 3. *dub.* 5. 74 75

QVÆSTIO VIII.

Qua ratione iustum sit Iudicis publicum Iudicium.

IN hac re primò certum est, inter Christianos posse esse Iudicia iusta, contra errorem Vualdensium, & Anabaptistarum, vt monet Tannerus *disp.* 4. *quæst.* 4. *dub.* 5. 76

PROBATVR

PROBATVR latè à S. Doct. *p.2. de Eccles. Hier. cap.2.* vbi ostendit S.Doct. Iudices, & Principes esse debere similes Virtutibus supernis, vt rectè possiot indicare. Plures affert hac de re Scripturas 2. *Reg.14.* vbi de Rege Dauide dicitur: *Tu autem Domine mi Rex, es sicut Angelus Dei, qui nec benedictione, nec maledictione monetur.* Ex qoo dedocit, Fortem esse debere Iudicem, vt rectè iudicet. Ideò Eccles.7. *Noli quarere fieri Iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates, ne fortè expauescas faciem po-*
77 *tentis.* Sap.6. *Audite Reges, & Iudices, qui iudicatis terram, vobis data est Virtus ab Altissimo.* Idem habetur *Psalm.2.* in nouo Testamento: *Erudimini, qui iudicatis terram.* Ideò Exodi 32. dantur regulæ iudicandi fidelibus: *Non accipies munera, &c.* & Deuter.16. *Non accipies personam, neque munera, quia excacant, &c.* Secundo Paral.19. *Videte quid faciatis; non enim hominum exercetis iudicium, sed Dei.* Isa.1. *Iudicate pupillo, subuenite oppresso.*

78 SIC David 1. *Reg.30.* indicauit: *Eruit David omnia, qua tulerant Amalechita, nec defuit quidquam de spoliis: Sed omnia quacumque rapuerant, reduxit, & reduxit:* Et 2.Reg.12. *Ouem reddet in quadruplum,* vbi à propheta sancto vocatur ad iudicandum. Et Salomon 3. *Reg.3.* iudicauit, cùm esset Sanctus, de illis duabus meretriculis super raptum pueri. Plurima alia è Scripturis affert S. Doct. io Bibliis pauperum *cap.50.* etiam pro lege gratiæ.

79 HÆC latè prosequitur etiam *ad cap.6. Sap.* io ea verba: *Data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, quoniam cum essetis ministri regni illius non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitia.* Vbi affert illud Rom. 13. *Non est potestas nisi a Deo,* Ioan.19. *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* Illud Isa.1. *Pupillo non iudicat, & causa vidua non ingreditur ad eos.* Idem lamentatur *Hierem.5.*

80 EASDEM authoritates latè prosequitur S.Doct. ad id Ioan.19. *Non haberes potestatem &c.* vbi io nouo Testamento à Christo, & Apostolo *Rom.13.* & à D.Petro, asseritur Iudiciaria potestas.

EADEM prosequitur *serm.22. Hexaëmer.* vbi obseruat, promissum esse Isaiæ primò: *Restituam iudices tuos, vt fuerunt prius: Post hac vocaberis Ciuitas iusti, vrbs fidelis Sion in iudicio redimetur, &c.* Quo fit, vt iudicia erecta io testamento Veteri, non sint destructa in Nouo, qooad potestatem.

81 IDEO & Paulus Cæsarem appellauit, *Act.25. & 26.* & ideo simul cum Petro hortabatur fideles, vt iudicio Principum starent, Rom.13. *Omnis anima potestatibus subdita sit sublimioribus, &c. Non enim sine causa gladium portat; Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malè agit,* vt ostendit S. Doctor *in 2. dist.44. art.3. quæst.1.* & prima Petri, 2. *Serui subditi estote dominis, non tantum bonis, sed etiam dyscolis, &c.* Ideò prima Corinth.6. Paulus iudicia laudat.

82 PROBATVR latiùs à S. Doct. In *Hexaëmer. serm.16.* ex perpetuo vsu Ecclesiæ iam inde à temporibus Apostolorum; Nam D. Petrus condemnaoit Ananiam, & Sapphiram *Act.5.* & deinceps sequentibus sæculis fuere semper Ecclesiastica, & sæcularia iudicia in Ecclesia, vt ostendi *Tract. de Legibus,* & *p.1. Tract.1. Disputationibus Proœmialibus.* Hæc constant ex veteribus mooumentis Conciliorum, historiarum, & Decretorum. Solùm fuit constantissimè cautum, vt Ecclesiastica iudicia apud Ecclesiasticos fierent, vt constat *in Decretis;* & sæcularia iudicia apud fideles, si possent fieri, vt tradit Apostolus *prima Corint.6.*

PROBATVR tertiò à S. Doct. *in 2. dist.44.* 83
art.2. quæst.1. ad 2. argumento solidissimo D. Petri *prima cap.2.* vbi descripto statu sanctæ libertatis noui testamenti, concludit: *Subiecti igitur estote omni humana creatura propter Deum: siue Regi, quasi pracellenti: siue Ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: quia sic est voluntas Dei.* Hinc eruitur ratio, quam magnificat ad quartum argumentum *quæst. sequentis,* eaque vtitur Valentia *disp.5. quæst.4. punct.2.* Quod iure naturali est vtile, & necessarium ad bonum Reip: non tollitur, sed stabilitur decretis Christianæ Religionis; non enim Religio destruit, sed perficit ius naturæ. At iodices, & iudicia sunt Christianæ Reip: necessaria: Ergo. Minor probatur exemplo omnium nationum, & ex Dei ordinatione Deuter. 16. *Iudices, & Magistratus constitues, vt iudicent populum.* Deinde
patet Minor: Nam si iudices, & iudicia non essent, 84
quibus hominum lites terminarentur, & pœnas delictis, & præmia rectè exantlatis operibus politicis imponerent, maxima perturbatio, atque subuersio videretur. Hac ratione latiùs vtitur *p.2. de Ecclesiastica Hier. cap.2.* vt dicam infrà.

NEC aduersarij hæretici firmo nituntur fundamento.

OPPONVNT enim id Matth.5. *Si quis voluerit* 85
tecum in iudicio contendere, & tunicam tollere, da ei & pallium.

RESPONDET S. Doct. ad hunc locum *Luca 6.* non prohiberi iodicia; sed contentiones, & rixas, ac libidinem viodictæ, vt ait S.August. *epist.5.* igitur in summa tenendum est (ait S.Doct.) quod non prohibetur correptio proximi, seu impeditio mali, vel punitio sceleris, perpetrati ab eo, qui potest, & debet præpedire, cuiusmodi est legis Minister; sed prohibetur, & cohibetur hîc vlciscendi libido, & quantum ad manum, & quantum ad signum, & quantum ad animum. Eodem modo ait S.August. intelligendum id, quod ibidem dixit: *Et qui te percusserit in vna maxilla, prabe illi & alteram,* & tamen ipse *Ioan.19.* percutientem correxit, nec alteram
e præbuit maxillam: Similiter & Paulus *Actorum 23.* 86
in maxilla ictus, respondit: *Percutiet te Deus paries dealbate,* & tamen animo patientissimus vterque fuit, vt obseruat S.Doct. *loc. cit. ad locum Ioan.* ex D.August. *tract.113. & epist.5.* quem vide. Sic respondet Valentia *disp.3. quæst.16. punct.1. col.742.* & *disp.5. quæst.4. p.2.* & Tannerus *loco citato.*

OPPONVNT secundò id Matth.7. *Nolite iudicare, vt non iudicemini.*

RESPONDET S. Doct. *p.1. Centil. sect.10.* ex 87
D.August. *lib.2. de serm. Domini in monte, cap.28.* noo prohiberi omne iudicium; sed temerè assertum sine firma ratione. Idem censet D. Hilar. *Can.5. in Matth.*

RESPONDET S.Doct. *de septem Itineribus aternitatis, Itinere primo, dist.4.* ex D. Hieronymo, doceri ordinem correctionis, vt primò nos ipsos iudicaotes emundemos, eiicientes trabem de oculo nostro, antequam festucam in alterius aranea meditemur.

QVOD verò non damnet omne iudicium, habetur Ioan.12. *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate,* vt obseruat ibi D. Bonauent.

OBIICIVNT etiam id prima Cor.6. *Frater cum fratre iudicio contendit: & hoc apud infideles? Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos.*

RESPONDETVR, non damnari iudicium, vt di- 88
xi suprà, imò institui; sed reprehendi indebitum. Quatuor autem conditiones ponunt Doctores, vt iudicium

R 3 fit

sit iustum, sic D.Thomas 2.2. *quæst.60. art.2. & 6.* D.Bonau. *in 2. dist.44. locis citatis*, & *lib.1. Pharetra, cap.45.*

PRIMA est legitima authoritas, Qualem habent Iudices ordinarij, aut Delegati, aut etiam Arbitri, qui iure gentium eam habent potestatem in eos, qui se illis vltrò remittunt. Et talis esset etiam ille, qui speciali Dei iudicio, fungeretur eo munere, sicuti Phinees *Numer.25.* occidit Madianitam, virumque Hebræum, vt aduertit S.Doct. *in Bibliis pauperum, cap.51.*

Ex defectu huius conditionis dicitur Iudicium iniquum per vsurpationem, vt ait D.Thom. *art.6.* D.Bonau.2. *dist.44. art.2. quæst.1.*

89 FIERI tamen potest, vt iudicium, alioqui iustum alicuius Tyranni, qui reuera careat legitima potestate, obliget, si nimirum in pacifica possessione sit. Nam aliàs consistere pacificus Reipublicæ status non posset, nisi dominanti in iis, quæ iustè statuit, pareatur: Ita Valentia *punct.2.* qui ait, ita sensisse ferri Victoriam, eaque est sententia D.Bonau. *loc. cit. in corpore*, & *ad 2.* vbi docet, Tyrannum, tametsi absque legitima potestate dominetur; atque adeò iniquè decernat ratione vsurpationis, tamen esse audiendum, si iustè decernat, *in vindictam malefactorum; laudem verò bonorum*, vt dicitur *prima Petri 2.* atque adeò eius decreta esse iusta, eisque se subiicere esse iustum.

90 SECVNDA conditio est, vt Iudicium sit conforme regulæ Iustitiæ, nempe, vt id, quod decernitur, iustum sit, etiamsi iudex non operetur ex virtute iustitiæ; sed vel politicæ regulæ, ne priuetur, qualis erat Iudex ille *Luc.16.* qui iustum sanciuit tandem pro Vidua ex timore supplicij, vt obseruat Valentia post D.Bonau. *ad eum locum.* Ex defectu huius conditionis, dicitur Iudicium iniquum, neque in conscientia cogit, vt tradunt Innocentius, & Panormitanus *in cap. Plerique, extra de immunitate Ecclesiæ*, Syluest. *verbo Sententia, quæst.11.* Sotus *lib.3. de Iustitia, quæst.4. art.2.*

91 TERTIA conditio est debitus ordo iudicialis, citatio, audientia Rei, defensiones, &c.

QVARTA conditio, vt iudicet ex affectu Iustitiæ. Ità omnes Interpretes D.Thomæ *quæst.60. art.2.* Suarez *3.p. Tom.5. disp.4. sect.7.* Tannerus *loco citato.*

Aduerte tamen, hanc conditionem non reddere iudicium inualidum, vt monent allegati. Ordo verò deficiens in essentialibus ipsum reddet nullum. Sed de hac erit subdisputatio.

QVINTA conditio additur conformitas eius cum regulis Prudentiæ. Ad hoc autem duas habere debet conditiones: altera, vt debita consideratione decernat; altera, vt non sit ex affectu prauo odij, vel alio affectu, seu munerum, &c.

92 OPORTET etiam asserere, Iudicem non illicò amittere potestatem, quia in mortali peccato iacet, contra Vuiclephum, cuius error damnatur in Concilio Constant. *sess.8.*

PROBATVR latè à S.Doct. *in 2 dist.44.* vbi Petrus *prima cap.2.* præcipit, obedire Dominis, etiam discolis. Iob 34. *Regnare facit Hypocritam.* Oseæ 13. *Dabo eis Regem in furore meo.* Ioan.19. *Non haberes potestatem, nisi tibi datum esset desuper.* Horum exempla refert S.Doct. *in Bibliis. cap.102.* Sic enim de Nabuchodonosore dicitur Danielis 4. *Potestas tua in terminos vniuersæ terræ.* Idem asseritur *cap.5.* & Ieroboam 3 *Reg.* dedit Dominus regnum Israël, aliisque prauis, vt obseruat S.Doct. *loco citato.* Et Matth.22. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Erat autem Tiberius impius, quod eleganter discurrit S. Doct. *in serm.5. Dom.22. post Pentecosten.*

RATIO etiam est D. Bonauent. qua vtitur Valentia, quia fundamentum iurisdictionis non est gratia Dei, sed voluntas eius in ordine ad gubernationem politicam, & sæpe etiam ad pœnam populorum, vt disserit *in 2. dist.44. art.2.* 93

EST autem controuersum: An iudicium iudicia reddatur mortaliter malum, eò quòd feratur à iudice in peccato mortali constituto, & quidem temporibus S.Bonauent. plerique Theologi id tenebant, saltem de Iudicibus Ecclesiasticis, Alens. *3.p. quæst.40. membr.3.* D.Thom. 4. *dist.19. quæst.2. art.2.* Videtur suspicari D. Bonauent. in ea verba, Ioan.8. *Qui sine peccato est, mittat in eam lapidem*, vbi periculum ait talibus iudicibus, magis verò in peccato publico degentibus, quia scandalizant populos, quos arguere debent, & à malo auocare. 94

EAM secuti sunt Paludanus 4. *dist.19. quæstione 3. artic.3.* Syluester *verbo, correctio fraterna, quæstione 16.* 95

OPPOSITA tamen sententia est communis: Ita D.Thom. *hìc, art.2. ad 3.* vbi priorem sententiam deseruit. Ità Caietanus, Sotus *lib.3. de Iustitia, quæst.4. art.2.* Nauar. *in Comment. super Rubricam, de Iud. num.42.* Valentia *disp.5. quæst.4. punct.2.* & est D.Bonau. *loco citato.*

ASSERO cum D. Bonauent. esse aliquod in eo casu peccatum, non tamen statuo illud semper esse mortale, sed periculosum, nè in mortale ducat.

PROBATVR primò à S.Bonauent. *loc. cit.* ex illo Christi effatu. *Qui sine peccato est vestrum, mittat in eam lapidem*, quem locum sic explicuit Anselmus *ibi*, S.August. *tract.33.* qui aiunt, eos indignos iudicandi mulierem asseri à Christo. Cùm igitur tales iudices indigni sint, sequitur aliquo modo eos peccare, vt fatetur, vltrò respondens, Valentia. 96

PROBATVR secundò à D.Bonau. *lib.1. Pharetra, cap.45.* ex multis Patribus.

D.GREGORIVS homil.26. in Euang. *Durum est, vt qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, index fiat vitæ alienæ*, En periculum, cui se exponit homo deprauans, dum se iudicem vitæ alienæ ponit. 97

D.ISIDORVS de summo bono, cap 55. sent.1. *Neminem stultorum, vel improborum oportet iudicem esse: Nam stultus per ignauiam, improbus per improbitatem corrumpit, quam didicit, veritatem.*

D. AVGVST. epistol. 174. *Iniquum est, vt quisque iudicare de alio velit, & iudicari de seipso nolit.*

D.AMBROSIVS in 2. Apol. Dauid, cap.2. *Vnusquisque de alio iudicaturus, de seipso prius iudicet, nec minora in alio errata condemnet, cùm ipse grauiora commiserit.*

NEQVE satisfacit Valentia dicens, Patres solùm significare, id esse illicitum, si sine humilitate fiat. Profectò enim laxis fibris id iniquum, & periculosum ex se clamant. An verò sit mortale semper, non asserit S.Doctor. 98

QVOD verò opponit fundamentum Valentia, magnum esse discrimen inter vsum potestatis, ordinis, & iurisdictionis, vt hic non sit adeò grauis, sicut conficere Sacramenta indignè; fateor; sed non negabit, etiam illud esse malum.

DISCVRRIT autem S.Doct. eleganter de Iudicum requisitis *parte secunda de Eccl. Hier. cap.2.* vbi eos Virtutibus Angelicis assimilandos docet: Sunt enim Virtutes, Angeli, secundi ordinis. Mediæ Hierarchiæ, qui sic vocantur *propter fortem, &* 99

immuta

immutabilem virilitatem ad susceptionem diuinarum illuminationum, nullatenus infirmam, sed viriliter in Dei imitationem reductam (vt docet S. Dionysius cap.8. de cœlesti Hiet.) *Deiformem motum non derelinquentem, sed firmiter ferentem in superessentialem, & potentificam virtutem deiformiter prouenientem.* Hæc omnia ad eos, qui potestatem iudicandi obtinuerunt, referenda docet.

100 NAM, vt pax, & concordia in Christi Ecclesia habeatur, iustitia à Domino est ordinata. Iustitia verò, & Pax se inuicem concomitantur; nam dicit Psalmista: *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam*; quia non esset pax in montibus, idest, superbis hominibus, nisi esset iustitia in collibus, idest, in bonis, & humilibus Prælatis, & Iudicibus, in quibus virilitas, seu virtuositas angelica requiritur, vt nec benedictione, nec maledictione à rectitudine Iustitiæ dimoueantur, sicut Dauid 2. Reg. 14. *Tu autem Domine mi Rex, es sicut Angelus Dei, qui nec maledictione, nec benedictione mouetur.* Fortis igitur, & virilis esse debet iudex, nè timore, odio, vel amore, à vigore iustitiæ deflectatur. Ideò datur consilium Ecclesiastici 7. *Noli quærere fieri iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates, ne fortè expauescas faciem potentis.* Et Sap. 6. *Audite Reges, & Iudices, qui iudicatis terram, vobis data est virtus ab Altissimo, &c.*

101 DEINDE Virtutibus similes esse debent Iudices in virtuosa Iustitiæ defensione, vt dicitur Ecclesiastici 4. *Pro Iustitia agonizare, & vsque ad mortem certa pro iustitia.* Nam quando subditi vident Prælatos pusillanimes, & tepidos, facilè perterrentur, vt dicitur Zach. 13. *Percutiam pastorem, & dispergentur oues.* Ideò dicitur Ezech. 3. *Vt adamantem, & silicem posui te, ne timeas eos*; vbi Marinus Brixiensis, *vt magnetem*, quia Iudex debet esse fortis, vt adamas, & simul benignus attrahens, vt ait S.Doctor. Igitur viriliter agant, ne eis dicatur id Ezech. 13. *Non ascendistis ex aduerso.*

102 TERTIO Virtutibus comparantur ob Diuinæ sapientiæ imitationem, quam debent Iudices in suis sententiis præ oculis tenere. Humana enim sapientia diuinæ Iustitiæ tenetur imitari virtutem. Ideò Sap. 6. *Diligite lumen sapientiæ, qui præestis populis*, ne dicant illud Hierem.5. *Forsan pauperes, & stulti ignorant viam Domini, & iudicium Dei sui. Ibo ergo*, & Isa.56. *Nescierunt saturitatem, ipsi Pastores ignorauerunt intelligentiam.* Ideò dicitur de Virtutibus, quod viriliter per susceptionem illuminationum reducuntur ad Dei imitationem. Nam, qui illuminantur à Deo, absque offendiculo iustitiam exequuntur, & hoc dicitur Psalm.88. *Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in iustitia exaltabuntur.*

103 QVARTO Virtutibus sunt similes in celeritate expediendi causas pauperum; Nam vera Iustitia, cùm fuerit nota iudici, non est ab executione retardanda, imò statim definienda, & promulganda, & hoc præcipuè in causis pauperum, quarum dilatio eis nociua multipliciter est; & ideò dicuntur Virtutes Deiformem motum non derelinquere, quia virtuosi Iudices, cognita causa pauperis, iudicare non differunt; sicut nec Deus, de quo dicitur Ecclesiastici 35. *Dominus non elongabit, sed iudicabit iustos, & faciet iudicium, & fortissimus non habebit in illis patientiam.*

104 QVINTO debent esse Virtutibus similes, non eneruati muneribus, quæ ideo vetantur Exodi 23. *Deuter.* 16. quia excæcant, & eneruant virtutem Iustitiæ. Ideò Virtutibus similantur, quæ ad Potentificam, & superessentialem virtutem perueniunt, idest, in suis motibus, & actibus, solum Deum, non proprium commodum intuentur. Admonentur enim 2. Paralip. 19. *Videte quid faciatis. non enim hominum exercetis iudicium, sed Dei*, vt etiam supra monui.

SEXTO Virtutibus cœlicis similentur, ob celerem, & virilem oppressorum liberationem. Hi enim Angeli sunt, qui tenentur dæmones coercere, vt Tob.8. *Apprehendit Raphael dæmonium*, & Dan. 6. *Misit Deus Angelum suum, & conclusit ora Leonum.* Sunt enim aliqui potentes, crudeles, vt dæmones, innocentium oppressores. Ideò dicitur Prouerb. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem*: & Iob 29. *Eò quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non erat adiutor, conterebam molas iniqui, & de faucibus eius eruebam.* Veluti *primo, Reg.*17. dicitur Dauid eruisse oues, & agnos è faucibus Leonis, & Vrsi. Sic præcipit Deus, Isa. 1. *Iudicate pupillo, subuenite oppresso*, &c. 105

TANDEM Virtutibus similes esse debent Angelicis, quæ miraculis patrandis destinentur, restituendo oculos cæcis, pedes detruncatos, &c. Sic enim & Iudices bona iniquè ablata, famæ, corporis, fortunæ, debent restituenda curare virtiliter, & læsores iniquos ad satisfactionem compellere, & hoc figuratur facto Dauid; *Omnia, quæ tulerant Amalechitæ, nec defuit quidquam de spoliis, sed omnia quæcunque rapuerant, retulit, & reduxit.* Et 2. Reg.12. *Ouem* (decreuit) *reddet in quadruplum*, & 3. Reg.3. Salomon captum infantem matri reddidit. 106

PERGIT eleganter Potestatibus Principes, & Reges assimilare. Sunt autem Potestates Angeli, quorum speciali potentiâ adnersæ potestates coercentur, ne tantùm lædant, quantum vellent. Ait autem S. Dionysius *de cœlestibus Potestatibus*, cap. 8. de cœlesti Hiet. *Sanctarum Potestatum cognominatio docet potestatem, & benè ornatam, & inconfusam circa diuinas susceptiones ordinationem, non tyrannicè inferiora virtute potestatiua præcipitantem, sed potenter in diuina reducentem, & ad potentificam causalem potentiam, quantum fas est, assimilantem, & ad Deum, qui princeps est omnis potestatis, secundùm hierarchiam dispositionem inferiora conuertentem, diuinam, & lucentem potentiam in inferioribus resplendere facientem, &c.* 107

Vnde Angeli illius ordinis tefiænant, & coercent omnes, hierarchicam prælationis, & subiectionis ordinationem impedientes. Vnde prælationis potestatem à subditis contemni non permittunt, & subditos violenter opprimi non sinunt. In his omnibus Principes debent cœlestes Potestates imitari, vt sapienter regant, ordinatè viuant, & potenter malum comprimant, & vindicent, innocentibus parcant, & iniuriam fieri personis miseris non permittant. 108

ITAQVE similes erunt Potestatibus, quis amore Iustitiæ animati, omnem malitiam in teprobis vlciscuntur, & perturbatores pacis persequuntur, sicut dicitur *Machab.*3. de Iuda. Vide Seraphicum linguâ Angelica percutientem cætera. 109

ITERVM, atque iterum, hunc discursum resumens *par.* 4. *de Ecclesiastica Hier. cap.*3. Iudices terræ cœlis assimilat. Cœlis ideò etiam primi Ecclesiæ iudices Apostoli assimilati fuere *Psal.*18. & sic Psal.21. *Annunciabunt cœli iustitiam eius.* Sanè nequeunt impij iustitias Domini repræsentare; dicitur enim Psalm.49. *Peccatori autem dixit Deus; quare tu enarras iustitias meas?* Sed cœli, idest, viri cœlestes, quorum conuersatio in cœlis est. Ponam igitur parallelos inter Iudices, & cœlos.

ET primò quidem, Cœli sunt corpora adeò sincera, vt inter sapientes disputetur: an ex materia, & forma componantur quippe incorruptibiles; vbi 110

enim materia, ibi potentia ad nouas formas, atque adeo ad corruptionem. Sic Iudices esse debent adeò ab omni terrena concretione segregati, vt de iis dubitetur; an carne, & sanguine concreti sint, vt affectiones parentum, vel amicorum non sentiant, ac dici queant, veluti: *Rex Salem Melchisedech sine patre, sine matre, sine genealogia*, sic enim incorruptibiles à muneribus, à precibus, & à terroribus esse debent.

111 DEINDE, Cœli sunt substantiæ subtilissimæ, diaphani, transmittentes lumen, quo perfunduntur. Ità & Iudices esse debent integritate, puritate, ac innocentia, adeo præcellenti, effulgentes, vt lumen cœleste transfundant mundo præclaris vitæ exemplis.

112 TENVIS substantiæ, ac fluidæ, sunt cœli, iuxta Seraphici, ac Recentiorum Astronomorum sententiam, ita tamen in suo loco in orbem Mathematicè consistentes, ac si *are firmissimè solidati*, vel vt legit Eugubinus: *ut speculum*, sic & Iudices fragilis quidem naturæ, attamen firmissimè in sphærica perfectissima figura consistentes, ità vt circa medium æquitatis absque deuiatione sistant, ac velut specu-lum sint iustitiæ, aliarumque virtutum.

MOVENTVR Cœli super centrum mundi per lineam Æquatoris ab oriente, in occasum motu regulari, spatio 24. horarum, diemque, ac noctem reddunt; ac secum stellas omnes rapiunt, & sanè errantes, ac deuias, vi ab erroribus vindicant ad occidentem, quæ interim repressæ strident, quasi sua peccata gementes. Sic & Iudices super Æquatorem iustitiæ commutatiuæ præmia bonis, & pœnas impiis reddendo velocissimè eos rapiant, corrigendo errantes, etiam vsque ad occidendum.

113 MOTV Eccentro inæquali super Arietis, & Libræ puncta cientur cœli ab Occidente Secundum successionem signorum, vt distribuant, veluti Geometrica proportione, lumina, influxus variis regionibus, atque virtutem, bonaque distributione proportionali dispertiantur: Præcipuè verò Sol ad omnium regionum conseruationem inter Tropicos flectendo temporibus debitis ad Aquilonem per signa Borealia, & ad Austrum per Antarctica, vt nulla regio conqueri possit, portionem luminis, & influxuum sibi esse denegatam, quod fieret, si super Æquatorem tantùm moueretur.

114 SIC & iudices non modò commutatiuâ Iustitiâ debent præmia, pœnasque rependere, sed etiam Distributiua super Libram Iustitiæ, vbi iterum fit Æquinoctium, seruata tamen etiam commutatiua, fortesque super Arietem mansuetæ elementiæ tenentur bona Reipublicæ proportione Geometrica computatis singulorum Reipublicæ membrorum necessitatibus, ac meritis partiri; vt nullus meritò conqueri queat, se rigida in hyeme nudum desertum, vel torrida æstate, egestate adustum, sed omnes floribus, & fructibus Reipublicæ vtantur, Imitantes Solem Iustitiæ CHRISTVM.

115 MOVETVR Firmamentum trepidando super Cardines Arietis, & Libræ, ità Iudices debent timere, nè nimium declinent; & ideò immobiles super polos Iustitiæ, & misericordiæ consistant. Sic enim eis indicitur: *& nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore; apprehendite disciplinam ne pereatis à via iusta.* Psalm. 2.

116 TARDISSIMA mouetur eccentrum Solis, vnum singulis annorum centuriis gradum percurrens, ad normam Christallini, annum magnum peragens. Sic ad motus irregulares debent esse pondera-tissimi Iudices, nec passum gradi, nisi agnita perspicuè, à qua creantur, veritate.

LVNA, terræ vicinior, magna immeritò apparens, octo motibus inter cœteros Errantes deuiat. Sic rebus terrenis magis propinqui in regendo, magis in iudiciis, & gubernationibus aberrant, atque adeò terrenis fœcibus conspergantur. Tale spectet oculis nostris Ottomanum imperium, ingens barbarorum Chaos, vbi crudelitatem pro seueritate, dissolutionem, loco misericordiæ, obtinent; ideò etiam maculosum, Eclipsibus terrenis obnoxium, sæpe terræ vmbram ingrediens, obscuratur abominatione, luxuria, rapinis, oppressionibus. Aspera apparet Luna, atque rugosa, montibus, & vallibus plena caoemosis; sic imperium illud sordidum, maculis, & rugis deforme, terrenis fœcibus confœdatum, sapientibus apparet oculis grande, sed intellectibus peritissimis abiectissimum.

NON longè abest Mercurius Afer, dolosis Mercaturis, & nauigationibus pyrsticis intentus; Qui tamen potest Ottomano prædominanti id dicere, quod Pyrata ille Alexandro, vel, secundum aliquos, Pompeio: *Tu me indicas vnius cymba raptorem, nec te vides mundi ereptorem.* 117

Prope adest effeminatum Veneris regnum in Assyria.

Mox adoratum apud Persas Solis corpus.

HINC bellicosus Thracium, & Græcorum Mars; Cretensium Iupiter; Saturnus Orientalium, aurei, vt fabulantur, sæculi. Hi omnes errantes, tandem Iustitia Dei corriguntur. Hæc insignia deducta sunt ex Bucellio in fine, & ex Cassanæo *p.p. Cathologi gloria mundi.*

ERIGAMVS ad solidum Firmamentum oculos, 118
& Regum, ac Principum etiam Christianorum Icones, ac stemmata exponamus, vt inde Iustitiam edificant.

SVNT in Circulo vitæ Zodiaco, Lotaringiæ Aquarius; Pisces, Reges Seiciliæ. Aries Argonautarum. Taurus Ægyptiorum, & Carthaginensium; Taurus Mechebel, atque Taurini Sabaudiæ Gemini; Cancer Gambarorum; Venetus Leo; Virgo fulgida aurei potissimi Galliarum Regis, ornataque liliis Libra. Scorpius Indorum; Sagittarius Schytarum, atque Persarum. Leo Angliæ, Hiberniæ Lyra.

Adsunt Aquilæ Austriæ, in climate materno Boreali Coronæ, Noruegiæ Dracones Romani, Sueuorum Vrsæ; Lupi, Equique Romulidum, Cruces Burgundiorum, & Æthiopum. Vide & alia plura Institiæ insignia apud Bucellium, & Cassanæum *parte prima de gloria mundi.* 119

QVÆSTIO IX.

Quo pacto illicitum sit iudicium priuatum de proximo.

D.Thom. art. 3.

POTISSIMA difficultas est de Iudicio, quo quis iudicat de alio malum; nam iudicare bonum, rarò, & non nisi per accidens, est culpa. 120

IGITVR suppono, iudicare aliquid iusta de causa, non esse peccatum. Id supponunt S. Bonauent. & S. Thom. & alij communiter, & probatur à S. Doctore ad 12. Ioan. illo: *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.*

QVÆNAM autem causa ad rectè iudicandum requiratur,

requiratur, Iudicio prudenti remittitur, vt adnotauit Soto *Lib.3. de Iustitia, quæst.4. art.3.* Valentia *disp.5. quæst.4. puncto 3.*

121 Assero igitur. Iudicare deliberatè malum, grauiter lædens famam alterius, absque iusta causa, est mortale.

Probatvr à SS. DD. primò ex illo Matth.7. *Nolite iudicare, vt non iudicemini.* Quod confirmant ex Beda ad eum locum, & D.Augustino *tract. 90. in Ioannem.*

Deinde id probat illo 4. primæ ad Corinth. *Nolite ante tempus iudicare.* Sic D. Thom. *art. 3.* & D.Bonauent. *p. p. Centil. sect. 10.* vbi obseruat, iudicium temerarium mensurari iuxta sententiam Saluatoris, Matth.7. *In quo Iudicio iudicaueritis, iudicabimini.* Vbi Glossa; *Si quem iudicaueris temerarie damnatione veniali, venialiter condemnaberis. Si damnatione mortali, mortaliter condemnaberis.* Hoc intelligendum, ait, sine præiudicio sententiæ aliorum; nam aliqui dicunt, non esse mortale, nisi grauiter lædat fa-
122 mam. Quare Valentia *loco adducto*, & Tanner. *disp.4. quæst.3. dub.2. num.18.* cum Aragonio, sicuti mortale putant de viro Religioso aliqua leuia iudicare, vt esse mendacem; Ità non putares mortale de Iuuene mundano, quòd mœchatus sit; de Milite, quòd iniustè occiderit, quia iudicium est malum graue, quatenus tollitur grauiter, seu læditur fama. E similibus (aiunt) isti non læduntur. Addit Valentia, etiam esse iudicium indebitum, & iniquum, temerarium iudicare de futuro, v. g. *iste periturus est*, quia ad Deum pertinet, qui fursan illum reum mutabit.

123 Probatvr secundò à S. Doctore *opusc. de profectu religiosi, Lib.2. cap.1.* illo Rom. 14. *Tu quis es, qui alienum seruum iudicas*, & Lucæ 6. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Iudicium autem temerarium definit, quando credo aliquid factum mala intentione, quod potuit & alia fieri intentione; vel cum iudicatur aliquis grauiter lapsus ex leuibus indiciis. Hoc enim est vsurpare scrutationem cordium, quæ Dei est propria, vt dicitur *Hierem.17.*

124 Eadem affert S.Doctor *ad 6. Luca* in ea verba allegata, vbi addit id Prouerb.17. *Et qui iustificat impium, & condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.*

Observat, iustificare impium, esse abominabile, non per se, sed per aliud, quando conferendus est cum alio in ordine ad aliquid Iustitiæ, puta distributionis honorum, &c. & stabilitur, aut promouetur per illud iudicium æqualitas cum alio in bono famæ, & iusto impius præfertur, vel æquatur, vt adnotauit S. Doctor *allegatis locis*, & Valentia *puncto 5.* & Nauar. *commentar. in Rubric. de Indic. n.47.*

Assero secundò: Iudicare de aliquo, etiam
125 graue, ex leuibus indiciis, sed cum formidine, non est peccatum mortale. Ità S. Bonauent. *locis adductis*, & D. Thomas *art. 3.* Syluest. *verbo Iudicium, quæst.4.* Caietanus *dicto Art.3.* Nauar. *loco cit. num.49. & sequentibus.* Ità etiam Tanner. *loco cit. num.20.* qui leuia indicia ea esse dicit, quibus vir prudens non moueatur ad id iudicium. Ità etiam Soto, Valentia, Aragonius, & alij.

126 Probatvr à S. Doctore, quia non læditur grauiter proximus.

Observat autem *loco cit. Centil.* Iudicium suspicionis esse triplex. Primum suspicionis violentæ, quando nulla, vel pauca apparent signa boni, sed omnia mali, & hoc non est peccatum. Secundum temeritatis; quando multa boni; pauca mali; & est veniale graue. Tertium, quando multa mali, pauca verò sunt signa boni; & hoc est veniale leuius.

Advertit etiam *loco cit. de profectu religiosi*, 127
aliquando confundi timorem cum suspicione, cum tamen differant: Timor enim est ad cautionem, vt cùm non suspicans malum de aliquo, ad cautionem claudo Monasterium.

Addit Valentia, tale iudicium cum formidine posse esse, ratione personæ, mortale; vt si grauissimum malum de honestissimo viro, etiam cum formidine, iudices, vt incestum cum matre, vel sorore.

Advertit etiam *punct.4.* posse aliquem dubi- 128
tare, in ancipiti stando; tale autem dubium potest esse peccatum, etiamsi tantùm veniale, quando leuiter fundatus inter vtrumque pendeo, ità, vt non inclinem ad bonum iudicandum. Addit verò cum Soto *loco cit.* posse esse mortale ratione personæ præclarissimæ, vt si quis anceps sit de B.Ioanne Baptista, an esset sanctus, an peccaret mortaliter, &c.

Addit vero S. Doctor, huiusmodi cogitationes magis conuenire Prælato, qui potest ratione gubernationis anceps esse, vel dubitare prudenter, similiter & eum, qui desuper illuminatur, de quo ait Apostolus: *Spiritualis homo omnia iudicat*; non autem esse verum de Spiritualonibus istis, qui quasi Catones vbique nasum figunt, & zelo cydonio iudicant, dic potiùs coronico.

QVÆSTIO X.

An Distributiua IVSTITIA *à Commutatiua differat specie.*

Differentia Iustitiæ distributiuæ, & Com- 129
mutatiuæ ab obiecto accipitur. Vtramque verò distinxi, & explicui *p. p. Tract. 1. disp.19. quæst.1.* Distributiua igitur constituit æqualitatem inter particulares, diuidendo inter eos bona Communitaria æqualiter, secundùm proportionem Geometricam, considerata personarum dignitate, ità nimirum, vt eadem proportione Geometrica (vt dupla, v. g. vel sesquialtera, &c.) quâ dignitas vnius est maior dignitate alterius; plus etiam obtineat de bonis communibus. Iustitia verò Commutatiua constituit æqualitatem inter particulares, dando, vel accipiendo æquale secundùm proportionem Arithmeticam, qualis est, v. g. inter quinque, & quinque.

Sic igitur Iustitia distributiua habet pro obiecto 130
formali medium inter excessum, & defectum, secundùm proportionem Geometricam, sicut quintuplum, v. g. est medium inter sextuplum, & quadruplum; & ideò ei, qui dignitate alterum excedit, v. g. quintuplo, distribui debet de bonis communibus quintuplo plus, quàm illi alteri. Iustitia verò Commutatiua habet pro obiecto formali medium inter excessum, & defectum, secundùm proportionem Arithmeticam; sicut quinque sunt medium inter sex & quatuor; & ideò, qui ex duobus, habentibus quinque, accepit vnum ab altero, debet illi restituere vnum, ne ipse habeat sex, & alter quatuor, sed vterque quinque, quæ sunt medium. Tradit hanc definitionem Aristoteles *5. Eth.cap.3. & 4.* ab omnibus receptus. Neque 131
necesse est, hanc doctrinam speculationibus Geometricis & Arithmeticis disceptare, quia rem moralem magis obscurarent, vt monet Gregorius de Valentia *disp.5. quæst.5. puncto prima.*

Advertit autem, quod per Distributiuam 132
constituitur æqualitas, secundùm habitudinem Communitatis ad suas partes, & eo ipso constituitur æqualitas

litas etiam inter ipsas Communitatis partes, atque in hoc vltimo ait consistere rationem formalem Distributiuæ; nam inter has est æqualitas quintupla, v.g. ad quintuplum, quadrupla ad quadruplum, quæ est æqualitas simpliciter, & propriè, qualis esse debet in Iustitia propria, & hoc docet Aristoteles 5. *Eth. capite* 2. Ex quo fit, vt hæc Iustitia, non solùm fit in Dispensatore communitatis, sed etiam in membris communitatis, recipere valentibus hanc æqualitatem; possunt enim eam velle.

Assero, has duas Iustitias esse specie distinctas. Ita Aristoteles *loco cit.* & communiter.

133 Probatur. Illæ virtutes differunt specie, quarum actus ex ratione formali sui obiecti habent diuersam, tum laudem, tum difficultatem: Tales sunt actus Commutatiuæ, & Distributiuæ Iustitiæ: Ergo. Minor, quò ad laudem, patet; Quò ad difficultatem verò probatur, quia per Commutatiuam datur alteri id, quod est verè eius; per Distributiuam verò datur id, quod est tanquam suum, quatenus id, quod est totius communitatis, est etiam partium; facilius est autem dare alteri id, quod suum est absolutè, quàm id, quod altero modo est quodammodo suum.

134 Ex quibus patet ad argumentum Buridani 5. *Eth. quæst.* 7. vbi contendit probare, non esse distinctas specie, quia ambæ seruant æqualitatem. Iam enim vidimus, diuersam esse vtriusque æqualitatem. Reliqua vide in Valentia *loco cit.* & Mastrio *disp.* 7. *num.* 179.

135 Porrò materia Distributiuæ, & Commutatiuæ sunt res ipsæ, quæ commutantur, vel distribuuntur; materia verò proxima Commutatiuæ sunt commutationes, siue voluntariæ, vt Emptio, Venditio, Mutatio, Sponsio, Vsura, Depositio, Conductio, vt ait Aristoteles 5. *Eth. cap.* 2. Vel secundùm D. Thom. *art.* 3. Emptio, aut Venditio, quæ est permutatio rei cum pecunia; Vsusfructus, cùm quis concedit gratis fructificantis rei vsum, cum debito reddendi eandem rem: Accomodatum, cùm gratis conceditur vsus rei non fructificantis, cum debito reddendi eandem rem numero: Mutuum, cùm conceditur item gratis vsus rei non fructificantis, cum debito reddendi eandem speciè, non numero: Locatio, &

136 Conductio, cùm conceditur pro pretio vsus rei, cum debito eandem reddendi: Depositum, cùm conceditor res, vt conseruetur, & postea reddatur, Impignoratio, cùm conceditor res ad firmandam obligationem satisfaciendi, vt scilicet, si non satisfaciat, retineri possit: Fideiussio, cùm quis simpliciter se obligat ad satisfaciendum pro altero. Adde Cambium, Societatem, & alia infrà edisserenda.

137 Aliæ sunt Commutationes Inuoluntariæ, è quibus aliæ sunt clandestinæ, vt furtum, Adulterium, Veneficium, Lenocinium, Seruorum seductio, dolosè perpetratum Homicidium, & falsa testificatio. Aliæ violentæ, vt flagellatio, Vincula, Mors, Rapina, Mutilatio, Conuitiatio, Contumeliæ illatio. Vide S. Thomam.

138 Materia autem proxima Distributiuæ sunt distributiones bonorum omnium Reipublicæ, prouentuum, honorum, &c. Imò & onerum, quæ debent distribui, iuxta distributionem, etiam bonorum, honorumque. Vide eundem D. Thomam.

139 Videtur ex dictis sequi, Commutatiuam non obseruare æquitatem Geometricam, alioqui species confunderentur, vt aiunt Vasquez, & Turrianos: Attamen Suarez, Card. Lugo, Poncius ad Mastrium *n.* 181. id asserunt tunc, quando aliquis, ob contractus, debet multis, & decoxit; ideòque nequit omnibus æquè satisfacere, tunc debet omnibus satisfacere, iuxta proportionem; vt si vnus sic creditor centum aureorum; alter ducentum, huic dentur 150. illi verò raotùm quinquaginta. Sic ex Commutatiua soluet, & seruabitur proportio Geometrica.

Neque tamen ob id illas æquitates confundi, ait Mastrius, quia in Commutatiua exigitur quantitatis, æqualitatis, & insuper proportionis æquitas; in Distributiua verò, sola proportionis.

Amicus tamen *disp.* 11. *sect.* 54. ob id negat, eas specie distingui. 140

Colliga etiam, Commutatiuam esse genus subalternum in species diuisum, vt suprà retuli; est enim in singulis ferè diuersum ius, vt ait Mastrius *num.* 184. diuersum est enim ius ad bona famæ, vitæ, fortunæ, &c. vt ait etiam Amicus.

Colligit etiam Cardinalis Lugo *disput.* 5. *num.* 43. de Iustitia distributiua, quod in quolibet actu plures respiciat comparatos, vt proportio seruetur. 141

Id tamen negant Suarez *disp. de Iustitia, sect.* 5. Poncius, & Mastrius, quia potest Episcopus conferre beneficium alicui absque collatione cum aliis.

Sed hæc ratio friuola est; nam vt seruetur Distributiua, oportet vt dignior eligatur, iuxta decretum Sancti Concilij Tridentini; hæc autem supponit comparationem, saltem confusam, aut aliquam distinctam cum nonnullis; alioqui, si id præstat nil cogitando: non aget ad normam Distributiuæ Iustitiæ. 142



DISPVTATIO XXIV.

De Restitutione.

Inter species Iustitiæ, suprà enumeratas, nulla grauior est, aut vrgentior, quàm Restitutio; quæ graues idcircò patitur difficultates: Aliena enim surripere, suæ indigentiæ conscia auiditas non fastidit; restituere verò potius ex fastu, quàm ex inopia plerumque refugit; cùm non tam sit ablati redditio, quàm patrati criminis publica velut confessio: Verum tamen illatam iniuriam, siue ablatam rem ea est recompensandi obligatio; vt fidentissimè dixerit D. Augustinus *epist.* 54. *ad Macedonium*, etiam suadentem non restituere, siue etiam non compellentem (modò penes ipsum sit compellendi munus) socium esse criminis, & fraudis, ac pari & pœnæ, & culpæ vinculo obstrictum iri; & quantumuis à culpâ absolua tactâ pœnitentiâ; nunquam tamen à pœna soluendi, aliud, præter soluendi impossibilitatem, eximet. Nam vt ait *ibidem* paulo infra S. Augustinus: *pro nullo interveniendum est, vt quod scelere abstulit, sceleris impunitate possideat; sed, vt remissâ iniuriâ, quod iniuriosè abstulit, reddas, si tamen habet quod abstulit, vel aliud vndè illud restituat*; de hac igitur restitutione pro solita breuitate *hic* agendum est.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Quid sit RESTITVTIO.

{ D.Thom. quæst.62. art.1.

1 RESTITVTIO, vt colligitur ex D.Bonau. *in 4. dist.15. quæst. vltima.* est actus Iustitiæ Commutatiuæ, quo secundùm æqualitatem rei ad rem redditur alteri, quod ab eo, vel volente, vel inuito, est acceptum. Ità etiam D.Thom. hîc, & alij apud Valentiam *disp.5. quæst. 6. puncto 1.* Caspensem *disp. 1. sectione 1. de Restit.* Magis tamen propriè est quando redditur id, quod iniquè est ablatum, vt notat Tanner. *disp.4. quæst.6. dub.1.* cum Bannes *quæst.62. art.1.* & aliis.

2 OBSERVAT verò Caspensis ex D. Bonauent. *loco cit.* & *Lib.6. Compend. Theol. cap.29.* Restitutionem differre à Satisfactione, tanquam inferius à superiori, quia omnis restitutio est satisfactio, non tamen omnis satisfactio est restitutio, qui enim satisfacit pro se, non dicitur restituere. Itaque Restitutio est redditio accepti, & spectat ad Commutatiuam: Satisfactio verò est assumptio alicuius molestiæ ob illatam alteri offensam, & spectat ad Vindicatiuam.

3 PRÆTEREA Satisfactio pro peccatis, si sit ex opere operantis, debet esse ab homine, existente in gratia: Restitutio autem potest impleri ab homine, existente in peccato mortali. Satisfactio etiam potest esse pars Sacramenti Pœnitentiæ: Restitutio verò nequaquam. Tandem Satisfactio est ad arbitrium boni viri: Restitutio verò per se debet fieri ad æqualitatem. Porro Restitutionem esse actum Iustitiæ Commutatiuæ omnes aiunt.

QVÆSTIO II.

An sit necessaria RESTITVTIO *ad salutem.*

{ D.Thom. art.2.

4 VVLGATVM est illud D. Augustini epist. 44. *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Et cap. vlt. de Iniustitiis: *Si tuà culpà damnum datum est, iure satisfacere teneris.* Ex quo habes, esse præceptum restituere, vt docet S. Doctor *in 4. dist.15. quæst. vltima.* Non est autem necessaria vt medium, nam sæpe excusamur à restitutione ob impotentiam, & tamen adhuc possumus saluari, vt ostendam ex D.Augustino; media autem, etiam sine culpa omissa, impediunt salutem.

EST autem difficultas: An hoc præceptum sit negatiuum.

5 OBSERVA, ad dignoscendum; An Præceptum sit affirmatiuum, vel negatiuum, oportere attendere materiam, quæ præcipitur, non modum quo enunciatur; nam si materia, seu obiectum sit aliquid vetitum, erit negatiuum; si verò aliquid iussum, erit positiuum.

ASSERO, esse negatiuum in substantia, licèt in forma verborum sit affirmatiuum: *Restitue non tuum*, idest, *non retineas alienum*: Ità conciliantur Doctores, qui videntur contrarij apud Tanner. *disp.4. quæst.6. num.8.* Bassæus *num.4.*

PROBATVR enim exprimi positiuè præceptum hoc graue, illo Matth.22. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Et Rom.13. *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* Quæ prosequitur S.Doctor *in Confessionali, cap.4. partic.2.* 6

PROBATVR deinde à S. Doctore *loco cit.* & *in speculo, cap.2. ad finem*, luculento S.Augustini testimonio *epist. 54. ad macedonium*, quod refertur *in Regula Peccatum, de regulis Iuris, in 6.* & *in cap.cùm tua, extra de vsuris*, & *in Decretis 14 quæst.6. can.1.* Cùm enim Macedonius *epistola, præcedenti 53.* quæ est ad Augustinum scripsisset, quosdam etiam sceleris pœnam cupere sibi relaxari, & id, propter quod admissum est scelus, possidere. Respondens S. Augustinus, ait: *Pessimum hominum genus commemoras, cui* 7 *pœnitendi medicina omnis non prodest. Si enim res aliena, propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: Si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum, sed vt dixi, cùm restitui potest. Plerumque enim, qui aufert, amittit, siue alios patiendo males, siue ipse male viuendo; neque aliud habet, vnde restituat. Huic certè non possumus dicere: Redde quod abstulisti, nisi cùm habere credimus, & negare.* Ex hoc testimonio S.Augustini colligunt D.Thom. *loco cit.* & Discipuli, præcipuè Tanner. *disp.4 quæst.6. num.7.* restitutionem non esse necessariam necessitate medij, quia apponitur conditio; *si potest.*

QVOD verò dicat Præceptum negatiuum, probatur à Valentia argumento S. Bonauent, *loco citato*, quia obligat pro semper ad non retinendum rem alienam in iniuriam Domini, & iniustus detentor semper est in mora iniqua, peccans actu, vt ait S.Doctor *loco cit.* & ostendi *prima secunda.* 8

RESPONDET Bassæus, non obligare ad semper, v.g. in necessitate. At tunc res sunt communes; ideò non est iniquus detentor, atque adeò non est subiectum restitutionis.

OBIICIES. Si debitor peccat non restituendo, debet creditor cedere, ne debitor damnetur; est enim præferenda salus animæ diuitiis.

LABORANT Adrianus *de restit.* Sotus *Lib. 4. de Iustitia, quæst.6. art.2* & Valentia *disp.5. quæst.6. puncto 1.* Sed facilè respondeo ex D.Bonauent. *in 3. dist.29. quæst. vltima.* Ordinem Charitatis inter mea bona, & proximi, exigere in proximo necessitatem, quæ sanè non reperitur in eo, qui potest, & non vult restituere. Non teneor autem eius malæ voluntati suffragari; non enim Charitas agit perperam. 9

QVÆSTIO III.

Quis RESTITVERE *teneatur.*

{ D.Thom. art.6. & 7.

QVÆDAM regulæ traduntur à Doctoribus, vt agnoscatur id, quod quæritur. Triplici ex capite oritur obligatio restituendi. Primò ratione solius acceptionis rei alienæ, etiamsi eam rem fortè amplius non habeas. Secundò ratione solius rei alienæ, quam apud te habeas, licèt eam fortè ab eius Domino non acceperis. Tertiò ratione vtriusque, scilicet acceptionis, & rei. Nomine rei intelligitur res, vel in se ipsa, vel vt manet in aliquo fructu, vel in pretio, vel in effectu, puta emolumento, ex quo ditior factus sis. 10

PER acceptionem intelligo, non illam quæ est

gratuita

gratuita, ſed quæ facta eſt in commerciis, puta venditionis, emptionis, &c. ſuprà relatis *in diſp. priori quæſt.* 10.

12 PROBATVR. Is tenetur reſtituere, qui eſt vera cauſa, vt aliquis minùs habeat, quàm debet, de rebus ſuis: Talis eſt is: Ergo. Ità Caietanus *verbo Reſtitutio*, Valentia *diſp.* 3. *quæſt.* 6. *puncto* 3. Tannerus *quæſt. citata*, Caſpenſis *diſp.* 1. *ſect.* 3. qui eas radices Reſtitutionis diſtinguit ex re, ex delicto, & ex contractu, & duas alias, quæ ad has reducuntur, addit. Prima eſt ex legis ſtatuto. Secunda ex voluntate, puta ex teſtamento. Si enim quis mihi legauit mille aureos, tenetur hæres eos mihi reddere. Ità etiam D. Bonauent. *in confeſſionali*, *cap.* 2. *particula* 6. *&* 15. & *cap.* 3. *part.* 44. & *cap.* 4. *particula* 2. vbi cum aliis Doctoribus ſub iniuſtæ acceptionis titulo claudit læſiones, vt incendia, dirutiones, &c. ſic & *in ſpeculo animæ*, *cap.* 2. & *de decem præceptis*, 7. & *in Diæta*, *tit.* 3. *cap.* 6.

13 CAVSAS acceptionis rei alienæ vltra executorem recenſent nouem communiter cum D. Thom. hîc, & D. Bonau. *in confeſſionali*, *cap.* 2. *particula* 19. his verſibus.

Iuſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus,
Mutus, Participans, Non obſtans, Non manifeſtans.

Ex his primæ ſex ſunt cauſæ poſitiuæ directæ; tres poſtremæ indirectæ, vt ait Tannerus *diſput.* 6. *quæſt.* 4. *dub.* 14. *num.* 392. cum SS. Doctoribus.

IVBENS, ſeu mandans tacitè vel expreſsè, eſt vera cauſa damni; ſi tamen mandatum reuocauit ante damnum, ſciente Mandatario, ille non tenetur reſtituere. Ità communiter apud Baſſæum, V. *Reſtitutio*, 3. §. 1.

14 CONSILIVM dans, vel hortans, rogans, inſtruens. Is ſi reuocet Conſilium, &c. non videtur ampliùs reſtitutioni ligatus; etſi alij dicant, non ſatis eſſe ſuadere, ſed exigi efficaciter amouere, vt refert Baſſæus §. 2.

Huc reducitur conſenſum dans, ſi eſt cauſa damni, puta ſuffragium præſtando ad bellum iniuſtum, & alia iniqua.

15 PALPO eſt laudans crimen, mouenſque, vel irridens, quaſi inertem æſtimandum, vnde ad vindictam velut Bubalus mouetur. Vide Leſſium *lib.* 2. *c.* 13. *num.* 25. Regin. *lib.* 10. *num.* 85. Petr. Nau. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 37. Azor 3. *part. lib.* 4. *cap.* 13. Filliucium *tract.* 32. *num.* 64. Syluium *cap. de Palpone*, Baſſæum §. 4.

RECVRSVS ſignat Receptorem furis, &c. fouendo, tuendo ad damnum, vel retentionem rei alienæ. Sic Cauponarij recipientes pecunias, à filiis familias, vel ſeruis ſurreptas; Si tamen non recipiant vt furem, ſed vt amicum, &c. tunc Caupo non tenebitur reſtituere. Vide Bonacin. *de reſtit. diſput.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 2. Filliucium cit. *num.* 66. *&* 67. Baſſæum §. 5. Includit hic S. Doctor eos, qui fouent Iudæos in negotiationibus, meretrices, & luſores, in domibus, ad quas muſcipulas euolant adoleſcentes incauti, expilantes illos, quos furari fecerint, & eò pecunias, reſque multas pretioſas afferentes. Hi ſanguiſugæ ebibunt potiorem inſontium ſanguinis portionem.

16 PARTICIPANS mox vellicatos indicat, & quoſcunque cooperantes damno inferendo; Si tamen graui metu coageret, dando claues, tenendo ſcalam, videtur à reſtitutionis debito immunis, ſic videntur & immunes Ergaſti Turcarum, ad damna nobis inferenda coacti, ſed ad cædes non aſſentior, eos excuſare. Vide Suarez *tract.* 5. *diſp.* 21. *ſect.* 2.

HI, qui ſunt concauſæ ad idem damnum, puta incendium, tenentur in ſolidum, *l. Ita vulneratus, ff. ad Legem Aquiliam.*

DVBITATIO I.

An ſit vera cauſa damni is, ſine quo adue illud ſecutum eſſet.

17 MVLTI eum ſolum, vt veram Damni cauſam, reſtitutioni eſſe obnoxium aſſerunt, ſine quo damnum non fuiſſet. Innoc. *cap. ſicut dignum, extra de homic.* Hoſtien. *ibi*, Altiſſiodor. *lib.* 4. *tract. de Pænit. cap. de Reſtit. quæſt.* 3. Rich. 4. *diſt.* 15. *art.* 5. *quæſt.* 4. Sylueſt. V. *Reſtit.* 3. *quæſt.* 6. Adrian. 4. *quæſt.* 4. *de Reſtit.* §. *De concurrentibus cum fure*, Nau. *man. cap.* 7. *num.* 20. Caſpenſis *diſp.* 1. *ſect.* 9. §. 2. Baſſæus V. *Reſtit.* 3. *num.* 3. §. 2. Quia aliter ſunt cauſæ inefficaces.

18 OPPOSITVM cenſent Caietanus hîc, *art.* 7. Ioan. Medin. *quæſt.* 7. *de Reſtit.* Sotus *lib.* 4. *de iuſtit. quæſt.* 7. *art.* 3. Valentia *diſp.* 3. *quæſt.* 6. *puncto* 3. Ratio eſt, quia efficaciter operantur. Hoc ſenſit D. Bonauent. *in ſpec. animæ*, *cap.* 2. & Clarius *cap.* 1. § *Damnificatio*. Ideò Reſtitutioni obligat Aduocatum, qui tuetur iniuſtè Clientem, alioqui adhuc volentem iniuſtè hæreditatem, quam per alios inuaderet, ſi eam aliter non obtineret.

PROBATVR è S. Doctore. Ea eſt vera cauſa, qua poſita, ponitur effectus, vt ait S. Doctor, & alij. Si enim multi vellent occidere Petrum, nonne ſi vnus ſolus ipſum occideret, eſſet reus iniuſtitiæ, etiamſi ab aliis foret necandus? Vide Valentiam, & Caietanum.

DVBITATIO II.

De cauſis indirectis damni.

19 SEQVVNTVR alij tres, nempe *Mutus*. Dicitur autem is, qui debuit loqui ad impediendum damnum. Poteſt autem, vt teneatur vel ex officio, vt Prælatus, vel ex contractu. De quibus infrà dubitationes ponam.

SECVNDVS eſt, *Non obſtans*, cùm deberet, vt Princeps, Magiſtratus, & ſimiles.

TERTIVS *Non manifeſtans* damnificantem, cùm teneretur, vt teſtis in iudicio, cuſtodes vinearum, nemorum, &c. De his multa dubia aguntur.

20 TANNERVS *diſp.* 4. *quæſt.* 6. *dub.* 2. *num.* 72. tres exigit conditiones, vt hi teneantur reſtitutioni. Prima eſt, vt is teneretur procurare tale bonum, vel malum arcere ex debito Iuſtitiæ Commutatiuæ, aut Diſtributiuæ. Secunda eſt, vt teneretur procurare illi numero, qui damnificatus eſt, cuius cauſam agere deberet. Tertia eſt, vt deliberatè omiſſa ſit talis boni procuratio, vel cum culpa proportionata. Ex hac doctrina innumeri caſus reſoluuntur. Vide etiam Vaſquez *prim.* 2. *diſp.* 175. Leſſium *Lib.* 2. *cap.* 12. *diſput.* 10. *&* 18.

21 AN ergo is, qui eſt cauſa indirecta damni non impediendo, cùm poſſit, & debeat, teneatur ad reſtitutionem; multi aſſerunt vniuerſaliter. Ità Angelus, & Caietanus *ſumma*, *verbo Reſtitutio*, Richardus *in* 4. *diſt.* 15. *art.* 5. *quæſt.* 4. Valentia quoque *loco cit.* id probabile cenſet.

ALII tamen apud Valentiam dicunt, teneri ſolùm,

solùm, quando potuit, & debuit impedire ex iustitia; puta, quia erat Prætor, &c. Ità videtur D. Bonauentura *in speculo, cap. 1. verbo Damnificatio*, Syluester V. *Restitutio* 3. Adrianus *quarto, quæst. de Restitut.* Sotus *Lib. 4. de Iustitia, quæst. 7. art. 5.* Medina *quæst. 9. de rebus restitut.* Alensis 4. *part. quæst. 86. num 3. art. 4 §. 7.* Altissiodor *lib. 4. summa, tract. de pænitent. cap. de Restit.* & ferè Valentia; Bassæus *num.* 15. citans Petrum Nauar. *lib. 3. cap. 4. numero* 130. Lessius *lib. 2. cap. 13. dub.* 10. Bonacina *disput. 1. quæst. 2. punct. 11.* Azor 3. *part. lib. 4. cap. 17.* Filliucius *tract. 32. num. 75.* Syluius 2. 2. *quæst. 62. art. 4. quæsito 4. & art. 7.*

22 Quò ad custodem portarum nemorum, qui dissimulant asportationes, multi negant apud Dianam *part. 2. tract. 5. resol.* 54 eos teneri ad damna illata resarcienda.

Occvrrit alia quæstio: An Confessarius, & alij, quibus ex officio incumbit prohibere iniquas detentiones, teneantur Restitutioni, si omittant admonere, &c. Quò ad Confessarium affirmant *Summa Rosella, V. Restitutio* 2. §. 5. *Summa Angel. V. Restitutio, vltim.* §. 5. Nauar. *in manuali, cap. 17. num. 22.* & alij apud Valentiam *disput. 5. quæst. 6. puncto* 3. & Bonacinam *de restitut. disput. 1. quæst. 2. punct. 11.* Eandem sequitur Nungus *in addit. ad 3. part. Tom. 2. quæst. 8 art. 4. dub. 5.* Zanardus *in directorio confess. part. 2. præcepto 7. cap. 16. dub. 3.* Gabriel *in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 3.* Syluester V. *vsura. 7. quæsito* 2. aliique Neoterici apud Dianam *Tom. 1. Tract. 16. resol. 1.* Bassæus *num.* 8.

23 Contraria sententia est Bonacinæ, & aliorum apud eum, Filliucij *tom. 1. tract. 7. cap. 12. quæst. 7. num* 37. Lessij *Lib. 2. cap. 30. dub. 6.* Malderi 1. 2. *tract. 5. cap. 3. dub.* 24. Bartholomæi à S. Fausto *in spec. confess. disp. 4. quæst. 121. num. 7.* Ægid. Coninch. *de Sacram. disp. 8. dub. 17. num.* 144. Rebellij *de oblig. inst. part. 2. lib. 17. quæst. vlt. num. 12.* & *part. 1. Lib. 2. quæst. 14. sect. 8. num.* 65. Hæc limitat Diana, dummodo Confessarius non suadeat pœnitenti, vt non restituat. At vna est obligatio iniungendi restitutionem, & non dissuadendi. Id verò ità docent etiam Suarex *tom. 4. in 3. part. disput. 32. sect. 6.* & Rebellius *loco citato*, Caspensis *disp. 1. sect. 9. §. 1. num. 86.* Sanchez *Lib. 7. Decalogi, cap. 6.* Tanner. *disp. 4. quæst. 6. num. 75.* alios referens, Bassæus, V. *Restit.* 3. §. 7. *num.* 16. Crousers *ad cap. 7. Reg. Min. lib. 31.*

Sententia D. Bonauent. est, vt video,
24 hæc secunda; nam *in Confessionali, cap.* 4. vbi profitetur docere Confessarios ea, quæ tenentur facere, & quas pœnas incurrant omittendo, ait: Attendendum igitur, quod cùm sint tria genera pœnitentium, primis nulla potest iniungi pœnitentia vtilis ad salutem. Horum autem sunt sex genera. Primi raptores, Secundi vsurarij, Tertij incendiarij, Quarti fures, Quinti Simoniaci, Sexti dolosi circumuentores, vt sunt peruersi Iudices, Aduocati iniqui, testes falsi, negotiatores fraudulenti, & alij huiusmodi, quibus omnibus non potest alia iniungi pœnitentia, nisi illa Euangelica, Matth. 18. *Redde quod*
25 *debes*, & illa Apostolica, Rom. 13. *Reddito omnibus debita.* Et illud Ecclesiastici 4. *Redde debitum tuum.* Quod si hanc acceptare noluerit confitens, nulla alia iniungi potest, quæ valeat ad salutem; quia, vt dicit Augustinus epist. 54. ad Macedonium 14. quæst. 6. *Si res aliena, propter quam peccatum est, possit reddi, & non redditur, pœnitentia non agitur; non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Reliquos verò postea recenset mox *part.* 7. Damnat quidem confessarios, debitum omittentes; Nil autem de Restitutione illis imponit.

Probatvr, quia Restitutionis obligatiò oritur ex sola Iustitiæ virtute; At Confessarius non ex iustitia propria, sed è religione, tenetur admonere.

Ex allatis suprà conditionibus habentur aliæ 16
decisiones. Prima est, non teneri pecuniariam mulctam, iudici debitam, soluere ante sententiam, Reum, iniustè crimen in iudicio negantem. Ità Tanner. *num.* 76. cum Adriano *quodlib.* 6. Nauar. *manuali, cap. 18. num.* 49. Couaru. *in Epitome* 124. *part. 2. cap. 6. §. 8. num. 10.* Azor. *Lib. 5. cap. 8. quæsito* 5. Vasquez *prim. 2. disput. 175. cap. 5.* contra Sotum *Lib. 1. quæst. 6. art. 6.* Molina *Tract. primo, tract. 2. disp.* 95. Idem videtur de testibus, si falsum testentur. Sic Tanner. cum Sà V. *Restitutio*, & Azor. *loco citato.* Ratio est, quia non tenentur ex iustitia procurare bonum Iudicis, seu Fisci; Neque Fiscus aliquod ius ex iustitia commutatiua acquisiuit ad pecunias, ante sententiam.

Colligitvr secundò, tam Reum, quàm 27
testes, iniustè veritatem negantes, teneri restituere parti damnificatæ expensas, & alia damna, illata ob negatam veritatem. Sic ex communi docet Carbo *quæst.* 31. Sà *loco citato*, Sotus *Lib. 4. quæst. 7. art* 3. Medina *Cod. de restit, quæst.* 9. Tanner. *num.* 77. Tenebantur enim ex iustitia, non damnificare partem insontem; excusari tamen possunt, si grauia sibi è confessione damna immineant. Ità Tanner, cum Lessio, & Sà. Probabile imò censent, Molina nunquam teneri, *disput.* 83. Syluester V. *Testis*, Lessius *Lib. 2. cap. 30. dub.* 8. Vasquez loquens de Reo suprà *cap.* 2. Tanner. *num.* 79. Quia non ità liquidò constat, hos ex iustitia ad id teneri.

Colligitvr tertiò, Iudicem, in proferen- 28
da sententia negligentem, teneri restituere damna Reipublicæ, & partibus, sed etiam mulctam, quàm Fisco soluissent Rei, si ritè processisset. Quod pariter de Fiscali asserunt Syluester V. *Pœna, quæst.* 28, Salon *art. 7. controu.* 5. Carbo *quæst.* 31. qui dicit, esse communem sententiam, & quo ad Fiscalem consentit Vasquez. Ratio est, quia è iustitia ad id ex officio isti tenentur.

Contrarivm tamen, quò ad Iudicem de pœna pecuniaria, Fisco soluenda, censent Azor. *loco cit. ad* 4. Sà V. *Restitutio*; Vasquez *loco cit.* Lessius *Lib. 2. cap. 3. dub.* 10. quò ad Fiscalem, quos sequuntur alij apud Salonium.

Colligitvr quartò, Telonarios teneri ad 19
restitutionem neglecti vectigalis iusti; secus dic de mulcta pecuniaria, ad Fiscum peruentura, si eam procurare negligant. Idem Dic cum Bassæo de Custodibus rerum, & fructuum, è quibus datur aliquid Principi.

Colligitvr quintò, Custodes Syluarum, 30
Fluminum, &c. non teneri soluere mulctam, quæ ad Fiscum peruenisset, si transgressores ad Magistratum detulissent. Ità Syluester V. *Restit. 3. quæsit. 5. §. 7.* Bassæus *num.* 17. Lessius *lib. 2. cap. 13. dub.* 10. Tanner. *num.* 83. contra Carbonem, & Salonium. Ratio est, quia illorum officium ex iustitia non respicit bonum Fisci, sed securitatem, & defensionem boni publici. Excipe tributa, vt dixi, hinc excerpta.

Dvbitatio II.

An ille, qui ter; vel quater promisit restituere, & non restituit, sit absoluendus ante restitutionem.

31 Respondetvr cum D. Bonauent. *loco cit.* quem sequitur Fagundez *in septimum praeceptum Decalogi, cap. 14. num* 17. si debitum sit publicum, quale respicitur in vsurariis, & raptoribus Ecclesiarum, nunquam esse absoluendos, neque prima vice, antequam soluant, & dent cautionem; idque propter scandalum populi.

32 Apponit verò S. Doctor *cap. 3. particula* 54. Decretum Eugenij III. contra raptores Ecclesiarum, & habetur *extra de raptoribus*, vbi id decernit, dicens:

Statuimus, vt quicumque ex his, qui, violenter surrexerint in rapinam, siue in Ecclesiarum violatione manifestè deprehensus fuerit, nisi prius ablata restituat si poterit; vel emendandi firmam, & plenam fecerit securitatem, pænitentiæ beneficium ei penitus denegetur. Si verò vsque ad obitum in contumacia sua durauerit, & in extremis positus, remedium pænitentiæ humiliter postulauerit, si emendationem, vel emendandi securitatem præstiterit, ei pænitentia, & Ecclesiastica sepultura con-
33 *cedatur. Qui autem in sanitate obstinata mente non pænituerit; vel emendauerit, & in morte securitatem præstare nequiuerit, solemnitas pænitentiæ parum prodesse videtur, sicut credimus, sed de peccato contrito viaticum non denegetur, ità tamen, vt nullus clericorum sepulturæ illius intersit, nec eius eleemosynam recipere præsumat. Quod si qui presbyterorum, vel clericorum contra hæc in vita, vel in morte pænitentias dare, aut sepulturæ interesse, vel eorum eleemosynas accipere attentauerint, seu huiusmodi rapinæ participes inuenti fuerint; ordinis sui damnum irrecuperabiliter patiantur, & Ecclesiastico beneficio careant.* Hæc Canon.

34 Advertit autem S. Doctor ex Raymundo, hanc decretalem esse localem; nec pœnitenti suffragia publica sunt neganda; eius tamen hæredes, ad quos bona eius peruenerint, sunt ad satisfactionem compellendi, *extra de sepulturis, 5. Parum prodesse, appa quantum ad pœnam temporalem.*

Deinde, si Excommunicatio imposita sit non soluenti, vt dicitur imponendo *in Tridentino, sess. 25. cap. 12.* non soluendi Decimas, nec primò absoluendus est, nisi soluat, & si non potest, cautionem præbeat securitatis.

35 Addit tertiò, quod in casibus ordinarij ille, qui ter non exequutus est promissum, censetur ludere: potest tamen esse aliqua circumstantia personæ, loci, &c. vt Confessario, cui necessaria est prudentia, videri possit absoluendus. Ità etiam Sayrus in clau. reg. *lib. 10. tract 5. cap. 5. num. 26.* & alij apud eum.

Ex dictis habes, etiam eum, qui in vita non vult restituere, sed reseruat ad mortem id committere hæredibus, non esse absoluendum. Ità S. Doctor *loco citato*, & D. Thom. *quæst. 62. art. vltim.* Toletanus *in summa, lib. 5. cap. 24.* Nauarrus *Lib. 4. de restitut. cap. 12. num. 72.* Sotus *lib. 4. de Iustitia, quæst. 7. art. 4.* Syluester V. *restitut. 5. num. 7.* & alij, quibus subscribit Fagundez *loco citato, num. 19.* 36

Ratio. Fagundez est D. Bonauent. *in speculo animæ, cap. 2. & 4* & *in Confessionali, locis adductis*, quia qui iniustè retinet, semper est in actu ad soluendum debitor, & iniquus, si non soluit.

In nullo autem casu, si monere omittat Confessarius, tenetur ad restitutionem.

Dicas cum Nungo: tenetur ex iustitia admonere pœnitentem: Ergo id omittens, peccat contra iustitiam.

Respondet Diana, teneri ex iustitia, Sacramento pœnitentiæ debita à religione, quæ respicit pœnitentem in ordine ad spiritualem salutem, in qua deficit quidem omittens confessarius monere, sed non deest in aliqua obligatione iustitiæ, quæ respicit temporale bonum creditoris; Subscribit Valentia *disput. 5. quæst. 6. puncto 3.* Tannerus *quæst. cit.* Fateor in reliquis, vbi est obligatio propria iustitiæ, inueniri debitum restitutionis, puta in Prætore, Gubernatore, in Custodibus vincarum, &c. 37

Ex secundo capite, nempe rei alienæ, oritur restitutionis obligatio. 38

Aduertunt autem Valentia *loco citato*, & Caspensis *disput. 1. sect. 4.* rem, siue etiam bona fide possessam, cùm agnoscitur aliena, ad restitutionem teneri; nemo enim alterius iacturâ ditior fieri debet *ex regula 48 in 6. Lege Nam hoc natura, ff. de conditione indeb.*

Statuitur autem hæc regula generalis à Doctoribus: Quam diu durat res in propria specie, & substantia, debet ea restitui; si verò consumpta sit, restitui debet id in quo locupletior es factus, vel rem tuam seruasti, puta cibos, vestes, &c.

Dvbitant verò: An qui bona fide à fure emit rem furatam, & eandem alij reuendit; huic emptori teneatur reddere pretium; Et negatiuè respondent Lessius *Lib. 2. cap. 14. dub. 5.* Rebellius *part. 1. lib. 2. quæst. 3.* Caspensis *loco cit. num. 31.* Caietanus V. *Restitutio.* Nauar. *in manuali, cap. 17. num. 7.* 39

Opposita sententia est Valentiæ *puncto 3.* Soti *lib. 4. de Iustitia, quæst. 7. art. 2.* talem teneri restituere tertio emptori pretium, in caso quidem, quo emptor sciat, aut cognituros videatur, rem esse alienam. Nam si non videatur id sciturus, neque compareat, non est opus illi quidquam restituere, cùm nullum ei immineat alioqui damnum.

Mihi ad mentem D. Bonauenturæ *in speculo animæ, cap. 2.* videtur magis prior opinio; nam solas emptiones, & venditiones malæ fidei videtur cogere ad restitutionem; sed manet apud furem obligatio. 40

Ratio est, quia pretium, quod solum videtur Restitutioni obnoxium, non est commutatum cum re formaliter, sed cum pretio, à me dato illi primo, à quo emi, atque adeo obligatio adhuc remanet apud primum venditorem.

ADDO verò, cum D. Bonauent. *loco citato*, Caspensi, *num*.61. & aliis, rem debere esse grauem, vt restitutionem exigat. Sanchez *lib*. 2. *cap*.23.*num*.160. Azor 3. *part. lib*.4. *cap*.8. Filliucius *tract*. 35. *num*.31. Lessius *lib*.2. *cap*.7, *num*.24. Syluius *quæst*.62. *art*.4.

41 POTEST verò oriri debitum restitutionis ea re, accepta contractu, seu acceptione iusta rei, quæ debetur alteri, & ideò in his magis videtur oriri ea re ipsa; similiter ea re, & iniusta acceptione, veluti cùm res adhuc est apud furem, in quo est maior obligatio; nam in his casibus acceptionis iniquæ, ea quibus non transfertur dominium, sicuti in furto, rapina, &c. semper est detentor in mora, & peccat mortaliter detinendo, licèt pœniteat accepisse; si tamen adsit restituendi possibilitas, atque opportunitas. Vnde S. Augustinus epistola 54. *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* In his autem, in quibus dominium transit in accipientem, sicut in venditione, mutuo, &c. non est quis in mora, nisi secundùm conditiones appositas, vt differit S. Bonauent. *loco cit. speculi*.

42 SVNT quidem & contractus, in quibus non transfertur dominium, vt Commodatio, Precatium, Locatum, Depositum, & Pignus, vt diai *disputatione praced. quæstione* 10.

Oportet scire, è contractibus aliquos referri in vtilitatem solius accipientis, vt mutuum, donatio, commendatum, & precarium. Alij respiciunt vtilitatem solius dantis, vt depositum, & mandatum. Alij respiciunt vtriusque contrahentis vtilitatem, vt venditio, locatio, & pignus similiter, & depositum, quando aliqua merces datur ratione custodiæ.

43 QVÆRITVR autem; quando tenetur aliquis ad restitutionem ea contractu pereunte re; potest autem perire res, vel casu, vel dolo, vel negligentiâ.

CERTVM est primò, ea nullo iure oriri obligationem è contractu restituendi, quando res solo casu fortuito perit (nisi in contractu id includatur:) sic enim Iure Canonico *cap. vltimo de commodato*, & *cap*.2. *de deposito*, & in Iure Ciuili *L*. 17. *ff. de reg. iuris*; & *Leg*. 18. *ff. commodati*, & *Leg*. 22. *Cod. de negotiis gestis*. Ratio est, quia, si aliter non explicetur in contractu, tenentur contrahentes solùm ad id, quod est in eorum potestate, quales non sunt casus fortuiti. Posse tamen includi in contractibus asserunt Iura allegata. Similiter ea alio capite potest hæc oriri obligatio, quando, v.g. aliquis fuit in mora restitutionis, vel vsu illicito, puta, si argentum commodatum portet in nauim, ad cœnandum in Lacu, & ob eas caosas pereat.

44 CERTVM est etiam, si res pereat ex dolo, aut lata, seu graui culpa, teneri ad restitutionem: Patet ea iure Canonico, & Ciuili allatis.

SIMILITER quando contractus liberè reuocari potest ab illo, qui liberè suam rem alteri tradit, tunc qui rem alienam habet, tenetur ad restitutionem solùm in dolo, & lata culpa, quæ est grauis. Probatur *ex Lege* 23.*ff. de reg. Iuris*, vbi Iurisconsultus ait: *Contractus quidam dolum tantùm recipiunt, scilicet Depositum, & Precarium.*

45 QVANDO verò contractus non potest reuocari, si respicit vtilitatem vtriusque contrahentis, accipientem obligat de culpa graui, & leui; si autem sit in vtilitatem solius accipientis, obligat eum, etiam de culpa leuissima. Probatur *ex cap*.1. *de commodo*, & Iur. ciuil. *Leg*. 5. & 18. *ff. commodati*, & *Leg*. 1. *ff. de obligationibus*.

QVÆSTIO IV.

Cui RESTITVTIO *facienda sit*.

< D.Thom. art.5.

CONVENIVNT omnes, illi restituendum, à quo res accepta est: Positis tamen quatuor conditionibus. 46

PRIMA est, vt is, à quo accepta sit, habeat ad rem ius, vel vt Dominus, vel vt dispensator, aut custos.

SECVNDA, dummodo inde damnum ei, à quo accepta est, neque alij sit obuenturum, puta, vt dissipaturus rem illam, vel ea vsurus ad crimen.

TERTIA, si datio non fuit per se iniusta, vt in Simoniaco; si tamen coniuncta fuerit ex origine cum peccato extero, puta, quia est pretium fornicationis, nil obest. Tamen etiam Simoniaco posse restitui ait Caspensis *sect*.1. antequam à iudice feratur sententia contra eum. Ità & Nauar. *Lib*. 4. *de restit. cap*.2.

QVARTA, vt fiat restitutio ei, à quo accepit, vel per se, vel per alium. Vide Valentia *puncto* 4.

HIC occurrit quæstio: An res aliena, accepta à fure, debeat semper vero Domino restitui: Ratio dubij est, quia potest ab eo accepta fuisse bona fide: Ergo ei reddenda, & excutiendum pretium datum; & ita sentiunt Alens. 4. *part. quæst*.86. *memb*.3. *art* 5. Summa Angl. V. *Restitutio*, Gabriel 4. *dist*.15.*quæst*.3. *dub*.5. Nauar. *Manuali*, *cap*.17. *num*.9. Valentia *loco cit.* dummodo ei reddatur ad redimendum suum pretium, non vt fur eam retineat. Hæc mihi vera videtur contra aliquos apud Valentiam *loco cit.* & Fagundez *in septimum præceptum*, *Lib*.7. *cap*.10. Ratio mea est, quia teneor prius innocentiæ meæ prospicere, quàm alienæ; & meæ rei familiari, quàm alienæ, cur ergo pretium meum amittam insons, vt res aliena reddatur. 47

AIT tamen Petrus Eligius Bassæus V. *Restit*. 4. §.2, *num*.7. Si furem non inueniat, vel inuentus nolit reddere pretium, restituendam rem Domino. Sic Petrus Nauar. *lib*.3. *cap*.4. *num*. 191. Filliucius *tract*.35. *num*.85. Sayrus *lib*.10. *tract*.2. *num*.17. Lessius *lib*.2. *cap*.14. *dub*.3.

At cur ego insons meo me pretio priuabo, cùm debitum sit in fure? Scio id posse in foro externo. Agat interim, potest reperiri fur, & cogi. 48

Interim non teneor reddere in conscientia, vt ait Filliucius *tract*.32. *num*.84. & alij, etsi alij repugnent.

DEBITA incerta ex licito contractu, ignorato creditore, vel nimis remoto, potes retinere; nam cùm solo iure Canonico deuoluantur ad pauperes debita incerta, iniustè contracta è praua acquisitione, puta ea vsuris; non video cur hæc sint soluenda. Vide Petrum Nauar. *lib*. 4. *cap*. 2. *num*. 46. Layman *lib*. 3. *sect*.3. *tract*.2. *cap*. 9. Lessium *lib*. 2. *cap*.14. *num*. 38. Bassæum *num*.4.

HAS regulas indicat S. Doctor *in Confessionali*, *cap*.4. *part*.2. concludens illo Apostoli epiphonemate 13. *Reddite omnibus debita*, &c. 49

QVÆSTIO V.

Quidnam debeat restitui.

{ D Thomas art. 2.

50 MVLTA, eaque varia hæc quæstio continet discutienda; nam cùm res, restitutioni obnoxiæ, sint bona, eaque plurima sint, scilicet fortunæ, vt opes; corporis, vt incolumitas honoris, & famæ, atque bona animæ; & inter hæc bona sint aliqua difficilis restitutionis, vt sanitas corporis, oportet de omnibus disserere: An includantur sub debito Iustitiæ; an verò aliis bonis sint compensanda.

51 RVRSVS potest secundò oriri debitum restitutionis ex modo, quo res ipsæ habentur, & ità æqualitas facienda, cadere potest supra modum, quo res acquisita est, vt per varios contractus, per donationem, &c. Itidem per venationem, aucupium, piscationem, effossionem, & per actionem aliquam turpem. Ideò de his etiam disserendum. Tertiò ex impeditis alicui bonis. Hæc singula disseram.

SVBQVÆSTIO I.

Quid sit restituendum, spectatis rebus, quæ sunt bona nostra.

52 QVO excellentiora bona auferuntur, eò strictior restituendi incumbit obligatio; modò ea bona talis sint naturæ, vt restitui queant; inter hæc autem bona, alia aliis sunt chariora possidenti; Bona etenim famæ plerumque apud omnes solent præponderare bonis fortunæ, & quidem in se illa præferenda sunt. Bona etiam Animæ, quantum & ipsa anima corpus superat, meliora meritò putantur; ex his itaque bonis, iniquè ablatis, nascitur varia restituendi obligatio; quædam enim sunt, quæ dum auferuntur, intereunt: quædam verò remanent, ità vt eadem possint restitui. Hæc singillatim per dubitationes expendam.

DVBITATIO I.

An bona fortunæ sint eadem restituenda.

53 CERTVM est, & extra controuersiam, bona fortunæ eadem, si extent, esto vsu consumptibilia, esse restituenda eadem numero, nisi fortè inde peccator occultus manifestaretur, aut sequeretur magnum aliquod incommodum, vt notat Valentia *quæst.6. puncto* 5. §. 1. Nauar. *in Manuali*, *cap.* 17. *num.*24. aut nisi creditor sit alia re contentus, vt habetur *Leg. cum à quo*, & *Leg. manifesti*, *Cod. de solut.*
54 Si autem res non extet, debet fieri solutio in æquiualenti. Et si res est vsu consumptibilis, debet restitui eadem, si extet; vel alia eiusdem speciei, & æquè bona; vel pecunia. Nec res solùm, sed & fructus rei, vt ait S.Bonauent. 3. *dist.*37. *dub.*7. sunt debiti, & de his satis etiam suprà dixi.

DVBITATIO II.

Quo pacto RESTITVTIO *facienda pro bonis corporis.*

{ D.Thom. quæst.62. art.2.

CONVENIVNT omnes, mutilantem, occidentem, membra frangentem, & reddentem hominis inutile corpus, teneri ad restituendum omnia damna, ex his secuta; & si non possit conualidari medicinis, teneri restituere æquiualens in pecuniis. Ità S.Doctor *loco cit.* & *in spec. animæ*, *cap.* 1. D.Thom. *art.* 2. *ad* 1. Richardus *in* 4. *dist.* 15. *art.* 5. *quæst.* 2. Syluest. V. *restit.* 3. Soto *Lib.*4. *de Iustitia*, *quæst.*6. *art.*3. Valentia *quæst.*6. *puncto* 5. §. 1. Tanner. *disp.*4. *quæst.* 6. *dub.* 4. Carbo *quæst.* 15. & alij communiter apud hos. 55

QVARE si mutilatus, vel occisus erat in lucrando ex industria, resarciendum est in bonis percussoris, etiam defuncti: Et si occisus aliquos ex iustitia alere tenebatur, tenebitur eis percussor prouidere, vt ait Sotus *loco cit.* Valentia *loco cit.* contra Scotum 4. *dist.*15. *quæst.*3. & Adrianum *de Restit.* 56

ADDIT Sotus, aliquantò minus reddendum, arbitrio boni viri, mutilati, vel occisi hæredibus, quàm is esset lucraturus, attento, quod minùs est habere quidpiam *in spe*, quam *in re*: siquidem poterat is, qui occisus est, aliam ob causam mori, & is, qui mutilatus est alio modo debilitari. Quare monet Valentia, vt diligens habeatur consideratio ætatis, valetudinis, &c. vt obseruant etiam Caspensis *disp.*3. *sect.*6. & alij. 57

Ex his autem apparet, verum esse id, quod aiunt Maior 4. *dist.*15. *quæst.*19. *dub. vlt.* Valentia *loco cit.* nempe, quamuis plus peccet occidens nobilem, nihil suo labore, vel industria lucraturum, quàm occidens hominem mercenarium, tamen ad plus obligari occidentem mercenarium talem.

OBSERVAT verò S. Doctor *in speculo animæ*, *cap.* 2. *v. Damnificatio*, teneri restitutioni non solum interfectorem, sed præcipientem, iuuantem, consulentem; non tamen eum, qui non impedit, cùm debeat ex Charitate; imò neque peccare mortaliter, si aliqua ratione desistat à remouendo occisorem; pota, si timeat, ne contra se irrumpat; quod si ex odio etiam sinat occidi hominem, non teneri ad restitutionem, nisi ipse ex iustitia teneatur impedire. 58

DEINDE obseruat, damna in conscientia posse illicò exigi ad æqualitatem, non tamen eam pœnam restitutionis, quæ à lege præscribitur; per hæc enim expectare debet iudicis sententiam, vt habetur *Leg. ex iudiciorum*, *ff. de accusationibus*. 59

DISPVTANT verò: An etiam iniuriæ illatæ occisionis, mutilationis, &c. debeat fieri compensatio in pecuniis, vel simili.

PRIMA opinio est negatiua Nauarri *in manuali*, *cap.*15. *num.*21. Azorij, Ostiensis. Ità Caspensis *loco cit. num.*51. Couar. *lib.*2. *var. cap.*10. Petrus Nauar. *lib.*4 *cap.*1. *num.* 80. Gomez *lib.* 3. *variarum*, *cap.*6. Lessius *Lib.*2. *cap.*9. *num.*141. 60

SECVNDA sententia est assertiua. Ità D. Thom. *art.*2. *ad* 2. Scotus *in* 4. *dist.*15. *quæst.*4. Richardus *ibi*, *art.*5. *quæst.*2. Adrianus 4. *de restit. quæst. vltim.* Maior *in* 4. *eadem dist. quæst.*14. Sotus *Lib.*4. *de Iust. quæst.*6 *art.*3. Valentia *quæst.*6. *puncto* 5. §. 1. Carbo *quæst.* 12. Lopez *p.p. quæst.*47. Angles 4. *de restit.* Salon *quæst.* 62. *art.* 2.

art.2. contron. 4. Atagon. eodem art.2. Molina tract.3. disp.88. Azorios Tom.3. Lib. 3. cap.3. quæsito 4. Sotus 4. de Iustitia, quæst. 6. art.3. ad 3. Tannerus disput.4. quæst.6. dub.4. num. 111.

61 Mihi negatiua verior appatet. Probatur doctrinâ D. Bonauent. Restitutio est pars satisfactionis, seu species eius, vt ostendit S. Bonauent. 4. dist.15. quæst. vltim. & in spec. animæ. Satisfactio autem debet proportionem offensæ, & nullus Satisfacit, nisi restituat tantum, quantum abstolit. Ea quo, sequitur, Satisfactionem, & Restitutionem esse debere ex bonis proportionatis; sed pecunia non potest proportionari bono vitæ ablatæ: Ergo.

62 Hæc est doctrina S.Bonauent. in 3. dist.20.quæst.6. & in 4. dist.15. part.2. quæst. cit. Innititur verò Legibus; nam Lege finali, ff. de iis, qui deiect. vel effud. & L. Liber homo, ff. ad Legem Aquiliam, & L. ex hac, ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, asseritur, hominem liberum, nullo pretio æstimari posse; Et corpus liberum nullam recipere æstimationem, habetur Leg. citata, Leg. homo, & Leg. ex hac, vbi additur, nihil posse peti pro homine libero etiam occidatur.

Respondet Valentia, Leges solùm concludere, id verum esse ea natura rei; si tamen læsus ex rationabili causa contentus sit, posse satisfieri, pecuniâ ipsi vitæ.

63 At extra rem est, vocare illam restitutionem, quæ fit rebus ineptis ad compensationem, v. g. pecuniâ restituere famam, vt notauit Sylvester V. Detractio, quæsit.4.

Respondet Valentia cum D. Thom. ad 2. quòd quando non potest fieri restitutio in eodem genere, potest fieri in alio.

64 Sed non respondet ad rem, quia, licèt posset fieri re diuersa, puta Restitutio agri per pretium, tamen non potest fieri, nisi secundùm rationabilem rerum æstimationem; vt ipse ait Valentia; At multa sunt, quæ aliis rebus nequeunt æstimari, vt anima pecuniis, famaque auro; nam est Ordinis altioris incomparabilis, vt dicitur Prouerb.22. Melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ, vt ostendam dub. sequenti.

Obiicit primò Valentia, & Tannerus id Exodi 21. Si percussus ab altero incolumis surrexit, percutiens sit innocens, ità tamen, vt impensas eius, & operas in medicos restituat. Hac lege sancitur, vt qui percussus non conualuerit, plus restituere debeat percussor, nimirum etiam pro morte, vel deformatione.

65 Respondetur, ibidem poni quæ pœna debeatur, si moriatur percussus: Morte moriatur. Confirmatur, nam infra, cùm de morte, imposita Boui cornupetæ, loquitur, declarat: Quod si pretium fuerit ei impositum, dabit pro anima sua quidquid fuerit postulatus: At si Dominus bouis homicidæ fuerit præscius eius vitij, ipse occidetur, eùm inuata præceptum, illum non inclusetit.

66 Obiicit secundò Scotus, & Tannerus, qui occidit Bouem, vel Canem alterius, debet aliquid restituere pro Boue illo, vel Cane occiso. Ergo multò magis, qui Hominem priuat vitâ, vel incolumitate, debet pro hoc ipso aliquid restituere. Et hoc non animaduertere (aiunt Scotus, Tannerus, & Adrianus) esse fatuum.

67 Sed insulsa mihi est comparatio; nam Bos, & Canis sunt emibiles pretio; neque erit aliquis Dominus Canis, qui pro illata iniuria mortis Canis, quatenus erat Domini, accipiat pecuniam, sed solùm pro æstimatione Canis, & Bouis ad vsum.

De reliquo Satisfactiones exigunt in occidente, eò quòd is Dominum animalis non est reueritus, & mundani iniurias asserunt pro contemptu, ipsi contemnenti occisori.

Dubitatio III.

An, & quomodo Restitutio Famæ, & Honoris sit facienda.

68 Famam esse bonum appretiabile, quod ablatum cogit ea iustitia ad restitutionem, certum est. Est enim fama, bona æstimatio apud alios, de qua Prouerb.22. Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. Ea quo deducit S. Bonauent. p.p. Centil. sect.13. Maiori obligatione teneri detractorem Restitutioni, quàm furem; quod adnotauit inde Valentia disp.5. quæst.6. puncto 5.

69 Igitur detractor tenetur famam restituere, concurrentibus tribus conditionibus. Prima est, vt fama fuerit ablata, aliquando enim dictério nón aufertur fama; siue quia non creditur, siue quia peccatum illud, ratione personæ. non denigret, vt si de milite dicas: Alium vulnerauit. Secunda conditio est, vt fama iniustè fit erepta. Tertia, vt diffamatus famam raptam non redemerit. Ità ex communi referont Soto Lib. 4. de Iustitia, quæst.6. art.3. Valentia disp.5. quæst.6. puncto 5. Turrianus disp.53. dub.3. Caspensis disp.10. sect.5.

70 Assero igitur primò, Detractorem iniquom teneri restituere famam, etiam cum iactura propriæ famæ, non tamen vitæ, etiam dicendo (si oportuerit,) se esse mentitum. Ità D.Thom. 2. 2. quæst.62. art.2. ad 2. Caietanus ibi, Sotus Lib. 4. de Iustitia, quæst. 6. art. 3. Petrus Nauar. Lib. 2. de restit. cap.4. disput. 5. num. 375. Michael Salonius 2. 2. quæst.62. art.2. contron. 13. Nauar. in manuali Latino, cap.18. num. 45. Rodriquez, 2. part. summæ, cap.45. Lopez prima parte Instruct. cap. 16. Sayrus Lib.11. cap.3. num.22. Filliucius Tom.2. tract. 32. cap.9. num. 145. Malder. de Iust. tract.7. cap.2. dub.9. fol.554. & communiter omnes DD. apud Valentiam loco cit. Fagundez in octauum præceptum Decal. cap. 15. Tannerum disp.4. quæst.6. dub.4. Bassæum V. Detractio, 2. num.4.

71 Apponunt aliqui exceptiunculam, nisi sit grandis inæqualitas; vt infamatus sit vilis; infamans verò sit grandis dignitatis, & plus patiatur detrimentum dicendo, se esse mentitum. Ità Sotus, & Valentia, licèt Nauarrus de hoc dubitet: non enim tenetur maius restituere, quam abstulit. Quo fit, vt neque teneatur cum suæ vitæ iactura famam restituere, quamuis enim fama sit ciuilis quædam occisio, vt docet ex Anselmo Lib. de simil. cap.147. apud D.Bonauent. in Pharetra Lib. 3. cap.3. §. De Detractione; non est tamen propria vitæ ablatio, sed boni, inferioris vitâ ipsâ, nempe famæ, quæ diuitiis præualet, iuxta id Prouerb.22. atque adeo magis ligat ad restitutionem, quàm ablatio Crumenæ, vt rursus iniungit S.Doctor in speculo animæ, cap. 1. Hanc doctrinam sequuntur plurimi apud Fagundez cap. 15. & Dianam part.2. Tract.5. resol.29. & 30. 72

73 Est autem quæstio ibi apud Dianam: Num, qui falsò aliquem infamauit, teneatur, si oporteat, iuramento confiteri, se falsum dixisse. Assertiuè respondent Caietanus, & Aragon 2. 2. quæst. 62. artic. 2. vbi etiam Sylvius quæritur 22. tract. 32. cap. 20. num.145. Turrianus disp. 52. dub.1. Salon

de Inst. tom. 1. quæst. 62. art. 2. controu. 3. Carbo de restit. quæst. 18. Villalob. in summa, Tom. 2. tract. 11. diffic. 37. Tanner. 2. 2. disp. 4. quæst. 6. dub. 6. num. 141. Diana ibi, Fagundez Lib. 8. cap. 15. Nauar. cap. 18. num. 45. Pet. Nauar. Lib. 2. cap. 4. num. 137. Sotus de Iust. Lib. 4. quæst. 6. art. 3. Faustus in speculo, disp. 21. quæst. 21. Bassæus num. 9. Imò addunt Molina tom. 5. disp. 41. Ioan. de la Cruz in Direct. pract. 1. punct. 7. art. 2. dub. 5. Soto, Aragon, & Salon. debere, si oportuerit, etiam testes adbibere.

74 MIROR autem, Doctores adeo aceruatim ruere ad conscientias ligandas; nam, vt obseruat Fauentinus in 4. dist. 15. quæst. 3. disp. 53. cap. 1. num. 32. Theologi antiqui, vt S. Bonauent. locis adductis, & aliis, Alensis part. 2. quæst. 129. memb. 6. D. Thom. quæst. 62. art. 2. ad 2. Scotus loco cit. non exigunt, nisi simplicem retractationem; At moderni Zelotes onus superadduut grauissimum, quod nec ipsi forsan digito tangunt.

75 SVAVEM quendam modum restituendæ famæ afferunt Doctores; Quia enim dicere se mentitum, arduus est actus, ideò docent restituere famam laudando infamatum coram illis, qui detractiones audierant. Ità Caietanus 2. 2. quæst. 62. art. 2. Soto de Iustitia, lib. 4. quæst. 9. art. 3. ad 4. Villalob. in summa, Tom. 2. tract. 11. diffic. 37. num. 4. Tannerus 2. 2. disp. 4. quæst. 6. dub. 4. num. 143. Valentia quæst. 4. puncto 5. & quæst. 17. puncto 2. Fagundez in octauum præceptum, Lib. 8. cap. 15. num. 5. Lessius Lib. 2. cap. 11. dub. 10. Aragon. 2. 2. quæst. 62. art. 2. Faustus in Speculo confess. disp. 21. quæst. 74. num. 6. Diana loco cit. Quidquid in contrarium asserant Layman Lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 2. cap. 7. Nauar. lib. 2. cap. 4. num. 370. Faber n. 46. Syluius 2. 2. quæst. 62. art. 2. quæritur 22. Filliucius Tom. 2. tract. 32. cap. 10. num. 246.

QVÆRITVR secundò: An infamator, non potens famam restituere, possit, & debeat pecuniâ satisfacere.

76 TENERI astruunt Layman Lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 2. cap. 7. Filliuc. Tom. 2. tract. 31. cap. 10. n. 239. Turrianus 2. 2. tomo 2. disp. 53. dub. 7. Faber in 4. disp. 53. cap. 4. num. 122. Malderus 2. 2. tract. 7. cap. 7. dub. 8. Nauarrus cap. 17. num. 19. Bannes 2. 2. quæst. 62. art. 2. Syluest. verbo Detractio, quæst. 4. Nauar. lib. 2. cap. 4. num. 416. Lessius Lib. 2. cap. 11. disp. 11. & alij apud Bassæum num. 7.

77 ALII tamen apud Dianam resol. 30. citata, probabiliter id asserunt fieri posse. Ità Villalob. Tom. 2. tract. 11. diffic. 39. Sotus de Inst. Lib. 4. quæst. 6. art. 2. Aragon. 2. 2. quæst. 62. art. 2. Valentia disp. 5. quæst. 6. puncto 5. Couar. lib. 1. variar. cap. 2. num. 8. Molina tract. 4. disput. 25. Sà V. Infamia, num. 7. Syluius 2. 2. quæstio 62. art. 2. Quæritur 22. post Rebell. Sotum, Richardum, Adrianum, Caietanum, & alios apud Fagundez Lib. 8. cap. 14. num. 11. asserentem etiam Couar. reg. peccatum, p. p. num. 6. & Lib. 1. var. resol. cap. 2. num. 8. Cordubam quæst. 33. art. 2. Lopez p. p. Instruct. cap. 116. Salonium 2. 2. quæst. 62. art. 2. controu. 13. Rodriquez 2. part. summa, cap. 45. Rebell. Lib. 2. quæst. 10. Glossam in cap. Ecclesia sancta Maria extra, vt lite pendente nihil innouetur. Malderum de Inst. tract. 7. cap. 2. de restit. famæ, dub. 8. Tannerum disp. cit. num. 150. & alios suprà adductos. Adde Bassæum num. 7. qui ait ex æquitate fieri posse, si infamator sit pauper.

78 SENTENTIA Seraphici meo iudicio est, non posse fieri hanc compensationem. Ità allegati, quibus adde Caspensem disp. 10. sect. 5. num. 37. eamque probabilem censet Tannerus.

Ratio D. Bonauent. omnibus ferè allegatis locis, & ad cap. 10. Ecclesiast. hæc est: Restitutio est actus Iustitiæ, redigens ad æqualitatem secundùm commutationem per compensationem ablati; sed pecunia, vel alia bona fortunæ non sunt proportionata ad compensandam famam: Ergo. Minor probatur, Prouerb. 22. *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multa*, & Ecclesiastici 41. *Curam habe de bono nomine: hoc enim tibi magis permanebit, quàm mille thesauri pretiosi.* Hac ratione vtuntur nostræ sententiæ au- 79
thores, ex qua etiam sequitur, non teneri è contra ad restitutionem bonis ordinariis superioris vitæ. Ità statuitur cap. offi. 9, de pœnit. & remiss. & communiter DD. asserunt apud Fagundez in octauum Præceptum Lib. 8. cap. 13. & Dianam part. 2. Tract. 3. resol. 30. etiamsi infamatus sit nobilis à vili. Ratio est iam dicta.

QVÆRES tertiò; an qui occultum crimen alicuius sine iusta causa manifestat vni, vel duobus viris prudentibus, quos scit non vulgaturos, peccet mortaliter.

AFFIRMATIVA respondent Turrianus 2. 2. 80
Tom. 2. disp. 53. dub. 8. Sotus de Iust. Lib. 7. quæst. 10. art. 2. Molina de Iust. tract. 4. disp. 29. Lessius Lib. 2. cap. 11. dub. 11. num. 70. Bannes 2. 2. quæst. 62. art. 2. Azor. Tom. 1. Lib. 6. cap. 9. Filliucius Tom. 2. tract. 40. cap. 4. num. 91. Suarez tom. 4. disp. 34. sect. 1. Villalob. Tom. 2. tract. 11. diffic. 36. Valentia tomo 3. disp. 5. quæst. 17. puncto 2. Malderus 2. 2. tract. 7. cap. 1. dub. 4. Layman Lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 2. cap. 3. Ioan. de la Cruz part. 8. quæst. 2. art. 2. dub. 3. Salonius 2. 2. quæst. 62. art. 2. qui asserunt, hanc opinionem esse communem inter recentiores Thomistas; eam tuetur etiam Fagundez in octauum præceptum, Lib. 8. cap. 2. num. 7. Bassæus V. Detractio 1. num. 11.

CONTRARIAM sententiam docet Caietanus 81
2. 2. quæst. 62. art. 2. Nauar. de restit. Lib. 2. cap. 4. num. 234. Grassius lib. 2. cap. 137. & alij, & hanc sententiam probabilem credunt multi ex aduersariis, vt Tanner. 2. 2. disput. 4. quæst. 8. dub. 7. num. 138. Ioan. de la Cruz, & alij, quibus subscribit Diana part. 2. Tract. 5. resol. 23.

SENTENTIA D. Bonauent. est, hunc peccare 82
mortaliter. Ratio eius est, qua vtuntur Moderni apud Dianam, & Fagundez; quia fama denigratur etiam apud vnum, vel duos. Quare Iesus Christus Matth. 18. concedit vocare vnum, vel duos ad corrigendum aliquem, quando peruicax recusat solitariam correctionem; aliter verò præcipit fieri inter te, & ipsum solum. Nam vnus posset esse lædens, etiamsi prudens, & qualis desideratur à Christo, vt adiuuet ad correptionem lapsi. Ideò enim vult eligi aptos ad subleuandum lapsum; & quidem sæpe magis læditur fama, si vni graui personæ dicatur, quàm si plurimis è plebe; maximè verò si ab ea pendeat infamatus. Ità definit S. Doctor hanc quæstionem ad ea verba Ecclesiastici 10. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit*, ex quo nouum elicit argumentum; est enim percussio mortifera etiam secreta coram vno infamando, hanc enim percussioni venenati serpentis assimilat.

OBIICIVNT, prudentem non reuelaturum. 83
Respondetur, nil referre, vt dixi. Deinde quis te constituit de hoc fideiussorem?

ALIA dubitatio suboritur: an teneatur detractor ad restitutionem damnorum in bonis rei familiaris, & aliis, ob prauam famam deperditis.

OPORTET distinguere. Si enim falsò infamauit, tenetur in integrum ad restitutionem omnium damnorum. Ità communiter cum Lessio Tom. 1. Lib. 2. cap. 12. de detract. dub. 19. numero 101.

Sayro

Sayro *lib.11. cap.3. de restit. bon. exter. num.*17. Soto *lib.4. de Iust. quæst.6. art.3. ad* 4. Pet. Nauar. *lib.2.*
84 *de restit. cap.4. disp.4. num.*375. Nauar. *summa Lat. cap.18. num.*47. Salon 2.2. *quæst.*62. *art.2. controu.*10. & patet *cap. si culpa, de iniur. & damn.* vt notat Fagundez *in octauum Præceptum, lib.8. cap.24. num.*5. qui aduertit, sententiam hanc intelligi de bonis iam existentibus in possessione; at verò quoad bona in spe, puta si ex diffamatione impeditus est ab aliqua dignitate, ait, iudicandum à prudenti.

85 ADDIT verò, etiam illum, qui de vero crimine infamauit, non teneri in integrum ad restituenda bona in spe, sed benè iam acquisita. Ità etiam Nauar. *summa, cap.18. num.*45. Saytus *lib.11. cap.3. de restit. bon. exter. num.*20. Lessius *Tomo* 1. *lib.2. cap.12. de detract. & contum. n.*19. *& num.*109. Petrus Nauar. *de restit. cap.4. dub.6. num.*384. & Salon. suprà.

Ratio posterioris est, quia debitum restitutionis non oritur ex quantitate peccati, sed ex quantitate damni illati; vnde, licèt qui verum dicit, minus peccet, tamen idem damnum iniquè intulit. Neque dicas, eum suo peccato causam dedisse. Respondetur enim, crimen non illaturum damnum, nisi mediante cognitione, & detractorem non habere ius ad hanc causam apponendam. Is verò, qui est causa damnificationis iniquæ, illicò constituitur reus restitutionis, vt arguit S.Doct. *in Speculo animæ, cap.*1. & cum illo Bassæus, *v. Detractio* 2. *num.*2.

86 OCCVRRIT autem hic illicò dubitatio: an teneatur restituere famam coram omnibus, ad quorum notitiam peruenit peccatum per eos, quibus ipse narrauit.

NEGATIVE respondet Faber *disp.35. allegata, cap.1. num.*35. adducens Alensem. Vide Dianam *loc. cit. resol.*34. Tannerum *disput.4. quæst.6. dub.6. num.*146. & alios apud istum, & apud Villalob. *Tom.2. tract.11. diffic.37. num.*11.

87 EXISTIMO cum Villalobos *loc. cit.* & Caspensi *Tract.18. de Restit. disp.10. sect.5. num.*33. atque Diana, talem excusari, si credebat, eos, quibus narrauit, non esse aliis diffamaturos; at si credebat, eos diffamaturos, tenetur; quia quod est causa causæ, est etiam causa causati. Causa autem damnificationis est rea restitutionis, vt ait S.Doct. *loco citato.*

88 ALIVD dubium subdam: an, si aliquis narret alicui iniuriam, sibi ab aliquo secretò illatam, ad leniendum dolorem, peccet mortaliter. Negatiuè respondet Diana *loc. cit. resol.*32. cum Syluio 2.2. *quæstion.62. art.2. quærit.*15. Lessio *lib.2. cap.12. dub.12. num.*32. Nauar. *lib.1. cap.4. num.*345. Molina *tract.4. disp.29. num.*5. Layman *lib.3. sect.5. tract.3. p.2. cap.3. num.*6. Tannero 2.2. *disp.4. quæst.8. dub.7. num.*245. & aliis communiter. Sed plus addit Ioan. de la Cruz *in Direct. p.8. quæst.2. art.2. dub.*3. Si persona secretò grauiter iniuriata, non valens se à dolore cohibere, in querimonias prorumpit publicas, non illicò de culpa mortali damnatur, si iniurians infametur; durum enim videtur, sic afflictum animum cohibere, ne in querimonias prorumpat, cùm hoc naturalissimum sit. Adducit pro hac sententia etiam Lodouicum Lopes.

89 HIS arbitror assentiri S.Bonauenturam, qui ad ea verba Eccles.10. *Si mordeat serpens in silentio*, ad tria capita redacit causas detrahendi famæ alicuius.

PRIMVM est ex necessitate, cum ex aliquo legitimo præcepto cogitur, vel humano, vel diuino: Humano cum præcipit, qui potest, vt dicat: Diuino, quando conscientia dictat homini, quòd ipse tenetur accusare proximum, vt corrigatur secundùm illud præceptum Domini de correctione fraterna.

SECVNDVM caput ex vtilitate, quando narrat malum alicui, qui potest prodesse, & non obesse, sicut cùm narrat homini, qui diligit, & qui compatitur, & habet voluntatem corrigendi ipsum.

TERTIVM ex detrahendi libidine: Quando igi- 90
tur non consideratur necessitas, nec consideratur vtilitas, etiamsi sit veritas, non excusatur à detrahendi libidine, imò peccato detractionis peccat. Hæc S.Doctor.

IOTVR replicat adhoc, quod si vtilitas aliqua interueniat, non est peccatum.

Addit *in speculo animæ, cap.*1. id quod ait Cruz. Multum tamen interest, vtrum hoc procedat ex inuidia, vel indiscreto Zelo iustitiæ; quandoque enim contingit, mala aliorum facta ex quadam indignatione, vel leuitate loquendi, nec intentione diffamandi contra aliquem malum recitari, vel etiam aggrauari, quod esset durum iudicare mortale. Hæc S.Doctor.

TANDEM compensationem multi admittunt; si 91
alter etiam abstulit alteri famam, nec vult restituere. Ità Tolerus *lib.5. cap.7.* Lessius *disput.*25. Molina *disp.*49. Syluius 2.2. *quæst.62. art.2. quæritur* 10. Malder. 2.2. *tract.7. cap.2. n.*14. Diana *p.2. Tract.5. resol.*30. Caspens. *Tract.18. disp.10. sect.5. num.*35.

REMANET aliquid dicendum de restitutione honoris. Est autem Honor cultus, seu reuerentia exterior, quæ alicui personæ exhibetur ob aliquam excellentiam illius, ex Soto *lib.4. de Iust. quæst.6 art.3. ad* 5. & *lib.5. quæst.9. art.*1. Salon. 2.2. *quæst.62. art.2.* ante *controu.*13. *&* 24. Aragon. 2.2. *quæst.62. art.2. ad* 2. Petro de Nauar. *lib.2. de restit. cap 4. num.*6. Sayro *lib.11. cap.8.* & aliis, post D.Bonau. *in 3. dist.9. quæst.4. &* 5. Læditur autem honor verbis, vt con- 92
tumeliis, quæ culpas imponunt in faciem; conuitiis, quæ etiam pœnalia opponunt, vt esse spurium, &c. exprobrationibus opponendo miserias, è quibus subleuatus est. Sic & factis læditur, pugnis, flagris, &c. vt docent communiter Doctores cum D.Bonau. *in speculo animæ, cap.*1. atque adeo tenentur, vt damnificatores, ad restitutionem, vt omnes concedunt. Et quidem, esse peccatum mortale, si graues sint.

PROBATVR à S. Doct. *loc. cit.* illo Matth.5: 93
Qui dixerit fratri suo, Racha: reus erit iudicio. Qui dixerit fratri suo, fatue: reus erit gehennæ ignis. Explicat autem S.Doct. quid sit Racha *serm.1. in Dominica 5. post Pentec.* est autem Racha interiectio indignantis, exprimens nomen hebræum, quod significat *canos*, vel *vanum*; peius verò est dicere fatuum, & hos contumeliosos, & conuitiatores, ac percussores vocat ibi damnificantes, atque damnatos. Hinc probat S.Doct. *serm.4. in Dominica 5. post Pentec.* hos contumeliosos, & conuitiatores teneri ad satisfactionem: Subdit enim Dominus: *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, &c. vade priùs reconciliari fratri tuo.* Hoc testimonio nituntur Fagundez *in octauum præceptum Decal. lib.8. cap.18. num.*9. & alij.

MVLTIS autem modis potest fieri hæc restitutio 94
honoris. Primò honorifica nominatione, & hunc modum satis esse superioribus ait Fagundez, Lessius *Tom.1. lib.2. cap.11. de contum. dub.*27. Caietanus 2.2. *quæst.*72. allegantes D.August. *de regulis superior.*

SECVNDO petitione veniæ. Et hoc debere in- 95
feriores superioribus aiunt Fagundez *num.*10. Lessius *loc. cit. num.*145. Imò si atrox sit iniuria, dicit Fagundez, posse iuridicè damnari, vt reste ad collum alligato supplex petat veniam, quo pacto factum, ait, in floridissimo Galliarum regno decretum, tempore Ludouici XIII. qui florentissimum illud Imperium

 iustissimè,

iustissimè, & prudentissimè gubernauit, vt acclamat Hispanus hic.

96 TERTIO inuitando ad cænam, & dando locum honorificum. Ita Fagundez *num.*13.. & Petrus Nauar. *lib.*2. *cap.*4. *num.*63. Lessius *lib.*2. *cap.*11. *de contum. dub.*27. Filliuc. *Tom.*2. *tract.*32. *cap.*9.

COMMVNITER verò asserunt, petendam veniam, si grauis est iniuria. Ita Sotus *lib.*4. *de Iustitia, quæst.*6. *art.*3. *ad* 5. Mastrius, Ledesma 2. 4. *quæst.*18. *art.*2. *dub.*8. Syluest. *verb. Contumel. quæst.*4. ex Nicolao de Lyra, & Abul. in id Matth.5. *Si offers munus tuum, &c.* Barthol. Medina *lib.*1. *Instruct. Confessar. cap.*14. §.35. Aragon. 2.2. *quæst.*62. *art.*2. *ad* 3. Salon. *ibidem, contron.*24. Valentia *disp.* 5. *quæst.* 16. *punct.*1. Clauis regia *lib.*11. *cap.*8.

97 ALII tamen mitiorem rationem assignant. Ita Caietanus 2.2. *quæst.* 72. *art.*3. Couar. *lib.*2. *variarum, cap.*10. Corduba *de detract. quæst.*3. *concl.*11. Angles *in floribus* 4. *quæst. de restit. art.*1. Petr. Nauar. *lib.*2. *de restit. cap.*4. *p.*1. *dub.*6. Hanc reor esse sententiam D. Bonau. nam *locis allegatis* solùm ait, teneri restitutioni, sed modum non ponit in præcepto; qua ratione vtuntur cæteri. Subscribunt cum alijs Turrianus *disp.*53. *dub.*11. Caspens. *disp.*10. *sect.*5. Tanner. *num.*158. alios adducens.

98 Illud verò mihi stomachum facit, quod aliqui allegati cogunt subditos ad veniam petendam; superiores verò nunquam: Arguo autem contra, sic: Restitutio ponit æqualitatem, & mediocritatem, quæ consistit in re, non ratione, vt ait Aristot. 3. *Eth. cap.*6. etsi eam ponat in ratione etiam, vt docui ego *prima secunda, Tract. de actibus humanis, disp. primà* tamen dependet à re; Sed non est restitutio honoris, quem infamem compellasti, vocando nomine Honoris: Ergo. Ego non video quæ restitutio honoris sit hæc. Ius naturale non potest pessundari, & adeo facilè dispensari. Neque D. August. locutus est in materia graui, sed in leuibus ordinariis. Cùm enim superior ex
99 indiscreto Zelo iustitiæ, aut amoris, adeò excedit, vt sic, inordinatè, quod talis, per talem contumeliam diffamationem incurreret, tunc Zelus iustitiæ nullatenus excusaret, quin peccaret mortaliter. Ecquis autem eximet talem à restitutione ablati honoris? Sanè ad Commutatiuam debet proportione Arithmetica compensari, vt si inclamasti latronem, vel infamem, asseras, non infamem, & contrapassum acceptæ contumeliæ offenso reddas, etiamsi esses Dux de Macqueda.

100 Ex his colligunt cum D. Bonau. *in Confessionali, cap.*1. negandam absolutionem ei, qui raptum honorem non vult restituere. Ità Caspensis *disp.*10. *sect.*5. vltimò monet.

DVBITATIO IV.

De restitutione bonorum animæ.

ASSERO primò, eum, qui dementauit maleficio, aut medicamine prauo, teneri ad restitutionem damnorum. Patet apud Valentiam *disp.* 5. *quæst.*6. *punct.*3. Tannerum *disp.*4. *quæst.*6. *dubio* 3.

101 ASSERO secundò, qui absque dolo, vi, fraudeuè, suadens, tantùm induxit ad peccatum, non tenetur restituere illum ex iustitia, quantum ex se est ad statum primum, sed solum ex Charitate. Ita Soto *lib.*4. *de Iust. quæst.*6. *art.*3. Nauar. *in Manual. cap.*14. *num.*45. Bass. 21. Valentia *quæst.*6. *punct.*5. Tanner. *disp.*4. *quæst.*6. *num.*90. Caspens. *disp.*9. *sect.*1. contra Scotum 4. *dist.*15. *quæst.*3. Richardum *eadem dist. art.*5. *quæst.*2. Paludanum *ibi*, & Adrianum *de Restitutione.*

RATIO est, quia volenti non fit iniuria contra Iustitiam, atque ideò, cùm non delinquat contra Iustitiam, neque tenetur ad restitutionem, vt notat Valentia. Neque dicant, maius esse damnum iacturam gratiæ Dei, quàm totius facultatis; nam cum hoc damnum infertur volenti, non infertur iniuria contra Iustitiam. 102

EX adhuc, vt reor, vult S. Doct. *in speculo animæ, cap.*1. vbi damnificationem solam temporalium in ordine ad restitutionem recenset, quia spiritualia non amittuntur, nisi voluntate amittentis. Et de his verum est, quod nullus læditur, nisi à seipso. Nulla enim vis potest ad peccatum voluntatem cogere; fraus verò, & dolus, ponentes obstaculum ignorantiæ inuincibilis, non inducunt peccatum. Tenebitur sanè is, 103
qui infert vim, dolos, vel fraudes affert, ea remouere ex instituta, & in libertate constitutum relinquere. Imò hortari ad pœnitentiam, quia inuito censetur auferre. At si is sciens nunc suum statum, non resipiscit, censetur vim condonasse, vt ait Bass. *num.*21. cum Petr. Nauarro.

OCCVRRIT verò difficultas circa eum, qui aliquem auertit, ne Religionem ingrediatur, dissuadendo. Concedunt autem communiter, graue esse peccatum sine iusta causa id facere, vt videre est apud Fagundez *in septimum præceptum, lib.*7. *cap.*31. An verò teneatur ad restitutionem.

PROBABILIVS est, non teneri restitutioni, quia ius nullum religionis violauit, cùm ille adhuc liber sit; atque adeo in nihil tenetur Religioni. Et hac eadem de causa, nec tenetur ipsi dissuaso, tum quia liberè agit, tum quia nullum ius habet ad religionis bona. Vide Sayrum *lib.*11. *cap.*1. *num.*33. Aragon. 2.2. *quæst.*62. *art.*2. Nauar. *summa Latina, cap.*22. *num.*44. & hoc, etiamsi fiat vi, vel fraude. 104

OPPOSITVM tamen asserunt Vasquez *de restit. cap.*8. *dub.*2. *num.*38. Less. *lib.*2. *cap.*8. *dub.*3. Rebell. *p.*1. *lib.*4. *quæst.*15. Turrianus 2. 2. *disp.*15. *dub.*2. Molina *Tom.*4. *de Iustitia, tract.*4. *disp.*51. Fagundez *loc. cit. num.*6. Bannes *quæst.* 62. *art.* 2. *disp.* 3. Aragon. *diffic. cit. ad* 4. Tanner. *disput.* 4. *quæst.*6. *dub.*3. dubitat tamen Bass. *num.*22. si fiat vi, fraude, &c.

AN verò Nouitium remouens, non tamen per vim, metum, aut fraudem, teneatur ad restitutionem. Communiter negant Doctores apud Fagundez *num.*15. contra Rebellium *p.*1. *lib.*4. *quæst.*15. *num.*5. Ineptos autem amouere non est malum. Sic enim & Christus *Matth.*8. talem reiecit, vt notat S. Bonau. *in cap.*2. *Regulæ Fratrum minorum.* 105

SI verò extrahat professum sine vi, cum fraude tamen; primò certum est, non teneri aliquid ipsi Religioso, quia volenti non fit iniuria. Quæstio est: an teneatur Religioni; & teneri definiunt Molina *Tom.*4. *tract.*4. *disp.*51. Vasquez *de restit. cap.*8. *dub.*2. Torrianus 2.2. *disp.*15. *dub.*2. Azorius *Tom.*3. *lib.*5. *cap.*2. Valentia *disp.*5. *quæst.*6. *punct.*5. §.1. *cap.*2. Reginald. *Tom.*1. *lib.*10. *tract.*4. *cap.*21. *num.*309. Tanner. *num.*99. & alij. Sed negant Sotus *lib.*4. *de Iust. quæst.*6. *art.*3. Sayrus *lib.*11. *cap.*1. Bassæus *num.*22. Lessius *lib.*2. *cap.*8. *dub.*3. Malder. *tract.*8. *dub.* 3. Filliuc. *Tom.* 2. *tract.* 32. *cap.*7. *quæst.*8. & alij apud hos. Vtramque esse probabilem ait Fagundez, sed ad priorem inclinat. Ipsum vide. 106

QVÆSTIO

SVBQVÆSTIO II.

Quæ res sint restituendæ ratione modi, quo fuerunt acquisita

107 ACTVM est de bonis restituendis, quatenus in se ipsis considerantur; nunc videndum est de iis, prout iniquè acquiruntur, seu iniusto titulo possidentur; alia enim contractibus acquiruntur, in quibus formæ, quas nec licitè, nec validè potest quis transgredi, præscribuntur; his etiam contractibus personæ habiles, seu capaces supponuntur; aliæ inhabiles à lege declarantur. Alia possidentur donatione; quæ suas etiam habet regulas, vt valida sit: Multa titulo præscriptionis in alterius Dominium abeunt; sed ad hanc leges varias conditiones requirunt, vt infra expendam: Quædam titulo mercedis ratione functionis officij, aut prostitutionis meretriciæ intuitu dantur; nonnulla quoque Aucupio, Venatione, Piscatione, rerum communium vsu, Ludis illicitis, ac denique insperata inuentione in vnius possessionem, & dominium adsciscuntur; de quibus leges varia statuunt; de his per sequentes Dubitationes inquirendum; an, quomodo, & quando debeant propriis Dominis restitui.

DVBITATIO I.

Quando restituenda sit res acquisita per contractum.

108 TRES casus afferuntur, in quibus acquisita per contractum sunt reddenda. Primus, si contractus iure naturæ sit iniquus, & nullus. Hoc autem quando eueniat; dicetur *Disput. de contractibus.* Secundus casus est, si contractus sit nullus ex aliqua lege humana, vt emptio à pupillo; vel si impediat translationem dominij, qua ratione. Testatores nequeunt hæredes necessarios priuare Tertius est, quando per sententiam Iudicis rescinditur contractus veritus lege humana, fundata in præsumptione fraudis. Vide Valentiam *disput.5. quæst.6. punct.5.* Tanner. *disp.4. quæst.6. dub.13.* alios citantem. Sic colligitur ex D. Bonauent. *in speculo animæ, cap.2.*

ET Ratio huius posterioris est, quia quod per fraudem datur, censetur inuoluntariè acceptum; Ad validitatem autem contractuum consensus liber, & voluntarius vtrinque requiritur, qui errore interueniente tollitur, vt apud Theologos & Iurisconsultos plausibile est: Verum si error est voluntarius ex parte dantis, tunc pro fraude habetur, & contractus rescinditur, ac restituendi debitum succedit. Vide allegatos.

DVBITATIO II.

Quando nam debeant restitui acquisita per donationem.

109 RESPONDETVR id esse, quando Donatio est inualida, siue iure naturæ, vt cùm est coacta vel si non fuerit absoluta, sed conditionalis; & conditio non adsit in re, siue iure humano sit irrita, vt quæ fit à Pupillo sine consensu Tutoris *l. Pupillus, ff. de acquirendo rerum dominio*, & quæ fit inter virum, & vxorem *l. si Sponsus, ff. de donat. inter virum, & vxorem*, exceptis quibusdam casibus, notatis à Syluestro *v. Donatio*, & quæ fit inter Patrem, & filium non emancipatum *l. vlt. C. de Impuber*, exceptis casibus apud Syluestrum *loc. cit.* Vide Tannerum *disput.4. quæst.6. dub.11. num.315.*

EX qua doctrina sequitur, verum esse, id quod 110
Adrianus *de Restit.* Alensis *4. p. quæst.86. membr.3. art.29.* Altisiodor. *lib.4. sum. quæst.7. de Restit.* & D.Bonau. *Apologia de paupertate Christi, cap.2. §. Secundus modus mendicandi, & ad 8.* aiunt, illorum egestatem esse contra iustitiam, qui simulatione sanctitatis, & paupertatis extorquent eleemosynas, atque adeo hos esse fures, quod probat ex D. Ambrosio *lib.2. de offic. cap.16.* & D. August. *de operibus Monachorum, cap.26.*

DVBITATIO. III.

Quando debeant restitui acquisita titulo præscriptionis.

SI Præscriptio sit legitima, possunt res acquisitæ 111
retineri; secus verò si desint conditiones necessariæ, vt docet S. Bonau. *in Apologia pauperum, cap.1, quarta responsionis.*

PRIMA est, vt res sit præscriptibilis. Sunt enim aliquæ res, quæ iure nequeunt præscribi, vt docet Syluest. *verb. Præscriptio, 2.* Couar. *relect. in regul. possess. p.2.* Ioan. Medina *quæst.16. de rerum restit.* Valentia *quæst.6. punct.5.* nam homo præscribi non
potest, *l. sola C. de longi temporis præscript.* Neque 112
ius decimarum, aut aliæ res sacræ à Laicis, *c. Causam, extra de Præscript.* Neque seruus fugitiuus, *§. sed aliquando, Instit. de Vsucapion.* Neque exemptio ab obedientia sui superioris, *c. Cùm non liceat, extra de præscript.* Neque res communes ad publicum, scilicet Reipublicæ, vsum deputatæ, vt viæ publicæ, Ità *l. Vsucapionem, ff. de Vsucapion.* Neque limites Episcopatuum, prouinciarum, & parochiarum *16. quæst.3. cap. Licet, & cap. Inter. & cap. Super eo, extra de Paroch* Neque Pensio, aut Canon, qui debet solui reipublicæ pro agris *16. quæst.4. §. Potest.* Neque possessiones agrorum à colonis, *l. Male agitur, C. de Præscript. triginta, vel quadraginta annorum.* Nec tributa 113
debita Principi *l. Comperit, C. eodem titulo.* Nec res, quæ prohibentur alienari per Legem, aut Canonem, aut à defuncto, aut per pactum, vt habent Syluest. *verb. Præscriptio, 2. num. 13.* & Valentia *quæst.6. punct.5.* Neque res, quas Precariò quis possidet, & non tanquam verus Dominus *l. Certo, §. Is qui rogauit, ff. de Precar.* Neque res empta à Prodigo, vel luxurioso, vel lusore. Nec res, quas probabili ignorantia Dominus ab alio possideri ignorat, vt explicat Syluester *num.17.* Nec res excommunicati, quam diu per eum non stat, quo minus liberetur ab excommunicatione, vt notant Syluester *num 19.* & Valentia: Eos de his omnibus vide, etiam Couarr. *loco citato.*

SECVNDA conditio est, vt res actu possideatur 114
ab eo, qui eam præscripturus sit, nam sine possessione non præscribitur, vt habet *regula Iuris*, neque vsu capitur, vt patet *l. sine possessione, ff de Vsucapion.*

TERTIA conditio est, vt res possideatur legitimo titulo vero, aut probabiliter præsumpto, vt titulo hæreditatis, emptionis, donationis, &c. *cap. si diligenti, extra de præscript.*

QVARTA

115 QVARTA conditio est, vt res possideatur bonâ fide, in conscientia credens esse suam, *cap. Possessor, de regulis iuris*, & *cap. Vigilanti*, & *cap. si diligenti, extra de Præscript.* Per quos canones censentur reuocatæ aliquæ leges ciuiles, quæ præscriptionem cum mala fide permittebant, vt sentiunt communiter Doctores *in cap. Finali.*

QVÆSTIO verò est: an sola dubitatio, quòd res sit aliena; impediat hanc bonam fidem.

ALIQVI dicunt, tolli; alij verò non; eos vide apud Valentiam, qui negatiuam sententiam sequitur. Ratio est, quia, licet dubitans non possit incipere possidere; tamen, dum possidet, *Melior est conditio possidentis.*

116 QVINTA conditio est, vt possessio tanto tempore durauerit, quantum ex legum præscripto necessarium est. Nam ad præscribendum res mobiles, quarum potiùs potest dici Vsucapio, quàm Præscriptio, sufficit possessio triennalis inter præsentes, & quadriennalis inter absentes, vt patet *ex l. Quas actiones, C. de Vsucap.* Ad præscribendum autem res Ecclesiasticas immobiles, possessio exigitur longissimi temporis, nimirum triginta annorum inter præsentes; & quadraginta inter absentes, vt patet *in l. Quas actiones, & 16. quæst. 3.* Quin etiam ad præscribendum res Ecclesiæ Romanæ requiritur possessio centum annorum, *l. Quas actiones, C. de Vsucap. & 16. quæst. 3. cap. vlt.*

117 ITEM ad præscribendas res immobiles temporales, si primò quidem fuerint furto, aut vi acquisitæ, necessaria est in furis hæredibus possessio bonæ fidei triginta annorum; saltem inter præsentes, & quadraginta inter absentes, vt aiunt Syluest. *v. Præscript.* cum Valentia, *Et l. & omnis, C. de Præscript. triginta annorum.* Res autem cæteræ bono titulo acquisitæ præscribuntur possessione longi temporis, nempe decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes, *l. Quas actiones, C. de Vsucapion.* Et *l. malæ fidei C. de Præscript. longi temporis.*

118 SEXTA conditio est, vt bona fides toto illo tempore præfixo non interrumpatur, *cap. Illud autem*, & *cap. Quoniam omne, de Præscript.* Itaque si aliqua desit ex his conditionibus, iudicanda est præscriptio inualida, & restituendum. Si autem omnes hæ adsint, legitima erit præscriptio; vt docent communiter D.Bonau. præsertim D.Thom. *quodl. 12. art. 25.* Scotus *in 4. dist. 15. quæst. 3.* Palud. *eadem dist. quæst. 2.*
119 Durand. *in 4. dist. 41. quæst 4. art. 1. ad 1.* & alij apud Valentiam. Et patet ex legibus suprà, & *C. Nos Sanctorum*, & *C. Quoniam omne, de Præscript.* Hæc ferè habes etiam apud D.Bonau. *in speculo animæ, cap. 2.* & *locis allegatis 1. 2. disput. de Conscientia.* Et *in 4. dist. 15. p. 2. artic. 2. quæst. 1.*

DVBITATIO IV.

Quando restituendum, acquisitum titulo mercedis pro functione officij.

120 PRIMO quidem tenetur restituere, quando id non est emeritus, negligenter operando, aut omittendo, quæ sui sunt muneris. Ità Clerici omittendo officium, ad quod tenentur ex aliquo beneficio; tenentur, pro rata omissionis, restituere, vt probatum est *tom. 4. disp. 17. quæst. 10. ad prop. 20.*

SECVNDO, si aliunde habuit mercedem, vt Iudex, qui accipit nouam mercedem, vt iustam ferat sententiam. Ita communiter cum Adriano *§. restat inquirere*, & Valentia.

TERTIO qui accipit mercedem pro officio, ad quod alioqui tenetur, vt pro ferendo vero testimonio, *cap. Non sane 14. quæst. 5.* & docent Doctores apud Valentiam.

PRÆTEREA id, quod accipitur pro mercede 121
actionis malæ contra Iustitiam, & nullam aliam commoditatem afferat alteri, præter eam, quæ fit contra Iustitiam, vt pro occidendo homine, pro ferenda iniusta sententia, &c.

AB hoc quidem onere voluêre nonnulli, Iudices, iniquè sententiam proferentes, vindicare; secus, si iustè iudicarent; eâ potissimùm ratione, quod iustam sententiam debet iudex; iniustam verò nequaquam; vnde si Iustitiam, ex se debitam, munerum interuentu vendat, restitutioni iacet obnoxius: Cùm verò non debeat iniustitiam, si quid pro ea acceperit Iudex, sibi id posse retineri, perhibent.

PRÆTEREA alia id ratione munire satagunt, 122
quia scilicet contra Iudicem, ob iustum iudicium ab vno litigantium remuneratum, datur actio; potestque, qui munera contulerat, litem intentare, cùm alio titulo fuerit sibi ius illud adiudicandum: actio verò illius, qui iniustam sententiam, iudicem subornando, sibi propitiam emulsit, tota perit, & proscribitur.

FATEOR equidem, priorem rationem, tanquam valde ineptam, haud immeritò, ludibrio suis authoribus verti à quodam Salisburgensi Theologo, qui acri satis stilo in eos inuehitur; Si enim ideò pretium iusti iudicij est restituendum, quia quippè ius debitum nequit vendi, ideo nec Ius indebitum potest vendi: Et, si ideò nequeo rectum Iudicium vendere, quia illud emptuio iam debeo, ideo etiam iniquum possum, venditioni exponere, quia illud non debeo; cùm autem hic agatur de posse, vel non posse morali, siue iuris; idem esset; ac si dicerem: ideò non debeo rectum iudicium vendere, quia illud debeo; & ideò illicitum debeo, vel licitum est, quia non debeo.

Aliam huiuscè disparitatis rationem attuli *tom. præcedente disp. 17. de conscient. quæst. 10. ad proposit. 16.* quia scilicet publico stipendio Iudicis opera sat compensatur, quare nequit bis in id ipsum solutionem exigere; non tamen iniquè iudicantem ab onere restitutionis exemi, nec tamen priori domino aliquid restituendum censui; cùm æquè ab vtroque Iustitia sit temerata, vnde ille indignus est vt recipiat; iste verò vt retineat; sed pauperibus, aliisue piis vsibus totum erogandum, cum vniuersa Theologorum, & Iurisperitorum classe asserui; vnde eneruatur vis secundæ rationis, quæ posse iudicem, quicquid pro iniusta sententia receperit, retinere contendit.

POTEST quidem, titulo donationis, non mercedis, accipi iure naturæ id, quod datur sponte ad qualemcumque turpem actionem, non vt ob caussam principalem, sed ob quandam conditionem. Ità Nauar. *cap. 17.* Valentia *loco citato.* Excipe tamen donationes militis, factæ meretrici, *Leg. Affectionis, ff. de donat.* Et *Leg. Miles ita, §. Miles, ff. de test. Militari.*

DVBITATIO V.

An restituenda merces meretricij.

PLVRIMI, nec ignobiles Doctores constanter 123
clamant, non posse meretricem accipere mercedem, eamque acceptam non posse retinere. Ita Angelus, Baldus, & Iason *super §. Sed & quod meretrici,*

l. 4

l.4. ff. de Condict. ob turpem causam, & alij Iuristæ, quos citat Couar. *relect. in reg. Peccatum*, *p.2. §.2.* Ioan. Medina *quæst. 20. de restituendis.* Nauar. *in Manuali*, *cap.17. num.36.*

Ex quo inferent, non teneri mœchantem dare mercedem. Ita etiam Durand. 3. *dist.39. quæst.4.* Medina *Cod. de restit. quæst.20.* Comitol. *resp. moral. lib.3. quæst.5.* Ioannes Valerus *in differ. vtriusque fori*, *verbo Promissio*, *diff.8.* & probabile existimat Diana *p.1. tract.16. resol.40.*

124 Opposita sententia est D. Bonauent. *in 4. dist.15. p.2. art.2. quæst.1. ad 4.* D.Thom. 2.2. *quæst.32. art.7.* & Caietanus ibi, Alens. 4.*p. quæst.86. membr.3. art 6. §.2.* Richardi 4. *dist.15. art.5. quæst.8.* Soti *l.4. de Iust. quæst.7. art.1.* Couar. *relect. allata* suprà; Valentiæ *disp.5. quæst.6. punct. 5.* Homob. *in exam. Eccles. p.2. tract 9. quæst.14.* Regij *in resol. casu* 8. Sayri *lib.10. tract.5. cap.3. num.34* Aragon. 2.2. *quæst.32. art.7.* Azor. *p.2. lib.4. cap.21. quæst.2.* Salonij 2.2. *quæst.62. art.5. contron.4.* Syluij 2.2. *quæst.32. art.1.* Cordubæ *lib.1. quæst.32. art.2.* Tanner. *disp.4. dub.10. num.300.* Malderi 2.1. *tract.1. cap.9. d.7.* Torriani 2.2. *Tom.* *disp.14. dub.1.* Villalob. *tom.2. tract.12. diffic.16.* Rebell. *p.2. lib.18. quæst.1.* Lopez *p.1. cap.105.* Lessij *lib.2. cap.14. dub.8.* Dianæ *loc. cit.* Hi dicunt, posse à meretrice accipi mercedem. Est communis fere omnium Theologorum, & Iuristarum, vt ait Tannerus.

125 Probatur ex *l.4. §. Sed & quod meretrici, ff. de conductis ob turpem causam*, vbi Vlpianus id habet expressè.

Probatur secundò ratione à Caietano, Valentia, & aliis, quam subtilem conclamant. Primò pro omni actu pretio æstimabili potest accipi pretium; sed actus meretricius est talis: Ergo. Maior probatur, quia sufficit agere circa proprium virtutis obiectum, & super illud cadere actionem, etiamsi aliunde ratione circumstantiæ actus ille opponatur alicui virtuti, distinctæ à iustitia, vt infert Eligius Bassæus, *verb. Restitutio*, *4. num.3.*

126 Est autem obiectum proprium Iustitiæ quæcumque res pretio est æstimabilis. Confirmatur Maior, exemplo; nam res, quæ venditur, tempore, vel loco vetito, iure transfertur: Minor probatur; nam meretricium exhibet materiam cuidam homini naturalis delectationis: Ergo est pretio æstimabilis, non secus, ac actus exhibendi cibos, &c. etiam ad ebrietatem procurandam. Ea est ratio D. Bonauent. vt dicam.

127 Obicias primò. Si hæc rectè possent accipi: Ergo & Deo offerri. Et tamen *Deuter.23.* legitur: *Non offeres mercedem prostibuli in domo Domini.*

Respondet Valentia ex D. Bonau. *loc. cit.* non respui pretium meretricij, quia sit de alieno, sed ob indecentiam, sicuti etiam oblatio ex pretio Canis respuebatur.

Obicies secundò Iura, quæ generatim astruunt, non posse pro re turpi accipi mercedem, neque valere pactum, aut condictum de illa *l. Generaliter*, *l. si flagitij*, *ff. de verb. oblig. l. Mercalem*, *C. de Condictio ob turpem causam.* Et *l. Iulian gentium §. si ob maleficium*, *ff. de pactis.*

128 Respondet Valentia ex D. Bonau. *loc. cit.* Iura intelligi de actionibus, quæ sunt contra Iustitiam, & mala fide possidentur, vt sunt pactiones deceptoriæ, perniciosæ ad vitam, vt qui in tormentis pretia exponunt ferientibus alios. Talia sunt pacta vsuraria, & alia huiusmodi, in quibus non transfertur dominium ex redditione, scilicet alicuius rei pretio æstimabilis, qualis est exhibitio corporis ad luxum. Quamuis autem illa actio non sit æstimabilia formaliter, vt mala est; tamen æstimatur, vt delectabilis naturaliter; & hinc collige, in Seraphico haberi omnia, quæ ad huius rei decisionem spectant, 129
dum ait, fieri translationem dominij pecuniæ in meretricio. Erubuit autem purissimus Virgo dicere, quid det meretrix, sed solùm ait, quod illa actio est sufficiens ad transferendum dominium, quo pacto loquitur etiam Caspensis *disp 8. sect.2.*

Si quæ autem argumenta probare videntur, mercedem hanc esse illicitam; probant solùm quoad turpitudinem formaliter; vel quoad non habentes dominium, vt sunt pupilli.

Quod verò dixi de meretricibus expositis, dicendum & de concubinis priuatis, quoad forum internum, vt aduertit Valentia, & Couar. *loc. cit.* Medina *ad 5.* Sotus *lib.4. quæst.7. art.1.* & alij. Ratio est suprà allata. 130

In foro verò externo non posse mercedem accipi pro iis actibus occultis, qui, si sciantur, puniuntur; atque adeo neque in foro interno, post latam iudicis sententiam. Nullus enim potest gaudere iuris beneficio propter actum, qui iure est puniendus. Ità Couar. suprà, Valentia *loc. cit.* & communiter & colligitur ex *l. Mercalem*, *C. de condictio ob turpitud.* & *l. Lucius Titius*, *ff. de Iure fisci.* Vide Bassæum *loc. cit.* Syluium 2.2. *quæst.62. art.2.* Fill. *tract.31. cap.9. quæst.9. & 10.* 131

Cæterum de actibus aliarum meretricum occultarum, pretio æstimabilibus, qui iure non soleant puniri; ait Valentia, vtramque partem esse probabilem. Pretium verò, datum à Religioso meretrici, est restituendum monasterio, vt docet Caspens. *loc. cit.* Vasquez *cap.7. dub.3.* & communiter apud Fagundez *lib.7. cap.5. num.33.* 132

Ante verò factum nihil accipi potest, quia tenetur abstinere ab opere prauo, ideo rescindendus contractus, vt ait Bassæus cum aliis.

Dubitatio VI.

Quando sint restituenda, acquisita aucupio, piscatione, & venatione.

Loquor quoad Feras, Pisces, & Aues, quæ iure gentium libera esse possunt, & tunc non est restitutio facienda, si capiantur, quia sic fiunt primò occupantis. 133

Quando verò aluntur ab aliquo in locis septis, vt pro libito ea capias, vel eant, & redeant domum. Hæ tamen, si damnum aliis inferant, cogent ad restitutionem. Et hoc videtur etiam de Columbis; sed tamen non cogunt Syluester *verb. restit.2. quæst 4.* nec Valentia *quæst.6. punct.5.* afferens lepidè rationem, quia stercorando campos, tantùm reddunt quantùm damnificant.

Porro Columbaria esse licita communiter astruunt cum Nauarro *num.126.* Vide Tannerum *disp.4. quæst.6. num.352.* Caspensem *disp 6. sect.1.* Quod si ad alterius Columbarium sæpius euolent, & ibi quiescant, & habitent, transfertur dominium. *Instit. de rerum diuisione.* 134

Idem dicitur de Feris aufugientibus, vt non amplius eas prosequi queas, & de Apibus *ex Instit. cit. & ff. lib.3.4. & 5.* Vide Tannerum *num.354.*

Secundo si Feræ, pisces, aut aues capiantur in loco reseruato à Principe, videntur restituenda. Supponit autem Valentia *quæst. 6. punct.5.* Medina 135

quæst.12,

quæst.12. de rebus restit. Sotus *lib.4. de Iust. quæst.6. art.4.* Nauar. *cap.17. num.120. & 124.* posse Principem sibi aliqua loca ad venationem reseruare pro recreatione à laboribus, & occupationibus, quas pro bono publico sustinet. id probat latè Couar. *relect. in Reg. peccatum, p.2.* § 8. & sequuntur Caspensis *disp 6. sect.2.* Diana *p 2. Tract 6. resol.18.* Valerus *v. peccatum, differ.16.* qui etiam ad aliquos magnates idipsum extendit cum Villalob. *Tom.2. Tract.10. diffic.16. num.7.* Quare Diana ait, sic se defendisse quemdam Magnatem. Sic & Tannerus *num.350.*

136 Hac tamen conditione, vt non inferant damnum populis inuitis. Quod si consentiant verè, & sponte, non tenebitur Princeps restitutioni. Ita Caietanus *opusc.17. qq. cap.12.* Couar. *num.11.* Nauarr. *num.120.* & Valentia. Id ipsum asserit etiam D.Bonau. Aduerte, clericis vetitam venationem clamorosam *cap.1. de cler. ven.* si tamen quibusdam paucis canibus exerceatur, eam concedit Diana *p.2. Tract.6. resol.19.* Imò, & rara permittitur, sit licèt clamorosa; cum Valero *v. Peccatum, diff.20.* & Rebellio *lib.1. quæst.14. num.10.* & aliis.

Dubitatio VII.

Quando restituenda sint, quæ sunt acquisita per vsum rerum communium.

137 SOlent nonnunquam è Syluis Communitatis ligna cedi, & animalia in pratis ipsius pasci.

Respondetur, teneri ad restitutionem eius, quod immoderatè super id, quod alicui licet, vt membro communitatis. ita Valentia *quæst.6. punct.5.* Excipe, si quasi extremè indigeat; tunc enim etiam de Syluis quorumlibet potest necessarium accipere, vt docent
138 Sotus *lib.4. de Iust. quæst.6. art.4.* Medina *quæst.12. de restit.* Valentia *loc. cit.* Tannerus *num.348.* Molina *Tom.1. tract.2. disp.58.* Salon. *quæst.62. art.3. controu.2.*

Dubitatio. VIII.

An acquisita ludis illicitis, sint restituenda.

139 NOn loquor de acquisitis per ludos licitos industriæ, quibus vti licet moderatè ad leuamen; estque virtus Eutrapeliæ, vt tradit Aristoteles *4. Eth. cap 8.* & D.Thom. *quæst.168. art.2.* & communiter alij. His acquisitum. non est restituendum.

Est igitur quæstio de ludis, qui omninò, vel maiori ex parte pendent à fortuna, & ita prohibetur ludus Alearum omnibus, tum Clericis, tum Laicis, *C. Episcopus 35. distinct.* Et *C. Clerici 1. extra, de vita, & honest. clericorum,* & *l. solent. ff. de alea vsu, & aleat.* Et *Auth. alearum vsus, C. de religiosis, & sumptibus fund.* Sub hoc autem ludo prohibentur omnes ludi similes fortunæ, vt obseruat Nauar. *cap. 20. num.6* Valentia *quæst.6. punct.5.* cum D.Bonau. *loca citando.*

140 Quæritur verò: An his ludis acquiratur dominium.

Prima opinio est, acquiri dominium, si absit fraus, & dolus. & colludens potuerit alienare, neque vlla Lex extet prohibens talis dominij translationem. Ita Alensis *4.p quæst 86. membr.3. art 6.* Adrianus *de Restit.* Ioan. Maior *in 4. dist.15. quæst.13.* Gabriel *eadem dist. quæst.13. art.1. & 2.* Couar. *in Reg.*
Peccatum, p.2. § 4. Caiet. *2. 2. quæst.32. art.7.* & *in*
summa, v. Ludus Ioan. Medina *de rebus restit.* Sotus
lib.4. de Iust. quæst 5. art.2. Nauar. *in Manu. cap.20.*
& 29. Valentia *disp.5. quæst.6. punct.5.* Fagundez *in*
octauum Præceptum, cap 27. num.11. Molina *Tract.1.* 141
de Iust. disp.99. Syluest. *v. Lex, quæsita 28.* Cabo
quæst.41. Salon. *quæst.5. de dominio, art.6.* Lessius
lib.2. cap.26. dub.3. Tannerus *dub.8.* Et multò magis
id tenent hi, qui dicunt, non teneri eum ad restitutionem, qui taxillis ludo amissis pecuniis multis, coëgit lusorem persistere in ludo, & redemit omnes omissas, & alias insuper, vt Lessius *lib.2. cap.26. dub.2.* Gersias *de contract. p.2. cap.19.* Diana *p.1. Tract.17. resol.27.* & illi, qui cogunt soluere pecuniam, taxillis amissam, Azor. *p.3. lib.5. cap.24. quæsita 7.* Bannes *2. 2. quæst. 32. art. 7.* Rebell. *p.2. lib.12. quæst.8. num. 6.* Salon. *2. 2. quæst.62. artic.6. quæst.5.*

Secunda sententia est, acquisita per huiusmodi ludos esse restitutioni obnoxia. Ità Palud *4. dist.15. quæst.3. art.5.* Rich. *art.5. quæst.8.* Panorm. *in cap. Clerici 2. de vita, & honestate clericorum,* & *in cap. Quia plerique, de Immunitate Eccl.* & aliqui alij Canonistæ, quos citat Gabriel *4. dist.25. quæst.13. art.1.* Allegatur etiam D. Bonau. *in 4. dist.15. p.2. art.2. quæst.1.* à Valentia, & aliis 142

Sed audiamus S. Doctorem *in resp. ad 4.* Cùm 143
enim dixisset, malæ fidei possessorem non posse de
his, quæ mala fide possidet, erogare in eleemosynam, qualia sunt furta; subdit: Si verò quæritur de
Aleatore, dicendum est generaliter, quod est malæ
fidei possessor, & iniusto possidet titulo: Et ideo
nullomodo debet sibi tenere, quod lucratus est, cùm
talis ludus sit turpis, & reprobatus, & contra Deum,
& contra omnia Iura. Verum tamen teneatur restituere, distinguunt aliqui, quia aut ille, à quo lucratus est, talis sit persona, quæ rebus suis præesse non potest, vt puta Minor, siue Pupillus, Surdus, Mutus,
aut perpetuò morbo languidus: & sic tenetur restituere: Si autem sit talis persona, quæ potuit amittere;
aut tractus est ab illo, & inductus; aut non; si tra- 144
ctus est ab illo, non tenetur illi restituere, quia illi
non competit repetitio in vindictam peccati, sed potest inde facere eleemosynam. Si autem ipse traxit
eum, non potest eleemosynam facere, sed tenetur restituere, saltem in foro conscientiæ; quia, licèt nullus velit amittere, tamen, qui non vult amittere, nec
ludere, sed inducitur, minus culpabilis videtur; &
alius, qui inducit, magis; & ideo iste non debet
damnificari; nec auctor, nec inductor in aliquo meliorari: nulli tamen licet ex hoc aliquid lucri acquisiri in proprios vsus conuertere. Similiter iudicandum 145
est de Torneamentis, & dicendum, quod in illis pactionibus, quas habent inter se, bona non transferuntur inuicem, sed in vsus pauperum conuertuntur propter ludi inhonestatem, & iuris interdictionem. Hæc S.Bonauentura.

Similiter *in speculo animæ, cap.2.* ait: Quintus 146
fructus rapinæ est ludus alearum, seu taxillorum, qui prohibitus est tam à iure Canonico, quàm Ciuili. Vnde de hoc dicunt quidam, quod sit peccatum mortale, eò quòd sit contra ius Canonicum, & Ciuile; & quod ex ludo habetur, nullo bono titulo possidetur, nec potest retineri, sed debet pauperibus erogari. Quia enim, qui in ludo lucratur, iniustè lucratur, & qui amittit, iustè amittit; ideò qui lucratur, eidem à quo lucratur, restituere non tenetur, nisi fortè induxerit ad ludendum. Cùm autem ludus satis videatur ex radice habere rationem mortalis peccati,

cati, quia scilicet ex auaritia videtur procedere, & quia ludo multa communiceantur peccata, scilicet fraus, mendacium, periurum, blasphemia, scandalum, amis-
147 sio temporis, & ira frequenter. Ideò hæc causa probibitionis ludi esse videtur. Cùm ludit aliquis causa recreationis, peccatis supradictis exclusis, non videtur habere rationem mortalis. Hæc S.Doctor.

Ex his omnibus habes, S. Bonau. locutum, referendo opinionem aliorum; nec reprehendendum à Valentia, & aliis in aliquo.

Primo enim dicit, ludum alearum esse ab vtroque Iure vetitum; & hoc suprà ostendi, relatis iuribus.

148 Deinde docet, ideò videri peccatum mortale aleis, & taxillis ludere.

De clericis quidem, & Religiosis, peccare eos mortaliter transgredientes has leges, vbi contraria consuetudine non sint abrogatæ; si ludant pro notabili quantitate, & præsertim ex fructibus beneficiorum, asseruot Nauat. *cap.20. num.9.* Sotus *l.4. de Iust. quæst.5. art.2.* licèt aliquando dubius hæsitet Caietanus de Clericis, qui sint prælati; Idem asserit *in summa, verb. Ludus*; de quibus id asserit Sotus minùs dubitanter, & probatur *ex C. Episcopus 35.dist.* & *C. Inter dilectos extra, de excessibus prælat.* vbi clericus ob aleæ vsum iobetur deponi, quæ pœna non infligitur, nisi ob culpam mortalem, vt colligitur ex *C.Non afferamus 24. quæst.1.* subscribit Valentia.

149 De Laicis autem, existimant Nauar. Sotus, Caietanus, & ipse Valentia, eos non peccare mortaliter, seclusis aliis paucis circumstantijs contra ius naturæ, de quibus dictum est suprà. Ratio est, quia, vel illæ leges non cogunt adeo seuerè Laicos, & sunt consuetudine derogatæ, saltem quoad mortale. Eadem eodem modo ferè loquitur S.Doct.

150 Audit, his legibus, & Decretis, non prohiberi hos ludos, si instituantur principaliter ob recreationem: Et hoc colligunt Doctores, & inter eos Valentia *ex l. Quod in conuiuio, ff. de Alea vsu*; sed, si principaliter exerceantur ob lucrum, vt notat ex causa Nauar. *num.6.* & Valentia *loco citato*.

151 Docet proinde, eum, qui traxit alium, & efficacitet induxit ad ludum, si lucretur, teneri ad restitutionem, quod idem asserit D.Thom. *quæst.3. art.7. ad 2.* & hoc clarum esse docet Valentia, etiam ante Iudicis sententiam; & allegat Doctores, suprà relatos pro sua sententia; hoc enim significauit eisdem verbis S.Thomas de eo, qui traxit ad ludum; tractionem autem ait Valentia intelligi non quamliber attractionem, nam hæc non sufficit ad impediendam dominij translationem; in quo deceptus Adrianus exponit malè D.Thomam, vt notarunt Valentia, Couar. & Medina allati; sed intelligitur violentiâ, vi manifesta, vel importunissimis precibus, quæ rubore suffundant, parta si opponar, eum pauperem esse, vt iidem Doctores suprà exponunt, & cum eis Valentia.

152 Porro hunc teneri ad restitutionem, præter allegatos à Valentia, tenent Clauis reg. *l.11. cap.63.* Malderus *2.2. Tract.1. cap.12. dub.3.* Fernandez *in suo exam. Theol. moral. p.1. cap.15. §.6.* Molfesius *Tom.2. tract.12. cap.21. num.59.* Adde Toletum *l.5. cap.27.* Megalam *2.2. l.2. cap.19. quæst.2. num.16.* loquentes de eo, qui sciat, & coëgit socium ad permanendum in ludo, & recuperauit amissa, & insuper alia lucrifecit, aiunt teneri ad hæc saltem superlucrata restituenda, vt refert Diana *p.1. resol.27.* addens pro sententia S.Bonau. Alphonsum de Vega *in summa p.2. cap.13. casu 12.* Rebellinm *de oblig. iust. p.2. lib.12. quæst.3.* Azorium *p.3. cap.25. lib.5. quæsita 1.* Valentiam *loc. cit.* Comitolum *in resol. Moral.*

lib.3. quæst.9. Salam *Tract. de Ludo disp.6.* Bannes, & Aragon. *2.2. quæst.32. art.7. ad 7.*

Probatur, quia, qui ita ludit, inuoluntariè ludit. Hæc est ratio D. Bonau. suprà, quam oppionem propter rationes, quibus nititur, sequendam ait Reginald. *Tom.1. lib.10. cap.25. num.385.* nec improbabilem credit Diana *loc. cit.* & Lessius *l.2. cap.26. dub.2. num.9.* 153

Audit S.Doct. eum, qui tractus est, & vicit, non teneri restituere, quod omnes ferè allegati sustinent. Ratio D.Bonau. est, quia tractori non competit repetitionis priuilegium, à iure concessum, quia tractione, se indignum reddit.

Asserit etiam eum, qui vicit pecunias, sanè in notabili quantitate ab his, qui res suas tegere nequeunt, quos recenset cum aliis similibus, teneri restituere, quod tenent etiam Valentia *loc. cit.* & alij apud eum. Imò Molina *tom.1. disp.141.* Sanchez *l.6. disp.38.* Lessius *lib.2. cap.17. dub.8.* post Glossam Nauarrum, Lopez, Cordubam, & alios apud Sanchez docent, proximos pubertati pueros decennio, & dimidio anni, puellas nouennio, & dimidio, manere obligatos naturaliter contractibus onerosis, non tamen circa immobilia, & alia, quæ sibi sunt seruanda nisi tamen etiam cum Tutoribus contrahant. Quæ doctrina eximit à molestia Confessarios. 154

An verò is, qui nec traxit alium, nec fuit tractus, sed concors lusit, teneatur restitutioni, nihil definit; solùm ait. Si acquisiuit, esse possessorem malæ fidei, quippe contra iura acquisiuit, & non debet illas pecunias in vsus suos conuertere, sed debet dare pauperibus, quia non transfertur absolutum dominium pacificè, eò quòd iura resistant, & inducant repetitionem, & quia est lucrum turpe, contra leges adeptum. Hoc verò non astruit proprio sensu resoluto. 155

Ideo enim non cogitur in iudicio soluere, qui perdidit, & datur actio ad repetenda amissa, si iam soluit, quod sanè post sententiam iudicis intelligit S.Doct. cum Medina, Couar. Soto, & aliis, qui ita exponunt D.Thomam quibus subscribit Valentia.

Tandem, non teneri in conscientia eum, qui perdidit, & in spe, ac in fide lusit, docent Malderus *2.2. tract.3. cap.12. dub.3.* Lessius *l.2. cap.26. dub.4.* Aragon. *2.2. quæst.21. art.7. & quæst.62. art.1.* Ledesma *Tom.2. tract.31. cap.2.* Molina *Tom.2. tract.2. disp.515.* Philiarc. *T.2. p.2. l.5. cap.2. num.11.* Toletus *l.5. cap.27.* Diana *p.1. Tract.17. resol.8.* & *Tract.5. resol.44.* qui *Tract.4. resol.169.* 156

Idem ait de eo, qui vicit ludentem chartis falsis. Ratio est, quia cui datur actio ad repetendum, à fortiori conceditur exceptio ad non soluendum, iuxta regulas vtriusque Iuris; sed in ludo prohibito, vt dixi, datur actio ad repetendum. Subscribunt Medina *l.1. cap.14. §.19.* Couar. *reg. Peccatum, p.2. §.4. num.8.* & decem & octo Doctores apud Salam *Tract.1. de contract. disp.10.* 157

Hæc intellige stando in iure communi; nam si in aliquibus locis non est concessa repetitio perdenti; neque conceditur exceptio, vt non soluat.

Hæc est sententia D.Bonau. *loc.cit.* vbi concedit repetitionem ei, qui perdidit, atque adeò exceptionem, vt non soluat. 158

Multi tamen apud Dianam docent, hunc teneri soluere; Azor. *p.3. l.5. cap.24. quæsita 7.* Bannes *2.2. quæst.32. art.7.* Rebell. *p.2. lib.12. quæst.8. num.6.* Valentia *loc.cit.* Salon. *2.2. quæst.62. art.6. quæst.5.* Garzias *de contract. l.2. cap.29.* Tanner. *disp.4. quæst.6. dub.1.* & alij. Ratio est, quia promissio, nisi ipso iure irrita sit, obligat: Sed hæc in ludo non est irrita, sed solùm datur actio ad repetendum *l. Alearum, C. de Relig. & sumpt.* 159

DVBITATIO IX.

Quanam sint restituenda ratione inuentionis.

160 OBSERVAT S.Doct. *in speculo animæ*, *cap.2.* quædam inueniri in littore maris, vel aquæ communis; quædam effossione, vt thesauros. de quibus latè Fagundez *in septimum Præceptum decalogi*, *lib.7.cap.22.* Quædam inuentione, quæ sub alicuius dominio erant, nec inuenitur eorum dominus.

QVOAD ea, quæ inueniuntur in littore maris, certum est proiecta in tempestate, vel submersa naufragiis, esse dominorum, atque adeò in Bulla cœnæ ea bona, quæ sunt Christianorum, vsurpantes anathemate feriuntur, vt notat Caspens. *disp.7. sect.3.*

QVÆSTIO est de proiectis à mari, quæ nunquam habuere dominum, vt sunt Pisces, Balenæ, Lapilli, Gemmæ, Vniones, Ambarum, &c.

161 PRIMA opinio est, talia esse primi occupantis, qui ea inuenerit. Ita Firmus *v. Inuentum*, Gutierrez *l.2. quæst.can. cap.9.* Rodriquez *in summa*, *cap.197.* Tanner. *disp.4. quæst.1. dub.7.* & constat *ex C. Ius generale* & *C. Ius gentium*, *dist.1.* & *C. dilectissimi* 12. *quæst.1.* & *l.1. ff. de acq rerum dominio ex* § 1. & *§. singulorum*, & *§ capilli*, *&* *§. ferè*, *Instit. de rerum diuisione.* Hæc est sententia D.Bonau. *loc. cit.* & videntur eam, vt communem, supponere Caspens. *disp.7. sect.3.* & ita sæpe definitum in senatu regio Lusitano refert Cabedo 2. *p. diuisione* 48. *num.9.* & Fagundez *in septimum præceptum*, *l.7. cap.22. num.4.* & ita habetur in Ordinationibus Lusitaniæ *lib.2. tit.26.* Et idem notant Barthol. *ad l.3. ff. de acquir. rerum dominio.* Et Ripa *l. Rem*, *quæ nobis*, *ff. de acquir. possess. numero* 34.

162 ADDIT tamen Cabedo *diuis.*48. Ambarum quidem, in littore inuentum, esse primi occupatoris, & inuentoris; at Balenas ad Regem pertinere; ex quo etiam sequitur, Ambarum, quod è Balenæ extrahitur ventre, ad regem pertinere. Sed tamen ait Cabedo, decisum esse, Ambarum, quod est ambra, odoramenti genus, ad Regem non pertinere, nec ex illo quintam partem Regiæ Gazæ deberi.

163 SECVNDA tamen opinio fuit, hæc inuenta, esse Principis. Ita Angelus §. *Item lapilli*, *Instit. de rerum diuis.* Et quoad Ambarum probatur, quia partus sequitur ventrem, vt ait Barthol. *l. si quis ex Pamphila*, *ff. de legatis.* Sed Balenæ ex consuetudine ad Regem spectant: Ergo & Ambarum: Hæc tamen opinio est improbabilis; neque ipsæ Balenæ, è quibus Ambarum habetur, ex iure communi sunt Regum.

164 QVOAD animalia errantia in terris alienis, cum nec adhibita etiam diligentia potuerunt agnosci eorum domini, iuxta ius Lusitanum *in nouis ord. l.2. tit.26.* sunt Regis. Eadem Lex habetur in Regno Castellæ *lib.6. tit.13.* Attamen probabilius est, esse restituenda pauperibus, vt asserunt Petrus Nauar. *de restit. lib.4. cap.2. num.*82. Fagundez *loc. cit. num.7.* Armilla *verbo Inuentum.* Paludanus *in 4. dist.* 15. & alij.

QVOAD bona inanimata, quorum dominus aliquis erat, vt pecuniæ, vestes, aurum, &c. an possint retineri ab inuentoribus, & diuitibus, si post diligentiam non inuenitur earum Dominus.

165 PRIMA opinio assertiua est Soti *de Iust. lib.5. quæst.3. art 3.* Aragonij 2.2. *quæst.62. art.3.* Petri Nauar. *de restit. lib.4. cap.2. dub.9. num.75.* Rodriquez *summa p.2. cap.41.* Sayri *lib.10. tract.5. cap.3. a num.18.* vbi alios refert, & probabilem censet Malder. *tract.4. cap.4. disp.3.* Ratio est, quia nullo iure pauperibus hæc sunt destinata. Id censet cum aliis Tanner. *disp.4. quæst.6. dub.14.* esse probabile.

SECVNDA sententia est, hæc danda pauperibus. Ita Molina *T.4. de Iustitia*, *disp.145.* Rebell. *p.1. l.1. quæst.12. sect.1.* Lessius *l.2. cap.14. dub.7.* Turrianus 2. 2. *disp.* 42. *dub.2.* Azorius *tom.3. l.4. cap.27.* Couar. *ad reg. peccatum*, *p.3. §.1.* Malder. *tract 4. cap.4. disp.3.* D.Thom. 2.2. *quæst.62 art.5. ad 3.* Gutier. *l.2. qq. Can. cap.9. disp 9.* Syluester *v. Restit.3. quæst.1.* Nauar. *summa Latina*, *cap.17. num.92. &* 171. Armilla, *v. inuentum*, & *v. restitutio*, *num.*20. & communiter omnes, quibus subscribit Fagundez *in septimum præceptum*, *lib.7.cap.22.* 166

RATIO est, quia ità de his iudicandum, ac de bonis incertis. Sed illæ sunt pauperum: Ergo. Minor probatur *ex C. Cum tu de vsuris*, *&* *C. cum sit nimis de Iudæis*, & 14. *quæst.5. canone*, *Non sane.* Et *l. omnes peregrini*, *Cod. de success.* vbi definitur, bona peregrinorum, qui moriuntur in Hospitalibus, applicanda esse ipsis Hospitalibus. 167

AN verò hæc solo iure positiuo sint pauperum; est in disputatione apud Fagundez *cap.21.* & videtur probabilius iure naturæ deberi.

DE his S.Doct. ait; profectò non posse ea retineri, si probabiliter constat, fuisse sub alicuius dominio, & affert illud D.August. serm.21. de verb. Apostoli: *Si quid inuenisti*, *&* *non reddidisti*, *rapuisti.* Si autem possessor inueniri non potest, consuetudo terræ est seruanda: Optimè sanè definit S. Doct. considerata varietate legum, & consuetudinum in variis regionibus, de his maturiùs deliberandum. 168

QVOAD Thesauros. Thesaurus sic definiri potest cum D. Bonauent. loc. cit. *Est vetus depositio pecuniæ*, *vel rerum mobilium*, *de quarum dominio*, *vel occultatione*, *depositioneque nulla extat memoria.* Ita constat *ex l. Nemo*, *Cod. de Thesauris*, & *§. Thesauros*, *Instit. de rerum diuisione.* 169

POTEST autem inueniri Thesaurus in agro proprio, vel in terra aliena. De illo, qui reperitur in agro alieno, libero à feudo, & emphythensi, si casu thesauri effodiantur; asserit S. Doct. esse dimidiam partem inuentoris, alteram dimidiam Domini agri; patet *ex § Thesauros*, *Instit. de rerum diuisione:* Ex *l. vnica*, *Cod. de Thesauris*, & hæc dimidia pars debetur Domino fundi ante vllam sententiam, quia hæc dispositio iuris non est pœnalis, sed definitiua proprietatis rerum, & ideò ante sententiam obligat. Sequuntur Less. *de Iust. lib.2. cap.5. dub.15. num* 58. *&* 59. Nauar. *summa*, *cap.* 17. *num.* 275. Caietanus 2.2. *quæst.66. art.2.* Mercado *de contract.cap.15. num.128.* Sà *verbo Thesaurus*, Rebell. *lib.1. de oblig. iust. quæst.15. sect.2.* Molina *T.1. de iust. disp.56.* Fagundez *in septimum præceptum*, *l. 7. cap. 22. n.21.* & conueniunt alij. Vide Tannerum *disp.4. quæst.1. dub.5.* qui addit, iure naturali præcisè, esse totum inuentoris.

IN probat S.Doct. illo *Matth.13.* vbi dicitur ille, qui inuenit thesaurum: *Abiit*, *&* *emit agrum illum*, vt totus thesaurus esset suus. Cùm enim inuenitur in agro suo, thesaurus est totus primò occupantis, dummodò interueniat realis apprehensio eius; nec enim sufficit sola, & nuda inuentio illius, & hoc quidem de iure communi, vt patet *l. vna*, *C. de Thesaur.* & *dicto §. Thesauros*, *Instit. de rerum diuisione*, & docet Valasius *de Iure Emphytheutico*, *q.15.n.1.* Fagund. *num.13.* 170

*num.*13. cum Bartolo *lib.*1. *num.*17. & 18. *ff. de acquir. possess.* Cyno *l. licet, num.*6. *ff. eodem titulo* & aliis apud Valascum.

171 QVOD si inueniatur ab Emphytheuta in agro emphytheutico, aut à Feudatario in feudali agro.

PRIMA opinio est, esse de iure communi totum emphytheutæ. Ita communiter Iurisperiti, Accursius §. *Thesauros, Instit. de rerum diuis.* Platea *ibi num.*2. Faber *num.*1. Portius, & Iason *ibi*, Andreas Isernia, & Aluarot. *Titulo, quæ sint Regalia*, & alij apud Valascum *loco citato quæst.*15.

SECVNDA opinio erit esse diuidendum inter dominum, & emphytheutam. Ita Valascus speculator *de emphyt. num.*158. *vers.*132. Nauar. *summa, cap.*17. *num.*173. Sà *v. Thesaurum*, & alij apud Valascum.

172 RATIO è D. Bonau. est, quia dimidium Thesauri, secundùm iura, est Domini; at Emphytheuta, & Feudatarius, non sunt domini agri simpliciter, sed solùm ratione dominij vtilis, vt patet *l.*1. *Cod. de Vsufruct. l.*2. *Cod. de Mancip.*

DICES: Ergo dominium vtile nihil prodest; nam, etiamsi in alieno agro inuenerit, erit eius dimidium.

173 RESPONDET Fagundez prodesse, quia, siue casu, siue data opera quærat thesaurum, habebit medietatem, non sic in agro alieno, cuius non habet vsum; si enim in agro alieno dedita opera quærat absque Domini voluntate, totus est Domini fundi; non tenetur tamen ante iudicis sententiam dare totum, sed medietatem; post sententiam verò tenetur dare alteram medietatem, quæ est lex pœnalis ob iniuriam illatam Domino fundi.

174 QVOD si thesaurus in loco publico, puta in via effodiatur, erit totus inuentoris. Ita Less. *lib.*2. *cap.*5. *dub.*16. *num.*63. Couar. *ad reg. peccatum, p.*3. §.2. citans Baldum, & Cynum. Ratio est, quia non est aliquis dominus horum locorum specialis. Quod si in loco publico inueniatur, idest specialiter possesso à Principe; erit dimidium Principis, vt habetur §. *Thesauros, loc. cit.* Viæ autem publicæ sunt Principis tantùm dispositione generali.

IDEÒ aurifodinæ, & venæ argenti post Regum occupationem manserunt adhuc iure gentium incolis inuentoribus. Ideò infertur, non potuisse licitè priuari Basilienses, & Peruanos aurifodinis, & venis argenti, cùm essent horum pacifici inuentores, nec iniurias Christianis intulissent, ob quas bellum iustè eis inferretur. Itaque multò minus post conuersionem ad fidem potuere eis priuari, vt definit Ioan. XXII. Vide Rodriquez *cap.*47.

175 QVOD si thesaurus in loco sacro publico inueniatur, vt cæmeterio, probabilius est, & ad mentem S. Bonau. diuidendum, iuxta suprà dicta. Sic tenent Nauar. *summa cap.*17. *num.*175. Rebel. *lib.*1. *quæst.*15. *sect.*2. Couar. *ad Regulam Peccatum, p.*3. §.2. Gomez *ad* 5.45. *Taur. num.*51. Molina *disp.*56. Syluest. *v. Inuentum*; & ideò dimidium inuentoris, & dimidium prælati Ecclesiæ esse, quia hodie Ecclesiæ hac in parte illorum esse censetur, vt ait Fagundez *num.*26. Tanner. *num.*55. qui intelligit, si de industria inueniatur: at si casu ibi sit inuentus, totum spectare ad inuentorem docent Lessius, & Retella apud Tannerum.

176 MIHI non placet, Ecclesias esse Prælati, quia habet hic solum ius ad Decimas, & alia iura Parochialia non ad fundum. Itaque reor thesaurum totum esse Ecclesiæ, si de industria sit inuentus: at dimidium, si casu. Neque computanda Ecclesia cum viis publicis; in quo fallitur & Tostatus, *quæst.*66. *ad* 13. *Matth.* Habent enim Ecclesiæ iura, &c. Multò magis Cœnobia, & Collegia; vt ait Less. *n.*1. *lib.*2. *cap.*5. *dub.*15. *num.*50. & Fagund. *num.*26.

SI in agro dotali thesaurus reperiatur, dimidium erit vxoris, quæ est domina fundi, licèt constante matrimonio maritus habeat vsumfructum; non enim thesaurus inter fructus computatur; vt monet Fagund. *num.*28. Quo fit, vt & inuentus in prædio locato, aut conducto, dimidius sit domini prædij; dimidius inuentoris, & nihil vsufructuarij, &c. iuxta regulam Iuris à D. Bonau. allatam suprà.

177 QVOD si sit arte magica, vel aliis modis à iure damnatis repertus, deuoluitur Fisco *leg. vna, Cod. de Thesauris, lib.*10. Gloss. *ibi*, vt notant Fagund. *num.*32. Tanner. *num.*56. cum Molina *T.*1. *de Iust. disp.*56. Couar. *ad reg. Pecc.* 3. *p.* §. Lopez *de contr. lib.*1. *cap.*50. Aragon. 2. 2. *quæst.*66. *art.*5. Nauar. *Man. Lat. cap.*17. *num.*175. Sà, *v. Thes.* Valasc. *de iure Emphyt. p.*1. *quæst.*15. & alij communiter.

AD ampliorem huius rei notitiam quæri potest: An liceat emere agrum, in quo scimus, esse Thesaurum, non indicato thesauro Domino agri, nec aucto pretio illius.

178 PRIMA opinio asserens est D. Bonauenturæ *loc. cit.* D. Thom. 2. 2. *quæst.*66. *art.*5. Soti *lib.*5. *de Iust. quæst.* 3. Nauar. *cap.*17. *num.*175. Molinæ *de Iust. disp.*56. & *disp.*333. Syluestri *v. inuentum*, Rebell. 2. *p. l.*9. *quæst.*5. *num.*2. Sà *v. Thesaur.* Aragon. 2. 2. *quæst.*66. *art.*1. Mercado *de contract. cap.*15. Rodriquez *summa, cap.*47. Lopez *p.*2. *Instit. cap.*1. Lessij *lib* 2. *cap.*5. *disp.*15. *num.*64. Fagundez *num.*40.

EST autem contra Angelum, & Firmum *v. Inuentum*, Tabienam *v. Restitutio* §.26. & Valasc. *quæst.*15. qui inclinat ad hanc oppositam.

ASSERO cum prima sententia, talem agrum, Thesauri depositarium, posse emi, habitâ sola consideratione agri.

179 PROBATVR ab authoribus illius cum D. Bonau. ex illo Matth.13. *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro: quem qui inuenit homo, &c. vadit, & emit agrum illum*; Vbi asserit, posse hominem prudentem emere agrum illum, & nihil de augmento pretij dicit.

RESPONDENT, nihil inde colligi, dum nihil dicit de pretio; sed relinquere in debita æstimatione, cùm Christus fraudibus non faueat.

180 SED contrà; nam Christus in sua purissima doctrina expressisset id, quod erat necessarium ad contractum licitum. Imo colligo, hinc noluisse Christum aliud requirere; nam propositum erat ei agere de emptione regni cælorum per merita, quæ non sunt ex se adæquata tantæ gloriæ, vt exponunt SS.PP. Hilarius, Petrus Chrysol. Eusebius Emiss. & Haymo: Vel per thesaurum intelligitur Christus, vt explicant D. Hieronymus, & Christianus Druthmarus, & Gloss. ordinaria; aut VERBVM DEI, vt explicant SS. Chrysost. & Gregorius *in Biblioth. Homil.* Certum autem est, fieri vim in Thesauro, quòd absconditus sit, atque adeò ignoretur pretium agri, in quo deceptus est Tostatus *quæst.*65. *in cap.*13. *Matth.* nam, & verbum 181 prædicationis habet virtutem absconditam, vt docet etiam in alia parabola, quia comparatur grano Sinapis, vt explicat S. Hieron. nam continet sapientiam cælestem, sæculorum sapientibus incognitam: Similiter & Christus est, in quo sunt omnes thesauri Sapientiæ Dei absconditi, cùm tamen sit: *Iudæis scandalum; gentibus stultitia.* Sic & de regno beato, quod acquiritur in via. Quapropter non benè applicaretur, si esset emptus ager pretio ex parte nostra adæquato. Vide Patres allegatos.

SVBQVÆSTIO III.

De restitutione debita ex impeditis alicui bonis.

IVSTITIA violatur non solùm auferendo bona acquisita; sed etiam impediendo nè acquirantur; & hoc tertium caput est, ex quo oritur debitum restitutionis; de quo aliqua dicit S. Doctor in *speculo Animæ, cap.* 1. vbi quinque modos damnificandi describit, & ex quatuor primis ponit obligationem restituendi; bona enim aliorum, seu habita, siue habenda, impediuntur faciendo, præcipiendo, consulendo, iuuando, & dissimulando; hoc autem vltimo dicit non peccari sæpe mortaliter, nisi ex odio, aut alia praua dispositione in proximum oriatur; nam plerumque ex timore, & pusillanimitate dissimulatio hæc contingit; dum quis timet, ne malefactorum ita in se concitetur, & in proprium damnum redundet; vnde hinc nullus restitutioni tenetur: Aliter tamen dicendum esset de illo, cui ex officio incumberet tales malefactores coërcere; cùm hic Iustitiæ vinculis obligetur ad tuenda bona ex officio sibi credita; verùm alij ad id ex charitate tenentur, quare licitè possunt etiam dissimulare, cùm probabiliter credunt corripiendo, se non profuturos; vt habet D. Augustinus *lib.* 1. *de ciuitate Dei* apud Seraphicum, loco citato: *Si propterea quisque obiurgandis, & corripiendis mala agentibus parcit, ne deteriores efficiantur, non videtur esse cupiditatis occasio, sed Charitatis consilium.*

De aliis autem modis, quibus reus, impediendo proximi bonum, ad restitutionem tenetur *seqq. dubitationibus* dicam.

DVBITATIO I.

De restitutione bonorum, Vi, Dolo, aut praua intentione impeditorum.

SVPPONITVR primò è communi omnium consensu, non cogi eum ad restitutionem, qui precibus, blanditiis, vel aliis modis similibus suasit alicui, liberaliter donaturo vni, vt donet potius alteri; quia nulli adhuc Iustitia acquiritur, contra quam delinquatur; & hoc insinuatur *lege vlt. C. si quis aliquem testari prohibuerit*; quare si Caio restatuto precibus suadeas, vt potius Titio quàm alteri legatum relinquat, ad restitutionem non tenetur.

SVPPONITVR secundò iuxta Caietanum, Paludanum, Sylvestrum, & alios apud Azorium *p.* 3. *lib.* 4. *cap.* 9. *quæsito* 4. eum, qui impediuit quocumque modo dignum ab officio, vel beneficio, vt ab indigno possideatur, teneri resarcire duplex damnum, Ecclesiæ scilicet, aut Reipublicæ, cui indignos præfertur; & illius digni, qui ipsius intuitu reiicitur, cùm æquè egerit contra Iustitiam, priuando vtrumque, seu beneficio, seu ministro; Ità & vtrique indebitum damnum infertur.

182 SVPPONITVR tertiò vt certum, teneri restituere illum, qui etiam absque vi, dolo, vel praua intentione impediuit alterum, ne acquisierit bonum, ad quod habeat ius aliquod commutatiuæ Iustitiæ, siue id ius fuerit perfectum, quod vocant *Ius in re*, (vt notant Nauar. *cap.* 17. *num.* 89. Valentia *quæst.* 6. *punct.* 5. *col.* 923.) obtentum dispensatione inter viuos, aut testamento, aut legitima collatione, aut confirmatione, aut alio modo legitimo. Siue fuerit ius imperfectum, quod vocant Ius *ad rem* acquisitum (vt Nauar. & Valentia aiunt) iusta pro- 183 missione, emptione, stipulatione, electione, præsentatione, oppositione, concursu, expectantia, regressu, accessu coadiutoria, primogenitura, aut alio huiusmodi titulo; ex quo possit aliquis legitimè petere à Iudice, vt sibi libera facultas fiat, & conseruetur progrediendi vsque ad acquisitionem iuris perfecti, atque adeò realis possessionis ipsius. Hunc duplicem modum hic verbis expressit S. Doct. Damnificatio potest fieri dupliciter, aut impediendo bonum habitum; Ecce primum: vel habendum; Ecce alterum.

RATIO est, quia is violat iustitiam Commutatiuam: Ergo tenetur restituere, & quidem si habeat ius perfectum, impediens tenetur restituere totum; si verò ius erat imperfectum, tenebitur ad id, quod æstimabitur pro rata certitudinis emolumenti, &c. computatis computandis. 184

PONIT Valentia deinde vt certum, eum teneri restituere, qui dolo, fraude, aut vi impediuit alterutro, etiam indignum bono, ad quod non habebat aliquod ius ex distributiua, vel commutatiua; Sed hoc mihi non probatur, quia si nullum habet ius, non agitur contra iustitiam, indigno debitam; & licet peccetur contra Charitatem occultum alicuius crimen iniquè prodendo; cum tamen in charitatem solum delinquitur; nulla hinc restituendi obligatio enascitur.

QVÆRVNT autem: An inde nascatur obligatio restitutionis, quia ex aliquo malo affectu odij, & fine prauo impediuit alium à bonis acquirendis, siue ad id habuerit ius, siue nullum omninò. 185

AFFIRMANT Scotus 4. *dist.* 15. *quæst.* 6. *art.* 3. Palud. *quæst.* 2. *art.* 2. Richard. *art.* 5. *quæst.* 4. *ad* 7. & idem adscribunt D. Thom. *art.* 2. *ad* 4.

OPPOSITAM sententiam docet Adrianus *de Restit.* Sotus *lib.* 4. *de Iust. quæst.* 6. *num.* 3. Couar. *relect. in Reg. Peccatum p.* 2. §. 7. Nauar. *cap.* 17. *n.* 70. Valentia *quæst.* 6. *punct.* 5. *col.* mihi 924. Caietanus *art.* 2. Caspensis *disp.* 1. *sect.* 10. *num.* 116. Conar. *epist.* 4. *p.* 2. *cap.* 6 §. 7. Hæc absque controuersia est vera, quam S. Doct. supponit *in speculo animæ, cap.* 1. & 2. vbi ex sola damnificatione eruit obligationem restitutionis; & ideo, quæ fiunt ex odio, ponit quidem opposita charitati; sed non iustitiæ, ac proinde restitutioni non obnoxia, vt arguunt alleganti, ac Tannerus *disp.* 4. *quæst.* 6. *dub.* 2. *num.* 64. referens Scotum *loc. cit.* & alios. 186

CONCEDIT sanè S. Bonau. *loc. cit.* & alias referenda *in disputatione* 34. detractionem materialem, quæ non fit ex odio, aut inuidia, vel irâ, non esse mortalem. Enim verò non eximir à restitutionis obligatione ita damnificantem; sicuti si aliquis ludens, vel inconsultò impelleret alium in flumen, vbi submersus; teneretur impulsor illum eruere, si posset; vel si aliquis eromenam alterius proiiceret, non animo prauo, sed ad ludum, in locum reconditum; esto enim non peccaret proiiciendo; teneretur tamen eam restituere. 187

DVBITATIO II.

An teneatur quis restituere fraudata vectigalia.

SVPPONO cum D. Bonau. in 1. *dist.* 44. *art.* 2. *quæst.* 1. teneri subditos in conscientia ex iustitia soluere Principi tributa, & vectigalia iustè imposita. 188

Id

Id probat S. Doct. illo *Matth.* 22. vbi Christus definit: *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Hæc sententia est Iesu Christi. Eum sequitur Paulus Apostolus Rom. 13. *Reddite omnibus debita. cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Idem vrget S. Doct. *loco citando.*

189 Est autem tributum pensio, quæ à Principe imponitur subditis, iuxta cuiusque facultates, præsertim prædiales, &c. ad Principis dignitatem, & impendia publica in regno sustinenda. Vectigal verò significat pensionem pro rebus, quæ exportantur è ciuitate, vel in eam importantur, vel pro transuectione mercium per pontes, & per portus, vt notat Lessius *cap.* 33. Tanner. *disp.*4. *quæst.*6. *dub.*12.*n.*336. cum D.Bonau. *in vita Christi, cap.*60.

Vt autem iusta sit pensio, quatuor conditiones
requiruntur, sine quibus sunt rapinæ, vt docet S.D.
*in speculo animæ, cap.*2. & latius disserui 1. 2. *Tract.*
190 *de Legibus, disp.*5. *quæst.*11. Prima est, vt à Principe
absoluto imponatur; alij verò excommunicantur in
Bulla Cœnæ. Secunda, vt causa sit iusta, idest bonum publicum, vt pro publicis debitis, vel impensis, pace, & bello, vel ob legitimam Principis sustentationem. Tertia, vt in rebus imponatur tantùm mercationum, & similium. Vide Valentiam *quæst.*6. *punct.*6. Quarta, vt modo fiat legitimo, seu forma, secundùm proportionem bonorum, ita vt etiam non exigatur aliquid à non subditis, aut aliqui subditi eximantur in præiudicium aliorum, vt notat Tannerus. Habetur *l. Omnium*, vt dicam *dub.*3.

191 An verò ex parte efficientis imponi queant à Principibus feudatis. Respondetur affirmatiuè. Itaque Pontifex, Concilium Generale, Imperator, Reges, Principes, & Feudatarij possunt tributa imponere, vt notant Valentia *loc.cit.* Caietanus *v.Vectigal.* Medina *quæst.*13. *de restit.*

E a parte finis quæres: An possint à Principe imponi ob dotandam filiam suam, ob filium redimendum, ob recreationes decentes. Et respondetur affirmatiuè. Vide Caspensem *disp.*8. *sect.*4. Couar. *in reg. Peccatum, p.*2. §.5. Valentiam *loco citato.*

Ex parte formæ debent esse imposita iuxta proportionem facultatum, & vitium; neque plura, quàm exigant causæ. De quo vide Caietanum.

192 Ex parte materiæ, è iure ciuili, solùm constitui debent in rebus, quæ ad negotiationem emptionum, & venditionum, ac similium pertinent *l. Omnium, C. de vectigalibus.* Non autem in iis, quæ quis ad vsum, & necessitatem suam acquirit, vt notauit Caietanus, & Angelus *verb. Pedagium*, §.3. addens, non valere in hoc contrariam consuetudinem; sed consuetudine id posse introduci admonent Valentia *loc.cit.* Nauar. *Manuali, cap.*17.*num.*203. Antonin. 2.*p. tit.*1. *cap.*14. Syluest. *verbo Gabella*, 3. *num.*14. Valentia *loco citato.*

193 Quæritur igitur: An aliqua lege particulari, vel consuetudine possint imponi tributa super his, quæ ad necessarium victum acquiruntur, vt pane, vino, oleo, sale, & similibus.

Assertivam sententiam astruunt Molina
*tom.*3. *disp.*669. Suarez *de Legibus lib.*5. *cap.*15. Vasquez *opusc. de restit. cap.*6. §. *dub.*1. Azor. *p.*3. *lib.*5.
*cap.*21. *quæsito* 1. Malder. 2.2. *Tract.*5. *cap.*6. Ioan.
de Cruz *in direct. p.*1. *præcepto septimo, art.*3. *disp.*5.
Turrianus 2. 2. *T.*2. *disp.*14. *dub.* 3. Lessius *lib.*2.
*cap.*33. *dub.*7. Reginald. *T.*1. *lib.*10. *cap.*25. *n.*377.
194 Molfesius *summa, T.*2. *tract.*12. *cap.*22. Hi vero tres
vltimè sub his conditionibus licitas esse has gabellas aiunt: Primò, quando vrget necessitas publica, & aliunde vectigalia haberi non possunt, aut non

sufficiunt. Secundò, quando hæc gabella ex libero consensu populi statuunt. Tertiò, quando securitate prædictarum rerum, diuectarum aliâ viâ, consuli nequit. Quando è consuetudine immemorabili iam sunt impositæ.

Negativam sententiam defendunt Caieta- 195
nus *verb. Vectigal*, Zanard. *directorio p.*2. *cap.*12. *super septimum præceptum*, Medina *p* 2. *quæst.* 96. *art.*4. Sotus *de Iustitia, lib.* 3. *quæstion.*6. *artic.*7. Toler. *lib.*5. *cap.*73. Angel. *verb. Pedagium*, Sayrus *de Censuris, lib.* 3. *cap.* 9. Bertazolus *vol.* 1. *consil.*107. Roland. *vol.*3. *consil.* 42. *num.*28. Decius *consil.*96. *num* 5. & 18. Bonacina *de contract. disp.*2. *quæst.*9. *p* 1. eamque probabilem putat Diana *p.*1. *tract.*17. *resol.*28. tametsi oppositam probabiliorem censeat. Ratio est, quia non seruatur iusta forma gabellæ; nam in tali forma tributorum, magis grauantur Pauperes, quàm Diuites.

Potest verò dubitari: An quis creditor Prin- 196
cipis, vel ciuitatis, fraudando gabellam possit sibi debitum compensare.

Negant Reginaldus *Tom.*1. *lib.* 10. *cap.* 24. *num.* 383. Graffius *p.*1. *lib.*2. *cap.* 125. *num.* 39. quando gabellæ sunt locatæ publicanis, qui determinatam Principi vbicumque soluunt pensionem; tunc enim fit damnum Publicanis, non Principi.

Asserunt tamen, licitam esse hanc com- 197
pensationem Petrus Nauar. *lib.*3. *de restitut. cap.*1. *num.*24. Lessius *de Iust. lib.*2. *cap.*33. *dub.*10. Bonac. *de contract. disp.* 2. *quæst.*9. *p.*1. *num.*12. qui citat Vasquez, & Molinam. Eam tenent etiam Bartholomæus à S.Fausto *in spec. disp.*33. *quæst.*37. Turrianus 2.2. *T.*2. *disp.* 46. *dub.*3. Molfesius *tomo* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *num.* 142. Vega *in summa p.* 1. *cap.*15. *casu* 10. Malder. 2. 2. *tract.* 5. *cap.* 9. *dubitat.*16.

Hæc tamen opinio mihi non probatur ob ra- 198
tionem allatam pro prima sententia; neque satis respondent Diana *p.*1. *tract.*16. *resol.*16. conductores Gabellæ non accipere damnum, quia conducunt Gabellas, & Datia, longe minori pretio; quia sciunt fraudes subditorum.

Contra enim est, quia satis fraudibus ordinariis subditorum concutiuntur, nisi etiam debita Principis soluant, quibus profectò ingentibus exterminentur.

Si verò dubium sit: An vectigal sit iniustum; 199
multi asserunt, teneri subditum soluere. Ita Suarez *de Legibus, lib.*5. *cap.*18. *num.*20. Vasquez *de restit. cap.*6. §.3. *disp.* 5. *num.*78. Turrianus 2. 2. *Tom.*2. *disp.*46. *dub.*6. iuxta illud: *In dubiis melior est conditio possidentis*, possidens verò (addunt) est Superior, qui habet authoritatem. At Carbo *quæst.*33. Syluest. *v. Gabella* 4. *num.*7. & alij dicunt, eas obligare, si antiquæ sint; secus si nouæ.

Tamen non teneri eas soluere docent Less. *lib.*2. 200
*cap.*33. *disp.*9. *num.*67. Reginald. *T.*1. *lib.*10. *cap.*25. *sect.*1. *num.*374. Megala *p.*2. *lib.*2. *cap.*17. *quæst.*8. *num.*132. Nauar. *de restit. lib.*3. *cap.*1. *p.*3. *dub.*13. *num.* 167. Salon. *de restit. t.*1. *quæst.*5. *art.*4. *controu.*2. Barthol. à S. Fausto *in spec. disp.*33. *quæst.* 23. Sanchez *in summa, tom.*2. *lib.*6. *cap.* 3. *num.*7. Malder. 2.2. *Tract.*5. *cap.*6. *dub* 4. Diana *p.*1. *Tract.*17. *resol.*59. Ratio est, quia melior est conditio possidentis; at subditus est in potestate suæ libertatis. Subditur quidem Prælato, & hæc in re possessio est pro Subdito. Inclinat Tannerus *disp.*4. *quæst.*6. *dub.* 25. ego hæc remitto ad dicta *prima* 2. *Tract. primo. Disputatione de conscientia.*

T 3 QVONIAM

201 QVONIAM verò præcipuæ difficultates hac in re sunt circa causas, Formalem, & Finalem tributorum, & vectigalium, nempe quod imponantur ob publicam vtilitatem, & vt imponantur secundùm distributiuam; vt communiter Doctores aiunt, Turrianus 2.2. *col.*1. *disp.*44. *dub.*1. *&* 2. Bonac. *tract. de contract. disp* 2. *quæst.*9. *p.*1. Aragon. *quæst.*77. *art.*3. Valentia *tomo* 3. *disp.*5. *quæst.*6. *puncto* 5. Suarez *de legibus*, *l.*5. *cap.*14. *num.*16. Barthol. à S. Fausto *in speculo*, *disp.* 33. *quæst.*2. Salas *de leg. quæst.* 69. *tract.* 14. *disp.* 15. *sect.*10. *num.*118. Lessius *lib.*2. *cap.*33. *dub.*1. *&* 2. Reginald. *T.*1. *lib.*10 *cap.*29. *num.*372. Ledesm. *tom.*2. *tract.*7. *cap.*2. Malder. 2.1. *tract.*5. *cap.*6. *dub.*2. Layman *lib.*3. *sect.*5. *tract.*3. *p.*1. *cap.*3. Tannerus *disp.*4. *quæst.*6. *dub.*12. *num.* 323. *&* 344. Molfesius *summa*, *Tom.*1. *tract.*12. *cap.*22. *num.*37. Syluius 2.1. *quæst.*66. *art.*8. Villalobos *T.*2. *tract.*8. *dub.*13. *num.*14. *&* 15. Aragon. 2.2. *quæst.*62. *art.*3. Vasquez *de restit. cap.*5. §.2. *dub.*1. *&* 2. Molina *de Iust. Tract.*2. *disp.*667. & alij, quos refert Diana *p.*1. *Tract* 3. *resol.*2. Super hæc multa dubia ipse Diana resoluit.

202 PRIMO: An liceat Regi imponere tributa in vno Regno pro expensis, quæ fiunt in aliis eius Regnis, v. g. Regi Hispaniæ in regno Neapolis, pro expensis Flandriæ. Respondet assertiuè cum Torriano 2.2. *T.*2. *disp* 46. *dub.*1. Vasquez *opusc. de restit. cap.*6. § 3. *disp.*1. *num.*7. & reddit, exempli gratia, rationem in Rege Hispaniæ, qui in religione tuenda solus contra hæreticos, & Turcas stat, quibus est pauori, ab eoque totum Christianæ Reipublicæ pondus pendet. Quam hyperbolem latè prosequitur.

QVÆRIT secundò. An Rex, qui propter immoderatas expensas in ludis, bellisque iniustis in egestatem incidit, possit iustè tributa imponere.

203 RESPONDET assertiuè cum Maldero 2. 2. *tract.*5. *cap.*6. *dub.*4. Less. *l.*2. *cap.*33. *dub.*6. *num.*48. Turrianus 2.2. *t.*2. *disp.*44. *dub.*2. Molina *de iust. tract.*2. *quæst.*667. & aliis. Ratio est, quia inopia Regis vergit in damnum Regni. Notat verò Lessius, teneri Principem omnes sumptus superfluos moderari.

MAIOR difficultas est circa causam Formalem.

DVBITATIO III.

Quanam Forma seruanda sit in iusto tributo.

204 QVANTVMVIS causa formalis è necessitatibus sumpta imponendi tributa existat; requiritur tamen ad distributiuam iustitiam, vt populorum
vires pensitentur, & singulorum proportiones, vt
inde proportionata inter diuites, & pauperes tributa
imponantur; nec adeo onerentur populi, vt nedum
expilati reddantur, sed excoriati, vt disserit Salo-
nius *de Iustitia in* 2.2. *tom* 1. *quæst.*77. *art.*3. *controu.*6.
Villalobos *summa*, *tom.*2. *tract.*8. *diffic.*13. Rodriquez
*in summa p.*2. *cap.* 74.. Ortiz *in summa*, *cap.*12.
*num.*15. Turrianus 2.2. *tom.*2. *disp.*45. *dub.*1. Ioan.
de Madenaga *lib. de Senatu*, *cap.*40. *fol.*474. Molfesius
205 *in summa*, *tom.*2. *tract.*12. *cap.*22. *num.*36. Ioan. Fran-
ciscus à Ponte *in Tract. de potestate Proregis*, *tit.*4. *de
regalibus impositis*, *num.*45. Vega *in summa*, *tom.*1.
*cap.*15. *casu.*3. Petrus Nauat. *de restit. lib.*3. *cap.*1.
*num.*137. Ledesma *in summa*, *Tom.*2. *tract.*7. *cap.*2.
Capiblancus *l. de off. Baronum*, *Pragm.*10. Consultor
Matutæ *in resp. cont. Messan. fol.*4. Diana *p.*1. *Tract.*
de Parlamento, *resol.* 5. vbi admonet Theologos, scientes grauaminum excessus, vt liberè admoneant Principes, ac ministros exactores, seuerissimum eis iudicium Dei imminere, & ad restitutionem teneri; Omnia verò, quæ isti disserunt, diuiniùs edisserit Seraphicus Doctor.

IGITVR S.Doct. *in speculo*, *animæ*, *cap.*2. ait: 206
Nouas Talias, vel leges, vel consuetudines constituere ad extorquendum pecuniam absque iusta causa, habet rationem rapinæ. Item exactio est, cùm quis debitum inordinate exigit. Vnde qui à subditis Talias isto modo exigunt, nec necessitati eorum, quantumcumque sint pauperes, compatiuntur, rectè raptores dicuntur.

Et in *lib. de Ecclesiastica Hierarchia*, *p.*2. *cap.*3. *de* 207
Potestatibus, quas Principibus, & Regibus assimilat;
ait ad rem nostram: Ordinata igitur erit potestas sæ-
cularis, & secundùm similitudinem cælestium Po-
testatum disposita, si in potestate constituti fuerint
sapientes, scilicet non secundùm voluntatis impe-
tum, sed secundùm rationis gubernaculum in singu-
lis procedentes. Ideò Salomon initio regni sibi peti-
uit sapientiam 3. *Reg.*3. Sicut enim nec in spirituali
iurisdictione; sic nec in temporali, sine sapientia, &
discretione est agendum. Ideò præcipitur in Deuter.
cap.17. *Cùm sederit Rex in solio regni sui faciet sibi* 208
describi Deuteronomij verba, *& accipiat exemplar à
Sacerdotibus Leuiticæ tribus*, *&c. neque declinet in
partem dexteram*, *vel sinistram*, *vt longo tempore reg-
net ipse*, *& filij eius super Israel*, *&c.* Propter hoc
Roboam perdidit regnum 3. *Regum* 12. quia iuuenis
existens, derelicto consilio Seniorum, Iuuenum con-
silio acquieuit, dicens ad Ieroboam, & omnem po-
pulum: *Pater meus aggrauauit iugum vestrum: ego
autem addam iugo vestro*, *&c.* Hæc, & alia emeritissi-
ma, quæ à Regibus perlegantur, exarauit, vt inde
dogmata eruant infallibilia ad Regnum in pace flo-
rentissimum conseruandum; Ideo ait: Veræ sunt po- 209
testates, qui non tyrannica crudelitate, sed potius hu-
mana, imò Angelica benignitate subditos regunt,
& custodiunt innocentes. Vnde dicitur *in Esther* 13.
ab Assuero Rege: *Cùm pluribus gentibus imperarem*, *&
vniuersum orbem mea ditioni subiugassem*, *nolui abuti
potentia magnitudine*, *sed cum clementia*, *& lenitate
gubernare subiectos*, *vt absque terrore vitam silen-
tio transigentes*, *optata cunctis mortalibus pace frue-
rentur.*

DE hoc legitur, quo pacto exactiones mode- 210
ratus sit, cap. 2. *Et dedit requiem vniuersis prouin-
ciis*, *ac dona largitus est*, *iuxta magnificentiam prin-
cipalem.*

IDEM S. Doct. *in* 2. *dist.*44. *art.*3. *quæst.*1. se-
cundùm diuinam dispensationem inter Christianos
sunt Reges, & Principes, Domini, & serui; & se-
cundùm distinctionem potestatis ei subiiciuntur, &
tenentur secundùm plùs, & minùs. Et hoc ipse Do-
minus dicit Matth.22. *Reddite*, *quæ sunt Cæsaris*, 211
Cæsari; *& quæ sunt Dei*, *Deo.* Hoc & Apostolus
prima Timot. vlt. docet, & contrarium prædicantes
condemnat. Et hoc ipsum Rom.13. *Reddite omnibus
debita: cui tributum tributum: cui vectigal*, *vectigal.* Ideò
concedendum quòd Christiani sunt terrenis Domi-
nis obligati; non tamen in omnibus, sed in his so-
lùm, quæ non sunt contra Deum; neque in his om-
nibus, sed in his, quæ secundùm rectam consuetu-
dinem statuta sunt rationabiliter, sicut tributa, &
vectigalia.

ADMONET verò *in responsione ad* 1. Ecclesiasti- 212
cos, Religiosos præsertim, non subdi Regum vecti-
galibus, idque ostendit illo *Matth.* 22. allegato,
vbi

vbi Petrum Christus interpellat: *Reges terræ, à quibus accipiunt censum, à filiis suis, an ab alienis?* Et cum respondisset Petrus: *ab alienis*; resumpsit Christus: *Ergo liberi sunt filij.* Matth.17.

De his agit Diana *p. p. Tract. de immunitate Ecclesiæ.*

Ibi primò definit *resol.* 35. cum multis, Clericos primæ tonsuræ non teneri Principum tributis. Deinde non teneri clericos, etiamsi non incedant habitu, & tonsurâ clericali, soluere Principi tributa.

213 Mox Principem non posse Gabellas imponere super bona Nouitiorum, & ait, esse omnium Theologorum, & Iuristarum peritiorum.

Iterum, non posse Principem ob. reparationes pontium, murorum, gabellas imponere super bona Ecclesiasticorum; & ait esse communem Theologorum.

Similiter ex communi Theologorum sensu neque posse super patrimonialia bona clericorum.

Pariter, non posse populum cum Principe deducere Ecclesiasticos ad contribuendum in publicis expensis, vt sic; neque, etiamsi concernant æquè principaliter, concernantuè etiam Ecclesiasticos, sed debere cum eis conuenire in hoc casu. Similiter, Principem laicum non posse compellere clericos ad soluendas Gabellas, quas tenentur soluere, sed debere Iudices Ecclesiasticos adire.

214 Nec non, illicitum esse Principi imponere gabellas super bona Clericis donata, aut empta. Imò neque super bona Clericorum, qui animo non clericandi, habitum assumpsere; sed solùm in fraudem Collectarum; & imponentes, excommunicat Bulla cœnæ clamat. Hæc & alia *ibi*, definit Diana, & *Tractatu sequenti.* Sed de Immunitate Ecclesiæ agam *tertia part. Tract. de Sacramento Ordinis*, vbi quid de his senserit Seraphicus, aperiam.

215 Illud hîc monuerim, licere in summa exigere ab Ecclesiasticis tributa huiusmodi, quo ad ea, quæ deferunt causa negotiationis, vt notat Syluester V. *Gabella*, 3. *num.* 10. Medina *quæst.* 13. & 15. *de Restit.* Nauar. *cap.* 17. *num.* 203. Valentia *quæst.* 6. *puncto* 5.

Attamen Clericus negotiator, an teneatur ante trinam monitionem soluere gabellas pro his; est controuersum.

216 Asserunt communiter. Ità Malderus 2. 2. *Tract.* 5. *cap.* 6. *dub.* 9. Pottel. *in dub. regul. V. Tributum, num.* 5. Ioan. de Neuia *tract. de commerc. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 10. Prosper de Augustino *in addit. ad summam Quarantæ, V. vectig.* Turrianus *Tom.* 2. *in* 2. 2. *disp* 44. *dub.* 4. *num.* 12. & alij.

217 Non desunt tamen Doctores negantes, eos teneri soluere ante trinam monitionem, vt desistant à negotiatione. Ità docent Lopez *Instruct. part.* 2. *cap.* 41. Sousa *in Bulla Cœnæ, cap.* 19. *disput.* 92. Rodriquez *summa tom.* 2. *cap.* 75. Petrus Ledesma *Tom.* 1. *tract.* 17. *cap.* 2. *concl.* 17. Molfesius *Tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 21. *num.* 173. Lessius *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 3. *num.* 23. Ioan. de la Cruz *in direct. consc. part.* 1. *præcepto septimo, quæst.* 7. *art.* 3. *dub.* 1. Reginaldus *Tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 55. *num.* 379.

218 Aliqui verò vtramque sententiam conciliant; Clericum statim ex causa negotiationis amittere priuilegium exemptionis, & hac immunitate non esse priuatum, nisi post trinam monitionem. Nam quantum ad ipsas res, quas defert occasione negotiationis, ab ipso caret exemptione absque vlla monitione, pro quibus, si exigitur gabella, & pedagium, nulla incurritur excommunicatio; & sic procedit prior opinio. Quantùm verò ad alia omnia bona sua, & personam, non amittit simpliciter priuilegium immunitatis, nisi post trinam monitionem, si desistere nolit; & ita procedit secunda Opinio. Sic docent Alterius *de cens. tract.* 1. *disp.* 19. *lib.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 3. Molina *tract.* 1. *disp.* 147. Durandus *in Bulla Cœnæ, lib.* 2. *cap.* 18. *quæst.* 8. Vide de hac re etiam Ceuallos *tract. de cognit. per viam violentiæ, part.* 2. *quæst.* 64. Gutierrez *de Gabellis, lib.* 7. *quæst.* 94. Martham *de Iurisdict. part.* 4. *cent.* 1. *casu* 3. Dianam *p. p. Tract. de Immunitate Eccles. resol.* 46.

Ex his licet colligere, quandonam subditus teneatur restituere fraudatum è gabellis; & è contra, quandonam Principes teneantur resarcire extortum. 219

Hoc vnum, Clericis negotiatoribus horrendum, addam ex D. Hieronymo *epist.* 2. *ad Nepotianum* apud D.Bonauent. 3. part. Pharetræ, cap. 22. *Negotiatorem clericum, & ex inope diuitem factum, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge.*

QVÆSTIO VI.

Quantum sit Restituendum.

{ D Thom. art 3. & 4.

Assero primò, ex Iustitia commutatiua restituendum æquale Arithmeticum. Ità D.Thom. *art.* 3. & communiter. Patet ex natura Iustitiæ commutatiuæ, vt notat Tannerus *disput.* 4. *quæst.* 6. *dubio* 14. 220

Æqualitas autem hæc computari debet non solùm secundùm bona præsentia, quæ erepta sunt, sed etiam secundùm ea, quæ erant in potentia computatis expensis, vt conculcatio seminum agri; ereptio equi mercatorij, quo lucrabatur in Nundinis. Vide Valentiam *quæst.* 6. *puncto* 6. Caietanum V. *Restitutio.* Nauar. *manual. cap.* 17. *num.* 27.

Potest verò ex Vindicatiua amplius imponi restituendum. Ità D. Thom. *art.* 3. & communiter alij omnes cum D.Bonauent. *locis citandis.* 221

Sic Exodi 22. statutum fuit, vt qui furatus esset Bouem, aut Ouem, & occideret, aut venderet, quinque Boues pro vno Boue restitueret, & quatuor Oues pro vna oue. Ad quod allusit Dauid Reg. 2. cap. 12. *Ouem reddet in quadruplum*, & Zachæus, Lucæ 19. *Si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum*, vt obseruat S. Doctor ad hunc locum, aduertens, hoc non fuisse necessarium ad Iustitiam commutatiuam, vt patet; neque ad vindicatiuam, quæ non est adimplenda, nisi post sententiam Iudicis, vt docent communiter DD. allegati *Tract. de Legibus, disput.* 5. *quæst.* 7. & *seq.* Ideò concludit, fuisse potiùs liberalitatem. 222

Et *in Dieta, tit.* 2. *cap.* 4. admonet, restitutionem esse veluti Phleubotomiam, idest sanguinis euacuationem, quæ nonnullis infirmitatibus est necessaria, quia: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, ex D.Augustino *epist.* 54. & allato exemplo Zachæi. Hanc Phleubotomiam faciebat Zachæus, qui dicebat: *Si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum*, sed vtinam Vsurarij modò redderent simplum. 223

224

Aduertit autem Caspensis *disp.* 1. *sect.* 11. quantitatem rei interceptæ in restitutione considerandum in statu meliori, quo vsus ea fuisset Dominus; vt si habes frumentum in mense Augusti, & illud retines vsque ad mensem Maij, quo tempore charius illud vendidisset Dominus eius, teneris restituere illud pretium maius, quia res semper perseuerauit sub iure Domini sui, qui illo tritico vsus fuisset tempore

magis lucratorio. Quod si incertum sit, quo tempore venditurus fuisset (ait Caspensis) restituendum pretium medium. Itidem si detrimentum res in manu retinentis ioiquè recipiat, restituendum erit damnum, quod non erat receptiua in manu Domini.

QVÆSTIO VII.

Quando sit restituendum, & de causis abea excusantibus.

{ D.Thom art.8.

225 COMMVNIS omnium, & certa sententia est, eum, qui iniusto Domino iniustè rem detinet, esse in continua actuali obligatione restituendi. Ità D.Bonauent. *in speculo, cap.*2. *in calce* D.Thom. *art.*8. Caietanus *ibi*, Sotus *lib.*4. *de Iust. quæst.*7. *art.*4. Valentia *quæst.*6. *puncto* 7. & cæteri. Res autem, ex contractibus habitæ, non obligant ad restitutionem, nisi condicto tempore, vt obseruat S. Doctor, quem omnes sequuntur. Vide Tannerum *disput.*4. *quæst.*6. *disp.*14. *num.*4 4.

226 QVAMVIS autem res ita sint, tamen D. Bonauent. suprà, D.Thom. & alij agnoscunt nonnullas causas, quæ excusant, vel semper, vel saltem ad tempus, quamdiu durant, à restitutione.

HÆ autem causæ vel se tenent ex parte debitoris, vel ex parte creditoris, vel ex parte rei ipsius, vel ratione publicæ potestatis.

EX parte debitoris prima causa excusans est ignorantia probabilis; non tamen crassa; quam, siue iuris, siue facti sit, excusare asserunt Caietanus *verbo Restitutio*, *cap.*6. Nauar. *in manuali*, *cap.*17. *num.*82. Valentia *loco cit.* At si est crassa, vel Supina, non excusat. Talis esset emenris calicem argenteum à milite. Vide Fagundex *Lib.*7. *cap.*25.

227 SECVNDA causa est dubium; nam in dubio *melior est conditio possidentis*, vt habet regula Iuris.

TERTIA causa est inopia. Ità D.Bonauent. quem omnes sequuntur.

228 QVARTA causa est necessitas, quando habet quidem, vnde restituat, sed eo ipse indiget, siue extrema laboret necessitate; in quo omnes ferè assentiuntur; siue etiam si sit necessitas grauis, vt conseruet decentiam honestè sui status, vt sentiunt D. Antonin. *part.*2. *tit.*2. *cap.*8. Nauar. *in man. cap.* 17. *num.*63. Sotus *Lib.*4 *de Iust. quæst.* 7. *art.* 4. Couar. *relect. in regulam Peccatum*, *part.* 1. *art.* 2. Valentia *quæst.* 6. *puncto* 7. Aragon *quæst.*62. *art.*8. & communiter alij apud Fagundez *Lib.*7. *cap.*27. & Tannerum *disput.*4. *quæst.*6. *dub.*15. *num.* 429. Bassæum V. *Restitutio* 5. *num* 4. Bonac. *disp.*1. *quæst.vlt. punct.*1.

OCCVRRIT verò dubitatio: An, si Creditor etiam extremè indigeat, teneatur Debitor magis necessitati extremæ Creditoris, quàm suæ.

SCOTVS 4. *dist.* 15. *quæst.*2. Syluest. V. *Restit. quæst.*2. Azor *tract.*3. *lib.*4. *cap.*39. Bassæus citatus dicunt, eum teneri restituere.

229 SECVNDA sententia negat, eum teneri. Ità videtur D.Thom.2.2. *quæst.*62. *art.*5. *ad* 4. Eam expressè tuentur Valentia *disp.* 5. *quæst* 6. *puncto* 7. Lessius *Lib.*2. *cap.*16. *dub.*1. Malder. *tract.* 4. *cap.*7. *disp.*1. Sotus *Lib.* 4. *quæst.* 7. *art.* 1. Azor *tract.*2. *lib.*12. *cap.*8. *quæsito* 6. Tolet. *lib* 5. *cap.* 54. Sayrus *Lib.*10. *tract.*5. *cap* 6. Fagondez *Lib.*7. *cap.*25. *num.*14. Tanner. *loco cit.* addens; nisi tamen creditor sit reductus ad extremum ob suam subtractionem.

FVNDAMENTVM est, quia in extrema necessitate cessat Ius gentium, quo facta est rerum diuisio, & restituitur in integrum ius naturale, in quo sunt omnia communia, & fiunt primò occupantis, saltem quoad vsum, vt arguit S.Doctor *in Apol.pauperi. cap.*1. *quarta responsionis.*

QVO fundamento consequenter inferunt Mal- 230
derus, Lessius, Sayrus, Fagundez suprà, præferendos
etiam parentes debitoris, si in extrema iaceant
necessitate.

DVBITATVR secundò: An creditore, & debitore existentibus in graui pariter necessitate, teneatur is restituere, cadendo à suo statu, vt, si erat nobilis, cogatur fieri artifex.

ALIQVI excusant, & dicunt, eum non teneri. Ità multi apud Fagundex *Lib.*7. *cap.*27. quam sententiam probabilem censet Malderus *tract.*4. *cap.*7. *dub.*1. Tanner. *num.*430. cum Carbone *quæst.*77.

ATTAMEN communiter dicunt, eum teneri 231
restituere, Azor *tract.*3. *Lib.*4 *cap.*39. Petrus Nauar.
*Lib.*4. *de restit. cap.*4. *disp.*9. *num.*53. Less. *Tom.*1. *de
Iust. Lib.*2. *cap.*16. *dub.*1. Tolet. *Lib.*5. *cap.*24. Fa-
gundex, Bassæus *loco cit.*

RATIO est, quia in graui necessitate manet Ius gentium.

QVINTA causa est damnum graue in rebus
propriis, quod ex restitutione debitor incurreret, vt
notat Caietanus *loco cit.* Ioan. Medina *quæst.*3. *de re-
bus restit. causa* 4. Sotus *Lib.*4. *de Iust. quæst.*7. *art.*4.
Nauar. *man. cap.*17. *num.*56. Couat. *loco cit.* & hoc 232
asserit S. Doctor, dum eam apponit conditionem; si
tamen adsit reddendi possibilitas; neque enim solum
is, qui nullo modo potest, censetur, non posse fa-
cere, sed etiam qui commodè non potest absque ni-
mium graui damno, vt constat *ex Lege Nepos Pro-
culo*, *ff.de verborum significatione*, & *cap.facias*, 22.
*quæst.*2. vt aduertit Valentia *loco cit. causa* 5. Tanner.
num 433.

HINC non tenetur periculo suæ famæ restituere. 233
Quare excusant mulierem, quæ non reuelat filium
spurium, quem habuit ex adulterio. Sic admonent
omnes fermè Doctores apud Valentiam nuper *citato
loco.* Quod Fagundex *in octauum Præceptum decalogi*,
& *in* 7. *Lib.*7. *cap.*28. pluribus confirmat, præcipuè
ex declaratione Innocentij III. *de pœnitent.* vt obser-
uant Medina, Nauar. Couar. Valentia, & alij.

RATIO sumitur ex D. Bonauent. *locis allatis*, 234
*quæst.*5. *subquæst.* 1. *dub.*3. quia non sunt restituenda
bona ordinis superioris, pro bonis ordinis inferioris,
sed fama est ordine superior diuitiis: Ergo. Maior est
certa; nam restitutio est æqualitas Arithmetica. Mi-
nor est certa ex Prouerb. 22. *Melius est nomen bonum
quàm diuitiæ multæ*, & Ecclesiastici 41. *Curam habe
de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm
mille Thesauri pretiosi, & magni*, & Aristoteles 4.
Eth. cap. 3. ait: *Honorem esse maximum bonorum ex-
ternorum.*

GREGORIVS de Valentia tamen cum Soto 235
*Lib.*1. *de Iust. art.*3. *ad* 4. & Molina *Tom.*4. *disp.*102.
volunt, quod si restitutio sit grauissima, & amissio
famæ sit parua, eò quòd vel antea mulier suspecta
sit, vel simile, teneri mulierem se manifestare, ne
hæreditatem ingentem legitimis disperdat, quamuis
enim (aiunt) ex genere sit fama nobilior bonis diui-
tiarum, tamen potest esse adeò parua, vt iis sit infe-
rior, eo modo, quo aurum quidem est pretiosius ar-
gento; attamen potest paruulum frustum auri supe-
rari à massa grandi argenti; subscribit Tannerus *nu-
mero* 434.

SED grauiter reclamat Fagundez *num.*9. *cap.*28. 236
eum

cum Petro Nauarro *Lib.2. de restit. cap.2. part.2. dub.9.* Corduba *Lib. 1. quæst.31.* Vasquez *opusc. de testam. cap.5. disput.10.* Less. *Lib.2. cap.10. dub.7. num.50.* Maldet. *tract.7. cap.4 dub.10.* Turriano 2.2. *disp.17. dub.1. num.10.* & aliis.

237 Neque satisfaciunt aduersarij argumento Seraphiei: nam si famam ita diminuant, vt ad materiam leuem trahant, non renoo, teneri restituere grande debitum, etiamsi eoulgandum sit, eum non esse adeo prudentem, vt res œconomicas perfectè agat; At verò si stemus in paritate famæ grauis, & pecuniæ, semper illa est ordine superior, etsi sit hominis plebei; & in hoc casu non est ad rem similitudo, sumpta ex frustulo auri, & massa argenti; Nam etiam in quantitate, nedum in preciositate naturali, aurum est maioris pretij; Sic & fama grauis, vt rectè adnotauit Fagundez *num.9.* eum D. Bonauent. *in speculo, cap.1.* vbi allegato eo loco *Prouerb.22.* monet, quod sicuti leue furtum est veniale, sic leuis detractio famæ, quæ rerum graui Restitutionis obligationi cedit.

238 Explicandum etiam, quodnam sit detrimentum graue in re familiari, sufficiens ad excusandum internâ Restitutione; non enim sufficit detrimentum consideratum, vt est erogatio grandis pecuniæ vel vt est cessatio lucri ex illa pecunia debita obuenientis; hoc enim lucrum non est detrimentum in re propria, sed requiritur, vt sit in rebus debitoris, siue quia caderet à suo statu, siue quia cogitur præcipitanter, & pernicioso pretio res suas vendere; tunc enim creditor tenetur expectare, vt notat Fagundez Molina, Lessius, Valentia allati; & hoc est, quod ait D.Bonauent. *cap.2. speculi*, teneri Restitutioni, si tamen adsit possibilitas, & opportunitas. Tale enim tempus esset grauiter importunum, & iniquè eo tempore exigeret creditor.

239 Sexta causa excusans à Restitutione est consueta humanæ vitæ occupatio; non enim necesse est vt surgat media nocte è lecto, vel è mensa in prandio, vt soluat, vt adnotarunt Caietanus, Sotus, Valentia, & alij communiter cum D. Bonauent. allegato; sed potest restitutio deferri in tempus opportunum.

240 Septima causa est compensatio facta creditori in aliis bonis temporalibus, siue conferendo ei officium temporale lucratiuum, vt aiunt Nauar. & Valentia (dixi temporale; nam spirituale dare, erit Simonia,) siue remittendo creditori aliud debitum æquiualens, vt notant Medina *quæst.3.* & Valentia suprà, Tanner. *num.439.*

Octava est compensatio facta, soluendo alicui legitimo creditori eius. Ità Medina, Valentia, & alij.

Nona causa est præscriptio rei legitima, hoc est talis, qualis esse debet secundum canones, vt notarunt Nauar. *num.85.* & Valentia *loco citato.*

SVBQVÆSTIO IV.

De aliis duabus Causis, excusantibus à restitutione, ex parte debitoris.

241 Geminæ adhuc causæ extant examinandæ; Prior est ingressus Religionis; Altera est Cessio bonorum; in prima perdit quis voluntariè Dominium sui; in secunda Dominium suorum; de quibus certum est, validè Religionem probatam profitentem nihil sibi posse vel acquirere, vel abdicare; Sed dubium est, vtrum obstrictus æri alieno possit sæculo nuncium remittere, ac licitè Vota Religionis emittere; Item, vtrum vltra posse grauatus, cum non sit in soluendo, possit bona, quæ possidet creditori cedere, ac deinceps à Restitutione vlterioris debiti liberari. Hæc per totidem dubitationes expendam.

DVBITATIO I.

Vtrum ingressus in Religionem excuset à Restitutione.

Certum est, grauatum ære alieno peccare non restituendo ante ingressum in Religionem, si nullum habeat impedimentum, vt monet Fagondez *Lib.7. cap.28* 242

Certum etiam est, si debita sint incerta, quorum Domini ignorentur, nec factâ diligentiâ sciri possint, & ideò pauperibus essent restituenda, posse huiusmodi debitores religionem ingredi licitè, etiamsi in sæculo manentes acquirere possent, vnde soluerent. Ità Sanchez *Lib.4. Decal. cap.10.* Aragon. 2.2. *quæst.68. art.12. fol.1044.* Manuel Rodriquez *quæst. Regul. tom.3. quæst.10. art.9. not.1.* Hoc tamen intellige, vt notant Sanchez, & Fagundez, quando ipse debitor nomine proprio, debitor bonorum incertorum constitutus est.

Quæstio est igitur: An, si aliquis certò ære alieno oneratus est, & non habet soluendum; posset tamen sperare in sæculo suâ industriâ lucrari, vnde solueret; possit licitè Religionem ingredi. 243

Negant Gerson 2. *part. Tractatu de hac re, Alphabeto 39. littera X.* vbi refert multos Doctores Parisienses, & suppl. Gabriel. *in 4. dist.38. art.2. diffic.12.* Carbo *de restit. quæst.85. dub.3.* & alij apud Dianam *part.2. Tract.2. resol.41.*

E regione plurimi affirmant, posse ingredi religionem, atque ideo restituendo non esse obnoxium. Ità D.Thom.2.2. *quæst. vlt. art.6. ad 3.* vbi Caiet. Palud. *in 4. dist.38. quæst 3. art.2.* D. Anton. 2. *part tit.11. cap.2. §.1.* Sanchez *Lib.4. Decal. cap.19. num.7.* Rosella V. *Religio 2. num.5.* & V. *Restitutio 16.* Angel. V. *Religiosus*, Syluester. V. *Religio 2. quæst.4.* Tabiena V. *Religio, quæst.11. num.12.* & ibi Armilla *num.5.* Viguer. *lib. instit. moral. cap.17. §.1.* Aragon. 2.2. *quæst.88. art.12. ad 1. fol.1044.* Sà V. *Religio*, & alij apud Dianam. 244

Tertia sententia media est, secundæ arridens, duabus conditionibus appositis. Prima, quando debitor in sæculo manens speraret breui satisfacere, se posse. Ità Sanchez *Lib 4. Decal. cap.19. num.8.* Maior *in 4. quæst.8. dist.17.* Nauarrus, *Commentar. primo, de regular. num 8.* Azor *lib.13. cap.1. quæsito 5.* Petrus Nauarr. *lib.4. de restit. cap.4. diffic. vlt. num.28.* Syluester *verbo Religio 2.* & multi Canonistæ apud eum, Tanner. 4. *quæst.6. disput.15. num.444.* referens Carbonem *loco citato*, Valentiam *quæst.6. puncto 7.* Lessium *Lib.2. cap.16. num.22.* Lopez *p.p. cap.129.* Si autem interrogentur hi, quantum tempus esset expectandum, quo posset lucrari ad soluendum; Ioan. Maior respondet, biennium. Nauar. vnum, vel alterum annum. Sanchez, & Fagundex cum Maiore stant. 245

Altera conditio est, quando expectato biennio, moralis spes est, vt absque notabili difficultate possit soluere, vt aiunt Nauar. Sanchez, & Fagundez. Sanctes verò *in cap.2. Regulæ Minorum*, dicit alium annum expectandum: Est communior cum 246

Diana

Diana suprà, Bassæo Verbo *Restitut.* 5 *num.*16. Vecch. *disp.*2. *dub.*13.

QVID sensent D. Bonauent. non est arduum inuenire.

247 PRIMO enim exponens regulam nostram *cap.*2. in ea verba: *Ministri dicant eis verba sancti Euangely, quod vadant, & vendant omnia sua, & studeant ea pauperibus erogare. Quod si facere non potuerint,* (ait) *propter litium implicationem, sufficit eis bona voluntas*, qua licitè ceditur, & omnia contemnuntur, iuxta illud Hieronymi: *Si habes res tuas, vende: si non habes, proiice. Nemo renunciaturus saeculo potest benè vendere, qua contempsit, vt venderet.*

248 IBI videtur S. Doctor arridere dicentibus, quod si aliqua implicantia, & in quibus alij habent quomodocumque ius ad lites, seu etiam iustissimas prætensiones, si non habet vnde soluat, neque opportunitatis spem, omnia post tergum proiiciat.

EADAM refricat *in speculo disciplina ad nouitios, cap.*1. & *in Tractatibus de paupertate*, quos perlegi, in quibus solùm admonet, mundo perfectè valè dicant, & nullo impedimento rerum familiarium, siue eis careant, siue abundent, ad Christum euolent, relinquendo de suis rebus dispositionem hominibus peritis.

249 RATIO, qua nituntur D. Thom. & alij, est, quia persona hominis liberi non est creditoribus obligata; sed eius solùm bona: Ergo eis cedendo satisfaciet.

CONTRA arguit Fagundez, quia sequeretur, pereuntibus his rebus, perire ius creditoris; & ità, si nouæ facultates acquirerentur, non essent subiectæ, neque posset in carcere trudi debitor, post latam iudicis sententiam.

250 RATIO igitur sic à Fagundez affertur, quia persona non est subiecta, quasi serua, sed sola bona subiiciuntur. Itaque solùm tenetur soluere, quando moraliter potest; At in statu dicto computatur moraliter impotens.

251 HÆ tamen rationes non sunt validæ, & prior sanè nutat, vt ait Fagundez, non tamen benè ab eo infirmatur; nam si nouæ facultates resurgunt, adhuc obligantur eadem ratione, quia bona debitoris subiecta sunt seruituti. Itaque non adhuc seruituti subiicitur persona. Quod si persona carceretur, hoc est vel in pœnam dilapidationis præteritæ, quâ se præcipitâuit in statum ineptitudinis ad soluendum, dissipando bona non sua; vel quia supponitur fraus, & adhuc non constat, hunc esse ineptum ad soluendum.

252 NAQVE ratio Fagundez robur adiungit; nam cùm res sint subditæ, & hæ virtualiter sint in persona apta soluere, subiiciunt virtute personam, quæ ratione debiti in iure naturæ potest subiici, vt rectè arguit D.Bonauent. *in* 4. *dist.*44. *quæst. penult.* non enim libertas Christiana eximit personas ab omni subiectione; alioqui neque Principibus subderetur, neque Prælatis, quod est falsissimum, vt ostendi *Tract. de Legibus, disp.*5. *quæst.*1. *&* 2.

253 RATIO igitur vera asseri est, quia creditor, cuius actio est inanis ob aduersarij inopiam, nullam videtur actionem habere, vt dicitur *L. Nam in his, ff. de dolo malo.*

Cùm igitur moraliter non sit in soluendo actu, vt supponitur, neque virtute moraliter, quia nimia dilatio exigeretur temporis ad solutionem; sequitur, eum non teneri; & ita ius naturale non instat ad impossibilia, & sic obiecta soluuntur.

254 OBIICIVNT adhuc, interrogandos, volentes ingredi Religionem: An grauentur ære alieno, quod frustra fieret, si licitè possent ingredi grauati ære tali; hæc verò interrogatio fit, decreto Sixti V. anno 1558. editi motu proprio, qui huiusmodi grauatos ingenti ære alieno, & ratiociniis, seu reddendis rationibus administrationum obligatos, declarat inhabiles.

HOC decretum temperauit Clemens VIII. quò ad inualiditatem professionis huiusmodi grauatorum ære alieno; non tamen quò ad illicitum actum professionis, & pœnas recipientium.

NON includuntur tamen in eo *Motu proprio* Sixti V. illi, qui sine sua culpa ad impotentiam soluendi deuenere, vt aduertunt Sanchez *in Decal. Lib.* 4. *cap.*19. *num.*24. Neque illi, quibus creditores abrenuncient. Nec illi, qui ex sola promissione liberali debitores sunt; sed hi, qui facultates ad pecuniam contraxerunt, & post contractionem decoxerunt, vt notant Sanchez *loco cit.* & Fagundez *num.*7. 255

TANDEM existimat Sanchez, eos, qui culpâ suâ decoxerunt, si cessionem faciant bonorum, & relinquant ea creditoribus, neque sit spes probabilis, quod si maneant in sæculo, satisfacere queant, non includi illo *Motu proprio*, ex his satisfit obiectioni. 256

DVBITATIO II.

An Cessio bonorum excuset à restitutione.

PERMITTITVR à Legibus Cessio bonorum, vt in foro externo tutus fiat debitor *L. Qui bonis, ff. de cessione bonorum*, & *Cod. de iis, qui bonis cesserunt*, hæc tamen cessio in foro conscientiæ non liberat, nisi quantum excusat inopia, alioqui liberaret etiam sine tali cessione, vt notant Nauar. *cap.*17. *num.*86. Medina *quæst.* 3. *de* *cap.* 3. Sotus *lib.*4. *de Iust. quæst.*7. *art.*4. Couar. *Lib.*2. *variarum, cap.*8. Valentia *quæst.*6. *puncto* 7. Tanner. *num.* 441. *disp* 4. *quæst.*6. Bassæus V. *Restit.*5. *num.*5. 257

ITA tenebitur ille restituere, si ad meliorem fortunam venerit, vt docent iidem Doctores, & habetur *Leg.* 1. *& Leg. eum & filij.* & *Leg. is, qui bonis. Cod. de his, qui bonis, locis citatis.* Quod etiam ostendit Couar. esse verum, quando cum aliqua cœremonia ignominiæ, cessio illa bonorum fit. 258

OBSERVAT tamen Caspensis *disp.* 1. *sect.*13. cum Toleto *Lib.*1. *cap.*16. posse debitorem in cessione bonorum retinere, & occultare necessaria suæ sustentationi, vxoris, filiorum, & aliorum in primo gradu; neque teneri eos, qui sciunt, id reuelare, etiamsi pœna non reuelanti imponatur; possunt etiam iurare, se nescire, vbi sint talia bona, intelligendo interiùs, *ita vt teneantur reuelare*, sed Petrus Nauar. *Lib.*4. *cap.*4. *num.*50. verum esse ait de eo, qui absque culpa cogitur cedere bonis, subscribit Tannerus *num.*441. 259

DVBITATIO III.

De causis excusantibus à Restitutione ex parte creditoris.

PRIMA inter causas censetur condonatio libera, facta à Creditore, quæ fiat non vi, nec fraude, vt differunt Caiet. *hic, art.*6. & *in sum. v. Restitutio, cap.*6. Ioan. Medina *quæst.*3. *de rebus restit. cap.*2. Nauar. *in man. cap.*17. *num.* 73. Valentia *disp.* 5. *quæst.*6. *puncto* 7. 260

puncto 7. Caspensis *disp.* 1. *num.* 163. Graffius *Lib.* 2. *decis. cap.* 131. Syluest. V. *Iudex*, 1. *quæst.* 8. Turrecremata *in cap. si res* 14. *quæst.* 6. Fagundez *Lib.* 7.
261 *cap.* 30. Tanner. *disp.* 4. *quæst.* 6. *dub.* 15. *num.* 438. qui addunt aduertendum, ne remissio sit impedita à iure, & irritata; potest enim ob bonum commune irritari, reddendo debitorem inhabilem ad tale beneficium remissionis, & de facto eam irritauit Ius Canon. *cap. statum, de rescript. in* 6. quando iudex Ecclesiasticus aliquid accipit præter esculenta; obligatur enim *in eo cap.* ad restitutionem, & ibi irritatur remissio huius obligationis; Similiter si Episcopus, vel Archiepiscopus visitantes Ecclesias, præter necessaria ad victum, aliquid recipiant, iuxta quod habetur *cap.* 5. *&* 6. *de censibus*, & *extrauag. in* 6. Si iudex delegatus aliquid accipiat à partibus contra *cap. statutum, de rescript. in* 6.

262 SECVNDA causa est damnum spirituale, aut corporale, quod creditor incurreret, si tali tempore, vel loco fieret restitutio, vt docet D. Thom. *art.* 5. *ad primum*, & communiter. Hinc enim furioso non est reddendus gladius, ne interimat; neque pecunia, quam in perniciem Reipublicæ, aut aliorum expendat. Quod docuit etiam Ambrosius *Lib. de officiis, capite vltimo*, & multi apud Fagundez *Lib.* 7. *capite* 30. *num.* 32. Bassæum V. *Restitut.* 5. §. 1.

263 QVÆRVNT verò: An excuseтur debitor à Restitutione, si creditor est excommunicatus vitandus.

RESPONDETVR negatiuè cum Maiore 4. *dist.* 15. *quæst.* 4. Syluester V. *Excommunicatio*, 5. *quæst.* 12. Ioan. Medina *quæst.* 3. *de rebus restit. cap.* 9. Couar. *in regula Peccatum, part.* 1. *num.* 10 Valentia *quæst.* 6. *puncto* 7. Lessius *Lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 9. Tolet. *Lib* 4. *de restit. cap.* 4. *disp.* 15. *num.* 84. Suarez *de censuris, disp.* 15. *sect.* 8. Maider. *tract.* 4. *cap.* 7. *dub.* 6. Fagundez *L.* 7. *cap.* 30. *num.* 29. Tanner. 445. & aliis communiter contra Panormitanum *cap. veritatis, de dolo.*

264 PROBATVR, quia in sententia excommunicationis non habetur, priuari eum iure suo circa res proprias, neque prohibetur necessaria communicatio, vt omnes fatentur.

DICES *cap. Nos sanctorum*; & *cap. iuratos*, 16. *quæst.* 5. & *cap. vlt. de Hæret.* subditi absoluuntur à iuramento fidelitatis, debitæ domino, qui postea incidit in excommunicationem.

265 RESPONDETVR, non ob id priuari iure rerum suarum, neque odia sunt amplianda, sed restringenda.

DVBITATIO IV.

De causis excusantibus à restitutione ex parte rei.

266 VNA causa censetur, nempe interitus rei sine culpa, & mora eius, qui eam apud se habebat, & debebat eandem numero restituere. Tunc res Domino ipsi perit, vt notant Medina *quæst.* 3. *causa* 6. Nauar. *cap.* 17. *num.* 80. Valentia *quæst.* 6. *puncto* 7. At si perit res, quæ non erat determinata solutioni, quamuis à reo solutioni sit destinata, reddere tenebitur. Vide Valentiam.

DVBITATIO V.

De causis excusantibus à Restitutione ex parte publicæ potestatis.

TRES causæ ex hoc capite enumerantur excusantes. 267

PRIMA est authoritas publicæ potestatis, ipso iure aliquid tribuentis alicui, vt in præscriptionibus, v. g. non autem solùm impunè permittentis possessionem rei, sicut optimè adnotauit Medina *quæst.* 3. *causa* 7. Tanner. *n.* 440. infrà, Valentia *quæst.* 6. *punct.* 8. Vnde fit, vt, quamuis leges in contractibus permittant deceptionem, quæ vltra dimidium iusti pretij non sit (vt patet *L. Item in pretio*, §. *fin. ff. locati*,) tamen debet in foro conscientiæ restituere ei, qui alterum infra dimidium quoque iusti pretij decepérit.

SECVNDA causa est authoritas publicæ potestatis per sententiam iudicialem, alicui rem iustè adiudicans. Vide Medinam *causa* 7. Valentiam *disp.* 5. *quæst.* 4. *puncto* 2. 268

TERTIA causa est authoritas summa Ecclesiastica, cùm Pontifex iusta de causa, per Bullam compositionis, remittit alicui partem aliquam bonorum incertorum restituendorum, modò in pios Ecclesiæ vsus contribuat certam aliquam eorum partem, iuxta ea, quæ de hac re tradunt Medina *dicta q.* 3. & *q.* 11. Sotus *Lib.* 4. *de Iust. quæst.* 7. *art.* 1. *ad* 3. Nauar. *man. cap.* 17. *num.* 93. Valentia *loco cit.* Tanner. *disput.* 4. *quæst.* 6. *num.* 444. Bassæus V. *Restit.* 5. *num.* 13. 269

QVÆSTIO VI.

Vbi sit Restituendum.

GEMINÆ regulæ pro hac re à Doctoribus assignantur. 270

PRIMA est. Ibi debet restitui, vbi creditor rem suam recuperet absque suo damno, dummodò neque debitor damnum absque sua culpa maior patiatur. in hac vnanimes consentiunt Doctores, D. Thom. *art.* 5. *ad* 3. Caietanus *hic*, & V. *Restitutio*, *cap.* 5. Sotus *Lib.* 4. *quæst.* 7. *art.* 1. *ad* 3. Medina *quæst.* 2. *de restit. dub.* 3. Nauar. *cap* 17. *man. num.* 42. Couar. *in regul. Peccatum, part.* 2. *num.* 9. Valentia *disp.* 5. *quæst.* 6. *puncto* 8.

SECVNDA regula; quando debitor non potest absque iniusto suo, vel creditoris damno restituere in tali loco, potest admonere creditorem, & interim suspendere, vel etiam iuxta doctrinam D. Thom. *hic*, *art.* 5. *ad* 3. rem interim in tuto deponere, vt opportunè reddatur. 271

E prima regula sequitur primò, eum qui ratione solius rei, & non ratione iniustæ acceptionis, aut retentionis tenetur restituere; benè satisfacere, si eam reddat in loco, vbi eam iustè, & bona fide accepit, aut vbi se soluturum spopondit, aut in eo loco, in quem simplici animo abiit, nec teneri alibi eum sumptu soluere. Secundò, eum, qui iniusta acceptione, retentione, aut mora se reddidit obnoxium restitutioni, teneri restituere, etiam sumptu, vbi Domino æquè sit commodum; Nam incommodo simili Dominum iniquè affecit. Vide Valentiam. 272

In tamen reor verum non esse, quando debitor 273

eo

eo modo restituendi maius subiret damnum, quàm creditor sit perpessus. Simili ratione si in re transferenda cogereris multò plus expendere, quàm res valeat, te non teneri; sed posse dari pauperibus, ait Eligius *num.9.*

QVÆSTIO VII.

Quomodo sit restituendum.

274 MODVS esse debet commodus, vt res modo apto redeat ad Dominum. Hinc non refert; an per se, vel per alium debitor restituat, vt colligitur *ex cap. Qui per alium, De reg. iur. in 6.*

275 HINC sequitur, eum, qui ob incertitudinem creditorum debet restituere pauperibus, posse id facere per se, absque Consilio confessarij, vel opera Episcopi, vt ex communi sentiunt Nauar. *man. cap. 17. num. 92.* Valentia *quæst. 6. puncto 9.* qui addit cum aliis, non posse prohibere Episcopum, ne per se absque consilio suo faciat, exceptis quatuor casibus, in quibus Episcopus habet ad id potestatem, vt docent
276 allegati. Primus est, quando, qui restituere debebat pauperibus, moritur absque hærede & exequutore. Secundus, quando talis non vult restituere, vnde potest contra eum procedi. Tertius, quando talis non rectè distribuit pauperibus. Quartus, quando talis est repertus vsurarius, & condit testamentum, aut est iam mortuus, vt patet *cap Quamquam de vsuris, in 6.* Potest etiam certas ob causas Episcopus confessario prohibere, ne absque consilio suo talem absoluat.

277 SEQVITVR deinde, eum, qui ex iniqua receptione habet rem, posse per alium restituere, ne subeat infamiam, vel priuationem libertatis, vt dixi suprà. & docent Doctores apud Fagundez *Lib. 7. cap.28.* & Bassæum V. *Restitut. 4. §. 5.* Bonacinam *de restit. disp. 1. quæst.7.* Moneo tamen, vt curet certior fieri, an facta sit restitutio.

Addo cum allatis DD. publica debita è prauitate, vt vsuras, latrocinia, publicè esse soluenda, ad offensam aliorum amonendam.

QVÆSTIO VIII.

Quo ordine restituendum.

278 DANTVR Leges humanæ præscribentes ordinem in restitutione, atque obligant in conscientia, vt docent Azor *tract. 3. lib.4. cap.36. quæsto 7.* Turrianus 2. 2. *disput.19. dub 4. num. 5. cap.10.* Vasquez *de restit. cap.11. dub.2. num* 50. Fagundez *Lib.7. cap.35. num.17.* Valentia *disp.5. quæst. 6. puncto* 10. Ratio est, quia potuit lex dare ius creditori ante alium, siue sit Lex municipalis, siue ius ciuile ob bonum publicum. Obseruant autèm, si debitor sit in soluendo omnibus; non esse ordinem necessarium.

279 PRIMO igitur Iure naturæ soluenda sunt prius debita certa, quàm incerta, vt monent communiter apud Valentiam *loco citato*, Syluestrum V. *Restitutio*, Fagundez *Lib. 7. cap. 35. num.* 19. Tanner. *disput.4. quæst.6. num.412.* Bassæum V. *Restit.4. § 6.*

280 SECVNDO, ex debitis certis illa iure naturæ sunt priùs restituenda, si extant, quorum dominium semper mansit apud creditorem, & quæ ideò fuere restituenda eadem numero, vt allegati Doctores admonent, vt deposita, pignora, velcommodata: Et est communis sententia apud Tannerum *num.412. Leg. si curator, ff. de iure fisci.*

281 TERTIO è debitis certis rerum, quæ non extant, nec sunt soluenda eadem numero, illa saltem iure ciuili sunt primò soluenda, quæ peculiariter vocantur debita realia, eò quòd eorum solutioni sunt determinata bona debitoris per expressam hypothecam, aut impignorationem, aut propterea, quod rei pretium non esset adhuc à debitore solutum, & ideò res manserit peculiariter obnoxia solutioni, licet in dominium debitoris transierit. Ità Medina *quæst. 2. dub.5.* Caietanus, Nauar. Valentia, Tanner. *num.414.* & alij conuenientes *Lege 2. ff. Quibus casibus, pignor. vel hypothec. tacite contrahentur.* Talia enim debita strictioris sunt debiti, quàm personalia mera, quorum solutioni nulla res peculiaris est deputata, & hic ordo videtur iuris naturæ. Hypothecariis succedunt creditores personales *Leg.2. 4. 5. Cod. quo potior in pignore.*

282 QVARTO Ideò ex debitis certis non realibus, sed personalibus, illa iure naturæ videntur prius soluenda, quæ fuere contracta ex iusto contractu, quàm quæ ex delicto, vt sentiunt Nauarrus, Caietanus, & Valentia. Limitant tamen, vt non intelligatur etiam de contractu, per quem, qui ex delicto debeat, (vt vsurarius) fuerit factus pauperior.

283 ENIM verò priùs sunt soluenda, quæ ex delicto habentur; aiunt Medina suprà, Salon. 2. 2. *quæst.62. art* 8. Emanuel Rodriquez *part. 2. cap.46.* & alij.

Mihi probabilius est, esse æquales, vt docent plurimi apud Fagundez *Lib.7.* excipe casum, in quo aliquis vendidit rem, & manet eadem numero, nec pretium accepit venditor. Doctores referam *casu* 8. Sic & Tanner. *num.421.* cum Syluestro, V. *Restitutio*, Aragon. *quæst. 62. art.5.* Petrus Nauar. *Lib. 4. cap.4* Less. *cap.15. dubio 7.* Bass.4. *num.39.* iuxta *L.6. Cod. de bonis authoritate Iudicis.*

284 QVINTO ex debitis personalibus, citra delictum, ea priùs iure ciuili soluenda, quæ vocantur priuilegiata, vt Dos vxoris, & quæ Fisco debentur. Ità Syluest.V. *Restitutio, quæst.5.* Nauar. suprà *n.50.* Valentia *loco citato*, & alij. Nam hæc præponuntur aliis, non habentibus expressas hypothecas *Leg. assiduis, Cod. Qui potest in pignor. hab.* & *Lib. Quamuis de Priuil. fisc.* Vide Syluestrum.

285 SEXTO ex debitis personalibus non priuilegiatis prius soluenda sunt tacitè hypothecata. Deinde, quæ sunt contracta titulo depositi, (cùm iam res deposita non extat, aut non est reddenda eadem numero,) nisi potiùs fuerit Mutuum, quàm Depositum.

286 SEPTIMO in vnoquoque genere prædictorum omnium debitorum eiusdem rationis, prius sunt soluenda, quæ sunt antiquiora, vt habetur in Iure: *Prior tempore, potior est iure.* Quo enim diutiùs creditor caruit suo; eò id illi strictiùs debetur. Ità Sylwester, Medina, Valentia, Salon. *loco cit.* quam Malderus, *tract.4. cap.6.* probabiliorem ait.

287 EGO existimo, in conscientia ea diuidenda pro rata, computato maiori damno antiquioris. Ità Malder. suprà, Bassæus V. *Restitutio, §.4. num.26.* Bonacina *de Restit. disp.1. quæst 8. punct. 2. num.19.* Lessius *Lib.2. cap.15. dub.6.* D. Anton. 2. *part. tit.2. cap.7. §.3.* Molina *Tom.2. disp.536.* Vasquez *opusc. de restit. cap.11. disp.2. à num.48.* Cæspensis *disp.1. sect.12.* Fagundez *Lib.7. cap.34.* neque datur regula iuris, nisi pro realibus debitis cum hypotheca, vel simili ex *Leg.1. ff. de separationibus.*

OCTAVO

288 Octavo quò ad debita ex delicto, ea prius soluenda, quæ maiori culpa contracta suut, tenent Valentia, & Medina.

289 Opposita tamen sententia est probabilior, nullum dari ordinem inter hæc, puta inter furata, & rapinâ abrepta, nisi in his aliqua offensio addita, sit resarcienda prius. Ità Toletanus *L. 4. de restit. cap. 6. dub* 8. *num.* 43. Azorius *tract.* 3. *Lib.* 4. *cap.* 36. *quæsito* 2. Sayrus *L.* 10. *tract.* 5. *cap.* 10. *dub.* 6. Lessius *L.* 2. *cap.* 15. *dub* 3. Turrianus 2. 2. *disp.* 19. *dub.* 2. Vasquez *opusc. de restitut. cap.* 11. *dub.* 2. Nauar. *summa, cap.* 17. *à num.* 88. Fagundez *Lib.* 7. *cap.* 33. *num.* 7. qui neque inter debitum ex contractu, & ex delicto; neque inter debita ex delicto aliquem ordinem admittunt. Idem ferè ait Caspensis *disp.* 1. *sect.* 12.

290 Ratio est, quia iniuria, præcisa à re ablata, non habet suam compensationem Commutatiuam in ipsa re, sed in alio ordine, vt notant allegati.

291 De restitutione verò è singulis debitis Iustitiæ Commutatiuæ, & Distributiuæ agendum, *sequentibus disputationibus*.

292 Inter cooperantes ad damnum, principalis est, qui præcepit efficaciter, qui habuit auctoritatem mittendi, vt iudex super subditum, dominus in seruum.

Posteà sequitur executor damnificationis: Post hunc consulens, vel mandans; mox receptator: Perinde non impediens, cum teneretur ex officio. Inter hos verò primum locum obtinet, qui apud se habet rem formaliter, vel in æquiualenti. Vide D. Bonauent. *cit. quæst.* 3. D. Thom. *quæst.* 62. *art.* 7. Vasquez *de restitut. cap.* 9. *num.* 52. *&* 56. §. 1. Petrus Nauar. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 75. Sayrum *lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 12. Syluium *loco cit.* D. Thom. Bassæum *num.* 27.

Si creditor remisit principali, cæteri liberantur; non ita si minus principali; At si æquali, adhuc tenentur cæteri in solidum detracta parte remissa. Vide Valentiam *quæst.* 6. *puncto* 3. Medin. *quæst.* 8. Vasquez *cit. cap.* 9. *disput.* 3. §. 1. Bonau. *quæst.* 8. *punct.* 1. Bassæum *num.* 28.

293 Si verò prior Creditor locuples sit, & posterior pauper, & egenus, huic prius Restituendum ait Azorius *part.* 3. *lib.* 4. *quæsito* 4. Ratio D. Thom. & Medinæ *loco citato*, est, quia à maiori iniuria prius est recedendum; maior autem iniuria fit retinendo rem pauperioris, quam ditioris: Verum Ratio hæc non probatur Azorio; qui aliam assignat, supponens pauperem Creditorem ea indigentia laborare, vt misericordiæ sit obiectum; & tunc ait ei restituendum; quia concurrente duplici hoc præcepto Iustitiæ, & misericordiæ, potius obsequendum est vtrique, quàm Iustitiæ soli; & creditor ditior tenetur consentire.

294 At Ratio sanè prior satis firma est, nec eam tam facile Azorius reprobasset, si eam in suam coincidere perspexisset; Ideo enim maior iniuria infertur pauperi, ei rem suam sobtrahendo, & non reddendo; quia vltra Iustitiam, pari pondere suprà vtrumque creditorem cadentem, tenebatur iniquus surreptor potius subleuare pauperis inopiam, ei de suo (si quidem potuit) tribuendo, quam vlterius ipsum grauare; quare magnitudo iniuriæ oritur ex violatione misericordiæ, quæ Iustitiæ in eo casu præponderat; & quam tenetur citius restaurare; quare non ex duplicis præcepti concurrentia viget tunc restitutio, pauperi creditori facienda; sed ea misericordia potius: Nam etiamsi nullo Iustitiæ debito ad restituendum teneretur; adhuc tamen lege Misericordiæ deberet dare egeno, non diuiti creditori.

Quod si duo Creditores sint in iure pares, sed impares in Debitoris amicitia, dicit Medina totum debitum non posse licitè solui amico Creditori; cum ex iure esset inter vtrumque diuidendum; quod si tamen vni præ altero solutum sit, teneri posse ait; quod Azorio non placet; & quidem merito; Nam si debitum pari sorte diuidendum erat, vt vtrique satisfieret; pars vni debita, & alteri soluta, debet solui priori; quare ait nequire illum, cui indebitè soluitur, eam tenere; cum Iustitiæ non debeat vlla amicitia obesse; similiter si è duobus creditoribus, posterior tempore, sit prior in recipiendo debito, cuius solutione debitor euadat impotens ad soluendum priori; tunc ait Azorius ad finem *quæsiti* 7. teneri posteriorem Creditorem satisfacere, & restituere priori, cum ipsius debitum ipse indebitè receperit. 295 296

DISPVTATIO XXV.

De Acceptione Personarum.

Res respicit Iustitia Commutatiua; personas verò Distributiua; quare sicut illa res rebus iniquè commutando læditur; ita hæc offenditur, dum iniustè persona vna alteri præfertur; quod contingit præcipuè in beneficiis, electionibus, honoribus, & Iudiciis, vt notat S. Bonauentura *in speculo animæ, cap.* 3. Et totam huius Iustitiæ deordinationem ex inordinato amore procedere ait; In conferendis enim beneficiis caro, & sanguis optimam partem eligit; ratione autem diuitiarum Diuites huius sæculi præ sanctis sæpe Pauperibus honorantur, cùm tamen honor, iuxta Aristotelem *lib.* 1. *Rhetor. cap.* 5. aliud non sit, quàm virtutis testimonium; in Iudiciis verò ferendis, inter alia, Largitio munerum prauum iudicium vni in alterius præiudicium pronunciare facit; De hac personarum acceptione quærendum est, quid, & quale peccatum sit, cum D. Thoma *quæstione* 63. *art.* 1.

QVÆSTIO I.

Quid sit Acceptatio Personarum, & quale peccatum.

{ D Thomas quæst 63. art. 1.

1 Acceptio personarum in eo posita est, & constituta, vt in distributione bonorum communitatis præferatur aliqua persona aliis, non considerata proportione meritorum. Ita docent D. Thom. *hic, & ibi* Thomistæ, ac multi sententiarij *in* 4. *dist.* 15. & Summistæ V. *Acceptio personarum*, & V. *dignitas*,

Valentia *disput.5. quæst.7. puncto* 1. & alij apud eum cum D. Bonauent. *in speculo, cap.* 3. Eam verò S. Doctor definit in Confessionali, cap.1. particula 6. *Acceptio personæ est iniustitia, quâ præfertur persona personæ propter causam indebitam in distributionibus de-* 2 *bitis.* Hanc definitionem eruit S. Doctor ex multis sanctis Patribus, quos recenset *Lib. 3. Pharetra, cap.*38. Eos verò actus Distributiuæ oppositos acceptationi explicat egregiè *part. 2. de Ecclesiastica Hierarchia, cap.2. & 3.*

Igitur distribuere bona communitatis, non iuxta proportionem meritorum, sed alicui dare illa ex aliqua conditione indebitâ, puta Prælationem, aut Cathedram, quia diues est, non quia doctus, & sanctus; est acceptio personarum, eaque mortifera.

3 Probatur à D. Bonauent. *locis adductis*, primò Scriptura, Leuit. 19. *Non consideres personam pauperis.* Deuter. 1. *Nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis, vt magnum: neque accipietis cuiusquamque personam*, Ecclesiastici 42. *Ne accipias personam, vt delinquas.* Iacobi 2. *Si personas accipitis, peccatum operamini.*

Probatur deinde à S.Doctore, & D.Thom. quia grauiter lædit Iustitiam in bono publico.

4 Dvas autem conditiones requirunt Theologi cum D. Bonauent. *in speculo, loco citato*, vt sit Acceptio personarum. Altera, vt sit distributio bonorum, quæ sint communitatis; non autem propria dispensantis; nam tunc dicere is posset, quod ait Dominus: *Nonne quod volo possum facere?* Matth. 20. Altera est vt dispensator ex iustitia teneatur distribuere ea proportione bona communia in compensationem meritorum.

QVÆSTIO II.

An, & quomodo sit peccatum acceptionis personarum eligere indignos, vel minus emeritos ad beneficia.

D. Bonauent. in speculo, cap 3.
D. Thomas art. 2. & seq.

5 Dignitates, & Officia, vt obseruat S.Doctor *in speculo, cap.* 3. alia sunt Ecclesiastica, alia sunt Sæcularia. Rursus Ecclesiastica, alia sunt, quæ adnexam habent curam animarum, vt Episcopatus, Præpositura; & alia sunt beneficia simplicia.

Interuenire autem in distributione beneficiorum Ecclesiasticorum iustitiam Distributiuam, atque adeo in praua distributione vitium oppositum, censet D. Bonauent. *loco cit. art.*2. Valentia *disput.5. quæst. 7. puncto* 2. & alij: hæc enim beneficia non sunt propria debita alicui ex meritis, sed comparantur ad omnes viros communitatis, vt assumatur ex eis dignus, & inter dignos eligatur dignior, si opus 6 sit. Non negauerim tamen, interuenire etiam Commutatiuam, quæ etiam beneficium ministranti dat stipendia decimarum, &c. vt innuitur *Num.*18. *Luca* 10. *prima Cor.9. prima Timot.5.* Adde *in cap. finalis, extra de rescriptis*, haberi: *Beneficium non datur nisi propter officium*, etiam ante distributionem aspicitur, an habeat merita proportionata adæquatè; At non sistitur hîc, sed ad comparanda eius merita cum aliorum meritis proceditur; & sic è pluribus comparatis, vnus eligitur. Ideo dicitur Electio, quasi vnius è pluribus selectio, vt probat S. Doctor *in primo, dist.40. art.2. quæst.2.* Ex illo Cant.5. *Dilectus meus, electus è millibus.*

Certvm est autem in electione ad beneficia, 7
necesse esse vt eligatur dignus. Ita testatur Innocentius III. cum Generali Concilio Later. *in cap. Graue nimis*, quod sæpe vrget S. Doctor *in suis tractatibus de Paupertate.* Ideò Concilium Trident. *cap. 1. de Reformatione*, declarat, nullam esse electionem ad beneficia, quæ in Ecclesiis Cathedralibus adnexum habent officium legendi Sacram Scripturam, in persona indigna, seu minùs idonea, & quæ per se ipsum eo fungi officio nequeat.

Qvæstio grauis est: An teneantur eligere 8
non solùm dignos, sed etiam digniores.

Prima opinio est, satis esse eligere dignum. Ita videtur sentire Hugo, & Apparatus super *cap. Licet ergo*, 8. *quæst.*1. & super *cap. Monasterium* 16. *quæst.* 7. & alij apud Couar. Relect. in regulam iuris: *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum*, part.2. §. 7. qui tamen ait eos loquutos in foro exteriori.

Plvrimi verò hanc secuti sunt, si aliqua ex 9
his conditionibus intersit. Prima est, quando excessus non est notabilis: Secunda, quando magis dignus est de alia domo, aut alterius Ecclesiæ, seu extraneus: Tertia, quando maior pars vult eligere minus dignum, tunc potest minor pars ei dare suffragium, etiamsi iurassent eligere digniorem. Quarta, quandò eligitur indignus alius, si huic minus digno non det suffragium, & dignior est excludendus, ex paucitate votorum. Quinta, cùm dignior præesset al- 10
teri Ecclesiæ, & esset postulandus. Sexta, quando magis dignus est implicatus negotiis externis, vel non ita residet, sicut minus dignus. Septima, si minus dignus est iam expertus, & disertus circa Prælaturam, & dignior inexpertus. Octaua, quando non est liberum collatori, vel institutori conferre alteri, vel alium instituere, quàm sibi præsentatum à Patrono. Nona, si beneficium ex institutione confirmata ab Ecclesia, dandum sit alicui è certa Familia, vel Opido. Decima, si beneficij parochialis fundator præsentet dignum, & non digniorem; nam hoc ei 11
licet. Vndecima, quando quis beneficium resignat digno, prætermittens digniorem. Tandem patronus Laicus potest eligere, & præsentare minus dignum, relicto digniori. Hæc omnia inuenies apud Valerum *de differentia vtriusque fori, v. electio, diffic.* 1. Ioan. de Cruz *in direct. part. 1. punct.7. quæst.7. art.2. dub.9. concl.*2. Riccium *part. 3. decis.*214. *num.* 3. Syluium 2.2. *quæst.63. art. 1. quæritur 4. concl.*3. Tannerum 2.2. *disp.4. quæst.8. dub.2. num.* 17. Lessium *Lib.2. cap.*34. *disp.*13. *num* 58. Villalob. *in summa, Tom.2. tract.8. diffic.4. num.*6. Vide etiam Malderum 2.2. *tract.9. c.2. dub.*7. Dianam *part.2. tract.5. resol.*110. Bassæum, V. *electio, num.*10. Lezanam *tract. 1. cap.* 15. *num.*14. Bonagratiam V. *electio, num.*161.

Mvlto vero magis Patrono licere minus dig- 12
num præsentare, magis dignum excludendò, asserunt de Patrono Laico, Lambertus *de iure patron. part.1. Lib.2. quæst.10. art.3. num.17.* Riccius *in decis. part.3. decis.*306. Bellet. *in disquis. clerical. part.1. §.4. num.*50. Ioan. Valer. *in differ. vtriusque fori, v. Electio, numero* 1. & hanc opinionem probabilem vocat Ledesma *summa part. 2. tract. 7. cap. 2. conclus.7. diffic.9.* Bannes 2. 2. *quæst.63. art.2. dub.* 4. & in terminis nouissimè eam sequitur Garzias *de benef. tract.2. part.7. cap.16. num.*19. Petrus Nauar. *de restit. lib.2. cap.2. num.*150. Non renuit Diana *part.1. Tract.15. resol.*37.

SENTENTIA

13 Sententia verò sustineos, teneri in con-
scientia eligete digniorem ad quodlibet beneficium
Ecclesiasticum, est expressa D. Bonauent. *in speculo
animæ, part.5.* vbi ait: Circa collationem beneficio-
rum Ecclesiasticorum tunc intelligo, acceptionem
personarum habere rationem mortalis, cùm benefi-
cium Ecclesiasticum alicui indigno confertur, scien-
ter dignis postpositis, siue sit intuitu consanguinita-
tis, vel etiam beneficij temporalis, vel affectionis
spiritualis; Similiter autem, & diuitem eligere ad dig-
nitatem Ecclesiæ, contempto paupere instructiore.
Vnde Augustinus super illud: *Nolite in personarum*
14 *acceptione, &c.* Iacobi 2. *Quis* (inquit) *ferat, si
quis diuitem eligat ad sedem honoris Ecclesiæ, contemp-
to paupere instructiore, & sanctiore.* Si autem sint
temporalia beneficia, sic in eis potest esse persona-
rum acceptio mortale peccatum in necessitatis arti-
culo, quando quis tenetur beneficium conferre ex
præcepto, & cùm datur beneficium illi, qui non
indiget, ratione particularis amoris; & ille, qui
est in arcta necessitate, contemnitur. Hæc S. Bona-
uentura.

15 Illum secuti sunt D.Thom. *hic 2.2. quæst.63. art.2.*
& *in quodlib. quæst.7. & 8.* Alensis *2. part. quæst.136.
memb. 2.* Lyranus *in cap. 21. Ioan.* Richardus, &
Maior *in 4. dist. 15.* Adrianus *quæst. de restitut.* Co-
uar. *relect. in Regulam Peccatum, part. 2. §.7. num.4.*
Sotus *lib. 3. de Iustitia, quæst. vltim. art. 2.* Valentia
disput. 5. quæst.7. puncto 2. Caspensis *Tract. 18. dis-
put. 2. sect. 2.* Fagundez *Lib. 8. in præceptum octa-
uum, cap.22.* allegans plurimos, constanter asseren-
16 tes, etiam summum Pontificem eligentem minus
dignos, relictis dignioribus, lethaliter peccare. Hi
sunt Decius *in cap. constitutus, 2. §.7. num.4.* Caieta-
nus *2. 2. quæst. 63. art.2.* D. Thom. Salonis *ibidem,*
Nauar. *de orat. Miscell. 38.* Azorius *part. 2. libr. 6.
cap.15. quæsito 1.* Reginaldus *tract. 3. num. 19.* Say-
rus *decis.22. de pœnitent.* Riccius *in collectan. part. 4.
coroll. 93.* Stephanus Gratianus *decis.97.* Raudensis
decis.25. Barbosa *in remiss. ad Trident. sess. 14. cap. 8.
numero 27.* Goncales *regul. 8. glossa 4. numero 118.*
17 Rodriquez *in summa, part. 1. cap. 106.* Cardinalis
Zapata *de promis.benefic. part. 2. num.5. fol.53.* Lessius
Lib.2. de Iust. cap.34. num. 64. eamque communem
ait Tanner. *disp.4. quæst.8. num.14.* Bassæus V. *electia,
num.31.*

18 Imo non solùm in beneficiis Pastoralibus, sed
etiam in cæteris simplicibus Præbendis, expressè ne-
gant licitum esse eligere minus dignum, Vasquez
opusc. de benef. cap.2. dub.8. num. 78. & quò ad insig-
niora beneficia subscribit Rebellius *de obligatione Iu-
stitiæ, part.1. L.3.quæst.9. num.22.* Salon *quæst.3.art.2.*
& alij à Fagundez suprà adducti.

18 Tametsi de his oppositum sentiant Reginal.
Tom.2. tract.3. cap.15. n.179. Aragon. *loco cit.* Lessius
L.2. cap.34. dub. 14. num.66. & alij apud Fagundez,
dicentes, non esse mortiferum, si fiat semel tantùm,
vel bis, & vniuersaliter oppositum sentiant Nauarrus
de restit. L. 2. cap. 2. num. 172. Ledesma *in summa,
part. 2. tract. 7. cap. 2. concl. 7. diffi. 35.* Gutierrez
can. quæst. lib.2. cap. 11. num. 12. Garzia *de Benefic.
Tom.2 part.7. cap.16. num.16.* Diana *part.1. Tract.15.
resol.38.*

19 Assero cum D. Bonauenturæ sententia, de-
beri in conscientia eligi semper digniorem, ad quod-
uis beneficium Ecclesiasticum.

Probatur à D.Bonauent. primo ad *cap.21.
Ioan.* vbi Christus Dominus, electurus summum
Pontificem, ter examinat Petrum: *Simon Ioannes di-
ligis me plus his?* Hunc locum discutit S. Doctor
collat. 99. in 21. Ioann. Antonomiam Prælatis in illis
verbis inueniens. Prima particula: *Simon.* enim in-
terpretatur *Audiens,* vel *Obediens.* Qui enim aliis præ-
esse, & imperare vult, debet didicisse subiici, & 20
obedire! Alia particula est: *Ioannis,* seu *Iona;* nam
dicitur Matth. 16. *Simon Bar-iona,* idest filius Co-
lumbæ ob simplicem vitæ innocentiam. Hoc autem
nomen mutatum est in *Cephas,* quod significat ca-
put zefali κεφαλὴ, vt ait S. Doctor, vt eminentiam
perfectionis, & sanctitatis, qualis Capiti debetur,
haberet, in cuius figuram Saul erat bonus, *& me-
lior, non erat eo in toto Israel, & ab humero, &
sursum, toto capite præminebat,* vt dicitur 1. *Reg.*10.
Si tamen cum celsitudine seruet humilitatem, Ideò 21
vocat eum *Simon,* quo nomine vocabatur, dum
pauper piscationibus insudabat, vt recordaretur
sui semper pristini status; sic enim & Sauli dictum
est 1. Reg. 15. *Nonnè cùm paruulus esses in oculis
tuis, caput in tribubus Israel factus es?* in capite au-
tem vigent scientiæ; Sic enim debet esse eruditissi-
mus. Hinc illi minatur Deus, Oseæ 4. *Quia tu
scientiam repulisti, repellam ego te, ne sacerdotio
fungaris mihi, &c.* Mox ait Christus: *Diligis me
plus his?* vt ostendat, eum Charitate cæteris emi-
nentiorem, & præstantiorem esse debere, vt Pastoris 22
munere perfectissimè perfungatur, vt iugulum etiam
præbeat, seque sexcentis ferarum lanienis exhibeat
ob gregis incolumitatem. Vnde ait D. Augustinus
Tract. 123. in Ioan. *Si diligis me: pasce oues meas,
non tuas; gloriam meam quære, non tuam; lucra mea,
non tua.*

De his etiam Isidorus *Ethymologia Lib.7. cap.9.*
Vnde ait Augustinus, diligere esse: *Amare Deum
gratis, & alia, præter ipsum, non expectare bona.*
Qualiter autem sit diligendus, suprà dixerat, cap.14.
Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Vt enim 23
ait Dionysius, de diuinis nominibus, cap. 4. *Est
enim extasim faciens diuinus amor, non dimittens sui ip-
sius amatores,* & quia sic amantium Deum est pas-
cere oues Domini, quas redemit sanguine suo, ideò
sequitur hic: *Pasce agnos meos,* siue oues, id est, si
diligis me, pasce illas, sicut ait D. Augustinus suprà
citatus. *Pascas verbo, pascas exemplo, pascas & san-
ctarum fructibus orationum,* vt ait S. Bernardus *epist.
201.* Specialiùs autem, quibus sint pascendæ oues
spiritualiter, idem ait Bernardus, serm.76. in Cant. *Pa-
stus enim debet esse in pascuis Scripturarum, tanquam* 24
*in hereditate Domini. Et hoc, vt mandata duris, &
carnalibus animis imponantur; dispensationum onera pu-
sillis, consilia solida, & hortamenta fortia sanis.* Hæc
ilic. Tales Pastores promisit Dominus Ierem. 3. *De-
bo vobis Pastores, qui pascent vos scientiâ, & do-
ctrinâ.*

Inde in figura antiqui Patres oues pascebant, 25
antequam ad Sceptra vocarentur, vt Moyses *Exo-
di 2.* Dauid *primo, Reg.* 16. & alij; quare Christus
Ioan. 10. *Ego sum Pastor bonus.* Ideò primò pasto-
ribus voluit reuelari, vt notat D.Ambrosius in Ho-
milia. Natiuitatis Domini. Hinc ipse Petrus prima
cap.5. *Pascite, qui in vobis est, gregem.* Hinc exprobrat:
Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, Eze-
chiel. 34. Thren. 1. plangit: *Facti sunt Principes eius,
velut arietes non inuenientes pascua,* & Ioel. 1. *Mu-
gierunt greges armenti, quia non sunt pascua eis,* &c.
Hæc Seraphicus Doctor, *collat. 50. in cap.21. Ioan-
nis,* suprà cit.

Hinc in commentario graui Epiphonemate 26
claudit, & patent hic, quæ sunt successoribus Petri
necessaria, scilicet Dei feruida, & vera dilectio, vt
scilicet Deum diligant, non se, & Diuinum honorem,

non

non suum; & diuina lucra, non sua, & fortè prius ait: *Pasce agnos meos*, bis; & semel: *Pasce oues meas.* Per agnos enim simplices, & infirmi, & pauperes signantur, qui debent pasci duplici pastura, scilicet corporali, & spirituali. Per oues signantur firmiores, & ditiores, qui pasci debent pastura spirituali. Vnde
27 Glossa: *Pascere oues, est terrena subsidia, si necesse est, subditis prouidere, exempla virtutum prabere: sicut Pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit fœtas*, Isaiæ 40. Qui ergo Petro succedit in officio pastorali, & non diligit Deum, nec pascit oues, Idolom est, non Pastor, *O Pastor, & idolum, derelinquens gregem*, Zach. 11. Sed nomen Cœphas, Xefali caput resumo, & remitto ad illam de electione concionem, in qua Anatomen capitis humani, Rectori, seu Capiti alicuius Ecclesiæ per omnia adaptaui.

28 PROBATVR secundò à S. Doctore, è Patribus *L. 3. Pharetra, cap. 38.* hoc vno ore comprobantibus.

D. GREGORIVS Lib. 25. Moral. 11. sic scribit: *Quia ab internis, atque inuisibilibus oculos claudimus, & visibilibus pascimur, plerumque hominem, non ex eo quod ipse est, sed ex his, quæ circa ipsum sunt, veneramur; cumque non intuemur quid ipse sit, sed quid possit, in acceptione personarum, non ex persona, sed ex rebus adiacentibus ducimur.* Lege, quæ ibidem prosequitur.

29 D. HIERONYMVS in cap. 2. Malachiæ: *Inter omnia peccata Sacerdotum, quasi maximum notatur, quod non causas, sed personas considerant, & despecto iusto paupere, iniustos diuites honorant.* Refertur etiam authoritas D. Hieronymi 8. *quæst. 1. cap. Licet ergo.*

30 Is etiam *Lib. 2. in Isa. cap. 3. in Glossa*, ad illud: *Quare atteritis*, sic acriter arguit: *Nostri Principes cum pauperes delinquentes publicè urguant, & confundant; diuitibus peiora peccantibus nec mutum faciunt, in quorum domibus rapina pauperum, dum Ecclesiæ opes sibi thesaurizant, & eis in delicias abutuntur, quæ ad sustentationem pauperum dantur & sibi reseruant, vel propinquis distribuunt, & aliorum inopias, suas, vel suorum diuitias faciunt*, & Lib. 3. in cap. 6. Amos. *Quicumque aut consanguinitate, aut amicitia, aut è contrario hostili odio, vel inimicitiis in iudicando ducitur, peruertit iudicium Christi, quod est iustitia.*

31 D. AMBROSIVS Lib. 2. de offic. cap. 24. *Gratia absit causa, merita discernantur: nihil sic opinionem, imò Fidem grauat, quam si in iudicando potentiori dones causam inferioris, vel pauperem innocentem arguas, & diuitem excuses, reum culpa.*

S. BERNARDVS Lib. 2. de consider. *Non puto te reum peccati æstimes, si facies peccatorum sumis, & non potius causas iudicas meritorum*, Hîc Pontificem summum Eugenium III. alloquitur.

32 IDIPSVM asserit S. Leo *epist. 84.* relata *in cap. Metropolitano, dist. 63.* vbi iubet, vt defuncto Metropolitano, optimus subrogetur, & ordinetur.

ET Innocentius III. *cap. vnica extrà*, præcipit, Ecclesiastica beneficia non ex carnis affecto, sed ex discreto iudicio in personam magis idoneam debere dispensari. Idem patet ex epistola Siricij Papæ, ad omnes Orthodoxos, *primo Tomo Concil.* & ex Concilio Basileæ, vbi in forma iuramenti, quod exigitur ab electoribus, præscribitur (ait:) *Eligatur dignior.*

33 TANDEM Concilium Tridentinum *sess. 24. in Decreto de Reform. cap. 1.* asseritur, *Electores Episcoporum, alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint, &c. eorum exigentibus meritis, præfici curauerint.* Id respiciens Clem. VIII. decreto Reform. Regular. confirmato ab Vrbano VIII. exigit ante electiones iuramentum eligendi digniorem.

PROBATVR ratione ab vtroque S. Doctore. 34
Quandocumque præfertur minùs dignus digniori ad beneficium, oportet vt præferatur ob conditiones impertinentes, siue amicitiæ, siue consanguinitatis, siue aliarum similium; sed hoc est accipere personas: Ergo. Hoc argumentum affert S. Bonauent. *in speculo, loco cit.* & *in Pharetra*, ex Patribus allegatis.

PROBATVR quartò à S. Doctore *ad 12. Luca* illis verbis: *Quis putas est fidelis dispensator, & prudens*, vbi ait: Dispensatores prælatos vocat: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei.* Tales difficile est inuenire fideles. Vnde ibidem: *Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur*; scilicet fidelis, & prudens in electione. Vnde Prouerb. 27. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* Pauci sunt vtilitati gregis intenti; vnde Ezech. 34. *Væ Pastoribus Israël.*

Vide S. Doctorem, qui infert, hos esse dispensatores, non dominos; atque adeò non posse dispensare bona, nisi ad intentionem Domini; & affert exemplum Ioseph, qui fuit optimus Dispensator in terra Ægypti, *Genes. 41.* Vnde *Væ* indicit eis, qui in electionibus non se habent fideliter, & prudenter, prouidendo optimè, quatenus fieri potest, de ministris Ecclesiæ. 35

HOC argumento vtitur Fagundez *num. 2.* vbi obseruat etiam cum Cotta *de memorabilibus, V. Papa, pag. 655.* & D. Ambrosio *de dignitate Sacerdotali*, & D. Gregorio *homil. 9. in Euangelia*, non excludi summum Pontificem ab hac obligatione; imò eum eò magis teneri, quò maiori, & vniuersaliori est præditus administratione. Quod ostendit etiam S. Doctor *loco citato*, & Pinellus *lib. de rescindendis, vend. p.p. cap. 2. num. 30.* Imò D. Bernardus *de consider.* hoc vtitur medio.

HIS argumentis ostenditur, etiam in beneficiis 36
simplicibus idem seruandum; nam etiam hæc sunt bona cadentia sub dispensatione, non sub iurisdictione libera. Quare non sumitur ratio ex parte beneficij, vt est relatiuum ad bonum populi spiritualem; sed vt in se bonum est accipienti, & est bonum Reipublicæ, seu Ecclesiæ, quod fidelis dispensator tenetur conferre ad mentem Domini, sine acceptione personarum, & ita vniuersaliter locuti sunt S. Thom. S. Bonauent. & alij, vt vidit Diana *p.p. Tract. 15. resol. 38.* cum Baones 2. 2. *quæst. 63. art. 2. dub. 5.*

NEQVE satis se eximit cum aliis ibi Diana, inferens, futuros omnes Prælatos in malo statu: Eligunt enim sæpè minus dignos.

DICO enim. Ipsi viderint, non tamen omnes sunt huiusmodi.

INSTAT secundò; Nam Tridentinum Concilium, sola Pastoralia beneficia dignioribus deferenda iubet, atque adeo non videtur includere Canonicatus, quos *in sess. 24. cap. 12.* monet conferendos, si commodè fieri potest, saltem ex parte, Doctoribus, vel etiam Licentiatis in Theologia: Ergo non cogit, vt conferantur dignioribus. 37

CONFIRMATVR ex praxi; Nam Pastoralia beneficia conferuntur concursibus; non sic reliqua. Neque de his adeo clarè loquuntur Iura.

ENIM verò, vt ex dictis colligitur, omnia 38
etiam beneficia simplicia hac prohibitione includuntur, vt constat legenti testimonia. Neque verò Concilium Tridentinum solâ admonitione incedit in his beneficiis; sed *sess. 22. cap. 2.* præcipit, vt:

Quicunque

Quicumque posthac ad Ecclesias Cathedrales erit assumendus, is non solum natalibus, ætate, moribus, & vita, ac aliis, quæ à sacris Canonibus requiruntur, plenè sis præditus; verum etiam in Sacro ordine antea, saltem sex mensium spatio, constitutus. Quarum rerum instructio, si eius notitia nulla, aut recens in Curia fuerint, à sedis Apostolica Legatis, seu Nunciis prouinciarum, aut eius Ordinario, eoque deficiente, à vicinioribus Ordinariis sumatur; scientiâ vero, præter hæc, huiusmodi polleat, vt muneris sibi iniungendi necessitati possit satisfacere. Ideoque antea in vniuersitate studiorum Magister, siue Doctor, aut Licentiatus in Sacra Theologia, vel iure Canonico, meritò
39 *sis promotus, &c. Quod si regularis fuerit, à Superioribus suæ Religionis similem fidem habeat. Prædicti autem omnes, vnde instructio, seu testificatio erit sumenda, hæc fideliter, & gratis referre teneantur: alioquin eorum conscientias grauiter oneratas esse scient; ac Deum, & Superiores suos habebunt vltores:* Hæc Sanctum Concilium sub graui conscientiæ obligatione decernit.

40 QVÆ enim ita sint, multò magis in beneficiis Pastoralibus id asserendum, vt omnes ferè asserunt apud Fernandez *in Exam. Theol. part.4. cap.4 §.1.* Castellinum *Tract. de elect. can. cap. 9.* Molfesium *in summa tom.1. tract.6. tit. de benefic. num.6. & 61,* Turrianum 2. 2. *tom.2. disp.22. dub.2.* & alios, quos refert, & sequitur Barbosa *in collect. tract. 1. L.1. tit.6. cap.19. num.4.* Vega *in summa, Tom.1. cap.109.* Malder 2. 2. *tract 9. cap.2. disp.7.* Vasquez *opusc. de benefic. cap.2. §.3. dub.1. & 8.* Azorius *part.2. L.6. cap.15. quæsito 1. 8. & 9.* qui omnes mortalem inhi-
41 bent transgressionem huiusce præcepti. Quidquid in contrarium asserant Glossa *in cap. licèt ergo 8. quæst.1.* & *in cap. Monasterium, dist.16. quæst.7. & cap.2. de offic. custodis,* & *cap.3. de iure patron.* cum Roceho *de iure patron, v. honorificum, quæst.15.* ad finem, Pedrazza *in summa, præcis.7.§.36.* Filliuc. *tom.3. tract.41. cap.4. n.181.* & Alezandro de Ales. *part.2. quæst.136. §.2.* qui solùm in Episcopatibus ait esse peccatum prætermittere digniorem, non autem in cæteris beneficiis, etiam curam animarum habentibus. Et ad hoc tenentur etiam Reges, vt notant Lessius *Lib.2. cap.34. dub.14. num 64.* Tametsi de illis, & de Papa oppositum censeant probabile, præter allegatos, ita etiam Diana *p. p. Tract.15. resol.40.* & alij apud Fagundez *cap.22.*

42 IMO deduco ex dictis, etiam renunciantes beneficiis ad id teneri, vt docent Nauar. *in miscell.38. n.7.* Soto *de Iustitia, L.3. quæst.6. art.2.* Vasquez *opusc. de beneficiis, cap.2. §. 4. disp.7. num. 100.* Quidquid in contrarium censeat Diana *loco citato, resol.41.* cum Reginaldo *Tom.1. L.30. tract.3. cap.74. n.110.* Lessio *L.2. cap.34. dub.13. num.61.* Maldero 2. 2. *tract.9. cap.2. dub.7.* citante Caietanum, Sà; & Salonium. Est enim distributor, etiamsi absque comparatione resignet beneficium Nepoti, sibi præfixo; nam adhuc excludit digniores, atque adeò peccat contra Distributiuam, & etiam contra Commutatiuam Iustitiam; quia indignus est, licèt caro, & sanguis ipsum dignum obtendant: Ideò Vasquez infert, hos plura committere crimina, quam cogitent.

ORITVR verò quæstio hic: An non modò eligens indignum, sed etiam eligens minùs dignum, omisso digniori, peccet contra Iustitiam Commutatiuam, atque adeò ad restitutionem teneatur. 43

PRIMA opinio est, non agi contra Commutatiuam, sed solùm contra Distributiuam, ex qua non oriatur obligatio restitutionis. Eam probabilem, & tutam in praxi censent Villalobos *in summa, Tomo 2. tract.8. diff. 8. num.15.* Soto *de Iustitia, L.4 quæst.6. art.3. ad 6.* Nauar. *cap.17. num.74.* & alij, quibus subscribit Diana *parte 2. tract.5. resol. 110.* vbi addit, minus dignum, etiam conscium suæ minoris dignitatis, posse tutò acceptare illud beneficium. Consentit Turrianus 2. 2. *Tract.2. disp.22. dub.3. num 8.* Sotus *de Iustitia, L. 3. quæst. 6. art. 2. post 9. conclusionem.*

ADDIT tamen Turrianus, hoc verum esse post electionem; nam antea sciens, tenetur non concurrere, ne causet iniustitiam. Huic subscribunt Ledesma *Tom.2. tract.7. concl 7. diff. 19.* Siluius 2. 2. *quæsito 63. art.2. concl.4.* Cæterum Lessius dicit posse minus dignum etiam se offerre concurrendo. Sic *L.2. cap.34. dub.41. num.70.* apud Dianam.

ENIM vero hoc esse peccatum contra vtramque iustitiam, tenent communiter apud Fagundez *in 8. Præceptum, L.8. cap.22. num.4.* & Cardinalem Zapattam, suprà allegatum *num.11. fol 55.* Itaque censent, esse contra Commutatiuam respectu Ecclesiæ, quæ dignioribus ministris priuatur, & contra Distributiuam, propter digniorem reiectum; & meliores Doctores obligant ad restitutionem, Ecclesiæ faciendam. Huius sententiæ videtur D. Thom. *quæst.63. art.2. in corpore.* Eam tenent Garzia *de benefic. 7. cap. 16. num.53.* Bannes 2. 2. *quæst. 62. art.2. ad 6.* Salonius *ibi,* Ledesma *part. 2. tract.7. cap. 2. concl.7.* contra Robell. *p.p. L.3. quæst.4 num.14.* 44

NON obligant tamen ad restituendum digniori reiecto, quia censent, ex violatione iustitiæ distributiuæ non oriri debitum restitutionis. Ita Lessius *L.2. cap.34. dub. 15.* Azor *tract.2. L.6. cap.15 quæsito 12.* Tolet. *L.5. summæ, cap.4. vers.4.* & *cap.78.* Valentia *quæst.7. puncto 7.* Nauar. *summa, cap.17. num.72.* Couar. *in Reg. Peccatum, 2. part. §.7. num.6.* Molina *de primo genit. L.2. cap.5. num 57.* Guttierez *can 99. L.2. cap. 11. à num. 97.* & alij, quos sequitur Fagundez *loco cit.* Vide etiam Caspensem *disp.3. quæstione 2.* 45

LICET contrarium dicant Molina *Theol. de Iust. Tract.2. disp.714.* Rodriquez *Tom.1. summa, c.108. num.6.* Salon. 2. 2. *quæst.63. art.4. controu.3. concl.4.* Bannes *ibi,* asserentes, ex violatione iustitiæ distributiuæ resultare debitum rigorosæ restitutionis, tenerique perinde eligentem restituere digniori damnum, inde illi resultans.

DIGNIOR autem non est ille censendus, qui litteris antecellit, vel sanctitate; sed qui aptior est Ecclesiæ regimini, iudicio prudentum. Ità docet Soto *L.3. quæst.6. art.2.* Riccius *in praxi, resol 498 fol.394.* Couar. *loco citato, §.7.* Hoieda *de incompatibilitate, benefic. part.2. cap.23. num.130.* Lupius *in cap. per vestras, not.3. §.6. num. 12. de donat.* Fagundez *num.5.* 46

ITAQVE sicut dignitas consistit in ætate legitima, in litteris, in moribus, in ordinibus ad beneficium requisitis, *cap. cum in cunctis, §. Inferior de electione,* vt non sit inferior vigintiquinque annis, vt habetur, *cap. Cum in cunctis,* quocum non potest Episcopus dispensare ad honores, *extra de elect.* Vt non habeant aliud beneficium curæ, *extra de clericis, Dudum, &c.* quæ habet S. Bonauentura *in confessionali. cap.3. particula 59.* Selua *de benefic. part.3.* 47

quæst. 5. Concilium Trident. *cap.* 1. cum sequenti, *sess.* 7. *& cap.* 1. *&* 4. *sess.* 22. Riccius suprà, & alij: Ità indignitas in eo sita est, vt qualitates non habeant requisitas, iuxta Rebuffum *de pacifica possess. num.* 7. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. & D. Bonauent. *locis allegatis*, & infrà allegandis. In hoc autem valet plurimum iudicium superioris eligentis. Ità Baldus *in cap. si pro debilitate, de off. deleg.* Menoch. *de arbitr. quæst. centur.* 1. *casu* 67. *num.* 13. Alexander *consil.* 33. *Lib.* 1. *num.* 7. Tiraquel. *de nobilit. cap.* 10. *num.* 12. Doctores
48 *in cap. sedes, de rescriptis.* Attamen per hæc non statuitur infallibile iudicium Episcopi, vel alterius Prælati inferioris Pontifici, & ideò ab eis datur appellatio; Nam in eiusmodi arbitrariis potest dolus committi. Baldus *L. si fugitiui, col. vlt.* & sic parte *Cod. de seruis fugit.* Alexander ad Bartolum *in L. si qua pœna* 2. 44. *in fine, ff. de verb. signific.* post Glossam *ibi v. pœna, in fine*, Tiraquell. *L. si vnquam, v. omnia, vel partem, num.* 32. *Cod. de reuocand. Donat.* quibus subscribit Fagundez *num* 6.

49 QVALITATES eligendorum, ait Valentia, simmeodas à fine, pro varietate Præbendarum iurento. Itaque si sit beneficium ad docendum, puta Theologalis, vel ad excipiendas confessiones, necessaria erit doctrina Theologica, & Sacrorum Canonum, vt latè differit S. Doctor *in Confessionali*. Si ad curam animarum, oportebit Charitate etiam maiori esse præditum, vt docuit S. Doctor suprà ad locum *Ioan. vlt.* & Concil. Trident. locis initio relatis.

IN bis autem multa sunt cauenda, multaque obseruanda, ad bonum publicum. Ideò rectè ait cautum *cap. Nullus, & cap. oportebat, dist.* 79. de solo collegio Cardinalium eligendum Papam, ne Schismata orirentur.

DEINDE rectè cautum est, *cap. Nullus, dist.* 61. & *cap. Metropolitano, dist.* 63. vt Electio Episcoporum non fiat, nisi ex eadem Ecclesia, vbi priùs seruierint, si ibi idonei sint; hi enim supponuntur magis eum populum amare.

PRÆTEREA sæpe etiam rectè in quibusdam electionibus cautum est aliquos promoueri, habito respectu ad nobilitatem, & ad familiæ splendorem, hi enim promouent bonum Ecclesiæ.

50 SIMILITER rectè excluduntur ab electionibus, qui alias Ecclesias iam sibi habent desponsatas; non enim prouidè mutantur Ecclesiæ frequenter, vt postquam aliæ ones sunt cognitæ, deserantur, vt incognitæ suscipiantur regendæ. Ideò cautum est, ne hoc fiat, in Conciliis Niceno *can.* 15. Arelat. 2. *can.* 13. Sardic. *can.* 1. Carthag. 4. *can.* 27. etsi aliquando hæ mutationes expediant, vt constat ex Euaristo Papa *epist.* 2. *ad Episcopos Ægypti.* Calixto I. *epist. ad Benedictum*, Anthero *epist. ad Episcopos Bœtica, & Toletana prouincia.*

51 TANDEM præcipuè vitæ ratio est attendenda, vt illius, qui præficiendus sit, vita non sit grauiter praua. *Qui enim sibi malus, nulli bonus.* Qua de re multi ad ea verba Matth. 24. *Quis putas est fidelis seruus, & prudens*, & Lucæ 12. *Dispensator, &c.* cum D. Bonauent. latè differunt.

ELEGANTER S. Doctor *in Apol. pauperum, art.* 1. *in fine*, ait, ex D. Hieronymo epist. 83. *Futurus pastor Ecclesiæ talis eligatur, cuius comparatione subiectus populus meritò grex dicatur*, & ex D. Gregorio 2. part. de cura pastorum, cap. 1. *Tantum debet actionem populi actio procedere præsulis, quantum distare solet à grege vita pastoris.*

52 DE Prælatorum conditionibus eloquentissimè, & ex praxi omnium sapientissimè Seraphicus Bonauentura differuit, qui decem, & octo annos Ordinem amplissimum Minorum gubernauit; imo factus Episcopus Albanensis, summo Pontifici Coadiutor, Cardinalis, Ecclesiæ validissimus Atlas, axem humero torquens, totum orbis Ecclesiastici gyrum obseruauit.

DE conditionibus prælatorum differit *in Libello Apologetico*, in eos, qui ordini Fratrum Minorum aduersantur *quæst.* 5. vbi exigit Ætatis maturitatem, honestam personæ habitudinem, vitæ integritatem, scientiam discretam, prouidentiam, industriam, atque prudentiam, zelum iustitiæ, & ordinis disciplinæ, mansuetudinem, pietatem fraternam, deuotionem, orationis studium, &c. Ipsum vide.

OPVSCVLVM egregium contexuit, cui titu- 53
lus. *De sex alis Seraphim*, in quo assumpta illa Dei apparitione 6. *Isaiæ* descripta, vbi in templo, Deo sedenti, duo Seraphim habentes alas senas adstabant, duabus velantes faciem, duabus pedes, duabus volantes assistebant. His adumbrari Prælatos, sex virtutibus præcipuè ad regimen necessariis præditos veluti alis adnotat, vt zelo iustitiæ simul cum pietate velent faciem; patientiæ, & vitæ exemplaris, veluti duabus aliis alis corpus vsque ad pedes contegant. Circumspectione verò prudenti, & deuotione euolent in altum; sint autem Seraphim sapientia & Charitate ornati. Remitto ad S. Doctorem egregiè hac de re differentem. Vtinam aureis laminis omnes Prælati ea inscripta in pectore portarent, veluti Rationale, in quo resplendet DOCTRINA, & VERITAS remitto etiam ad ea, quæ hac de re differuerim suprà *disp.* 10. *quæst.* 7.

PRIMA parte etiam Pharetræ, *cap.* 11. multas 54
Sanctorum Patrum sententias de Prælatorum recta gubernatione, & alias *cap.* 12. in malos Prælatos constipatas eiaculatur.

RVRSVS in opere de Ecclesiastica Hierarchia, Ordinum omnium Gubernatorum hierarchiam erigit, & cœlestibus Hierarchiis, optimè exquisitis parallelis componit.

EAS igitur tenentur attendere Prælati, dispensatores beneficiorum; neque ab hac lege indemnis est Papa. Quamuis enim supremam habeat potestatem, ab hominibus independentem; tamen subiicitur legibus naturæ, & diuinæ Iustitiæ, & hac doctrinâ respondetur argumentis oppositæ sententiæ, sumptibus ex *cap.* 2. *de prebendis, in* 6. *& ex Clementina prima, in fide*, quæ incipit: *Si duobus*, vbi plena, & libera dignitatum Ecclesiæ dispositio asseritur.

POSTREMO adnotanda est doctrina D. Bona- 55
uenturæ quò ad beneficia sæcularia; de quibus ait *in speculo animæ, loco citato*, verba suprà allegata; Si autem sint temporalia beneficia sic in eis potest esse personarum acceptio mortale peccatum in necessitatis articulo, quando quis tenetur beneficium conferre ex præcepto, & cùm datur beneficium illi, qui non indiget, ratione particularis amoris; & ille, qui est in arcta necessitate, contemnitur. In his autem, in quibus non tenetur quis dare, non cadit acceptio personarum, secundum illud Matthei 20. *Aut non licet mihi quod volo facere?*

VOLVIT autem S. Doctor abstinere à definien- 56
do: an Reges in suis Regnis possint dispensare beneficia vtilia quibuscúmque voluerint, vt sunt pronentus, & stipendia; bona enim Regum videntur ipsorum libera, atque adeò ea communi plurimorum sententia, quos suprà innui possunt ea liberè dispensare, cùm non sint solùm dispensatores, sed Domini. Sic etiam tenent Glossa *in cap. finali* 9. *q.* 3. *verbo ad nos* Decius *in cap. quæ in Ecclesiarum, de constit. num.* 26. Ripa *l.* 2. *respon. cap.* 19.

cap.19. num.5. Gomez *in reg.* de non tollendo iure *quæst.1. quodl.3.* Baldus *in l. Rescripta, num.7. Cod. de precibus Imper. offer.* Gigas *de pensionibus,quæst.10. num.4.* Socinus *consil.13. num.34. l.1.* & *consil.566. num.46.l.2.* & *consil.87.num.51.l.3.* Selua *de benef.2.p. quæst.1. num.45.* Alciatus *reg.3. præsumpt.8. num.2.* Caecialup. *de pensionib. quæst.19.num.30.* Panormit. *C. inter quatuor de maioritate, & obedientia.* Idem tenent omnes asserentes, posse Reges auferre beneficia
57 à se gratis collata, *vt l. Lusitana l.1. tit.98.* Cabedo *2.p. decis.10.* Socinus *consil.53. l.3. Decius l. finali C. de pactis* Ioan. Lupus *initio sua repetit. de donat. inter virum, & vxorem,* Surtius *allegatione 15.* Afflictus *in cap.1. v. potestas, num.14.* quæ sint *regal.feud. l.3.* Thomas Grammat. *decis.46.* Benedictus *in C. Raynutius versu duas, num.37.* Felinus *in C. qua in Ecclesiarum,num.40. de const.* Rips *respons.l.5.cap.19. num.4.* Gomez *in reg. cancell. reg. de non tollendo iure, quæst.1. col.3.*

58 QVOD verò etiam de officiis præcitati Doctores idem asserunt, non probatur. Est enim valida argumentatio à beneficiis ad officia; sed Papa nequit beneficia ad libitum dispensare, & auferre: Ergo nec Reges sine causa, vt benè arguit ex supradictis Fagundez *cap.53.* ad lineam D. Bonau. qui in his, quæ respiciunt publicam gubernationis administrationem, vult, ab his seruari Iustitiam distributiuam.

ITAQVE in bonis vtilibus, quibus Reges ex propriis gazis erigunt stipendia, aut prouentus, liberè possunt dispensare, non tamen retrahendo iam concessa, nisi ex aliqua causa, cùm liberè fuerint con-
59 signata. De his dispensare quibusdam, relinquendo alios in necessitate arcta, seu graui sine adiutorio existimat S.Doctor esse contra Charitatem, & videtur etiam contra distributiuam, iuxta varia principia allata *disp.1.* vbi ostendi probabiliter, esse contra ius naturæ,iure gentium alteratum, vt dixi *disp. de eleemosyna, quæst.7.*

QVÆSTIO III.

An Acceptio personarum habeat locum in exhibitione honoris, & reuerentiæ.

S.Bonau.in speculo animæ cap 3.
D.Thom. art 3.

60 PRo certo habent S.Bonau. *in speculo, cap.3.* & D.Thom. *hic,*in talium exhibitione posse interuenire acceptionem personarum, prout sunt bona Reipublicæ, & alij ad ea habent ius maius, puta ratione virtutis, quæ pluris æstimanda, quam alij ratione potentiæ, & diuitiarum.

PROBATVR ab vtroque S. Doctore ex illo Iacobi 2. *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi. Etenim si introierit in conuentum vestrum vir,aureum anulum habens in veste candida; introierit autem & pauper in sordido habitu; & intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: Tu sede hic benè: pauperi autem dicatis: Tu sta illic; aut sede sub scabello pedum meorum: nonne iudicastis apud vos metipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum?*

61 HIS ostendit Apostolus, esse acceptionem fraudam personarum, honorare aliquos, etiamsi improbos, ob solas diuitias magis, quàm pauperes, virtute præclaros. Confirmatur à S. Doctore ex Glossa, ad hunc locum, Interlineari, disertè hanc personarum præferentiam reprobante.

PROBATVR secundò ratione S. Bonau. Nam honor, ex Aristotele *1. Rhet. cap.5.* non est aliud, quàm testimonium virtutis, debitum cuique pro magnitudine, vel paruitate ipsius virtutis proportionaliter; estque bonum æstimabile, & bonum Reipub. quatenus est corpus ciuile, atque adeò priuare viros studiosos hac obseruantia, est acceptio personarum, atque adeò, si vergat ad contemptum pauperis studiosi, erit mortale, maximè honorato diuite ob solas diuitias, vt aduertit S.Doctor ex testimonio D. Iacobi, qui talem vocat Iudicem cogitationum iniquarum, seu Iudicem iniquum. Hoc argumento vtitur Valentia *quæst.7. puncto 3.*

EX quo apparet, deceptos Caietanum hîc, Lessium 62
tomo primo de Iustitia, l.2. cap.11. de detract. & contumel. dub.17. num.142. Filliucium *tomo 2. tract.32. cap.9. num.251.* Fagundez *lib.8. cap.28. num.8.* dicentes, negationem honoris debiti non esse contra iustitiam, sed solum contra obseruantiam; de qua S.Thomas *quæst.102.* nisi fortè habeat contumeliam interpretatiuam adiunctam, vt si transeuntem Pastorem, seu Principem omnibus honorantibus, aliquis sine honoris signo aspiciat. Ex quo deducunt, negationem reuerentiæ per se non cogere ad restitutionem.

FALLVNTVR autem, quia non sunt conside- 63
randi hi actus, vt immediatè eliciti à virtute obseruantiæ, sed vt sunt materia, seu res debita, atque adeo iniustè virtute obseruantiæ abutitur, quod opponitur actui iustitiæ distributiuæ; neque enim insolitum est, actus vnius virtutis esse materiam alterius virtutis, sic enim & actus diuinæ liberalitatis, & misericordiæ, quâ gratiam dat,est materia iustitiæ, prout ea gratia est debita meritis Christi. Igitur exhibitio reuerentiæ est materia distributiuæ iustitiæ ad modum, quo & beneficia Ecclesiastica distribuenda, vt aduertit Valentia *loc.cit.*

Ex quo etiam ruit Caietani alterum argumentum. Hæc honoris exhibitio est gratuita; in gratuitis autem non interuenit acceptio personarum.

RESPONDETVR, hos actus esse gratuitos, 64
vt eliciuntur immediatè à virtute obseruantiæ; non autem, vt sunt debiti ex eo, quòd sunt bona publica Reipublicæ, vt est corpus ciuile, distribuenda secundùm merita. Neque vero benè infert quispiam, hæc non spectare ad iustitiam distributiuam, eò quòd etiam ad inferiores spectat, hæc signa reuerentiæ exhibere. Satis enim est, id spectare ad omnem habentem Ius ad illa bona,cuique secundùm suum meritum distribuenda.

TANNERVS sanè *disp.4. quæst.8. num.50.* dicit, immediatè quidem, & elicitiuè honorem esse à virtute obseruantiæ; imperatiuè autem à iustitia commutatiua. Sic componit opiniones.

PRÆCLARA verò è SS. PP. assertionem posi- 65
tam confirmat S.Doctor *lib.3. Pharetra, cap.38.* quibus etiam oppositiones diluit, Præclara sunt hac de re testimonia DD.Gregorij, & Hieronymi, eos vide quæstione præcedenti.

ADDIT Senecam epist.76.post medium:*Hoc labo-* 66
ramus errore, sic nobis imponitur, quod neminem æstimamus, eo quod est, sed etiam adiicimus illi & ea, quibus adornatus est: At qui cum voles veram hominis æstimationem inire, & scire qualis sit; nudum inspice: ponat patrimonium, ponat honores, & alia fortunæ mendacia, corpus ipsum exuat, animum intuere, qualis, quantusque sit alieno, an suo magnus.

QVÆSTIO IV.

An acceptio personarum inueniat locum in Iudicum sententiis.

{ D.Bonau loco cit.
D.Thom. art.4.

67 CERTVM ex fide est, in Iudicio esse posse acceptionem personarum. Id probat S. Doctor illo Deuter.16. *Non accipies personam in iudicio*, & Prouerb.18. *Accipere personam in iudicio non est bonum.*

ADDIT S.Bonau. rationem validam *Parte* 1. *de Eccl. Hierarchia*, *cap.*4. In calce, recitato hoc loco Prouerbiorum; nam declinatur à mediocritate Geometrica, debita meritis cuiusque.

HOC itaque est graue peccatum, & veluti monstrum, vt qui Iudex est hominum, iniustè agat, vt dicebat Beatus Andreas Ægeæ, iudici Achaiæ.

PROBATVR tertiò à S.Doct. *l.* 3. *Pharetra*, *cap.*38. ex SS.PP.

68 D.ISIDORVS de summo bono, l.3. cap.57. *Iudices iniqui errant à veritate sententia, dum intendunt in qualitate persona; & exulcerant sæpe iustos, dum improbè defendunt iniquos*, & cap.57. *Diues muneribus citò corrumpit Iudicem; pauper autem dum non habet, quod offerat, non solùm audiri contemnitur, sed etiam contra veritatem opprimitur.*

HINC D. Gregorius *lib.*9. *Moral. cap.*17. apud D.Bonau. lib.1. Pharetræ, cap.45. *Tres sunt acceptiones munerum, ad quas ex fraude festinatur ad iudicium. Munus namque à corde, est captata gratia à cogitatione. Munus ab ore, est gloria per fauorem. Munus à manu, est præmium per dationem.*

69 PERGIT ibidem afferre D. Isidorum de summo bono, cap.58. sent.7. *Quatuor modis iudicium humanum peruertitur, timore, cupiditate, odio, amore. Timore, dum metu potestatis alicuius veritatem loqui pauescimus. Cupiditate, dum pramio muneris alicuius corrumpimur. Odio, dum contra quemlibet aduersari molimur. Amore, dum amico vel propinquis obtemperare contendimus.* Alios patres id ipsum testantes habes *quæst.*2. *præcedenti.*

70 ADEO autem exaggerant Patres hoc Iudicum crimen, vt S. Hieron. maximum appellet, quia cùm Iudex sit anima Iustitiæ, seu iustitia animata, vt docet Aristoteles 5. *Eth.* monstruosa res est in eo iniustitia.

71 EST autem dubium: An Iudex, quando iudicat in materia Iustitiæ commutatiuæ, puniendo, vel præmiando hunc præcisum, vel illum contra iustum, considerando in eo conditionem, non facientem ad causam, peccet etiam contra Distributiuam.

ASSERENDVM, Iudicem ità iudicantem, contra distributiuam Iustitiam delinquere.

72 PROBATVR à Valentia *puncto* 4. Nam actus iudiciales, prout in potentia, sunt moraliter bona publica distribuenda secundùm proportionem Geometricam emeritis: Ergo Iudex hos actus distribuendo iniquè; peccat contra distributiuam, quia illa sententia alteri digniori debebatur.

73 HÆC tamen ratio videtur Metaphysica, non moralis; alioqui omnes actus Principis, vel Iudicis aliquo præcepto ligati, spectabunt ad distributiuam. Debent igitur considerari in practica applicatione, vnde ratio distributiuæ, vel commutatiuæ consideratur.

RATIO igitur vera, & solida est D. Bonau. *de* 74
*Eccl. Hier. p.*1. *cap.*4. *in fine*, & in Pharetra *locis adductis* ex PP. Quia, cùm Iudex habeat in manibus distributionem præmiorum, & pœnarum, aliorumque bonorum communitatis, tenetur seruare medietatem, ab omni extremitate vitiorum remotam; atque adeò, etiamsi nunc respiciat hunc reum, hunc insontem, reddatque illis secundum commutatiuam debitum, tenetur id præstare ea mediocritate, quæ bono publico compmatis etiam aliis, quibus iustitia ministratur, iuxta præsentem statum rerum debita est, vt non adhibeatur rigor summus cum hoc; cùm iusta proportione non adhibeatur, neque adhiberi debeat cum cæteris, si pacem Reipub. tueri velit. Hæc verò 75
exorbitantia improportionis oritur, vel ex ignorantia sui officij, vel ex affectatione in respiciendo ad conditiones, impertinentes definitioni causarum, vt sunt amicitiæ, munera, potentia, consanguinitas, &c. & hoc voluère apertè SS. PP. apud D.Bonauenturam. Quare non rectè Valentia ait, non satis rem hanc alios explicasse.

EX his deduco; quid dicendum, quando Iudicis 76
arbitrio relinquitur dare aliquid, puta, cùm Lex determinat, vt Iudex pro arbitrio det tempus litigantibus.

DICO enim, non posse ex conditionibus impertinentibus dare vni magis, quam alteri; relinquit enim lex aliqua arbitrio Iudicis, quia tot sunt conditionibus indiuiduantibus obnoxia, vt de singulis definire sit arduum, ac moraliter impossibile. Ideò relinquitur arbitrio Iudicis computatis omnibus, seruanda seruare, alioqui si ex affectionibus hæc distribuat, non rectè paci, ac tranquillitati publicæ consulet; cum enim membra omnia Reipublicæ habeant ius ad ea bona, puta ad illam commoditatem temporis ad comparendum, vel ad soluendum, cùm omnes sunt pares in causa, non est vni magis, quam alteri denegandum.

ALIQVA tamen, quæ proprium incommodum 77
Iudici suscipiendum imponunt, possunt amico magis appendi, puta ire ad locum incommodum, ad corpus delicti, vel ad causam dicendam, vt notat Valentia *loc. cit.* Sotus *l.*3. *quæst. vlt. art.*5. & alij. Cauendum tamen scandalum.

DVBITATIO I.

An possit IVDEX *absque nota acceptationis personarum adiudicare amicorum Fauori, quando ius est dubium inter Doctores.*

EXISTANTE vtrinque opinione probabili, cen- 78
sent plurimi, posse Iudicem pro alterutro ad libitum iudicare. Ita Sanchez *T.*1. *Decal. lib.*1. *cap.*9. *num.*45. Medina 1.2. *quæst.*19. *art.*6. *fol.*309. Salon. 2.2. *quæst* 63. *art.*4. *controu.*2. Valentia 2.2. *disp.*5. *quæst.*7. *punct.*4. *dub.*3. Rodriquez *Tomo* 1. *summæ*, *cap.*6. Sayrus *lib.*1. *cap.*11. Salas 2.2. *quæst.*21. *tract.*8. *dub. vn. sect.*12. Petrus Ledesma *T.*2. *summa*, *Tract.*8. *cap.*22. *post* 11. *conclusionem*, *diff.*1. *fol.*745. Fagundex *in octauum Præceptum Decal. l.*8. *cap.*26. *num.*35. vbi ait, hos omnes asserere, non posse Iudicem diui- 79
dere rem litigio agitatam inter litigantes, aut si indiuisibilis sit, vt Maioratus, non posse diuidere fructus (vt volunt Bannes 2.2. *quæst.*69. *art.*4. *disp.*1. & Malder. *tract.*9. *de iustitia*, *cap.*1. *dub.*4.) sed teneri iudicem sa determinare, & vnam opinionem, quam malueris eligere, & secundùm eam totam litem parti

vni

vni adiudicare; sed non omnes dicunt, iudicem ad id teneri; sed posse. Neque mihi id probatur, quod renuator; nam cùm nulla hinc inde maior ratio cogens conscientiam adsit, sed vtrinque in æquilibrio sint probabilitates; non video cur velit cogere. Imò arbitrior probabile, teneri diuidere, quia vterque ius habet æquè ad rem, atque adeò totam dando vni, erit acceptio manca personarum, quæ iudicat, non secundùm rationem meriti. De hoc egi etiam *prima secunde, Tract. de actibus humanis, disp.17. de conscientia probabili quæst.* 10. *& ad prop.*26. Hoc multi tenent cum Nauarro C. *si quis, de pœnit, dist.*7.*num.*130.

MIROR autem, Fagundez apponere ratiunculas, atque gloriari, egregie probari eas, quæ sumuntur, eò quòd Iudex tenetur se determinare ad aliquam partem.

80 DICO enim, teneri se determinare secundùm leges iustitiæ, non autem contra eas. Iam verò dare totam rem vni, eam auferendo ab alio, qui habet ad eam æquale ius, cogitet Fagundez, an sit determinare se secundùm regulas iustitiæ. Hæc videtur sententia D.Bonau. *loco citando.*

81 ADDO has libertates adiudicandi, plerumque scandala afferre, dum vident populi modò, vno modo; modò opposito iudicari eandem numero rem. Confirmatur. Quando rationes, & probationes vtrinque sunt æquales, res est diuidenda: Ergo & id agendum dum opiniones sunt vtrinque iisdem rationibus nixæ.

RESPONDET Fagundez, negando paritatem; nam probationes se tenent ex parte causæ; probabilitates autem opinionum ex parte Iudicis, qui tenetur eligere opinionem, secundùm quam iudicet. Cui annoit etiam Sanchez *lib.*1. *Decal. cap* 9. *num.*45.

82 SED fallitur vterque, nam & rationes opinionum stant ex parte causæ, sicuti etiam probationes. Sunt enim sustentacula causæ, sine quibus perit, & hoc signum regium est, quia mutatis rationibus opinionum, mutat causa essentialiter faciem.

DEINDE non adeò lepidè infert, quod si probabilitates se teneant ex parte iudicis, stet in eius potestate contra rationes iudicare: Hæ enim gignunt in iudice probabilitatem.

83 ADDIT Valentia, quod si opinio sit probabilior pro vna parte, tenetur pro ea iudex iudicare; tunc enim ius stat pro illo, cui opinio fauet probabiliùs; alioqui erit acceptor personarum; & hinc deducit, quid Confessarius teneatur agere in foro conscientiæ, ne sit acceptor personarum.

84 MELIVS S. Bonau. *in Confessionali, cap.* 1. *part.*6. cuius verba aurea referam: Studeat etiam Confessor cauere ab acceptione personarum, quod confessor in iudicio pœnitentiæ personam non accipiat, quæ sic describitur à Magistris. Acceptio personæ est iniustitia, qua præfertur persona personæ, propter causam indebitam. Attende diligenter ô iudex pœnitentialis, quod tibi dicitur, Leuitici 19. *Non facies quod iniquum est, nec iniustè iudicabis. Non consideres personam pauperis; nec honores vultum potentis*, ne videlicèt declines à via Iustitiæ propter pauperis com-
85 passionem, vel propter potentis adulationem. Attende præterea tibi dictum, Deuter.16. *Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum.* Attende nihilominus diligenter, & considera vniuersaliter omnibus confessoribus esse dictum, Deuter,1. *Audite illos, & quod iustum est iudicate: siue ciuis ille, siue peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis, vt magnum; non accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est.* Audite inquam, Idest, diligenter intendite peccata, & peccatorum circumstantias examinando, & quod iustum est iudicate, iustos videlicet, siue diuites, siue pauperes absoluendo; & impios, quamuis etiam potentes, & diuites, condemnando: nec accipietis personam cuiusquam, pauperes indebitè exasperando, & diuitibus, & potentibus adulando. Non inquam accipias personam, ne male 86
dictione prophetica feriaris, qua dicitur Isa.5. *Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo.* Hæc S.Bonauentura.

HINC enascitur alia quæstio de Iudicibus, an sine nota acceptionis personarum, possint munerum interuentu iudicare pro parte æque probabili: Hanc difficultatem excussimus *tomo quarto disp.*17.*quæst.*10. Iuxta decretum Alexandri VII. qui luxuriantem nimis opinionum libidinem tam in hac quam aliis in rebus coërceti. De hac iterum quæstione agere non pigebit *disp. de Iudice, quæst.*6.

SVNT enim non ignobiles authores, quorum quosdam iam retulimus, qui arbitrum suæ voluntatis Iudicem ità faciunt, vt pro qua libeat parte vtrinque probabili iudicet, & pro suæ libertatis determinatione potius in vnam, quàm in aliam partem, munera possit licitè accipere: & hoc nonnulli tuentur, quamuis est ex iure naturæ; alij quoque omni iure id licere proclamare non erubescunt. Verum loco iam citato dicam, quantum hi Iustitiam temerant, tam ex parte Iudicis, qui aliunde sat pro sui muneris functione recompensatur, quàm ex parte litigantium, quorum vterque pari Iuris probabilitate æquam litis diuisionem potiùs expostulat, quàm vt vni tota adiudicetur.



DISPVTATIO XXVI.

De Homicidio.



VM inter cætera bona, vita vnicuique sit charissima, huius iniqua ablatione maximè in proximum delinquitur; est etenim veluti omnium bonorum, quibus viuens potitur, annihilatio: quare homicidio omnia iura, quibus Proximo obstringimur, omnimodè violantur; hoc autem fit spiritualiter odio & detractione; corporaliter vero fit lingua & opere; prior præcipit, consulit, aut non inhibet; posterius autem in homicidium aliquando exit, Iustitiam exequendo, casu perimendo, vel necessitate defendendo; & hoc vltimo modo seruatis seruandis homicidium vacat culpa: verum si voluntate fiat; dominante tantum vindictæ libidine, grauiter peccatur vti mox videndum est.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Quid sit HOMICIDIVM, *& quotuplex.*

D.Bonau. p.1. Centil. sect.31.

1 HOMICIDIVM sic definitur à D.Bonauentura p.1. Centil. sect.31. *Homicidium est hominis occisio, ab homine facta.* Hanc definitionem sequuntur Ioannes de Anania *in rubric. de homicidio, num.1.* & alij. Dicitur *hominis occisio*, ad differentiam necis, quæ infertur animalibus brutis. Dicitur *ab homine facta*, ad distinctionem illius occisionis, quâ homo occiditur ab aliquo bruto animali. Respicit autem hæc definitio magis vim nominis (vt vidit Carrerius *in pract. tract. de homicidio, & assassinio*, initio) quàm essentiam peccati, quod aduertit etiam Fagundez *in quintum præceptum, capite 1.*

2 IOAN Carrerius, & Iurisperiti communiter apud Prosperum Farinacium *quæst.119. Tom.4.* & Theologi apud Fagundez *loc. cit.* ex D.Bonauentura *sermone de decem præceptis, cap.6.* definiunt, prout prohibetur in 5. præcepto: *Est iniusta hominis occisio.* Est autem homicidium iniuste factum illud, quod à priuatâ authoritate fit, non seruato moderamine inculpatæ tutelæ; vel à publica, non seruata debita iustitia, & iuris ordine, vt obseruat Fagundez ex D.Bonau. *loc. cit. & in 3. dist.37. dub.5. lit.* & *in qq.* De vtraque autem agendum.

3 MVLTIS modis homicidium diuiditur. Primò in Spirituale, & Corporale à D. Bonau. *locis adductis*, & ab aliis vtriusque Iuris Doctoribus; de qua diuisione agit præsertim Farinac. *loco citato* ex Iacobo Baulent. *in repert.legis capital. §. Famos. num.63.ff. de pœnis.*

SPIRITVALE dicitur primò, quo detractor iniustè famam denigrat. Sic enim in iure detractor dicitur homicida, *cap. Homicidiorum, de pœnit. dist.1.* Secundò illud, quo quis proximum suum odio habet, prima Ioan.3. *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Tertiò illud, quo suadet alteri; vt proximo noceat, quia in iure etiam tam suasor mali, quàm odio alterum habens, homicidæ appellantur, *C. Noli putare*
4 *de pœnit. dist.1. C. Homicidium.* Quartò illud, quo quisque proximo suo aliquo modo nocere studet *C. Homicidium, de pœnit. disp.2.* Quintò illud, quo aliquis fratri suo extremè indigenti negat alimenta, vt habetur *dist.86.* ex Ambrosio: *Pasce fame morientem; si non pauisti, occidisti.*

HOMICIDIVM verò corporale est illud, quo corpus hominis occiditur; maximè verò homicidium spirituale est, quo quis inducitur ad mortem animæ per peccatum, vt notat S. Bonau. *in Confessionali, cap.2. particula 3.*

5 HOMICIDIVM igitur, vt à Theologis definitur, grauissimum, & atrox peccatum est, grauius, quàm furtum, & adulterium. Est enim homicidij damnum irreparabile, & per illud inferimus homini maximum omnium nocumentum, quæ illi inferre possumus; vt latè, & doctè probat Socinus *consil.157. num.8. lib.2.* argumentis ex D.Bonauentura.

6 PRIMVM argumentum est. Grauiora sunt peccata, quibus infertur nocumentum corpori, quàm ea, quibus infertur nocumentum rebus hominis externis, & bonis illius, & ità pro vnico homicidio imponitur pœna mortis; non sic pro vnico furto, nisi fuerit vestitum grauissimis circumstantiis, vt refert S.Doct. *in Confessionali.*

SECVNDVM argumentum, quia in decem præceptis Decalogi prius ponitur præceptum vetans homicidium, quàm præceptum prohibens furtum, & adulterium, vt arguit S. Doct. *in 3. dist.37. art.2. quæst.2.*

TERTIVM; quia in Decretalibus priùs ponitur Titulus homicidij, quam Titulus adulterij, & 7
furti.

QVARTVM, quia facilius dispensatur cum fure, quàm cum homicida voluntario, vt patet ex *C. sicut dignum, de homicidio, num.2 fol.315.* Declan. *in tract. crim l.9. cap.17.num.18.* Marsil. *in l.1.num.3. ff. ad legem Cornel. de sicar.* cum Socino, Grauius esse homicidium adulterio, probant ex textu *in C. si quid verius, dist.30. quæst.2. L.* Quamuis è circumstantiis, vt in adulterio, & furto famoso, contrarium dicendum sit, vt docet Decius *consil.65. L.1.*

VERA autem ratio totius assumpti est, quia dam- 8
num illatum per mortem est irreparabile; at damnum ex adulterio, & furto, est per se reparabile, cùm sit circa bona magis extrinseca, vt ait Fagundez *cap.1. num.3.* cum S.Bonau. ac sanè homo simpliciter pluris æstimat vitam, quàm diuitias, famam, & honorem, vt ait S.Doctor *in 3. dist.37. art.2. quæst.1. in corpore*; est enim contra ipsius esse indiuidui, & contra bonum magis intrinsecum.

QVAMVIS autem ibi addat, fornicationem esse contra debitam conseruationem speciei, tamen damnum illatum proximo est minus; neque tanta est damnificatio speciei in vna mœchia, quanta est in homicidio.

HOMICIDIVM, inquit D.Bonau. suprà cum 9
S.August. *epist.54.* bipartitè accipitur: Aut enim est ab authoritate priuata, aut à publica; & vtrumque, si illicito modo fiat, prohibetur *Exodi 20. Deuter.5.* Erit autem illicitum priuatim, si fiat absque necessitate inculpatæ tutelæ; publicum verò à Iudice, vel Principe, si contra iustitiam aliquis occidatur. Quamuis enim Principibus præcipiatur, vt scelestos puniant, etiam morte, sicut dictum est Moysi Exodi 13. *Maleficos non patieris viuere*; tamen simul etiam præcipitur ne contra iustitiam insontem, aut nec ipsum reum indebitis modis interficiant, vt docet S. Doct. *in 3. loc. cit.*

NECESSARIVM est sanè saluti Reipublicæ, vt 10
latrones, sicarij, assassini, & proditores puniantur, & hæc potestas, seu hic gladius iustitiæ datus est à Deo, vt ait Apostolus Rom.13. *Omnis anima*, hoc est, omnis homo, vt exponit S.August. tract.105. in Ioan. *potestatibus sublimioribus subdita sit. Si malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat.* Portant enim ad resecanda mala, quæ grassantur per orbem in corpore Reipublicæ, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst 64. art.1.* Sicut enim membrum publicum præscinditur in corpore humano, vt saluti totius corporis consulatur; ita membrum Reipublicæ noxium meritò è medio tollitur, ne totum corpus politicum corrumpat. Tunc autem homo occiditur à Iudice, non vt homo, sed vt scelestus; & ideò odio malitiæ, zeloque iustitiæ, iure, ac merito perimitur, vt
edisserit S.Doct. *in 2. dist.44. art.3. quæst.1.* & *in 3.* 11
dist.37. dub. 5. litt. & *opusculo de decem præceptis, cap.6.* vbi plures alios modos subdiuidit, quibus homo priuatim occiditur, de quibus infrà.

Ex dictis habes, non vetari omnem occisionem cuiuscumque viuentis, sed solùm hominum. Itaque licèt secare plantas, & herbas, vt dicitur Genes.1. *Ecce dedi vobis omnem herbam, & vniuersa ligna, vt*

sint vobis in escam, & cap.9. *Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum.* Et hoc agnouit etiam Aristoteles *lib.1. Polit. cap.5. &* 6. Ideò S.August. lib.1. de ciuit. cap.20. *Iustissima ordinatione Creatoris & vitam, & mortem omnium animantium nostris vsibus subdi.* Id verò plurimis scripturis probatur à S.Doctore passim. Quare deduces *allegatis locis* cum D.Thom. *art.*1. quos alij imitantur, insulsos, & stultos fuisse Manichæos, qui hoc præcepto clamabant, prohiberi occidere nedum bruta, sed etiam plantas. Sunt enim omnia hæc facta propter hominem ad vsum eius, vt protestatur Dominus *allatis locis*, & arguunt SS. Doctores nostri. Hinc concesso hominibus *Genes.*9. occidere animalia, subditur prohibitio occidendi hominem, cuius rationem affert Dominus:
13 *Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Quibus autem modis illicitum sit, & quibus licitum hominem occidere, infrà edisseram.

QVÆSTIO II.

De homicidio à proposito doloso, insidioso, & proditorio.

14 TRIPLICITER homo occiditur, Casu, Necessitate, & Voluntate, vt aduertit S. Doct. *serm.*6. *de decem preceptis.* Sed *prima parte Centil. sect.*31. Homicidia Iustitiæ addit, & quia de peccato homicidij agimus, oportet priùs de eo, quod est magis voluntarium disserere, qualia sunt posita in titulo, quæ dicuntur *Homicidia qualificata*, quæque semper habent pœnam mortis iniunctam *l.3. C. de Episcopali audientia, l. si seruus, C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, l.3. §. Legis Cornelia.* Et *l. Qui cadem, ff. de sicariis, l. Pœna, ff. de Parricid. §. Item Lex Cornelia* 1. *Instit. de publ. ind.*

15 HOMICIDIVM à proposito (quod nos vocamus, caso pensato,) est quod longo ex tempore præmeditatum probatur. Quamuis autem cogitata non possimus penetrare, tamen ex actis eam deducimus, puta, si aliâs insidias extruxerit illi, si armatus cum adunatis sicariis expectauerit in aliquo loco; attenderit multos dies in aliqua domo, &c. si occisus fuerit crudeliter confossus, trucidatus membris aliquibus, puta naso, auribus, mutilatus, &c. Dicitur autem *a proposito* si post 24. horas ab accepta iniuria; quibus probatur insidias, vel necem molitus, aduocando socios, mittendo exploratores, &c. interficiat. Quæ omnia prudenti iudicio demandantur, vt monet Iulius Clarus *l.5. sent. §. Homicidium. num.*8. Itaque huiusmodi pœnâ ordinariâ, quæ est mortis, pu-
16 niendus. Ita Salicet. *l.*15. *Qui cum telo, C. de sicariis.* Et *l.1. ff. extraord.* Couar. *in Clementina, si furiosus, initio secunda partis* Ioan. Igneus *l.1. §. occiserum, num.*41. *ff. ad Syll.* Iul. Clar. *§. Finali, 9. quæst.*2.

17 HOMICIDIVM insidiosum, quod ferè semper coniunctum habet dolum, & fraudem, est, cùm aliquis occulto in loco aliquem expectat, illumque aduenientem occidit, vel insidiosè, fictè, & simulatè in domum, in qua est, vocatum interficit. Potest autem esse insidiosum, & tamen non è proposito, si in calore iræ occidatur intra diem. Is autem pœna mortis punitur, vt statuunt allegatæ leges, & Legis expositores cum D.Bonau. *in Diata, tit.*3. *cap.*4.

18 PRODITORIVM homicidium est illud, quod proditoriè committitur, nullâ aliâ intercedente iniuriâ, nullo odio, nullâ rixâ præcedente, vt qui socium itineris interficit, vel fingèns se amicum, necat. Ita D.Bonau. *in speculo animæ, cap.*1. circa medium Barthol. *l. respiciendum, §. Delinquunt, num.*1 *ff. de pœnis.* Igneus *in Lege, si seruus, §. si vnus ex dominis, ff. ad Syll. post numerum* 14. Iul. Clar. *l.5. sent, §. Homicidium, num.*10. Hi pœna mortis damnantur, vt decernunt Iura suprà allegata; & ab immunitate Ecclesiæ excluduntur, sicuti exclusi sunt etiam insidiatoriè occidentes; & ex proposito interficientes excludebantur iure veteri.

Io totum præclarè ostendit S. Doct. *in Bibl. loc.* 19
cit. ex Scriptura; nam Ioab Dux, Regi Dauidi sanguine coniunctus, atque fidelis, tamen quia occiderat Abner. 2. *Reg.*3. ex proposito, & dolosè; & Amasam 2. *Reg.*20. proditoriè, osculans eum, damnauit eum Sanctus Rex moriens, & præcepit Salomoni Filio: 3.Reg.2. *Tu quoque nosti, quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecit duobus principibus exercitus Israel, Abner filio Ner, & Amasæ, filio Iether: quos occidit, & effudit sanguinem belli in pace. Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacificè ad inferos.*

STATIM verò Salomon Rex sapientissimus, & iustissimus, eum occidendum mandauit Banaiæ. Et quia ille fugit ad Templum, & apprehendit cornu Altaris, & noluit exire; præcepit Salomon, vt occideretur in Templo: *Vade interfice eum.*

EX quo deducitur cum S. Doctore, tales homici- 20
das proditores exclusos esse ab Ecclesiastica immunitate.

ET quidem homicidas etiam *à proposito* exclusos docebant communiter Doctores, Suarez *t.1. l.3. de de relig. cap.*11. Nauar. *summa cap.*25. Couar. *l.2. var. cap.*20. Iulius Clar. *l.5. sent. §. finali, quæst.*30. Guido Papa *decis.*121. Bouëtius *decis.*109. Alex. *consil.*145. *num.*46. Corrad. *in pract. fol.*268. Blaucus *in pract. fol.*4. *num.*26. Ordinatio Lusitana in nbuis *lib.*2. *tit.*5. Gambacurt. *l.5. cap.*4. *num.*19. Fagundez *in* 5. *Præceptum, l.5. cap.*1.

DE homicidis etiam ex insidiis asserunt excludi Iu- 21
lius Clarus, Suarez, Nauarrus citati, Remigius *de immunitate Ecclesia, fallentia* 13. Fagundex *loc. cit. num.*19.

NVNC tamen Gregorius XIV. excludit suâ Constitutione, ex his, solos proditoriè occidentes, corrigens ius commune *cap.1. de Homicidis.* Sic autem declarauit Clemens VIII. in quodam Breui, ad Archiepiscopum Panormit. anno 1597. die 6. Februarij, qui habetur apud Marcum Antonium Genuensem *in praxi, cap.*76. vt refert Diana *p.1. Tract. de immunitate Ecclesiæ, resol.*1. vbi ostendit Gregorium reuocare eâ Bullâ omnia priuilegia, & omnes consuetudines, & refert plurimos Doctores. Vide Riccium *p.5. collect.*1792. Peregrin. *de Immunitate, cap.*7. Bonacinam *Tract. de Legibus, disp.3. quæst.7. §.6.*

PORRO excludi proditoriè occidentem, docue- 22
re etiam Iul. Clar. *l.5. sent. §. Homicidium, num.*10. Couar. *l.2. variarum, cap.20. num.*7. Gomez *cap.10. de delictis* Remig. *de Immunitate Ecclesia fol.*225. Placa *lib.1. delict. cap.*21. Igneus *in L.1. si Dominus, num.7. ff. ad Syll.* Milleus *in pract. crim. fol.*32. Fagundez *num.* 21. & hanc esse consuetudinem totius orbis testatur Couar.

ADVERTE tamen apud D. Bonauenturam proditoriè esse occisum à Ioab etiam Abner; quia, licèt fuisset olim Inimicus, & occidisset Asaelem fratrem Ioab; tamen reconciliatus est, & sub specie amicitiæ, seu reconciliationis, eum occidit, quod idem sentiunt plurimi. Hinc multo magis assassini excluduntur.

ADVERTE etiam cum Diana *resol.*5. multo 23
post Bullam editam, oppositum sententiæ asseruisse

ipsam

ipsam aliter interpretantes: alios verò ideò scripsisse contrà, vt Fagundez, & Portelium, quia in Hispania degère vbi Gregorij Bulla non est vsu recepta.

QVOAD mediatorem assassinij, ipsum gaudere immunitate Ecclesiastica docent Antonius Nouarius *in summa Bullarum, tit. de Immunit. Ecclesia, num.72.* qui citant alterum Nouarium Rouitum, & Gambacurtam, quibus subscribit Diana *p.4. tract. de Immun. Ecclesia, resol.109.* & *resol.33.* vbi refert etiam Antonium de Marinis *in resol. quotidian. cap.171.* Gambacurtam de immunitate Ecclesiæ *l.5. cap.34.*
24 *num.14.* Masculum *in addit ad Capyc. decis.512.* Ratio est, quia Doctores *in C. pro humana, de homicidio, in 6.* asserunt, sub nomine assassinij non venire mediatorem, & sic fuisse decisum in Sacro Consist. anno 1615. refert Rouitus *in pragm.1. de assassinio, num.49.* in Bulla autem Gregorij XIV. excluduntur ab immunitate soli assassini: Ergo non mediatores. AN verò quis, proditoriè occidens infidelem, gaudeat immunitate, asserunt Ambrosius *de immunitate, cap.7.* Bonacina *in decal. disp.3. quæst. 7. p.6. §.3, num.6.* quia non videtur noster proximus: At Gregorius excludit solùm occidentem proditoriè proximum. Arguit autem Ambrosin. quia si assassinans infidelem eâ gaudet, multò magis proditor, cùm maius sit assassinium proditione.

25 ASSASSINI autem, & mandantes excluduntur ab immunitate, vt communiter docent Doctores apud Fagundez *in 5. Præceptum decal. l.5. cap.1. n.22.* Sunt autem assassini quoddam genus hominum in Syria, subditi Christianis Dominis, credentes, se saluandos, si homines ex Dominorum suorum iussu occidant. Ita censent Suarez *T.5. in 3. p. disp.23. sect.5.* Couar. *l.2. var. cap.20. num.9.* & alij apud Fagundez *num.25.*

26 ALII verò assassinos dicunt eos esse, qui, in viis insidiantes, homines interimunt. Minus verò seuerè Iulius Clarus *l.5. sent. §. Assassini*, & Bossius *in Concilio, de mandato ad homicidium, num.16.* & alij dicunt hos, assassinorum pœnas, *cap.1. de homicid. in 6.* statutas, non incurrere.

PROFECTO illi, qui in viis insidiantes interimunt, sunt verè assassini, ideoque eorum pœna mulctandi, vt videtur asserere etiam S.Bonau. *in opusc. de decem præceptis, cap.6.* vbi eos latrones appellat; sic enim etiam in Italia vocantur. Hi enim habent suos Duces, quibus obediunt, ad modum Syrorum. Authores huius sententiæ sunt Imola, & Geminianus *in cap 1. de homicid. in 6.* Barthol. *in l. Non solùm, §. si mandato, ff. de iniuriis.* Salicetus *in l. ea quidem, C. de accusat.* & alij apud Iulium Clar. *l.5. sent. §. Assassini.*

27 DICES in *cap.1. de homicid. in 6.* statuitur pœna mortis solis mandantibus assassinos, eò quòd assassini sint infideles, extra ius Ecclesiæ.

RESPONDEAT Fagundez *num. 25.* satis fuisse Pontifici, pœnam mandantibus imponere; nam si hi non mandarent, neque assassini irent ad homicidia.

DICO igitur, mandantibus solis, vtpote Christianis, imponi excommunicationem; non assassinis Syris infidelibus; at pœna capitis intelligitur, ex omnibus legibus, his & illis communis.

28 EOS verò, qui in viis pergunt, quos vocamus assassinos, esse latrones ostendit S.Doct. ad ea verba Lucæ, 10. *Et incidit in Latrones*, quod probat illo etiam Hier.3. *In viis sedebas, expectans eos, quasi latro in solitudine.*

DE his ait dici, Prouerb.1. *Pedes illorum ad malum currunt, & festinant, vt effundant sanguinem.* Idem innuit ad cap.19. Lucæ ad ea verba: *Fecistis eam speluncam latronum.*

QVÆSTIO III.

An Mandans, eadem culpâ, & pœnâ cum Mandatario grauandus sit.

PRIMA opinio est, non esse eandem vtriusque pœnam, sicuti nec culpam. Ità multi apud Iulium Clarum *l.5. sent. §. finali, quæst 89.* 29

SECVNDA sententia est assertiua. Ita D.Bonau. *in Bibl. pauperum, cap.85.* quod probat è Scripturis, adscribentibus mandanti, quod occiderit, & sit pœna occisoris puniendus. Eum sequuntur Farinacius *t.4. quæst.134. de consult. cap.2. num.93.* Barthol. *in l. solum, ff. de iniuriis.* Et *in l. Cicero, ff. de pœnis*, Abbas *in cap. Nihil, num.9. de elect.* Iason *in authent. quas act. num.17. C. de Sacrosanctis Ecclesiis*, Saixedo *cap.67. num.6.* Curtius Iunior *consil.237.* Cotta *in verbo, mandans homicid.* Carrer. *in pract. fol.335.* post *numerum* 223. Iulius Clar. *§. finali, quæst.89.* Decius *in l.55. damnum, ff. de reg. iuris.* Abbas *in C. Licet, num.3. de decimis.* Et *C. Qui facit, de reg. iuris, l.6.*

ADMITTO tamen, quoad pœnas obseruandum tenorem legum, quæ sæpe in mandatarium decernunt, sæpe etiam in mandantem. Sic distinguunt multi apud Fagundez *in 5. præceptum, l.5. cap.1.* quibus Ipse subscribit, statuens hac distinctione mediam sententiam. 30

ASSERO cum D. Bonauentura, mandantem occidere, eadem cum occisore pœna mulctandum.

PROBATVR ab ipso *ex 1. Reg.22.* vbi Saül præcepit Doëgo Idumeo, vt interficeret Abimelech, & aliis, vt delerent ad internecionem habitatores Nobe. *Nobe autem, ciuitatem Sacerdotum, percussit in ore gladij, viros, & mulieres, & paruulos, & lactentes:* En mandans percussit.

SIC *Iudicum* 9. viri Sichem occiderunt septuaginta filios Principis Gedeonis, vt clamabat Ioathan, eorum germanus superstes: *Audite me viri Sichem: Surrexistis contra domum patris mei, & interfecistis filios eius septuaginta viros super vnum lapidem.* Et tamen ibidem dicitur: *Venit Abimelech in domum patris sui, & occidit ibi fratres suos, 70. viros super lapidem.* Ita solus mandans nominatur homicida hic, vt notat S.Doctor. 31

IDEM apparet 2. *Reg.12.* vbi Dauid fecit, vt occideretur Vrias, & tamen ille dicitur homicidium exequutus. Sic ait Nathan: *Vriam Hethæum occidisti gladiis filiorum Ammon.*

PLVRIMA alia exempla recenset S.Doctor *eo loco.* 32

Ratio innuitur à S.Doctore *in speculo animæ, cap.3. & 4.* quia peccata, quæ contra iustitiam in damno inferendo posita sunt, in hoc habent suam malitiam, grauitatem, atque demeritum: At damnificatio infertur à præcipiente, qui inducit etiam executorem, & per alium faciens, per se ipsum facere censetur, iuxta regulam Iuris *in 6.*

DEINDE agentes, & consentientes pari sunt pœnâ puniendi *in cap.1.* vbi Glossa *v. pari pœna, de officio Iudicis delegati*, & ibi communiter Doctores. Et *in C. Notum, in fine, dist.2. quæst.1.* & *C. facientis, in fine, dist.86.* & *cap.1. de homicid. in 6.*

QVARE talis mandans pœnam mortis meretur 33 iuxta reg. iuris, quæ vnam faciunt causam cum agentibus, seu exequentibus. Hoc autem argumentum assumit S.Doct. *cap.3. speculi animæ.* Idque confirmat

ex

ex cap.1. ad Rom. vbi D. Paulus recenset crimina ferè omnia; præcipuè apponit homicidas, plenos (ait) homicidio: *Qui cum iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt; quoniam, qui talia agunt, digni sunt morte, & non solùm, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Loquitur autem de pœnis æternis, vt vidit etiam Fagundez *num.27.* sic tenent communiter Iurisperiti apud Fagundez *num* 21. & 30. 1. *ad Legem, si quis non dicam, C. de Episcopo.*

54 CERTVM est etiam, mandantem, effectu secuto, esse irregularem, vt ostendit S.Doct. *in Confessionali, cap.5.* partic.40. *Qui consilium, vel mandatum, vel studium dederit, vt homo occidatur.* Extra C. *significasti enim, dist.50. si quis viduam, de pœnit. dist.1. Periculosè.*

IMO si mandatus occidatur ab eo, ad quem occidendum venerat, reus est mandans, & irregularitatem subit, vt docent communiter Doctores, Sayrus *de censur. l.7. cap.2. num.12.* Reginaldus t.1. *l.30. tract.2. cap.11. sect.1. num.326.* Tabiena *v. irregularitas, 2. §.12* & alij apud Dianam.

55 OPPOSITVM tamen quoad hoc probabile censent Diana *Tract.1. Miscell. resol.17.* Bonacina *de censuris, disp.7. quæst.4. p.7. num.17.* Henriquez *l.14. cap.16.* Auila *de censuris, p.7. disp.6. sect.2. dub.5.* Fagundez *in 5. Preceptum decal. lib.5. cap.1. num.30.* qui tamen priorem ait esse probabiliorem.

56 ADMONET tamen cum Diana posse in hac dispensare etiam Episcopum, quia est ex homicidio casuali, iuxta Concilium Trident. *sess.14. de reformat. cap.7.*

QVÆSTIO IV.

An conatus homicidij, & aliorum, eadem pœnâ cum delicto patrato, sit puniendus.

57 SVPPONIT S.Doct. *cap.5. Confessionalis, particula* 38. aliqua esse peccata, quorum conatus non est ità puniendus, ac si effectus secutus fuisset, & deducitur *ex l.1.* vbi Doctores, *ff. de extraord. criminibus.*

QVOAD atrociora, est opinio multorum, eadem pœnâ puniendum conatum & effectum: Ita communiter Iurisperiti *l. si qui alicui, C. ad l. Iulia Maiest.* Felin. *in cap.1. de off. deleg.* Couar. *Clem. si furiosus, fol.*276. Boër. *de sedit, presupp.7. num.42.* Igneus *l.1. §. si occisor num.41. ff. ad Syll.* Vide Fagundez *l.5. cap.1. num.43.*

58 Secunda opinio est, de iure ità fieri debere; de consuetudine autem totius orbis, non ita seuerè procedi: Ita docent plurimi apud Fagundez: Afflictus *3.p. rubr.24.* Speculator *in tit. de accusat. §.1,* Alexander *consil.15. & 140.* Corsetus *in repertorio Abbatis, verbo affectus,* Iaso *in l.1. §. finali, ff. quod quisque iuris.* Boër. *decis.356.* Carrer. *in pract. fol.186.* Baldus *consil.361.* Angelus *l.1. §. Finali, ff. quod quisque iuris, & consil.543.* vbi ait, hanc consuetudinem esse toto orbe receptam. Mararta *in speculo, fol.16.* Fulgosius *consil.149.* Iulius Clarus *§. Finali, quæst.92.* Bertrandus *consil* 218.

59 SERAPHICVS *cap.5. Confessionalis, particula* 38. ait, sunt alij casus, in quibus tenetur reatu sanguinis, licet non occidat, vtpote qui viro, vel mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, vt non possit generare, vel concipere, vel nasci soboles.

VENENA sanè dantes ad occidendum bibentem, vel sobolem, puniuntur pœna mortis *l.1. & 3. mutio, ff. de sicar.* si mors sequatur; non secuto verò effectu, communiter Doctores pœnam extraordinariam arbitrariam statuunt. Ita Carrer. *in pract. fol.*281. Corrad. 40
pract. fol. 338. Iulius Clar. *l.5. sent. §. Homicid. num.13.* Fagundez *num.45.* qui concludunt seruandas consuetudines, & leges patrias in his casibus.

QVÆSTIO V.

Quæ sint pœnæ Homicidij voluntarij.

ATROX flagitium est parricidium, quod apud 41
Romanos *l. penult ff. ad l. Pompeiam de parricid.* tali pœnâ puniebatur, vt refert S.Doct. *cap.3. Confessionalis, particula* 17. Parricidas sanguineis virgis optimè verberatos recenti corio insutos cum cane, vipera, gallo, & simia in mare, vel in flumine proiiciebant, si hæc essent vicina; si verò remota, bestiis subiiciebantur. Parricidium autem in solum patrem, matrem, auum, vel auiam fit, neque aliud vult S.Doctor. Vnde titulus, qui est *De his qui filios occidunt;* includit magis occisores patris; nam parricidiæ dicuntur etiam occisores filiorum; tamen in rigore non sunt; sed Filiicidij. Vnde Ægyptis, qui parricidam calamis acutis transfixum, & vulneribus minutissimis penetratum super spinas voluabant, ac tandem igne applicito in dumetis comburebant, populo spectante; Filiicidam, stipiti alligatum, cogebant tres dies præsens filij cadauer inspicere. Hæc sane infandissima scelera vocat Azorius *in summa,* Menoch. *de arbitr. qq. l.2. casu* 356.

HOC tempore pœnæ illæ horribiles, vltimo sup- 42
plicio mutatæ sunt, additis arbitrariis seuerioribus, arbitrio Iudicis. Ita obseruant DD. apud Fagundez.

QVOAD homicidia verò execranda Personarum Summi Pontificis, Eminentiss. Cardinalium, & Episcoporum, differam *3.p. Tract. de Censuris.*

ORDINARII Homicidij pœnas, iure statutas, recenset D.Bonau. *in Diæta, tit.3. cap.4.* vbi ait Triplex est homicidarum pœna, scilicet exilium, patibulum, & irregularitatis impedimentum. Homicidæ enim exulant; quando autem possunt capi, suspenduntur.

ITAQVE in iure ciuili pœna homicidæ præfixa, 43
est mors. Patet *ex l.3. §. Patiatur, C. de Episcop. audientia.* Et *l. Cornelia, de public. prodic.* Et *l. penult. §. Qui alias personas, ff. de parricid.* Famosos verò latrones suspendio enecat *l. capita, § Famosos, ff. de pœnis.*

IDIPSVM ostendit S. Doctor *in Biblios. pauperum, cap.85. & ad 15. Luca,* ex iure Diuino, Genes.9. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, effundetur sanguis illius.* Et *cap.4.* Caïn pœnis morte grauioribus mulctatus à Deo, etiamsi non adhuc Leges scriptæ contra homicidas extarent.

ET *Genes.27.* Rebecca protulit sententiam mortis 44
contra filium Esau, si occidisset Iacobum, quasi iam à Deo statutam: *Vtroque filio orbabor* quia homicida (ait S.Doctor) debet reputari tanquam occisus; vt ostenderet, hanc pœnam mortis adeo iustam esse, vt neque primores ab ea eximantur, vt monent Iulius Clarus *l.5. sent. §. de homicidio, num.28.* Couar. *l.2. variar. cap.9.* Angelus *in Lege 3. §. Legis, ff. ad Legem Corneliam de sicar.* Afflictus *p.1. Constitution. regn. rubr.13.* Ludouicus Lucernensis *decis.* 62. Ideò etiam Christus *Matth.26.* decernit;

Omnis, qui gladio percusserit, gladio peribit, vt obseruat S. Doct. *serm.6. de decem praeceptis*, & cum eo, Fagundez *l.5. c. primo, num.6.* & Apoc. 13. *Omnis qui gladio occiderit, oportet gladio occidi.* Leuit.24. *Omnis, qui percusserit, & occiderit hominem, morte moriatur.* Et mox: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, ab altari meo euelles eum, vt moriatur.*

45 Ideò obseruat S.Doct. *in Biblior. loc.cit.* Ioab Ducem exercituum, alioqui fidelem, & sanguine iunctum Salomoni, fuisse ob homicidium, ex decreto sancti Regis Dauidis, morte punitum à Salomone, vt supra diximus, qui eum, etiam nolentem ab altari abstrahi, iuxta altare occidi iussit, vt ostenderet, neque primoribus, nobilitate praeclaris, parcendum. Ideò Principibus minatur Christus ruinas, & strages, Lucae 11. *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus*, vt disserit S.Doctor *ad Luca* 11.

46 Nec obstat *l.1. ff. ad legem Corneliam de sicar.* & *l.3. §. Legis Cornel.* quibus nobiles ob homicidium, non poenâ mortis, sed deportationis in exilium, & bonorum proscriptionis poenâ damnantur. Ideoque ità asserunt Salicetus *in l. Is qui cum telo, col. Finali*, Angel. *consil.* 14. Muntalcon *in sua pract. fol.210. num.535.*

Fateor enim iure antiquo Digesti id verum esse: Non est tamen verum, iuxta nouum Ius Codicis iunioris. Abiit enim Ius Digestorum in dissuetudinem. Quare poena mortis iis etiam debetur indispensabiliter, vt admonent Afflict. *loc. cit.* Placa *l.1. delic. cap.10.* Fagundez *num.7.* Imò non Ius antiquum deiectum est, sed potiùs dixero restitutum, quod, vt ostendi è diuina lege, mortem decreuerat.

Itaque ex ore communi Doctorum omnium, Poena mortis in homicidam est iusta, vt ait Fagundez, illos recensens *num.6.*

47 Quoad poenas Ecclesiasticas tam in clericos, quàm in Laicos statutas.

Primo quidem, vt monet S.Doct. *in Confessionali, cap.3. num.12.* Clericus homicida iure canonico perpetuò deponitur *dist.50.* ex decreto Ioan.VIII. *cap. miror*, & in monasterium ad septennium, vel ad quinquennium detruditur, non solùm, si illud ipse committat, sed etiam si mandet, consiliet, suadeat, aut illi assistat *C. sicut digni, § Clericos, extra de homicid.* & ibi Glossa, Bernardus Diaz *in pract. cap 94.* Placa *in epist. delict, l.1. cap.31.* Farinac. *t.4. quaest.119. de homicid. tit. 4. num.47. fol.110.* & alij.

Ratio D.Bonau. habetur *speculo animae, cap.3.* & aliis locis, relatis suprà quaestionibus; non enim solùm manibus committitur homicidium, sed etiam facto, consilio, mandato, suasu: Ergo omnes cùm sint rei eiusdem delicti, vt ait Apostolus *Rom.1.* debent eodem modo puniri.

48 Vas aduerte, praeter depositionem Clerici perpetuam, ipsum trudi in carcerem, quia in iis casibus, in quibus iura ciuilia poenam mortis imponunt, iura canonica, quae poenam sanguinis non infligunt, loco mortis, poenam carceris, vel conclusionis in monasterio, inducunt ad septennium, vel quinquennium, vel in perpetuum, iuxta circumstantias delicti, & probationem illius, vt est textus *in C. Nouimus, de verb. signif.* & *C. penult. ad finem, de haeret.* & *C. Quamuis, de poenit. in 6.*

49 In Lusitania Clerici triremibus destinantur, vel in exilium ad partes Brasiliae, vel Angolae, asportantur. Optimum sanè consilium, vt huiusmodi scandalosi longius expellantur.

Quaerunt autem: an clericus beneficiatus, voluntarius homicida, sit ipso facto priuatus beneficio, ante iudicis sententiam.

Probabilior sententia est, posse quidem à iudice beneficio priuari, & damnari ad reddendos fructus à die criminis patrati; non tamen teneri ipso facto dimittere beneficium, & fructus non capere.

Haec est sententia D.Bonau. *in confessionali, cap.5. part.37.* cum sequuntur, hoc tempore, communiter Doctores, quos longa tessera refert Fagundez *l. 5. cap.2. num 4.* Ità Suarez *Tom.5. in 3.p.disp.40.sect.2.* Couar. *in 4. Decret. p.2. cap.6. §.8.* Nauar. *summa Lat. cap.27. num.249.* Farinac. *t.4. quaest.119. de homicid. tit.14.* Iul. Clarus *§. Homic.* & alij. 50

Ratio D.Bonauenturae, qua omnes vtuntur, est: Nullum crimen inducit priuationem ipso facto, nisi saltem in iure declaretur: In iure autem Canonico nullibi habetur. Imò è contra *dist.50.* habetur: *Si sponte fecerit homicidium, sine spe dispensationis, & recuperationis, deponatur*, C. Clerici. Et *C. si quis viduam.* Hoc autem est signum, non esse iam depositos, & priuatos, vt argutè inferunt Fagundez, & alij. 51

Quia, etiamsi lex diceret: sit ipso facto priuatus, adhuc expectanda est iudicis sententia, vt ostendi *Tract. de legibus, disput.5. quaest.7.* & admonent Syluest. *v. assass. num. 4.* Fagundez *num.6.* Suarez *T.5. de censuris, disp.40. sect.2. num.22.* 52

Opposita verò sententia, quam plures sequuntur, nullo iure nititur, vt notat Fagundez.

Ex nostra sententia sequitur, posse huiusmodi ante iudicis sententiam beneficio renunciare, vt asserunt communiter Doctores apud Fagundez *numero 16.*

Multos canones refert, atque declarat S. D. *in Confessionali*, circa Homicidiorum poenas Ecclesiasticas; quas libet afferre, tametsi plurimae in dissuetudinem abierint. 53

SVBQVAESTIO VNICA.

Quae sint poenae Canonum, Homicidis imposita.

Cum nefandum sit scelus hominis vitam iniustè adimere, ab omni tempore legibus variae in homicidas poenae sunt statutae, quarum plures in Seraphico Bonauentura commemoratos, hic recensebo.

Ex Elliberitano Concilio habetur apud Martinum Brach. cap.78. *Si quis voluntate homicidium commiserit, ad ianuam Catholica Ecclesia semper iaceat, & communionem in exitu vita sua suscipiat, si autem non voluntate, sed casu aliquo homicidium fecerit, prior canon septem annis poenitentiam agere iussit, secundus canon quinque mandauit*: Ita refert S.Doct. *in Confessionali, cap.3. particula 13.* 54

Refert etiam *particula quartadecima* ex dist.4. *Qui inuitu disciplinae incautus occidit percutiendo, deponatur, extra d. homicid. presbyterorum.* Loquitur autem de presbyteris.

Ex Ilerdensi Concilio *dist.50.* praecipitur, vt Clerici, in vrbe obsessa, vbi non esset necessitas, occidentes oppugnatorem, duobus annis tam officio, quàm communione corporis Christi priuentur, interim ieiuniis, orationibus, vigiliis, & eleemosynis destinati, & tandem communioni reddantur; ita tamen, vt ad priora officia non promoueantur. Sed si esset necessitas ineuitabilis pugnandi, in nullo imputaretur, *dist.50.* 55

dist.50. Quia te, qood verum esse ait qooad peccatum, sed quoad cautelam pœniteat, bonum est, vt extra *de homicidio, cap. 2. in pœnitentiali Romano.*

56 Occidens latronem, vbi comprehendi poterat absque occisione, quadraginta dies non intret in Ecclesiam, & lanea veste indutus, ab escibus, & pottbus, qui interdicti sunt, & à thoro, & gladio, & equitatu illos suprà dictos dies abstineat. In tertia autem, & qointa feria, & Sabbatho, aliqoo genere leguminum oleribos, pomis, & paruis pisciculis cum mediocri ceruisia vtatur temperatè.

Si Presbyter eadem fecerit, non deponatur, tamen quamdiu viuir, pœnitentiam agat.

57 PARTICVLA quintadecima, refert pœnitentiam matricidæ *can.33. quæst.1.* ex Nicolao Papa. Vno anno ab ingressu Ecclesiæ prohibitus iaceat, fons orans. Post annum ingredi possit Ecclesiam, sed non communicet. Completis tribus annis, admittatur ad communionem, oblationes non offerat, nisi post aliorum septem annorum cursus. In his omnibus annis carne abstineat, nec vinum bibere præsumat, exceptis diebus festis, atque Dominicis, & à Pascha vsque ad Pentecosteo, & quocumque ire voluerit, nollo vehiculo ducatur. Ieiunet vsque ad vesperam tribus diebus per hebdomadam. Si ante trium annorum cursum morti appropinquat, Viatico donetur. Mitius tamen agi iubet, si ostendat magnæ signa pœnitentiæ.

58 PARTICVLA sexiadecima, refert epistolam lachrymosam Stephani Papæ V. ad Astulphum Vxoricidam, cui impooit ingressum in monasterium sub rigidâ monachorum disciplinâ. Si autem pœnitentiam degens in mundo velit facere, seuerissimas pœnitentias imponit, abstinentiam perpetuam à carnibus, & vino, & sicera, ieiunium io pane, aqua; & io vigiliis, orationibusque viuat: Eum vide, & hoc crimen exhorresces.

59 PARTICVLA decimaseptima, recenset pœnitentias debitas patricidæ, & Filiicidæ, quos perpetua pœnitentia intra septa Monasterij seuerissima, damnat Alexander III.

PARTICVLA quadragesima prima, refert pœniteotiam ei iniunctam, qui presbyterum necauit, quæ est 12. annorum *extra de pœnit. & remiss. ex C. Moguntin*, & prætereà conuictus vsque ad mortem coniugio, & cingulo militiæ careat.

CAPITE verò qointo Confessionalis *part. 37.* recenset irregularitates, & depositiones, debitas Clericis homicidis.

60 Qui homicidium fecerit sine causa iosta, cum hoc non dispensatur. Si causâ iustitiæ, cum hoc etiam non dispensatur, vt possit promoueri, sed si sit promotus, in ipsis ordinibus cum ipso potest per Papam dispensari *dist. 51. l. 1. Aliquantos.* Aliàs si sponte fecerit homicidiom; sine spe recuperationis, & dispensationis deponatur *dist. 50. Clerici.* Et *C. si quis viduam.* Si necessitate euitabili, similiter ad superiores ordines non potest ascendere, sed in susceptis cum eo potest dispensari, licèt oon facilè dispensetur, etiam per Papam; si ineuitabili; datur consilium, vt non ministret homicida, etiam in susceptis ordinibus *dist. 50,*

61 *De his clericis*; non tamen deponitur, sed in suo ordine toleratur de iure absque dispensatione secundùm L. & *Raymundum* extra *de homic. cap. 2.* & secundum Bernardum *in apparatu, super illud cap. extra, Cod. sicut dignum.* Si casu interfecerit cum culpa, & negligentia, ab ordine suscepto perpetuò cessabit *dist. 50. Hi qui arborem. & extra eod. Presbyterum.* Episcopus tamen potest in minoribus, & in subdiaconatu iam suscepto dispensare *extra eod. continebatur.* Si Diaconus, vel Sacerdos fuerit, ad Papam pertinet, vt in ipsis ordinibus, vel ministret, vel promoueatur ad ipsos, vt in dicto *C. continebatur, & C. Lator præsentium.* Secundum Raymundum tamen non potest dispensare

Episcopus *dist. 50. Miror*, quod intelligunt quidam 62
indistinctè tam de voluntario, quàm de causali; alij de Homicida voluntario. Hæc Raymundus. Si sine culpa, & negligentia, in ordine suscepto poterit ministrare, & ad maiores promoueri *extra eod. Litteris significasti, cap. Dilectus, cap. ex litteris.* Et dicunt quidam, quod non oportet eum eo dispensari, vt in dictis capitulis apparet. Sed securius, & tutius est, vt saltem Episcopus cum eo dispenset *dist. 50. Clerico*, Hæc S.Bonau. refert.

Ex supra dictis, habes, falsum esse tempore D.Bo- 63
nauenturæ, & D.Thomæ, occidentem cum moderamine inculpatæ tutelæ fuisse irregularem, vt putat Valentia *quæst. 8. punct. 4.* quod putat colligi ex D. Thom. *quæst. 64. art. 4. ad 3.* Syluest. *v. homicid. 2. quæst. 9. dict. 4.* Maiolus *l. 1. de irregularitate, cap. 48. num. 9.* qui citant *capus de his clericis, t. dist. 50.*

SANE D.Bonau. oppositum suprà asserit, & sen- 64
sit Glossa *in cap. si quis viduam, v. Defensionis*, & *in C. sicut dignum, eodem titulo.*

Caput vero illod *De his clericis* solùm consilium dat, vt aduertit S. Bonau. non tamen lex deponit; vel præcipit; vt exponit Raymundus & habetur *extra de homicid, cap. 2.* & secundùm Bernardum *super C. Extra eodem sicut dignum*, & aduertit etiam Fagundez *l. 5. cap. 3. num. 3.*

TANDEM Concilium Eliberitanum *can. 50.* decernit. *Si qua fœmina, furore, Zelo accensa, flagellis verberauit ancillam suam; ita vt infra tertium diem cum cruciatu animam effundat eò quòd incertum sit: an volun-*
tate, an casu occiderit. Si voluntate, post 7. annos. Si 65
casu, post annorum tempora, actâ pœnitentiâ legitimâ, ad communionem placuit admitti. Quod si infra tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem. Sic refert S.Bonau. in confessionali *cap. 3. particula 13.*

QVÆSTIO VI.

An liceat occidere hominem cum moderamine inculpatæ tutelæ, ad sui, vel suarum rerum defensionem.

TANQVAM rem certam asseuerat S.Doctor posse 66
hominem alium occidere, necessitate cogente defendendi suam vitam, suam animam, si fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. Itaque id licere sequitur quibuscumque personis, etiam perfectis, puta Religiosis, qui perfectioni tenentur, vel Episcopis, qui tenentor esse in statu perfecto. Ita *serm. 6. de decem præceptis.*

VT autem sciamus; qoodnam sit moderamen inculpatæ tutelæ, quo redditur homicidium impunibile in foro externo, & licitum in foro conscientiæ, atque ab omni irregularitate immune, & ab excommunicatione.

FAGVNDEZ *l. 5. cap. 5.* illud in tribos ait con- 67
sistere, in tempore, scilicet, io modo, & io causa.

IN Tempore; vt fiat incontinenter, seu in flagranti delicto inuasionis, non ex magno interuallo. Si enim fiat post interuallum magnum, non erit vim vi acto repellere; sed erit vindictam sumere, quæ nunquam licet, vt dicitur Ezech. 9. *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Et Deuter. 32. *Mea est vltio, & ego retribuam in tempore.* Ita docet

D. Bonau. *serm.6. Decal.* vbi primam conditionem ponit, vt non sit ex libidine vindictæ. quod reperit omnibus ferè *locis* supra *allegatis*. Sequuntur Sayrus *l.7. cap.10. num.18.* & patet *ex cap. significasti*, 2.
68 *de homicid.* Salomon. *in repetit. Legis, vt vim, ff. de iustitia, & iure*: Claudius *num.56.* Bolognetus *num.46.* quia ait, id fieri incontinenter, quod fit rixa durante, vel aggressore ab illa non discedente. Cynus *l.1. num.4. C. Vnde vi*, Bartol. *ibi*, *num.9.* Baldus *num.8.* Hostiens. *in cap. significasti*, 2. *extra de homicid. num.17.* Ananias *ibi*, *num.18.* Butrius *in C. olim causam, de restit. spoliat. num.37.* Bellamera *ibi*, *num.22.* Augelus *de malef. in verbo*, *& dictus Titius, se defendendo, num.18.*

Qvare non fit incontinenter, quando insultatos recipit se in domum, arma quærens, & statim ad aggressorem regreditur, vt putat Cepolla *cons.42.* & ferè Mascard. *de probat*, *l.3. concl.1126. num.51.*

69 Secvndo consistit moderamen inculpatæ tutelæ *In modo*, quam conditionem exprimit S. Doctor, vt non fiat ex crudelitate: quo verbo ostendit, excedi quoad modum, quando modus defensionis sit, multiplicatis nimis vulneribus, confosso modis sæuis corpore, vt trunco capite, aperto ventre. Illa verò moderatio facti, in repercussione, æquata percussioni agressoris, vt in brachio pro brachio, non autem in capite, moraliter est impossibilis, vt ait Fagundez *num.7.* Similiter illa, in æqualitate armorum, videtur inanis; sæpe enim aggressor habet arma inferiora.

70 Tertio requiritur æqualitas *Causa*, & hoc explicat S. Bonau. dicens, esse necessitatem ineuitabilem moraliter, sanè adeo, vt aliter fieri non possit, neque occurrat alius modus seipsum conseruandi à morte, vel periculo, & hoc est *vim vi repellere*. Ita Iaso *in l. Vim vi.* Bolognetus *num.89.* Bartol. *l.1. C. Vnde vi.* Ananias *loc. cit.* Cæpol. *Consil.43. num.7.* & in hoc ferè solo mederamen hoc posuit Molina *Tom.4. tract.3. disp.11.* apud Dianam *p.5. tract.4. resol. 1.* At ibi refert Vegam *T.1. cap.127. casu* 12. aliam conditionem ponentem, vt non ponatur maior diligentia in defensione, quàm sit necessarium.

71 Ait autem ibi S. Doctor se, vel alium Religiosum, ne fugæ dedecus incurrat, non posse occidere, sed debere fugam arripere; alioqui non omnino excusari, si occidat. Quare videtur concedere cum Molina *loc. cit.* & Hurtado 2.2. *disp.170. §.135.* ac Diana, allegante communem Doctorum sententiam, licere aggressorem interficere, si dedecorosum grauiter sit inuaso fugere: Sed de hoc infra.

72 Itaqve assero licere occidere Inuasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ. Est contra Accursium, & Gloss. *Leg. vim vi, ff. de Iustitia, & iure*, Richardum de S. Victore *opusc. de Charitate.* Ioan. Gersonem *Tract. de Eucharistia*, Augustinum de Ancona *Tract. de potestate Ecclesia, quæst.2. art.3.* Hugonem *dist.50. C. de his Clericis.* Abulensem *in cap.5. Matth. quæst.109.* Ita omnes sustinent Doctores apud Dianam *loc. cit.* & Fagundez *in 5. Præceptum decal. lib.5. cap.3.*

Id probat Cicero pro Milone; imò Summus Pontifex Alexand. III. *C. si verò, de sent. excom.* & D. August. *l.1. de lib. arb.* ante medium; quia vim vi repellere omnia Iura permittunt.

73 Probatvr secundò à S. Doct. ad ea verba Lucæ 22. *Et nunc qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*, nempe ad defensionem.

Advertit etiam S. Doctor ad ea verba: *& percussit vnus ex illis seruum Pontificis sacerdotum, & amputauit auriculam eius dexteram*, Lucam non nominasse; & Ioannem ad zelum laudandum apposuisse nomen. *Simon ergo Petrus, &c.* de quo Glossa: Simon Petrus actatus est eodem ardore mentis, sicut Phinees, de quo dicitur, quòd sempiternum propterea consecutus sit à Deo Sacerdotium *Numer.25.*

Grauiter autem aduertendum est, Seraphicum non 74
excipere statum, vel gradum personæ in hoc casu, neque locum etiam sacrum, ex quo multa deduces.

Primo enim habes, etiam in Ecclesia consecrata id licere, eaque non polluetur. Ita, etiamsi Sacerdos, ad altare celebrans, sit inuasus, potest occidere inuasorem, & statim Missam prosequi absque metu irregularitatis, etiamsi inuasor occisus, sit clericus: Ita Abbas *C. Clerici de vita cleric.* Socin. *in repert. C. ad audientiam, num.40. de homic.* Decios *in l. vt vim, ff. de Iustitia, & iure.* Hippolytus *in l. Is qui*
aggressorem, C. ad legem Cornel. Ioan. de Ligiano 75
C. de Iusto bello, cap.36. D. Antonin. *3. p. tit.34. §.1. cap.5.* Lessius *T.1. lib.2. cap.9. dub.8. num. 41.* Suarez *Tom.5. in 3. p. disp.46. sect.3.* Iul. Clar. *§. Homic. num.29.* Glossa *in cap. significasti, de homicid. v. tutelæ.* Farinacius *T.4. quæst.125. de homic. num.14.22. & 29.* Capua *l.1. decis. aur. cap.65. num.9.* Carrer. *in pract. de homicid. & assassinio, §.5. excus.3.* Placa *epit. delict. cap.28. num.4. & 6.* & alij plures apud Farinacium, quibus subscribunt Fagundez *num.5.* & alij.

Secundò, quoad personas habes etiam, perfectas 76
posse inuasorem, prælatum suum, occidere. Ita Farinac. *loc. cit. num.34.* Decius *in l. Vt vim, ff. de Iustitia, & iure, num.8.* Salon. *num.20.* Bolognet. *ibi, num.16.* Angel. *in l. Quoniam multa, C. ad l. Iuliam de vi publ. num.16.* Hostiensis *in C. significasti*, 2. *num.19. de homic.* Butrius *num.19.* & communiter apud Fagundez *num.6.*

Quæstio autem est: An possit occidere etiam Prin- 77
cipem, iniquum aggressorem. Multi sanè affirmant. Ità Farinac. *T.4. quæst.125. de homic. num.34. fol.202.* Marsil. *consil.4.* Petrus Caleph. *consil. crim.103.* Carrer. *de homic. §. quinto excusat. &c.* Iulius Clar. *§. Homicid. num.23.* Decian. *in tract. crim. l.7. cap.49. num.25.* Axor. *Tom.3. l.2. cap.2.* Less. *T.1. l.2. dub.8. num.41.* & alij.

Sed hoc nullo modo ita absolutè admittendum. Iura enim, commune bonum dictat præferendum priuato; at ea morte Principis non rarò innumera mala oriuntur, vt clamant Fagundez *num.8.* Suarez *de censur. disp.46. sect.3.* & communiter Doctores apud Dianam *p. 5. tract.4. resol. 2.* Bassæum *v. Charitas, num.20.* & *v. Homicidium 1. num.28.*

Quidquid exaggeret Bisfeldius *de iniur. cap.1. q.5.* 78
concl.5. Angel. *v. defensio in Princ.* Syluest. *v. bellum 2. quæst.5.* S. Antonin. *3. p. tit.4. cap.3.* Aurea Armilla *v. Defensio*, Vasquez *l.1. Illustrium contr. cap.18. n.8.* Card. Zabarell. *in Clem.1. de pænis.*

Horvm tamen Doctorum sententiam non renuerem in vno casu, quo inuasus à Principe, sibi probabiliter instantem animæ damnationem metueret. Ita Malder. 2. 2. *tract.3. cap.1. dub.7.* & videtur sententia D. Bonau. *loc. cit. serm.6.* vbi vniuersaliter id concedit, vt impediat ipsum, ne perdat suam vitam, & animam; & dum hæc conditio interuenit extendi etiam ad Monachos, nec vllam personam eximi; Quidquid dicat Diana cum aliis.

Oritvr verò ex dictis quæstio: An liceat oc- 79
cidere inuasorem ex iniuria graui, puta illatam vxori, aggredientem.

Diana *resol.3.* cum Villalob. *T.1. tract. 12. diffic.10.* Vega *in summa, tom.1. cap.127. casu 11.*

Petrus

Petrus Nauar. *de reſtit. lib.2. cap.3. num.361.* Salon. 2.2. *quæſt.* 64. *art.7. controu.* 1. Molina *tom* 4. *tract.3. diſp.15.* Bannes 2.2. *quæſt.* 64. *art.7.* aſſerunt id impunè fieri poſſe.

80 MVLTAS rationes friuolas affert. Vna mihi ratio ex D. Bonauenturâ adeſt validâ; Si adultero inſtet damnatio, tunc poterit talem agreſſorem occidere, vt ait Bannes, & Rodriquez *Tom.* 1. *cap.*220. tunc enim ius naturale mihi dictat, etiam maius bonum præferendum licere.

CÆTERVM, quoad vitam, adulter eſt iniquus aggreſſor etiam vitæ mariti, quem prouocat grauiſſimè ad pericula mortis. Vide Nauar. *cap.15. num.7.* eſſet verò actus eximius potius mori, vt ait Baſſæus *loco citato.*

81 Ex his habes, licere, etiam præuenire aggreſſorem, ſi neceſſe ſit ineuitabiliter ad mortem euadendam. Ita Diana *reſol.5.* & alij, vt Couar. *in Clem. ſi furioſus, p.3. §. vnico.* Aliter non licet præuenire, vt ait Baſſ. *num* 11. *&* 16.

DVBITATIO I.

An liceat aliquem occidere ad conſeruandum honorem, non fugiendo &c.

82 SERAPHICVS *ſerm.6. de decem præceptis*, ità loquitur. Si autem fuerit homicida, ex neceſſitate, hoc eſt dupliciter, vel ex neceſſitate ineuitabili, vel euitabili: Neceſſitas euitabilis eſt, ſi poſſum effugere, ſed dimitto propter verecundiam, vel aliam cauſam, & in iſto caſu excuſatur à tanto, ſed non à toto: quia melius eſſet quòd fugeret.

83 DEINDE ſubdit: Si autem ſit neceſſitas ineuitabilis, vt homo occidat alium hominem, non amore vindictæ, ſed amore conſeruationis vitæ, & animæ, vt non interficiat ipſum ex crudelitate, ſed vt impediat ipſum, ne perdat ſuam vitam, & animam, vt fiat hoc moderamine inculpatæ tutelæ, hoc conceſſum eſt perſonis etiam perfectis, non ſolùm imperfectis. Et hoc dicit Auguſt. *lib.1. de libero arbitrio,* & excuſatur à tanto, & à toto. Hæc S. Bonau. Ibi S.Auguſt. *cap. 5.* interrogatus: An liceret occidere inuaſorem vitæ, pudicitiæ, & opum. Reſpondit, licere ob vitam, & pudicitiam; alia verò omittit.

84 Ex his attentè perlectis habes, ſolùm ob ſaluandam vitam, vel animam ex D.Bonauent. licere alium occidere, atque adeò neque excuſari quamcumque perſonam, ſi fugam tanti pendat, vel aliud dedecus, vt, ad hæc fugienda, occidat.

HANC ſententiam defendunt Syluius 2.2. *q.64. art.7. quæritur 9.* Binsfeldius *in com. de iniur. & damno, cap.1. quæſt.5. concl.8.* Bolognetus *in l. Vt vim, num.42. ff. de Iuſtitia, & iure,* Baldus *l.4. conſil.*312, & alij. Rationes plurimas habes apud Syluium, quarum eximia eſt D.Bonau. *loc. cit.* arguentis à ſtatu Religioſo, & Epiſcopali, non licere cuicunque Chri-
85 ſtiano id genus defendendi honorem. Homo Chriſtianus, Epiſcopus, vel Religioſus tenetur fugere, ſi poteſt, & non licet aggreſſorem occidere, quia Religio Chriſti id exigit; at Chriſtianus tandem Chriſti cultum in Baptiſmo ſpondet, abrenuncians omnibus pompis Sathanæ. Hoc argumentum terret dicentes, id licere Chriſtiano nobili; non plebeo, vel Clerico, aut Religioſo, vt Baſſ. *num.22.* ponentem excludi plebeos & *num.26.* Clericos, &c. cum Diana *p.5. tract.4. reſol.49.* Leſſio *lib.2. cap.9. num* 86. & aliis; qui hoc Chriſtiano licere aiunt; Baſſæus quidem ita habet *num.2.* Leſſ. *dub.12. num.77.* Diana *p.3.tract.5.miſcell.reſol.90.* Adda Petr. Nauar. *l.2. cap.36. num.389.* & alios.

VRGEO ad hominem. Id, quod eſt iuris naturæ, conuenit omnibus indiſpenſabiliter: Sed occidere iniurium non conuenit plebeis, Clericis, aut Religioſis per vos: Ergo meritò Andreas Gail. *obſeruat.100. num.8.* ait, oppoſitum dicentes, Politicè magis quàm Chriſtianè docere. 86

HOC tamen effatum immodeſtum clamat Diana *reſol.9.* oppoſitam ſententiam ſecutus, allegans Nauarros ambos, Valentiam, Bannem, Salonium, Aragonium, quos citat, & ſequitur Tannet. *T.3. diſp.4. quæſt.8. dub.4. num.7.* Turrianum 2. 2. *T.2. diſp.28. dub.3.* Eſcobar. *p.1. de puritate, & nobilitate probanda, quæſt.1. §.8. num.13.* Azorium *Tom.3. lib.2. cap.1. quæſito* 14. Molinam *tomo 4. tract.3. diſput.17.* Sotum *de iuſtitia, quæſt.1. num.8.* Nauar. *man. cap.15.* Gomez *Tom.3. variarum reſol. cap.3. num.25.* & dicit, eſſe communem.

EANDEM ſententiam tuetur Fagundez *in 5. præceptum, cap. 3.* adducens Leſſium *Tom. 1. l. 2. dub.11. num.66.* Farinacium cum aliis multis apud eum *T.4. quæſt.125. de homicid. tit.14. num.41.* Salomonem *in repetit. Legis, vt vim, ff. de Iuſtitia, & iure.* Bouët. *deciſ.* 168. Toletum *l.5. ſumma, cap* 6. Ananiam *in cap. ſuſcepimus, de homicid.* Syluest. *verbo homicid.1. quæſt.15.* Iulium Clarum *l.5. ſent. §. Homicid. num.16.* Bartholum *l.1. num* 8. *C. Vnde vi.* Angelum *in l. Is qui aggreſſor, C. de ſicar.* vbi ait hanc eſſe communem orbis practicam; adde Petrum Nauarrum *l.2. de reſtit. cap.3. num.16.* 87

HINC inferunt aliqui ex allegatis, licitum eſſe viro nobili ſæculari occidere ſibi inſultantem, qui fuſte, vel alapa ipſum vult percutere, ſi aliter percuſſionem ignominioſam vitare nequit; Cruentum ſanè dogma, & dignum, quòd in ipſum varias excommunicationes plures Pontifices fulminauerint. 88

HIS multos agglomerat Diana *p. 1. Tract. 15. reſol.15.* dicentes, licere poſt impactam alapam, fuſtem, vel vulnus, fugientem inſequi, & occidere: Nauar. *Man. cap. 14. num. 4.* Petrum Nauar. *de reſtit. l.2. cap.3. num. 382.* Victoriam *de Iure belli, quæſt.2. num.5.* Henriquez *ſum. lib.14. cap.10. num.3.* qui alios adducit, Fernandez *in Exam. p.1. cap.9. §.1.* eandem tuetur Diana *p.5. Tract.4. reſol.11.* adducens inſuper Merchantium *in ſumma reſol. Paſtor. ad decal. cap.5. quæſt.3. caſu 3.* Fabrum *in 4. diſt.15. diſp.52. cap.1. num.29.*

HIS tamen ſe opponunt agmine conſtipato poſt D.Bonau. *loc. cit.* Ioannes de la Cruz *in Direct. p.2. præcept.5. dub.6.* Tolet. *l. 2. cap.6. num.16.* Rodriquez 41. *cap. 135. num.11.* Turrian. 2. 2. *quæſt.27. dub. 3.* citantes Bannem, & Sotum. Salon. 2. 2. *quæſt. 64. art.7. conſ.2.* Malder. 2. 2. *tract.3. cap.1. dub.14.* & alij. 89

Ex aduerſariis progrediuntur alij dicentes, licere occidere contumelioſum, quando aliter ea iniuria arceri nequit. Ita Eſcobar. *p.1. de puritate, & nobil.* 90 *quæſt.1. gloſſ.4. num.14.* Petr. Nauar. *de reſtit. l.2. cap.3. num.376.* & Henricus Strouerſdorf. *de Iuſtitia, & iure, in 2.2. quæſt.64. art.7.* Baldell. *in Theol. Mor. l.3. diſp.24. num.24.*

HANC tamen reprobant Diana *reſol.12. loc. cit.* Hurtad. 2.2. *diſp.170. ſect.15. §.123.* Petrus Binfeldius *de iniur. cap.1. quæſt.9.* Molfeſ. *tom.1. tract.11. cap.29. num.74.* Leſſius *l.2. cap.9. dub.13. num.78.* Filliuc. *tom.2. tract.29. cap.3. num.49.* Azor. *t.3. l.2. cap.1. quæſito* 17. Baſſæus *num* 23. ſed frigidè.

HINC magis refellitur opinio Strouerſdorf. poſſe occi- 91
di eum, qui dixerit viro honorato: *mentiris,* eum carpit

Diana *Resol.*13. Baſſ. *num.*23. ſanè occidendo non te probas veracem. Quandonam verò liceat contumelioſo dicere: *mentiris.* Vide Hurt.2.2.*t*.2.*disp.*170. *sect.* 14. *num.*116. Criſpotium *in casu* 12. *militari.* Addit Baſſ. *num.*17. frigidè, non admitti in praxi, licere occidere criminantem apud iudicem; imò damnatum ab Alexandr. VII. 1665. 24. Sept. Authores affert Baſſ. *num.* 17. & 24.

92 Nobis iam pro vera Seraphici ſententia eſt pugnandum. Eſt autem Lex Chriſti, quam profeſſi ſumus in baptiſmo, abrenunciantes Sathanæ, & omnibus operibus, & pompis eius. Lex enim Chriſti docet, Matth.5. *Qui te percuſſerit in maxillam vnam, præbe illi & alteram.* Et ideò Chriſtus *Ioan.*19. accepit alapam, nec vltus eſt. Et *Ioan.*8. audiuit: *Dæmonium habes.* Poterat autem iuſtè vlciſci. Vbi Chryſoſtomus homil. 82. in Ioan. *Horreas cælum, excesſum mentis patiaris terra. Creator mundi, filius Dei æternus accepit alapam, & ſeruus eam dedit, qui omni pœna dignus, ſcilicet aut cæleſti igne incendi, aut terra dehiſcente ſorberi, aut correptus Dæmonio volutari.* Et

93 addit S. Auguſt. tract.113. *Et tamen qui per potentiam iubere poſſet, per quem factus eſt mundus, patientiam docere maluit.* Et quærens, cur alteram maxillam non præbuerit, iuxta præceptum, *Matth.*5. ait: *Quod hinc potius demonſtrauit, quod demonſtrandum fuit, ſua ſcilicet magna præcepta patientiæ, non oſtentatione corporis, ſed cordis præparatione facienda.* Et idem S. Auguſt. *epiſt.* 5. *ad Marcellinum*, ait, quod illa præcepta de præbendo maxillam, &c. magis ad præparationem cordis pertinent, quàm ad opus. Hæc omnia proſequitur S.Bonauentura *ad* 18. *Ioannis.*

94 Et ad 6. Lucæ in ea verba: *Et qui te percuſſerit in maxillam vnam, præbe illi & alteram* aduertit S.Doctor, poni maxillam pro parte nobiliori corporis, quæ, cùm percutitur, præcipua iniuria irrogatur; & notat. Chriſtum patientiam præcepto imperaſſe, iuxta id Deuter.31. *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.* Et ideò Apoſtolus Rom.12. *Non vos metipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ.* Ideò *Matth.*18. præcipit: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum.*

95 Vnde ſequitur, correptionem faciendam; ideò S.Auguſt. *ſerm.*10. de verbis Domini: *Si iniuriam pateris, & taces, & proximum non corripis, plus peccas negligendo, quàm ille affligendo.*

Idem probat S.Doct. *ad* 6. *Luca* in ea verba: *Qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis,* ſcilicet nocendo, iuxta id Apoc.18. *Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum, & luctum.* Et Iohel.3. *Cito velociter reddam vicißitudinem vobis ſuper caput veſtrum.*

96 Idem ibi obſeruat S. Doct. illam proteſtationem Chriſti: *Dimittite, & dimittemini.* Alioqui non ſalubriter oratur: *Dimitte nobis debita noſtra, &c. Si enim non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Et ideo Eccleſ.28. *Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur.* Hæc eſt Lex honoris, quam nos Chriſtiani profitemur.

97 Ex quo habes, non de ſolis Clericis, & Religioſis id eſſe verum; de quibus ſanè aſſerunt communiter DD. teneri fugam arripere, vt refert Fagundez *lib.*5. *cap.*7. *num.*9. ſed omnibus Chriſtianis hæc Lex data eſt. Quarè chriſtiano diplomate ſanciuit Alexander VII. vt nullus ſub pœna excommunicationis, ſummo Pontifici reſeruatæ, doceret, virum equeſtrem poſſe duellum acceptare, ne notam timiditatis incurrat, vtique fugiendo, aut reſpondendo, vti probatum habes, tomo proximè præcedenti *disp.*17.*q.*10.*sect.*2.

Ratiuncula verò, quam ex tot proceribus bus affert Diana, ſumpta à minori: Licet ad defenſionem rei familiaris occidere furem: Ergo & honoris, qui maior eſt, inuaſorem; Hæc attritu digitorum conteritur, negatur enim cum plurimis Antecedens, vt mox negandum oſtendam.

Hinc malè Baſſæus *v.Homic.*1.*num.*11.ait licere 98 occidere etiam lædentem in honore.

Dubitatio II.

An teneatur in aliquo caſu inuaſus occidere aggreſſorem.

Vidimus in aliquo caſu id licere: videndum 99 iam eſt: an aliquando ſit præceptum.

Communiter aſſerunt DD. teneri ordinariè inuaſum ſuam vitam defendere, & niſi aliter eam tueri queat, teneri aggreſſorem occidere. Ita Farinac. *T.*4. *quæſt.*125.*de homicid tit.*24. Paolus de Caſtro *in l.vim, ff. de Iuſt. & iure*, Salon. *ibi*, *num.*15. Iacobus Ayretius *tract. de homicidij neceſſitate,p.*1. *num.*395. Fagundez *in quintum præceptum Decal.l.*5.*cap.*3.

Probatur ab omnibus ratione ſumpta ex 100 D.Bonau. *in* 3. *diſt.*29. *quæſt.*4. nam ordo charitatis eſt, vt vitam noſtram vitæ proximi præferamus: Igitur grauiter peccat, qui vitam ſuam perire gladio ſinit, ſicut qui perire ſineret vitam proximi extra hanc comparationem.

Aliquas tamen cauſas allegant, ob quas poſſet inuaſus ſinere ſe occidi. Prima, ſi is eſt in conſcientia ſua ſine peccato mortali; at inuaſor in peccato mortali. Sed hæc ratio ſemper ferè in aggreſſore ſupponitur: Si enim eſt iniquus aggreſſor, eſt iniuſtus, & in peccato. Secunda, ſi inuaſor ſit perſona neceſſaria Reipublicæ.

Diana verò *p* 5. *Tract.*4. *reſol.*14. videtur non 101 admittere vniuerſaliter, teneri ex lege ordinis charitatis inuaſum occidere aggreſſorem, ſed ſolùm, ſi inuaſus ipſe ſit Princeps, vel Reipublicæ neceſſarius, aut familiæ ſuæ. Idem tenent Soto *de Iuſtitia, l.*5. *quæſt.*1. *art.*8. Syluius 2.2. *quæſt.*64. *art.*7. & *ibidem* Aragon, & alij cum Baſſæo, *v. Homicid.*1.*num.*14.

Dubitatio III.

An liceat ob defenſionem propriorum bonorum occidere Furem.

Prima ſententia videtur D.Bonau. *loco citato,* 102 *dub.*1. non licere. Eam ſequuntur Accurſius, & alij, quos citat Nauar. *in Man.cap.*15. Idem tenent Archid. & Panormit. quos citat Syluester, *v. homic.* 2. *quæſt.*4. Idem videtur Tabiena, *v. Homicid. quæſt.*7. & *v. Irregularitas,* 2. *num.*25. Negant abſolutè Gerſon *tract. de Euch.* Auguſt. de Ancona *de authoritate Eccleſia.* Abul. *in cap.*15. *Matthæi* apud Dianam *p.*5. *Tractatu* 5. *reſol.*17. eandem tuentur Farinac. *t.*4 *quæſt.*225. *de homicid. tit.*14.*num.*221. *fol.*220. conſtat *ex cap.*2. *in fine, extra de homic.* in quo perpetua pœnitentia imponitur presbytero, occidenti furem pro liberatione rei ſibi furatæ cum morte furis, Zabarella *ibi, ante numerum primum* Hoſtienſis *num.*9. *v. presbyter* & *ex C. ſuſcepimus, eodem titulo, ibi.* Ioan. Andr. *ibi n.*1. Butrio *num.* 4. Felinus 1. *not.* 1. Hi canoniſtæ dicunt

conſequen-

conſequenter, incurri irregularitatem & etiam excommunicationem, ſi fur ſit clericus.

103 Secunda ſententia eſt, licere quidem ſæcularibus, non autem Eccleſiaſticis, Panormit. *cap. ſuſcepimus, de homic.* Tolet. *lib.5. ſumma, cap.6. n.14.* Caietanus 2.2. *quæſt.64. art.7.* D.Anton.3. *part. tit.4. cap.3.*

Tertia ſententia, id abſolutè omnibus licere contendit. Ità Bartol. *Lib.1. num.2. Cod. vnde vi.* Butrio *cap. olim, 1. de reſtit. ſpoliat.* Angelus *in Leg. Is qui aggreſſorem, num.2. Cod. ad Leg. Cornel. de ſicar.* Iaſo *in Leg. vt vim, num. 10. ff. de Iuſt. & iure,* Paulus Pariſ. *in cap. Dilectiſſimi filij, num.36. de except.* Alex. *conſil.109.* Gloſſa *in cap. ſignificaſti, 18. de homic.* Abbas *ibi*, Socin. *in cap. ad Audientiam de homicid.* Villadiego *tract. de irregular.* Nauar. *ſum. cap.15. num.5.* Pioutius *de Irregul. reg.36.* Hi vero dicunt, fieri tamen irregularem interfectorem. Hoc tamen negant alij huius ſententiæ; Soarez *de cenſur.*
104 *diſp.46. ſect.2.* Petr. Nauar. *Lib.3. de reſtit. cap.3. num.414.* Tolet. *Lib.5. ſumma, cap.6.* Henricus Boicins *in cap. 2. de homic. num.13.* Annan. *ibi, num.9.* Felinus *in dictum cap. num.5.* Iacobus Æmilianus *conſ.2. num.54.* Couar. *in Clem. ſi furioſus 3. part.* Fortunius *in Leg. vt vim, ff. de Iuſtitia, & iure*; ſed hi duo formidant, Caſtro *Lib.2. de lege pœnal. cap.14.* Sotus *5. de iuſt. quæſt.2. art.8.* Hinc neque excommunicationem incurret *cap. ſi quis ſuadente diabolo*, quæ ob ſolum mortale incurritur, vt docent communiter apud Soarez *diſp.22. de cenſ. ſect.1. num.25.* Molina *Tomo 3. de iuſt. tract.3. diſput.51. num.6.* & hæc doctrina viget etiamſi dubium ſit: an fur veniret animo ſolo furandi; an & necandi, quia in dubio vitæ, poteſt etiam clericus ſe defendere, vt docent Farinac. *quæſt.125. de homic. tit.14. num.224.* Polyd. *tract. de tempore noct. cap.24. rubr. de fure, num.53.* Iacobus Airer. *de homic. neceſſit. par.1. num.139.* Hos allegat, & ſequitur Fagundez *Lib.5. cap.3.*

105 Hanc ſententiam ſecuti ſunt alij apud Dianam *part.5. tract 4. reſol.17.* quam dicit communem. Ità Tanner. *Tom.3. diſp.4. quæſt.8. dub.4. num.41.* qui citat Syluestrum, Nauar. Sotum, Valentiam, Aragonium, Bannes, & Leſſium. Adde Turrianum 2.2. *Tom.2. diſp.27. dub.2. num.55.* Marchantium *in ſumma reſol. paſtor. ad Decal. cap.5. quæſt.5.* Baldellum
31 *Tom.2. Lib.3. diſp.26. num.10.* Layman *lib.3. ſect.5. tract.3. part.3. cap.3.* Petrum Binsfeldium *de iniuriis, cap.2. quæſt.5.* Molinam *tomo 4. tract.3. diſp.16.* Azorium *Tom.3. lib.2. cap.1. quæſit.19.* Filliucius *tom.2. tract.19. cap.3. num.36.* Baſſæum V. *Homic.1. num.19.* laxè loquentem.

106 Qvoad Religioſos tamen negant Binsfeldius, & D. Antoninus; Sed aſſertiuè ſuſtinent Diana *loco cit. num.97.* Syluest. *quæritur* 8. cum Leſſio *lib.2. cap.9. dub.11. num.72.* Malder. 2.2. *tract.3. cap.1. dub.13.* Becano 2.2. *Tom.2. quæſt.7. de homicidio.*

Addit Diana, poſſe furem fugientem occidi, ſi cum re furata fugiat, quia inuaſio rei durat, donec in totum ſe recipiat, & adducit allegatos.

107 Addit Strouersdorf *de Iuſtitia, quæſt 64. art.7. in 2.2.* ſufficere, vt interficere poſſis, quod nequeas aliter rem cuſtodire, etiamſi poſſes recuperare poſteà, quia nullus videtur teneri pati, vt res eripiatur, etiamſi poſtea valeat recuperari.

Hoc tamen Doctorum torrente non rapior, nec moueor à prima ſententia.

Assero igitur, non licere rem familiarem defendere, necando furem.

108 Probatvr à D. Bonauent. *ad 6. Lucæ*, illis verbis: *Et ab eo qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere.* Vbi aduertit S. Doctor, loqui Chriſtum de raptoribus per iniuriam rerum grauium, de quibus Iob.24. *Nudos dimittunt homines indumenta tollentes, &c.* & bis dici: *Etiam tunicam noli prohibere*, ſcilicet rixando, vel contradicendo, exemplo Saluatoris; de quo Pſalm. 21. *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea.*

Addit verò, hoc eſſe mandatum, prohibens contentionem, & libidinem vindicandi; Libidinem ſanè immoderatam clamans, quæ pro rebus tranſitoriis tam acriter in alios exardeſcit, vt habetur *cap. ſuſcepimus, de 2. homicidio*, vbi Pontifex argumento D. Bonauenturæ vtitur.

Probat ſecundò ex D. Auguſtino *epiſt.5.* ad Marcellinum: *Cauendum eſt ne vindicandi cupiditate amittatur ipſa patientia; quæ pluris habenda eſt, quàm omne bonum, quod poteſt inimicus inimico auferre.* Igitur concludit, non prohiberi *hic*, correptionem proximi, nec impeditionem, vel prohibitionem mali, vel punitionem ſceleris ab eo, qui poteſt, & debet præpedire, cuiuſmodi eſt iuſtitiæ miniſter; ſed prohiberi hic vlciſcendi libidinem, & quantum ad manum, & quantum ad ſignum, & quantum ad animum. 109

Ex hoc teſtimonio S. Auguſtini eruitur ratio, quâ vtuntur authores primæ ſententiæ: Scilicet maius bonum non eſt pro minori exigendum, quia eſt contra iuſtitiam; ſed vita proximi eſt maius bonum re familiari: Ergo. 110

Respondet Diana nomine omnium; etſi ex natura ſua is ordo ſeruetur, tamen ex malitia inuaſoris peruerti poteſt.

Contra; nam cùm æqualitas iuſtitiæ ſit æqualitas rei principaliter, nequit malitia addere; vel minuere, ita vt peruertatur ordo earundem rerum, eiſdem circumſtantiis indutarum.

Fagvndez *num.17.* cum Tannero ita reſpondet, Charitatem Chriſtianam nos non obligare ad præferendam vitam prædonis noſtris rebus magni momenti, niſi quando fuerit in extrema neceſſitate; At in caſu præſenti non eſt in extrema neceſſitate, ſed in voluntate iniqua. 111

Deinde; nemo intendit, adimere ei vitam, ſed res ſuas recuperare, neque illum furem eſſe in poſſeſſione plena ſuæ vitæ. Addit Valentia quòd ad Charitatem proximi, negatiuè ſe habere.

Ego Metaphyſicas iſtas probatiunculas non intelligo. Christvs enim optimè nouerat iura, & melius, quam Fagundez; tametſi longâ teſſerâ Iuriſperitorum ſociatus; & tamen negat hos ordines eſſe ineptos. Aliud enim eſt, me non teneri in extrema neceſſitate profundere rem familiarem; aliud eſt, raptam velle defendere morte alterius. Deinde extrema eſt neceſſitas, quæ eſt æſtimanda ſupra rem familiarem, etiamſi ipſe ad eam venerit ſuâ culpâ; nam adhuc vita eſt ordinis inferioris, neque res familiaris, cùm ſit ordinis ſuperioris aufert ius boni ſuperioris, ideſt vitæ: Tandem contra Valentiam tenemur poſitiuè ordine Charitatis, quando res amandæ, actu concurrunt ſimul. 112

Probatvr tertiò à D. Bonauent. *ſerm.8. de decem præceptis*, ex D. Auguſtino *Lib.1. de Lib. arb. cap.1. & 5.* vbi expreſsè id videtur negare eſſe licitum, vt fatetur Valentia *diſp.5. quæſt 8. puncto 4.* neque bene reſpondet, intelligi in caſibus, in quibus non adhibeatur moderamen inculpatæ tutelæ. 113

Contra enim eſt; Nam propoſitis bonis, pro quibus occidi poteſt, abſque tamen vindictæ libidine, nempe vita, & pudicitia, omnino prætermittit honorem, & rem familiarem; de qua fuerat

X 4 interroga

interrogatus. Igitur neque cum moderamine licere concedit.

114 PROBATVR quartò à S. Bonauent. *in confessionali, cap. 3. particula 14.* ex cap. 2. *extra de homicidio*, vbi perpetua pœnitentia imponitur Præsbytero, etiam cum moderamine, interfectori Latronis; sæculari verò dicitur: vt si potuerit, ieiunet ob imaginem Dei occisam, & eleemosynas faciat largiter.

RESPONDIT Fagundex *num.* 17. ibi loqui supposito excessu in moderamine inculpatæ tutelæ, quod responsum colligit *ex cap. suscepimus*, vbi refertur excessus.

ENIM verò locus à me nunc allegatus nullum supponit excessum, imò addit: *Si autem siue odij mediatione, te, tuaque liberando huiusmodi diaboli membra interfecisti, secundùm indulgentiam dico, propter imaginem Dei, si aliquid ieiunare potueris, bonum est tibi, & eleemosynam fac largiter; si presbyter eadem fecerit, non deponatur, tamen quamdiu viuit, pœnitentiam agat.*

115 EN in solo facto homicidij cum quocumque moderamine, ponit culpam, & pœnitentiam imponit, eò quòd manus iniectæ sint in Imaginem Dei.

TEXTVS verò ille *suscepimus*, etsi reprehendat excessum illius Monachi; tamen etiamsi sine excessu id factum fuisset, damnat, tanquam libidinosum excessum, argumento è Christo assumpto *Lucæ* 6. quo nititur S. Bonauent. ait enim: *Verum quoniam expediebat potiùs post tunicam relinquere pallium & rerum sustinere iacturam, quam pro conseruandis vilibus rebus, & transitoriis, tam acriter in alios exardescere abstineat iste humiliter ab Altaris ministerio, & vterque peccatum suum ad arbitrium suum studeat expiare.* Itaque etiamsi necessarium fuisset pro illis rebus conseruandis, vtpote vilibus, si vitæ hominis comparentur, non fuisse hominem occidendum decernit; & homicidium execratur.

116 NEQVE satisfaciunt Canonistæ illi secundæ sententiæ, qui de solis Religiosis id decretum esse aiunt. Fateor, ibi scribi ad Religiosos; sed argumentum sumptum est ex Euangelio, quod omnes præcepto colligat: sumptum est enim ex ordine Charitatis, qui communis est omnibus iure naturæ, vt ob vilia seruanda non occidatur vita hominis, quæ est altioris ordinis.

DEINDE obserua, textum non excludere ab irregularitate occidentes ad conseruandas opes solas, nisi sit necesse etiam ad seruandam vitam à Latrone, eum interficere. Ideò Pontifex ait: *te, tuaque liberando, &c.* vt supra, & *in Clementina, Si furiosus* solùm excepit defensionem propriæ vitæ; ibique eum, qui mortem aliter vitare non valet, excusat.

117 NEQVE satisfacit Fagundez dicens *num.* 15. *in Clement.* non dici irregularem occidentem ob defensionem opum. Scio; sed exceptio firmat regulam, ibi enim solùm pro vitæ defensione eximitur.

Deinde *in cap.* 2. *de homicidio*, saluat solùm eum, qui occiderat, se, suaque liberando. Neque dicat Fagundez cum Suarez *num.* 8. particulam, *que*, sonare, *vel*; hoc enim gratis excogitatur, in decretis maximè sanciendis, adeò verba immutare; vt quæ dicunt coniunctiuam, exprimant præcisiuam.

118 COLLIGE falsò Bassæum *num.* 20. asserere, posse occidi, qui falsitatibus in iudicio me conetur euertere, nisi aliter valeas impedire. Hoc damnatur ab Alex. VII. 24. Sept. 1665. vti videri potest tomo priori *disp.* 17. *de conscientia, quæst.* 20. *sect.* 18. vbi etiam *sect.* 2. habes explicatum, quid de fure nocturno occidendo, siue etiam diurno, vitam armis aggrediente senserint veteres aliqui Canones cum D. Augustino.

DVBITATIO IV.

An ad defensionem Pudicitiæ liceat Inuasorem occidere.

LICITVM esse adolescenti, vel mulieri castitatis inuasorem occidere, cùm aliter se defendere non potest, etiamsi inuasor sit clericus, vel Religiosus, asserunt plurimi apud Fagundez *in Quintum præceptum, Lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 24. Ita Tolet. *Lib.* 5. *summæ cap.* 6. Lessius *tom.* 1. *Lib.* 2. *dub.* 12. *num.* 76. Syluester V. *homic.* 1. *quæst.* 5. *num.* 9. Petrus Nauar. *Lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *num.* 393. Farinac. *tract.* 4. *quæst.* 125. *de homic. tit.* 14. Baldus *in Leg. vt vim, ff. de Iust.* Decius *ibi, num.* 32. & patet ex *text. in L.* 1. §. *Item*, Decius *ff. ad Legem Cornel. de sicar.* Diuus Adrianus *rescripsit, eum, qui stuprum sibi, vel suis vim inferentem, occidit, dimittendum*, & Glossa *ibi*, Alberici *L.* 1. *num.* 17. *Cod. Vnde vi.* Iodocus *in pract. cap.* 80. Bossius *tit. de homicid. num.* 81. Hugolin. *de censur. part.* 2. *cap.* 11. Iacobus Ayretius *de homic. necessitate, part.* 1. *num.* 135. Syluius 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. *quæritur* 9. Rodriquez *in sum. tomo* 1. *cap.* 220. *num.* 24. Diana *part.* 5. *Tract.* 4. *resol.* 36. vbi ait esse communem sententiam. 119

FALLITVR tamen vna cum Tannero *Tom.* 3. *disp.* 4. *quæst.* 8. *dub.* 4. *num.* 68. dicens, D. Augustinum hac de re dubitasse *Lib.* 1. *de lib. arb. cap.* 5. nam S. Augustinus solùm ob periculum consensus videtur id concedere, quia tunc periret anima, & hoc idem tenet cum eo S. Bonauentura *serm.* 6. *Decalogi.* 120

AT Toletus *loco cit.* & Syluest. §. 8. cum Fagundez, dicunt, præciso periculo consensus, posse non occidere, & pati illam iniuriam, quæ apud Deum duplicabitur ad coronam; hi tamen duo dicunt securiùs esse occidere, si possit, sed magis piè S. Doctor solùm admittit cum D. Augustino imminente periculo animæ, per consensus periculum, sic & Bassæus V. *Homic.* 5. *num.* 21. 121

QVÆSTIO VII.

An, & quomodo MONOMACHIA *sit illicita.*

MONOMACHIAM, seu Duellum ait S. Bonauent. *in speculo animæ, cap.* 1. ad finem, secundùm Iura esse prohibitum, & habere rationem mortalis, & in appellatione, & in dominio, cuius authoritate fit, & in procuratoribus, & in pugillis propter pecuniam, & hoc patet cùm hoc habeat rationem tentationis diuinæ, & à forti debilis per naturam vincatur. Dicunt tamen quidam, quod consuetudo excusat in hoc facto, cuius contrarium tenetur communiter à Theologis, & Iurisperitis. Hæc S. Bonauentura. 122

DVELLVM est pugna duorum, vel plurium ex condicto in certo, & conuento loco, & tempore, ad redimendam alicuius rei veritatem, vel ad purgandum crimen, vel infamiam obiectam. Ità communiter Doctores, Sanchez *Lib.* 2. *Decal. cap.* 39. Azor *Tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 5. Bonacina *tract.* 3. *disp.* 11. *quæst.* 3. *puncto* 42. 123

TALE certamen est prohibitum ab Ecclesia *cap. Monomachiam* 2. *quæst.* 5. & *cap.* 1. & 2. *de purgat.*

vulgari

vulgari, & *cap. Porro*, cum hoc dispensare poterat Episcopus, non secuta morte, vel mutilatione membri alicuius, vt refert D. Bonauent. *in confessionali, cap.5. particula 29.*

124 ILLVD damnant etiam Theologi cum D. Bonauent. *hic*, & D.Thom.2.2. *quæst.95. art.8. ad 3.*

DAMNATVR duellum grauiter in Concilio Trident. *sess.25. cap.19.* Loquitur autem de solemni duello, & publico, quod Principum authoritate fit in eorum Statu.

RVRSVS Gregorius XIII. etiam priuatum duellum damnauit Breui, *Ad tollendam detestabilem*, anno 1582. Et tandem idem decreuit Clemens VIII. anno 1592.

FVLMINAT autem Concilium Tridentinum excommunicationem his verbis:

125 *Detestabilis duellorum vsus, fabricante Diabolo, introductus, vt cruenta corporum morte, animarum quoque perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine, Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac iurisdictione, & dominio ciuitatis, castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, priuati intelligantur: & si feudalia sint,*
126 *directis Dominis statim acquirantur. Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac bonorum omnium proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant; & vt homicidæ, iuxta Sacros Canones, puniri debeant. Et si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant Ecclesiasticâ Sepulturâ. Illi etiam, qui consilium in causa duelli, tam iure, quàm facto dederint, aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis, & perpetuæ Maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocumque priuilegio, seu praua consuetudine, etiam immemorabili.*

127 ADVERTVNT autem Fagundez *in Quintum præceptum, Lib. 5. cap. 8.* & alij, excommunicationem ipso facto latam in Principes, non reseruatam esse; atque adeò ab omni Confessario approbato absolui posse; nam quoties summus Pontifex excommunicationem imponit, si eam non reseruat, nulli censetur reseruata, & ab ea potest quiuis Sacerdos expositus absoluere, vt notarunt Delrius *lib.4. disq. mag. cap.4. quæst.4. sect. 2.* Graffius *p. p. decis. lib.4. cap.23.* Sà V. *Excommunicatio*, 14. Sanchez *Tom. 1. decal. Lib. 2. cap. 39. num. 27.* & *tom. 2. de matrim. disp.13.* Fagundez *loco cit. num.4.*

128 ENIM vero Pius IV anno Domini 1560. in sua Constitutione, & Clem VIII. 1592. hanc excommunicationem sibi reseruarunt, & hanc censuram, cæterasque Concilij pœnas ad duella etiam priuata extendũt.

POSSVNT tamen Religiosi, habentes absolutionem casuum Papalium, absoluere extra Italiam, & Romæ, vt declarat Sacra Congregatio apud Fagundez *num.5.* & Dianam *part.5. Tract.14. resol.104.* qui ait, posse absolui in Scicilia, Corsica, & Sardinia, quæ probabiliter sunt extra Italiam.

DEINDE aduertas, excommunicationem pugnantium, & Patrinorum, atque spectantium, in Concilio non esse expressam ipso facto: Ideò non esse latæ sententiæ, docent Petrus Nauar. *Lib.2. de restit. cap. 32. num. 293.* Rodriquez *tomo 1. summa, in 2. edit. cap.73.* 129

EAM tamen esse iure latam censent Suarez *de censur. disp.13. sect. vlt. num.11.* Sanchez *Lib.2. decal. cap.39. num.26.* Nauar. *summa Lat. cap.27. n.150.* Delrius *lib. 4. disq. magic. quæst 4. sect. 4.* Toletan. *5. summa cap.6. num. 32.* Sà V. *Excommunicatio* Graff. *p.p. decis. tract.4. cap.23.* Fagundez *num. 7.* Videtur enim idem ex dictis supponere.

SED truncata iam lis est, nam Pius IV. & Clem. VIII. omnes Excommunicatione latæ sententiæ nodant.

POENÆ tamen reliquæ requirunt sententiam iudicis, etiam priuatio sepulturæ, vt docent DD. multi apud Fagundez. Multas alias addit pœnas Pius IV. de quibus idem dic. Gregorius autem XIII. Includit etiam mandantes, & non impedientes. 130

CLEMENS verò VIII. loca, in quibus duellum fit, permittentibus Dominia interdicit, cuius relaxationem sibi tantùm, & successoribus reseruat, & quia est censura, incurritur ipso facto, vt docent communiter Doctores apud Sanchez *Lib. 2. decal. cap.39. num.32.*

GRAVITER autem aduerto primò cum Hurtado 2.2. *disp.170. sect.21. §.190.* Fagundez *num.35.* & ali, apud eum *num.29.* contra Filliucium *tract.29. cap.9. num.176.* non incurri pœnas duello inflictas, nisi sequatur duellum. Quare si euntes remoueantur, non incurritur. Incurrunt tamen suasores, relatores, & se ad promouendum duellum immiscentes, ex Clement. VIII. & Gregorio XIII. apud Fagundez *num.29.* 131

ADVERTO secundò, aliquos dicere, ad tuendam vitam licere duellum, vt vim vi repellas: Sed falsum omnino est, vt docent communiter apud Sanchez *Tomo 1. decal. Lib. 2. cap. 39.* Valentiam, & alios. Casum verò imaginatur Hurtadus, qui mihi potius Metaphysicus est, quam practicus. Vide Dianam *part.5. Tract.14. resol.99.* qui eum refellit.

NEQVE ob tuendum honorem licere duellum, clamant communiter Doctores apud Sanchez *cap.39. num.9.* Azor *tract.3. lib.2. cap.4. quæst.6.* Fagundez *num.39.* Id definit Alex. VII. *decreto* edito 1665. vti notaui, & probaui loco ad finem quæstionis 3. citato. 132

PROPONIT autem Diana *part. 5. tract.13. resol.27.* An, si accusator offerat duellum purgatiuum, possit innocens illud acceptare ad tuenda bona temporalia, aut vitam, aut partem corporis, quam aliter amittet ex malitia iudicis; & accusatoris.

Negatiuè respondent Lessius *lib. 2. cap. 9. dub.8. num.47.* Filliucius *tomo 2. tract.29. num.144.* Suarez *de Charitate, disp.13. sect. vlt. num. 5.* Aragon. 2. 2. *quæst.64. art.3. ad 3.* Abul. *primo Reg cap.17. quæst. vlt.* Salon. 2.2. *quæst.64. art.3. contron.3.*

ASSERVNT verò Sanchez *in summa, tomo 1. Lib.2. cap.39. num.7.* Bannes 2.2. *quæst.64. art.7. dub.4.* Caiet. 2. 2. *quæst. 95. art. 8. ad 3.* & *in summa, V. Duellum.* Hurtado 2.2. *disp. 70. sect. 8. §.70.* & alij apud Fagundez *num.41.* & *44.* 133

PROBANT, quia hoc non est duellum, sed iusta defensio; cùm enim liceat occidere iniustum direptorem bonorum; iusta etiam erit acceptatio huiuscemodi duelli.

SED non legunt hi rationem D. Bonauent. quæ eos redarguit: nam defensionis modus iste ineptus est, & tentat Deum; potest enim facilè innocens ab iniquo

iniquo occidi, & non est hæc iusta defensio bonorum inferioris ordinis, exigere vitam, & quodmagis insanum, vitam etiam propriam discrimini mortis exponere.

234 HINC malè Diana arridet, etiam acceptare posse duellum ad honores, & munera publica tuenda.

NEQVE probatur mihi opinio Hurtadi 2. 2. *disp.* 170. *sect.* 9. §. 82. posse innocentem criminatori offerre singulare certamen, quando non potest alia ratione se, suaque tueri, cui adhærent Bannes 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. *dub.* 4. Sanchez *tomo* 1. *sum. Lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 7. Petrus Nauar. *de restit. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 589. Valentia *tomo* 3. *disp.* 3. *quæst.* 17. *puncto* 1. Nutilius 2. 2. *tract. de Charitate, quæst.* 17. *art.* 1.

ERRANT profectò, nam, vt ait D. Bonauent. non habent conditiones, necessarias moderamini inculpatæ tutelæ, cum aliæ viæ pateant suæ defensioni, & hæc assumatur, qua validam Iustitiæ protectionem perdat, si se discrimini mortis innocens abiiciat, aggressorem modo repellat stulto, tentando Deum, & volendo, vt sua vita, & innocentia à vulneribus præseruetur, quæ omnia meo iudicio fatuum sonant, vt arguit S. Doctor, & cum eo plurimi apud Fagundez *num.* 47.

235 VTINAM honorum zelatores attenderent, se infames proclamatos ab Ecclesia, maledictos, & in sepulturam asini proiectos iri. Optimè hi satisfecerunt cartello, dicendo, se Christianos esse, quibus infamiæ Duellum vertitur, vt ait Bassæus, V. *Homicidium* 1. *num.* 55.

236 Sanè Ludouicus XIII. Iustus meritò à summo Pontifice Vrbano VIII. acclamatus, legem illam, aureis laminis dignam, sanciuit in florentissimo Galliæ Imperio, vt qui duellum inierint, perpetuæ notæ infamiæ obsignati, post mortem à carnifice inflictam, æternum gloriæ dedecus secum ferant ad orcum. Prudentissimè gloriosus ille Monarcha generosos Gallorum animos coercuit à frequentiore suorum clade. Industriè excogitatum, vt Orator quidam edisserit, illi profectò non absimile, quo Africanæ gentes Leones à cædibus retraxère, plurimos ex arborum ramis suspensos, strangulatosque exponentes. Sane Generosa Progenies spectaculo illi infamiæ attendit, nec vnquam Leoninæ proles, videntes patres furcis pendulos, ad insidiandum in viis illis mercatoribus, & peregrinis rediêre. Quieuère pariter & illi, nec Leunculos suos deduxerunt ad stragem.

237 AVDIANT ergo pœnas, duellis inflictas iure nouo Concilij Tridem. Pij IV. Gregorij XIII. & Clem. VIII. Quarum quinque sunt spirituales: Excommunicatio latæ sententiæ, summo Pontifici reseruata. Secunda, Priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ, si in duello decesserint. Tertia, Interdictum pro his locis, in quibus, scientibus Dominis illorum, duellum commissum est. Quarta, Priuatio dignitatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, si fuerint personæ Ecclesiasticæ. Quinta, Inhabilitas ad illa, & alia obtinenda.

238 QVINQVE etiam temporales sunt. Prima est priuatio statuum, & dominij pro iis principibus, qui sunt subiecti Romanæ Ecclesiæ; vel priuatio iurisdictionis, & dominij eius loci, in quo duellum committitur, pro aliis principibus non subiectis. Secunda, crimen Læsæ Maiestatis. Tertia, rebellio. Quarta, confiscatio omnium bonorum. Quinta, perpetua infamia.

239 OMNES pœnæ temporales egent sententiâ Iudicis, vt incurrantur, similiter & spirituales, exceptis *Excommunicatione*, & *Interdicto*, vt latè probat Fagundez *num.* 51. iuxta probata à me *Tract. de Legibus, disputatione* 5. *quæstione* 7.

QVÆSTIO VIII.

An liceat Marito occidere Vxorem deprehensam in adulterio, & patri filiam, & fratri Sororem, simul cum proco.

D. Bonauent. in 4 dist. 37. art. 1. quæst. prima.
D. Thom. ibi, quæst. 1. art. 1.

LICET huius Difficultatis decisio vlteriori probatione non egeat, cum Decreto Alexandri VII. cautum sit, vt ne imposterum à nullo assertiuè proponatur, vt visum est *tract.* de Actibus humanis *disp.* 17. *quæst.* 10. *sect.* 19. vt tamen propè modum innotescat, quam optimè Seraphicus hanc veritatem edocuerit, eam hic discutiemus. 240

ET quidem primò in hoc casu, miseratione digno, mariti iure ciuili permittuntur frœna iræ impunè ad sanguinem laxare; & sanè id ad cordis duritiam vel etiam aliquando ad commiserationem permissum esse, legum expositores passim dictitant.

IVRE tamen Cæsareo non permittebatur, nisi adulter esset vilis, & infamis, in adulterio cum vxore interficere. Ideò maritus poterat interficere adulterum vilem in domo sua, non alibi, *Lex, maritus, ff. de adulteriis*, & tenebatur in scriptis admonuisse procum, inditiis comprehensum, vt docet Couar. 4. *Decret.* 2. *part. cap.* 7. §. 7. Si maritus erat vilis, & procus nobilis, hunc occidens damnabatur ad metalla. Si verò maritus erat honesta persona, occidens adulterum nobilem, relegabatur in insulam, *Lex, si adulterium cum incestu*, §. *Imperatores, ff. de adult.* vel mittebatur in exilium per annos, arbitrio iudicis taxandos *Lex Gracchus, Cod. de adulter.* Vide Iulium Clarum 5. *sent.* §. *homicidium, num.* 49.

IVRE Castellæ permittitur absolutè adulterum, & vxorem, deprehensos in adulterio, perimere *Lib.* 3. *tit.* 20. *Lib.* 8. *noua Recopil.* 241

IVRE Lusitano idem permittitur *Lib.* 5. *noua ordin. tit.* 38. nisi tamen maritus sit vilis; & adulter nobilis, quia sic relegatur ad tempus in Africam.

IMO iure hoc potest maritus certus, adulterum extra factum occidere *loco cit.* eodemque iure potest aduocare adiutores, nisi tamen alioqui sint inimici adulteræ, vel proci. 242

NEQVE solum in coitu adultero possunt impunè occidi secundùm omnia relata iura, sed etiam si deprehendantur in actibus proximè disponentibus, puta amplexibus; &c. vt communiter Doctores aiunt apud Fagundez *L.* 5. *cap.* 10. *num.* 7.

IDEM conceditur Patri in filiam adulteram *Leg. Patri, ff. de adulter*, si tamen sit in potestate patris, & eam occidat in domo sua, & generi, & simul etiam filiam cum proco perimat: excluduntur porrò alij, siue patrui, siue fratres, auus, &c. 243

EXCIPE raptum, quia in raptus flagranti crimine possunt raptorem occidere omnes consanguinei, tutores, patroni, & domini *L.* 1. §. *Ne igitur, Cod. de raptu Virginum.*

SI tamen maritus etiam sit adulter, multi dicunt, iniuriam compensari, & par reddi, atque adeo non posse occidere vxorem adulteram. Ita Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 17. *num.* 3. *litt. F.* Couar. 4. *Decret.* 2. *part.* §. 7. *num.* 7. Rodriquez *Tom.* 1. *sum. cap.* 206. & alij. 244

ENIM verò cæteri adhuc sustinent, posse, quia non

non eſt par iniuria, & ius, niſi ad diuortium. Ideò verò conceditur accuſare criminaliter vxorem adulteram, non tamen vxori virum *Leg. 1. Cod. ad Leg. Iul. de adult.* Vnde S. Doctor non arguit à pari, ſed à ſimili iniuriæ *in tertio argumento.*

QVÆSTIO autem noſtra eſt; an id liceat in conſcientia.

145 PRIMA ſententia affirmat, dummodò non liuore vindictæ, ſed zelo iuſtitiæ id præſtetur, Gómez *leg. 8. Tauri, num. 52.* Menchaca *Lib. 1. controu. cap. 6.* Caſtello *l. 82. Tauri*, Ayened. *Lib. 8. recopil. tit. 20. lib. 1. & lib. 4. tit. 10. Lib. 1. num. 21.* Sà *V. Homicid. num. 15.* Iul. Clarus *L. 5. ſent. §. Homicid. num. 50.* & citari poteſt etiam *cap. Admonere, 13. quæſt. 2.* ibi; *Non inueniſti eam, cum alio rem nefariam facientem.* Ergo ſi inueniſſet, citra culpam necaſſet. Eam non improbabilem cenſet Leſſius *lib. 2. cap. 9. dub. 5. num. 16.* & Baſil. Poncius *L. 9. de matrim. cap. 11.* teſtatur ſuo tempore huic multos Theologos Salmaticenſes ſubſcripſiſſe.

146 SECVNDA ſententia, omninò vera, negat, poſſe maritum occidere vxorem. Ità S. Bonauent. & S. Thom. *hic*, Victoria *de matrim. num. 291.* Veracrux *3. part. ſpeculi, art. 4.* Sotus *4. diſt. 37. quæſt. vnic. art. 3.* & *lib. 5. de Iuſt. quæſt. 1. art. 3. ad 1.* Aragon. *2. 2. quæſt. 64. art. 3. ad 2.* Rodriquez *ſumma. Tom. 1. cap. 206.* Sà *loco cit.* Gutier. *lib. 2. qq. pract. quæſt. 2. num. 22.* Petrus Nauar. *lib. 2. de reſtit. cap. 3. part. 2. diſp 8. num. 206.* Nauar. *ſumma Hiſp. cap. 15.* Couar. *4. Decret. 2. part. §. 7. num. 9.* Fagundez *in quintum præceptum, L. 5. cap. 10. num. 20.* Sanchez *L. 10. de matrim. diſp. 8. num 41.* Bannes *2. 2. quæſt. 64. art. 3. dub. 2.* Pariſius *conſ. 154. n. 12.* Socinus *lib. 2. conſ. 34.* Sotus *lib. 5. de Iuſt. quæſt. 1. art. 3.* Valentia *diſput. 5. quæſt. 8. puncto 3.* qui aiunt eſſe omnium Doctorum ſententiam, è quibus Barboſa *in collect. Tom. 4 part. 2. cauſa 33. quæſt. 2.* allegat 48. Doctores cum Poncio *loco cit.* Baſſæo *hic in 4.* De hac ſententia non eſſe ampliùs dubitandum ait Diana *part. 2. Tract. 4. reſol. 223.*

147 ASSERENDVM igitur abſolutiſſime cum hac ſententia, non poſſe Maritum ita vxorem occidere.

PROBATVR à D. Bonau. *ex cap. Inter hæc 33. quæſt. 2.* vbi Nicolaus I. ait: *Licere ſecundum leges mundanas, non tamen ſecundùm Eccleſiaſticas, vxorem adulteram impunè interficere.*

148 PROBATVR ſecundò à S. Doctore, quia leges ciuiles, ſolùm commiſerantes, vel ad cordis duritiem id permittunt; At leges permittentes fieri aliquid non excuſant à culpa in foro *Poli*, ſcilicet conſcientiæ, eſto excuſent in foro *Soli*, quia forum conſcientiæ, maximè in cauſis tangentibus ſacros contractus, ſpectat in foro interno ad Eccleſiam, vt etiam è Seraphico probaui loco initio citato. Imò in multis aliis conſtat, leges ciuiles permittere, quæ in conſcientia ſunt mortalia; vt meretrices publicas, & alia, quæ recenſet Tiraquellus *lib. 9. connubiali, num. 1.* Permittunt autem meretrices ad maiora crimina vitanda, adulterij, ſodomiæ, &c.

149 PROBATVR tertiò, quia iniquiſſimum eſt, parte inaudita, morte damnare, maximè in nouo teſtamento. Quare Chriſtus ad primam Phariſæorum accuſationem noluit adulteram condemnare *Ioan. 8.* vt obſeruat S. Doctor.

QVAPROPTER ſolquiſſimè ageret Iudex, qui, ante iuridicam ſententiam, traderet marito vxorem, & procos perimendos.

OBIICIES primò Exodi 22. *Maleficos non patieris viuere.*

RESPONDET S. Doctor, fuiſſe legem Iudicialem, cuius rigor in Euangelio euanuit. Deinde alloquitur Moyſen, Iudicem legitimum, vt formata cauſa reos puniret.

OBIICIES ſecundò. Leges ciuiles iuſtæ ſunt, 150
ſi ab Eccleſia conceſſæ. Hæc autem Lex ab Eccleſia conceſſa eſt, & ideò *cap. Inter hæc*, non damnatur ſed ſolùm dicitur: *Sancta Eccleſia mundanis non conſtringitur legibus, nec gladium habet, niſi ſpiritualem*, vt notat D. Bonauent. *fundamento 2.*

RESPONDET D. Bonauent. & cum eo multi, multas leges ciuiles permitti ab Eccleſia ad maiora mala remouenda, vt dixi. Hanc igitur ſuſtinent ad innumera adulteria, terroribus arcenda. Addit, videri hanc legem ab Eccleſia abrogatam, dum declarat, eſſe iniquum, vxorem in adulterio comprehenſam necare. Quod verò eam non abroget expreſsè, id eſt, quia ſatis viſum eſt id declarare iniquum, & ſecundum Leges *Soli*, ſeu mundi, non *Poli*, & Dei.

OBIICIES tertiò *can. 33. quæſt. 2.* dicitur: *Interfectores ſuarum coniugum, ſine iudicio* (cùm non addunt: *adulterarum*, vel aliquid huiuſmodi) *quid aliud habendi ſunt, quam homicidæ*: ergo, ſi additur: *adulterarum*, non videntur homicidæ.

RESPONDET S. Doctor, ibi loqui ſecundùm 151
leges humanas, talis enim ex quo ſine cauſa, & extra iudicium occidit, cenſetur homicida; ſed ſi per iudicium, & ex cauſa faciat, non iudicatur homicida ſecundùm iura humana: Sed ſecundùm iura canonica, quo debent matrimonia regi, vt iure proprio, cenſentur homicidæ, vt definit Nicolaus P. *cap. ſequenti.*

EX doctrina huius argumenti collige, de adulte- 152
rio ad pœnam ſanguinis ſolùm iudicem ſæcularem eſſe competentem, vt declarat Nicolaus ſuprà. Quò ad alias verò pœnas, eſt mixti fori; & ideò datur locus præuentionis. In cauſa verò diuortij ſolus Iudex Eccleſiaſticus eſt competens, ad cognoſcendum de adulterio. Ità Ioan. de Heuia *in curia Philip. part. 5. §. num. 20. de ſponſ. part. 2. cap. 7. §. 7. num. 12.* Pereira *in L. ſi curatorem, ver. læſis, num. 22.* Suarez de Paz *in praxi, tract. 2. prel. 2. num. 31.* Miranda *in ord. iud. tract. 1. quæſt. 1. art. 5. concl. 6. & 7.* Mattha *de iuriſdict. part. 2. cap. 19.* Vincentius de Franco *deciſ. 312.* Ceuallos *de cognit. per viam violent. part. 2. quæſt. 8.* Riccius *part. 5. collect. 2076.* Farinac. *num. 53. quæſt. 2.* Diana *part. 1. Tract. de immunitate Eccleſiæ, reſol. 86.* Germon. *de ſacrorum immun. lib. 3. cap. 12. num. 58.* Sanchez *de matrim. tract. 3. lib. 10. diſput. 8. num. 15.* Quare fallitur Decius *conſil. 212.* credens, quod ſi ſimul agatur de diuortio, & amiſſione dotis, ſit mixti fori.

IMO, etiamſi de ſola ſeparatione coniugum ad 153
tempus agatur, vt ob lepram, &c. ad ſolum Iudicem Eccleſiæ ſpectat, contra Ropellan. *forenſ. inſtit. Galliæ, lib. 1. cap. 25.* Et ſi quando ageretur de diuortio, coram iudice Eccleſiaſtico, quæſtio alimentorum, & dotis amittendæ, tanquam acceſſoriæ, pertinent ad forum eundem. Vide Barboſam *de poteſt. Epiſcopi, part 3. allegat. 84.*

COLLIGE ſecundò, quod ait S. Doctor *in cor-* 154
pore, eſſe contra iura etiam ciuilia occidere vxorem extra flagrans crimen coitus; ſed additum eſt à Doctoribus, non violari ea iura, ſi occidatur inter oſcula, nam iura de ſolo adulterio loquuntur expreſsè, in quo cenſent DD. comprehendi etiam actus vltimò præuios. Ità Barboſa *L. 2. initio part. 2. num. 7. ff. ſoluto matrim.* Molina *de Iuſt. Tom. 4. tract. 3. diſput. 91. num. 8.* Suarez *de cenſur. diſp. 1. ſect. 1. num. 37.* Sylueſter *V. Excommunicatio, 6. num. 6. §. 10.* Angel. *ibi 5. num. 19.*

Si tamen sit consanguineus vxoris eam osculans, vel amplexans, non censetur ad malum, vt notat Farinac. *tract.*4. *quæst.*121. Fagundez *num.*7.

155 COLLIGE tertiò non prohiberi iure Ecclesiastico maritis accusare adulteras suas vxores, vt suprà dixi; ad hoc enim instituta est secularis potestas, quæ non sine causa gladium portat, vt aduertit S. Doctor *hic*, & præcipuè *sermone* 6. *in Decalogum*, ex Apostolo Rom. 13. *Non enim sine causa gladium portat*, idest iurisdictionem, vt ait etiam Fagundez *num.*16.

COLLIGE quartò, non posse Iudicem, ante latam iuridicè sententiam, tradere marito vxorem occidendam; sed si posteà tradat: caueat maritus ab appetitu vindictæ, quod tamen est arduum; deinde indecorum est, carnificem agere.

156 ADVERTE autem, in casibus, quibus permittitur viro vxorem adulteram cum proco occidere, & patri filiam nuptam adulteram, parcere ius canonicum maledictioni, ita vt non innodet interfectorem excommunicatione, si procus sit clericus, neque irregularitate *cap. si vero, de sent. excom.* & ita, licèt mortaliter peccent, non incurrunt censuras. Ità Suarez *de censur. disp.*22. *sect.* 1. Syluester V. *excom.* 6. *num.*6. & alij.

Addo pro coronide, falsissimè loqui multos, dicentes, posse patrem filiam, vel maritum vxorem prægnantem occidere secundùm iura; non enim permittunt cædem insontis, vt notant Baiardus *in addit. ad Clarum.* §. *homic. num.*167. Farinac. *in praxi, tract.*4. *quæst.*121. *num* 5.

157 RIDICVLA est autem ratio Fagundez *num.*32. quia partus in vtero censetur vna res cum matre. Primò enim perit anima infantis in æternum, quæ non spectat ad matrem.

DEINDE leges etiam valdè distinguunt occidentem mulierem grauidam, quia licèt fœtus materialiter vna res sit, tamen sunt duæ res in iudicio diuersæ, alioqui moriente matre in gratia, saluaretur etiam infans sine baptismo. Neque in hoc ius humanum potest inuehi, vt concedat mortem, & damnationem innocentis puerulí, non subditi suis legibus, extra mortalem statum. Eheu quot hinc impietati viæ apertæ!

158 TANDEM ipse Fagundez *L.*5. *cap.* 12. *num.*27. Ideò negat, non licere matri grauidæ occidere fœtum, vt propriam vitam saluet.

QVÆSTIO IX.

An liceat seipsum interimere.

{ D. Thom. quæst.64. art. 5.

159 INTERFECTOR sui ipsius iniquus proclamatur à D. Bonauentura *in* 3. *dist.* 37. *dub.*5. *litt.* D. Thom. *hic*; quos omnes sequuntur, vt refert Farinac. *Tom.*4. *quæst.*128. Fagundez *in quintum præceptum decal. cap.* 11.

PROBATVR à SS. DD. ex quinto præcepto. *Non occides*, quo præcepto, omnis iniqua occisio hominis prohibetur; nulla autem magis iniqua, quàm in seipsum; quia vt ait D. Bonauent. *in* 3. *dist.*29. *quæst.*3. Fundamento 2. *Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit?* Ecclesiastici 14.

160 INFOELIX autem, qui seipsum interimit, vt requiem consequatur, æternis pœnis destinatur sine requie, vt ait Seraphicus *in* 3. *dist.*28. *dub.* 2. imò requie sepulturæ priuatur, vt definitum est in Concilio Bracharensi *cap.*34. & refertur, cap. Placuit, dist. 53. quæst. 5. *Placuit, vt qui sibi ipsis, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, aut quolibet modo, violentam inferunt mortem, nulla pro eis in oblatione commemoratio fiat; neque cum Psalmis ad sepulturam cadauera eorum deducantur.*

ADDO tamen; ad hanc pœnam incurrendam requiri, vt se interimat in pleno iudicio; Nam si in frenesi id faciat, sanè pia mater Ecclesia eius miseretur. Quod si dubium sit, non est priuandus Ecclesiastica Sepultura, sed minori apparatu deducendus; puta vno, vel altero Sacerdote sociante. Ità plurimi, quos sequitur Farinac. *loco cit. num.*16. 161

DE iure ciuili occidens se ipsum, aut tentans occidere, etiamsi mors non sequatur, infamis est, *Lex si aliquid*, § *finali*, *ff. de pœnis*, & *Lex, omne delictum*, §. *si se vulnerauerit*, *ff. de re militari*, vbi loquitur de militibus honoratis.

COMMVNITER asserunt Doctores cum D. Bonauent. occidentem seipsum peccare mortaliter contra Iustitiam erga Deum, atque Rempublicam, cuius est; & contra Charitatem in se ipsum, vt docet S. Doctor *locis citandis*, & *allegatis*, D. Thom. 2. 2. *quæst.*64. *art.*5. *ad* 1. Sotus *L.*4. *de Iust. quæst.*2. *art.*3. Couar. *lib* 4. *var. cap.*2. Sayrus *lib.*7. *cap.* 17. Petrus Nauar. *lib.* 2. *de restitut. cap.*3. *num.* 34. Fagundex *in quintum Præceptum decalogi, L.*5. *cap.*11. *num.*5. 162

NON est tamen propriè contra iustitiam in Rempublicam, quia non est perfectè domina vitæ ipsius, vt notat Fagundez *cont. Aragon.* 2. 2. *quæst.*62. *Tract. de dominio vitæ, concl.*1. sed contra Deum, supremum dominum, vt arguit Plato *in Phædone*.

OCCVRRIT noua quæstio, quam primò Lessius *Tom.*1. *de Iust. Lib.* 2. *cap.* 9. *dub.*6. *num.*32. innuit, & agitat Fagundez *num.* 6. An Dux Mioparonum classis, quando aliter Barbarorum manus effugere nequit, possit licitè ignem immittere in puluerem sulphureum, & nauim incendere, non vt se, & alios interimat; sed ne illa nauis veniat in manus hostium, ne inde insolentiores, & fortiores euadant.

PRIMA opinio est assertiua, quam sequitur Lessius, Fagundez plaudit: Subscribent alij, qui asserunt, posse patriæ defensores nequeuntes vitare mortem, facinus aliquod aggredi, etiamsi inde sint interimendi. Ità Victoria *relect. de homicid. ad vlt.* Aragon. 2. 2. *quæst.* 62. *tract.* 1. *de dominio vitæ, concl.* 1. *quæst.*64. *art.*1. Valentia *Tom.*3. *disput.*5. *quæst.*8. *puncto* 2. Lopez *p.p. Instruct. cap.* 65. & afferunt exempla Sampsonis, *Iude* 16. Eleazari *primo*, *Machab.*9. Raziæ 2. *Machab.*14. & aliorum Heroum. 163

SECVNDA sententia est negatiua. Ità D. Thom. *loco cit.* quem communiter sequuntur, qui in facto Sampsonis ad singularem Dei impulsum confugiunt. Ità D. Bonauent. *in* 4. *dist.*32. *art.*2. *quæst.*1. 164

PROBATVR à S. Doctore in cap. 6. Decalogi ex diuino præcepto: *Non occides*. Quod autem aiunt, non intendere hunc, se occidere, friuolum est; Nam agit efficaciter mortem suam, causam immittendo naturaliter efficacem.

AD exemplum Sampsonis respondet D. Bonauent. id fecisse, motum à Deo, qui est dominus vitæ; ait enim Scriptura: *Irruit super eum spiritus Domini*, vt obseruant Tostatus *in* 16. *Iudic. quæst.*54. allegans D. Augustinum *primo, de ciuit. Dei, cap.*20. idemque dicit in lib. contra secundam epistolam Gaudentij. 165

QVOD verò id sine impulsu Dei posset facere, vt dicunt Sayrus *Lib.*7. *cap.*9. *num.* 9. Lessius *loco cit.* Caietanus *Iud.* 16. Lopez *cap.*65. *Instruct.* non probatur; alioqui frustra Deus irruenter immisisset Spiritum suum.

IDEM dico de Eleazaro, quem laudat D. Ambrosius, *Lib. primo, offic. cap.*40.

166 IDEM omninò assero de Raxia, qui se confodit, & ab alto præceps deiecit, ne in potestatem Barbarorum deueniret. Sic enim ait Scriptura: *Eligens nobiliter potius mori, quàm subditus fieri peccatoribus.* Textus autem Græcus sic redditur: *Generosè volens mori potius, quàm peccatoribus subditus fieri, & propriâ nobilitate indignè contumeliam pati.*

167 QVARE spiritus Sanctus eum de hoc laudat. Neque rectè dicunt aliqui, eum ita referri; sed ex opinione suæ nobilitatis deceptum, mortaliter deliquisse; inter quos est etiam D. Thom. *loco citato, ad* 5. & alij apud Fagundez *num.*8. nam actum hunc generosum fatetur Scriptura. Ideò eum defendit Lyra *ad textum*, & Victoria *ad vltimum.*

DVBITATIO I.

An liceat mortificationibus vitam nobis decurtare.

168 PRIMA opinio est, esse mortale vti pœnitentiis imprudenter adhibitis, quas grauiter nocituras quis agnouerit, etiamsi ob satisfaciendum Deo vita decurtetur. Ità D.Thom. 2. 2. *quæst.*147. *art.*5. Tolet. *lib.* 5. *summæ, cap.* 6. *concl.* 4. Nauar. *summa Lat. cap.*15. *num.* 52. Petrus Nauarrus *lib.*2. *restit. cap.*3. *num.* 88. Couar. *lib.* 1. *variar. cap.* 10. Aragon.2.2. *quæst.*64. *art.*5. *ad* 5. Lopez *p.p. instruct. cap.*64. Sayrus *lib.*7. *cap.*9. Bassæus V. *Homic.* 1. *num.* 8. Diana *part.*5. *tract.*4. *Resol.*33. Pasqual. *de ieiunio, disp.*27.

SVBSCRIBIT Fagundez *num.* 18. mortiferum esse pasci herbis crudis, vel aliis cibis grauiter noxiis, & allegat Victoriam *num.*13. Aragonium, & Lopez suprà; excusant tamen hæc non aduertentem.

169 EGO quidem admirabundus tollor, & illorum moueor exemplis, qui viam salutis è cœlo securam indigitant, dum perlego vitam sanctorum, qui maximè Deo placuêre, & inter eos Seraphici Patris Francisci; de quo S. Bonauentura *in legenda*, maximè *cap.* 5. refert, sanctissimum Patriarcham adeò crucifixisse, toto vitæ pœnitentis cursu, carnem cum concupiscentiis, vt cocta cibaria vix vnquam sanus admitteret, admissa verò, cinere confecisse, aut aquâ infecisse. De aqua verò nunquam ausum bi-
170 bere, quantum naturæ sufficeret: Nuda humus lectus erat, cilicium gerens, vestito lacero, obsoleto in summo rigore hiemis tremens, & alia noua pœnitentiæ genera continuò excogitabat. Iam verò nocte quadam cum apud eremum Sarthiani pernoctaret, audiuit vocem se ter vocantem. FRANCISCE, FRANCISCE, FRANCISCE. Cui ille. Quid? Respondit vox: Nullus est peccator, cui Deus non indulgeat; sed quicumque semetipsum pœnitentia dura necauerit, misericordiam non inueniet in æternum: Statim vir Dei sensit vocem hostis, agnouitque veterani serpentis calliditatem, adeo enim carnis tentatione accensus est: At Sanctus Pater subitò nudatum se acriter flagellans, sic suum alloquitur corpus: Eia frater asine. Sic te decet subire flagella. Mox verò inter niues volutatus est; deinde septem pallas grandes niuis composuit, aitque: Vide, hæc tibi familia alenda: hæc est vxor; hi filij; hæ filiæ vestiendæ; si autem te hæc sollicitudo premit, reuertere; & Deo serui.

171 SIC enim corpus suum fratrem asinum appellabat, tanquam laboriosis supponendum oneribus; crebris flagellis cedendum, & vili pabulo reficiendum. Hæc D. Bonauentura.

IDEM S.Doctor *in Diata, tit.*2. *cap.*6. ieiunium grauiter commendat Eliæ, & aliorum sanctorum, & ait à vero Hippocrate, Deo, esse institutum.

ET *Lib.*4. *Pharetra, cap.*45. refert D.Bernardum, sermone 66. in Cantica: *Abstinebo à vino, quia in vino luxuria est, aut si infirmus sum, modico vtar, iuxta consilium Apostoli. Abstinebo à carnibus, ne dum mihi nimis carnem nutriunt, simul & carnis nutriant vitia*, &c.

SERMONE verò *de S. Ioanne Baptista*, obseruat 172
austeritatem S. Ioannis *Matth.* 3. erat in deserto ab ætate tenella, *vestimentum è pilis camelorum, cibus locustæ, ac mel Syluestre*, & Lucæ primò intimatur: *Vinum, & siceram non bibet.*

Prebuit hirtum tegamen camelus
Artubus sacris, strophium bidentes
Cui latex haustum sociata pastum
Mella Locustis.

Item cap.7. dicitur: *Venit Ioannes, non manducans panem; neque bibens vinum*, Et tamen actualiter nunquam peccauit. Sanè maior esse debet pœnitentia peccatorum, & D. Gregorio *homil.*20. *in Euangelia*, & subdit: si Ioannes, & Elias, & omnes SS. PP. in desertis Ægypti, tantis se vigiliis, & ieiuniis macerarunt, tam aspera, & inculta vestimenta portauerunt, quidnos pleni peccatis omnibus facere debemus? Hæc S.Doctor sanè Anachoretæ, & Monachi illi herbis, & aquâ vescebantur, & nutriebantur.

FATETVR S. Doctor *in Apologia pauperum*, 173
nunc iam ob debiliores naturas plura requiri, sed cauendum ab amore proprio, qui sibi nimis indulgere solet.

DVBITATIO II.

An liceat ad vitandum peccatum, vel aliud malum, se occidere.

ABSQVE dubio, id non licere docet D. Augu- 174
stinus *primo de ciuitate, cap.*25. & 27. & D. Bonauent. *ad* 12. *Ioan.* vbi cum eodem D. Augustino *tract.*51. *in Ioannem*, damnat Donatistas, qui se perimebant in detestationem peccati, & hinc gloriabantur, se coronâ Martyrij mox redimitos iri.

NEQVE hoc licet ad vitandum stuprum. Sic 175
enim Lucia fortissima dixit: *Si me feceris violari, castitas duplicabitur ad coronam.* Ideò eam fortissimam describit S. Bonauent. *in sermonibus.* E contra D. Augustinus 1. *de ciuitate, cap.* 19. reprehendit Lucretiam Romanam, vt pusillanimem, quòd se interfecerit, ne adulterio succumberet violantis Tarquinij. Eam tamen, aliasque excusari posse ob ignorantiam inuincibilem, ait Bassæus; & à multis excusari factum S. Apolloniæ, & adducit multos apud Dianam *part.* 6. *tract.* 7. *Resol.*47. At ista iustificatur ab Ecclesia.

SINERE autem se potius occidi à volente violare 176
laudat, ad periculum consensus declinandum; tenemur etenim sinere potiùs vitam eripi, quàm in Deum peccare; vt arguit S. Doctor loco cit. *Qui amat animam suam, perdet eam, & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam*, Estque communis sententia

Dvbitatio III.

An liceat pro vita proximi, se morti tradere.

177 Prima opinio est negatiua. Ità Durandus 4. *dist.* 17. *quæst.* 6. Paludanus *dist.* 15. *q.* 3. *art.* 2. *contr.* 3. Petrus Nauar. *de restit. lib.* 2. *cap.* 3. *dist.* 3. *num.* 41. & videtur D. Augustini *Lib. de mendacio*, *cap.* 6. Allegatur à Fagundez *Lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 6. & D. Bonauent. 3. *dist.* 19. *quæst.* 3. quia dixerit, stultos esse illos, qui vitam temporalem propriam negligunt, propter vitam corporalem alienam. At S. Doctor alio modo, alioque sensu loquitur; ait enim: Illi stulti reputantur, qui salutem propriam negligunt, vt procurent alienam; loquitur autem iuxta phrasim Christi: *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Hæc ad hunc locum *Lucæ* 9. eleganter disserit Seraphicus Doctor.

178 Cæterum *dub.* 1. *hic.* id licere ait ex iusta causa, & *dub.* 5. dicit, esse perfectæ Charitatis. Quare affirmatiuam sententiam tenet cum D. Thom. 3. *dist.* 29. *quæst.* 15. *art.* 5. *ad* 3. & *Lib.* 1. *de regimine Principum*, *cap.* 10. & 2. 2. *quæst.* 26. *art* 4 *ad* 3. & *art.* 5. *ad* 3. Sic Victoria *relect. de homicidio*, *ad* 5. *num.* 27. Sotus *Lib.* 5. *de Iust. quæst.* 1. *art.* 6. Bannes 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 4. *dub.* 3. Salon. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 5. *ad* 5. Aragon. *ibi ad* 4. Valentia *Tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 4. *puncto* 3. Cordubà *lib.* 1. *quæst.* 38. *ad* 4. Tolet. *lib.* 5. *sum. cap.* 6. Sà V. *homic.* Saytus *lib.* 7. *cap.* 9. *num.* 23. Fagundez *Lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 7.

179 Ratio D. Bonauenturæ, qua vtuntur cæteri, est, quia in hoc casu non diligit magis proximum, quàm seipsum; sed propter honestatem virtutis amicitiæ & propter Deum, ob aliquam causam præcipuam honestatis (addit S. Bonau.) præfert vitam amici.

De hoc egi etiam *in Tract. de Charitate*, *disp.* 8. *quæst.* 34. in qua disputatione egi etiam, quando ob bonum spirituale aliorum teneamur mortem oppetere, *quæstione* 30.

Dvbitatio IV.

Quando nam teneamur pro salute animarum mori.

180 Certum est, in multis casibus nos teneri mortem pro salute animarum subire, iuxta id Ioan. 3. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.*

Probatvr à D. Bonauent. *ad* 15. *Ioannis*, illis Christi verbis: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Id confirmat ex D. Augustino *tract.* 84. *in Ioannem*. Obseruat autem cum D. Gregorio *homil.* 27. *in Euangelia*, nomine amicorum, in dilectionis præcepto, etiam inimicos includi.

181 Hoc autem esse præceptum, asserit Christus, qui etiam addit: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Secundò ad fidei honorem tuendum, tenemur mortem obire.

Probatvr à D. Bonauent. ad illud Lucæ 9. *Qui me erubuerit, & meos sermones: hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua.* Affert etiam id, primo Reg. 2. *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*, idest, in die iudicij. Hæc enim locutus est Deus, exitium minitans æternum Heli, qui peccata horribilia filiorum non reprehenderat. Addit etiam id Ecclesiastici 4. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum.* Ideò & Rom. 1. ait Apostolus: *Non erubesco Euangelium.*

His locis eruit S. Doctor teneri virum doctum loqui, si Christo immineat ignominia, veluti si hæretici hinc glorientur, suas sectas esse veras; & Christianam Catholicam esse falsam Religionem. Ità etiam Saytus *Lib.* 7. *cap.* 9. *num.* 17. Tolet. *Lib.* 5. *summæ*, *cap.* 16. Sotus *Lib.* 5. *de Iust. quæst.* 1. *art.* 7. Fagundez *Lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 10. 182

Præceptvm sanè confitendæ fidei tunc maxime cogit, vt dicitur Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem*, vt innuit *in Diana*, *titulo secundo*, *cap. tertio*, & dixi *disput.* 1. *quæstione* 16. 183

Qvæstio X.

An liceat Matri grauidæ, ad saluandam vitam suam, procurare fœtus abortum.

Abortvm procurare crudelissimum est, si fœtus sit viuus; non enim solùm corpus interimit; sed animam perdit. Ità grauiter admonet S. Bonauent. *in Diæta*, *tit.* 3. *cap.* 4. & *in confessionali*, *cap.* 2. *particula* 13. 184

Assero, non licere abortum fœtus viuentis procurare, etiam ad vitam matris saluandam.

Probatvr à Fagundez, quia proles sine iniuria matris possidet vitam: Ergo fit ei iniuria grauis, si ad saluandam vitam matris interimitur.

Deinde, quia tenemur vitam spiritualem corporali præferre: Ergo, si creditur proles viua nascitura, grauiter delinquitur; dum priuata Baptismo necatur. 185

Ità cum D. Bonauent. Lessius *Tom.* 1. *L.* 2. *dub.* 10. *num.* 67. S. Antonin. 3. *part. tit.* 7. *cap.* 2. Saytus *lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 22. Petrus Nauar. *Lib.* 2. *de restitut. cap.* 3. *num.* 138. & 143. Aragon. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. Fagundez *Lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 29. Bassæus V. *Homicidium*, 1. *num.* 18. Diana *tract.* 5. *miscel. Resol.* 12. *part.* 5.

Addit verò Fagundez, in dubio, an proles sit viua, posse applicari remedia, quia melior est conditio possidentis; mater autem est in possessione certa suæ vitæ: hoc valet à fortiori, si proles non sit animata. Ità etiam Couar. *in Clementina*, *si furiosus*, 2. *part.* §. 3. Syluester V. *medicus*, *quæst.* 4. D. Antonin. 3. *part. tit.* 7. *cap.* 2. §. 2. Lessius, & Petrus Nauarrus, allegati.

Foetvs autem, si masculus est, diebus quadraginta animatur: Si fœmina, octuaginta. Ità Nauar. *sum. Lat. cap.* 15. *num.* 24. Couar. *loco citato*. Lessius *num.* 67. Sà V. *homicid.* In dubio autem an masculus sit, vel fœmina, credendus est masculus, vt aiunt Couar. & Sà. 186

Anatomici aliqui masculo dant 30. dies fœminæ 40. Vide Hexaëmer *de Anatome*, *disput.* 4. *quæst.* 22.

Qværes: An liceat secare alnum matris prægnantis, de cuius vita disperatur, vt puer extrahatur viuus.

Respondetvr.

187 RESPONDETVR, negatiuè cum D. Thom. *in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 1. ad 4.* & *3. part. quæst. 68. art. 11.* Domitol. *lib. 1. quæst. 14.* Corduba *quæst. 38. dub. 2.* Lopez *p. p. Instruct. cap. 63.* Alensis *4. quæst. 8. memb. 7. art. 1.* Gabriel *in 4. dist. 4. q. 2. art. 3. dub. 2.* D. Antonin. *3. part. tit. 4. cap. 13. §. 1.* Syluester V. *Baptismus, 4.* Sotus *in 4. dist. 5. quæst. vnic. art. 11.* Angel. V. *Baptismus, 6.* Tabien. *num. 5.* Armil. *num. 38.* Victoria, *de sacer. quæst. 33.* Ratio est, quia illa sectio est occisio: *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona*: Secari verò mortua potest *L. Posth. ff. de inoffic. test.*

ILLICITVM est etiam dare remedia ad sterilitatem. Vide Fagundez *L. 5. cap. 13.* Sanchez *l. 9. disput. 20.* Id vetat Sixtus V. *de abortu, § 5. & cap. si aliquis, & homicid.* Est enim contra finem generationis. Neque dicas, abortum inanimis esse propiùs contra eum finem.

DICO enim fœtum esse aggressorem vitæ matris; non sic fæcunditatem.

188 OBIICIES nunquam licita est eiectio seminis. Ergo nec fœtus, qui vicinior est generationi.

DICO neque abortum directè intendi. Quod si probabile sit morituram etiam matrem cum filio viuo; at dato remedio saluari matrem; Bassæus ait, posse ei dari potionem.

QVÆSTIO XI.

De Homicidio casuali.

189 HOMICIDIVM casuale est illud, quod præter intentionem fit, vt docet D. Bonauent. *serm. 6. in Decal.* D. Thom. *2. 2. quæst. 64. art. 8.*

PRO homicidiu igitur casuali dat S. Doctor hanc regulam: si dans operam rei licitæ adhibuit sufficientem diligentiam, ne homicidium sequeretur. Si sequatur, nulla ex parte illi imputabitur, quia illa mors neque in se; neque in causa fuit volita; Quare neque erit irregularis. Ità cum D Bonauentura Lessius *Tom. 1. Lib. 2. dub. 15. num. 703.* Suarez *de censur. disp. 45. sect. 5. & 6.* Farinac. *Tom. 4. quæst. 126. n. 74.* Ayrenius *Tract. de homic. casuali, part. 3. num. 20.* Tolet. *Lib. 5. sum. cap. 7.* Fagundez *L. 5. cap. 14. num. 10.* Bassæus, V. *Homic. 2. num. 1.* cum D. Thom. *quæst. 64. art. 8.* vbi Syluius, & Caiet. *ad 2.*

190 IDEM asserunt, etiamsi daret operam rei illicitæ; quia, licèt in hoc esset culpa in ordine ad prohibitionem, puta explodendi bellicum tormentum, vel venandi; non esset tamen in ordine ad homicidium, vel mutilationem; & hoc forsan ait S. Doctor dicens, tunc taliter occidentem excusari à tanto; non à toto.

191 QVÆRES: an occidens alium in subita, & repentina rixa, possit ab irregularitate dispensari per Episcopum, qui iuxta Concilium Trident. *sess. 14. cap. 7.* potest dispensare super irregularitates, contractas ex homicidio casuali occulto.

NEGANT Molina *Tom. 4. de iustitia, tract. 3. disp. 70* Suarez *in 3. part. tit. 5. de censur. disput. 94. sect. 1.*

ASSERVNT Diana *p. p. Tract. 1. Miscell. resol. 19.* Didacus Perez *Lib. 8. ordin. tit. 13. in Rubr. fol. 256.* Auila *Tract. de censur. part. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 1. & sect. 5. dub. 5.* Coninchius *de sacr. disp. 18. dub. 14. num. 11.* Rodriquez *in summa, p. p. cap. 177.* Henriquez, & Salzedo apud Dianam, Fagundez *L. 5. cap. 12. num. 11.*

IN D. Bonauentura solùm inuenio *in confessionali, cap. 5. particula 49. casu 1.* dispensationem casualis ad Episcopum deduci, non voluntarij homicidij; hoc autem est voluntarium. 192

QVÆSTIO XII.

An possit IVDEX *morte damnare innocentem, qui in iudicio probatus est reus.*

HVCVSQVE egimus de homicidio, priuatâ authoritate facto; nunc de homicidio ex publica potestate agendum. 193

PRIMO suppono, teneri iudicem ex Charitate sub mortali liberare innocentem à morte, si potest viâ aliquâ, etiamsi probetur nocens, siue id faciat, accusatores terrendo, vel impediendo, siue testes secretissimè examinando, &c.

DEINDE fatentur multi, Iudicem teneri, quando insontem nequit liberare, illius innocentiam in auditorio manifestare.

TERTIÒ dicunt, teneri Iudicem inferiorem adstrictum allegatis, & probatis ad insontem damnandum, mittere; ad superiorem cum informationibus, probationibus, atque indiciis illius innocentiæ. 194

TOTA difficultas est: an, quando non potest aliquid horum fieri, liceat insontem morte damnare, vel aliâ pœnâ.

PRIMA opinio est, imò teneri iudicem eum damnare. Ità D. Thom. *2. 2. quæst. 67. art. 2.* & *quæst. 64. art. 6. ad 3.* & ibi omnes Thomistæ. Sotus *L. 5. de Iustitia, quæst. 4. art. 2.* Petrus Nauar. *L. 2. de restitut. cap. 3. num. 157.* loquens solùm de ciuilibus, Couar. *lib. 1. var. cap. 1. num. 6.* Nauar. *summa Latina, cap. 25. num. 13.* Bartol. *Lex, Illicitas, §. Veritas, ff. de offic. præsidis*, Innocent. *cap. Venerabilis, de censibus*, Archidiac. *in cap. 1. de offic. ordin.* Cardinal. & Ioan. Andrea *in cap. Pastoralis, de offic. delegati*, Glossa *ibi, §. quia vero*, Syluest. V. *Iudex 2. num. 5. & 6.* Tolet. *Lib. 5. summa, cap. 6. num. 11.* Fagundez *in 5. Præceptum Decal. cap. 14.* Caietan. Bannes, Salonius, Aragon. *2. 2. quæst 67. art. 2.* Valentia *Tom. 2. disp. 5. q. 11. punct. 2.* Sayrus *L. 12. cap. 8. n. 13.* Strouerdorf. *de Iustitia, 2. 2. quæst. 67. art. 2* Lezan. V. *Iud.* Tanner. *tract. 3. disp. 4. quæst. 4. dub. 2. num. 51.* inclinat tandem Corduba *citando loco*, Diana *part. 5. tract. 4. Resol. 22.* 195

SECVNDA sententia negat omninò, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, posse iudicem damnare innocentem modo dicto; sed teneri officium dimittere, etiamsi sciat, nihil profuturum, quando nullâ aliâ viâ eum liberare potest. Imò addit hæc opinio, teneri eum liberare, etiamsi vitam esset amissurus. Ità docent Lessius *Tom. 1. dub. 29. L. 2. num. 78. & 82.* Lyranus *in cap. 23. Exodi*, explicans illud: *Innocentem & iustum, &c.* Adrianus *quodl. 6. art. 3.* Angelus V. *iudicare, num. 7.* Petrus Nauarrus *L. cit. num. 161.* Host. Calder. Panorm. *cap. Pastorali de offic. deleg.* Cordub. *lib. 1. quæst. 37.* vbi 16. argumentis pugnat (etsi in calce deuiet) Raynut. *in gloss.* cum Syl. V. *Iud. 2. quæst. 5.* Sà *num. 13.* Bonac. *tract. 1. disp. 20. q. 2. punct. 2.* Filliuc. *tract. 40. cap. 6. q. 5.* Syluius *2. 2. quæst. 67. art. 2.* Bassæus V. *Iudex, num. 5.* Bictus *quæst. 138.* 196

TERTIA opinio est, in causis quidem ciuilibus, & grauibus, & in criminalibus minoris momenti, posse Iudicem procedere secundùm probata: At in causa mortis, teneri reum absoluere. Ita Less. *Tom. 1. L. 2. cap. 29. disp. 10. num. 84.* Petrus Nauar. *L. 2. de restit. cap. 3. num. 157.* Aragon. *2. 2. quæst. 60. art. 5.* 197

DIANA *part.5. Tract. 4. resol. 22.* concludit; Si Iudici graue damnum obueniret ex depositiona officij, non tenetur illud deponere; sed potest damnare; & remittit ad Filliucium *Tom. 1. tract. 48. cap.6. num. 171.* & alios. Idem ferè habet Tostatus *ad cap. 23. Exodi, quæst.6.*

198 QVID senserit D. Bonauentura, aperiam. Igitur *serm.6. de decem præceptis*, ait, Publicum Legis Ministrum posse occidere, dummodo adsit iusta causa, iustus ordo, & iustus animus. Iusta causa debet adesse, quia dicitur Deuter. 16. *Quod iustum est, iustè exequêris.* Hinc debet esse etiam iustus ordo procedendi. Item debet esse ex amore Iustitiæ, non libidine vindictæ, & ità aderit iustus animus. Et *in speculo animæ, cap. 2. post medium*, eadem ferè habet.

PRÆCLARE verò secundam tuetur sententiam *part. 2. de Ecclesiastica Hierarchia, cap.2.* Eamque probat. Et rursus *part. 4. cap.3.* subscribit.

ADEO mihi altè defixa est hæc sententia, vt summopere mirer, tot Proceres Theologos ab ea deuiare.

199 ASSERO igitur, Iudicem nulla ratione posse damnare vllâ pœnâ, maximè autem mortis, innocentem, quantumuis secundùm allegata, & probata dignus sit morte.

PROBATVR à D. Bonauent. primò, *serm 6. in Decal.* in Deuter. 16. *Iudices, & Magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas: vt iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent. Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. Iustè quod iustum est persequêris: vt viuas, &c.* Vbi Hebræus habet: *Iustitiam, Iustitiam sequêris; vt viuas.*

200 ALLVDIT autem *ad 23. Exodi*, vt postillæ Marginales aduertunt, vbi habet: *Insontem, & iustum non occides: quia auersor impium*, vbi Pagninus: *quia non iustificabo impium.*

VT autem phrasim hanc percipiamus, oportet adnotare cum D. Bonauent. *loco cit.* Tostato *quæst.6. in 16. Deuter.* Non satis esse iustum agere, nisi iustè fiat, quia modus pertinet in moralibus ad speciem actus. Neque enim sufficit iustum agere, sed oportet, vt iustè agatur; sed non est iustum, innocentem damnare, etiamsi iustum sit iudicare secundùm allegata, & probata; Nam innocentem damnare est grauissimum crimen contra ius naturæ: at iudicare secundùm allegata, & probata, est tantùm secundùm Leges humanas *extra de constitut. cap. Canonum statuta*, & *cap. Ne innitaris prudentiæ tuæ*, & *Cod. de legibus*, & *Cod. de iuris, & facti ignorantia in Lege, Constitutiones.*

201 SVNT quidem Leges, & Canones, iuxta politica, cadentia in partem iuris naturalis, vel in partem iuris positiui, vt patet *in 5. Eth.* attamen si per accidens aberrent à iure naturali, non sunt ità interpretandæ, ac si in omnem euentum præcipiant: decernunt autem iudicandum secundùm allegata, & probata ex eo, quòd requiritur recta notitia Rei, data iudici, vt ferat sententiam; inter probata autem minoris ponderis sunt, quæ vera vndecunque veniunt.

202 IGITVR Deus, qui est suprà Leges, præcipit, ne duo occidantur, scilicet innocens, & ne occidatur iustus. Profectò esset idem repetere, quia in tali casu idem esset innocens, ac iustus. Iam verò Innocentem prohibet condemnari, idest eum, qui falsis testibus probatus nocens, sed reuerà est innocens; & tu ô Iudex scis, vt priuata persona, hunc non occides. Iustum verò ne occidas, idest, eum, qui ità probatus fuerit in iudicio; & hoc modo exponitur ab ipso Tostato.

203 EN duplex illa iustitia, Deuter. 16. *Iustitiam, Iustitiam sequêris*, idest liberando tam innocentem, probatum in foro reum; quàm eum, qui probatus est iustus.

HOC argumento dissoluta omnia aduersantia fundamenta, sumpta ex necessitate Legum, iudicandi secundùm allegata, & probata. In contrarium enim stat *hic*, lex Diuina, & Naturæ in hoc casu.

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *loco cit. Ecclesiastica Hierarchia*, ex Prouerb. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. Si dixeris: Vires non suppetunt: qui inspector est cordis, ipse intelligit, & seruatorem animæ tuæ nihil fallit, redditque homini iuxta opera sua.*

204 EN in ordine ad iudicium internum conscientiæ iubet, insontes, à legibus damnatos morte, sedulò liberare, quia scilicet ius est Diuinum, & Naturale, vt clamant Doctores nostri.

RIDEO aduersantium responsum, iustè iudicari secundùm naturam, dum iuxta allegata, & probata iudicatur, quia bonum publicum anteponitur, dum innumera scandala arcentur,

HÆC sunt verbula blanda. Vbi enim scandalum, dum innocens liberatur, & Iudex protestatur publicè se id scire in sui fidem honoris?

IMO totius orbis plausu hæ sententiæ excipiuntur, sicuti excepta fuit liberatio Susannæ, quæ sola diuersitate modica arboris, sub qua accusabatur lapsa, comprobata est insons.

205 QVOD verò in ore perpetuò versant, Ius naturale præcipere, vt iudicetur secundùm allegata, & probata, & quamuis hic ordo sit iuris positiui, tamen teneri illum seruare Iure naturali, vt respondet Fagundez; adeò ridiculum est, vt & parcos sapientis risus ad Cachinnos prouocet. Vbi enim aliquod ius merum positiuum ad sui obseruantiam cogit iure naturæ? Sanè ius obseruantiæ oritur ex iure legis. Ecquod verò bonum publicum est, vt damnentur insontes? Nùm, quia iterum leges damnant iuxta allegata? Esto ita sit; cùm tamen leges sunt humanæ, nonne cum suis epickeiis sunt saltum sumendæ.

206 PORRO finis legis, est cor legis, Iubetque iudicare secundùm allegata, & probata, vt iustè iudicetur secundùm veritatem, quæ obuia semper est iustitiæ. Quod si publicæ conclamationi, vt persona publica, tenetur iudex arridere, sicut clamant Fagundez, & alij in suo præcipuo fundamento; eant, & tumultuanti plebi credant, clamanti contra CHRISTVM: Crucifige, qui tamen sola priuata interrogatione probatus fuerat innocens. Sanè Pilatus inde non excusatur.

207 BONVM publicum est, quod Reipublicæ magis proficuum est. Nihil autem magis necessarium, quam fouere, & tueri innocentes, vt latè discurrit S. Doctor *part. 2. Ecclesiast. Hier. cap. 2.* Scandala timent isti zelotes. Quod maius scandalum, quàm vias sternere ad calumnias, & mortem innocentibus struere? Appage istud scandalum.

VRGANT, Iudicem esse personam publicam, atque adeo non id, quod vt persona priuata nouit, sectandum.

EIA! Scire vellem: an vtatur notitiâ scientiarum, & artium, quas, vt priuata persona, in Vniuersitate inter studia hausit.

SED

208 Sed audiamus D. Bonauenturam *loco allegato de Eccl. Hierarchia, Parte 2. cap. 2.* Virtutes dicuntur Angeli, propter fortem, & immutabilem virilitatem in Dei imitationem, Deiformem motum non derelinquentem. Hæc omnia, figuratiuè intellecta, sunt ad illos, qui iudicandi recipiunt potestatem, referenda. Nam vt pax, & concordia in Christi Ecclesia habeatur, Iustitia è Domino est ordinata; Psalm. 71. *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam. Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. Quia liberabit pauperem à potente, & pauperem, cui non*
209 *erat adiutor.* Quia non esset pax in montibus, idest, in superbis hominibus; nisi esset iustitia in collibus, idest, in bonis, & humilibus prælatis, ac iudicibus, in quibus virilitas, seu virtuositas Angelica requiritur, vt nec benedictione, nec maledictione, à rectitudine iustitiæ moueantur, sicut de Dauid, 2. Reg.14. *Tu autem Domine mi Rex, es sicut Angelus Dei, qui nec maledictione, nec benedictione mouetur.* Fortis igitur, & virilis debet esse Iudex, ne timore, odio, vel amore à iustitia deflectatur. Ideò datur consilium in Ecclesiastico, cap. 7. *Noli quærere fieri Iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates, ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum*
210 *in æquitate tua*, & Sap. 6. *Audite reges, & Iudices, qui iudicatis terram, vobis data est virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, & non excidatis. Qui enim custodierint iusta iustè, iustificabuntur.* Et Ecclesiastici 44. *Homines diuites in virtute, &c. Pacificantes in domibus suis*, sunt igitur Virtutes quo ad virilem iustitiæ executionem.

211 Item, propter virtuosam Iustitiæ defensionem. Nam dicitur Eccl.4. *Pro iustitia agonizare, & vsque ad mortem certa pro Iustitia*, &c.

Item, propter Diuinæ Sapientiæ imitationem. Humana enim iustitia Diuinam debet, pro vt est possibile, imitari, & ne erret per ignorantiam, diuino lumine illustrari; Ideò dicitur, Sapient. 6. *Diligite lumen sapientiæ, qui præestis populis.*

212 Item, propter celerem, & virilem oppressorum liberationem Virtutes dicuntur Iudices: Nam Iudex virtuosus innocenter oppressos viriliter eripit, & facienti iniuriam, totis viribus se opponit. Vnde in Prouerb. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem. Quod si dixeris: Vires mihi non suppetunt: qui inspector est cordis ipse intelligit, & seruatorem animæ tuæ nihil fallit, & reddet vnicuique iuxta opera sua.* Vbi Hebræus: *Erue captos ad mortem, & nutantes ad occisionem prohibebis*, & Iob 29. *Eo quòd liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non erat adiutor. Conterebam molas iniqui, & de dentibus eorum eruebam, Benedictio perituri super me veniebat.* Vbi Hebræus: *Benedictio pereuntis super me veniebat.*

Isaiæ primo. *Iudicate pupillo; subuenite oppresso.* Vbi Hebræus: *Dirigite affectum iniuria.*

213 En munera personæ publicæ à D. Bonauent. è Scripturarum penu exposita.

Et ad 6. *Sapient.* Obseruat apparatum Spiritus Sancti, vt iudices admoneat: *Melior est sapientia, quàm vires. Audite ergo reges, discite iudices, &c.* Ratione sumpta ex periculo officij eorum. Ideò &

Prouerb. 1. *Audiens sapiens sapientior erit: & intelligens, gubernacula possidebit*, & ad cap.19. Ioan.
obseruat, Pilatum, qui secretò cognouerat innocen- 214
tiam Christi, eum tamen iniquè ex testimoniis condemnasse, & affert illud Prouerb. 17. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.* Et grauiter considerat, Christum de veritate adeo grauiter disseruisse cum Pilato, quia in ea consistebat tota æquitas iudicij, vt secundùm veritatem iudicaret Præses, innocentem eripiendo è manibus calumniantium. Quia verò sciens insontem damnauit, certissimè Diuina ita ordinante Iustitiâ damnatus ab Imperatore, & à Deo est reprobatus.

Omnes, agmine constipato, iaciunt argu- 215
mentum D. Thomæ, quod quidem Bannes vocat moralem demonstrationem. Iudex in iudicando publicam sustinet Reipublicæ personam: ergo debet vti scientiâ tantùm publicâ, quæ ipsi communitati probabilis reddatur. Confirmatur, quia homo non debet eâ vti sententiâ, quæ viam fraudibus aperit. Idipsum satagunt probare authoritatibus Patrum, & Canonum, quos refert Tannerus *numero* 52.

Respondetur facilè cum D. Bonauent. 216
allegatis locis. Personam publicam teneri ad insontium defensionem, atque adeo ita se gerere, vt in facie Reipublicæ sit innocentiæ asylum, vt suprà ostendi. Neque verò fraudibus viam aperit, qui certâ vtitur priuatâ scientiâ, imò timendum à falsis testibus, quibus totus redundat orbis.

Porro Sancti Patres, & Canones iniungunt debitam publicè solertiam in causis agendis.

QVÆSTIO XIII.

An possint Principes *dare licentiam occidendi bannitos.*

De hoc solùm id inuenio in S. Bonauentura, 217
serm. 6. in Decalogum, ministros iustitiæ posse impios necare, dummodo id fiat zelo iustitiæ, non appetitu vindictæ.

Quærunt autem: An possint tunc insidiosè occidi. Affirmant Decius *cap. Quæ in Ecclesiarum, de constit. num.* 14. Bossius *in pract. titulo bannitus.*

Negant verò Mantua *consil.* 200. Angel. *Lex, finali Cod. de delator.* Alexander *in postilla ad Bartol. ad eandem Leg. finali.*

Quidquid verò sit de his, in quibus vide- 218
tur hæc secunda opinio tenenda ob animæ salutem miseri illius; si tamen aliquis dedisset fidem bannito eum non offendendi, atque eum occideret, dignus esset supplicio extremo, vt asserunt Iulius Clarus *L. 5. sentent. §. Homicidium, num.*61. & Fagundez *Libro 5.cap.16. num.*12.

QVÆSTIO XIV.

De Restitutione debita ex homicidio, vel mutilatione.

219 CERTVM est primò, homicidam teneri ad restitutionem expensarum, pro curatione factarum: *Lex, Qua actione in principio, ff. ad Legem Aquiliam*, & *Lex, ex hac lege, ff. si quid paup. fecisse dicatur.*

De Iure etiam canonico patet *cap. 1. de iniuriis, & damnis datis.*

SECVNDO tenetur restituere lucra, quæ erat cumulaturus occisus, vel mutilatus, aut vulneratus *Lex, Qua ait, ff. ad L. Aquiliam*, & *Lex ex hac Lege*, & *in Iure can. loco cit.* Vbi Iuristæ. Ea igitur lucra sunt restituenda, detractis his, quæ expendisset ipse, scilicet victu, vestitu, &c. in cursu vitæ.

220 VITÆ autem cursus in Legibus ad 60. annos computatur, *Lex computationis*, & *Lex. Hereditatem, ff. ad Leg. falcidiam.* Hæ tamen leges solùm locutæ sunt de alimentis deputatis ad vitam pro foro externo.

MELIVS computatio fiet, consideratis prudenter omnibus, sanitate, ætate, arte, & aliis. Ita Lessius *Tom. 1. Lib. 2. cap. 9. dub. 20. num. 159.* Menoch. *de arb. qq. Lib. 2. casu* 121. Fagundez *L. 5. cap. 18. num* 8. & alij apud eum.

Hæc autem restitutio cogit etiamsi occisor decolletur. Ità Nauar. *cap. 15. num. 22.* Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 22.* Couar. *lib. 1. var. cap. 10.* & alij contra Scotum 4 *dist. 15. quæst. 3.* Fagundez *num. 29.* & alios.

HÆREDES homicidæ tenentur restitutioni, modò reliquerit bona libera, in quibus succedunt. Addit Bassæus *num. 10.* probabiliter non teneri restituere creditoribus occisi, neque iis, quos occisus liberaliter alebat.

221 EXISTIMANT verò multi, non esse hæredibus restituenda, qui non sunt pater, filij, vxor, aut tales, quos occisus tenebatur al re. Ità Lessius *dub. 26. num. 155.* Sotus *Lib. 4. de Iust. quæst. 6. art. 3. ad 3.* & alij.

OPPOSITVM tamen censent Farinac. *Tom. 4. quæst. 119. de Homicidio, num. 127.* Abbas *in cap. 1. de iniuriis, & damnis datis.* Socinus *ibidem, num. 57. & 63.* Ratio est, quia omne ius defuncti transit ad hæredes, quicumque sint. Huic subiuit Bassæus *n. 21.* cum vtroque Nauarro.

222 AN vero etiam pro iniuria homicidij teneatur homicida restituere pecuniam, arbitror ad mentem D. Bonauenturæ, non teneri, quia non est eiusdem ordinis. Ità communiter DD. apud Fagundez *cap. 20.* etsi Bassæus *num. 5.* cum aliis repugnet, si hæredes egeant.

QVÆRVNT etiam: An si Titius occideret Petrum, & de homicidio damnetur innocens Caius, teneatur Titius restituere Caio?

COMMVNITER negant, eum teneri, si tamen non animaduertit Titius damna, quæ sequi poterant Caio. Ità Less. 2. *cap. 9. dub. 16. num. 110.* Sotus *L. 4. de Iust. quæst. 6. art. 3.* Nauar. *summa Latina, cap. 15. num. 17.* Zecb. *de casib. reseru. casu* 12. Lazarius Papiensis *de qq. Canon. quæst. 6. sect. 3.* Fagundez *cap. 17. num. 3.*

223 SI verò præuidit, & noluit cauere; aliqui dicunt, eum teneri ad restitutionem. Ita Lazar. *quæst. 11.* Corradus *p. p. quæst. 128.*

OPPOSITVM tamen docet Less. *Lib. 2. cap. 9. dub. 16. num. 112.* & alij apud Fagundez *loco citato, num. 6.* Idipsum ait Lessius, etiam si hac intentione occidisset Petrum. Idem sentit Fagundez.

QVÆSTIO XV.

An liceat aliquando mutilatio membri.

D. Thom. quæst. 65. art. 1.

MVTILATIONEM esse illicitam per se, asserunt omnes cum D. Bonauent. *in speculo animæ, cap. 5.* & D. Thom. *quæst. 65. art. 1.* & alij: Licitum tamen est publico Magistratui mutilare aliquem; sicut occidere ob iustam causam. Hoc S. Doctor supponit *serm. 6. in Decal.* Ratio est, quia pars ob bonum totius debet dari, vt ait etiam D. Thom. & Valentia *disp. 5. quæst. 9 puncto vnico.* 224

IN casu etiam, quo Chirurgi existimens necessarium mutilare; non tenetur, si id faciendum erit magno dolore. Ità Sotus *Lib. 5. de iust. quæst. 2. art. 1.* Lessius *Tom. 1. tract. 2. dub. 14. num. 96.* Fagundez *in 5. præceptum, lib. 5. cap. 13. num. 6.*

EXCIPE verò, si is sit Princeps, vel maximè necessarius Reipublicæ; tunc enim etiam cum magnis doloribus tenetur pati mutilationem. Ità allegati, Petrus Nauar. *lib. 2. de restit. cap. 3. num. 102.* Sayrus *lib. 7. cap. 9. num. 39.* Fagundez *num. 8.*

NEQVE verò tenetur, aut potest se aliquis mutilare, etiamsi à Tyranno esset occidendus, si nollet. Ità D. Thom. *art. cit.* Sotus *lib. 5. de iust. quæst. 2. art. 1.* Salon *2. 2. quæst. 65. art. 1.* Ratio est, quia est contra ius naturæ posse tamen ait Bassæus *num. 32.* etiam casu, quo sic esset effugiendum. 225

QVÆSTIO XVI.

An liceat alium carceri mancipare, aut verberare.

D. Thom. art. 2. & 5.

NON licere priuata authoritate aliquem carcerare, docet S. Doctor *in speculo animæ, cap. 1.* Ratio est, quia hoc est inferre nocumentum quoad motum membrorum, vt innuit S. Bonau. *loco cit.* & D. Thom. Liceret tamen alicui, habenti curam, carcerare, v. g. filium, vel seruum, ad aliquod damnum graue, euitandum; magis vero id licet iudici in custodiam, vel pœnam, vt docent omnes. 226

QVO ad verbera, licet Patri filium verberare, & Domino seruum. 227

Admonet tamen S. Bonauent. *in speculo animæ*, ne fiat crudelitate. Est enim crudelitas, atrocitas animi in exigendis pœnis pro peccato, sicuti feritas cùm quis sæuit in proximum, absque eius culpa, in quibus, si grauis sit excessus, ait S. Doctor esse mortale.

DISPVTA

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

DISPVTATIO XVII.

De Furto, & Rapina.



VRTVM, & Rapina germano fœdere ex Auaritia ortum ducunt, ambo pacis, & Iustitiæ emolumentis insidiantur; Furtum quidem fraudulenter, & clam; Rapina verò palam, & violenter. Prius committitur vel iniquè accipiendo, vel iniustè detinendo, vel denique dolosè circumueniendo. Vtroque omnis lex temeratur, & quidem naturæ ius violatur, cuius clara vox est: *Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis.* Item & Lex Scrita *Exodi* 20. iniustam rei alienæ contrectationem inhibet: *Furtum non facies*: Lex autem gratiæ à fortiori furtum prohibet, cùm suum pauperibus dare cuique præcipiat. Verum si vrgente necessitate, qua res redeant in commune, vel iubente supremo rerum Domino, ad cuius nutum omnia licent, res aliena contrectatur, vti filiis Israël aurea Ægyptiorum vasa furtipientibus contigerat, non peccatur, sed meritum potiùs obedientiæ cumulatur; hoc tamen meritum, liceat cuique gratissimum, attingunt pauci. Hæc discutiam, postquam de dominio aliqua præmonuero.

▬▬▬▬▬▬▬▬▬▬▬▬

QVÆSTIO I.

Quid sit DOMINIVM.

{ D.Bonau.in cap.6.Regul. & aliis locis.

1 DOMINIVM oportet præintelligere, vt furtum, & rapinam, dominio insultantes, agnoscamus.

MVLTIS autem modis definitur Dominium: Optima est illa: *Dominium est facultas, quam quis habet vsurpandi rem independenter ab alterius voluntate, in suumque commodum, quolibet vsu lege permisso.* Ità ferè definitur à Soto *l.4. de Iust. quæst.1. art.1.* Gregorio de Valentia *disp.5. quæst.10.p.1.* & aliis. Eruitur ex D. Bonauentura *in cap.6.* Regulæ nostræ ibi. *Fratres nihil sibi approprient*, vbi dominium ait significare idem, ac proprietatem rei; vt proprietas distingui solet à nuda rerum possessione. Ei adhærent Theologi, ac Iurisperiti omnes. Hanc definitionem hoc pacto examinat, & declarat *in Opusculo* ad Magistrum innominatum.

2 EANDEM prorsus definitionem explicat re, dum tradit eam aliis locis *in Apologia pauperum, cap.1. tertia responsionis.* Vide etiam Sotum *l.4. quæst.1.art.1.* Couar. *l.1. var. cap.15.* Valentiam *quæst.10. puncto 1.* Molinam *disp.6.* Vasquez *p.2. disp.169. num.31.* Tannerum *disputatione 4. quæst.1. dubio 2.*

DICITVR *Facultas*, seu potestas propria, vt ait Sotus. Dicitur, *quam quis habet vsurpandi rem in suum commodum*, vt excludantur iura superiorum erga inferiores, quæ non sunt dominia, cùm non respiciant vtilitatem superiorum ipsorum, sed inferiorum; non enim propter seipsos faciunt superiores ea, quæ erga subditos constituunt, sed propter illos, & ob publicam vtilitatem.

EXCIPE dominium Dei, quod proprium est, ordinans ad se, tanquam ad vltimum finem, vt differit S.Doctor *in 1. dist.30. art. vnico, quæst.1. in resol.* Dicitur: *Quolibet vsu lege permisso*, vt excludantur aliqua dominia peculiaria, quæ non ad omnia extenduntur, puta ad alienandum, vendendum, &c. Eodem fere modo definitur à Gersone *tract. de potestate Ecclesiæ, consider.13.* & *tract. de vita spirituali, lect.3.* Conrado *quæst.1. de contract.* 3

HINC habes etiam, tantumdem significare descriptionem dominij, latam à D. Thom. *quæst.67. art.1.* dicente, Dominium consistere in potestate vtendi rebus exterioribus, quasi propter hominem factis.

Ex hac definitione colligit S.Doctor *præfatis locis*, Fratres Minores non habere dominium rerum, etiam consumptibilium vsu, vt panis, vini, pecuniæ, &c. quæ illis conferuntur in eleemosynam; sed tantummodò merum vsum, vt definit Nicolaus III. *in cap. exiit de verb. significatione, in 6.* non enim possunt vti illis rebus independenter à dominis earum; etiamsi vsum habeant ad consumptionem, quamuis non ex voluntate dantis illæ res absolutè darentur Fratribus, tamen illi eas accipiunt cum dependentia continua ab eo, vsque dum res absumptæ sint. Et hoc sensu intellexerunt Fratres, & Pontifex Nicolaus declarauit, ac S.Doctor edisserit, vt notat Valentia *loc. cit.* Sotus *de Iust. l.4. quæst.1. art.1.* Bannes *de dominio, quæst.1.* Bellarminus *Tom.1. l.4. de summo Pontifice, cap.14.* Azorius *lib.12. cap. vlt.* Sayrus *l.9. cap.7. dub.9.* Sanctes *in cap.6. regula*, cum Policio *ibi*, Suarez *Tom.2. disp.28. sect.2.* Lessius, *l.2. cap.3. dub.8.* Tanner. *disp.4. quæst.1. dub.2.* 4

Ex quo facilè dirimitur lis cum aliis, qui mordicè sustinent, dominium harum rerum esse penes Fratres, quia in his rebus, quæ vsu consumuntur, non videtur posse distingui vsus à dominio. Qui enim facultatem concedit pane, & vino vtendi, ecquod sibi dominium eorum reseruat? Ità sentiunt D. Thom. *quæst.78. art.1.* D. Antonius *4. p. tit.12. cap.4. § 4.* Caietanus *ad loc. cit.* D. Thom. Sylvester *v. Dominium, quæst.2.* Turrecremata *l.2. de potestate Ecclesiæ, cap.112.* in fine, vbi nititur definitio Ioan. XXII. in Extrauag. *Ad Conditorem*, & in Extrauag. *Cum inter nonnulles*, & in Extrauag. *Quia quorumdam*, vbi declarat (citra tamen fidei definitionem) & probat hanc opinionem. Sic autem intelligendus est, vt ex parte quidem dantium, res omnino dentur Fratribus; attamen non propterea vult, Fratres cogi eas res recipere, & tenere independenter ab earum dominis, atque adeo non impugnat statum nostrum; vt malè Sanctes mussitat *loco citato*; non enim hoc sensu voluit Ioannes probare, nostram sententiam esse falsam, vt monet Valentia *loc. cit.* Tannerus *disp.4. quæst.1. dub.2.* Bellarm. *l.4. de Pontifice, cap.14.* 5

NEQVE verò sufficit ad dominium vsus, sed requiritur independentia, & vsurpatio ad omnia, vt possint res vendi, alienari, &c. Veluti si aliquis inuitet ad prandium aliquos, res illæ exhibitæ sunt sub dominio inuitantis, quamdiù sunt, donec consumptæ. ita respondet S.Doctor ad regulam Minorum, & dicam *quæstione 2.* 6

7 QVOD si vsus in his non differt à dominio, cùm Monachi *ex cap. ad Monasterium, de statu Monachorum*, non habeant proprium particulare, non possent habere vsum rerum consumptibilium, quæ essent sic proprietarij, vt differit *sanctus loco cit.*

HABENT igitur vsum *facti* quoad has res, non vsum *iuris*, vt docet D.Bonau. & cum eo Salonius *de Iustitia, quæst.1. art.2.*

QVAMVIS autem dantes eleemosynas intenderent transferre dominium, tamen cum ad dominium necessaria sit etiam voluntas acceptantis, & Fratres Minores, eas non accipient, vt domini; sequitur, eos non habere dominium; & hoc sensu neque D.Thom. aut cæteri reclamant; neque Ioannes XXII. oppositum declarat. Porrò hæc est apparens controuersia istorum Pontificum, quæ ad concordiam redigitur; ex quo malè aliquis deduceret, eos opposita declarasse; sed quidem in sensu nostro conueniunt, neque rem fidei in tota Ecclesia disputarunt, sed præsim pro vna tantùm Fratrum familia declararunt.

8 DOMINIVM porrò ab vsu esse distinctum in rebus vsu consumptibilibus, probat S. Bonau. *ad cap.6. regulæ*, quia vt ait Lex, ff. de peculio, *Vestis, qua vtitur seruus, est de peculio Domini.* Et alibi dicit, quod id, quod acquiritur seruo, acquiritur domino.

IN opusculo verò *contra Innominatum*, aduertit, quod quamuis materialiter dantes eleemosynas cogitent dare absolutè Fratribus, tamen implicitè intendunt dare modo, quo licitè recipiant; non enim volunt eorum perditionem, atque adeò, cum ipsi nequeant habere dominium independentiæ; neque dantes intendunt sic erogare eleemosynas.

9 QVOAD vsum quarumdam rerum, quæ primò non consumuntur, quales sunt Libri, & vtensilia Sacrarij; sic edisserit S.Doctor *opusc. cit.* Regulam non prohibere, vt nihil habeamus; oportet enim, volentes prædicare, habere libros; volentes celebrare, Missalia, &c. Proprietas verò harum rerum non est nostra, sed Papæ, & harum curam habere debet Eminentissimus Protector, cuius signum est, quod nec vendere; nec alio modo valent Fratres hæc omnia
10 alienare. Quod si mordicus sustineas, neque esse hæc Ecclesiæ, tandem ait S.Bonau. cuiuscumque sit bonorum proprietas, non est mea, vt declaro, & protestor; Ecquis autem adeò mentis erit impos, vt dicat, me inuitum posse possessionem rei retinere, cum alij plenis voluntatibus ad possessiones inhient?

QVÆSTIO II.

Sitne licitum, habere proprium dominium rerum.

11 NOTA, dominium, quod Ius in re dicitur, vt ostendi *disp.23. quæst.1.* de Iustitia, esse duplex, *Iurisdictionis*, & *Proprietatis.* Dominium Iurisdictionis est potestas quædam superioritatis, seu vis gubernandi subditos. Dominium proprietatis est ius quoddam disponendi de re aliqua, tanquam sua, & in suum commodum.

DOMINIVM Iurisdictionis aliud est Diuinum, seu Increatum: Aliud humanum, seu creatum. Dominium creatum aliud est Ecclesiasticum proprium, scilicet Prælatorum Ecclesiæ ad bonum spirituale: Aliud est Politicum, seu temporale ad publicam pacem. Talis est potestas Regum, & Imperatoris.

12 DOMINIVM temporale aut merum est, aut mixtum. Merum est potestas, seu ius gladij ad animaduertendum in facinorosos. Imperium mixtum, est simplex potestas iurisdictionis cum modico iure coërcendi, iure coniuncta, vt videre est apud Bussonium, & apud Tannerum *disp.4. quæst.1. dub.2.*

NEC ab hac diuisione longè abest illa dominij partitio in *Altum*, & *Bassum.* Altum diuiditur pro regiminum varietate in Democratiam, Aristocratiam, & Monarchiam.

DOMINIVM proprietatis ex parte obiecti, aliud est perfectum, seu plenum, quod complectitur rem & omnia commoda eius: Aliud imperfectum, quod vel sola proprietate sui absque commodis, vel solo vsu, seu commodis rei contentum est. Hoc dicitur dominium Vtile; illud verò Directum. 13

ADEO licitum nonnulli asseruêre rerum dominium, vt eapropriationem penitus damnarent Religiosam, quos tamen elegantissimè simul, ac validissimè refellit Seraphicus Doctor *in Apologiis paupertatis.*

DOMINIVM vniuersaliter omnibus concessum hominibus constat ex Genes. primo: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus.* Et Deuter.15. *Dominaberis nationibus plurimis, & nullus tibi dominabitur*, vt ostendit S.Doctor *p.2. Ecclesiastica Hierarchia, per tria capita.* 14

SIC mulieres virorum dominiis subiicit, Genes.3. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Sic & gentes Regibus subdidit, &c. Vide D.Bonau. *loc. cit.* vbi agit de dominio, & subiectione hominum, quæ tamen non est proprium dominium, iuxta definitionem traditam, quia nequeunt subditis ad omnia vti, vendere, occidere, &c. ad libitum. 15

IAM verò, an liceat hominibus, maximè legem Christi profitentibus, peculiare dominium rerum externarum obtinere, expendam.

FVERE diuisiones quidem rerum à tempore, quo iure gentium factæ sunt, ab omnibus vsque ad Christum approbatæ; soli tamen Plato, & Socrates obstiterunt, volentes, omnia esse communia, etiam vxores, contra quos agit Aristoteles 2. *Polit. a cap.1.* 16

TEMPORE verò gratiæ fuêre nonnulli hæretici dicentes, omnia esse debere communia, etiam vxores, vt refert S.August. *hæresi 40.* & Epiph. *hæresi 32.* tribuens eam Carpocrati.

MOX vero aliqui è Pelagianis, copiam rerum in Christianis damnarunt. Eos refert S.August. *lib.2. de gratia Christi, cap 15.* & *epist.160.* Fuit autem hic error damnatus in Concilio Palæstino, cui S.Augustinus interfuit.

POSTEA alij hæretici dicti Vadiani, & Antropomorphitæ, teste August. *hæresi 50.* negabant, licitum esse, saltem Ecclesiasticis, habere aliquid proprium. Hos secuti sunt Vuiclephistæ, & Anabaptistæ; qui error damnatus est in Concilio Constant. *sess 8.*

ASSERO igitur, licitum esse dominium, ac diuisionem rerum, omnibus, etiam Ecclesiasticis, & Religiosis, iuxta cuiusque ordinis institutum. 17

ASSERTVM hoc omnibus Catholicis est infallibile, illudque potius supponit, quam probet S.Doctor *in Apologiis paupertatis*, solumque conatus est probare, licitam esse etiam rerum abrenunciationem religiosam, quæ prærequirit earum dominium.

PROBATVR ergo assertio à S. Doctore ex *Iosue 10.* vbi Sacerdotes, & Leuitæ veteris Legis habuêre possessiones, & agros, ex Dei constitutione. Hoc latè prosequitur S.Bonau. *cap.3. responsionis tertiæ in Apologia pauperum.* Ibi tamen enixè ostendit, 18
malè nonnullos cum Vigilantio hæretico dednaisse,

etiam

etiam perfectionem summam Euangelicam requirere possessiones, & dominia, atque adeò religiones expropriatas, esse superstitiosas, quippè in veteri testamento non figuratas, nam Leuitæ illi fuêre vmbræ remotissimæ; habuêre enim etiam vxores & filios, cùm tamen in Euangelio suadeatur à Christo *Matthæi* 19. Castitas, & Paupertas. Illa dum dicitur: *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.* Paupertas verò: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Quem locum pensitans D. Bonauent. *cap.3. primæ responsionis*, admonet, triplicem esse statum perfectionis, quæ in charitate exurgit.

19 P R I M V S est necessitatis, & consistit in obseruantia præceptorum. Secundus consilij, & stat in adimplendis consiliis euangelicis. Ideo Christus, cùm primum statum aperuisset: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Mox perfectionem hortatur altiorem: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes; & da pauperibus*, adeò vt expropriatio rerum non sit præcepta, licèt proposita. Tertium statum perfectionis, ait S. Doctor, esse in patria, de qua Prouerb. 4. *Iustorum semita, quasi lux splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectam diem.* De hac D. August. primo soliloq. cap. 6. *Verè perfecta virtus est ratio perueniens vsque ad finem, quem beata vita consequitur; & tunc est charitas consummata.*

20 P R O B A T V R secundò à S. Doctore *cap.1. primæ responsionis*; nam & collegium Apostolicum loculos habuit ob condescensionem imperfectis exhibendam, vt ait Hugo *in Psalm. 91. cap.64.* sic etiam explicat idem Sanctus Doctor ad eum locum *Ioan.* 12. & de paupertate Christi, contra Guillelmum *art.* 1. ex Glossa in id Psal. 103. *Producens fœnum iumentis*, & ex D. Hieronymo ad eum locum, vbi ait, habuisse loculos pro aliis pauperibus.

I D E M probat S. Bonau. *in cap.2. respon. secunda, Apol. pauperum*, ex ingentibus opibus, quæ datæ sunt à Deo Salomoni, vt Templum ditaret, & Sacerdotes.

21 I D E M probat *cap.3. tertia respon. ex Genes.* 12. vbi Dominus præcepit quidem Abrahæ, vt exiret de terra sua, sed obediens Deo: *Egressus est Abraham, sicut præcepit ei Dominus: Tulit Saram vxorem suam, & Lot filium fratris sui, vniuersamque substantiam, quam possederant in Haran.* En rerum dominium Abrahæ relinquitur à Deo, etiam in statu veteris perfectionis.

I N I P S V M probat S. Doctor exemplis amicorum Dei, Iacob, Ioseph, Dauid, Iob, qui possedêre amplissimas opes. Vnde obseruat, Iob restitutas esse opes multiplicatas.

A D D I T tamen cum D. Bernardo, in sermone super id: *Ecce nos reliquimus omnia*, illos diuites antiquos non fuisse in apice perfectionis, dum erant ditissimi.

P R O B A T V R secundò in eisdem Apologiis ex SS. Patribus, asserentibus, esse perfectionem, non præceptum, relinquere dominium rerum.

22 S. A V G V S T. de bono coniug. cap. 8. *Benefaciebant, qui de suâ substantiâ Christo, ac discipulis eius, necessaria ministrabant; sed melius, qui omnem substantiam dimiserunt, vt expeditiores eundem Dominum sequerentur.*

G R E G O R I V S, homil. 16. in Ezech. *Cùm quis suum aliquid Deo vouet, & aliquid non vouet, sacrificium est; cùm verò omne Deo vouerit, holocaustum est.*

I D E M habent Ioan. Chrysostom. lib. *Quod nemo læditur, nisi à seipso.* Et D. Bernard. *epist.* 42.

D. P R O S P E R de vita contemplatiua *lib.2. cap.9.* laudat Paulinum, & Hilarium, quod sponte sua pauperibus erogarunt, licèt ratione Episcopalis officij Ecclesiastica bona postea dispensauerunt, vt habetur dist. 12. quæst. 1. *Expedit facultates Ecclesiæ possideri, & proprias perfectionis amore contemni.* Id refert S. Doctor etiam *ad cap. sextum Regulæ.*

G L O S S A in id primæ Timot. 6. *Habentes alimenta, &c. etsi nihil intulerimus in hunc mundum, non tamen abiicienda hæc temporalia.* Subdit tamen, melius fore, vt propter Christum abiicerentur. 23

I T I D E M Glossa ad ea verba, 2. Cor. 8. *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat*, multas alias authoritates Sanctorum refert *respon. prima cap.3.* & *responsionis tertia cap.1. & 2.*

P R O B A T V R tertiò à D. Bonau. rationibus, sumptis è 2. *Polit. cap.3.* Imò è Scripturis, primò enim paupertas violenta inducit ad peccata; vt dicitur Eccles. 17. *Propter inopiam multi deliquerunt.* 24

S A L O M O N verò *Prouerb.* 30. aiebat: *Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi; sed tantùm tribue victui meo necessaria, ne egestate compulsus furer, & peierarem nomen Dei mei.* Hæc sanè dicta sunt, tempore legis veteris, vt aduertit Chrysost. *homil.* 18. *in epist. ad Hebræos.* Ideò *Eccles.* 17. dicitur: *Vtilior est sapientia cum diuitiis.*

P R O F E C T O, si vitam ordinariam naturalem, & ciuilem aspiciamus, illud profectò comperiemus, egere singulos singularibus rei familiaris præsidiis, vt sollicitus quisque de multis non sit, & pacifice viuat.

O B I I C I V N T primò, Lucæ 14. *Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Idem autem est discipulus Christi, & Christianus: Ergo non potest esse Christianus diues. 25

R E S P O N D E T S. Doctor *opusc. de paupertate Christi, cap.1.* ex Glossa, Christum velle suos discipulos renunciare, idest affectu, vt ita vtantur mundanis, quæ possident, vt tamen mente tendant in Deum, & hoc omnibus discipulis Christi, idest Christianis conuenit; at relinquere omnia, solis perfectis conuenit *Matth.* 19. Ideò Apostolis, qui perfectum statum consiliorum elegerant, suasit, Matth. 10. *Nolite possidere aurum.* Et *ne quid tollerent* Matth. 6. Ita etiam Valentia *puncto secundo.*

O B I I C I V N T etiam multos Sanctos Patres, qui proprietatem rerum reprehendunt. Clemens I. *epist.* 5. & refertur 12. *quæst.1. C. dilectissimi.* Basilius *serm. ad diuites auaros*, circa id Lucæ 12. *Congregabo omnia, quæ nata sunt mihi.* Ambrosius *serm.* 81. & refertur *cap. sicut y, dist.* 47. Ideò ait Aristoteles 2. Polit. cap. 3. *Amicorum omnia debent esse communia.* 26

R E S P O N D E T S. Doct. *loc. citat. de paupertate Christi, art.3.* ex PP. Ambrosio *l.2. offic.* Chrysostomo *loc. cit.* & aliis, sensum esse, diuitias nihil adiumenti præstare ad vitam beatam, quod apertè Christus testatur dicens, Matth. 5. *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cælorum*; sunt enim occasiones peccatorum; propterea dicuntur: *Mammona iniquitatis*, quia, vt dicitur Eccles. 11. *Si diues fueris, non eris immunis à delicto*, vt latè prosequitur S. Bonau. ad eum locum *Lucæ* 16.

A D id de amicis, dico cum Valentia, omnia debere esse communia in necessitate, exceptis his, quæ turpitudinem inducunt, vt vxores, quæ nunquam fuere communes, vt probat Tertullianus *Apologetico contra gentes, cap.* 39. 27

Q V A N D O autem facta sit hæc diuisio rerum, facilè expeditur factam esse ex adunatia nationibus iure gentium. Quod si facta esset iure naturæ, contra naturam esset rerum communio, quod patet esse falsum ex vsu primitiuæ Ecclesiæ, & diuersarum nunc Religionum,

gionum, apud quas proprietas abdieatur. Nunc verò omnium rerum diuisio, seu iurisdictio, si de nouo fiat, fit iure ciuili, seu positiuo, vt ait D.Thom. *art.2. ad 1.* & patet *ff. de legibus, & Constit. Principum, l.1.* Vnde rectè D.August. *tract.6. in Ioan.* & refertur *dist.8. cap.* Quo iure: *Tolle* (ait) *iura Imperatorum, & nullus audebit dicere: hac Villa est mea.*

28 O M N E S autem iurisdictiones ità sunt appropriatæ, & diuisæ, vt nemo priuatus non sit subditus alicui *dist.99. C. Nullus, & 25. quæst.8. C. de Ecclesiasticis.*

E S T autem hîc circa dominium iurisdictionum ex certa, & omnium communi sententia adnotandum, Principes siue Ecclesiasticos, siue sæculares minimè esse dominos rerum, aut etiam personarum, sed solùm cuiusdam in subditos potestatis, quæ iurisdictio vocatur, vt notat Valentia *disp.5. quæst.10. punct.2.* ad finem, & dicitur dominium Altum, quod tamen ad bonum tantùm publicum vrgens, vti potest.

N E Q V E obstat id, quod dicitur, primo Reg.8. *Hoc erit ius regis: Filios vestros tollet; & agros, & vineas, & oliueta, &c.* Nam ius significat etiam vsurpatum, quo volebat Samuël terrere Iudæos.

29 Q V O A D alias res, non omnes sunt diuisæ, vt patet *in Institutionibus de rerum diuisione*, vbi habetur, flumina, venationem, piscationem, & huiusmodi mansisse communia.

D I S P V T A N T hi: quot modis acquirantur dominia.

D V O B V S autem modis acquiruntur. Primò Inuentione, & occupatione, absque eo quod dominium ex alio transferatur. Secundò per legitimam dominij translationem ex vno in alium.

Q V O A D acquisitionem dominij per inuentionem, satis disserui *disput.24.*

30 Q V O A D translationem dominij, potest fieri, vel à Diuinâ voluntate, explicatâ iure naturali, vel iure diuino positiuo. Sic Deus transtulit dominium thesaurorum Ægyptiorum in Iudæos, *Exodi 12.* vt aduertit S.Bonau. *2. dist.40. dub.8.*

S E C V N D O potest fieri voluntate possidentis, dummodo id faciat sponte, non deceptus, neque à lege aliqua impeditus.

T E R T I Ò potest fieri legibus humanis positiuis.

Q V A R T Ò sententiâ Gubernatoris interueniente: Potest autem voluntaria renunciatio fieri ob bonum commune; aliquando enim aliqui peruersè dominium transferunt, sua bona dilapidando.

31 Q V O P A C T O autem dominium transferatur per ludum, dixi *disp. de restit.* Quo pacto etiam per contractus; dicam *disputatione 1. Tract. de contract.*

E X his habes etiam, diuisionem dominij in dominium singularis personæ proprium, & dominium alicuius communitatis, de quo S. Doctor *in Apologia Pauperum, responsionis tertiæ cap.1.* Ex quo fit, vt duplex etiam sit renunciatio dominij, maximè in Religione. Vide Seraphicum Doctorem *loco citato.*

32 P O R R O tot sunt genera Dominiorum, quot sunt ordines Iurium, concedentium illud, vt Naturale, Diuinum, &c.

QVÆSTIO III.

Quid sit FVRTVM.

D.Bonauent p.1. Centil. sect 31.
D.Thom 2.2.q.66.art.3.

F V R T V M definiri solet à Theologis: *Furtum est* 33
occulta acceptio rei alienæ. Sic D. Thom. *quæst.66. art.3.* Hanc definitionem approbat, è Iuristis, Couar. *Relect. in Regulam Peccatum, p.2. § 1.* hoc enim ipso quod dicitur occulta acceptio, significatur Fraudulenta, inuito domino. Ideò clarius definitur à D. Bonau. *p.1. Centil. sect.31.* vbi ait: *Furtum est occulta, & ignorante domino, & inuito, alienæ rei contrectatio.* Et in speculo animæ, capite 2. *Furtum est occulta rei alienæ contrectatio, inuito domino.* Et serm.6. decal. *Furtum est attrectatio rei alienæ, inuito domino.*

A D V E R T I T autem, furtum debere esse furtiuum, & per occultam fraudem; alioqui si fit per apertam violentiam, erit rapina; vel si per occultam, dicitur latrocinium; ex quo etiam elicit cum D.Thom. sub furto contineri omnes fraudulentos contractus, quibus proximus rationabiliter inuitus fraudatur re suâ. Vnde etiam detentio iniusta rei alienæ est furtum, vt ait etiam D. Thom. *ad 2.* & Valentia *disp.5. quæstion.10. p.4.* & D.Bonau. *in speculo animæ, cap.8.* in fine, qui etiam *in 3. dist.37. dub.7. litterali* eadem vtitur definitione.

C O N S T A N T E R igitur vbique S. Doctor per 34
contrectationem definit furtum, quæ non significat merè contactum materialem, vt putant Sayrus, Valentia, & Fagundez, carpentes hunc terminum; sed contrectationem formalem, quæ est acceptio, vel vsurpatio, vel ablatio. Sic vocabulo *contrectationis* definitur à Iuristis *ad Leg.1. §.furtum, ff. de furtis, & Instit. de obligatione, quæ ex delicto &c. §.8.* quam explicant Iulius Clarus *l.5. sent. §. Furtum.* Et Nauar. *in summa, cap.17.* & Syluest. *v. Furtum.* Saltem contrectationem esse conditionem, sine qua furtum esse non potest, vt fatetur *lib.1. §.1.* concedit Sayrus *lib.9. cap.13.* qui tamen in ea non quiescit.

E X dictis habes, Furtum differre specie à Rapi- 35
na, vt docent D.Bonau. suprà, D. Thom. *quæst.66. art.4.* Caietanus *ibi*, Lessius *lib.2. cap.12. dub.1.* & Iurisconsulti *ad Leg.1. §.1. & seq. ff. de vi bonorum raptorum*, Molina *Tract.4. disp.683. & 684.* Fagundez *in septimum præceptum, l.7. cap.1. num.14.* Rapina enim duo requirit, scientiam, & violentiam illatam domino: furtum autem neutrum horum requirit; Ideò rapina grauior est. Insuper furtum est inimicum luci, cum in occulto soleat fieri, non item rapina, iuxta illum versum.

Fur non est latro, quia tempore fur rapit atro: 36
Tempore non atro rapit omnes res tibi latro.

QVÆSTIO IV.

Quæ quantitas requiratur ad mortale in Furto.

M E R I T Ò hîc dici potest illud: *Quot capita, tot* 37
sententiæ, quas refert Diana *p. 1. Tract. 17. resolut.57.* & *Tract. de paupertate religiosa, resol.36.*

P R I M A opinio est Nauarri *in Manuali, cap.17.* vnum, & dimidium regalem esse quantitatem notabilem

bilem, quæ furtum mortale constituat; aut duos, vel ad summum duos, & dimidium. Ita etiam Tolet. *l.5. cap.16.* duos Iulios assignat; est enim apud Italos idem Iulius, ac apud Hispanos Regalis, vt ait Fagundez *l.7.cap.1. num.15.*

SECVNDA opinio est Cordubæ *in summa, quæst.109.* & Salonij 2.2. *tom.1. quæst.66. art.6. contro.1.* qui dicunt absolutè, vnum argenteum esse materiam grauem, seu quatuor vel quinque regales diuitibus surreptos; inopibus autem vnum, vel duos.

38 TERTIÒ Bartholomæus Medina *prima secunda, quæst.88. art.8.* cum multis aliis dicit, non esse furtum mortale, nisi ad summam duorum argenteorum ascendat.

QVARTÒ Gregorius de Valentia *Tom.3. disp.6. quæst.19. punct.16.* Rebellius *p.1.l.3. quæst.15. sect.2. num.52.* asserunt, absolutè esse lethale furari tres argenteos.

QVINTÒ Vega *in summa tract.1. cap.129. casu 12.* docet, quatuor, vel quinque regales constituere notabilem materiam furti.

SEXTÒ Molina *de Iust. t.3. disp.685.* ait, tantum valoris, quantum pecuniæ datur vna die fossori terræ, videri mortale in ordine ad eos, qui non sunt valdè diuites.

39 SEPTIMÒ Bartholomæus à S.Fausto *in speculo disp.2. quæst.18. num.26.* & Sayrus *l.9. cap.15.* trium Iuliorum summam definiunt grauem, etiamsi à ditissimo auferatur; à mediocri autem duos Iulios; à paupere tandem vnum argenteum, vel Iulium ablatos, constituere materiam grauem. Sic & Sanctes noster *in cap.6. Regula,* vnum Iulium nobis pauperibus imponit miseris.

OCTAVÒ Bonacina *de contract. disp.2. quæst.8. p.1. num.7.* distinguit dicens, Furtum esse graue pro varietate personarum, quibus res aufertur. Si enim persona sit illustris, opulens, splendida, nummus aureus erit materia grauis; si verò sit diues ordinarius, viuens de suis redditibus, quatuor regales: Si sit persona se suo sustentans artificio, duo regales; quartò, si pauper sit, vnus regalis.

40 HANC opinionem, quam tenet etiam Nauarrus *de restit. l.3. cap.1. num.39.* & Reginaldus *in praxi, T.2. l.21. cap.1. quæst.4. num.19.* ait Diana esse probabiliorem cæteris, dicendo, quantitatem notabilem, respectu diuitum, esse circiter vnius nummi aurei, seu sexaginta assium; respectu verò personarum communium, circiter 20. assium; & respectu pauperis, circiter 7. assium.

41 NONA opinio est Rodriquez *in summa t.5. cap.118. num.27. & 29.* illam esse notabilem quantitatem, quæ excedit duos aureos, atque Angel. *v. Furtum, num.34.* & Syluester *eodem verbo, quæst.2.* tenent hanc sententiam in ordine ad opulentos. At verò hanc opinionem doceat Sotus *l.5. de iust.quæst.3. art.3. ad 3.* negat Vasquez *opusc. de restit. cap.5. §.1. dub.5. num.30.* sed asserit Turrianus, Bartholomæus à S.Fausto suprà, & Aragon. 2.2. *quæst.66 art.6. causa 10.* Lessius, vbi infrà, & communiter Doctores; & circa totam hanc quæstionem vide Megalam 2.1. *l.2. cap.1. quæst.3.* Rebellium *de oblig. inst. p.1.l.3. quæst.15. sect.1.* Graffium *p.1. l.2. decis. cap.97. n.27.* Bannem 2.2. *quæst.66. art.6.* qui satis laxam opinionem ponit. Malderum 2.2. *tract.4. cap.1. disp.3.* Lessium *l.2. cap.12. dub.6. num.19.* Azorium *p.3.l.5. cap.13. quæst.2.* Medinam *C. de restit quæst.10.* Tolet. *summa, l.5.cap.16.* Turrianum 2.2. *T.2.disp.33.dub.2.* Sanchez *Tom.2. l.7. cap 20.* Cenedum *de paupertate relig. dub.33.* Conradum *in resp. p.1 cap.166.* Sayrum *l.9. cap.15. qui num.11.* refert opinionem Bannis 2.2. *quæst.66. art.6.* dicentem; si aliquis dispensator Regis auferret 200. aureos, non esse materiam grauem.

STEPHANVS Fagundez *num. cit.* ait, melius rem hanc iudicio prudentis relinqui, consideratis personis minus, aut magis ditibus, & locis, &c. Ita etiam Couar. *l.1. variar. cap.3. num.12.* Syluest. *verb. Furtum, quæst.2.* Ioan. Medina *de contract. quæst.10.* Caspensis *tract.18. disp.5. sect.4.* Ideò Sanchez *t.2. decal. l.7. cap.10. num.5.* asserit, generaliter in Hispania, eò quòd regio sit ditior, quatuor argenteos esse quantitatem mortalem. Idem sentit Suarez *Tom.3. de Relig. l.8. cap.6. num.10.* Tali iudicio subscribit Bassæus *v. Furtum 1. num.4.* 42

ASSERIT igitur Fagundez primò respectu Regum, Principum, & Prælatorum locupletissimorum, & hominum ditissimorum, summam duorum, vel trium ducatorum esse mortalem ex obiecto suo. Allegat Rodriquez *in summa, cap.149.* Sotum, Rebellium, Lessium, Couarruuiam, Syluestrum suprà, Petrum Nauarrum *l.3. de restit. cap.1. num.35.* Suarium verò *loc. cit.* & Maiorem *4. dist.15. quæst.25.* probabiliter, ait, assignare respectu harum personarum quantitatem vnius aurei. 43

ASSERIT secundò, respectu hominum mediocriter diuitum, quatuor argenteos constituere quantitatem mortalem, aut ad summum, addito dimidio. Ita etiam Sanchez *t.2. Decal. l.7.cap.10. num.5.* Suarez *loco citato.*

ASSERIT tertiò, respectu pauperum quantitatem centum dipondiorum, vel ad summum additis 20. esse mortiferam. Adducit Rodriquez, & Aragonium, ac Nauarrum.

TANDEM ait: Si attendamus ad loca, & vrbes magis, vel minus pecuniosas, & vbi res viliùs, aut chariùs venduntur, probabile esse, Olisipone, Hispali, Parisiis, Venetiis, Londini, Lugduni, Romæ, & aliis locis valdè pecuniosis, & opulentis, quantitatem quatuor, aut quinque regalium, seu denariorum esse mortalem in furto, respectu etiam hominum mediocriter diuitum. In Brasilia autem, aut in Indiis occidentalibus, vbi abundant pecuniæ, & res magno venduntur, mortalis erit quantitas Iuliorum 15. contra Lopes *p.1. cap.92.* dicentem, duorum regalium summam in India esse mortiferam. 44

QVOD si è quantitate præscripta desint quatuor, vel quinque quadrantes, concludit adhuc, esse mortale, quia, quæ parum distant, nihil distare videntur. Deinde hæ quantitates non sunt Mathematicè, sed moraliter accipiendæ, vt benè docet Lessius *l.2. cap.12. disp.6. num.32.* 45

IN D.Bonau. non inuenio quantitatem aliquam
præfixam; solùm *in specula animæ, cap 2.* ait: Hoc
tamen aduertendum, quod tam modica res posset
esse, vel tam modici valoris, quod non haberet ra-
tionem mortalis, nisi fortè adesset voluntas maius ac-
cipiendi, si facultas adesset, vel in illo modico esset al- 46
terius notabilis damnificatio; plus enim quandocum-
que damnificatur pauper in paruo, quàm diues in
magno. Sic etiam alij antiqui Theologi iudicio pru-
dentis totum negotium remittunt, vt notat Sayrus
l.9. cap 15. num.9. nihil speciale statuentes.

EXISTIMANT ergo, materiam grauem cen-
sendam, iuxta grauitatem damnificationis. Itaque stat
cum vltima sententia, vt pro varietate personarum,
locorum, &c. computanda sit grauitas rei ereptæ. Il- 47
lud tamen monet, rem ex genere leuem, posse ex
damnificatione fieri grauem. Afferunt exemplum, si
aliquod artis instrumentum ab aliquo auferas, quo
notabiliter lucratur, etiamsi sit acus, nec habeat
aliud

aliud simile. Consentiunt Suarez *loc. cit. num.16.* Tolet. *l.5. cap.6.* Petrus Nauar. *l.3. de restit. cap.1. num.33.* Lessius *l.2. cap.12. dub.12. num. 33.* Nauar. *summa, cap.17. num.3.* Sanchez *T.2. l.7. cap.20.* Fagundez *l.7. cap.2. num.2.* Ratio est, quia grauis damnificatio est contra iustitiam grauiter, & cogit ad restitutionem *C. si culpa tua, de iniuriis, & damno datis.* Sic & Tanner. *disp.4. quæst 8. dub.6.* referens Aragonium, Bannem *quæst.66. art.6.* Bartholomeum Medinam *quæst.86. art.2.* Valentiam *quæst.10. p.5.* Rebellium *l.3. de iust. quæst.15. sect.2. & 3.* Azor. *s.3. l.5. cap.13. quæsito 1.* Lessium *lib.2. cap.12. dub.6.*

48 Mvlti dicunt, idem sequi, si aliquis furetur rem paruam, ob quam scias Dominum iratum irrupturum in percussiones graues alterius. Eos refert Fagundez *num.5.*

Oritvr hic dubitatio, an furari in Ecclesia rem non sacram sit sacrilegium, ratione circumstantiæ loci Sacri, & iniuriæ illi illatæ.

49 Sententia olim communis fuit, absolutè furtum, ratione circumstantiæ loci Sacri, fieri sacrilegum, eamque tenent etiam Recentiores plurimi, vt refert Fagundez *l.7. cap.2.* & Diana *p.1. tract. de circumstantiis aggrauantibus, resol. 27.* Tuentur eam Paulus Layman *l.4. tract.10. cap.7. num.18* Suarez *de Relig. Tom.1. l.3. cap.4. num.7.* vbi ait, esse communem sententiam.

Probatvr ex verbis Ioannis Papæ in cap. Quisquis, dist.17. quæst.4. *Sacrilegium committitur auferendo Sacrum de sacro; vel non sacrum de Sacro; aut sacrum de non sacro.* Igitur cùm Lex non distinguat, an illa res non sacra sit in custodia, vel deposito, vel possessione Ecclesiæ, non videtur distinguendum, vt distinguunt multi; sic enim habetur *regula Lex, de pretio, ff. de publican.* nisi alia lex cogat, vel ratio. Sequuntur Raphaël de la Torre *2.2. s.2. quæst.99. art.1. disp.7.* Rebellius *p.1. l.3. quæst.15. num.25.* cum Reginaldo *T.2. l.23. cap.1. num.12.* Menoch. *de arbitrar. l.2. cent.4. casu 389. num.14.* & Petrus Ledesma *summ. Tract. de pænit. cap. 10.* Hæc est sententia D.Bonau. *in 3. dist.37. dub.7. litterali.*

50 Commvniter verò distinguunt, vt suprà innui, & dicunt; si res illa sit in deposito, vel iure, vel simili, esse sacrilegium; non autem aliter, si sit crumena eius, qui est in Ecclesia. Ita Sotus *in 4. dist.18. quæst.2. art.4.* Ioan. de Cruz *p.2. direct. de Sacramento Pænit. quæst.3. disp 6.* Fagundez *lib.7. in septimum præceptum decal. cap.2. num.10.* Henriquez *l.2. cap.6. num.5* eamque probabilem censet Diana, & Raphaël de la Torre, ac Lessius *lib.2. cap.45. dub.3. num.14.* Zerola *praxi de pænit. cap.12. quæst.17.* Eandem tuentur Cano *5.p. relectionis, §. Multa hic,* Caietanus *tomo 1. opusc. 31. resp.12. dub.1.* Lopez *Instruct. p.1. cap.33. §. At verò.*

51 Ego quidem, sequor sententiam D.Bonauenturæ, qui ponit tres species sacrilegij. Prima est furari rem Sacram, *v.g.* Calicem sacratum de loco sacro. Secunda, rem sacram de loco non sacro, vt calicem sacratum de domo artificis. Tertia, rem non sacrã de loco sacro, *v.g.* crumenam in Ecclesia; sic præter allegatos distinguunt Sà, *v. Sacrilegium,* Sylnest. *ibi, §.2.* Rosella *ibidem,* Nauar. *Manual. Lat. cap.6. num.4. & cap.17. num.95.*

52 Enim verò nos habemus ex iure Canonico declarationem Ioannis Papæ, nec stare debemus Iuri ciuili, quod vt detur actio sacrilegij in furem, requirit vt res sit sacra, & ablata de loco sacro, vt refert Iulius Clarus *l.5. sent. §. Sacrilegium.*

Neqve Fagundez, qui Canonem illum refert, quicquam respondet, nisi Canonem innuere nostram sententiam: Sed eam apertè asserit, vt vidimus, & fatetur Diana, qui neque verbum ei respondet, vt se defendat.

Obiicivnt, per accidens esse, rem illam existere in Ecclesia.

Respondet D.Bonau. locum illum, & si physicè addat tantùm accidens, moraliter tamen addere speciem. Est enim loci magna irreuerentia; & res illa est fidei iussa Ecclesiæ; dum, qui religioni intenti sunt, ideò in tuto debent habere id, quod in ea habent; & furari, est sacratum locum lædere; sicuti & alia fœda in templo committere, est ipsum profanare. 53

Dvbitatio Vnica.

Quæ sit quantitas grauis furti Filiorum, uxoris, & Religiosorum.

D.Bonau. in 4 dist 15. p 2. art.2 quæst 1. & in Spec. animæ, cap.2.

Non est adeò seuerè iudicandum id, quod eripit, vel furatur filius patri, vel uxor viro, sicuti quod ab extraneo aufert, vt admonet Fagundez *in 7. præceptum, l.7. cap.3.* ex D. Bonau. *in 4. dist.15. p.2. art.2. quæst.1.* De his omnibus autem agit S. Doctor *in speculo animæ, capite 2.* 54

Oportet autem distinguere multa genera bonorum in familia, è quibus potest esse vt Filius quædam assumat.

Primò enim sunt bona Castrensia, quæ Filiusfamilias, seu nondum emancipatus, in militia acquirit, & ea, quæ ex tali peculio acquirit, *Leg. castrense, ff. de peculio castrensi.*

Non longè abeunt bona, quasi Castrensis, quæ filius acquirit publico aliquo officio, vel aliqua arte, ex septem liberalibus, vt si sit Medicus, Aduocatus, Magister, &c. itaque non erunt bona quasi castrensia, quæ ex arte ordinata ad priuatum emolumentum adipiscitur; vt arte Sutoris, vel simili.

De his possunt liberè disponere, vt docent communiter Doctores, dummodò non sint impuberes; tunc enim de his testari non possunt *Leg. vlt. Cod. de testamento militis.* Et ita neque donare, vendere, aut quouis modo alienare, etiam de consensu Patris, *Instit. de inutil. stipulat. § pupillus;* potest tamen consentiente tutore, si eum habeat, alienare, vt notat Molina *disp.130. §. licet.* Ratio diuersitatis est, quia tutor tenetur pupillo, si malè authoritatem præbeat, non sic pater; vt aduertit cum Molina Fagundez *in 7. præcept. l.7. cap.4.* 55

Tertiò sunt bona profectitia, quæ filio adueniunt, causâ, & occasione Patris, & quæ ab ipso Patre obtinuit, vel eius pecunia acquisiuit, vel ei legata sunt intuitu Patris. Hæc omnia sunt patris, & quoad vsumfructum, & quoad dominium, seu proprietatem, ac proinde erit furtum, aliquod inuito parente accipere, & tenetur ad restitutionem. 56

Hinc monet S.Doctor *in 4. dist.15. p.2. art.2. quæst.1.* & cum eo Fagundez *num.51.* vt caueant hi, qui cum filiis mercatorum negotiantur, aut ludunt; tenentur enim illi hæc omnia in integrum restituere, si extent, aut mala fide lucrati sunt; si autem bona fide, tenentur restituere ea, in quibus ditiores sunt facti.

Svnt alia bona, quæ Aduentitia dicuntur, quæ ex parte matris, vel ex industria adueniunt, & in his 57

habent

habent filij dominium, & proprietatem; patres verò vsumfructum tantùm. Ita Molina *T.1. disp.9. & 232.* Syluester, & alij, quos sequitur Fagundez *num.21.* Da his non potest, inuito patre, tollere, alioquin erit furtum.

QVANTITAS verò in fillis, vt materiam attingat grauem, amplior constituitur, quàm in extraneo. Bannes 2.2. *quæst.66. art.6.* ait, neque quinquaginta aureos à patre diuite furatos, esse materiam grauem. Fagundez *cap.3. num.3.* dicit non videri mortale, si filius furetur duo regalia supra dimidium, si pater est Mœchanicus, si verò mediocriter diues, non esse mortale septem argenteos sumere. Quod si diues admodum sit, non peccabit, etiam furando tres aureos. Vide & Lessium *T.1. l.2. cap.12. de iniuriis fortuna, dub.13. num.36.* & Petrum Nauarr. *de restit. l.3. cap.1. num.66.* Caspens. *Tract.18. disp.5. sectione 7. Bass.2.*

58 ITAQVE si grauem quantitatem furetur, tenebitur restitutioni, vel Patri, vel fratribus in diuisione. Hæc verò esse peccata probatur ex Prou.28. *Qui subtrahit a Patre suo aliquid, & à Matre, & dicit, hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.*

QVOAD Vxores, certum est, eas peccare lethaliter, si grauem quantitatem auferant à maritis inuitis, ad donandum aliis. Ita communiter Doctores apud Molinam *T.2. de Iust. disp.274.* Fagundez *cap.8. num.1.* cum D.Bonau. *in 4. dist.15. loc.cit.* Ratio est, quia maritus habet vsum fructum omnium bonorum.

ADMONENT tamen cum D. Bonau. in multis casibus, non peccare vxorem, si à marito aliquid clam furto accipiat.

59 PRIMÒ, si quantitas non sit notabilis, spectatis facultatibus. Concedunt autem vxori duplo ampliùs, quàm filio, vt notauit Rebellius *prima parte, lib.3. quæstion.15. sectione 13. num.16.* Fagundez *num.2.* cum aliis.

SECVNDÒ, si donet secundùm vsum aliarum vxorum. In his enim mariti sunt irrationabiliter inuiti.

TERTIÒ, si in extrema alicuius necessitate donet.

60 QVÆRVNT autem, an si habeat amplam dotem, possit dare absque mariti licentiâ quinquaginta, vel sexaginta aureos ad aliquem vsum honestum, puta nutrici suæ, vel alius filiæ ad dotem.

NEGANT Nauar. *in Man. cap.17. num.155.* Cabedo *p.1. decis.107.*

ASSERVNT Molina *T.2. disp.34. §. ex dictis* Fagundez *l.7. cap.8. num.11.* cum D. Bonau. *in 4. dist.15. loc. cit.* vbi licèt quantitatem præfixam non statuat; tamen indicat, posse de sua dote distribuere, & de suis paraphernalibus, hoc est, de bonis, quæ cùm nupsit, sibi reseruauit ad proprios vsus. Idem dic de bonis, quæ constante matrimonio illi obue-
61 niunt per hæreditatem, vel donationem. Horum enim mulier habet dominium, & administrationem iure communi, ideò potest, quantumuis vir repugnet, de his dispensare. Ità etiam D.Thom. *quæst.32. art.8.* & alij apud Dianam *p.5. tract.8. resol.34.* vt dixi *disput. de Eleemosyna.* Sunt alij casus, in quibus dicunt Theologi, posse vxorem assumere de rebus familiaribus, etiam mariti, vt si eorum bonorum relicta est ei administratio, quia maritus est prodigus, vel amens. Vide Dianam *loc. cit.* & Fagundez *lib.7. cap.8.*

62 SIMILITER & vir, si dissipet bona sibi cum vxore communia; soluto matrimonio, tenetur vxori ad restitutionem ille, vel eius hæredes. Vide Fagundez, *cap.9.* Tannerum infrà citandum, qui rectè monet, spectandas in omnibus prudenter personarum conditiones, diuitiarum copiam, amoris vehementiam, &c.

QVOAD Religiosos, censent Doctores, quantitatem computandam ad regulam furti filiorum. Ita Sanctius *lib.7. de Relig. cap.21. num.31.* Rebell. *lib 3. de iustitia, p.1. quæst.15. sect.3. n.22.* Caspensis *tract.18. disp.5. sect.7.* Graff. *p.1. decis. l.3. cap.5. num.51.* Tanner. *disp.4. quæst.6. dub.6.* Fagundez *cap.5.* qui addit tamen, comparandos cum filiis mediocriter diuitum, & ideò quinque argenteos circiter esse graue furtum extra ea, quæ debet ei conuentus, qui tenetur ei ad victum, & vestitum necessaria suppeditare; vt ait S.Doct. *in Apol. pauperum, cap.1. responsionis 3.* Sed de bis *quæst.7.* agam. 63

QVÆSTIO V.

An Furtum sit mortale quando, pluribus minimis factis furtiolis, superuenit particula, faciens rem grauem.

QVIA multis modis potest hoc euenire, multas etiam quæstiones aduocat.

POTEST enim esse, vt furtiola omnia fiant ex intentione aggregandi rem grauem; potest esse etiam, vt sine hac intentione ea fiant. Rursus potest esse, vt furtiola illa fiant eidem personæ, vel pluribus diuersis; ab vno dipondium vnum; ab altero alium auferendo. 64

QVOAD primum. Assero primò, eum, qui ab initio intendit ab vno auferre quantitatem grauem, peccare lethaliter eâ intentione; & postea, dum furtiola committit singula, mortaliter etiam peccare. Ita docent communiter. Sanchez *Tom.2. decal. l.7. cap.21.* Less. *tom.1. l.2. cap.12.* Fort. *dub.7. num.36.* Rebellius *p.1. l.3. quæst.15. sect.4. num.30.* Petrus Nauar. *l.3. de restit. cap.1. num.50.* Sotus *l.5. de Iust. quæst.3. ad 3.* Medina *de Restit. quæst.10.* Lopez *p.1. cap.93.* Fagundez *in septimum præceptum decal. l.7. cap.13. num.3.* Bassæus *v. Furtum 1. numer. 8. & sequen.*

PROBATVR, quia, vt arguit S. Doctor *in 7. præceptum decal.* damnificare alium grauiter, est mortale; at is intendit sic damnificare: Ergo. 65

ASSERO secundò, idem dicendum de eo, qui intendit auferre à pluribus grauem quantitatem. Ita allegati Doctores.

PROBATVR, quia illa praua intentio est mortalis: Ergo cùm singula furtiola procedant ab illa voluntate, erunt lethifera. Alioqnin non essent grauiter eis, qui mensuris falsis vtuntur, exprobrati à Deo, Oseæ 12. *Chanaan in manu statera dolosa.* Prouerb. 11.
Statera dolosa abominatio est ante Deum. Quamuis 66
enim singuli modicè damnificentur, tamen Respublica grauiter offenditur, quia inuehuntur innumera mala. Et ab hoc crimine rarissimè euadunt mercatores, vt admonuit S.Doctor *cap.6. in Decalogum.*

ADVERTIT tamen Lessius *num.49. cont.* in singulis furtiolis non committi nouum peccatum mortale, sed continuari iam cæptum; esto enim continuetur eadem voluntas, tamen potest esse, vt in singulis non renouetur, sed furetur ille virtute primæ prauæ voluntatis. 67

HINC etiam deducunt, teneri hunc restitutioni, quæ si ardua nimis sit, vt fiat singulis, facienda est pauperibus.

QVÆSTIO maior est; Si in singulis furtiolis non habeat animum ampliùs furandi, nec animum à prin-

cipio concepit perueniendi ad notabilem quantitatem, sed ea occasione oblata committit minima furtula; an in vltimo, quo fit materia grauis, peccetur mortaliter, si aliorum recordetur, licèt non intendat grauiter furari.

Et quidem, si non aduertat, materialiter tantùm se habet, vt docet Nauar. *Sum. Lat.cap.*17.*num.*150. Sanchez *Tomo* 2. *decal. l.*7. *cap.*21. *num.*20. Less. *l.*2. *cap.*12. *dub.*9. Fagundez *num.*11.

68 Prima opinio est, non peccare in vltima illa acceptione rei vilis; peccare tamen in retentione, quia posito eo vltimo furtulo, completur materia grauis, quæ iniustè retinetur. Ita Nauar. *Summa Latina, cap.*17. *num.*139. Vega *l.*14. *in Concil. Tridentinum cap.*11. Graff. *p.*1.*decis. lib.*3.*cap.*5. *num.*51. & *lib.*2. *cap.*93.*num.*18. Carbo *de restit. quæst.*2. Lessius *l.*2.*de Iust.cap.*12. *dub.*8. *num.*43. Iason *Leg. si idem cum eodem, ff.de iudic.omnium iud.*& *ibi*. Decius *num.*1. & 16. Claudius *num.*1. & 2. Farinac. *consil.*78. *num.*3. Filliuc. *tomo* 2. *tract.*31. *cap.*10. *num.*243. Rodriquez *Summa tomo* 4.*cap.*128.*num.*29. Salas *in p.*1. *quæst.*28. *tract.*13. *disp.*16.*sect.*27.*num.*88. Toletus *l.*5. *cap.*16. *num.*4. & alij. Quam probabilem censet Diana *p.*1. *Tract. de Paupertate Relig.resol.*34. qui ait, tunc præcisè esse peccatum non restituendo, in sententia Nauarri, & aliorum, quando extaret; & fur ea ex factus esset ditior. Ita docent Granado *in primam* 2.*contr.* 6. *tract.*2.*disp.*2. *sect.*5. *num.*49. Lorca *p.*2.*tom.*2.

69 Imò neque peccare mortaliter, neque ad restitutionem teneri, asseruit Emanuël Sà, *v. Furtum*, *num.*8. Nauar. *lib.* 5. *consil.*3. *de statu Monachorum*, *num.*17. Beraducius *in Summa Corona*, *p.*1. *cap.*1. *num.*28. & Fernandez *in Exam. p.*1. *cap.*6. §.2. *num.*18. Hi loquuntur de rebus furatis eidem, nedum pluribus.

Communis verò sententia est, probabiliter committi peccatum mortale in vltimo illo furtulo rei minimæ, cum aduertentia ad præterita furta, si in illo grauis quantitas compleatur. Ita Sanchez *Tom.*2. *decal.l.*7.*cap.*21. *num.*6. Rodriquez *Tomo* 1. *Summa in 2.edit.cap.*150. *num.*8. *concl.*8. Valentia 2.2. *disp.*5. *p.*5. in finem, Sayrus *l.*9.*cap.*15. *num.*22. Petrus Ledesma 2.*Tom tract.*8. *cap.*21. *num.*2. Lopez *p.*1.*cap.*93. *col.*2. *quæst.*2. Nauar. *l.*3. *de restitut.cap.*1.*p.*1.*dub.*5. *à*
70 *num.*52. Rebell. *p.*1.*l.*3. *quæst.*15.*sect.*4.*num.*30. Maior *in* 4. *dist.*1.15. *quæst.*25. Ioan. Medina *Cod. de restit. quæst.*10. Sotus *lib.*5. *de Iust. quæst.*3. *art.*3. *ad* 3. Mercado *l.*3. *de contract. cap.*4.*fol.*129. Couar. *l.*1. *var. cap.*3. *num.*11. Corduba *Summa*, *quæst.*70. *p.*2. Bartholomeus Medina 1.2. *quæst.*88. *art.*4. *ad* 3. Vasquez ibi *disp.*146.*cap.*2. *num.*5. ibi Zumel *art.*4. Aragon. 2.2. *quæst.*66. *art.*6. Salon. ibi, *controu.*3.*quæst.vn.* Azor. *tomo* 1. *lib.*4. *cap.*9.*quæsito* 12. Reginaldus *T.*2. *l.*23. *cap.*1. *quæst.* 4. Ledesma *T.*2. *tract.*8. *cap.*20. Tannerus *disp.*4.*quæst.*8. *dub.*6. Megala 2.2. *l.*2.*cap.*1. *quæst.* 3. *num.* 23. Caspens. *tract.*18. *disp.*5. *sect.*5. Fausti. *in thes.l.*8.*quæst.*189. Bassæus, *v. Furtum*,1. *n.*8. Loquuntur autem etiamsi à multis auferantur furtiola. Hanc ait Diana amplectendam, addens aliquas appendices cum Bassæo. Requiritur sanè moralis continuatio. Addunt respectu alicuius saltem communitatis esse debere tale damnum.

Ratio est quia ex vltimo illo furtulo, adiuncto aliis, componitur notabilis iniuria; nam, etiam si vni tantùm non infertur damnum, infertur nihilominus Reipublicæ; alioqui posset aliquis ditari, auferendo à singulis regnicolis obolum.

Neque placet ea distinctio primæ opinionis; nam retinere, & vsurpare est idem peccatum: Ergo qui peccat mortiferè retinendo, peccat etiam vsurpando. Vide Sanchez *Tomo* 1. *decal. lib.*1. *cap.*4.*num.*10.

Hæc videtur sententia D.Bonauenturæ *in Con-* 71
fessionali, *cap.*3. *part.*20. vbi obseruat pœnas datas pro falsis mensuris, & ponderibus *ex C. Mogunt.* nempe triginta dies in pane, & aqua, & addit varias pœnas exilij; & tanquam de falso. Et *Lex Cornelia*, & *tit. de ordin. circa Annonam*, circa finem. Hinc eruitur graue argumentum: Si licerent illa furtula à diuersis, absque restitutione, vel culpa graui, inuchi possent in Rempublicam grauia mala mensurarum, & ponderum falsorum. Ibi autem ponit S. Bonau. hæc ex ordine ad materiam confessionis necessariam.

Porrò quantitatem paruulam, additam cæteris, 72
& cum eis constituentem materiam grauem, facere peccatum mortale, non quidem solitariam, sed cum cæteris, sentiunt communiter Doctores, longa tessera relati à Fagundez *in septimum Præceptum decal. l.*7. *cap.*5. *num.*4. & sunt ferè modò allegati.

Vare quidem in foro externo non fit coaceruatio plurium modicorum furtorum ad vnam pœnam mortis, vt ait Iason *in Leg. si idem cum eodem*, *num.*3. & 4. *ff de iudic. omnium iudicum*, vbi Decius *num.*1. & 16. & Claudius *num.*1. & Farinacius *consilio* 78. *num.*3.

Limitat verò Diana secundam sententiam, tunc 73
illa minima in vnum conglobari, si massa fiat ex eodem negotij genere, vel animo ditescendi. Ita etiam Rebell. *p.*1. *l.*3.*quæst.*15.*sect.*5.*num.*44. Tanner. 2.2. *disp.*4. *quæst.*6. *dub.*9. *num.*247. Bonac. *de contract. disput.*2. *quæst.*8. *puncto* 2. Sed hæc ratio non placet Sanchez *Sum. t.*2.*l.*7. *cap.*21. *num.*16.& meritò; quæ enim ratio auferendi mortale, si è diuersis negotiis materia grauis coalescat?

Deinde ait, illa furtiola in vnum coalescere, quando inter illa non sit magna temporis interpolatio; erit autem notabilis secundùm Sanchez, & alios, si sit vnius anni, vel secundum Filliucium *Tomo* 2. *tract.*31. *cap.*10. *num.*244. & Dianam, si vnius mensis, vel dimidij.

Addit tertiò, multo maiorem quantitatem exigi ad constituendam materiam mortalem & eò minorem esse culpam, quò plures sunt domini, in quos diuiditur damnum. Ita etiam Sanchez *num.*17. Rebell. *num.*43. Megala 2.2. *l.*2. *cap.*1. *quæst.*3. *num.*30. Less. *l.*2. *cap.*12. *disp.*8. *num.*46. & concludit Diana, duplam quantitatem exigi, quàm in aliis furtis.

Dicit quartò, dictam sententiam non habere 74
locum quoad exigua furta esculentorum, quæ committuntur à seruis, & ancillis, vt comedant. Ita etiam Megala *num.*43. Lessius *num.*48. Nauar. *cap.*17.*n.*158. Reginald. *Tom.*2. *lib.*23. *cap.*1. *num.*22. Petrus Nauar. *de restit. l.*3. *cap.* 1. *num.*5. *dub.*6. *num.*201. Sayrus *l.*9. *cap.*15. *num.*17. Bannes 2.2.*quæst.*66. *art.*6. Caietanus, *v. Furtum*, & alij apud Fagundez *lib.*7.*cap.*11.

Notat denique, sic furantes non teneri sub culpa mortifera ad restitutionem totius quantitatis furatæ; sed tantùm ad illam partem, quâ restitutâ, cessat notabilis quantitas, ad furtum mortale petita. Sic Aragon. 2. 2. *quæst.*66. *art.*6. Rebell. *p.*1.*l.*3. *quæst.*15. *sect.*4. *num.*29. Megala 2.2. *l.*2.*cap.*1. *quæst.*3.*num.*25. Nauar. *de restit. lib.*3. *cap.*1. *p.*10. *dub.*8. *num.*62. Filliuc. *tom.*2. *tract.*31. *cap.*10. *num.*247. & alij, quibus subscribit Caspensis *Tract.*18.*sect.*9. Bass. *v. Furtum* 1. *num.*8.

Id tamen non placet; nam restitutio cogit ex iu- 75
stitia læsa grauiter; at læsio grauis est ratione totius, non autem solius particulæ, etsi hæc adiget ad materiam vsque grauem, non est sola, neque maior pars.

Addit etiam aliam quæstionem: An Religiosus paulatim surripiens comestibilia ad proprium vsum cum alio sodali, lethaliter peccet cum

peruenitur

perdentiunt ad quantitatem grauem: Respondet negatiuè, & multos allegat Doctores.

76 Ex dictis etiam sequitur, quod si multi simul, paucula singuli, ab vno furentur, quæ faciant materiam grauem, tenentur omnes in solidum restitutioni. Ità Sanchez *Tomo 2. Decal. l.7. cap.21. num.19.* Petrus Nauarr. *l.3. de restit. cap.1. num.43.* Less. *l.2. cap.12. dub.9.* Fagundez *l.7. cap.14.* Bassæus *num.9.* Intellige, si ad furtula communicato consilio conueniant.

Quod si non communicato consilio, conscij tamen alter alterius furti, aduertentes notabile damnum; an peccent mortaliter, quæritur.

Communiter respondent assertiuè. Vide Doctores apud Bassæum Fagundez *num.14.* Alij tamen negant apud eosdem *ibi, num.6.* & Sanchez *T.2. decal. l.7. cap.21. num.12.* Caspensem *tract.18, disp.5. sect.9.* & Dianam *p.1. Tract.17. resol.42.* Vasquez *p.25. disp.146. num.6.*

77 Obijcias. Si ab obolo ad ducatum progrediendo est certa quædam quantitas, quæ faciat peccatum mortale; & quæ minor, non est peccatum mortale: Ergo omne furtum erit naturâ suâ aut mortale, aut veniale, quia incredibile est, vnius oboli additione materiam peccati adeò posse mutari, vt quod erat veniale fiat mortale.

78 Respondet Tanner. *num.122.* negando consequentiam, quia prudens æstimatio, & Dei prouidentia exigit, vt tandem perueniatur ad notabilem quantitatem, quod facilè suadebitur, si consideremus etiam in naturalibus gradulum qualitatis vltimò disponere ad formam substantialem inducendam, sic vltima particula aquæ cauat lapidem, mergit nauem; vltimus ictus interficit.

QVÆSTIO VI.

An in extrema, vel vrgenti necessitate liceat aliena auferre.

§ D.Bonau. in Speculo animæ, cap.2.

79 Omnes concedunt, in extrema necessitate id licere. Ita docent Doctores apud Fagundez *in 7. præceptum, l.7. cap.26.* Itaque in extrema necessitate Ità transferre dominium multi asserunt; Scotus *in 4. dist.15. quæst.2. §. ad argumenta* Salon. 2.2. *quæst.66. art.7. concl.1. controu.1.* Aragon. 2.2. *quæst.32. art.5.* Azorius *Tomo 2. l.12. cap.8. quæsito 7. & cap.9. quæsito 1.* Sotus *l.4. de Iust. quæst.7. art.1. ad 4.* Sayrus *l.10. tract.5. cap.6. num.12.* Suarez de charitate *disp.7. sect.5.* Syluest. *v. Restit.5. num.4.* Tanner. *disp.4. quæst.8. n.126.* alios adducens.

Alii tamen negant, transferri dominium in egentem extremè. Ità Medina *Cod. de restit. quæst.3.* Nauar. *Sum. cap.17. num.61.* Tolet. *l.5. cap.24. num.10.* Lessius *l.2. cap.16. disp.1. num.8.* Bellarminus *T.3. l.3. de bonis operibus, cap.8.* Vasquez *opusc. de eleem. cap.1. dub.6.* Malderus *Tract.4. cap.7. dub.7. §. respondeo.* Fagundez *l.7. cap.26. num.7.* Couar. *2. p. var. §.1.*

80 Quid ad D.Bonau. ille profectò est cum priori sententia *in speculo animæ, cap.2.* vbi ait: Potest aliquis rem alterius pro extrema, vel vrgenti necessitate corporis accipere, quia in necessitate omnia sunt communia, & tunc furtum dici non debet, quia suum est quod in necessitate accipit, vel etiam pro necessitate alterius. Vnde Ambrosius in Dom.8. post Pentec. serm.64. *Esurientium panis est, quem tu detines.* Cum eo præter allegatos sunt Sarmiento 2. *p. mon.4. 2.5.* Caspens. *Tract.18. disp.5. sect.6.*

Ex quo deducitur cum prima sententia, eum, qui in extrema necessitate abstulit aliquid, non teneri valorem restituere; si ad pinguiorem fortunam veniat.

Fundamentum D. Bonau. solidissimum est, 81
quia proprietas inuecta est iure gentium, post vsurpationem rerum, quæ ante erant communes; hac tamen conditione, vt cæteri ex paupertate non perirent. Quare in extrema necessitate omnia sunt communia, non solùm quoad vsum, & sunt primò occupantis, nisi eadem necessitas instet possidenti. Neque absonum est, eandem rem esse communem vsurpationi plurium, etsi etiam concessero, dominium in consumptibilibus ab vsu non separari, addita vsui independentia, quæ sanè in casu nostro addi debet; iam dominium transfertur ad extremè egentem pro
tunc, & non est possessoris. Dixi in consumptibili- 82
bus; nam quoad alia transfertur solus vsus, vt si aliquis ad vitandam mortem cogatur auferre equum, vt fugam celerem arripiat; iam ille equus post vsum restituendus est. Quâ doctrinâ eluitur quidquid opponit Fagundez *num.6.* ratus, hoc esse fundamentum infirmum; sic enim explicitum, est inconcussum, & communi sententia Doctorum solidatum, & fundatur etiam, *§. cum in eadem, ff. ad Legem Rhodiam, de iactu;* vbi in necessitate extrema res communicari declarat.

Nec quæ dicat Fagundez, fieri communia quoad vsum tantùm, non quoad dominium; nam addita vsui independentia, adiungitur dominium, vt ostendi *quæstione prima.*

Maior difficultas est: An in necessitate etiam 83
non extrema, sed tamen graui vrgenti liceat propria authoritate rapere aliena.

Prima opinio est, in graui necessitate morbi, famis, nuditatis, eam acceptionem esse licitam. Sic Petrus Nauar. *l.3. de restit. cap.1. dub.5. num.367.* Angelus *v. Furtum, §.37.* Sà *v. Furtum.* Nauar. *Summa Lat. cap.17. num.118.* Medina *Cod. de eleem. quæst.3.* & *de restit. quæst.3. causa 1.* & probabilem indicat Lessius *T.1. l.2. cap.22. dub.12. num.71.* & *cap.16. dub.1. num.17. & 18.* Vasquez *de eleem. cap.1. disp.7. num.60.* Malderus *tract.4. cap.7. dub.1.* Caspensis *Tract.18. disp.5. sect.6.* Bonacina *de contract. disp.11. quæst.vlt. p.1. num.32.* Diana *p.1. tract.17. resol.29.*

Secunda sententia docet, non esse licitum in 84
vrgenti necessitate res alienas vsurpare. Ità Sotus *l.5. de Iust. quæst.3. art.4.* Salon. 2.2. *quæst.66. art.7. controu.1.* Valentia *tom.3. disp.5. quæst.10. punct.5. dub.1.* Sayrus *l.9. cap.14. num.17.* Syluest. *v. restit.5. num.2.* Lessius *t.1. de Iust. l.2. cap.12.* Fagundez *in 7. præceptum decal. l.7. cap.27. num.5.* Azor. *p.2. l.12. cap.8. quæsit.8.* Turrianus 2.2. *disp.88. dub.8.* Reginaldus *T.1. l.4. cap.20. num.267.* Caiet. 2.2. *quæst.66. art.7.* Tanner. *disp.4. quæst.8. num.126.* Bassæus verò *v. Furtum 1. num.12.* pendulus, ex more, existit.

Seraphicus apertè stat pro priori sententia; vt constat ex verbis eius, suprà allegatis.

Assero igitur, licere in vrgenti necessitate auferre necessarium.

Probatur primò à D.Bonau. quia diuisio re- 85
rum rata fuit, ne tamen alij, quibus ereptæ erant nudi, famelici, ægroti, tanquam abortiui proiecti iacerent; ideò enim grauiter Christus, vt Regem Regum se describit *Matth.25.* Ius dicentem contra eos, qui in graui necessitate negauerint nudos vestire, fame iacentes pascere, ægrotos visitare, & adiuuare, & protestatur, iniuriam sibi factam, tanquam supremo Domino rerum, qui dominium transtulerat in grauiter egentes.

Sic Ezech. 16. *Hæc fuit iniquitas Sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia: & manum egeno, & pauperi non porrigebant.* Igitur cùm teneatur (esto saltem ex charitate, si non ex iustitia,) diues, dare rem illam; iniquè inuitus est, si ei aufertur.

86 RESPONDET Fagundez *num* 5. teneri quidem dare, sed non huic, vel illi. Igitur est iniquè priuatus hac libertate, dum cogitur relinquere huic.

HOC tamen fundamentum apud Vasquez ruit. Et quidem tenetur occurrentibus egenis dare, vt dicitur *Matth.* 25. neque liber est, vt possit relinquere hunc, & quærere in Gallæcia alium, etiamsi non habeat, vnde omnibus succurrat.

OBIICIVNT. *Cap. si quis de furtis*, vbi imponitur pœna furanti in graui necessitate: Sed pœna supponit culpam: Ergo.

87 RESPONDET S.Thom. *quæst.66. art.7. ad* 1. Decretalem loqui de necessitate non vrgenti. Subscribit Caspensis. Hunc canonem refert D.Bonau. *in Confessionali, cap.3. particula* 55.

88 DEINDE *cap.4. particula* 2. ait, furibus nullam pœnitentiam imponendam; quia sunt incapaces, nisi restituant. Supponit igitur, Decretalem, non damnare furti auferentem in graui necessitate vrgenti; sed eum qui non aufert in graui, adeò vt possit euitare ereptionem rei alienæ; nam in vrgenti necessitate asserit, non esse furtum, vt dixi suprà, referens verba S.Doctoris.

QVÆSTIO VII.

De Furtis Religiosorum.

{ D.Bonau. in Apol pauperum, resp.3. cap.1.

89 BASSÆVS, *v. Furtum*, 2. *num.6.* ait, capientem è rebus monasterij non necessariis, vel sine licentia, quantum sæculares de suis, esse furem.

RELIGIOSI sanè non seruorum sortem subeunt, sed filiorum, vt docet D. Bonauent. *in Apolog. pauperum, respon.3. cap.1.* & patet *ex C. literis, de sepultur. in 6.* & *Leg. qui in potestate, ff. de testamen.* & *Authent. Ingressi. Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis*, Nauar. *cap. Non dicatis* 12. *quæst.1.num.62.* Sanchez *l.7. de Relig. cap.21. num.31.* Rebell. *p.1. lib.3. quæst.15. sect.3. num.22.* Vndè malè Iurisperiti eos inter suos computant, volentes, eos acquirere Monasterio, more seruorum, quidquid acquirunt.

90 EX his deducunt Doctores indicati *quæst.4. in fine*, furta Religiosorum considerandа ad modum furtorum filiorumfamilias, non ditissimorum, sed mediocrium, atque adeò quinque argenteos, vel circiter esse materiam grauem; etsi Caspensis, ibi adductus, aliquid amplius exquirat, & Fagundez *l.7. cap.5. num.* 15. ducentorum dipendiorum, seu vingenarum decem.

VNA, è conditionibus excusantibus religiosum à furto, & proprietate, est, si sit de rebus comestibilibus ad proprium vsum, quod si licet seruis, vt ostendi *quæst.5.* multò magis licet filiis aliqua comestibilia consumere.

91 AN largiendum verò, non debere excedere valorem trium Iuliorum, sensère Bartholom. à S.Fausto *Thesauro, l.8. quæst.218.* Paulinus Berti super Bullam Clement. VIII. de largitione munerum. Vide etiam Fabrum *in 4. disput.45. cap.5. num.124.* Dianam *p.1. Tract. de paupertate Religiosa, resol.14.*

MIHI sententia Suarez videtur discreta *T.3. de relig. l.8. cap.11. num.41.* vbi sic asserit.

DE bonis Monasterij, vsu consumptibilibus, pertinentibus scilicet ad cibum, & potum, si tantùm ad proprium vsum actualem, vt sic dicam, & transitorium, à Religiosis aliquid sumatur, regulariter non videtur peccatum mortale, nisi inde damnificatio Religionis esset nimia, & in re extraordinaria, & pretiosiori; extra huiusmodi verò casum, res reputantur leuioris conditionis. Et quamuis prælatis hoc displiceat, non tamen ità sunt inuoluntarij, vt illam reputent materiam grauem in ordine ad paupertatem, sed solùm in ordine ad decentiam, & perfectionem Religiosam. 92

ACCEDIT, quod Religiosi quoad vsum huiusmodi rerum tractantur vt filij; inter parentem autem, & filium non censetur similis actio grauis; secus verò esset, si huiusmodi res in magna quantitate acciperentur; & occultè retentæ, paulatim consumerentur, nam illud posset esse graue peccatum, quamuis ad id discernendum in particulari magna prudentia necessaria sit. Ita Suarez, cui arridet Diana *p.1. Tract.6. de paupertate, resol.30.* Vide etiam Sanchez *T.2. l.7. cap.19. num.53.* Tannerum *2.2. disp.7. quæst.1. dub.4. num.106.* vbi ait: Nulla etiam Prælati seueritas eiusmodi acceptiones, quoad substantiam rei acceptæ, iniquas reddere potest. Vide rursus Dianam *ibi, resol.35.* 93

LADESMA *in addit. ad Summam Tom 2. cap 4* & Cerdo *tract. de paupertate Religiosa, dub. 20. num. 10.* octo, vel nouem Reales ponit materiam mortiferam in Religiosis; maiorem verò quantitatem in comestibilibus exigit. 94

RODRIQVEZ verò *Summa Tom.4. cap.118. num.27. & 29.* summam duorum aureorum præscribit religiosis; eam docuit etiam Sotus *de Iust. l.4. quæst.3. ad 3.* Aragon. *2.2. quæst.66. art.6. conclus.3.* ea tamen non placet Dianæ *resol.36.*

BASSÆVS cum Miranda *in Manuali prælat. t.1. quæst.28. art.17.* putat, quantitatem notabilem in furtis Religiosorum determinandam esse in particulari, pro temporum, locorum, personarum, Religionum, & aliarum circumstantiarum differentia, arbitrio boni viri. Mendoza verò *quæst.8. posit. de paupertate, concl.9. num. 12.* docet, duos argenteos non esse quantitatem notabilem. Ioan. de la Cruz *de statu relig. l.1. c.3. dub.5.* & Sanchez *Summa Tom. 2. l.7. cap.20. num.3. & 6.* putant, esse quatuor argenteorum. Subscribit Diana, Bartholomæus à S.Fausto *l.8. quæst.193. num.21.* ait, in Monasteriis ditissimis, tres argenteos; in Monasteriis verò mediocriter dotatis, duos argenteos; in pauperibus verò, vnum sufficere ad proprietatem mortalem. 95

NOSTER verò Sanctes paupertinus vnum Iulium *in cap.6. Regulæ* posuit; Non recordabatur hæc furta fieri ditissimo Pontifici; Fateor tamen ea fieri de pauperum penu.

QVÆ sanè pauperrima opinio est; neque enim vllus adeò religiosos opprimit, neque ipse rectè affert Nauarrum. Sed hic Doctor in hac, sicut & in multis aliis decisionibus Regulæ, est seuerior æquo nimium. 96

ADDIT Diana *resol.41.* ex Ioan. Cruz *de statu relig. lib.1. cap.3. dub.3. concl.3.* posse Religiosum accipere prandium, aut alia comestibilia ex Lopez *in Instruct. p. 1. cap.6.* dicente: Potest Religiosus accipere à sæcularibus aliqua munera electuariorum, vel confectionum cordialium, bina vascula, vel par perdicum, vel gallinarum, vel aliquid simile; sed quia in comestibilibus magni valoris

non

non præsumitur ità facilè concedenda licentia à Superiore; ideò cautè in tali casu procedendum.

97 HÆC mihi videntur ad mentem D. Bonauenturæ *in 4. dist. 15. p. 2. art. 2. quæst. 1.* & hoc pacto intelligendus *canon. 12. quæst. 1.* vbi dicitur: *Certum est, quod Monachus nihil habere, vel dare, vel accipere sine superioris licentia debet, nisi fortè ille, qui indiget, sit in extrema necessitate, tunc non debet obedire Abbati, quia manifestè faceret contra Deum.* Ibi etiam docet, non esse proprietatem, nisi sit expresè contra voluntatem Prælati. Et addit *cap. 2. speculi animæ* hæc verba: *Quartò, circa furtum Religiosorum in retentione proprij, notandum est, quod dicit August.* serm. 1. ad Fratres in Eremo de religiosis. *Si quis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur; tunc autem intelligo, hoc celari, & habere proprij rationem, quando sic celatur, quod si etiam Prælatus in virtute sanctæ obedientiæ præciperet, quod reuelaretur; adhuc*
98 *celaretur. Nec aliter intelligo mortale, nisi quando contra voluntatem Prælati præceptoriam detineretur. Hoc etiam notandum de religiosis, & dispensatoribus, & filiisfamilias, & vxoribus, quod furtum possunt committere, si notabiliter Dominos rerum in dispensando damnificant contra voluntatem, & intentionem dominorum; cùm autem intuitu pietatis etiam commune bonum procurando, nec mala intentione dant aliqua, vel dispensant, non est iudicandum mortale.* Idem è D. August. refert *in speculo disciplinæ ad Nouitios, p. 1. cap. 4.*

99 VNDE habes primò, Religiosus cum filiis, & vxoribus connumerari in hoc. Deinde non solum licentiam præsumptam non esse necessariam ad vitandum furtum, & proprietatem religiosam; sed requiri retentionem contra voluntatem Prælati, etiamsi foret præceptoria, vt is proprietarius sit.

HÆC sanè est tacita licentia, dum prælati non prohibent, & hæc sufficit, quia taciti, & expressi eadem est virtus, *Leg. cum quod, ff. de rebus creditis, & cap. 2. de rescriptis*, & ità docent Sanch. *l. 7. de Relig. cap. 9. num. 7.* Fagundez *lib. 7. cap. 5. num. 12.* qui addunt vsum, & consuetudinem receptam in religione inuectam, dandi, & accipiendi absque licentia in licitos vsus, excusare Religiosos. Idem dicendum in ordine ad retinendum.

100 QVARE præcipuum signum proprietatis, quod est retinere aliquid sine legitima licentia, vt docent Nauar. *C. non dicatis, 12. quæst. 1.* Suarez *de Relig. T. 3. l. 8. cap. 12. num. 2.* & habetur, *C. Monachi, de statu Monachorum*, aufertur, si accipiat, ac retineat eâ intentione, quod si Prælatus præciperet, ipse nollet retinere.

ETENIM S. Doctor considerauit, graues pœnas, ibi iniunctas, non esse ob quamlibet omissionem licentiæ iniungendas: Ibi enim præcipitur, vt remoueantur ab altari, nisi resipiscant, & in morte priuentur suffragiis, & sepultura Ecclesiastica, si in eo statu moriantur, & in vita priuentur biennio voce actiuâ, & passiuâ, & olim è Monasterio expellebantur, vt habetur *cap. cùm ad Monasterium.* Verum est, hanc pœnam esse correctam per *cap. Finale de regularibus*, vt notant Sanchez *l. 7. de Relig. cap. 20.* *num. 77.* & Abbas *in C. prædicto. Cum ad Monasterium, num. 13.* & Fagundez *cap. 5. num. 13.*

101 NOTAT autem optimè Sanchez, pœnas proprietarij non incurri à dantibus, vel recipientibus, sine licentia, sed tantùm à possidentibus proprium, de his verò loquitur *C. Monachi.*

NOTANDVM etiam, ad incurrendas has pœnas proprietatis, non sufficere qualecumque peculium proprium, aut proprietatem, sed opus esse, vt Monachus inueniatur habere magnum peculium. At quanta illius peculij quantitas esse debeat, non inuenitur apud Doctores tractatum, vt ait Fagundez *num. 4.* solùm reperitur apud Ioannem Andream, *C. cum ad Monasterium, de statu Monach. numer. 4.* & Hostiensem *numero 7.* Anchar. *num. 10.* & alios, debere Monachum proprietarium sepeliri extra Ecclesiam cum parte aliqua pecuniæ, & peculij proprij inuenti, his verbis: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Et addunt, hanc partem debere esse triginta argenteos, eò quòd Christus Dominus eo pretio venundatus sit, hoc est, ducata tria. Ex quo habes maiorem ista quantitatem esse debere, vt sit proprietarius, & sic existimat Fagundez, esse posse triginta ducatorum.

EXCVSAT secundò Religiosum à proprietate, 102 præsumpta voluntas superioris pro illa vice, & dicitur quædam epickeia. Ad hanc autem necessarium est, vt res vrgeat, & vt Superior sit absens, vt nequeat adiri. Ità docet D. Bonauent. *p. 1. Speculi disciplinæ ad Nouitios, cap. 4.* in fine D. Thom. *2. 2. quæstione 32. articul. 8. ad 1.* Lessius *Tom. 1. lib. 2. cap. 41. de statu religion. dub. 9.* Lopes *p. 1. cap. 156.* Rodriquez *Tomo 2. summa, cap. 31.* quos allegat, & sequitur Fagundez *in septimum Præceptum, l. 7. cap. 5. num. 20.* Vnde ait Suarez *Tomo 3. de Relig. lib. 9. cap. 9. num. 28.* Si Fratri Minori S. Francisci occurrat necessitas subueniendi parenti, grauiter laboranti, & indigenti, accipiendo oblatam ab aliquo pecuniam, & tunc non habet opportunitatem accedendi ad superiorem, & non sit spes, aliam similem occasionem habendi, potest per epikeiam accipere pecuniam illam; idem insuper affirmat, si superior iniustè eam licentiam negaret.

QVÆRVNT autem: An qui tali modo Epi- 103 keiam adhibuit, teneatur postea superiori referre. Respondetur cum D. Bonau. si res adhuc extat, & potest superior reuocare, vel emendare, tenetur referre superiori, ne sit proprietarius. Idem sensère Sanchez *de Relig. lib. 7. cap. 19. num. 8.* Fagundez *num 22.*

SI verò probabiliter non crederet, superiorem reuocaturum, vel emendaturum, non tenetur eum adire, etiamsi res adhuc exstet. Ita Sanchez, & Fagund: *loc. cit.* Nauar. *in commentario, 2. num. 20. de regular. mendic. quæst. 8. quodlib. concl. 8.* Grassius *p. 1. l. 3. cap. 5. num. 54.*

PORRÒ accipere, vel dare hac intentione, vt 104 postea velimus licentiam petere, non admodum tutum existimat S. Doctor *loco adducto.*

QVÆSTIO VIII.

An possint extrahi homines in mancipia, & vendi.

D. Bonau. in 4. dist. 36. dub. 2. litt.

SVPPONO primò, posse homines vendere suos 105 seruos, vt docent communiter Doctores cum D. Bonauent. *in 4. dist. 36. dub. 2. litt.* vbi ait, posse eos vendere etiam in terris alienis, non tamen in præiudicium fidei, puta infidelibus, vt notat S. Doctor *4. dist. 36. dub. 2. litterall.*

SVPPONO secundò, posse parentes vendere filios in graui necessitate; imò & seipsos.

Et quod possint patres vendere filios, probatur à D.Bonau. *loc. cit. dub.5. ex 2. Esdra 5.* vbi tale quid narratur licuisse tempore famis. Notat tamen, requiri consensum etiam matris.

Quod verò possit se quisque vendere, probatur ex iure. De quo vide Molinam *Tomo 1. disp.33.* Fagundez *in septimum præceptum, l.7. cap.12. num.18.*

106 Neque tamen coniugatus debet se vendere in præiudicium debiti, quo tenetur vxori, quia iniustitiam committeret, vt ait S.Doctor *dub.4.*

Svppono etiam ex eodem D. Bonau. *in 2. dist.44. art.3. quæst.1.* posse infideles, bello iusto captos, vendi. Sic Nigrorum Rex facere consueuit, & alij etiam Reges Christiani.

Qværitvr ergo: An possint licitè aliqui populi, vt Lusitani, peragrare in Angolam, & Guineam, & venatu arripere mancipia, eaque in sua regna deferre vendenda.

Mvlti sanè viri docti venationem istam grauiter reprehendunt. Ita præcipuè Mercado *tract. 5. cap.15.* Caspensis *Tract.18. disp.5. sect.1. num.11.* qui mox non audet negotiationem hanc damnare, quia multi viri, ac Prælati doctissimi, & pijssimi in regno, eam non damnant, nec abnuit Fagundez *l.7. cap.12. num.15.* si bona fide accipiantur.

107 Mihi tamen omninò damnanda est hæc venatio, & negotiatio, etiamsi (vt ferunt) Sobæ habeant casas mancipiorum, instar pecorum, ad negotiationem; nam cùm sint liberi, nec habeatur titulus aliquis super vitam illorum, non video qua ratione vendi queant. Excusatio enim inducendi eos ad fidem mucida est, vt ostendi *Tract. de fide, disp.2. quæst.5. & seq.* Porrò similes subiectiones, quas carcerationes vocat S.Doctor *in speculo animæ, cap.1.* post medium mortales clamat.

QVÆSTIO IX.

An serui possint se Dominis eripere.

{ D.Bonau. in 4.dist.36.q.1. fund 3.& quæst.2.ad 2.

108 Loqvor de captiuis iusto bello captis; nam de emptis patet, eos non posse fugere.

Prima opinio est, mancipia bello iusto capta, veluti Mauros, vel Turcas, posse fugere, dummodo eant in propriam patriam, non vt vagentur per loca, vbi sunt serui. Ità docent Petrus Nauar. *l.3. de restit. cap.1. num.200.* Sà *v. bellum, num.7.* Lessius *c.1. l.2. cap.15. dub.15. num.14.* Azor. *Tomo 2. l.1. cap.24. quæstio 3.* Couar. *l.1. var. cap.2. num.10. & in Regulam Peccatum, §.11.p.1.* Bannes 2. 2. *quæst.40. art.1.* Angles *in flor. in 4. quæst. de dominio, art.2. concl.5.* Sotus *l.4. de Iust. quæst.2. art.2. concl.3.* Gregorius Lopes *l.25. tit.29.p.5.* Alens. *3.p.quæst.48. membr.2. art.3.* Fagundez *l.7. cap.2. num.21.* post D.Bonauenturam *locis allegandis.*

109 Negativam sententiam sustinent Molina *T.1. disp.37.* Nauar. *Man. cap.7. num.65.* Glossa *C. Ius gentium, dist. 1.* Fortun. *Leg. manumiss. col.2.* D.Anton. *5. p. tit.5. cap.6. §.4.* Turrecrem. *in C. Ius gentium, disp.1.* Syluest. *v. seruus, quæst.5. dict.2.*

Videtvr autem probari primò ex S.Doctore *2. dist.44. art.3 quæst.1.* quia captiuitas in bello, Iure gentium inuecta est, ac iusta, legibus sancita. Ideò illi fugientes, se furantur Dominis, *Leg.1. Cod. de seruis fugitiuis,* & *Leg.2. C. eodem titulo,* statuitur, vt seruus deprehensus in fuga puniatur mutilatione pedis; at tam grauis pœna non imponeretur, nisi pro peccato mortali. Leges autem Codicis sunt moderniores, & Imperatorum Christianorum. Quare illis standum est, non aliis Digestorum.

Confirmatvr ex *cap.1. & 2. si quis seruum, dist.17. quæst.9.* vbi dicitur, eos peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem iuuantes, & hortantes seruos ad fugam.

Frivola est autem responsio Fagundez; Codices loqui de seruis vagantibus per regna, vbi sunt serui, non de remeantibus ad suos; in quo habent ius, sunt enim serui, ita tamen, vt si possunt, fugere valeant. 110

Hæc sanè gratis dicta sunt, quia in Codicibus non habetur hæc distinctio, neque ea aliquid facit; nam quæstio postulat, an absolutè sint subiecti Dominis; quod si ita est, siue rapiantur, vt remeent ad suos, siue vt vagentur, nihil confert ad damnum minuendum; sicuti eadem damnificatio esset furantis mihi crumenam, siue eam deferret in Hispaniam, siuè hîc dilapidaret nummos.

Addo in casu nostro minus damnum seu inconueniens esse, si mancipia vagentur per Christianas regiones, vbi facilè conuerti possunt ad fidem, quàm si remeent ad suos Mahometanos, vel Idolatras. 111

Enim verò assertiua sententia probatur euidenter à D.Bonau. *in 4. dist. 36. quæst.1. fundamento 5. & quæst.2. ad 2.* Concurrentibus duobus Iuribus inæqualibus, præcedit ius ordinis superioris; sed libertas est Iuris naturæ, seruitus Belli est Iuris gentium, quod est inferius: Ergo. Hæc ratio fecit, vt in Institutis *de rerum diuisione, §. item ea,* hoc sit statutum his verbis: *Liberi homines in seruitutem nostram deducantur, qui tamen, si euaserint nostram potestatem, & ad suos reuersi fuerint, pristinum statum recipient.* Et idem habetur Institutia: *Quibus modis ius patria potest. soluatur, §. si ab hostibus.* Et *Leg. Nihil interest, ff. de captiuis, & postliminio reuersis ibi.* Nihil interest, quando captiuus reuersus est, vtrum dimissus sit; an vi, an fallaciâ potestatem hostium euaserit. 112

Hoc etiam statutum est *Leg.25. tit.24. part.7.* in regno Castellæ, ibi: *Si seruus Maurus fugiat in Mauritaniam, & ibi saluus pedem ponat, manere liberum volumus, etiamsi postea ad Christianos redeat.*

Confirmatvr, nam damnatus carceri perpetuò, vel triremibus, etiamsi iustè, potest tamen fugere. Vtraque opinio probabilis est, sed hæc magis probatur ob rationes allatas.

Ad obiecta respondetur, Ius gentium aliquid iuri naturæ detraxisse, & redintegrari, si occasio sese offerat in necessitate, vt dixi etiam de proprietatibus rerum, magis verò in libertate, quæ positiuè est iuris naturæ, vt dixi *Tractatu de Legibus, disp. 4. quæstione 2.* 113

Ad pœnam mutilationis primò dicerem, esse comminatoriam, neque vnquam executioni mandatam. Minantur autem multa leges, ne amplior libertas ab omnibus vsurpetur, quàm par sit, puta ne fugam accipiant, qui se vendiderunt, & ius suum naturale renunciarunt; & de his loquitur etiam *cap. si quis seruum,* non autem de seruis factis in bello.

Qvoad seruos Christianos captos in bello ex parte eorum iusto, possunt fugere. Ita Petrus Nauar. *l.3. de restit. cap.1. num.11.* Imò tenentur fugere à gentilibus, quando periculum est fidei, vt deduco è D.Bonau. *in 4. dist.36. dub.2. litt.* Ratio Seraphici euidens est, quam affert Fagundez *cap.12. num.27.* quia tenemur magis saluti animæ, quàm cuiuis alteri rei prospicere. 114

Addo

Addo tamen, bellum semper esse iustum Christianis contra Saracenos, & Turcas, eum prouincias Christianorum tyraonicè occuparint, vt animaduertit Conar. *in Reg. Peccatum, 2. part. §.11. num.6.* Fagundez *loco citato*, post D. Bonauent. *expositione in Threnos, & serm.16. Hexaemerontis*, Christianus ab alio Christiano in bello iustè bellante captus, licite potest fugere, vt docet D. Bonauent. *in 4. dist.36. quæst.2. ad 2.* Petrus Nauar. *Lib. 3. de restit. cap.1. num. 211.* Fagundez *num. 28.* nec etiam fit mancipium; Nam, licèt de iure possit fieri mancipium, tamen de consuetudine legitima inter Christianos, vt seruituti legitimè non subiiciantur, non licet, vt docet etiam Molina *Tract. de iust. disput.33. §.primus est.*

115 Id probat S. Doctor 4. *dist.36. quæst. 1.* fundamento 1. *In Christo Iesu non est seruus*, Galat. 3. Et Iure Canonico, Christiani nequeunt in seruitutem mancipiorum redigi.

QVÆSTIO X.

An liceat priuatâ authoritate eripere, quod est nostrum.

116 NON esse illicitam ereptionem spoliorum in bello insto probat *ad 10. sapientia* S. Doctor, illis verbis: *Iusti tulerunt spolia impiorum*, quia fit publica authoritate.

Maxime verò iubente Deo aliena rapere, non est peccatum. Sic enim Hebræi diuitias Ægyptiorum abstulere *Exodi 12.* vt aduertunt communiter cum D. Bonauent. *in serm. 6. de decem præceptis.* Et *in 2. dist.40. dub.2.* vbi tamen aduertunt multi, Hebræos habuisse ius ad eas facultates ob interceptas mercedes pro laboribus in ædificiis vrbium insumptis, vt docent Clemens Alexand. *lib. 1. strom.* Epiph. *in Ancorato*, S.Thom. *2. 2. quæst.66. art.5. ad 1.* vbi Salon, Aragon, Valentia *tract. 3. disp.5. quæst. 10. puncto 5.* Gabriel *in 4. dist.15. quæst.3. art. 1.* Sotus *L.2. de Iust. quæst. 3. art.8. & lib. 5. quæst. 3. art. 3. ad 1.* Melchior Cano *lib.2. de locis, cap. 4.* Sayrus *Lib.9. cap.14.*

Hinc potest oriri dubium: An possint priuata authoritate suas mercedes rapere: Et: An quisquis alius possit rem ab alio iniquè detentam auferre.

117 Hanc quæstionem tractant Altisiodor *summa, tract. de restitut. quæst. 6.* Alensis *4. part. quæst. 24. memb.5. art.3.* Gloss. *in cap. Ius Gentium.* Richardus *4. dist.15. quæst.7. art.1. ad 2.* Paludanus *ibi, quæst.3. dist.3. art.3. & quæst.4. art.5.* S. Antonin. *part. 2. tit. primo, cap. 15.* Syluester *V. bellum 1. quæst. 9. & V. furtum, quæst. 12.* Angel. *ibi*, Adrianus *quodl.6. art.1.* Castro *lib.2. de potestate leg. pœn. cap. 10. argument.4.* Caietanus *2. 2. quæst. 66. art. 3. & 5.* Sotus *lib. 5. de Iust. quæst. 3. art. 1. & art. 3. ad 5.* Ioan. Medina *Cod. de restit. quæst. 3. causa 12.* Nauar. Man. *cap.17. n.111. & cap. inter verba 11. quæst. 3. conclusione corol. 66, num.792.* Couar. *lib. 1. var. resol. cit. & num.14.* Sebastianus Medices *in summa, titulo 6. quæst. 129.* Salon. *2.2. quæst. 66. art. 5. controu. 2.* Aragon. *ibidem*, Petrus Nauar. *Lib.3. de restit. cap.1. part.4. disput.8. num.384.* Valentia *disp.5. quæst. 10. puncto 5.* Lopez *part.2. Instruct. cap. 8.* Ioseph Angles *quæstio quid sit libera restitutio, art.5. diffic.57. disp. 13.* Tolet. *lib.5. summa, cap.25.* Carbo *de restit. quæst.85. dub.5.* Corduba *summa, quæst. 111. & Lib. 1. qq. quæst. 35.* & alij apud Ssyrum *L.9. cap.14.* Fagundez *lib.7. cap.30.*

118 Dico igitur primò, non licere sic aufetce rem propriam, si aliâ viâ honestiori potest haberi; quamuis enim non committatur iniustitia quò ad rem acceptam, committitur tamen quò ad modum, nam sibi ipsis faciunt iustitiam in præiudicium publici Iudicentis. Fit etiam iniuria habenti rem, si sit iustus possessor, vt depositarius Sic enim eum exponit periculo rem bis soluendi, aliisque incommodis, vt ait D.Thom. *2.2. quæst 66. art.5. ad 3.*

Dico secundò, positis nonnullis conditionibus, id licere.

Prima est, vt res sit debita ex iustitia. Ità Corduba cum Nauarro, & Sayro,

119 Secunda, vt hoc debitum sit liquidum.

Tertia, vt non plus accipiat, quam sibi debetur.

Qvarta, vt non possit ordine iuris illud bonum recuperare, aut extrà, sine graui iactura.

Qvinta, quod verisimile illi sit, nihil sibi profuturum debitum petere à debitore.

Sexta, ne aliquod graue scandalum sequatur.

Septima, vt admonendum curet debitorem, vel hæredes, iam debitum esse solutum.

His igitur positis conditionibus, cum nulla alicui inferatur iniuria, & res ad æqualitatem reducatur, licebit sic sibi facere compensationem, vt ait Sayrus *num.8.*

120 Idem, quod dixi, intelligunt multi etiam posse fieri capiendo violenter, nisi sequatur ingens in Republica perturbatio: Alij tamen id negant, quia non licet priuato alium punire, vt colligitur ex D. Thoma *2. 2. quæst. 66. art. 8.* Ideò a Principibus ità rapientes puniuntur.

QVÆSTIO XI.

De pœna Furum.

{ D Bonauent. in Spec. animæ, cap.4.

121 AD genus furti reducit D. Bonauent. *in speculo animæ, cap. 4.* Occultam rei acceptionem, rei inuentæ detentionem, sacrilegium, proprietatem Religiosorum, & malam dispensationem.

Ad Rspinam item reducit nouas Talias, consuetudines nouas grauaminum, exactiones iniquas, extorsiones, munerum acceptiones, & ludum alearum.

Nvnc de proprio furto, & rapina agendum.

Scotvs *4. dist.15. quæst. 3. §. De secundo*, docet, Fures diurnos non posse iure suspendi. Ratio eius est, quia Deus præcepit: *Non occides*, neque dispensauit, nisi pro furibus nocturnis, non licèt autem in lege superioris dispensare.

122 Alensis *part.3. quæst. 47. memb. 4. art.3.* docet, esse quidem potestatem in Republica ad fures necandos: non esse tamen regulariter suspendendos; quia vita præfertur bonis furatis, Sotus etiam *lib.5. de Iust. quæst.3. art.3. ad 3.* satis ægrè fert, quod fures simplices suspendantur, vnde inuehitur in Baldum *in Leg. sed nouo iure, Cod. de seruis fugitiuis*, qui voluit, fures suspendi debere pro simplici furto, ter repetito, aut pro vno ingenti, quod tribus æquipollet.

Commvnis tamen sententia est, furem ipso vno insigni furto, aut pluribus repetitis, necari posse. Ita Iurisperiti, *Leg. itaque*, vbi Baldus, & Paulus de Castro, & alij, quos refert Couaruuias.

123 Inter Theologos autem Ioan. Maior *4. dist.15.*

quæst. 27. *art.* 4. Gabriel 4. *dist.* 15. *quæst.* 15. *art.* 3. *dub.* 1. Ioan. Medina *Cod. de restit. quæst.* 4. Ioan. Driedo *Lib.* 1. *de libertate Eccles. cap.* 10. Alph. Castro. *Lib.* 1. *de Lege pæn. cap.* 6. Victor *relect. de homicid. num.* 21. Couar. *lib.* 2. *var. cap.* 9. *num.* 7. Salon. 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 6. *controu.* 4. Aragon *ibidem*, Bannez *ibi*, *dub.* 1. Petrus Nauar. *lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *disput.* 1. Valentia *Tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 8. *puncto* 5. Saytus *lib.* 9. *cap.* 15. *num.* 33. Idem innuit S. Bonauent. *in Dieta, salut. tit.* 3. *cap.* 6. id probans ex 34. Ecclesiastici, vbi Spiritus Sanctus facit furem æqualem ferè homicidæ, de quo dixit S. Doctor *cap.* 4. suspendium illi deberi.

124 PROBATVR hæc opinio ex perturbatione Reipublicæ, à furibus inducta.

AD argumentum Scoti respondet Saytus *num.* 25. ex D. Bonauent. *cap.* 6. *in Decalogum*, eundem Deum, qui iussit: *Non occides*, præcepisse etiam Exodi 22. *Maleficos non patieris viuere.*

SIC in multis prouinciis fures suspendebantur, vt refert Aulus Gellius *lib.* 11. *noctium Atticarum, cap. vlt. de Romanis Imperatoribus.* Et apud Ægyptios, fur occidebatur. Quod aliqui colligunt ex 44. *Genesis*, vbi dixerunt fratres Ioseph: *Apud quemcumque fuerit inuentum, quod quæris, moriatur*, ipse verò clementiùs ait: *Erit seruus meus.*

IN Lombardicis autem Constitut. ab Imperatore approbatis, statuitur, furem primâ vice fustibus puniri, secundâ mutilari, & tertiâ suspendi.

125 APPARET S. Doctor *in Confessionali, cap.* 3. *particula* 54. decretum contra Ecclesiarum raptores, sed adnotat, non esse vniuersaliter in vsu. Possunt etiam aliquando excommunicari, vt notat D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 18. *part.* 2. *quæst.* 3. *fundamento* 3.

QVÆSTIO XII.

De Restitutione furtorum.

D. Bonauent. in Confess. cap. 4. & aliis ll.

126 MVLTA de Restitutione suprà dixi, quæ quidem necessaria est, non quidem necessitate medij, vt ibi dixi cum D. Bonauent. quippe sine ea potest saluari, si fur non habeat facultatem, qua restituat; sed necessitate præcepti, vt communiter tenent cum Seraphico, qui hoc colligit *in Confessionali, cap.* 4. *part.* 2. & *in speculo animæ, cap.* 2. ex D. Augustino *epist* 54. *ad macedon.* 14. *quæst.* 6. vbi dicitur: *Si res aliena, propter quam peccatum est, possit reddi, & non redditur, pænitentia non agitur, sed simulatur. Si verò pænitentia veraciter agitur, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Idem docet Petrus Nauarrus, *Lib.* 1. *de restitut. cap.* 1. Valentia *disp.* 5. *puncto* 2. Aragon. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. Saytus *L.* 10. *Tract.* 1. *cap.* 4. Necessitas enim præcepti est, cum impleri potest; At necessitas medij absoluta est, sine qua non potest salus obtineri.

127 OBIICIES 2. particulam *Nisi* indicare necessitatem medij, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Et: *Nisi pænitentiam egeritis, &c.*

RESPONDET S. Doctor *in* 4. *dist.* 12. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. non semper indicari necessitatem medij, nam Ioan. 6. dicitur: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*, & tamen non est Communio necessaria, vt medium.

128 SVPPONO autem, restitutionem ex violatione sola iustitiæ induci, vt communiter docent omnes. Insudant autem Doctores in assignanda causa, cur sola Iustitia exigat ad suam æqualitatem restitutionem.

VALENTIA *disp.* 5. *quæst.* 6. *puncto* 3. apud Saytum *Lib.* 10. *Tract.* 2. *cap.* 1. reddit quamdam rationem, non quam quærimus, sed cur vnus teneatur ad restitutionem; alter non, nempe, quia ille peccauit contra Iustitiam; iste contra aliam virtutem, puta Charitatis.

NAVARRVS *in man. cap.* 17. ait, alios Doctores non reddidisse huius rei rationem, se autem nouam reddere, quia scilicet aliæ virtutes non violantur per ablationem alicuius rei externæ. Quod aliis verbis dicit Petrus Nauar. *L.* 2. *cap.* 1. *num.* 12. *de restit.* tametsi carpere voluerit rationem alterius Nauarræ. 129

SYLVESTER V. *restitutio*, 3. *quæst.* 6. §. *Tertium*; ait, rationem esse, quia ad restitutionem nullus tenetur, nisi qui causa est inæqualitatis rerum; iustitiæ verò solius est æqualitatem causare. Huic rationi subscribit Saytus *Lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. quia scilicet versatur inter datum, & acceptum.

SERAPHICVS omnium optimè *in* 3. *dist.* 33. 130
quæst. 3. ait, eam esse rationem, quia Iustitia inter cæteras ordinatur ad alterum, in reddendis omnibus, quæ vniuscuiusque sunt, & quia vna est ratio, quæ ordinat ad alterum secundùm rationem debiti; Ideo virtus hæc, quæ est Iustitia, inducit restitutionem.

EXPLICVIT autem id ampliùs *quæstione* 1. quia Iustitia non est rectitudo voluntatis, vt sic, sed talis rectitudo, ordinans ad alterum, habens pro obiecto ius, seu vtile bonum, quod est alterius. Itaque restitutio oritur ex damnificatione, illatâ in bonis, seu opum, seu famæ, seu honoris, aut vitæ, vt differit Seraphicus *in speculo animæ, cap.* 1. Nunc agimus de damnificatione in re familiari.

ET quidem in furto oritur duplex radix præcepti restitutionis, tum ex iniqua acceptione; tum ex iniqua detentione, seu possessione, vt ait S. Doctor *ibi*. 131

ET quia liquidum est, nomine rei alienæ intelligi non modò rem, sed etiam fructus, quos res ipsa naturâ suâ solet parere; Ideò hic discutiam, quo pacto restituendum sit ratione fructuum rei furatæ. De hoc latè Fagundez *Lib.* 7. *cap.* 15. & 16.

RES igitur furtiuæ sunt in duplici differentia, aut enim sunt res, quæ habent accrementum, & decrementum ab intrinseco, vt pullus equinus, vitulus crescens, arbores, &c. aut sunt, quæ habent decrementum, aut incrementum ab extrinseco, à tempore, loco, quo venduntur, vt triticum, vinum, oleum, pannus, & similes aliæ merces.

IN his autem tuendis, alendis, &c. occurrunt expensæ, aliæ necessariæ ad alendum pullum, & aliæ vtiles, quas non erat facturus Dominus in ea re meliorandа, puta pascere pullum segete, vt fortior adolescat. 132

IGITVR, si res adhuc extet, reddenda est domino, detractis expensis necessariis, & vtilibus rationabilibus in foro conscientiæ. Ità Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *de iniur.* Fortun. *disp.* 16. *num.* 10. Petrus Nauar. *Lib.* 4. *disp. de restit. cap.* 1. *num.* 30. & 32. Couar. *ad regulam peccatum, part.* 2. §. 6. Medina, *Cod. de restit. quæst.* 6. Syluester V. *expensa, quæst.* 4. Fagundez *lib.* 7. *cap.* 15.

IN foro autem externo, seu iudiciali non recompensantur expensæ vtiles, nec industria furis in re melioranda; in pœnam enim furti priuantur expensis vtilibus, *Lex, si à Patre*, §. *fructus*, ff. *de petit. hæredit.* & *Leg. planè*, in fine *eodem tit.* & *Institutio de rerum diuisione*, §. *ex diuerso*, & docent authores allegati. 133

QVOD si res iam sit alienata, cum illo interno melioramento,

melioramento, tenetur fur domino totius emolumenti ad restitutionem, detractis, vt suprà, expensis. Ità Fillitucius *Tom.2. tract.32. cap.4. num.88.* Couar. *reg. Peccatum, §.6. num.1. part.2.* Nauar. *summa Lat. cap.17. num. 26.* Gabriel *dist. 15. quæst.2. art.3. dub.1.* Ar. vel. V. *furtum, quæst.44.* Syluester V. *rest.1.2. quæst.7.* Lessius *lib.2. cap.12. de iniur.* Fort. *disput.16. num.105.* Petrus Nauar. *Lib.4. cap.1. num.17.* Fagundez *num.9.* & facit *cap. grauis de restitut. spoliat.* & *Leg. in re furtiua §§. de furtis,* & *L. si nauis, §. si generaliter, ff. de rei vendit.*

134 Ratio elicitur à D. Bonauentura *in speculo animæ, cap.1.* in fine, quia pro toto illo statu fur erat in continua reddendi obligatione: Ergo etiam pro tempore, quo erat in optimo statu, & maius pretium habuit. Ità tenet aliàs Diana *p.p. Tract. 17. resol. 51.* hoc verum esse, si dominus erat venditurus rem in summo pretio, in optimo statu, & dicit esse omnium Recentiorum.

Dico tertiò. Si conculcasti segetes virides, non teneris restituere totum, quod erant valituræ in messe, sed pro vt æstimatur in spe, computatis periculis grandinum, &c. Sic Lessius *L.2. cap.12. cit. disp.19. num.135.*

135 Dico quartò. Frumentum, vinum, & alias merces restituendas in eo pretio, in quo erant vendendæ à Domino, tempore, & loco lucratiuis. Ità Doctores allegati. Vide Fagundez *loco cit.* si tamen ignoratur, quando vendendæ essent, sufficit restituere pretium medium, nec necesse est summa. Ità Diana *p.p. Tract.17. resol. 52.* vel remittendo viro prudenti.

Dico quintò, quoad ad fructus rerum, quæ communiter lucrari solent, vt agri, vineæ, &c. tenetur fur reddere fundos cum fructibus, detractis expensis. Ità communiter Doctores apud Fagundez, *cap.16. num.6.*

Probatur à D. Bonauent. *loco cit.* quia Fures, & malæ fidei possessores non acquirunt dominium earum rerum, quæ vsu non consumuntur.

136 Hoc asserunt, etiam si dominus suâ negligentiâ eos fructus non esset capturus; & deinde aiunt, teneri etiam restituere fructus, quos Dominus erat hausturus, & quos Fur ex negligentia non accepit. Ità Lessius *dub.17. num.115.* Fagundez *num.14.*

137 Dico sextò, Si Fur negotietur cum rebus, vsu consumptibilibus, & aliquid lucretur, tenetur restituere res, & lucrum cessans, & damnum domino emergens. Ità D. Thom. *2.2. quæst.78. art.3.* Sotus *L.6. de Inst. quæst.1. art.4.* Couar. *Lib.3. variar. resol. cap.3. num.6.* Panorm. *cap. nauiganti de vsuris, num. vltimo,* Molina *Tom.2. de Iust. disp. 327.* Angel. V. *vsura 1. num.15.* Syluest. V. *vsura 6. quæst.2.* Fagundez *num.17.* Patet *ex Leg.1. Cod. si quis alteri, vel sibi,* & *Leg. penult. eodem titulo.*

138 Dico septimò. Si res apud furem pereat, quæ non erat apud dominum peritura, quacumque de causa pereat, tenetur fur restituere. Ità D. Thom. 2.2. *quæst. 62. art. 6.* Lessius *Lib. 2. cap. 12.* & *dub.15. num.90.*

Ratio ex D. Bonau. est; quia fur fuit in culpa moræ, detinendo rem illam. Quod si res erat certò peritura, etiam apud Dominum, non tenetur restituere. Ità D. Thom. *loco cit.* & communiter alij apud Fagundez, *cap.17.*

DISPVTATIO XXVIII.

De Ivdice.

Disputatio hæc variis inuoluta est difficultatibus; hominum etenim solertia, in propriam defensionem ingeniosa, varios excogitauit modos, quibus iustitia si non faueat, saltem non noceat. Huius præcipuus interpres, & minister est Iudex, de cuius Iudiciorum Iustitia, & iniustitia agit Doctor Angelicus *quæstione 67.* & *sequentibus.* Sunt & aliæ personæ ad iudicia interuenientes, vt Accusator, Reus, Testis, & Aduocatus, quorum quisque singularem disputationem exigit; succinctè tamen ab his me expediam, cum ex professo eruditissimè integrum tractatum hac de re non ita pridem scripserit P. Elizæus noster ab Oriano, quem rerum criminalium, & praxis forensis studiosis apprimè legendum remitto.

QVÆSTIO I.

An sit necessaria in Ivdice *potestas.*

S. Bonauent. variis in locis.
D. Thom. quæst. 67. art.1.

Ivdex est, qui Ius dicit, è cuius parte plura re- 1
quiruntur, inter quæ principem locum tenet Authoritas.

Certissimum autem est omnium consensu, necessarium esse, Iudicem habere potestatem ad iudicandum.

Id probat multis modis passim S. Doctor, primò, *in Confessionali, cap.1. particula 5. & 6.* & Deuter.16. vbi datur formola instituendi Iudices, quibus etiam datur potestas. Clariùs hæc habet ad *Sap.6. & part.2. Ecclesiastica Hierarchia.*

Id ipsum sæpe ostendit S. Doctor, illo Rom.13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit,* id est, illis, qui nobis in sublimi præfecti sunt, vt explicat *in 2. dist.44. quæst. penult.* & *part. 2. de Eccles. Hierarchia, cap 3.*

Latius id ostendit S. Doctor *ad 6. Sapientia,* ad ea verba: *Audite ergo Reges, discite iudices finium terræ: quoniam data est vobis à Domino potestas, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra: quoniam, cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis.* Ideò *in cap. At si Clerici,* dicitur: *sententia, à non suo Iudice lata non tenet.* Et *c. Vt animarum, de constit. in 6.* dicitur: *Extra territorium ius dicenti, non paretur impune,* & S. Gregorius *lib. 11. registri,* vt refert *cap. Scriptum est 6. quæst. 3.* Scriptum est in Lege, Deuter. 23. *Per alienam messem transiens, falcem mittere non debes, falcem enim iudicij mittere non potes, nec debes in eam segetem, quæ alteri videtur commissa.*

Quibus

Quibus mediis id probat S. Bonauent. *in Confessionali, cap.4. part.1.* & *in 4. dist.19. art.3. quaest.1.*

3 RATIO sumitur ex D. Bonauent. *in 4. dist.17. part.3. quaest.2.* & *in Confessionali, loco cit.* quia iudicare est ligare, & cogere secundùm leges ad sententiam; nemo autem potest alligare aliquem, & cogere ad legis obseruantiam, nisi habeat vim coactiuam. Ideò ait Callixtus Papa 9. *quaest.2. cap.1.* apud D. Bonauent. loco cit. *Talis iudicatio nullas habet vires, quoniam nullius alterius iudicis, nisi sua sententia tenebit.* Ideò Pontifex valet omnes iudicare, (ait S. Doctor *in 4. loco cit.*) quia data est ei potestas coactiua ligandi, & soluendi *Matth.* 16. Eodem argumento vtitur D. Thom. & cæteri Theologi post eos; & nuperrimè hac vnica ratione nititur Elizæus noster *tract.4. quaest.1. num.* 4. vbi infert, Iudicem tantum habere de potestate coactiuâ, quantum de Iurisdictione decretiuâ; quod intelligit de Iudice ordinario, tantum.

4 PROBATVR secundò à D. Bonauent. 4. *dist.19. art.3. quaest.* 1. multis argumentis *ex can 16. quaest.1.* & 9. *quaest.2.* & *ex Can. Generali, extra de pœnitent. & remiss.*

DEINDE, quia ordo Ecclesiæ est, vt quis vnum habeat superiorem immediatum, vel ordinarium. Itaque non potest habere duos Episcopos, duos Patriarchas, &c. est enim Ecclesia, vt acies benè ordinata.

TERTIO, quia sequeretur. quod posset verus superior præcepisse hoc, & falsus præcipere contrarium.

5 OBSERVANDVM autem cum D. Bonauent. *locis allegatis*, D. Thom. *hic*, quos imitantur Valentia *disput.* 5. *quaest.* 11. *puncto* 1. cum Gabriele *in* 4. *dist.15. quaest.6. art.1. not.1.* Soto *L.5. de Iust. quaest.4. art.1.* Bassæo V. *Iudex, num.2.* Lessio *lib.2. cap.19. dub.6.* Tolet. *lib.5. cap.* 56. Bonac. *tract.1. disput.20. quaest.2. punct.1.* Sayro *lib.12. cap.7. num.3.* Tannero *disp.4. quaest.1. dub.1. num.* 24. & aliis, potestatem competentem esse quadruplicem.

PRIMA est potestas ordinaria, siue sit Ecclesiastica, siue sæcularis, & est illa, quæ alicui ex dignitate vel officio conuenit, & aliquando contingit ex Natiuo, aliquando ex Datiuo, vt habet P. Elizæus *loco cit. num.7.* Sic Papa habet ordinariam potestatem spiritualem super omnes fideles, & Episcopus in sibi subditos.

6 SECVNDA est potestas delegata, & est ea, quæ competit alicui ex commissione seu delegatione alicuius iudicis superioris. Talis est potestas Prætoris, missi à Rege.

Qui autem ex Delegatione obtinet Iurisdictionem, si sit ad plures causas vniuersaliter, potest subdelegare ad vnam, vel alteram causam, vel etiam ad plures, quæ pro vna particulari reputantur, nisi aliter in patentibus Delegatoriis sit expressum, vel nisi persona sit ob singularem industriam electa, cum particula, *Confisi*, id ipsum denotante; Si vera sit Missus ad vnius causæ decisionem, & ob industriam requisitam in ea re, negant plurimi eum posse subdelegare; ad totam causam, secus ad aliquam causæ particulam, vt ad testis alicuius examen. Ità Elizæus vbi suprà *num.* 20. vbi addit delegationem durare donec reuocetur, vel delegantis saltem morte expiret, causa manente integra; secus si iuridice sit inchoata in vno, vel altero actu. Ità etiam Bictus apud ipsum *quaest.*2.

TERTIA est potestas arbitraria, quæ habetur ex electione, & deputatione partium litigantium. Hic autem est duplex; alter electus ad litem amicabiliter dirimendam; & hic non tenetur iudicare, seruato iuris ordine; sed pro arbitrio suo, seruata æquitate iuris naturalis. Alter, qui eligitur, vt iudicet secundùm ius. Et sane isti iudices accipium potestatem à partibus; & ferre possunt sententiam iure gentium firmatam inappellabilem, à qua si alter reclamet, mortaliter peccat, & potest à Principe cogi, vt aduertunt Sotus *Lib.3. de Iust. quaest. 4. art. 6.* & *L.5. quaest. 4. art. 1.* Saytus *Lib.12. cap. 8. num.4.* & alij communiter.

HOC genus potestatis indicatur *in cap. Placuit*, apud D. Bonauent. *loco cit.* vbi dicitur, teneri eum, qui semel elegit alium in suum Pastorem, ei subdi, qui Canon includit etiam quartum genus potestatis, quæ dicitur *iure Accessoria*, qualis est, quam habet Iudex, seu Princeps ratione delicti, vel ratione personæ degentis pro tunc in suo territorio. Habent enim singuli superiores, habentque iudices propria territoria, & terminos, in quibus possunt iudicium de omnibus, tali loco accedentibus, ferre; extra illa verò loca non licet eis iudicare, quod probat S. Doctor *in Confessionali, loco adducto*, ex *cap. Vt animarum, de constit. in 6.* vbi dicitur: *Extra territorium iusdicentium paretur impune*, & dist. 9. quæst. 2. *Nullus Parochianum alterius iudicare præsumat*, & de pœnit. dist.6. cap. fin. dicit Vrbanus II. *Qui contra hac statuta facere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit.* Et addit S. Doctor, non valere dicere, tota die contrarium fieri, quia, qui hos Canones transgrediuntur, grauissimè peccant. 7

Hoc statutum ex debito commisso in alterius territorio habetur, *cap.1. de Raptoribus*, & Leg. *Alterius, ff. de Accusationibus.*

SIC etiam conueniri quis potest ratione domicilij in eo loco, *cap. final. de foro compet.* de qua re agit Glossa *in summa 3. quaest.6.*

SIMILIS est casus, qui est quintus modus iurisdictionis, ratione iniuriæ, illatæ subdito alterius Principis. Si enim superior iniuriantis nolit punire reum, potest Princeps iniuriati illum pœnis afficere, vt docent Lessius *Lib.2. cap.29. de Iudice, dub.6.* Filliucius *Tomo 2. tract.40. cap.6. num.155.* Fagundez *L.8. num.12. in octauum Preceptum*, post D. Bonau. *in 4. dist.19. art.3. quaest.1. corpore.* 8

EX his habemus, Iudices sæculares non posse iudicare personas, vel res Ecclesiasticas, vt habetur *dist.19.* & *in Decretal. Tit. de immunitate Ecclesiæ*, & *cap. seculares, de foro compet. in 6.* & ex Concilio Constant. *sess.8.* & Concilio Trident. *sess. 25. de reform. cap.20.* vbi renouantur Sacri Canones, & Concilia omnia generalia. Et Apostolicæ sanctiones in fauorem personarum Ecclesiasticarum, & libertatis Ecclesiæ. Et in iure, cui Authentica. *Vt clerici proprios iudices conueniant, collat.6.* 9

HÆC omnia tangit S. Doctor *in 2. dist.25. part.1. dub.1.* dum ait, Iudicium importare actum rationis regulatum secundùm regulas veritatis, siue supernæ legis. Vnde ille dicitur Iudex, cuius est secundùm leges iudicare causam. Ille verò dicitur Arbiter, qui ad proprium voluntatis nutum causam terminare habet. 10

NON concedunt autem leges sæculari, iudicare Ecclesiasticos. De quo præclarum exhibuit exemplar Constantinus Magnus, qui, vt narrat Ruffinus *L.10. hist. cap.2.* cum in Niceno Concilio multos ab Episcopis nonnullis libellos accepisset, vt contra alios Episcopos procederet, piissimus Imperator omnes illos libellos clausos igni tradidit, dicens: *Deus constituit vos Sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoque iudicandi, & ideò nos à vobis rectè iudicamur,*

vos

vos autem ab hominibus (scilicet laïcis) *iudicari non potestis*.

11 IMO verò iuri diuino repugnat, Ecclesiasticos, aut etiam sæculares in rebus spiritualibus subiici principibus sæculi: Solos enim Apostolos, & eorum successores, non autem Principes, aut Reges constituit gubernatores Ecclesiæ, magistros fidei, & causarum spiritualium iudices, vt disserit S. Bonauent. *locis citatis*, & *in 4. dist. 17. part. 3. art. 1. quæst. 1.*

CVM enim in Ecclesia militante duo sint gladij, *cap. Dilecto, de sent. excom. in 6.* qui duplicem potestatem Ecclesiasticam, & sæcularem significant, *cap. solitæ de maior. & obed.* & *cap. ad verum, dist. 99.* hæ duæ potestates ita inter se distinctæ sunt, vt vna alterius iurisdictionem vsurpare non debeat; hoc est, neque Ecclesia authoritatem sæcularem sibi debet vindicare in rebus temporalibus, quæ aliquo modo non pertinent ad bonum regimen Ecclesiæ, & salutem animarum, nec è contrà, sæcularis potestas de rebus spiritualibus, aut personas Ecclesiasticas, debet iudicare, nisi in casibus sibi permissis.

12 QVAMVIS autem, vt ait Bernardus *de consideratione*, habeat etiam gladium temporalem quod probat illo Lucæ 22. *Ecce duo gladij hic*, & Dominus ait: *satis est*; tamen gladius spiritualis est extrahendus manu Ecclesiæ, quia directè est in manu eius; temporalis verò solùm indirectè, vt docet S. Bonau. *in 4. dist. 37. dub. 4. littera*, & vt habet etiam S. Thom. *Lib. primo de Regim. Princip. cap. 14.* & *Lib. 3. cap. 13. & 15.* Bellarm. *Lib. 5. de potestate Pontificis.* Panor-
13 mit. *in cap. Nouit. num. 11. & seq. de Iudiciis.* Habet etiam potestatem in casus mixtos, vt in causis vsuræ, sacrilegij, iuramenti, & matrimonij *arg. cap. cum sit*, & Gloss. vbi V. *Malefactores, de foro compet.* Gladium verò temporalem directè habet sæcularis. Vnde D. Bernardus *Lib. 4. de consider.* ad Eugenium apud D. Bonauent. ad ea verba, Lucæ 22. *Ecce duo gladij*, ait: *Si nullo modo ad te pertineret gladius materialis, dicentibus Apostolis, ecce duo gladij hic, non respondisset Dominus*: satis est; *sed*: nimis est. *Vterque ergo est Ecclesiæ & spiritualis, & materialis. Sed hic quidem pro Ecclesia; ille vero ab Ecclesia est extrahendus; ille sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum sacerdotis, & iussum Imperatoris.*

14 IN tribus tamen casibus, posse Iudicem sæcularem iudicare Clericum admonet, Tanner. *disp. 4. q. 4. n. 29.*

PRIMA est, si clericus degradatus tradatur brachio sæculari. Secunda, ex Episcopi consensu in causa sola ciuili. Tertia probabiliter titulo reconuentionis, ità vt si clericus Laïcum citauit coram iudice sæculari, possit ipse vicissim reconueniri, non tamen criminaliter, vt docent Carbo *quæst. 51. de restit.* Lessius *cap. 29. dub. 6.* Tanner. *loco cit.* Et si oppositum cum Panormit. magis laudo.

15 POSSVNT verò è contra viduæ, & pupilli, trahere suos reos ad iudicem Ecclesiasticum, vt docent Conar. *in epit. 4. part. 2. §. 12.* Sà *verb. Iudiciales.* Tanner. *num. 31.* Salon. *quæst. 60. art. 4.* Clarus praxi *quæst. 30.* iuxta *cap. Inter alia, de Immun. eccles.* & alios Canones 17. *quæst. 4.*

EX dictis assero peccare lethaliter iudicantem sine aliqua è dictis potestatibus. Ita D. Bonauent. supra, Azor 3. *part. lib. 13. cap. 19.* Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 6. num. 51.* Bonacina *tract. 1. disp. 10. quæst. 2. punct. 1.* Bassæus noster V. *Iudex* 3.

PROBATVR, quia infert iniuriam tum partibus, eas sibi iniustè subiiciendo: tum superiori, eius authoritatem vsurpando.

16 HIC tenetur restituere quidquid damni emergit iudicatis contra iustitiam.

NOTA verò si Iudex rei damnificantis non faciat iustitiam, posse hunc iudicari à iudice damnificati proportionaliter; Si Sæcularis à sæculari; si Ecclesiasticus à simili.

QVÆSTIO II.

An IVDEX *sequi debeat veritatem, & ideò esse sapiens.*

S. Bonauent. in confess. cap. 1. part. 5.
D. Thom. art. 1.

TRACTATV de Iustitia *disput. 20. quæst. 7.* ostendi, iudices esse debere iuris consultos, & hominibus eruditos. Eadem pluribus ostendi *in hoc tractatu disput. 1.* quare ex triplici defectu eos peccare ait P. Elizæus *tract. 1. quæst. 11. num. 17.* è defectu scilicet rectitudinis, potestatis, & prudentiæ. 17

DEBENT enim cursus facultatum, & virorum hominum agere prudenter, non temerè, quod de iudicibus etiam conscientiæ probat S. Doctor *in Confessionali, cap. 1. particula 5.* illo Deuter. 17. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris, &c. Venies ad sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi, iudicij veritatem.* Quam authoritatem vrget Sayrus *lib. 12. cap. 8.*

EST autem duplex veritas. Alia rei: Alia conscientiæ. Et quidem Conscientia est sicuti existimatur: Veritas rei est, vt se habet à parte rei. Et vt vtraque veritas obtineatur, & conscientia sit recta, debet esse Iudex eruditus in Iurisprudentia, debet enim secundùm dispositiones iuris communis ferre sententias *arg. cap. 1. de sent. & re iudic. in 6.* Debet esse eruditus in Iuribus municipalibus, quæ sæpe iuri communi derogant.

SI autem causa decernenda non habeatur expressè in iuribus, debet probabilitates opinionum pensitare, & se gerere vt dixi *prima 2. tract. 2. disput. 17.* Sic agens in toto erit etiam à Sindicatu, Felinus *cap. 1. de constit. num. 54.* Sayrus *lib. 12. cap. 9.* Alioqui si ignorans, est in malo statu, nec potest absolui, nisi renunciet, Reginaldus *lib. 25. num. 657.* Nauar. *lib. 2. cap. 25. num. 12.* Rectè enim D. August. *lib. 9. de ciuit. cap. 6.* ait: *Ignorantiam iudicis, sæpe fieri calamitatem innocentis.* Ideò tenetur restituere damna partis læsæ, expensas, &c. 18

NON exquisitam, sed competentem exegit scientiam *arg. cap. cum nobis olim, de elect.* Conceditur verò assumere ex defectu scientiæ Assessorem cum vtriusque partis expensis, *cap. statutum, §. Assessorem de rescript. in 6.* Si errauerit, tenetur admonere læsum, vt sibi prouideat, vt aiunt DD. *in cap. Præterea, de test. cogendis.* Ità Caietan. 2. 2. *quæst. 70. art. 4.* Lugo *de iust. disp. 37. sect. 1.* Bassæus V. *Iud.* 11.

DISPVTANT *hic*: an sciens aliquem esse insontem possit damnare, si ex allegatis sit reus. De hoc egi *quæst. 12. disp. præced.* 19

DISSERVNT etiam, an teneatur iudicare iuxta legis verba; num verò vti Epikeia. Et quidem quò ad leges naturales, quæ clauduntur Decalogo, non licet, quia indispensabiles sunt, vt ostendi *Tract. de Legibus, disp. 3. quæst. 7.* Ratio est, quia iustum in his legibus ex ipsa rerum natura oritur.

QVOAD alias positiuas, tenetur Iudex secundùm leges superiorum iudicare, quia Iudex non iudicat legem, sed res secundùm legem, vt dicitur

communiter

communiter ab omnibus cum D.Bonauent. *in primo, dist.5. part.1. art.1. quæst.1. ad 4* & D.Augustino *de vera relig. cap.* 31. quos sequuntur D. Thomas 2.2. *quæst.* 60. *art.* 5. Salon. & Aragon. *ibidem*, Sotus *de Iust. Lib.*3 *quæst.*4. *art.*5. Valentia *disp.*5. *quæst.*4. *puncto* 2. Saytus *Lib.* 12. *cap.*9. *num.*3. Ratio D.Bonauenturæ, quâ omnes nituntur, est, quia iudicare aliquid ad approbandum, vel reprobandum, dicit præauctoritatem super illud: At Iudex huiusmodi est subditus illis legibus, quas superiores condiderunt: vnde contra Iudicem potest de nullitate opponi, si has leges, Canones, vel statuta inter iudicandum omiserit. Ità P.Elizæus *tract.*2. *quæst.*4. *num.*16.

20 QVOAD leges vero à se conditas, satis actum est, *Tract. de Legibus, disp.* 5. *quæst.* 14. vbi ostendi, non posse Legislatorem sine causa in suis legibus dispensare; quamuis enim ante liber esset ad eas Leges ferendas, tamen postquam ob commune bonum publicatæ fuit, tenetur eas conseruare illibatas.

ENIM verò, si verbis legis seruatis, sequeretur ratione loci, personæ, &c aliqua iniustitia, tunc secundùm Epikeiam iudicare debent. Ità D. Thom. 2.2. *quæst.*60. *art.*5. *ad* 2. Salon. & Aragon. ibi, Sotus *L.*3. *quæst.*4. *art.*3. Saytus *num.*4. & alij.

21 RATIO est, quia Lex est regula, & explicatio iusti; iudex autem Iustitiæ custos est. Confirmatur, quia lex, si ex aliqua circumstantia iniqua fit, non est ampliùs lex; neque regula, quæ actiones nostras dirigere valeat, sed corruptela, vt optimè ait D. Th. *prima secunda, quæst.* 96. *art.* 4. sicut Horologium, quod cum motu Solis non consentit, non est horologium, sed horarum perturbatio.

22 E nomine etiam Iudicis constat, eum debere secundùm leges sententias ferre; dicitur enim Iudex, cuius est secundum iura causam terminare, vt ait D.Bonauent. *in* 2. *dist.*25. *part.*1. *dub.*1. *litt.* seu à ius dicendo, vt suprà monui ex P.Elizæo ab Oriano, & vt ait Becanus *tract.*3. *miscell. fol.*340. Fagundez *num.*2. *cap.*18.

NOTAT verò Fagundez *L.*8. *cap.* 18. id, quod ait adnotasse Alensem *part.*3. *quæst.* 40. *memb.*4. Gabrielem 4. *dist.*15. *quæst.*6. *not.*3. *in sacra pagina*, *Deuter.*1. Iudicium hoc vocari *Iudicium Dei*; gerit enim iudex vices Dei; vnde in tribus conformari debet Deo;

23 In Potestate seu iurisdictione; in Veritate, & Bonitate. Potestas consistit in authoritate, & superioritate; Veritas Iudicis in discretione; Bonitas in rectitudine animi. Vnde Deuter.16. dicitur: *Iudices, & magistros constitues in omnibus portis tuis*: Ecce authoritas. *Vt iudicent iusto iudicio populum*: Ecce iudicium veritatis. *Nec in alteram partem declinent*: Ecce rectitudo animi: Hæc tamen latiùs resoluit S. Doctor, *locis adductis, Tract. de Prudentia*, & *Tractatu isto, disp.*1. præcipuè *part.*2. *de Ecclesiastica Hierarchia*, *cap.*2. & *ad cap.*6. *sapientiæ*.

EX defectu incompossibili potestatis excluduntur mulieres; vnde *Deuter.* 1. dicitur: *Date ex vobis viros*. Et cap.18. *Prouide viros*, & quia dictum est ei Genes. *Sub potestate viri eris*. Ex quo capite excluduntur etiam serui, quos hortatur Petrus prima, c.2. *subditi estote*.

24 PROPTER defectum iudicij discretionis repelluntur surdi, muti, amentes, furiosi, & minores, vt latè ostendit Seraphicus Doctor *locis adductis*.

PROPTER defectum probitatis repelluntur hæretici, infames, excommunicati, & alij probabiliter suspecti, vt inimici, vel consanguinei actoris.

QVÆSTIO III.

An acta IVDICIS, *non habentis titulum verum, sed putatiuum tantùm, sint valida, ità vt neque ipse peccet.*

{ D.Bonauent. in 4. dist. 17. part.3. dub.4.

PRIMA opinio docet, acta, gestaque per huiusmodi Iudicem, vel Parochum, esse inualida. 25

COMMVNIS tamen, & vera sententia est, ea esse valida. Ita Lessius *Tom.* 1. *lib.*2. *cap.* 29. *dub.*8. *num* 65. Filliucius *Tomo* 2. *tract.* 40. *cap.*6. *num.*162. Sanchez *Lib.*3. *de matrim. disp.* 22. *num.* 5. Tanner. *disp.*4. *quæst.*4. *num.*21. Fagundez *in octauum præceptum decal. Lib.*8. *cap.*19. *num.*3. & 8. vbi alios citat & ita decisum est in vtroque iure.

QVOAD D. Bonauent. arbitror stare pro hac sententia, nam *in* 4. *dist.*17. *part.*3. *dub.* 4 assignans casus, quando debet confessio iterari, ponit quatuor. Primus est, quando casus est reseruatus, & debet remitti ad superiorem, habentem iurisdictionem, & videtur innuere id solùm euenire, quando inferior, sciens, absoluit, cùm teneatur ad superiorem remittere. 26

EX quo deducitur, Euntem bona fide ad reseruatum tantùm confitentem illi, qui putat se habere iurisdictionem, & ideò non tenetur ad superiorem remittere, validè absolui. Hoc autem ita sentire Seraphicum patet *ex dist.* 19. *art.*3. *quæst.*1. quod probat *fundamento* 2. & 9. *quæst.*2. vbi nullitas factorum declaratur solùm contra eum casum.

PROBATVR primò *ex Leg. Barbarius, ff. de officio Prætoris*, vbi casus incidit, vt iste Barbarius, alibi seruus, fuerit Romæ ad Præturam assumptus, cùm tamen serui ad hoc essent inhabiles ex seruitute, & tamen acta eius fuere à senatu Romano ratificata, ne exurgerent confusiones; & idem casus in genere definitur, quia potest ab eo Principe, qui inhabilitatem pósuit, remoueri. 27

IDEM habetur *in Synodo Romana* 3. *quæst.*7. *cap.*1. & refertur, *cap. infamis, V. verumtamen* 3. *quæst.*7. ibi: *Si seruus, dum reputaretur liber, sententiam daret ex delegatione; quamuis posteà in seruitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta, rei iudicatæ firmitatem tenet.*

RATIO est, quia alioqui innumeræ confusiones in Republica oriruntur, si essent rescindenda omnia decreta, omnes decisiones, &c.

Certum itaque est ex communi doctrinâ, nulliter electum, sed iugiter toleratum, modò nil desit è iure diuino requisitum, & modò in eligentibus sit saltem titulus coloratus, posse validè varios Iurisdictionis actus exercere. Dixi: modò nil desit è iure diuino, &c. quia si quis eligatur in Confessarium, qui non sit Sacerdos, eius iurisdictio nulla est. Ita P.Elizæus *tract.* 10. *quæst.* 22. *num.* 15.

Idem sentit Lessius, quando etiam populus dubitat de reuocatione potestatis; quia melior est conditio possidentis; Item Diana cum aliis *part.* 2. *tract.* 16. *resol.*45. & *part.* 3. *tract.* 4. affirmant acta Iudicis, potestatem tantùm habentis in sola æstimatione populi, adhuc valere; Quod idem aiunt Lessius & Suarez 3. *part. tom.*4. *disp.*26. *sect.*6. *num.*7. de iudice, cuius Iurisdictio tantùm appenditur opinioni probabili, licèt talis opinio in se sit falsa; Pro contraria tamen sententia plures militant.

Ex

28 Ex his ferè definitur alia quæstio: Quid dicendum de iudice, delegato solùm ad vnam, vel alteram causam, & decernente omnia. Ea sanè acta non valere docent Innocentius, *cap. cum dilecta, num. 10. de rescript.* Ioannes Andreas *ibi, num. 14.* Abb. *num. 10.* Guido Pap. *decis. 322.* Alex. *cons. 77. num. 7. lib. 2.*

Opposita tamen sententia est Sanchez *Tom. 1. Lib. 3. de matrim. disp. 22. num. 16.* Anton. *cap. cum dilecta, de rescript. num. 15.* Abb. *ibi, numero 10.* Imola *num. 11.* Filliucius *num. 3.* dicens, esse omnium. Decius *in cap. sciscitatus, de rescript. num. 18.* Bartol. *in Leg. Barbarius, ff. de offic. Prætor. in secunda lectura, num. 13. & 18.* Paludanus *4. dist. 17. quæst. 6. art. 2.* Henriquez *lib. 5. de pœnitent. cap. 14.* Fagundez *in octauum Præcept. Lib. 8. cap. 19.* & alij apud Sanchez.

29 Probatvr ex *dicto cap. infamis*, vbi apertè est sermo de Iudice delegato, & tamen eius sententia sustinetur propter communem errorem, & vtilitatem, cùm verus iudex non esset.

Probatvr secundò ex *Lege 1. Cod. de sentent. & interloc.* ibi: *Si arbiter datus à magistratibus, cum sententiam dixit, in libertate morabatur.* Sic exponit & Glossa *V. si arbiter.*

Tertio, quia, si seruus, qui testis esse nequit, adhibeatur in testamento, valet, vt patet *Lege 1. Cod. de testamento.*

30 Dicas. In iudice ordinario concurrit communis vtilitas, non sic in delegato ad vnum.

Respondetvr, interuenire etiam hîc vtilitatem communem ratione officij; nam, dum iudex delegat huic vnam causam, constituit eum in officio publico *Leg. 3. ff. de iurisdict. omnium iudicum.* Idem autem proportionaliter in casu ordinarij, & delegati censet S. Doctor *4. dist. 17. part. 3. quæst. 2.*

QVÆSTIO IV.

An possit Papa *se alicuius iudicio subiicere.*

D. Bonauent. in 4. dist. 29. art. 3. quæst. 2.
D. Thom. in supplem. quæst. 20. art. 3.

31 Certvm est aliquando id præstitum; Sic enim Leo IV. apud D. Thom. 2. 2. *quæst. 67. art. 1. ad 2.* vt legitur dist. 2. quæst. 7. c. *Nos incompetenter*; in causa quadam se sponte subiecit iudicio Ludouici secundi Imperatoris, & Caroli magni pronepotis, dicens: *Si iniustè aliquid egimus, cuncta volumus vestro emendare iudicio.*

Addit autem Valentia *disp. 5. quæst. 11. punct. 2.* in eo casu teneri Pontificem parere ei, cui se sponte subiecit, ita vt, si non pareat, peccet.

Qvo sensu admittit Sayrus *L. 12. cap. 8. num. 4.* iudicis arbitrarij sententiam vim habere cogendi Pontificem, quamquam non adeò perfectam, vt possit Pontifex ad parendum cogi per pœnam. Hoc fortius aduertit S. Doctor; alioqui posset excommunicare seipsum, quod est absonum.

32 Svperaddit Sayrus ex Valentia *loco cit.* Caietano *2. 2. quæst. 67. art. 1.* Soto *Lib. 5. de Iust. quæst. 4. art. 1.* Aragon *ad loco cit.* D. Thom. Tannet. *disp. 4. quæst. 4. num. 25.* quod Papa potest eum arbitrum à se electum reuocare ex causa, & licèt repudians sine causa, peccaret, tamen esset reuocatus, & eius sententia foret nulla.

Mvlto verò magis certum est, posse Papam se subiicere alteri in iudicio confessionis sacramentalis.

Probatvr validissime à S. Doctore, quia 33 Pontifex est homo viator, particeps infirmitatis humanæ, & potest peccare, atque adeò tenetur assumere medium necessarium, à Christo institutum, quod est Sacramentum pœnitentiæ pro mortalibus actualibus, & hoc confirmat S. Doctor *ex Decretali*, quæ est Gregorij, *de pœnit. & remiss.* vbi id declaratur, & hac ratione probatur.

Contra assertum obiicies primò. Pontifex non potest se alteri subiicere excommunicandum, aut puniendum, vt docent D. Bonauent. *hic*, & D. Thom. *4. dist. 29. quæst. 2. art. 3.* Richardus *dist. 18. art. 5.* Paludanus *ibi, quæst. 2.* Ergo neque potest se subiicere iudicandum.

Respondet S. Doctor *ad 3.* primò, Ex- 34 communicationem, & alias pœnas esse contra se, atque adeò esse contra voluntatem Dei, esto patienter toleratæ sint ad meritum, quapropter non potest aliquis iuridicè contra se pœnas decernere; quia essent libentes, & violentæ; At verò quod ex voluntate Rei feratur sententia de se, vbi causa est anceps, non videtur contra rationem iudicariæ telæ. Hoc responso vtitur Valentia, Quò ad iudicia extra confessionem.

Hac tamen responsione non quiescit S. Doctor, nam eligens arbitrum assentitur voluntariè etiam cuique sententiæ iustæ contra se, si deferatur; atque adeò sequetur, nullum posse eligere arbitrum, qui posset contra se definire.

Respondet ergo secundò, non esse parem 35 rationem in Excommunicatione, similibusque pœnis, & in iudicio arbitrario, siue confessionis, siue alio ad salutem necessario; Nam Excommunicatio, & aliæ pœnæ, quæ sunt hominibus communes, dicunt iurisdictionem communem super hominem, qualis est in prælatis; At iurisdictio confessionis dicit mediationem inter Deum, & hominem ad reconciliationem. Et quia necesse est, hominem, quantumuis magnum, subiici iudicio Dei; hinc est vt possit Pontifex se subiicere alteri ad absolutionem Sacramentalem; imò ad alia, quæ tangunt conscientiam, puta restitutiones, & similia, atque adeò potest in his se subiicere homini, non vt Papa, sed vt delinquens coram Deo, vel dubius de hoc; At pœnæ excommunicationis, & aliæ humanæ supponunt Prælationem, quæ non potest esse super Papam, nec potest is, manens Papa, aliquem sibi prælatum simpliciter agnoscere, vt ostendi *p. p. tract. 1. disp. 4. proœm. quæst. 8.*

Ex quo patet ad aliud argumentum, quod op- 36 ponunt; nempè, vel arbiter electus à Papa, est æqualis, vel Superior Papæ. Si æqualis, non potest iudicare illum, quia par in parem non habet imperium. Non Superior: Primò, quia Papa est supremus. Secundò quia non potest supra id, quod est; nemo enim dat, quod non habet. Igitur Papa non potest facere alium superiorem potestate Papæ.

Respondet Caietanus, & Valentia, Papam esse inferiorem secundùm quid, seu quoad hoc.

At S. Doctor persistit, non subiici illum, vt est Papa, sed vt homo, qui eget in iudicio Dei seruare æquitatem.

Hoc autem ius hæreditarium à Christo Pon- 37 tificibus concedunt Doctores iuxta illud Matthæi 17. *Ergo liberi sunt filij.* Neque enim Christus fuit, etiam vt homo, subditus potestati

ter ienæ, tametsi illi se subiecerit, vt protestatur Pilato, Ioan 19. *Non haberes in me potestatem, nisi datum tibi esset desuper.* Hæc autem exemptio erat illi debita ratione vnionis hypostaticæ, vt ait Valentia *disp.5. quæst.11. puncto* 1. Quare non video, cur hæreditariam eam faciat in Pontifices, cum ipsi non vniantur hypostaticè verbo.

Ex alio igitur capite illis obuenit, nempe ex Iure Diuino, quo constituit Christus Pontifices Patres, & Iudices totius Ecclesiæ. Vbi ideò arbitror, eo tempore imposuisse hanc dignitatem *Matth.* 16. quando Petrus confessus est, Christum esse filium Dei, atque Deum. Et *Ioan.*21. cum eum super omnia dilectum, vt Deum, protestatus est.

38 Solent autem hic interim etiam quærere: An Christus, vt homo, esset Rex Regum; atque adeò hac ratione supra Imperatoris potestatem, quam habuit Pilatus delegatam, ac proinde Christus se illi sponte subiecerit, non modò vt exemptus ratione vnionis hypostaticæ, sed etiam ratione dignitatis monarchicæ.

Sotus *Lib.*4. *quæst.*5. *art.*1. Caietanus *loco cit.* & Valentia negant, Christum hoc pacto se Pilato subiecisse, quia ipse fatetur: *Regnum meum non est de hoc mundo.*

39 Sed D. Bonauent. ad 19. Ioannis profitetur, Pilatum vsurpasse sibi exercitium potestatis, contra Christum, & desuper habuisse tantùm potestatem Iudicis, non super Christum, qui sæpius refricauit, se Regem esse, iuxta id Psalm.2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, &c.* & si dixit: *Regnum meum non est hinc*; non obest, quia, vt acutè obseruat S. Doctor; non dixit Christus: Regnum meum non est hic, vel non est in hoc mundo, sed: non est de hoc mundo: *non est hinc*, quia non iure gentium habebat

40 regiam potestatem, sed iure diuino naturali. Erat igitur Christus Rex, vt ostendam 3. *part. Tractatu* 1. *disp.*24. *quæstione vltima.*

QVÆSTIO V.

An bonitas sit IVDICI *necessaria.*

D Bonauent. in 4. dist. 19.

41 Sectariorum nonnulli ausi sunt dicere, Prælatum peccato mortali amittere iurisdictionem; quem errorem explosit sæpius, & damnatur in Concilio Constantiensi *sess.*8. *art.*13. & *sess.*15. *art.*3. & patet Matth.23. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, licèt impio.

Dicunt tamen aliqui, Iudicem in peccato mortali iudicantem, mortaliter delinquere; Ita Alens. 3. *part. quæst.*40. *memb.*3.

42 De Ecclesiasticis verò D.Thom. 4. *dist.*19. *quæst.*2. *art.*2. *quæst.* 2. Paludanus ibi *quæst.* 3. *art.* 3. Syluester V. *correctio*, *quæst.* 16. Vnde illud Ioan. 8. *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat*, vbi S.Doctor, Lex scripta est in lapide propter duros: nunc autem scripsit Dominus in terra, quia fructum quærebat. Impleatur ergo lex, sed numquid à puniendis lapidanda est adultera? Hæc vox est iustitiæ; puniatur peccatrix, sed non à peccatoribus, & allegat D.Augustinum *tract.*33. Ad signandum ergo, quod legis præuaricatores non sunt digni ad iudicandum alios, ideo se sic inclinauit, & scripsit, vt ait verè Anselmus: Quantum est de ordine iustitiæ non sunt digni punire, vel accusare, qui sunt in peccato, maximè quando peccatum est notorium, quia tunc iudicantes, & accusantes scandalizant.

Quando verò peccatum est occultum tunc peccat iudicans, vel acusans, eò quòd cognoscit, se esse in peccato, & tamen se non purgat. Et ideò periculosè faciunt tales iudices, sic iudicantes, cùm sciant, se esse in peccato. 43

Opposita verò sententia est, nullum Iudicem peccare, iudicando in peccato mortali. Ità D. Thom. 2. 2. *quæst.*33. *art.*5. & *quæst.*60. *art.*2. Caietanus, Salonius, Aragonius, & Bannes *ibi*, Sotus *lib.*3. *de Iust. quæst.*4. *part.* 2. Petrus Nauar. *lib.* 2. *de restit. cap.*4. *part.*4. *dub.* 4. *num.*435. Martin Nauar. *in Rubric. de Iud. num.* 42. Sayrus verò *Lib.* 12. *cap.* 13. aliqua distinguit. Loquuntur autem de Iudicio externo. 44

Idem sentiunt Valentia *quæst.*4. *puncto* 2. Tannerus verò *disp.*4. *quæst.*4. *num.*16. distinguit, alios allegans, inter quos etiam Alensem *loco cit.* apud Syluestrum, V. *Iud.*§. 12. Sic & Bassæus V. *Index, num.*12. Lugo *de Iust. disp.* 37. *sect.*2. Syluius 2. 2. *quæst.* 60. *art.*2. & alij.

Assero primò cum D. Bonauent. iudicem in peccato mortali scandaloso, ferendo sententiam, etiam iustam, peccare mortaliter. Ità D. Bonau. D.Thom. *art. cit.* Caietanus, & alij omnes citati, è quibus aliqui dicunt, esse per accidens ratione iustitiæ, quæ exponitur contemptui. 45

Ratio D.Bonauent. qui vtuntur alij, est, quia inde oritur scandalum aliorum, & iustitia in vilipendium abit; maximè verò hoc euenit, quando Iudex eisdem ipse criminibus obvoluitur, quæ punit in aliis.

Assero secundò, Iudicem in peccato mortali occulto peccare aliquo modo. Ità censent è Doctoribus, etiam secundæ sententiæ, Caietanus, Sotus, Valentia, Martinus Nauarrus, & Sayrus, dicentes, peccare venialiter, eò quòd actum iustitiæ ex inclinatione iustitiæ non exercet. Probatur à S.Doctore *ad* 6. *Sap.* illis verbis, Rom. 2. *In quo alium iudicas, te ipsum condemnas.*

Addit S. Bonauent. aliquid aliud ob periculum, quia homo impius facilè corrumpitur ad iniquè iudicandum, maximè affectibus, muneribus, &c. 46

QVÆSTIO VI.

De exteriori puritate manuum Iudicis.

D.Bonauent. ll. cc. & in spec. animæ, cap.2.

Exterior puritas, Iudici necessaria, consistit præcipuè in manibus, *arg. cap. statutum*, §. *Insuper de rescript. in* 6. quæ est duplex: Prima est continere se ab iniuriis, contumeliis, &c. Secunda à muneribus. 47

Contra primum peccat verberando, *Lex Nec magistratibus, ff. de iniuriis*, & tenetur ad compensationem illatæ iniuriæ.

Contra secundum peccat concussionibus, *Titul. de concussione.* Est autem concussio, vt colligitur *ex cap. Iubemus, & seq.* dum quis minatur alicui, nisi hoc, vel illud des, aut facias; vel quando venalem dat sententiam; aliàs non daturus, vel è contra. Qui igitur extorsione 48

extorsione pecuniæ ex incussione metus aliquid accipit, furatur, & ad restitutionem tenetur; vel si ratione pecuniæ acceptæ vlteriùs procedere omittit, concussionis crimen incurrit *Leg.* 1. *&* 2. *de concuss.* & extra præceptum *Leuit.*6. vbi iubetur nihil extorquendum. Quæ prosequitur S. Doctor *in speculo animæ, cap.* 2. ante medium.

PRÆCIPVA munditìes manuum est à muneribus, de quibus S. Doctor allegato loco statim, *§. quartus fructus rapinæ est munerum acceptio.*

49 SVPPONO autem, Iudices, & alios Iustitiæ Ministros habere à Legibus iusta stipendia. Itaque si aliquid amplius pro suo munere exercendo accipiunt, peccant contra iustitiam, & restitutioni tenentur ante sententiam iudicis, parti danti faciendæ; post sententiam verò Superiudicis, ei facienda est, cui sententia decreuerit. Ità S. Bonauent. *loco citato*, Molina *tom.* 1. *de Iust. disp.* 83. Conar. *ad reg. peccatum, part.* 2. §. 3. Nauar. *summa Lat. cap.* 17. *numero* 23, Adrianus *quodl.* 10. *art.* 1. *&* in 4. *quæst.* 19. Gabriel *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 6. *concl.* 9. Lessius *Lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 9. *num.* 65. Caietanus 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 7. Huc peccatum ad concussionem, & calumniam spectat ex D. Augustino, relato *in cap. militare, dist.* 23. *quæst.* 1. à quo Ioannes Baptista *Lucæ* 3. milites admonebat, vt abstinerent: *Neminem concutiatis; contenti estote stipendiis vestris*, vt explicat S. Bonauent. *in comment.*

HAS munerum acceptiones damnant vtraque Iura.

50 IVS quidem Canonicum *cap. statutum, §. si quid, & §. insuper de rescript. lib.* 6. vbi præcipiuntur Iudices delegati restituere ea, quæ vltra sibi debita, & iure concessa, à partibus acceperunt, & ibi dicitur, non sufficere solam remissionem eius, cui hæc restitutio debetur, vt Iudex à restitutione absoluatur. Notat autem Panormitanus *in cap. cum ab omni de rescript.* & Molina *disput.* 84. Fagundez *Lib.* 8. *cap.* 26. *numero* 2. id à fortiori vrgere de iudicibus ordinariis.

51 DE Iure communi etiam patet *in Leg. Plebiscito, ff. de offic. Præsidis*, & *Leg. solet, §. vlt. ff. de off. Proconsulis*; & Authentica: *Vt Iudices sine quoquo suffragio fiant, §. Scriptura est exemplar*, vbi tamen non prohibentur, sed conceduntur Xenia, idest munuscula esculenta, quæ duorum, vel trium dierum spatio consumuntur; quæ primò Munera vocat S. Doctor à iure concessa.

ADMONET tamen Nauar. *opusc. de datis, & promiss. num.*47. Molina *disp.*83. Fagundez *num.* 12. si quis à iudice petat aliquam diligentiam singularem, super eam ad quam tenetur puta, vt iter eò faciat; Siè Tabellionem postulet, vt scribat diligentius in membranis, &c. posse aliquid moderatum dare.

PROBATVR ratione, quia Publicum eis dat stipendia iusta, vt suppono, ob quæ se obligauit ad ea officia, & à lege iusta ei interdicuntur alia.

52 MVLTI dicunt tamen, posse recipere aliquid Iudicem pro ferenda sententia pro altera parte, quando vtrinque, cùm sit probabilitas, habet in suo arbitrio ferre sententiam pro alterutro. Sed hoc rideo; non enim est in potestate iudicis, stantibus vtrinque paribus rationibus, dare vni, auferendo alteri, sed hæc erit fracida personarum acceptio, vt docui prima secundæ, *Tract.* 2. *disp.* 17. *de conscientia probabili, ad prop.* 26. & hic *disput.* 25. *quæst.*4.

MOVENT etiam quæstionem: An possit Iudex, vel tabellio, meræ liberalitatis, & amicitiæ titulo, munera recipere à litigantibus, vel ab eo, pro quo tulit sententiam, &: An teneantur restitutioni.

SVPPONVNT autem nonnulli, spectato solo iure naturæ, non esse illicita hæc munera, cùm possit quisque suum cui libet donare. Ità Molina *disp.*88. Lessius *Lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 72. Fagundez *cap.*27. *num.*3. 53

NEC obstat (aiunt) id Exodi 23. *Non accipies munera; quia excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum.* Quia *hìc*, solùm habetur, rectè eà posse prohiberi.

SED D. Bonauent. *locis allegatis*, ad rapinam hæc reuocat, & rationem reddit S. Doctor; naturaliter enim munera corrumpunt iustitiam, quæ debet fieri ex motiuo honestatis, vt iudicium à Deo constitutum, quod ideò dicitur iudicium Dei, 2. *Paral.* 19.

DEINDE quia, cum teneatur Iudex, vt concedit Fagundez, hæc agere ex honestis stipendiis, vim infert, & ferè semper non ex amicitia dantur, & si hoc titulo darentur, adhuc tamen periculosè ad corrumpendam iustitiam pellicerent. 54

QVOD autem hæc sint iure naturæ prohibita, probat S. Doctor eo Deuter. 16. *Non accipies personam, nec munera; quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. Iustè quod iustum est persequeris*: En ad iustitiam spectat, non accipere munera; Quare ex natura sua tenetur ad restitutionem. Quod tenent etiam plurimi, quamnis concesserint solo iure positiuo munera esse vetita. Eos refert Fagundez *Lib.*8. *cap.*27. *num.*7. Ioan. Medina *de restit. quæst.*20. Bartholomæus Medina *de modo administrandi sacram. Pænit. fol.* 226. Sotus *lib.* 4. *quæst.*7. *art.* 1. *de Iustitia*, Gabriel 4. *dist.* 15. *quæst.*6. *concl.*4. Syluester V. *Iudex* 1. *num.*23. *quæst.*8. propendet Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 9. *num.* 72. Bassæus V. *Iud.* 12. cum Ghistet. *de iud. cap.*6. Bouerius *in direct. cap.* 3. 55

RATIO horum est, quia iura reddunt iudices inhabiles ad dominium harum rerum capescendum. Quare parum refert, an etiam iure naturæ, siue iure positiuo sustineamus prohiberi hanc Iudicum corruptelam, de qua plura vide iuxta Decretum Alexandri VII. *tomo* 4. *disp.* 17. *quæst.* 10. *ad proposit.* 26. 56

QVÆSTIO VII.

An IVDICES *excommunicati peccent iudicando; & inualidè iudicent.*

IVDEX quicunque excommunicatus post Extrauagantem Martini V. & Concilium Constantiense, ex quo illa extracta est, si sit excommunicatus occultus, validè iudicat, & licitè. 57

ANTE hæc autem aliqui tenent, talem peccasse, & inualidè egisse. Sic Glossa *in §. verum tamen, in cap. infamis*, 3. *quæst.*7. Syluester *verbo excommunicatio* 1. *num.*6.

OPPOSITVM tamen etiam ante Concilium Constantiæ asserunt Suarez *de censuris, disp.* 14. *sect.* 1. *num.* 8. Sotus 4. *dist.* 22. *quæst.* 2. *art.* 1. Nauar. *summa, cap.*27. *num.*21. Couar. *in cap. Alma mater, part.* 1. §. 11. *num.*4. Richardus *dist.*18. *art.*7. *quæst.* 1. Paludanus *quæst.* 2. *art.* 3. *& quæst.* 4. Fagundez *in octauum præceptum Decal. lib.* 8. *cap.* 28. *num.* 3.

SI verò sit excommunicatus publicus, olim ante Concilium Constantiæ, & Extrauagantem Martini V. 58

Ad euitanda, peccabant omnes Iudices iudicando, & tenebantur ad restitutionem, & eorum acta erant nulla. Hodie verò post Concilium Constantiæ, & Extrauag. probabile est, non peccare Iudicem ex vi censuræ, actaque eius esse valida, nisi sit vitandus, nempe, nominatim denunciatus, vel publicus clerici percussor, docent Lessius *lib.* 2. *cap.* 29 *dub.* 7. qui aliam apponit conditionem, nisi se sponte iudicio ingerat; Filliucius *tomo* 2. *tract.* 40. *in octauum præceptum Decal. cap.* 6. *num.* 167. Nauar. *cap.* 27. *num.* 7. Henriquez *de excomm. cap.* 7. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 2. *art.* 1. Suarez *de censuris*, *disp.* 14. *sect.* 1. *num.* 13. Fagundez *Lib.* 8. *cap.* 28. *num.* 5. Baisæus V. *Iudex*, *num.* 4.

59 TALEM igitur excommunicatum vitandum peccare iudicando, eiusque actus irritos esse probatur, quia caret iurisdictione, iuxta *cap. ad probandum de sent. & re iudicat.* cap. *Audiuimus*, & cap. *Miramur dist.* 54. *quæst.* 1. & cap. *Nos sanctorum dist.* 15. *quæst.* 6. Idque etiam de sæculari iudice procedere aduertunt Lessius *lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 61. Tanner. *disp.* 4. *quæst.* 4. *num.* 20. iuxta cap. *Exceptionem*, *de exceptionibus*, & citato cap. *Nos sanctorum.*

60 EXCIPIVNT tamen, si Iudex ad alium locum migret, aut in loco suæ iurisdictionis non habeatur pro vitando; Tunc acta eius dicunt esse valida, licèt peccet se ingerendo in iudicium.

QVÆSTIO VIII.

De ordine à IVDICE *seruando.*

§ S. Doctor in spec. animæ, cap. 2.

61 INIVSTITIÆ fructus ponit S. Doctor *in speculo animæ*, *cap.* 2. circa finem. Iniustam sententiam, quæ multos fructus reddit, qui sunt Iustitiæ peruersio, seu delatio ordinis, iuris mutatio, falsum testimonium, iniusta aduocatio, litterarum abusio, quæ omnia habent rationem mortalis, secundùm quod cedunt in proximi nocumentum. Hæc S. Bonauentura, ex quibus habes teneri grauiter Iudicem seruare ordinem Iuris.

62 QVINQVE autem requiruntur à Iudice ad formam iudicij necessariam. Primum est substantia sententiæ. Secundum, modus procedendi. Tertium, tutela iudicij. Quartum est qualitas, & quantitas pœnæ. Quintum denique est executio.

QVOAD primum, tenetur seruare leges, vel si hæ obscuræ sint, sequi Doctorum sententias, modis à me initio disputationis indicatis, *quæst.* 2. & *prima secunda*, *tract.* 2. *disp.* 17.

63 QVOAD modum, & ordinem procedendi, is triplex est. Primus est per Denunciationem, & est quando officiales denunciant. Secundus per Inquisitionem, quando Iudex procedit ad inquisitionem criminum, vt habetur *in cap. Qualiter*, *& quando*, *dist.* 2. *de accusatione*; *& cap. licet Heli*, *de Simonia*, vbi communiter tradunt authores post D. Thom. 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 3. non posse Iudicem inquirere sine Accusatore, aut fine aliquo, qui iure accusatoris fungitur. Tertius est per Accusationem.

DVBITATIO I.

De modo procedendi per Denunciationem.

DENVNCIATIO criminalis, est criminis manifestatio, & reuelatio sine aliqua actione, vel accusatione, qua Denunciator crimen sui proximi superiori Iudici, seu Prælato, tanquam Iudici denunciat, vt ipse ex officio faciat, quod ei videtur secundùm ius. 64

ACCVSATIO verò est delatio criminis cum actione, in qua à Iudice petitur, & ipse compellitur reum punire. Differt autem denunciatio ab accusatione in multis.

PRIMO, quia Denunciator Iudicialis non intendit præcipuè vindictam publicam, & punitionem delicti, sed solùm interesse suum, in quo per iniuriam læsus fuit: Accusator verò, primò, & per se intendit punitionem publicam delicti ob bonum publicum.

DIFFERT secundò, quia Denunciator non tenetur crimen probare testibus, Accusator verò tenetur probare, apud Arret. §. *fin. quæst.* 7. & alios; sed arbitror, etiam denunciantem vno teste probare teneri, vt docent alij, excepto casu Sancti Inquisitionis. 65

DIFFERT tertiò, quod ob denunciationem non est infligenda tota pœna iuris: ob accusationem verò tota pœna est infligenda, si crimen probetur. Ità docent communiter Doctores apud Fagundez *lib.* 8. *cap.* 45. & Sayrum *lib.* 12. *cap.* 10. & hæc vltima differentia colligitur *ex cap. Inquisitionis*, *de accusat.* vide de his *tom.* 4. *disp.* 27. *de conscient. quæst.* 10. *sect.* 5.

IGITVR præsentatâ denunciatione, Iudex ex officio contra denunciatum procedit, & ità communiter in praxi seruatur, teste Pract. Papien. Boss. *tit. de denunc.* Claro §. *fin. quæst.* 7. Philippo de Bictis Cametinensi *in Praxi crimin. tract.* 2. Quæ omnia (ait Clarus,) intelligenda sunt, tam de denunciatione, quæ fit ex necessitate officij, quàm de ea, quæ fit à quocumque alio, qui legitimè denunciare potest. 66

PRÆMITTO autem, delicta alia esse priuata, quæ in priuatum vergunt damnum: Alia publica, quæ in publicum damnum ruunt. Prioris generis sunt peccata gulæ, superbiæ, furti priuati, & similia; posterioris generis sunt ea, quæ contra Deum sunt, vt hæresis, blasphemia, euersio Templorum, vel eorum incendia; vel contra Ecclesiam, vt violatio immunitatis, maiestatis Principis læsio, rebelliones, proditiones, publica latrocinia, & similia.

IN Religiosis sunt aliqua, quæ possunt vergere in scandalum, & contagium, vt nota fornicatio, & similia. Et hæc inter crimina publica, quæ etiam excepta vocantur, numerant Rodriquez *in ordine iudic. cap.* 13. *num.* 6. Valerius *de differ. vtriusque fori*, *v. inquisitio*, *diff. vltim.* Miranda *in ordin. iudic. quæst.* 11. *art.* 5. Ximenez *in declar. reg. cap.* 10. *quæst.* 2. *concl.* 3. *num.* 17. Cametinensis *num.* 5. *loco citato.* 67

ARRIDENT Suarez de Fide, Spe, & Charite *disp.* 8. *sect.* 6. Sanchez *Tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 56. *num.* 50. Bonet. *ibi*, *cap.* 12.

IN vniuersum verò omnia delicta, quæ à lege declarantur, vt publica habentur, apud Bictum, vt sunt homicidium, 68

ſunt homicidium, adulterium, crimen falſi, vt patet *Lib. 1. ff. de publ. iud.* Eſt multorum Doctorum, præſertim Gloſſæ *in Rubr.* 6. *quæſt.* 1. *farinac. quæſt.* 49. Suti *de tegendo ſecreto, memb.* 2. *quæſt.* 4. Rodriquez *tomo* 2. *quæſt.* 5. *art.* 2. Mirandus *in ord. iud. quæſt.* 1. *art.* 2. Plurima huiuſmodi crimina recenſet S. Doctor *in confeſſionali, cap.* 3. & Canones adducit iniungentes publicas pœnas, ſane cum proclamata ſunt.

Hvivsmodi crimina poſſe abſque præuia fraterna correptione denunciari aſſerunt aliqui.

69 Adducitvr D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 33. *art.* 7. & alij, quos referunt Bouer. *in Direct. part.* 2. *cap.* 13. Bictus *quæſt.* 15. Ratio eſt, quia bonum commune bono particulari delinquentis præferri debet, & peccatum publicum ſine publica punitione non eſt relinquendum, vt notat Rodriquez *part.* 2. *quæſt.* 6. *art.* 4. poſt D. Bonauent. *loco cit.* Inter hæc ponatur Fornicatio, ſaltem ſi ſecreta non ſtet. Vide Dianam *part.* 2. *tract.* 2. *reſol.* 69.

Et idem aiunt aſſerendum de criminibus, quæ ſunt in alterius damnum pendens in futurum, ſecundùm omnes ferè Doctores apud Bouerium *ibidem, cap.* 14

Similiter idem dicunt de criminibus, alio ſenſu publicis, ſeu notoriis, in ciuitate, collegio, &c. de quibus D. Bonauent. 4. *diſt.* 13. *quæſt* 4. Huiuſmodi enim ſecreta non egent correptione, Id docent Sotus *de teg. ſecret. mem.* 2. *quæſt.* 5. Bannes 2. 2. *quæſt.* 33. *art.* 8. *dub.* 6. Valentia 2. 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 10. *puncto* 5. Miranda *in ordine iud. quæſt.* 11. *art* 1. & alij communiter quibus ſubſcribit Camerinus.

70 Extendit is etiam hæc ad crimina priuata, etiamſi occulta, quod poſſint iudicialiter denunciari, ſine præuia correptione, & allegat Sayrum *lib.* 12. *cap.* 10. Nauar. *in manu. cap.* 18. *num.* 30. Adrianum *in* 4. *de correp. fraterna, col.* 17. Franc. Aretinum *in pract. part.* 2. *cap.* 9. *art.* 2.

71 Ratio eorum eſt, quia in tali denunciatione, ſicut etiam in accuſatione non intenditur ſola emendatio delinquentis, ſed vt pœna ei debita iniungatur, vel ſatisfactio debita parti exhibeatur, vt notant etiam Reginaldus *tract.* 2. *lib.* 25. *cap.* 32. Bonacina *Tract. de Legibus, diſp.* 10. *quæſt.* 2. *puncto* 5. & remittit ad Dianam *p. p. tract.* 4. *reſol.* 1. vbi citat multos, Sanctarellum *Tract. de hæreſ. cap.* 9. Sanctium *in ſelect. diſp.* 11. *num.* 56. Bonac. *tract. variar. diſp.* 6. *part.* 3. *num.* 9. Syluium 2. 2. *quæſt.* 33. *art.* 7. *concl.* 2. Villalob. *ſum. part.* 2. *tract* 4. *diffic.* 11. Suarez *tract. de fide, diſp.* 20. *ſect.* 4. *num.* 11. Azor. *part.* 1. *L.* 6. *cap.* 19. *quæſito* 9. Turrianum 2. 2. *tract.* 1. *diſp.* 58. *dub.* 3. Henriquez *lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 10. in Gloſſa *littera* C. Simancam *in Cathol. inſtit. titulo* 19. *numero* 11.

Itaqve nulli peccato fraternam correctionem præmittendam inferunt, dum omnia eſſe publica dicunt.

Opposita tamen ſententia eſt vera, quam tuetur S. Doctor *locis*, à me *adductis, diſputatione de Charitate, ſect.* 3. *de Correptione fraterna.* D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 33. *art.* 7. cum omnibus diſcipulis.

72 Sotvs *de Iuſt. lib.* 5. *quæſt.* 5. *art.* 1. Canus *de locis Theol. lib.* 12. *cap.* 9. Syluester V. *correctio, quæſt.* 5. Lopez Inſtruct. *part.* 4. *cap.* 54. Ledeſma *ſum. tom.* 2. *tract.* 4. *cap.* 4. *concl.* 24. *diffic.* 2. *fol.* mihi 134. Ioan. de Cruz *in direct. part.* 1. *prac.* 5. *quæſt.* 2. *dub.* 5. *concl.* 2. qui loquitur de ſollicitata in confeſſione, quæ iubetur denunciare Dominis Inquiſitoribus ſollicitantem. Zanardus *in direct. confeſſ. part.* 2. *prac.* 1. *c.* 23. *quæſt.* 13. & alij. Idem docuere Caſtrus *de hæret. punit. lib.* 2. *cap.* 25. Tolet. *Lib.* 5. *cap.* 57. Lazarus *Tract. de blaſphemia, quæſt.* 11. *num.* 31. Homobon. *tract. de caſ. reſer. part.* 2. *cap.* 1. *& de exam.* Eccleſiæ *part.* 1. *tract.* 9. *cap.* 13. *quæſt.* 39. Angelus V. *denunc. quæſt.* 1. Roſella V. *Inquiſitio, num* 1.

73 Imo Portel. *in dubiis regul. v. correctio fraterna, num.* 1. id extendit etiam ad crimen hæreſis. Itidem Reginaldus *in prax. tract.* 2. *lib.* 24. *cap.* 3. *ſect* 6. *numero* 51. ſi tamen firmiter exiſtimetur emendandus.

Adde Repertorium Inquiſitorum, V. *denunciator*, Gundiſlauum *de hæret. quæſt.* 10. *num.* 10. Decianum *tract.* 1. *lib.* 5. *cap.* 30. Et de caſu ſollicitationis *in confeſſ.* id docet Fagundez *de prac. Eccl. tract.* 2. *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 31. vbi ait; Antequam fiat denunciatio à muliere ſollicitata in confeſſione, præmittenda eſt fraterna correctio, ſi detur ſpes emendationis, quia præceptum correctionis eſt de iure naturali, & diuino; præceptum verò huius denunciationis eſt humanum; vnde non poteſt præualere aduerſus præceptum iuris naturalis. Vt autem correctio fraterna iudicetur profutura, non ſatis eſt, ſemel fieri, & non prodeſſe; ſed oportet iterum, atque iterum adhiberi, quamdiu iudicio prudentis ſperetur emendatio. Hæc Fagundez, & nouiter Peirinus *in Priuil. Minim. tract.* 2. *conſtit.* 4. *Gregory XV.* §. 9. *num.* 26. *& conſtit.* 9. *Pauli V.* §. 2. *num.* 26. Idem expetit Fagundez *in* 6. *prac. Lib.* 6. *cap.* 12. ex D. Thom. 2. 2. *quæſt* 33. *art.* 3.

74 Adde alios, qui concedunt quidem, in crimine formalis hæreſis non eſſe præmittendam correptionem; in aliis tamen, hæreſim ſapientibus, præmittendam. Ità Fagundez *Tract.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 11. Molfeſius *in ſum. tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 24. *num.* 25. Ortiz. *ſum. cap.* 21. *num.* 17. Homobon. *de exam. Eccl. part.* 1. *tract.* 7. *cap.* 6. *quæſt.* 19. & ex Doctoribus citatis *in ſecunda opinione.*

De hac verò materia agunt, præter citatos, Aldrete *de relig. diſcip. tuenda, lib.* 1. *cap.* 5. §. 4. *numero* 28. Onuphr. *opuſc. de ſigillo, ſerm.* 1. *quæſt.* 2. *dubio* 4. P. Eliz. *tract.* 1. *quæſt.* 14.

Tandem aliqui apud Delrium *tract.* 3. *diſq. lib.* 5. *ſect.* 4. *num.* 6. dicunt, præmittendam correptionem, etiamſi dubium ſit: An ſit profutura; quam ſententiam valdè æquam exiſtimat, licèt ipſe, & meritò, contrarium ſentiat.

Plvrimos habes apud me *loco citato de corrept.* & Bouerium *in direct. part.* 2. *cap.* 14.

75 Philippvs Bictus *num.* 5. dicit, hos ita intelligendos, vt requirat Euangelium, correptionem fieri præuiam denunciationi Euangelicæ, non autem iudiciali.

Vel ſi quis eorum de iudiciali loqui intendat, ſequendum non eſſe, ait; & hoc quod dictum eſt procedere vult, attento iure Canonico, ſecundùm quod omnia crimina ſunt publica, vt tradit Gloſſa *in cap. infames, verſu. Fures*, 6. *quæſt.* 1. & ita ait docere Canoniſtas, vt teſtatur Baldus, & de communi, teſtis eſt Hoſtienſis, quem ſequitur Ananias *cap. ſtatuimus, poſt numerum* 19. *de maledict.* & his omnibus ſubſcribere Iulium Clarum *lib.* 5. §. 1. *v. hæc tamen.* Cùm autem publicis criminibus non ſit præmittenda correptio; ſequitur, nulli iam eſſe præmittendam.

76 Addit verò Camer. *num.* 6. correptionem ex iuſtitia non requiri, ſed fieri poſſe, vt requiratur ex Charitate, ſi delinquens ſit occultus, & bonæ famæ, & ſperetur emendatio, & adducit Aretinum poſt D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 68. *art.* 1.

Animadvertit etiam, quod licèt ex correptione emendaretur, licitè tamen ille poſſet denunciari, vel accuſari ſecundùm Gregorium de Valentia

Ad euitanda, peccabant omnes Iudices iudicando, & tenebantur ad restitutionem, & eorum acta erant nulla. Hodie verò post Concilium Constantiæ, & Extrauag. probabile est, non peccare Iudicem ex vi censuræ, actaque eius esse valida, nisi sit vitandus, nempe, nominatim denunciatus, vel publicus clerici percussor, docent Lessius *lib.* 2. *cap.* 29 *dub.* 7. qui aliam apponit conditionem, nisi se sponte iudicio ingerat; Filliucius *tomo* 2. *tract.* 40. *in octauum præceptum Decal. cap.* 6. *num.* 167. Nauar. *cap.* 27. *num.* 7. Henriquez *de excomm. cap.* 7. Sotus *in* 4. *dist.* xx. *quæst.* 2. *art.* 1. Suarez *de censuris*, *disp.* 14. *sect.* 1. *num.* 13. Fagundez *Lib.* 8. *cap.* 28. *num.* 5. Bassæus V. *Iudex*, *num.* 4.

59 TALEM igitur excommunicatum vitandum peccare iudicando, eiusque actus irritos esse probatur, quia caret iurisdictione, iuxta *cap. ad probandum de sent. & re iudicat.* cap. *Audiuimus*, & cap. *Miramur dist.* 24. *quæst.* 1. & cap. *Nos sanctorum dist.* 15. *quæst.* 6. Idque etiam de sæculari iudice procedere aduertunt Lessius *lib.* x. *cap.* 29. *num.* 61. Tanner. *disp.* 4. *quæst.* 4. *num.* 20. iuxta cap. *Exceptionem*, *de exceptionibus*, & citato cap. *Nos sanctorum.*

60 EXCIPIVNT tamen, si iudex ad alium locum migret, aut in loco suæ iurisdictionis non habeatur pro vitando; Tunc acta eius dicunt esse valida, licèt peccet se ingerendo in iudicium.

QVÆSTIO VIII.

De ordine à IVDICE *seruando.*

{ S. Doctor in spec. animæ, cap. 2.

61 INIVSTITIÆ fructus ponit S. Doctor *in speculo animæ*, *cap.* 2. circa finem. Iniustam sententiam, quæ multos fructus reddit, qui sunt Iustitiæ peruersio, seu delatio ordinis, iuris mutatio, falsum testimonium, iniusta aduocatio, litterarum abusio, quæ omnia habent rationem mortalis, secundùm quod cedunt in proximi nocumentum. Hæc S. Bonauentura, ex quibus habes teneri grauiter Iudicem seruare ordinem Iuris.

62 QVINQVE autem requiruntur à Iudice ad formam iudicij necessariam. Primum est substantia sententiæ. Secundum, modus procedendi. Tertium, tutela iudicij. Quartum est qualitas, & quantitas pœnæ. Quintum denique est executio.

QVOAD primum, tenetur seruare leges, vel si hæ obscuræ sint, sequi Doctorum sententias, modis à me initio disputationis indicatis, *quæst.* 2. & *prima secunda*, *tract.* 2. *disp.* 17.

63 QVOAD modum, & ordinem procedendi, is triplex est. Primus est per Denunciationem, & est quando officiales denunciant. Secundus per Inquisitionem, quando Iudex procedit ad inquisitionem criminum, vt habetur *in cap. Qualiter*, & *quando*, *dist.* 2 *de accusatione*; & *cap. licet Heli*, *de Simonia*, vbi communiter tradunt authores post D. Thom. 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 3. non posse Iudicem inquirere sine Accusatore, aut sine aliquo, qui iure accusatoris fungitur. Tertius est per Accusationem.

DVBITATIO I.

De modo procedendi per Denunciationem.

DENVNCIATIO criminalis, est criminis manifestatio, & reuelatio sine aliqua actione, vel accusatione, qua Denunciator crimen sui proximi superiori Iudici, seu Prælato, tanquam Iudici denunciat, vt ipse ex officio faciat, quod ei videtur secundùm ius. 64

ACCVSATIO verò est delatio criminis cum actione, in qua à Iudice petitur, & ipse compellitur reum punire. Differt autem denunciatio ab accusatione in multis.

PRIMO, quia Denunciator Iudicialis non intendit præcipuè vindictam publicam, & punitionem delicti, sed solùm interesse suum, in quo per iniuriam læsus fuit: Accusator verò, primò, & per se intendit punitionem publicam delicti ob bonum publicum.

DIFFERT secundò, quia Denunciator non tenetur crimen probare testibus, Accusator verò tenetur probare, apud Arret. §. *fin. quæst.* 7. & alios; sed arbitror, etiam denunciantem vno teste probare teneri, vt docent alij, excipe casus Sancti Inquisitionis. 65

DIFFERT tertiò, quod ob denunciationem non est infligenda tota pœna Iuris: ob accusationem verò tota pœna est infligenda, si crimen probetur. Ità docent communiter Doctores apud Fagundez *lib.* 8. *cap.* 45. & Sayrum *lib.* ix. *cap.* 10. & hæc vltima differentia colligitur *ex cap. Inquisitionis*, *de accusat.* vide de his *tom.* 4. *disp.* 27. *de conscient. quæst.* 10. *sect.* 5.

IGITVR præsentatâ denunciatione, Iudex ex officio contra denunciatum procedit, & ità communiter in praxi seruatur, teste Pract. Papien. Boss. *tit. de denunc.* Claro §. *fin. quæst.* 7. Philippo de Bictis Camerinensi *in Praxi crimin. tract.* x. Quæ omnia (ait Clarus,) intelligenda sunt, tam de denunciatione, quæ fit ex necessitate officij, quàm de ea, quæ fit à quocumque alio, qui legitimè denunciare potest. 66

PRÆMITTO autem, delicta alia esse priuata, quæ in priuatum vergunt damnum: Alia publica, quæ in publicum damnum ruunt. Prioris generis sunt peccata gulæ, superbiæ, furti priuati, & similia; posterioris generis sunt ea, quæ contra Deum sunt, vt hæresis, blasphemia, euersio Templorum, vel eorum incendia; vel contra Ecclesiam, vt violatio immunitatis, maiestatis Principis læsio, rebelliones, proditiones, publica latrocinia, & similia.

IN Religiosis sunt aliqua, quæ possunt vergere in scandalum, & contagium, vt nota fornicatio, & similia. Et hæc inter crimina publica, quæ etiam excepta vocantur, numerant Rodriquez *in ordine iudic. cap.* 13. *num.* 6. Valerius *de differ. vtriusque fori*, *v. inquisitio*, *diff. vltim.* Miranda *in ordin. iudic. quæst.* 11. *art.* 2. Ximenez *in declar. reg. cap.* 10. *quæst.* 2. *concl.* 3. *num.* 17. Camerinensis *num.* 5. *loco citato.* 67

ADDVNT Suarez de Fide, Spe, & Charitate *disp.* 8. *sect.* 6. Sanchez *Tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 56. *num.* 50. Bonacin. *ibi*, *cap.* 12.

IN vniuersum verò omnia delicta, quæ à lege declarantur, vt publica habentur, apud Bictum, vt sunt 68

homicidium,

sunt homicidium, adulterium, crimen falsi, vt patet *Lib. 1. ff. de publ. iud.* Est multorum Doctorum, præsertim Glossæ *in Rubr. 6. quæst. 2. fornic. quæst. 49.* Soti *de tegendo secreto, memb. 2. quæst. 4.* Rodriquez *tomo 2. quæst. 5. art. 2.* Mirandus *in ord. iud. quæst. 1. art. 2.* Plurima huiusmodi crimina recenset S. Doctor *in confessionali, cap. 3.* & Canones adducit iniungentes publicas pœnas, sane cum proclamata sunt.

HVIVSMODI crimina posse absque præuia fraterna correptione denunciari asseruut aliqui.

69 ADVCITVR D. Thom. 2. 2. *quæst. 33. art. 7.* & alij, quos referunt Bouer. *in Direct. part. 2. cap. 13.* Bictus *quæst. 15.* Ratio est, quia bonum commune bono particulari delinquentis præferri debet, & peccatum publicum sine publica punitione non est relinquendum, vt notat Rodriquez *part. 1. quæst. 6. art. 4.* post D. Bonauent. *loco cit.* Inter hæc ponatur Fornicatio, saltem si secreta non stet. Vide Dianam *part. 2. tract. 2. resol. 69.*

ET idem aiunt asserendum de criminibus, quæ sunt in alterius damnum pendens in futurum, secundùm omnes fere Doctores apud Bouerium *ibidem, cap. 14.*

SIMILITER idem dicunt de criminibus, alio sensu publicis, seu notoriis, in ciuitate, collegio, &c. de quibus D. Bonauent. 4. *dist. 13. quæst 4.* Huiusmodi enim secreta non egent correptione, Id docent Sotus *de teg. secret. mem. 2. quæst. 5.* Bannes 2. 2. *quæst. 33. art. 8. dub. 6.* Valentia 2. 2. *disp. 3. quæst. 10. puncto 5.* Miranda *in ordine iud. quæst. 11. art 1.* & alij communiter, quibus subscribit Cametinus.

70 EXTENDIT is etiam hæc ad crimina priuata, etiamsi occulta, quod possint iudicialiter denunciari, sine præuia correptione, & allegat Sayrum *lib. 12. cap. 10.* Nauar. *in man. cap. 18. num. 30.* Adrianum *in 4. de corrept. fraterna, col. 17.* Franc. Aretinum *in pract. part. 2. cap. 9. art. 2.*

71 RATIO eorum est, quia in tali denunciatione, sicut etiam in accusatione non intenditur sola emendatio delinquentis, sed vt pœna ei debita iniungatur, vel satisfactio debita parti exhibeatur, vt notant etiam Reginaldus *tract. 2. lib. 25. cap. 32.* Bonacina *Tract. de Legibus, disp. 10. quæst. 2. puncto 5.* & remittit ad Dianam *p. p. tract. 4. resol. 2.* vbi citat multos, Sanctarellum *Tract. de heres. cap. 9.* Sanctium *in select. disp. 11. num. 56.* Bonac. *tract. pariar. disp. 6. part. 3. num. 9.* Syluium 2. 2. *quæst. 33. art. 7. concl. 2.* Villalob. *sum. part. 2. tract 4. diffic. 11.* Suarez *tract. de fide, disp. 20. sect. 4. num. 11.* Azor. *part. 1. L. 6. cap. 19. quæsito 9.* Turrianum 2. 2. *tract. 1. disp. 58. dub. 3.* Henriquez *lib. 2. cap. 24. num. 10.* in Glossa *litera C.* Simancam *in Cathol. instit. titulo 19. numero 11.*

ITAQVE nulli peccato fraternam correctionem præmittendam inferunt, dum omnia esse publica dicunt.

OPPOSITA tamen sententia est vera, quam tuetur S. Doctor *locis, à me adductis, disputatione de Charitate, sect. 3. de Correptione fraterna.* D. Thom. 2. 2. *quæst. 33. art. 7.* cum omnibus discipulis.

72 SOTVS *de Iust. lib. 5. quæst. 5. art. 1.* Canus *de locis Theol. lib. 12. cap. 9.* Syluester V. *correctio, quæst. 5.* Lopez Instruct. *part. 4. cap. 54.* Ledesma *sum. tom. 2. tract. 4. cap. 4. concl. 24. diffic. 2. fol.* mihi 134. Ioan. de Cruz *in direct. part. 1. prac. 5. quæst. 2. dub. 5. concl. 2.* qui loquitur de sollicitata in confessione, quæ iubetur denunciare Dominis Inquisitoribus sollicitantem. Zanardus *in direct. confess. part. 2. prac. 1. c. 23. quæst. 13.* & alij. Idem docuere Castrus *de heret punit. lib. 2. cap. 25.* Tolet. *Lib. 5. cap. 57.* Lazarus *Tract. de blasphemia, quæst. 12. num. 31.* Homobon. *tract. de cas. reser. part. 2. cap. 1. & de exam.* Ecclesiæ *part. 2. tract. 9. cap. 13. quæst. 39.* Angelus V. *denunc. quæst. 1.* Rosella V. *Inquisitio, num 1.*

IMO Portel. *in dubiis regul. v. correctio fraterna, num. 1.* id extendit etiam ad crimen hæresis. Iisdem Reginaldus *in prax. tract. 2. lib. 24. cap. 3. sect 6. numero 51.* si tamen firmiter existimetur emendandus. 73

ADDE Repertorium Inquisitorum, V. *denunciator,* Gundisaluum *de heret. quæst. 10. num. 10.* Decianum *tract. 1. lib. 5. cap. 30.* Et de casu sollicitationis *in confess.* id docet Fagundez *de prac. Eccl. tract. 2. lib. 4. cap. 2. num. 31.* vbi ait; Antequam fiat denunciatio à muliere sollicitata in confessione, præmittenda est fraterna correctio, si detur spes emendationis, quia præceptum correctionis est de iure naturali, & diuino; præceptum verò huius denunciationis est humanum; vnde non potest præualere aduersus præceptum iuris naturalis. Vt autem correctio fraterna iudicetur profutura, non satis est, semel fieri, & non prodesse; sed oportet iterum, atque iterum adhiberi, quamdiu iudicio prudentis speretur emendatio. Hæc Fagundez, & nouiter Peirinus *in Priuil. Minim. tract. 2. consiit. 4. Gregory XV. §. 9. num. 16, & constit. 9. Pauli V. §. 1. num. 26.* Idem expetit Fagundez *in 6. prac. Lib. 6. cap. 32.* ex D. Thom. 2. 2. *quæst 33. art. 3.*

ADDO alios, qui concedunt quidem, in crimine formalis hæresis non esse præmittendam correptionem; in aliis tamen, hæresim sapientibus, præmittendam. Ità Fagundez *Tract. 2. lib. 6. cap. 4. num. 11.* Molfesius *in sum. tom. 1. tract. 7. cap. 24. num. 25.* Ortiz. *sum. cap. 21. num. 17.* Homobon. *de exam. Eccl. part. 1. tract. 7. cap. 6. quæst. 19.* & ex Doctoribus citatis *in secunda opinione.* 74

DE hac verò materia agunt, præter citatos, Aldreta *de relig. discip. tuenda, lib. 1. cap. 5. §. 4. numero 28.* Onuphr. *opusc. de sigillo, serm. 2. quæst. 2. dubio 4.* P. Eliz. *tract. 1. quæst. 14.*

TANDEM aliqui apud Delrium *tract. 3. disq. lib. 5. sect. 4. num. 6.* dicunt, præmittendam correptionem, etiamsi dubium sit: An sit profutura; quam sententiam valdè æquam existimat, licèt ipse, & meritò, contrarium sentiat.

PLVRIMOS habes apud me *loco citato de corrept.* & Bouerium *in direct. part. 2. cap. 14.*

PHILIPPVS Bictus *num. 5.* dicit, hos ita intelligendos, vt requirat Euangelium, correptionem fieri præuiam denunciationi Euangelicæ, non autem iudiciali. 75

VEL si quis eorum de iudiciali loqui intendat, sequendum non esse, ait; & hoc quod dictum est procedere vult, attento iure Canonico, secundùm quod omnia crimina sunt publica, vt tradit Glossa *in cap. infames, versic. Fures, 6. quæst. 1.* & ita ait docere Canonistas, vt testatur Baldus, & de communi, testis est Hostiensis, quem sequitur Ananias *cap. statuimus, post numerum 19. de maledict.* & his omnibus subscribere Iulium Clarum *lib. 5. §. 1. v. hoc tamen.* Cùm autem publicis criminibus non sit præmittenda correptio; sequitur, nulli iam esse præmittendam.

ADDIT verò Camer. *num. 6* correptionem ex iustitia non requiri, sed fieri posse, vt requiratur ex Charitate, si delinquens sit occultus, & bonæ famæ, & speretur emendatio, & adducit Aretinum post D. Thom. 2. 2. *quæst. 68. art. 1.* 76

ANIMADVERTIT etiam, quod licèt ex correptione emendaretur, licitè tamen ille posset denunciari, vel accusari secundùm Gregorium de Valentia

dispu.5. quæst. 12. puncto 1. vers. dico tertio, & ait, esse mentem D. Thomæ. Nam habito bono correcti, potest licitè denunciator, vel accusator adhuc sibi proponere Scopum punitiuæ iustitiæ, idest bonum commune, vt alij formidine pœnæ à delictis abstineant; Et propterea denunciare, vel accusare emendatum. Sed hæc, etiam quo ad Regulares falsa sunt, vt docent communiter cum Diana *part. 2. tract. 2. resol. 37.*

77 QVOAD sollicitantes verò in confessione, absolutè docet *quæst. 122. quæst. 42.* nullo modo præmittendam correptionem, & adducit Henriquez Pasanum Rodericum, Acugnam, & Nauar. *locis relatis*, à Roderico *in compend. quæst regul. resol. 13.* & alios plurimos recenset apud Dianam *p.p. tract. 4. resol. 21. & part. 4. tract. 5. resol. 24.*

AMPLIAT, etiamsi emendatus sit, & refert Suarez de Fide *disp. 40. sect. 6. num. 13.* Sancium *in select. disp. 11. num. 52.* & alios apud Dianam *tract. 4. resol. 3.* Imò, etiamsi ille Sacerdos statim post sollicitationem pœniteat, denunciandum. Affert Bonacinam *tract. var. disp. 6. punct. 3. num. 4.* Sanctarellum *de hæresi, cap. 9. & 44. dubio vnico.*

78 FATEOR, me lachrymis commiserari, dum meam profero sententiam.

PRIMO quidem non teneo, peccata publicam perniciem spectantia, tanquam contagiosa arcenda, maximè verò hæresim, quæ est pestis pessima, vt cancer serpens. Ideò meritò prodiit nouissimè decretum sanctissimi D. Alexandri VII. grauiter iniungens denunciationem suspectorum de hæresi, nullâ præuiâ correctione. Et hoc seruandum est; vt vidimus *tom. 4. disp. 17. de conscientia, quæst. 10. sect. 5. ad propositionem 5.*

QVOAD peccatum sollicitationis, video, esse periculosum, vt indicans conscientiam cauteriatam, dum Sacramento sancto salutis abutitur, ad sui, & aliorum, etiam pœnitentium damnationem, & ideò non audeo tueri, dicentes, præmittendam absolutè correptionem, aut facilè credendam emendationem.

79 SI tamen verè sollicitans sit emendatus, non reprobo opinionem dicentium, non esse denunciandum, quod docent Sotus *lib. 3. quæst. 5. art. 5.* Molfesius *in summa, tomo 1. tract. 7. cap. 14. num. 21.* Genuensis *in praxi, cap. 18. num. 6.* Naldus *in summa, verbo Accusator.* Victorellus *in notis ad manuale*, Nauar. *cap. 25. num. 33.* Filliucius *de casib. reseruat. casu 2. num. 8.* Zanardus *in Direct. confess. part. 3. cap. 31.* Rodericus Acugna *Tract. de confessoribus sollicitantibus, quæst. 3. num. 15.* & ibi Freitas *num. 34.* Megala *p.p. lib. 1. cap. 5. num. 26.* Portell. *additionibus ad dub. regular. sollicitare fœm. num. 18.* Peirinus *in Priuil. Minimorum, tract. 2. constit. 4. Gregorij XV. § 6. num. 31.* At decretum Sanctæ Inquisitionis præponendum est horum opinationi.

80 DIFFICVLTAS sanè est in cognoscendo: An sit emendatus. Felinus *in cap. testimonium de testibus*, Confessionem Sacramentalem asserit probare, aliquem esse emendatum. Genuensis *in praxi, cap. 18. num. 6.* putat, posse præsumi emendationem, si talis consecutus est Iubilæum. Homobonus *de exam. Eccl. part. 1. tract. 7. cap. 7. quæst. 33.* Freitas *in addit. ad tract. de confessor. sollicitantibus, quæst. 8. num. 32.* Riccius *part. 2. decis. 159. num. 14.* & alij aiunt, quod qui per triennium benè vixerit, emendatus præsumitur.

ALIQVI verò docent, id permitti iudicio boni viri, qui consideratâ qualitate personarum, totam rem iudicabit cum prudentia, & maturitate, quia arduum est cognoscere correctionem huiusmodi personarum, & ità loquens, etiam de hæreticis notauit Freitas *quæst. 18. num. 139.*

LIMITANT tamen hanc sententiam Fagundez *tract. 2. lib. 6. cap. 4. num. 17.* & alij quo ad hæreticum formalem, de quo semper dubitare possumus, an re vera sit emendatus. Sunt enim hæretici valdè subdoli, & more contagiosi virus diffundunt. Ideò aptè ab Alexand. VII. contra hos est prouisum. 81

DE cætero nunquam percipere potui argutulas illas Cametini, & Caspensis, Zelo Cydonico acrites conditas, dum omnia peccata esse publica statuunt, & à correptione liberant.

PROFECTO Euangelium cuilibet Christiano debet esse maioris ponderis, quàm horum ratiunculæ: *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* qui ordo est à Christo Domino, lege diuinâ præceptus, vt notat etiam D. Bonauentura, D. Thomas, & innumeri apud Dianam *part. 3. Tractat. 2. resolut. 37.* Apud eos verò exulat omnino Euangelium correptionis.

ADDO & ius naturale seruandi alienam famam. Non teneo, satisfactiones debitas exigi posse iniuriæ à contumelioso, & facultatum à fure; sed zelus ille iustitiæ non est Christianæ, exigere vindictam. 82

PORRO distinctio illa de Charitate, & Iustitia inanis est; quod enim contra Charitatem est, nequit esse actus iustitiæ, ne velimus inter virtutes Iniustum bellum offensiuum suscitare, vide quæ supra retuli *de correctione fraterna.*

QVOD verò ait Bictus, authores nostræ sententiæ loqui de denunciatione Euangelica, quam præcedit correctio; Esto. Sed si iniquum est deferre, tanquam Patri, ante correptionem; iniquius est tanquam Iudici. Ideò & Christus gradatim loquitur: *Si te non audierit, dic Ecclesiæ, et si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, &c.*

PORRO vidimus, authores loqui de denunciatione iudiciali, & ad sanctum officium Inquisitionis, etiam in casibus grauissimis pertinente. 83

QVOD verò, vt omnes culpas ad tribunalia cogat, miserè adducit, omnia peccata esse publica *ex cap. infamis, 6. quæst. 1.* inane est. Ibi enim Glossa solùm ait: *Est etiam quædam infamia canonica, quæ irrogatur ex quolibet peccato mortali*, vt hîc, & *32. quæst. 5.* Infamia quidem Canonica hic non facit ad rem; nam etiam bigami, & corpore vitiati sunt infames, secundùm Canones. Ea igitur dicitur potiùs indecentia quædam, quam extra propositum affert Bictus, ad omne peccatum publicum asseuerandum.

ENIM verò *35. quæst. 5. cap. 21.* vbi relinquens vxorem, excepta fornicatione, dicitur generosæ dignitatis testimonium amittere, siue famæ, dum sic manet separatus, vt ibi Glossa, seu, vt inter alios generosos inferat testimonium; non facit ad rem ad inducendum omne peccatum publicum esse. Quid enim voluit docere Christus, dicens: *Si peccauerit in te?*

HIC author è nostris confratrem suum Caspensem adducit *quæst. 16.* & relatos à Diana *part. 7. tract. 3. resol. 44.* Trullench. *in Decal. Tom. 1. lib. 1. cap. 5. dub. 16.* & alios dicentes, non esse necessarium, præuiam correptionem denunciationi paternæ præmittere, & allegat S. Bonauenturam, & S. Thomam apud Caspensem, sed immeritò, vt ostendi *Disputat. de Charitate, sect. 3. de fraterna correptione, quæstione 1. & 2.* Et Diana sic concludit: Ego vtramque sententiam probabilem existimo esse, 84

licèt

licèt pro necessitate præuiæ correptionis tenuerim *p.3. tract.2. resol.37.* & nunc teneam. Sanè D. Bonauenturam (quem opponit etiam Turrianus 2.2. *disput.89. dub.4.*) iam satis ostendi pro nobis stare.

85 Ad rationem, quam ea Valentia inculcant, dico, Christum optimè nouisse, peccatum esse contra aliquem. Ideò ait: *Si peccauerit in te*, vt exprimeret, correptionem secretam esse præceptum, etiam in maximis, quæ possunt inferri, offensionibus contra nos, & multò magis in aliis, quæ nobis videntibus patrantur à proximo.

Non video autem, quo pacto diuinam legem velint ipsi immutare, & ius quod habet proximus à natiuitate violare, deferendo ad publicum tribunal secretum lapsum, qui alioqui non tendat in publicam perniciem. Quod enim alij per huc deterreantur à peccato, non est satis, vt immutetur ordo Euangelij, aut ius naturæ euertatur, manifestando occulta cuiusque, vt sic nullus omnino locus ordini à Christo instituto, seu potius è naturali iure declaratæ, reliquus sit.

Doceat id Valentia; doceat quoque Suarez in sua Religione, in qua renunciatur iuri. Et si id absque difficultate potest fieri legitimè, cur ipsi in huc adeò premunt, vt renuncient nouitij eorum suo iuri naturæ?

Cur Pontificia emanarunt diplomata, vt ordinem hunc sustineant? Cur tot volumina, vt titum hunc, posità renunciatione, tueantur contra multos?

86 Addo quod si deferre Prælato, vt patri, hæc necessaria à Christo statuta sunt præludia; multò arctius antequam in publicum iudicium deferantur, quam illationem non viderunt aduersarij, dicentes, præmittendam correptionem ante denunciationem Euangelicam; non autem ante iudicialem. Profectò maius damnum infertur famæ, dum peccatum defertur ad tribunal. Quod si maior esset delatio ad Prælatum, tanquam ad Patrem, posset eâ denunciatione vti, vt procederet ad iudicium, quod ipsi aduersarij cahortent, vt fatetur Bictus *cap.16. num.6.* referens Sotum, Suarez suprà, & Cardinalem de Lugo *de iust. tome 2. disp.37. sect.7. num.82.* Dianam *loc. cit. resol.47.* & alios apud hos.

87 Scio, nonnullos dixisse, dum crimen non esset omninò occultum, sed in iudicio posset probari, tunc charitatem, per quam inchoata est causa, imperare iustitiæ, vt iudicialem incipiat processum, si tali modo spes esset, vt deliquens corrigeretur. Ità Filliuc. *tome 2. tract.28. cap.8. num.164.* Sanchez *l.2. l.6. dub.11. num.11.* Trullench *in decal. l.1. cap.5. dub.16. num.8.* quos sibi à latere struxit Bictus, vt ostendat suæ opinionis firmitatem.

At loquuntur isti, quando minori damno peccatoris non posset eius emendatio haberi; si enim sit Spes emendationis per correctionem secretam; intelligunt iuxta Euangelium non esse ad tribunalia currendum, tunc enim charitas non potest imperare iustitiæ diffamationem peccatoris pœnitentis, nisi eius priuata pœnitentia relinqueret extra vulnera in Reipublicæ perniciem, quia tunc ordinata charitas prouidère tenetur bono communi.

88 Iterum, si peccator sperneret correptionem, vel scires, eum ex correptione venenum potius haosturum, posses omittere fraternam correptionem, vt docet etiam D. Bonauent. *ad 17. Lucæ*, vbi de hoc agitur.

Quod si crimen esset in graue Reipublicæ damnum, posset Iudex vti ostiria, quam habet, vt Pater, & obligare scientem, & paternè denunciantem ad iudicialiter denunciandum, dum non suppetit alia via ad illud damnum publicum, vel etiam priuatum innocentis arcendum.

Quod si ille nolit denunciare, poterit Iudex fiscalem creare, qui denunciet, dum sperat, se habiturum probationes. Ita Bictus, adducens Caspensem *tomo 2. tract.17. disp.6. sect.3. num.55.* Suarez *de Relig. lib.10. cap.1. 2. & 12.* Dianam *resol.46. & 47.* qui tamen subdit, non posse procedi ad iudicium in hoc casu, nisi quantum necesse est ad emendationem obtinendam.

Admonet verò Sayrus *l.12. cap.10. num.7.* rarò euenire apud Iudicem sæcularem, fieri transitum à denunciatione Euangelica ad iudicialem, eò quòd crimina apud iudices sæculares non deferuntur, nisi per accusationem, vel denunciationem iudicialem. Item Iudex sæcularis nunquam excipit crimina, nisi, vt in publico puniat, & in scriptis coram Notario; Apud Iudices verò Ecclesiasticos id contingit. 89

Denunciare autem possunt omnes, positis nonnullis conditionibus.

Prima est, vt denuncians non sit infamis, vt notant Baiard. ad Clarum §. *fin. quæst.7. num.13.* Iodocus *in practic. crim. cap.7.*

Secundò ne sit inimicus. Ita Doctores citati. Quare peccat lethaliter iudex non recusando denunciationem inimici. Ita Innocentius, & Hostiensis *C. dudum, v. electionis de electione.* Archid. *in C. quærendum, 2. quæst.7.* Felin. *in cap.* quæ in Ecclesiarum *num. 13. de constit.* Menoch. *de arbitr. iud. cent.5. casu 482.* vbi è citatis hic Doctoribus ait, dignosci denunciatorem Zelo vindictæ deferentem, ex qualitate personæ, ferocitate vultus, modo denunciandi, &c. Sequitur Megala *praxi crim. canonica, cap.10.* 90

Tertiò repelluntur conspiratores, & personæ viles. Ita Barrard. Iodoc. suprà, & Bictus *quæst.17. num.5.*

Quartò excommunicatos nominatim denunciatos. Ità Caiet. 2.2. *quæst. 68. art.2.* Rodriquez *tom.2. qq. Regul. quæst.6. art.3.*

Quintò excluditur Religiosus à denunciando in casu sanguinis, nisi adhibita protestatione. Ita Covar. *in Clem. si furiosus, p.2. §.5.* Rodriquez suprà, & est communis. In aliis verò casibus admittitur, cum admittatur ad maius, scilicet ad accusandum. Nec obstat Clem. *exiuis §. proindè*, vbi interdicitur accusatio circa rerum dominia, quæ ipsis ex vi professionis prohibentur. Ita Elizeus *tract.1. quæst.13. num.8.* 91

Sextò Laïcus non admittitur ad denunciandum Ecclesiasticum, nisi suam prosequatur iniuriam. Est communis opinio Gloss. *in summa 2. quæst.7.* & omnes admittunt, vt ait Foller. *in pract. Crim. can. fol.48. num.43.* Subscribit Clar. §. *fin. quæst.14. versu, propter reuerentiam.* Reddit rationem, quia Laici solent esse maleuoli Ecclesiasticorum, vnde potius odio, quam Zelo moueri præsumuntur. Et est vulgatum id: *Laici ferè semper clericis infesti.* C. Laicos 2. *quæst.7.* Quæ aduersio est sæpe etiam Clericorum aduersus Regulares, vt refert S. Doct. *quæst.27.* Super Regulam

Limita in criminibus exceptis, in quibus admittitur Laicus ad denunciandum Ecclesiasticum, vt probat Glossa *in cap. cum P. Mancanella, de accusat.* si tamen sit bonæ famæ, vt ait Glossa *ibi.* 92

Plures à denunciando repelli inuenies *dub. sequent.* vbi *de accusatione* differitur.

Debet autem Denunciatio continere nomen denunciantis, & Denunciati, indicia, Criminis commissi, loci, & temporis. Ita Eliacus vbi suprà *num.7.*

alias esset inualida. Ità communiter apud Clarum
93 *quæst.*10. *vers. Scias autem* §. *fin.* Debet & testem producere, sine quo non potest Iudex examinare in singulari, nisi loco testis indicia, vel infamia, vel quid simile occurrat, vt aiunt Caiet. *quæst.*69. *art.*1. Valentia *quæst.*13. *punct.*2. Delrius *l.* 5. *disq. sect.*1. Sà *v. Iudiciales actus.* Tanner. *disp.*4. *quæst.*4. *num.*73. cum D.Bonau.4. *dist.*13. *quæst.*4. *ad arg.*

Potest autem denunciatio vel porrigi in scriptis, vt de accusatione tenent Bartol. & Card. & alij apud Clarum *quæst.*12. Vel esse tantùm verbalis, & à Notario scribi, vt tenet Salyc. *in Leg. pœn. Cod. de accusat. num.*2. iuxta formam *Leg. Libellorum, ff. de accusat.* & potest etiam fieri per litteras, vt tenent Abbas *in C. Licet à beato, de accusat.* Bertus *in praxi tit.*7. *cap.*5. Arretin. *in pract. cap.*9. *num.*4.

94 Debet etiam adscribi dies datæ, sine qua inualida esset querela, seu denunciatio. Ita communiter apud Clarum *quæst.*10. *cit.* qui tamen id non putat necessarium *Lex Libellorum, ff. de accusat.* vbi dicitur: *Nec diem autem, nec horam inuitus comprehendet.*

Debet autem Iudex grauiter perpendere denunciationem, & quærere de probitate denunciantis, vt monet Innocentius *de C. Nulli, de accusat.* Oldrad. *cons.*224. Clar. §. *fin. quæst.*15.

Perpendat etiam personam denunciati, vt monent Innocentius, Oldradus, & Clarus, & si vitæ integerrimæ, & authoritatis sit, non facilè admittatur, ne fama grauis viri pereat, iuxta *cap. si qui sunt*, & *C. quorundam*, 2. *quæst.*7. & D.Thom. 2.2. *quæst.*68. *art.*1. *ad* 2. Imò contra tales non denunciationem, sed accusationem tantùm recipiat Iudex, quæ ad pœnam talionis accusatorem obliget, vt colligitur *ex C. repellantur, de accusat.* & docent Speculat. *de denunc.* §. *Hostiensis, titulo de iniquis*, §.2. Glossa *in c. Cum contingat de rescript.*

95 De iure Denunciator tenetur probare, vt notat Clar. *quæst.*7. per textum *in Leg. Diuus. Et in Leg. ab accusatione*, §. *nunciatores, ff. ad Turpill.* tamen communis praxis hoc non admittit, vt dicunt apud Clarum, Mariam, Salic. & Cardin Alex. sed id intellige plenè. P.Eliz. *tract.*1. *quæst.*13. *num.*25.

Quando igitur denunciatio est apta, debet Iudex denunciationem admittere, & interim denunciatus ad dignitates est inhabilis, *C. Omnipotens Deus, de accusat.*

96 Admissa denunciatione tenetur Iudex inquirere, aliàs peccat negligendo iustitiam, vt tenent communiter Doctores, præsertim Glossa *in C. Excommunicamus, vers. neglexerit, de hæret.* Panormitanus *in C. cum dilectus de accusat.* D.Thom. 1.2. *q.*54. *art fin.* D.Bonau. *in speculo animæ, cap.*2. circa finem, Bossius *tit. de offic. corrup.* Roder. *t.*2. *quæst.*39. *art.*1. Caueat tamen ne inquirat, antequam constet de corpore delicti, vt dicam *dubio* 3.

Dvbitatio II.

De modo procedendi per Accusationem.

D Bonau. ll. cc.
D.Thom quæst.68.

97 Accusatio *est delatio alicuius criminis ad vindictam publicam, legitima interueniente subscriptione.* Ita communiter Doctores, teste Claro *quæst.*12. Less. *T.*1. *l.*2. *cap.*30. Azor. *l.*13. *cap.*19. Filliuc. *Tom.*2. *tract.*40. *cap.*7. *num.*201. Roder. *de ord. iud. cap.*5. Fagundez *in octauum præceptum Decal. cap.*47. P.Eliz. *tract.*1. *quæst.*12.

Plurimi sunt, qui iure communi ab accu- 98
sando repelluntur, quos refert Clarus *quæst.*14. & S.Antoninus 3.*p. tit.*9. *cap.*8. §.2. Bouër. *in direct. p.*2. *cap.*17. Farin. *quæst.*12. è quibus aliquos etiam recensui, qui itidem denunciare prohibentur. Excluduntur Criminosi, Apostatæ à fide, Hæretici, vel de ea suspecti, Pagani, & Iudæi, qui non possunt Christianos accusare *cap. non potest* & *cap. pagani*, 2. *quæst.*7. & Calumniatores *C. similiter* 3. *quæst.*5.

Item de facili litigantes, dicto *C. similiter.* Item inimici, & de recenti reconciliati, *cap. accusatores* 3. *quæst.*5. Item consanguinei inimicorum, & familiares, ac domestici eorum *cap. accusatoribus* 3. *quæst.*5. Item socius criminis, Impubes, Minorque viginti annorum, Miles, & mulier, & qui à testimonio ferendo repelluntur. Item constitutus in peccato mortali de iure canonico. Vide Clarum *quæst.*14. alios etiam referentem. Et Glossam *in C. si legitimus, de accusat.* vbi sic eos enumerat:

Fœmina, pupillus, delatus, crimine tentus. 99
Suspectus quæstu, correptus, sortilegusque,
Infamis, seruus, pauper, cum milite, Princeps,
Libertus, socius socium, nec non inimici,
Clericus Ecclesiam nullus deferre valebit.

Profectò accusator odiosus est, & non ex charitate, sed ex liuore agere præsumitur, iuxta Glossam *in cap. decreto*, 2. *quæst.*6. & *ex text. in C. Si omnes*, 6. *quæst.*1. & hinc est, quod accusatio *illaudabilis intentio* nuncupatur, *C. si quis Episcopus*, 2. *quæst.*7. quæ vix sine culpa exerceri potest, secundùm eandem Glossam, & post eam Foller. *in pract. crim. can.*4. *num.*9.

Audi D. Gregorium *l.*6. *Moral. cap.*13. apud 100
D.Bonau. in Phar. l.3. cap.3. *Inuidi dum bonum, quod vident, accusare nequeunt, excæcati malitiâ, malum quod non vident, ad accusationem quærunt.* Tamen potest esse etiam iustitiæ executor *C. illud* 23. *quæst.*4.

Debet autem Iudex altè pensitare illud D.Isidori *in Synonim, cap.*16. effatum. *Ante proba, & sic iudica.* Non enim qui accusatur, sed qui conuincitur, reus est. Id altè proponit D. Bonauentura *loc. cit. Pharetra.*

Tenetur primò Accusator ad ea, quæ de denunciatore diai, & ampliùs tenetur totum scribere, & se subscribere ad pœnam talionis, nisi crimen probauerit, vt declarat Bartol. & Aretinus, & sequitur Clarus *quæst.*12. P.Eliz. *num.*9.

Quamuis autem de iure ciuili hæc pœna non 101
seruetur, vt notat Clarus, tamen de iure Canonico seruari ait. Consentit Card. Alex. *in C. libellorum* circa finem 2. *quæst.*8. Sic capite *qualiter, & quando*, 2. *de accusat.*

Præsentata accusatione, tenetur vera crimina non abscondere, vt notant D.Thom.2.2. *q.*68. *art.*3. Sotus *de reg. secreto, membr.*2. *quæst.*5. *cul.*6. Nauar. *in Manuali, cap.*25. *num.*3.

Parte petente, tenetur accusator calumniæ iuramentum præstare. Farin. *quæst.*16. *num.* 28. citans Doctores *in Leg.*2. *Cod. de fin. instrum.* & de communi Italiæ obseruantia testatur Bartol. *in Lege* 1. *num.*6. *Cod. de iuram. calum.* & tenet Clarus, §. *fin. quæst.*18. allegans multos.

Tria in accusatione cauenda sunt: Calumnia, 102
Præuaricatio, & Tergiuersatio, vt notat Fagundez *l.*8. *cap.*47. *num.*11.

Calvmnia est falsa imputatio, facta scienter, & incurrit calumniator debitum restitutionis. Calumniari

luminari etiam ille dicitur, qui de vero crimine, sed occulto, quod in iudicio probari non potest, scienter accusat, eodemque modo tenetur ad restitutionem damni; Ità D.Thom.2.2. *quæst.68.art.8.* Sotus *de teg. secr. in 2. quæst.5. concl.5.* Sayrus *cap.15. in octauum præceptum, num.12.* Roder. *de ord. iud. cap.6.* Fagundez *loco citato.*

103 PRÆVARICATIO duplici casu occurrit. Primò dum accusator in occulto fauet Reo. Secundò quando tacet, ac tegit vera crimina, & maiora; exponens in libello minora.

HOC præuaricationis genus contingere potest etiam in Iudice, acceptando scilicet falsas exceptiones, testimonia, & instrumenta, vt reum liberet, vt notat D.Bonau. *in speculo animæ, cap 3.* ad finem, & vltra peccatum, quod committit, tenetur etiam restitutioni, quia contra Iustitiam, & officium suum egit, quærens accusatorem inique opprimere, & reum subtrahere.

CONTINGIT etiam in Aduocatis ostendendo parti aduersæ fundamenta sui clientis, vel non fideliter defendendo, vel aperiendo aduersariis viam ad causam iniquè vincendam, quæ omnia iniqua sunt contra iustitiam, vt docet S.Doctor suprà, Sotus *loc. cit. concl.5. & 6.* Nauar. *cap.25. num.30.* Rodriquez *num.5.* D.Thom. *quæst.cit.art.3. ad 3.* Sayrus *num.14.* Fagundez *num.13.* qui consentiunt, cum teneri ad restitutionem.

104 TERGIVERSATIO est, quando sine iusta causa desistit ab accusatione, cùm ad prosecutionem eius ob bonum commune tenetur.

DANTVR tamen casus, in quibus potest desistere. Primò in criminibus, quæ ad bonum Reipublicæ non conducunt. Secundò, quando bona fide incipit causam, & mox suum videt errorem. Tertiò propter metum grauem. Quartò, si imperio Principis repellatur. Vide Sayrum *lib.12.* in fine, Less. *l.2. cap.30. dub.3. num.15.* Sotum *loc. cit.*

105 FAGVNDEZ *num.34.* qui *num.16.* instituit quæstionem: An ante accusationem semper sit præmittenda correptio. Et respondet negatiuè, si possit delictum probari, siue intendat vindictam propriæ iniuriæ, siue bonum Reipublicæ, & ait, esse communem Doctorum, & allegat Less. *l.2. cap.10.* Filliuc. *tomo 2. tract.40. cap.7. num.303.* Gloss. *in C. licet, de simonia, 2. quæst.8.* Syluest. *v. accusatio, quæst.3.* Caietanum *2.2. quæst.33. art.7.* Nauar. *Summa Lat. cap.18. num.30.* Driedonem de libertate Christiana *cap.10.* Roder. *de ord. iudic. cap.6.* & alios, & in hoc distinguit denunciationem, quæ ad emendationem dirigitur, ab accusatione, quæ tendit ad vindictam sceleris, ob publicum bonum. Sed Rodriquez *loc. cit.* adducto Corduba, addit, teneri quamuis ad correptionem, si emendationem speret. Addit Sotus *loc. cit. concl.4.* Durand. *4. dist.19.* Ratio est, quia finis principalis debet esse emendatio Rei. Sed ipse Fagundez perstitit, si delictum est publicum, & possit probari, & in hoc esse Reum in causa; quia suum delictum fecit publicum. Non temerè sanè, quando delictum est publicum, iuxta ea quæ dixi *dubitatione prima.*

106 ADVERTE, ius Ciuile, & Canonicum Iudicibus præcipere, ne in causis criminalibus procedant absque accusatore *C. si legitimum, de accusat.* & *Leg. Illicitas, ff. de offi. io Præsidis,* & docent D.Thom. *2.2. quæst.7. art.3. in corp.* Caietanus *ibi.* & alij Thomistæ Roderiq. *de ordine iudic. cat. 5.* Fagundez *cap.48. num.3.* & D.Bonauentura passim.

PROBATVR à S. Doctore *ad 8. Ioannis*, vbi obseruat, truncatum fuisse iudicium, quia illi accusatores recesserunt. Ideò ait Christus: *Vbi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnauit: Nec ego te condemnabo.* Accusatores autem recessisse admonet, quia inepti erant ad accusandum, cum ipsi essent criminosi.

107 PROBATVR secundò à S.Doctore *ad 5. Ioan.* in ea verba: *Sicut audio, sic iudico*, vbi latè differit, afferens D.Gregorium *in Moral. cap.14.* in id Iob.29. *Causam, quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam*, vbi ait: *Nota de Iudicio, ac ad proferendam sententiam iniquam præcipites esse debeamus, ac temerariè indiscussa iudicemus, ne quælibet mala audita nos moueant, ne passim dicta sine probatione credamus, &c.*

108 IPSE Deus, cui omnia nuda sunt, & aperta, in suis iudiciis examina adhibet; vt patet Ioelis 3. *Deducam eos in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis.* Id repetit *Matth.25.*

Vnde & de Domino legitur Genes.18. *Descendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.* Deinde sic prosequitur explicationem eiusdem capitis S.Doctor: Secundò figuratur, quòd iudicium debet esse in processu iustum. Vnde ait. *Iudicium meum iustum est.* Et Deuter.19 *Iudices, & Magistros constitues, vt iudicent iusto iudicio*, vt enim ait Tullius *de off. l.2.* Iudicis est in causis verum sequi, nec nocentem desendere, nec condemnare innocentem: *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.* Item insinuatur *hic* quod iudicium debet esse in sententiando ordinatum. Idem habet *ad cap. septimum.*

EX quibus habes etiam illos casus, in quibus possunt iudices sine accusatore procedere viâ inquisitionis.

109 PRIMVS est, si Iudex cum aliis videat, crimen perpetrari. Secundus, quando sunt publica indicia, & fama clamorosa. Tertius est, cùm præcedit denunciatio iuridica ad vindictam publicam delictorum, vt fit in tribunali Sanctæ Inquisitionis: Differt autem ab accusatione, quia non tenetur probare. Vbi etiam indicatur, in delictis grauioribus, vbi non est accusator, Fiscalem habere locum accusatoris; & hic tenetur probare, & nisi possit probare, accusans peccat, vt aiunt Aragon.s 2. *quæst.67. art.3.* in fine, Roder. *de ord. ind. cap.5. num.3.*

110 QVOAD obligationem accusandi. Primò tenetur accusare, qui vident damnum aliquod Reipublicæ imminere, vel etiam aliis insontibus, & aliâ via nequit impediri; tenetur ex charitate Iudici denunciare. Ita communiter Doctores. D.Thom. *2.2. quæst.68. art. 1.* Sotus *loc. cit. quæst. 5.* Syluester *v. Accusat. quæst.2.* Gomez *Tom.3. var. cap.1. num 9* & probatur, *C. si vt dignum, §.illis etiam, de homicidio.* Imò in foro externo, sciens delictum committendum contra Principem, vel Rempublicam, & non reuelans, punitur, vt auctor delicti, Barthol. *in Leg. virum, ff. ad Leg. Pomp. de parric.* & *Leg.3. §. occisorum, ff. ad Syllan.* Salicetus *in Leg. prima, Cod. ad legem Cornel. de sicar.* Gomez *loc. cit. num.8.* & Leges Salicæ in Regno Galliæ id præcipiunt.

111 NON tenetur tamen accusare is, qui probare non potest; nemo enim tenetur alterius malum arcere graui suo damno, quod subit accusans, & non probans. Ità D.Thom. *2.2. quæst.68. loco citato*, & alij apud Fagundez *cap.49. num.4.*

PECCAT autem tantùm contra charitatem, qui non accusat, cùm tenetur, nisi sit officialis iustitiæ; quia hic contra Iustitiam peccat, vt notat Fagundez *num.8.*

112 ORITVR etiam dubium, quia consanguinei admittuntur ad iustam vindictam petendam suorum vsque

vſque ad quartum gradum, vt probabilius eſt apud Fagundez *l.8.cap.48.num.*10. & colligitur è *L. g. petitionum, Cod. de aduocat.* An, quando plures conſanguinei concurrunt ad accuſandum teum de aliquo delicto, omnes poſſint à Iudice admitti.

112 ASSERVNT Morla *in Emporio iuris, titulo de Legibus, quæſt.*14. *num.*9 & Senatus Olyſſiponæ anno 1616. vt refert Melchior Phœbus *tit.*1. *deciſ. deciſione* 9. *num.*10. & ratio eſt, quia ius vindicandi mortem defuncti, eſt penes quemcumque ex hæredibus in ſolidum, & non pro parte, *Leg. portiones, ff. de his, quibus vt indign.*

113 NEGANT alij; ſed debere iudicem eligere vnum propinquiorem magis idoneum, *Leg. ſi plures, ff. de accuſat.* & *Leg. ſi verò, §. hac autem, ff. de his qui acciderunt, vel effuderunt.* Et docent Gomez *t.*3. *variarum, tit. de delict. cap.*1. *num.*35. Vincentius Franchus *in* 2. *p. deciſ.*382. Fagundex *l.*8. *cap.*50.

DVBITATIO III.

De modo procedendi per Inquiſitionem.

INQVISITIO eſt tertius procedendi modus, ab accuſatione & denunciatione diſtinctus, cum duæ priores ſæpè ſeorſim exerceantur; ſæpe etiam ſunt velut poſterioris Pediſequæ, cum ipſam ſequantur ad melius inquirendum de crimine: Hunc procedendi modum licitum eſſe nullus Iuris canonici gnarus ambigit, cum variis ibi textibus apertè inſinuetur, vt *C. qualiter & quando* 2. *de accuſat. C. inquiſit. eodem,* vt habet P. Elixæus *tract.* 2. *de modo proced. quæſt.*1. *num.*3. vbi authores etiam aggregat. Ratio eſt publica ſecuritas, cui Iudex ſubiit onus proſpiciendi, quod nequit præſtare, niſi etiam de delictis inquirat, cum autem alicui iniungitur finis, mandantur ei media talem finem attingendi.

114 PRÆTEREA potiori iure incumbit Iudici inquirere, quam Actori agere; illud enim magis reſpicit iudicij ſubſtantiam; ſed iura mandant Actori, vt actionem obtendat, vt habet P. Elizæus *tract.*2. vbi ſuprà; & probat *tract.*1. *quæſt.*10. *num.*14.

AN verò etiam Iure ciuili, vel conſuetudine ſit in Curia ſæculari licitus, controuertitur apud eundem Elizæum *num.*4. ipſum vide.

EX his Inquiſitio definitur legitima quædam inueſtigatio, quam Iudex ex officio efficit inquirens de aliquibus criminibus, aut de aliquo delinquente, infamiâ delicti laborante, emendationem illius primariò intendens. Ità Iodoc *in pract. crim. tit. de Inquiſ. cap.*8. Clar. *§. fin. quæſt.*3. Farinac. *quæſt.*1. *num.*3. Rodriquez *Tract. de Ordinario, cap.*2. & patet *ex C. qualiter, & quando,* 2. *de accuſat.*

115 DVPLEX eſt autem Inquiſitio. Prima eſt generalis, quâ, incerto delinquente, generaliter inquiritur, quis delictum commiſerit? Particularis eſt, quæ fit ſpecialiter contra aliquam perſonsm.

INQVISITIO generalis, ſeu generaliſſima, de qua *in C. pernicioſa, de off. Ord.* & C. Trident. *ſeſſ.*7. *cap.*7. & *ſeſſ.*24. *cap.*3. nullâ præcedente infamiâ fieri poteſt in Viſitationibus, iuxta *cap. Romana, §. ſanè, de cenſibus in* 6. & C. Trident. *cap.*8. *&* 10. de reform. *ſeſſ.*7. & notant Bonac. alios adducens *de præceptis decal. diſp.*10. *quæſt.*2. *p.*5. Fagundez *in octauum Præceptum decal. lib.*8. *cap.*46. *num.*7. vbi ait, eſſe communem Doctorum, excepto Alciato *cap.*1. *de off. ordin. num.*5.

116 IN hac autem inquiſitione non poteſt inquiri de Petro, vel Titio; vel, an tale, vel tale delictum commiſerit, ſed ſolùm, quis in tali re deliquerit, vel tali. Ità Rodriquez *tract. de ord. iudic. cap.*2. Sayrus *l.*12. *cap.*10. *num.*19. Angel. *v. Inquiſ. §.*1. Syluest. *ibi, quæſt.*4. Sotus *l.*1. *de Iuſt. quæſt.*6. *art.*5. *concl.*5. & *relect. de teg. ſecreto, quæſt.*6. *membr.*2. Salon. 2.2. *quæſt.*69. *art.*12. *contron.*6. Aragon. & Bannes *ibidem.* Nauar. *Man. Lat. cap.*18. *num.*38. Valentia *diſp.*5. *quæſt.*14. *p.*1. Tannet. *diſp.*4. *quæſt.*4. *num.*74. Colligitur expreſsè *ex C. qualiter, & quando, diſt.*2. & *C. cum oporteat.* Et *C. Inquiſitionis, de accuſat.* & *C. Heli, de ſimonia,* & *C. Deus omnipotens, diſt.* 2. *quæſt.*1.

117 PROBATVR ab iſtis apud Fagundez *num.*9. multis authoritatibus ex D. Bonau. ex illo *Geneſis* 18. vbi Dominus expectauit clamorem Pentapolitanorum, & mox ait: *Deſcendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.*

PROBATVR ſecundò à D. Bonau. *ad* 16. *Lucæ,* illâ parabolâ Villici, qui diffamatus eſt, quia bona diſſipaſſet; non enim vocatur ad ſingulare examen ante clamoroſam diffamationem. Ideò enim famam negligens meruit inquiſitione ſeuerâ ad quæſtionem vocari.

PROBATVR tertiò à D. Bonau. *in Diata, tit.*10. *cap.*3. nam Dominus non proceſſit ad inquiſitionem fratricidij contra Caïn, quo vſque non audiuit vocem ſanguinis fratris eius clamantem, & inuocantem iuſtitiam Dei. Hoc teſtimonio nititur Pontifex in dicto cap. *qualiter, & quando.*

PROBATVR quartò à D. Bonau. *ad* 3. *Ioan.* ex facto Chriſti, qui quovſque valuit habere emendationis Iudæ, eum tolerauit, & quia crimen adhuc erat ſecretum, ita eum correxit, ac ſi inter ipſum ſolum; nemo enim diſcipulorum intellexerit; id ipſum determinat Pontifex, *C. ſi quis poteſtatem* 23. *quæſt.*4. vbi dicitur: *Iudicis non eſt ſine accuſatore damnare, ſicut nec Chriſtus Iudam abiecit.*

118 HINC, quamuis Iudex delictum ſui ſubditi agnoſcat, de quo nullum eſt indicium publicum, nec clamoroſa inſinuatio, vel ſparſus rumor; ſed adhuc eſt omninò occultum; & ſciat etiam, tres, vel quatuor teſtes id ſcire; nequeat via inquiſitionis particularis de illo ſpecialiter inquirere, vt eum puniat. Sic expreſsè declarat Innocentius III. *C. Inquiſitionis de accuſat. §. Tertia dubitatio ibi.* Non ſufficere ad inquirendum ſpecialiter contra aliquem, non infamatum, etiamſi duo, vel tres teſtes iurati, etiam exceptione maiores, aſſerant, ſe vidiſſe hominem aliquem delictum illud commiſiſſe: Et hæc totius mundi praxis, 119 vt teſtatur Farinac. *quæſt.*9. & alij apud illum. Nam accuſator neceſſariò requiritur ad puniendum aliquem, vel clamoroſa inſinuatio, & talia indicia, quæ vicem accuſatoris ſubeant & virtualiter accuſent, vt Fiſcalis, & iuſtitiæ promotor, qui ex officio tenetur accuſare, qui etiam in conſcientia non poteſt accuſare, niſi id, quod poteſt probare, & niſi præcedant indicia ſufficientia. Hanc veritatem tradit Caietanus 2.2. *quæſt.*69. *art.*1. *&* 2. Sotus *relect. de teg. ſecr. membr.*2. *quæſt.*6. Nauar. *in C. inter verba,* 11. *quæſt.*3. *concl.*6. *coroll.*48. *num.*579. Salon. 2.2. *quæſt.*69. *art.*2. *controu.*6. Aragon. *quæſt.*67. *art.* 3. Valentia *diſput.*5. *quæſt.*14. *p.*1. Sayrus *l.*12. *cap.*10. *num.*200. Rodriquez *de ord. iud. cap.*3. *num.*4. Fagundez *l.*8. *cap.*46. *num.*10. Tanner. *loc. cit.*

120 QVOD ſi inquiſitio ſit generalis de ſceleribus; non poteſt fieri particularis de Petro, vel Paulo, niſi laborent infamiâ, vt docent Caietanus 2.2. *quæſt.*69. *art.*1. *&* 2. Sayrus *l.*12. *cap.*10. *num.*22. Salon. 2.2. *quæſt.*69. *art.*2. *controu.*7. Sotus *de teg. ſecr. membr.*2. *quæſt.*6.

*quæst.*6. Palud.4. *dist.*19. Adrian. *quodl.*111. Aragon. ibi *disp.*2. Bannes ibi *disp.*10. Valentia, & Tanner. cum Rodriquez suprà.

PROBATVR, quia præsumitur quis bonus, dum non laborat infamia; & ideò grauis ei iniuria infertur inquirendo, an sit facinorosus.

QVOD idem sequitur, si crimen aliquod sit patratum, & non laboret Petrus infamiâ, non potest inquiri in particulari: an ille sit patrator. Ita Doctores citati; puta si cadauer occisi sit in via. Et hoc so-
121 lùm volunt Doctores citati, Caiet. & Adrianus, adducti à Diana *p.*1. *tract.*13. *resol.*63. Solus Sotus tenuit; potest tamen inquirere in genere: Quis commiserit? & venari indicia; *verbi gratia*, quis eo tempore illuc transierit? an armatus? an præceps, & fugiens? & ex illis indiciis ad personam, quæ cœpit infamari, procedi. Ita communiter Doctores, Rodriq. *num.*5. Sayrus *num.*22. Sotus *de teg. secr. membr.*2. *quæst.*6. Nauarrus *C. inter verba*, *concl.*6. *corol.*46. *num.*214. Corduba *Summa*, *quæst.*64. *p.*1. Petrus Nauar. *l.*2. *de restit. cap.*4 *num.*154. Aragon. *loc. cit.* Fagundez *num.*18. Malderus 2.2. *Tract.*6. *cap.*1. *disp.*119. Villalob. *Tom.*2. *tract.*14. *diff.*7. Valentia, & Diana *loc. cit.* Bannes 2.2. *quæst.*70. *art.*1. *disp* 2. *Sa verbo Iudiciales actus* §. *de modo procedendi*, Salonius *controu.*7. Tabiena, *v. Inquisitio*, §.8. & huius opinionis fuit etiam D.Thom. vt refert Syluester, *v. correpti. quæst.*8. Idipsum videtur sentire D.Bonauent. *serm.*5. *in decem præcepta*, vbi hoc obseruandum accinit, quoad substantiam, ad purgationem, quæ iuramento fiebat à populo viciniori, inuento cadauere, cuius interfector ignorabatur, postquam inquisitum esset de interfectore, & non fuisset inuentus.

122 HOC autem consuetudine inuectum est, vt sine accusatore in tali casu procedatur; potest autem consuetudo, legitimè præscripta, tollere, vel limitare ius positiuum *C. vlt. de consuetudine*, & *Leg. de quibus*, *ff. de Legibus*, & hoc in toto mundo seruari ait Innocentius *in C. Bona memoria* & Canonistæ *in C. Inquisitionis*, & Diana *p.*2. *Tract.*15. *resol.*63. vbi multos adducit.

NEQVE tamen illicò tenebitur reus se prodere; quia, licèt Iudex habeat ius interrogandi testes, non tamen habet ius interrogandi reum: an sit ipse, nisi postquam satis probatum sit, vt dicam *quæstione sequenti*.

123 QVOD si vnus tantùm sciat Reum, non tenetur eum prodere, vt notant Sayrus *l.*12. *cap.*10. *num.*26. Fagundez *num.*20. tunc autem aiunt teneri confiteri, quando sunt plures, qui crimen sciunt.

ADDO, quod si aliquis de vno crimine sit infamatus, & de alio non; potest inquiri de illo tantùm, de quo est infamia.

OPORTET autem hîc explicare, quid sit esse infamatum de aliquo crimine, vel clamorosè insi-
124 nuatum. *Infamia est frequens vox bonorum, & proborum hominum, quæ hominem de tali crimine suspectum reddat.* Dicitur: *vox bonorum*, vt excludatur rumor etiam inter malos. Dicitur: *de tali crimine*, vt inferatur, non posse de alio inquiri. Ita Caiet. 2.2. *quæst.*69. *art.*1. Sotus *l. de iust. quæst.*6. *art.*2. Sayrus *l.*12. *cap.*10. *num.*12. Vnde Sotus meritò inuehitur in Magos, siue Ariolos, qui arte diabolica inquirunt aliorum scelera, eosque iudices acriter reprehendit, qui, ex illorum dictis, aliqua in particulari contra aliquem inquirunt. Eosdem grauiter Pontifices apud D.Bonau. *in confessionali*, *cap.*3. *particula* 37. & 38. increpant, & contra huiusmodi procedendum notat *ex dist.* 26. *quæst.*5. *Non oportet*, *si quis Episcopus*.

125 HANC verò infamiam ait Beia *casu* 32. ex Iuris vtriusque peritis, esse probandam duobus saltem testimoniis, qui deponant, se ita publicè audiuisse, vel ita passim dici, vt ait etiam Less. *cap.*29. *dub.*16.

ALIAS conditiones, ad probandam famam requisitas, recenset Delrius *l.*5. *sect.*5. referens Iuristas multos, dicentes, nunquam se vidisse processum, in quo fama esset statis probata.

LABORANT autem Doctores in assignando numero hominum ad conuincendam infamiam necessario; Canonistæ *in C. Inquisitionis*, *de accusat.* docent, denarium numerum esse necessarium. Tannerum vide, ex communi dicentem *num.*76. requiri maiorem partem populi, vel parochiæ.

VERVM nihil de iure definitum est, vt aduer- 126
tunt Sotus *l.*5. *de Iustitia*, *quæst.*6. *art.*2. *concl.*6. & *relect. de teg. secr. membr.*2. *quæst.*6. *disp.*3. Sayrus *l.*12. *cap.*10. *num.*13. Salon. 2.2. *quæst.*69. *art.*2. *controu.*1. Fagundez *l.*8. *cap.*46. *num.*26. Ita relinquitur iudicio prudentis. Clamorosa insinuatio est vox populi, vel publicus rumor inter multos de tali crimine extra iudicium, vt ait Bassæus, *v. Iudicium publ. num.*4.

QVOAD indicia, vel circumstantias, debent gra- 127
uiter indicare factum, vt notant D.Thom. *quæst.*69. *art.*2. Caietanus, & Salon. *ibi*, Sotus *l.*5. *de iustitia*, *quæst.*6. *art.*2. Valentia *disp.*5. *quæst.*13. *p.*2. Sayrus *l.*12. *cap.*10. *num.*13. qualia sunt, si in lecto nudus cum nuda inueniatur, crimen fornicationis grauiter indicant. Si quis districto ense cruentato iuxta occisum deprehenditur, & similia; homicidium indicant.

IAM verò si vnus incipiat nominare aliquem, vt reum delicti, ista nominatio viam aperiet ad inquirendum specialiter contra nominatum, idest ad assumendum contra eum alias informationes: Ità Farinac. *quæst.*1. *num.*49. Innocent. suprà, qui ait, hoc de consuetudine seruare totum mundum, Bart. *in Leg.*2. §. *si publico*, *num.*9. *ff. de adult.* Baldus *in Leg. edita Cod. de eden.* & alij apud Clarum, §. *fin. quæst.*5. Aretin. *in C. cum oporter*, *num.*44. *de accusat.* & Nauar. *rubric. de Iudice*, *post numerum* 88. vbi ait, opinionem Innocentij in Theorica, & praxi receptam esse: ita etiam Tanner. *num.*79. Lessius *cap.*89. *dub.*15. *numero* 124.

NOTAT verò Philippus de Bictis *quæst.*11. pri- 128
mum testem, qui nominat delinquentem, haberi pro denunciante, cum Deciano *resp.*93. *num.*125. ideò, vt denunciator, non probat, ac contra Iudices oppositum facientes exclamat Dertaz *cons.*251. *n.*103. & sequitur Guez *defens.*29. *cap.*2. *num.*18.

ADDIT Bictus, quod si quis interrogatus iuridicè detegat indebitè occultum auctorem, poterit tamen iudex ad inquisitionem specialem contra detectum procedere, secundum Nauar. *rubr. de ind. num.*87. non obstat Franciscus Aretinus *in pract. cap.*13. & Less. *de iustitia*, *& iure*, *lib.* 2. *cap.*29. *dub.*15. vbi contra Sotum tenet, non modò posse, sed teneri procedere; subscribunt Thomas à Iesu, & Lezana *tract.*1. *cap.*27. *num.*4. Ratio est, quia Iudex vtitur iure suo, cùm iam crimen sit publicum, esto impiè detectum; si tamen iudex non est causa illius impietatis.

ATTAMEN hæc opinio est falsa, vt notat Boue- 129
rius *in Direct. p.*2. *cap.*4. *n.*3. qui cum Soto, Nauarro, & Sayro existimat, melius esse in proposito casu abstinere à procedendo.

HINC libet examinare doctrinam Tanneri *disp.*4. *quæst.*4. *num.*73. in vi iuridicæ denunciationis; quando nullus testis est productus, institui quidem posse generalem inquisitionem; sed neque Reum, vel alios de Reo specialiter interrogari posse, nisi forte loco accusationis

sationis Indicia, vel infamia, vel quid simile occurrat, at secus esse, ait, dum proceditur viâ denunciationis fraternæ, tunc nempe sat esse denunciantem, & adducit Valentiam *quæst.* 13 *p.* 2. vbi tamen æstimationis fratri debitæ rationem habendam ait.

130 HÆC vltima doctrina hac sanè cautione est moderanda, quia etiam in paterna inquisitione potest macula inferri famæ, & bonæ existimationi eius, de quo inquiritur.

ADDIT etiam *num.* 81. approbandam praxim iudicum, qui ex denunciatione procedunt ad quærenda indicia, vt sic forment libellum inquisitionis, & putat Lessius, sic præcedere infamiam, quæ ex communi Theologorum est necessaria, & ex canonibus, sed hoc cum Nauarro *in rubr. de Indiciis*, *num.* 66. falsum esse reor. Quæ enim infamia hîc præcedit? Timent forsan ne scelera impunita maneant; sed puniantur debitis modis.

131 HOC sanè etiam cum Tannero affirmo, Iudicem ob delationem sibi, non vt Iudici, sed vt priuato factam, non posse ad specialem inquisitionem procedere; alioqui totus processus est iure nullus, vt docent etiam Clarus *quæst.* 5. *num* 4. Less. *dub.* 15. *n.* 136. solùm enim ad generalem inquisitionem tendere potest, vt notat Tannerus *num.* 84. cum Caietano, & Salonio.

HOC pro coronide grauiter notandum, quod omni inquisitioni supponitur, nempe corpus delicti, sine cuius notitiâ non potest Iudex procedere. Ita omnes Doctores exclamant apud Farinac. *quæst.* 2. *num.* 1. & Clarum §. *fin. quæst.* 4. qui *quæst.* 66. ait: Si non constat de corpore delicti, non posse condemnari Reum, etiamsi esset conuictus. Imò neque potest torqueri *Leg.* 1. §. *Item illud*, *ff. ad Sillan.* Imò neque potest examinari Reus, vt dicunt Doctores apud Fa-
132 rinac. *quæst.* 2. Neque potest capi, vt testantur apud eundem Farinacium Marsil. Bossius & alij, inter quos Bonacos testatur de communi Doctorum; & si capiatur Clericus, dum non constat de corpore delicti, Iudex est excommunicatus, vt notat Farinac. ibi post Ioan. Andr. & Curnerum, qui testatur, esse communem. Neque potest contra Reum specialiter inquiri. Farinac. *quæst.* 7. per *Leg. necessario*, §. 1. *ff. ad Sillan.* & plura alia iura, citans Baldum. Angelum, Marsilium, Boss. & alios, & ait, esse communem. Tandem nisi constet de delicto, nec generaliter inquirere, nec ad aliquem actum procedere debet Iudex. Ita Clar. *quæst.* 4. Bouër. *p.* 2. *cap.* 7. §. *primo modo*, qui citat multos Doctores.

133 RATIO horum est, quia vbi Lex disponit de aliqua re, debet prius de ea re constare, *Leg. Decius*, *ff. de testam. milit.* & qui vult probare qualitatem, debet priùs probare substantiam, in qua illa qualitas fundatur, Gloss. *in Leg. si arbiter*, *ff. de probat.*

NEQVE solùm debet constare de corpore delicti, puta homicidio; sed etiam de illius qualitatibus; & ideò praxis vniuersalis est, vt Iudex vadat, vel mittat notarium ad visitandum cadauer occisi, & in actis redigat, quot habeat percussiones, seu vulnera punctim, seu cæsim, & in qua parte corporis ea habeat, & similia. Vide Clarum *quæst.* 4. Farinacium *quæst.* 2.

134 DEBET etiam cadauer cognosci per testes, si potest. Hoc tamen non cogit, si cadauer probetur combustum, vel iactum in mare, vt ait Baiard. *quæst.* 4. *ad Clarum*, plurimos adducens. Vide Bictum *quæst.* 12.

POSTQVAM verò constiterit de corpore delicti, tenetur Iudex causam diligenter prosequi, & si neglexerit, puniri potest, Clar. *quæst.* 4. Bursat. & Guaz. *tract. ad defens. cap.* 1. *num.* 22. *defens.* 4. Baiard. ad Clarum *quæst.* 66. *num.* 7. & grauiter premit S. Bonauentura *in speculo animæ*, *cap.* 2. & *in Apolog. Min. quæst.* 2.

HÆC tamen non intelliguntur in generali Visitationum inquisitione, & sindicatu nostrorum Prælatorum.

SIMILITER nec in delictis, quæ signa non re- 135
linquunt, vt in fornicatione, neque in delictis occultis difficilis probationis, vt in furto, dum fit sinè fractura. Non potest tamen procedi ad condemnationem, antequam reperta sit res furata. Similiter nec in casibus, in quibus ambiguum est: An interuenerit delictum, vt in aliquo reperto suffocato in puteo, occiso veneno, &c.

DEBET autem in his casibus prius inquirere de de veritate facti, & sic scelere detecto, vltra procedere; Secus autem, sileat processus, Clar. *quæst.* 4. Farinac. *quæst.* 2. *num.* 29. quem vide etiam *num.* 30. De hac materia vide Clarum, §. *fin. quæst.* 4. 55. 64. & 66. Farinac. *quæst.* 2. Guaz *tract. ad defensam*, *defens.* 4.

ADVERTE adhuc, quamuis contra personas or- 136
dinarias sufficiat fama, vt instituatur causa; tamen contra Prælatos, & eximias personas requiritur clamorosa insinuatio, atque vt eadem fama sæpè ad aures Iudicis deuenerit, secundùm Card. Alex. qui ait, ita tenere communiter Doctores *C. accusatoris*, & Clar. *quæst.* 6. & 7. & Farinac. *quæst.* 9. vbi admonet, famam debere esse in processu probatam per contestes, qui saltem debent deponere, se ita publicè audiuisse, vel ita passim inter probos dici, Bald. *Leg. litteras*, *num.* 2. *de præsumpt.* sicque passim seruatur, teste Claro *quæst.* 6.

DEBET autem Iudex cautus, si videat famam 137
alicuius iniustè denigrari, delationes non recipere, vt monet Bouerius *p.* 2. *cap.* 4. cum Soto *de teg. secr.* *quæst.* 2. Nauarro *C. inter verba*, 11. *quæst.* 3. Sayro *l.* 2. *cap.* 9. *num.* 18.

IN casibus tamen atrocioribus procedi potest ex Inditiis grauibus sine fama, vt de hæresi tenet *in C. Excommunicamus*, §. *adiscimus*, vbi omnes Interpretes; & notat Farinac. *quæst.* 9. *num* 14. citans Bartolum, Bossium, Menochium, Felinum; qui testatur de communi, & refert Clarum *quæst.* 6, & Decianum cum aliis *de crimine læsæ maiestatis*, & aliis enormibus. Est communis sententia D. D. *in C. qualiter*, *& quando*, *de accusat.* eamque tenuit Farinac. suprà *num.* 15. cum Gigante, Alciat. Cephalo, & Deciano.

IN his verò casibus facienda est inquisitio de in- 138
diciis, quibus deficientibus, cùm neque præcedat fama, esset inquisitio nulla. Farinac. *quæst.* 5. vbi innumeros adducit. Eum vide multa differentem.

HIC quærunt vltimò: An Iudex possit pœnam relaxare, de quo D. Thom. *art.* 4.

REGVLA generalis est, non posse in præiudicium partis. Vide Valentiam *p.* 4. & D. Bonau. *ad* 8. *Ioan*, in sententia lata pro adultera, vbi Christus Iudex eàm absoluit.

PECCAT etiam lethaliter absoluendo Reum in 139
præiudicium boni publici, dando ansam improbis peccandi liberiùs: Ità Molina *tomo* 4. *tract.* 3. *disp.* 48. Clau. Reg. *l.* 12. *cap.* 12. & alij apud Bassæum, *v. Iudicium publ. num.* 12.

DISPVTA

DISPVTATIO XXIX.

De Reo.



Evs est, qui, de re aliqua accusatus, coram Iudice iuridicè sistitur, quare de ipso post Iudicem, tanquam de ipsius correlatiuo, rectè disputatio instituitur. De hoc integra; volumina contexêre quotquot rebus forensibus operam nauarunt; ideò quæ conscientiam tantùm concernunt hac in re, breuiter nobis discutienda sunt. Porrò primus passus, quô Reus ad tribunal ducitur, est citatio legitima, quæ triplex est: Prima ad comparendum, quæ adeo de iure Naturæ est necessaria, vt quicquid absque ea à Iudice geritur, nullo iure comprobetur. Secunda est ad allegandum. Tertia, ad definiendum: Duas postremas de iure esse positiuo acclamat Elizæus noster è communi Iurististarum sensu *tract.7. quæst.1. num.5.* à prima citatione, vnde reliquæ ex se pateot, exordiemur.

QVÆSTIO I.

De deductione Rei *ad Tribunal.*

1 NECESSARIA est primò citatio Rei valida, vti iam insinuauimus, alioqui super arenam ædificabitur causa. Clar. *§. fin. quæst.31.* Gloss. *in Leg. si accusatoribus, Cod. de accusat.* & est communis, vt refert Bossius *de citationibus, num.13.*

DEBET autem contra eum esse probationes sufficientes, vt infra dicam ad hoc, vt legitimè citetur, alioqui erit iniusta Rei aduocatio, & peccatum mortale, vt notat D. Bonau. *in speculo animæ, cap.2.* & inouit *in apolog. Fratr. Min. quæst.2.*

2 DICVNT autem Scacc. 8. Guaz apud Bictum *quæst.95.* & Menochius *de præsumpt. l.1. quæst.88. num. 21.* legitimum inditium sufficiens esse vnum testem, querelam vulnerati, in articulo mortis constituti, fugam Rei cum aliquibus aliis indiciis; ita vt talia indicia maiora sint, quàm simplex præsumptio, & minora, quàm semiplena probatio. Ita P. Elizeus, vbi suprà *num.3.*

QVOD si Iudex aliquem non citatum damnaret, inualida esset sententia, vt dicunt omnes, quia est iuris naturalis, vt suprà dixi, atque adeò neque à Principe potest omitti. Quod si damnaret non citatum, peccaret mortaliter, vt docet D. Bonau. *in speculo animæ, cap.2.* quem sequuntur Artetin. *in pract. crim. cap.1. de Reis*, Bouët. *p.2. cap.34.* Nauar. *in Man. cap.25. num.13.*

3 SOLAT autem, si timetur fuga, Reus carcerari, Tres autem sunt carceres; Primus ad custodiam; Secundus ad torturam; Tertius ad pœnam, vt habet P. Elizeus *tract.7. quæst.2. num.1.*

CARCER ad custodiam debet esse humanus; nam carceres inhumani vituperantur à Bossio *tit. de carcere.*

QVANDO quidem est ad custodiam debet in actis 4
explicari, vt sic non contrahat iuris infamiam, quæ sequitur ad carcerem pœnæ, vt notat Bouët. *cap.34.* Neque verò pro omni crimine, vel leuiter debet carcerari Religiosus, quia eius præiudicium est irreparabile, vt notat Baldus, quem sequitur Felin. *in C. cum super, de re iudic.* alioqui Iudex peccabit mortaliter, vt docet D. Bonau. *in speculo animæ, cap.2.* & ad restitutionem tenebitur, sequitur Nauar. *in rubr. de iud. num.83.* cuius doctrinam, vt insignem, notant Patres nostri *in modo nostro procedendi, cap.2. in secundo substantiali*; cùm melius allegare potuissent hanc, vt doctrinam D. Bonauenturæ.

DEBET igitur primò constare Iudici de corpore 5
delicti, & indicia grauia præcedere; alioqui si sit persona honesta, erit peccatum mortale, & ad restitutionem coget; si Clericus, subibit excommunicationem, vt communiter docent Doctores apud Clarum *quæst.28.* Farinac. *quæst.27. num.74.* & Ioan. Andream *in C. si clericus, de sent. excom. in 6.*

HOC multo magis de religiosis procedit, quibus carcera infamiam redolet, vt notat Bouët. *p.2. cap.34.*

NON posse autem carceratum iustè aufugere, docent Clarus *quæst.21.* & plurimi apud Couar. *l.1. variarum resol. cap.2.* & Angelus *v. fugere*, & sic fugientem peccare mortaliter dicunt Barthol. Felinus, & Bossius.

ENIM verò è carcere fugere non esse peccatum 6
docent plurimi apud Azor. *p.3. l.13. cap.24.* Dianam *p.3. tract. Miscell.5. resol.102.* dicentes, posse damnatum morte confringere carcerem; & est communis sententia, quam ego sustinui *Tract. de Legibus.* Et hoc idem dico cum Diana, & Bonacina, Tannêro, & aliis, etiam de damnato ad tempus carcere: Cauere tamen debere Religiosum iustè detentum, ne fugiens in Apostasiam cadat, admonent Rodriquez *T.2. qq. Regul. quæst.23. art.6.* Bictus *quæst.79.*

EX quibus verò sequitur, non esse habendum, vt 7
confessum, carceris effractorem, vt docent plurimi cum Farinac. *quæst.30. à num.20. ad 21.* & hanc opinionem ait Bertaz *ibi*, esse communem. Vide Bictum *quæst.79. de Reo.*

QVÆSTIO II.

An teneatur Revs *confiteri delictum, semiplenè probatum.*

{ D. Thom. art.1. & 2.

1 SEMIPLENA probatio est vnius testis omni exceptione maioris, vt omnes fatentur. Glossa *C. in omni*, vbi citat multa Iura.

NAQVE sufficit denunciator, quia nullus in causa propria est idoneus testis, *L. Nullus ff. de testibus.* Quod verò Sotus obseruat *ex Matth.18.* vbi iubetur corrigens assumere vnum, vel duos, & subditur: *Vt in ore duorum, vel trium testium, &c.* Non est vrgens, nam ibi intenditur merè salus correpti: *Si te audierit, lucratus eris fratrem*, & in has subtilitates decepti sunt etiam Less. *l.2. cap.30.* Fagundez *in octauum Præceptum, l.8. cap.39. num.14.*

PRIMA opinio est, non modò sufficere semi- 2
plenam probationem, sed minorem etiam, vt indicia, vel saltem præsuppositiones, vel etiam suspi-

 ciones;

ciones. Ita *Boss. tit. de exam. reorum, num.* 6. Carthat. *in praxi interrog. Reorum*, *l.* 1. *cap.* 2. Clarus verò *quæst.* 20. ait, grauia inditia sufficere ad examinandum reputatum, tanquam Reum. Idipsum multò magis asseuerabunt dicentes, non modò ad interrogandum, sed etiam ad torquendum reum sufficere inditia, quæ semiplenam probationem non inducant.

GLOSSA *in Leg. cum probatio*, *ff. de probat*; quam ibi secuti sunt Bald. & Salicet. & cum his tenuêre Albertus, Alex. Angel. Aymo Blan. Bossius, Castrensis, & Corneus, qui testatur de communi, Conrad. Gomez. Mascard. & quamplures alij, quos refert Farinac. *quæst.* 36. *num.* 218. sed in hoc de tortura eos non sequitur, vt patet *num.* 224.

10 HVIC primæ opinioni videtur fauere Caiet. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 2. & ipse D. Thom. ibi, dum aiunt in processu per denunciationem, vel accusationem sufficere famam ad reum interrogandum. Et tamen fama in criminalibus semiplenè non probat secundùm Decianum, Bertran. Saccum, Clarum *quæst.* 21. Baldium, Bero, Butrium, Abb. Felinum, Imolam, & ita de communi testantur Blancus, Bonacos. Crass. Duen. quos sequitur Farinac. *quæst.* 47. *num.* 59. vbi plures alios citans inducit in comprobationem Romanæ Rotæ decisionem, coram Rebusterio *decis.* 82. *p.* 1. Idem tandem mussitat Nauar. *in Rubr. de iud. numero* 25.

11 SECVNDA sententia, magno plausu acclamata, est, ad interrogandum Reum sufficere semiplenam probationem, quæ est per depositionem vnius testis oculati, omni exceptione maioris, vel per inditia æquipollentia. In hac concordare Iuristas, Theologos, & Summistas omnes, & sine controuersia triumphare clamat Philippus de Bictis *de Reo*, *quæst.* 80. & Tanner. *disp.* 4. *quæst.* 4. *num.* 72. ait esse communem in criminibus non exceptis.

12 HÆC est sententia D. Thom. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 1. & omnium Thomistarum. Ita Caietanus, Salonius, Bannes, Aragon. *ibi* Alphonsus de Vega *in Summa T.* 2. *cap.* 89. *casu* 1. Ledes. *in Summa*, *tomo* 2. *tract.* 8. *cap.* 24. *concl.* 2. Turrian. 2. 2. *t.* 2. *disp.* 50. *dub.* 2. Pitigian. *in pract. crimin. p.* 1. *cap.* 7. Sotus *de iust. l.* 5. *quæst.* 6. *art.* 2. Corduba *in qq. l.* 1. *quæst.* 43. *dub.* 3. Azor *p.* 3. *l.* 13. *cap.* 25. *quæstio* 3. Sayrus *in Clau. reg. l.* 12. *cap.* 16. Valentia *T.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 13. *punct.* 1. Syluest. *v. accusatio*, *quæst.* 13. *& v. confessio delicti*, *quæst.* 1. Nauar. *in Man. cap.* 18. *num.* 57. & *cap.* 25. *num.* 36. & *C. inter verba*, *dist.* 21. *quæst.* 3. *concl.* 6. *corol.* 5c. Toler. *l.* 5. *Instruct. Sacerd. cap.* 58. Tabiena & Sà *v. Testis*. Gabr. *dist.* 15. *quæst.* 6. *art.* 2 Henricus *quodl.* 1. *quæst.* 33. Palud. *dist.* 19. *quæst.* 4. Couar. *qq. pract. quæst.* 6. Gomezius *t.* 2. *cap.* 12. apud Sayrum *loc. cit.* & Lessium infrà citandum, eamque sustinet Syluester *in* 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 4. Homob. *tract. de stat. p.* 2. *cap.* 4. Miranda *in l. ordin. Iudic. t.* 2. *quæst.* 19. *art.* 8. Aldret. *de Relig. discipl. l.* 1. *tom.* 1. *num.* 5. & *l.* 1. *cap.* 4. *num.* 8. *&* 24. Cruz *in Direct. p.* 1. *precep.* 8. *art.* 3. *dub.* 8. *conclus.* 1. Clarus *quæst.* 20. Graff. *l.* 3. *decis. cap.* 7.

13 NON omnes tamen hæc opinio absorbet, vt glorietur Bictus noster; nam Semiplenam probationem non sufficere ad interrogandum Reum constanter, & probabilissimè tuetur Ioannes Valerius *in diff. vtriusque fori*, *diff.* 49. Villalob. *in Summa, tomo* 2. *tract.* 16. *diff.* 1. *num.* 10. Ioseph à S. Maria *in Tribun. Relig. tract.* 4. *cap.* 14. *num.* 5. Filliuc. *tomo* 2. *tract.* 40. *num.* 266. & ex aduersis aliqui suam probabiliorem vocantes, hanc probabilem innuunt Less. *de iust. l.* 2. *cap.* 31. *dub.* 3. *num.* 18. Nauar. *de rest. l.* 2. *cap.* 4. *num.* 142. Rodr. *t.* 2. *qq.* 19. *art.* 4. Salzed. *tract. crim.* Piaz. *cap.* 128. Malder. 2. 2. *t.* 6. *cap.* 3. *sect.* 3. Denique eam docent Sancius, *Select. disp.* 43. Peiri. *de relig. subd. t.* 1. *quæst.* 1. *cap.* 16. Octauian Spararius *in praxi crim. t.* 9. *cap.* 7. *& seq.* ardenter dicens in toto orbe 14 practicari in omnibus iudiciis, vt citra plenam probationem sinatur Reus hoc iure vti, vbi maximè grauis pœna instat. Hunc placide sequitur Bassæus *v. Reus*, *num.* 4. cum Reginald. *t.* 2. *l.* 24. *cap.* 3. *sect.* 3. & aliis, quos Laudat Diana *p.* 1. *tract.* 15. *resol.* 27. Qui eam probabilissimam, & tutam in praxi acclamat.

HIS omnibus subscribo. Quapropter Confessarij, 15 ne cogant pœnitentes confiteri, si spem euadendi mortem, mutilationem, triremes, confiscationem, aut graue aliquod dedecus habeant, monet Sà. Eo autem magis huic sententiæ adhæreo cum videam, eam ad mentem Seraphici Doctoris, qui etiam argumentum huic sententiæ administrat.

IS igitur *in* 4. *dist.* 17. *p.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *in corpore* ait, confiteri peccata sua hominibus non dictari à natura, nisi in generali, quatenus dictat reconciliari oportere Deo, omnibus modis à Diuina maiestate institutis. Et *ad* 4. dicit, accusationem, & propalationem sui peccati ad sui salutem, esse conformem naturæ, si sit necessaria ex institutione Dei, sicuti est conformis naturæ detectio vulneris, etiam in parte pudenda ad necessariam medelam; at verò aliter esse naturæ consonum erubescere, & suum scelus non propalare.

ET si ad condemnationem, esset contra naturam; 16 ex diuina verò necessitate prodest, vt detur gloria Deo, iuxta id Iosue 7. *Da gloriam Deo, confitere quid fecisti*, quod idem dixerat *fundamento* 4. & *in confessionali*, *cap.* 1. *particula* 5. Erat autem confessio, quam Iosuë ab Achan exigebat, iam propalato coram populo ex sortibus, diuino miraculo reuelantibus huius furtum. Infert igitur S. Bonauent. vbique, ex Diuino decreto statutum, atque exigi, & extorqueri ab Achab confessionem illam, alioqui non fuisse obligatum. Quare insulsè Clauis Regia hunc locum affert, vt concludat, licere confessionem extorquere à reo absolutè.

EX his eruitur validissima ratio, quam nostræ 17 sententiæ authores apud Dianam magnificant. Id, quod est contra naturam, non est faciendum, nisi Deus in eo honestatem constituat, & præceptum; sed tradere se morti, vel graui damno vitæ, imò etiam honoris, & facultatum, est contra naturam, nec inuenitur Deus præcepisse, vt peccatum nostrum propalemus occultum, ex quo nostra pernicies emanet: Ergo. Inueniant igitur isti legem Dei ad hoc me cogentem, sicuti inuenienda fuit ad confessionem Sacramentalem occultorum (vt ait D. Bonauent.) & eò magis exigitur, quò grauior est hæc confessio.

RESPONDENT cateruatim omnes aduersarij, 18 Iudicem habere à Deo potestatem iudicandi, vt dicitur *Rom.* 13. & *Sap.* 6. & *Psalm.* 2. & ideò, cùm nequeat Iudicari res non exposita iuridicè, potest interrogare, & reus ei tenetur obedire tanquam superiori; neque verò potest esse, vt Iudex habeat potestatem interrogandi, & Reus habeat tacendi; alioqui erit bellum vtrinque iustum. Hic est aduersariorum Achilles. Hoc venerandum asylum.

IMBELLIS tamen defensio. Primò enim di- 19 co, quòd cùm peccatum sit, in vnius testis scientiâ, non adhuc est publicum, sed occultum, vt colligitur ex *C. Inquisitionis*, *de accusat.* Ideò contra ius naturæ interrogatur Reus.

DEINDE non repugnat, dari bellum ex vtraque parte iustum, sicuti licitum est Iudici, damnato

vltimis

vltimis suppliciis; præcipere, ne fugiat; & Reus potest fugere, vt notat Pesantius *quæst.77. quæst. vnica*, & præceptum in tali casu potest censeri datum ad Reum terrendum. Ità Sancius, Reginaldus, Lessius, & alij apud Dianam. Nullus enim tenetur contra se arma ininistrare ad sui occisionem, aut se suis bonis priuare, aut se conijcere in carcerem.

20 PARENO autem faciunt reuelantes suum peccatum, cùm non est plenè probatum: Et sanè quamdiù est spes euadendi, durissimum est hoc præceptum, quod via è mille vnus vellet seruare, quia est contra dictamen naturæ; præcepta autem humana debent esse conformia iuri naturæ, & non supra, aut contra vires eius.

21 PRÆTEREA nemo in criminalibus tenetur, aut cogi potest ad testificandum contra consanguineos, vt patet *Leg.4. ff. de Testibus*, quando veritas aliter haberi potest, vt docet Lazarius Papiensis *lib. de quæst. canon. sect.3. quæst.11.* Rodriquez *T.1. Summæ cap.69.* nisi in causa fidei, aut propter bonum Reipublicæ, aut Principis. At quis mihi magis consanguineus, quàm ego mihi? Neque dicas, loqui legem de occultis criminibus. Contra enim est, alioqui nullum esset beneficium legis erga consanguineos; etenim neque extranei cogi valent ad dicenda crimina occulta.

22 OB has rationes secundùm alios etiam, saltem pro graui pœna vitanda temporali, non tenetur Reus respondere, attamen si ad pœnam spiritualem sit interrogatio, qualis est irregularitas, excommunicatio, vel interdictum, quæ facilè tolluntur, & sunt potius medicinæ, quàm pœnæ. Secùs faciendum asserunt Abbas *in cap. cum super, de confess.* Angelus *v. confessio delicti*, Syluest. *v. delicti confessio quæst.1.* Armilla *ibi, quæst.8.* Alcozer. *Summæ cap.16. §. & vee* Lessius *l.2. cap.31. dub.3. num.16.* Filliue. *tract.40. in octauum Præceptum Decal. cap.9. num.266.* Sà *v. reus.* Petrus Nauar. *l.2. de restit. cap 4. num.136.* Citatur etiam Nauar. *C. Inter verba, coroll.64. num.733.* Vega *Summa cas. l.5. casu 603.*

23 TANDEM eam probabilissimam censet etiam Fagundez *in octauum præceptum Decal. l.8. cap 32. à num.11.* eamque non renuit Bictus *quæst.81. num.22.* qui addit *num. 25.* posse etiam conuictum negare factum externum, si non sit criminosum, vt cum occidit hominem, putans esse feram. Ita etiam alij cum Diana *3. p. Tract.5. resol.66.*

24 ARGVMENTA aduersa quatuor verbulis corruunt, dicendo, dato etiam, Iudicem vti iure suo ad interrogandum; & Reum vti iure suo ad saluandam vitam, &c. atque adeo vtrinque ratione probabilitatis posse agi, & geri iustè bellum; attamen arctius esse ius naturæ ad conseruandam vitam, quàm ad obediendum Iudici, quia illud est merè naturale; hoc verò mixtum iure humano, seu potestate, & lege humana cogente ad confitendum.

25 QVOD verò inferunt, futurum breui, vt loca malefactoribus repleantur, vt colligitur *ex C. cum dilecti, de accusat.* & *cap.2. de confession.* Dico, per accidens id sequi, non enim extirpandi sunt praui quacumque ratione, sed optimo iure.

MVLTO verò minus tenetur Reus, imò & testis confiteri, si dubium sit, an iuridicè inquiratur. Ita communiter in Bassæo.

QVÆSTIO III.

An REVS, in vno crimine infamatus, possit de alijs etiam interrogari.

{ D.Thom.art.2.

AFFIRMANT Tabiena *v. accusatio, num.20. dub. vlt.* D. Anton. *3.p. tit.9. cap.7. §.3. v. Inquisitio, 1. quæstione 3.* Palud. *4. dist.19. quæst.4.* in fine. 26

SECVNDA negat licere, atque adeò asserit, non teneri Reum ad eam interrogationem respondere. Ita communiter DD. D.Thom. *2.2. quæst.69. art.2.* & *quæst.8. art.1.* vbi de testibus, & multo minus tenebitur Reus. Sequuntur Tolet. *l.5. summa, cap.58.* Salon *2.2. quæst.69. art.2. cont.8.* Aragon. *ibidem*, & Bannes *disp.1. concl.3.* Nauar. *C. inter verba, 15. conclus.6. quæst.3. coroll.51. num.588.* Valentia *disp.5. quæst.23. punct.2.* Petrus Nauar. *l.2. de restit. cap.5. p.2. dub.5. num.170.* Caiet. *2.2. quæst.69. art.1.* Sotus *l.5. de Iust. quæst.6. concl.5.* & *de teg. secr. membr.2. quæst.6. disp.5.* Angelus *v. Inquisitio, §.11.* Sayrus *l.11. cap.16.* Fagundez *l.8. cap.34. constit.58.* pro statu Ecclesiæ, vt refert Bictus *quæst.80. num.28.* Sic & Bassæus *v. Reus, num.6.*

EXCIPE tamen, si infamatus de vno sit, quod habeat aliud connexum, vel indicia ad illud, sic infamata de adulterio, si mox inueniatur maritus eius occisus, potest de hoc interrogari. Id probare videtur S. Doctor *in Confessionali cap.2. part. 1.* illo Deuter 24. *Cùm repetes à proximo tuo rem aliquam; quam debet tibi, non ingredieris domum eius.* 27

MIHI placet sententia Bruni *de indicijs, secunda parte, quæst.5. num.66.* Id verum esse, quando in eo genere est malæ famæ, vt latro, viarum grassator. Subscribit Bictus *quæst.80. num.27.* 28

QVÆSTIO IV.

An conuictus de crimine, possit interrogari de socijs occultis, de quibus nulla est infamia.

ASSERVNT Battol. *in Leg. Repetita, ff. de quæst.* Iulius Clarus *l.5. quæst.21.* Palud. *4. dist.19. art.4.* in fine, Syluester *verbo Inquisitio, quæst.3.* 29

COMMVNIS, & vera sententia negat (excipe hæresim, Læsam maiestatem, Proditionem patriæ, & falsæ monetæ excusionem.) Sic Caietanus *2.2. quæst.69. art.1.* Salon. *ibi, contrau.8.* Aragon. *ibi dub.3.* Bannes *disp.1.* Sotus *l.5. de iustitia, quæst.6. art.2. concl.5.* Nauar. *Summa Lat. cap.18. num.58.* & *in C. inter verba, 11. quæst.3. concl.6. corrolario 49. num.584.* Bass. *num.7.* Tolet. *l.5. Summæ cap.58.* Sà *v. Indicium, num.15.* Angel. *v. confessio delicti, §.4.* Petrus 30
Nauar. *l.2. de restit. cap.4. p.2. disp.5. num.173.* & alij, vt patet *in Leg. finali, Cod. de accusat.* & *Cod. repetita, ff. de quæst.* Et ex Iure Canonico *C. Nemini 15. quæst.3.* ibi: *Nemini* (præter quam de crimine læsæ maiestatis) *de se confesso super alienum crimen credi oportet: quoniam eius, atque omnis rei confessio periculosa est, & admitti aduersus quemlibet non debet.* Et idipsum habetur *Cod. Monasterium de confessis.* Quomodo autem periculosa sit, docet

Imperatos Seuerus Leg. 1. ff. de quæst. 5. *Diuus Antoninus, quia reus ansam arripere potest se vindicandi de suis inimicis, vel de illis, quorum opem implorauit, & noluere faciendo eos sui criminis socios.*

31 Hæc est profectò D.Bonau. opinio; nam *in 4. dist. 21. p. 2. art 1. quæst. 3.* vbi, licèt de confessione Sacramentali loquatur, negat tamen, posse aliorum crimina detegi; dum possumus nostrum sine alienis reuelare: Et *dist. 19. dub. 5.* loquens de Iudice innuit, proportionaliter idem de ipso, ac de confessione dicendum.

Hanc opinionem tuentur communiter apud Farinac. *quæst. 43.* nam secundum vtriusque iuris statuta, super aliorum consocijs interrogari non potest, vt docet etiam D.Bonauentur. exponens locum illum *Deuter. 24.*

Excipiunt tamen, si crimen tale sit, vt moraliter sine socio fieri nequeat, *v.g.* talis rapina.

32 Similiter in falsificatione Scripturæ ad se non spectantis, vel in examine testis falsi ad aliorum instantias; debet enim inquiri ad cuius instantiam falsum deposuit. Similiter in homicida, qui nullam habuit causam; potest enim inquiri de mandante, Farinac. *quæst. 43. num. 91.* alios adducens.

33 Concludit tamen Bictus *quæst. 80. num. 36.* consuetudine seruari, vt conuictus interrogetur de socijs complicibus; mandatoribus, fautoribus, vt habent plurimi apud Guaz *defensione 30. cap. 9.* Gandinus Iacobus de Beluis, & Blanch. *tract. de Inditiis, num. 374.* & Vulpel. & Mascar. *de prob. concl. 1311. vol. 3.* qui ait, ita seruari in generali consuetudine Italiæ. Et Baiard. qui hoc refert ad Clar. *quæst. 21.* ait, se vidisse idem obseruari in quocumque delicto, & hoe asserit nouissime Cason. *tract. de torm. cap. 16. num. 6.* & Giacharius ad Clarum, qui tamen ait, Mediolani hanc non seruari consuetudinem, sed ius commune, nisi in casibus aliquibus exceptis; & subdit, laudabile esse, vbi non est talis consuetudo, stare iuri communi.

34 Monet verò Bictus *num. 38.* Iudices, vt caueant, vbi etiam esset hæc consuetudo, à suggestione, seu à nominanda aliqua persona, vt monent etiam Charr. & Ambrosin. *de modo formandi processus in foro, l. 6. cap. 4. num. 10.* nisi contra eam adsint inditia sufficientia; aliàs esset suggestio, & Iudex peccaret grauiter, atque processus esset ipso iure nullus. Clar. *quæst. 21.* & ad eum Bairar. *num. 28.* referens Castrensem, & Folles. Talem interrogationem fore suggestiuam, docent etiam alios referens Farinacium *quæst. 43. num. 132.* qui *num. 33.* monet, inditia in hoc casu esse debere nimis manifesta.

35 Enim verò hanc consuetudinem proclamat iniquam Sayrus *lib. 12. cap. 17. num. 9.* quia est contra
ius naturæ. Sic etiam Salon. *2. 2. quæst. 69. art. 2. contron. 8.* Caietanus ibi, Sotus *lib. 5. de Iustitia, quæst. 6.*
art. 2. concl. 5. & alij apud Fagundez *in 8. præceptum, l. 8. cap. 34. num. 13.* Intelligunt autem de delictis pri-
uatis, quæ non exigunt complicem, vt simplex ho-
micidium, furtum, &c. nam in criminibus, quæ so-
36 cium requirunt, vt Sodomia, adulterium, viarum
grassationes, licet de socijs interrogare, & multò magis
in casibus exceptis contra Rempublicam, vt coniura-
tionibus, proditionibus, falsis monetis, &c. vt dixi.

QVÆSTIO V.

An Reus, negans iniustè verum crimen, propter quod erat damnandus pœna pecuniaria, teneatur soluere, & sitnè restitutioni obnoxius.

Prima opinio affirmatiua est Molinæ *de iust. tomo 1. tract. 2. disp. 95.* Soti *l. 1. quæst. 6. art. 6.* Castri *de l. pæn. l. 2. cap. 12.* Layman *l. 3. sect. 5. tract. 2. cap. 7. num. 4.* 37

Opposita tamen sententia est Tanneri 2. 2.
disp. 4. quæst. 6. dub. 2. num. 76. Nauarri *cap. 28. ad*
num 46. Azorij *t. l. 5. cap. 8. quæsito 5.* Vasquez *prima*
secunda, disp. 175. cap. 12. Less. *l. 2. cap. 13. dub. 10.*
Sanchez *Summ. tom. 1. l. 2. cap. 22. num. 22. & lib. 10.*
de matrim. disput. 8. num. 14. Medinæ *lib. 1. Summa*
cap. 14. §. is, Angles *in flor. 2. p. de restit. legis pæn. art.*
vn. diff. vn. concl. 3. fol. 248. Aragon. *2. 2. quæst. 62.*
art. 3. fol. 228. & ibi Salon *contron. 2.* Baones *art 3.*
disp. 2. Lud. Lopez *p. 1. Instruct. cap. 159.* Rodriquez
T. 1. Sum. in secunda edit. cap. 186. num. 6. Graffij
p. 1. decis. l. 3. cap. 7. num. 25. Azorij *t. 1. l. 5. cap. 8.* 38
quæsito 5. & l. 8 cap. 12. quæsit. 5. Vasquez *prima 2.*
disp. 175. cap. 12. num. 13. Fagundez *in octauum præ-*
ceptum decal. l. 8. cap. 30. Palae. *l. 4. de contract.*
cap. 5. fol. 273. qui loquitur in casu, quo aliquis iustè
damnatus pœna pecuniæ, iniquè appellat. Diana *p. 3.*
Tract. 5. resol. 52. & p. 4. Tract. 4. resol. 65. vbi refert
opinionem Layman esse, teneri ad pœnam ex vi cri-
minis, vt ipsi ipso facto imposita, non de inferen-
da arbitrio Iudicis. Excipit Bassæus *num. 17.* modò
non teneretur ante sententiam.

Teneri tamen, aiunt ad litis expensas ait Diana *tract. 5. p. 3. resol. 52.* cum Sanchez *de matrimonio t. 3. l. 10. d. 8. num. 14.*

Hunc etiam prosequuntur Tannerus *num. 8.* & 39
alij cum Azorio *ad 4.* Less. *lib. 2. cap. 13. dub. 10.*
num. 7. Granado *prima 2. contron. 7. tract. 3. p. 1. dis-*
put. 14. sect. 2. Vasquez *p. 2. disp. 168. num. 30.* Sa'a
de leg. disp. 13. sect. 8. num. 105. Sà *verbo restit.*
num. 46. & v. pœna, num. 14. Diana *p. 1. Tract. 10. re-*
sol. 23. & p. 3. Tract. 5. resol. 52. Fiscalem non accu-
santem, vel Iudicem non damnantem, qui sine
causa iniqua, vt Reus pœnâ pecuniariâ non dam-
netur, non teneri restitutioni. Idem dic de custode
Syluarum, non accusante cædentem ligna: Ratio 40
est, quia non peccant hi contra commutatiuam, vel
distributiuam, sed contra vindicatiuam publicam, &
fiscus non habet ius ad pœnam directè, sed solùm
indirectè, & mediante Iudicis sententia. Itaque Iudex
absque sententia non cogitur ex iustitia illam pœnam
exigere.

QVÆSTIO VI.

An Reus, negans veritatem indebitè, quadamnaretur, teneatur retractare ante finem Iudicij.

Affirmant Saytus *l. 12. cap. 17. num. 13.* Angles *in flor. 2. p. q. de correct. fraterna, art. 3. diffic. 7.* Malder. *2. 2. tract. 6. cap. 3. dub. 1. assert. 4.* & alij apud 42

Sanchez *in Summa*, *t.1. lib.3. cap.7. num.8.* Dianam *p.2. tract.1. Resol.26.*

NEGANT verò constanter Sanchez citatus, citans Philiarcum, Bonac. *Tract. de Legibus disp.10. quæst.3. punct.2. num.8.* Azor. *p.3. l.13. cap.25. dub.5.* qui tamen addit, teneri confessarium monêre reum, vt sit paratus ad veritatem, si iterum interrogetur. Hoc tamen displicet Dianæ *tract.13. resol.26. p.3:* & meritò, quia est exponere Reum periculo; sed sa-
42 tis est eum monêre ad emendationem. Idem sentiunt quotquot negant, teneri in causa mortis fateri veritatem. Panorm. *in C. cum super de confess.* Angelus *v. Confessio delicti*, Syluest. *ibidem*, Petrus Nauar. *l.2. de restit. cap.4. à num.142.* & probabilem censet Sà *v. Iudex*, Less. *dub.3. cap.31.* Tanner. *disp.4. quæst.5.* Eorum ratio est, quia in omni alia materia, extrema necessitas excusat à redditione debiti. Itaque Sà monet Confessarios, ne reum hac opinione operantem cogant. Id monet etiam Bassæus *v. Reus*, *num.5.*

43 HÆC secunda sententia multò magis valet post latam sententiam; tunc enim iudicium est finitum, & desiit in illa causa esse Iudex, vt ponderaut S. Antonin. *3. p. tit.9. cap.16. §.8.* Syluester *v. iudicium in fine*, Diana cum Sanchez suprà; & est textus *in Leg. Iudex, ff. de re iudiciaria*, & consequenter reus non tenetur amplius iudici respondere, Nauar. *Man. cap.25. numero 38.* Rodriquez *tomo 2. quæstione 18. art.9.* Pingtanus *in pract. crim. can. cap.3. fol.258.* Segura Dauolos *in direct. indicij*, *cap.17. num.36.* Villalobos *tomo 2. tract.16. diff.3. num 4.* Diana *p.3. tract.5. resol.163.* Bictus *quæst.81. num.10.* contra Ledesmam *tomo 2. tract.8. cap.24.* Salonium *2.2. quæst.69. art.2. concl.3.* Vegam *Tom.2. cap.89. casu 2. & 3.* Bannes *2.2. quæst.69. art.2.* Medinam *in Summa, l.1.*
44 *cap.14. §.55.* Corduba *Sum. quæst.64 p.2.* & alios, qui hac ratione nitebantur, quia in tali casu, iis, qui negauit suum crimen verum, & tamen morte damnatur, exponit se, tanquam iniustè à iudice damnatum, atque ideò eum infamat, & suscitat contra eum gentem.

SED respondetur, nullam inde infamiam Iudici, vel etiam testibus afferri. Sunt enim soliti Rei negare, & præsumptio stat pro iudicis sententia. Itaque caueant iudices, ne reos huiusmodi ad palinodiam inducant.

45 ADDIT Sanchez *num.12.* si Reus vi torturæ sibi falsum crimen imposuit, propter quod damnatur, non teneri retractare, nisi infamia in alios redundaret.

QVÆSTIO VII.

An si Reus iterum interrogetur, possit solam responsionem relatiuam dare, dicendo, vt respondi.

46 SVPPONVNT, dari Iudici ius, vt cogat reum respondere clarè, ita vt torqueatur, si nolit respondere; Chart. *in praxi interr. reorum, l.3. cap.2. num.12. & 23.* Iason *in Leg. Præscriptione, Cod. si contra ius vel util. publ.* Baldus, *leg.* Barb. & Boss. *tit. de responsis reo faciendis*, *num.4.* & prædicta tortura datur reo, non ad eruendam veritatem de delicto; nam ad hunc effectum requirerentur indicia præcedentia, ad torturam sufficientia, vt cum communi ait Clarus, *§. fin.*
47 *quæst.64.* & Chart. suprà *num.4.* Sed tortura in hoc casu datur ad extorquendam præcisam responsionem affirmatiuam, vel negatiuam, Carrer. Paris. de Put. Bald. Bossius, Brunus, Clarus, Cason, apud Chart. suprà. Imò addunt cum eo Follerus, & Millcius, Reum, recusantem respondêre, puniendum, tanquam Reum; sed hoc in re ciuili admittitur, non in criminalibus, vt notant Socinus, Bertrandus, & Chart vbi suprà *num. 9.* in criminalibus enim silentium est inditium ad torturam.

AD rem igitur nostram, in casu, quo Iudex rur- 48
sum velit examinare; an possit relatiue sic aridè respondere: *Dico, vt alias respondi*; num tenetur Iudex acceptare talem responsionem.

MVLTI, quos sequitur Chart. *loc. cit. l.3. cap.2. num.83. & 84.* dicunt, posse Iudicem iterum exigere; vt integrè respondeat.

SVPPONO, posse reum petere, vt sibi primæ responsiones perlegantur, Boss. *tit. de respons. à reo facienda*, *num.3.* & alij apud Chart. *num.86.*

POTERIT etiam cum protestatione respondêre, 49
vt nunc recordatur; sed remittere se ad primas responsiones, de quibus melius recordabatur.

SED aduerte, aliquando iudicem, vel affectatum pecuniâ, vel ab aliis impulsum, nimis seuerè reum premere, & tunc sanè, si reus candidè incedit, non tenetur respondere, vt notant Menochius, & alij apud Chartar. *num.87.*

ET si Reus dubitat; an Iudex eum primò, & 50
secundò interroget, non tenetur respondêre. Ita Bannes, Henriquez, Less. Salas, Sanchez, Sotus, & alij ab his citati. Et hoc probabilius asserit Diana *p.3. tract.5. resol.106.* adducens Lessium *l.2. cap.31. dub.3.* Sanchez *T.2. l.6. cap.3. num.24.* Salam *p.2. quæst.21. tract.8. d. vn. sect.17. num.135.* Henriquez *l.14. cap.3. num.3.* in Gloss. *littera X.* Bannes, Sotum, Medinam, & alios, contra Sancium *Select. disp.43. num.28.* Ratio est, quia maius malum est, ex mea confessione occidi hominem, quàm non obediri Iudici incerta in possessione illum interrogandi. Prætereà vnusquisque præsumitur bonus, quoadvsque probetur malus; & iura fauent reo, vt possessori.

POTEST autem Reus præsumptus requirere, vt 51
dentur sibi depositiones testium; & quamdiu non dantur, potest rationabiliter dubitare, an legitimè interrogetur. Ità Aldrete. Societ. Iesu *de Religiosa disciplina tuenda*, *l.2. cap.4. num.7.* Caietanus, & Aragon. *2.2. quæst.69. art.2.* Ioan. de Cruz *in direct. p.1. pract.8. art.8. dub.9. concl.1.* Sanchez *in Summa t.1. disp.3. cap.7. num.15.* Salon. *2.2. quæst.69. art.2. controu.2.* Lessius *l.2. cap.31. dub.3. num.10.* Segura de Auolos. *in direct. ind. p.2. cap.24. num.3.* Miranda *in ord. indic. T.2. quæst.19. art.33.* Diana *p.3. Tract.5. resol 91.* vbi cum Salzedo *in pract. cap.126. litt.* laudat ritum nonnullorum Iudicum, qui ante Rei confessionem præcipiunt Tabellioni, vel Notario, vt testium depositiones coram Reo legantur sine eorum nominibus, vnde probatum habeat, quid contra ipsum constet.

ADVERTE autem, allegatos Doctores idem asse- 52
rere, quoad Iudices regulares, vt notat Diana. Quare decipitur Ioseph à S. Maria *in Tribun. Relig. tract.4. cap.17. §.3.* dicens, hæc vera non esse in Iudicio Regularium. Illis adde Nauar. *in Summa*, *cap.25. num.33.* Rodriquez *in ord. ind. cap.30. n.3.* Bonacinam *in Decalogum disp.10. q.3. p.2.* Bictum *q.81. num.37.*

NEQVE valet in hoc casu dicere, Prælatum esse 53
in possessione superioritatis, vt opponit Lorca *2.2. sect.3. disp.33. num.8. & 9.* Respondet enim Bictus, hoc verum in simplici obedientia extraiudiciali, de

qua verificatur obiectio; secus autem in obedientia iudiciali, in qua superior etiam Regularis non est in possessione, nisi iuris ordine seruato.

54 DIANA 4.p. *Tract.*8. *resol.*130. de hac quæstione iterum agit *p.*4. *tract.*8. *resol.*130. agens de Iudicio Sanctæ Inquisitionis, vbi maior seueritas requiritur, & dicit, in eo foro non requiri, vt manifestentur testes, & alia indicia. Idem aduertit Lodouicus Peguera *in praxi crim. cap.*12. §.5. *num.*13. De cætero se remittit ad ea, quæ dixerat *tract.*3. *resol.*91. *in* 3.*p.* & adducit etiam Suarez *de Pæn. in praxi, tom.*5. *p.*5. *cap.*3. *num* 14. constanter confirmans, esse certum, teneri Iudicem notificare Reo testium omnium depositiones; alioqui miserrimè falli.

55 EX quo habes, male Bictum *quæst.*81. *num.*39. vt ad angustias cogeret, dicere, Dianam modetari illam sententiam, quam tradiderat *eâ resol.*91. & satis existimare, si Reo dicatur à Iudice, haberi, vt procedatur contra eum, & adducit etiam Bonërium *in direct. p.*2. *cap.*35. *verbo Reus*.

QVÆSTIO VIII.

Quomodo se gerere debet REVS *in examine, à Iudicis pressus iniquis interrogationibus.*

56 SOLENT Iudices Reo iuramentum deferre de veritate dicenda, iuxta sententiam Bartoli *in Leg. Inter omnes*, §. *rectè*, *ff. de furtis*, & communem sententiam apud August. ad Ang. *de malef. in versu, Comperneruns.* Et *in Leg.*1. *Cod. de iuram. calumn.* vbi etiam Baldus, qui etiam dicunt, Id seruari in tota Italia. Sic etiam D. Thom. 2.2. *quæstione* 69. *art.*1. & 2. Plura de hac habet Cbarrat. *l.*3. *cap.*3. *num.*12.

57 SED quocumque dato iuramento, si inique interroget, non tenetur fateri veritatem, vt admonent Henricus *quodl.*1. *quæst.*34. Syluester *v. Confessio delicti*, *quæst.*1. Petrus Nauar. *l.*2. *cap.*4. *num.*136. colligitur *ex C. Qualiter*, & *quando*, & C. *Inquisitionis, de accusat.* Lessius *l.*2. *cap.*3. *dub.*3. Tolet. *Sum. l.*5. *cap.*58. neque tamen debet mentiri, vt ait S. Doct. *in spec. anima*, *cap.*1.

TVNC verò Iudex legitimè non interrogat, quando non seruat ordinem à Lege præscriptum; sed suggestiuè interrogat ea, quæ sciri non potest, & quærendo extorquere, & suggerendo, & cauillis deceptoriis trahendo ad laqueos, ità vt aliquando Reus in angustias deductus, neque negare queat, neque asserere, neque tacere, aut aliqua ex vsitatis vti amphibologiis.

58 SOTVS *l.*5. *quæst.*6. *art.*2. putat, non posse reum verbis significantibus expressè negationem veritatis adhibere, & teneri potius mortem oppetere. Sequitur Couar. *l.*1. *var. cap.*2. ratio est, quia hoc est apertè mentiri, quod nunquam licet.

59 E regione communiter concedunt, licere illi etiam illis modis loquendi vti. Adrian. *in* 4. *quæst. de sigillo*, *confess.* Caietanus *opusc.*17. *respons.* 5. Maior *in* 4. *dist.* 15. *quæst.*18. Nauar. *Man. cap.*12. *num.*9. & *cap.*18. *num.*61. Valentia *disp.*5. *quæst.*13. *p.*2. Tanner. *disp.*4. *quæst.*4. *dub.*5. Less. *de iust. cap.*3 1. *dub.*2. & alij apud hos. Et hæc est sententia D. Bonau. *in* 3. *dist.*38. *quæst.*2. *in resolut.* vbi docet, manente intellectus, & sermonis discordia; posse amoueri omnem culpam, & *ibi*, & *dub.*3. *litt.* ad mendacium requirit duo; falsam vocis significationem, vt *materiale*, & intentionem prauam fallendi, vt *formale*, quam *dub.*2. libidinem ad mentiendum vocat. Et *disp.*39. *art.*3. *quæst.*1. *fundamento* 2. affert illud D. Gregorij. *Verba deseruiunt intentioni, & Deus talia verba indicat, qualia ex intimis proferuntur*; & ideò *fundamento vltimo* dicit, verba illa, iuramento firmata, mensuranda iuxta intentionem iurantis. Itaque cùm iniquè 60 interrogatur, potest adhibere quæcumque verba ad placitum ex intentione significandi quodcumque vult; ita vt sicuti, si nullus interrogaret, posset ea verba in sensum omnem ad placitum reuoluere; ita & nunc, vbi illegitimus est Interrogator. Ex quo respondet Valentia ad omnes obiectiones; illud enim non est formaliter mendacium, in quo intentio est recta, licet verba extrinsecus sonent oppositum: hoc verò vetitum est, vt aiunt Doctores apud Valentiam, vt non intendat loquens negare id, quod est verum, & tenetur dicere, non autem vti amphibologiis extraordinariis. Quare verba eum sint pura materia, 61 quamcumque formam ex intentione induere possunt.

QVÆSTIO IX.

An liceat REO *alium Iudicem appellare.*

D.Thom.art.3.

APPELLARE licet grauato. Sic enim Apostolus *Act.*25. Cæsarem appellauit, & conceditur 62 *dist.*2. *quæst.*6. *C. omnis*, vbi Anacletus Papa *epist.*1. ait: *Omnis oppressus liberè Sacerdotum, si voluerit, appellet iudicium, & à nullo prohibeatur, sed ab iis fulciatur, & liberetur.*

ET hoc etiam regularibus concessum est, vt declarauit Sacra Congregatio super Episcopos, & Regulares, anno 1587. de quo Sotbus *in Compend. Priuilig. Mendic. v. Appellare*, & notat Lezana *t.*1. *cap* 9. *num.*7. cum D. Bonau. *in spec. anima*, *cap.*1. §. *Item ex tertio.*

VT non modò ex indiciis condemnatus, sed etiam 63 conuictus appellare queat *l.*2. §.1. vbi Glossa Bart. Cyn. & Castrens. *Cod. quorum appell.* Viuian. *opinione* 50. Guaz *defens.*36. *cap.*11. Farinac. *quæst.*101. *num.*131. Scacc. *de appell. quæst.* 17. *lim.*4. *num.*7. asserens communem esse.

NON grauatum verò appellare non posse, docent omnes cum Baldo *in Leg. vn.* Bartolo Castrensi, Salyceto, *Cod. quorum appell.* Scac. *quæst.* 5. *num.*94. Vide infrà de Aduocato *quæst.*6.

CONFESSVM igitur, & conuictum, ideò dicunt 64 appellare non posse, nisi aliquam grauem causam afferat. Vide Farinacium *quæst.*101. *num.*143. Scac. *quæst.*17. *lim.*4. *num.*15.

CVM itaque recto ordine Iudex procedit, & nulla Reo est causa, eò quòd sententia lata sit iuxta Doctorum sensum, non licet appellare.

TRES conditiones requirunt ad iustam appellationem. Prima est, vt fiat intet decem dies. Secunda, vt Iudex sit ordinarius, vel delegatus, non arbiter. Tertia, vt non plusquam ter appelletur ab eadem sententia. Ita Tanner. *disp.*4. *quæst.*4. *dub.*5. Vide alias conditiones in Syluestro *verbo appellatio.*

SI verò manifestè iniqua est sententia, potest ap- 65 pellari etiam sine illis conditionibus. Ità Tanner. *num.*100. cum Valentia *quæst.*13. *p.*3.

OCCVRRIT verò hîc grauis quæstio: An quando Iudex iudicauit secundùm probabiliorem sententiam, licita sit appellatio.

SVPPONO

SVPPONO autem, Iudicem teneri in iudicando sequi probabiliorem sententiam. Ità communiter apud Sanchez *Tom.1. Lib.1. cap.9. num.37.* & Dianam *part.2. Tract.13. resol.3.*

66 QVOD tamen in absoluendo, & condemnando possit opinione probabili, relicta probabiliori, docuère multi apud Sanchez *num 46.* Dianam *part.2. tract.13. resol.3.* vbi refert Aluarez, Bonacinam, Lorcam, Ruam, Delrium. His subscribunt alij apud Dianam *part.3. in addit. secundarias, resolutione 13.*

EGO quidem *prima secunda, Tract.2. disp.17.* de opinione probabili censui, in criminalibus debere Iudicem tenere opinionem illam, quæ fauet Reo, etiamsi minus probabilem. Ità cum Diana *part.3. addit secund. resol.13.* ex quo fit, vt si iudicet, probabiliorem sequendo contra Reum, possit is appellare. In hoc verò est grandis controuersia: An licitè appellare queat.

67 PRIMA opinio penitus negat. Ità Petrus Ledesma *tom.2. tract. 8. cap.24. concl. 8. diff.2.* adducens Bannem, & eam tuentur illi, qui dicunt non obligari Iudicem ad fauorem Rei sequi etiam minus probabilem. Sanctus *in select. disp.44. num.52.* Bonacina *de Legibus, disp.2. quæst.4. puncto 9. num.15.* Philippus Bichis noster *quæst.143. num.6.*

SED væ, væ Reis, Aduocatis, & Procuratoribus (clamat Diana *part.3. resol. 114.*) si ea opinio esset vera. Itaque asserit, posse Reum in hoc casu, ob causam sanguinis appellare, cum Ioan de la Cruz *in direct. part.1. pract.8. art.3. dub.11. concl.2.* Salon *2.2. q.69. art.3. concl.2.* Inclinat Syluius *in 2.2. D.Thom. quæst.64. art.3.* & absolutè eam tenet Turrianus *2. 2. Tom.2. disp.51. dub.1.*

68 ADDO cum Diana, contra Salonium, Syluium suprà, & Malderum *2.2. tract.6. cap.3. dub.4.* hoc verum etiam in causis ciuilibus, etiamsi Iudex inferior sententiam tulerit secundùm sententiam probabiliorem. Quam sententiam Cruz tenet solum in casu, quo appellans sit in possessione; sed semper veram ait Diana generosè, dummodò contraria opinio, pro qua appellatur, probabilis sit.

DICES. In causa ciuili tenebitur Iudex superior iudicare secundùm probabiliorem, vt dixisti *prima secunda, loco cit.* & secundùm hanc iudicauit iam inferior.

69 RESPONDET Diana, posse Iudicem iudicare secundùm opinionem probabilem, relicta probabiliori, vt docent Doctores, quos adduxi *Tract. de Parlam. resol. 20.* & *Tract. de opinione probabili resol.3.*

RATIO verò pro criminali solidior est, quia tueri vitam viâ honestâ licet. Itaque appellans, nixus opinione probabili, rationabiliter, & licitè operatur; cur igitur is cogatur subire mortem, si probabiliter tenetur vitam tueri?

70 HOC magis de fama, quàm de bonis diuitiarum sequitur: Nam fama est bonum, quod plerumque mihi conseruo sine amissione alicuius boni in proximo; At opes, si mihi dantur, auferuntur ab alio.

QVÆSTIO X.

An, & quomodo REVS *se defendere potest.*

D.Thom art.4.

REVS, si confiteatur delictum, modicam relinquet suæ causæ defensionem; nam in confessum Iudicis partes non sunt, nisi condemnando, vt notat 71
Clarus, *§. fin. quæst.65.* Farinacius *quæst. 81.* & alij apud hos.

SIMILITER dum est conuictus per duos testes, qui sint contestes, vt notat Farinac. *quæst. 63. num.233.* Duo enim testes sufficiunt in omni causa ad perfectam probationem *cap. in omni negotio, de testibus.* Qui autem sint contestes dicam *disp.30.*

TVNC igitur ità potest condemnari Reus, ac si esset confessus, *Leg. qui sententia,* & ibi Doctores *Cod. de custodia reorum, cap. At si clerici.* vbi omnes. Vide Farinac. *quæst.81.*

TAMEN de iure Canonico conuicto, minor est pœna imponenda, vt docent DD. cum Farinac. 72
loco cit.

DEBENT autem contestes esse iurati, & omni exceptione maiores, *Leg. vbi numerus, ff. de testibus, cap. in omni negotio, eodem tit.*

CONVICTVS reperitur Reus etiam inditiis 73
indubitatis *Leg. 2. Cod. quorum appellatio.* Similiter instrumento de mandato, seu de consensu Rei facto. His tribus modis conuincitur *Leg. sciant cuncti,* vbi Bal. & Syluius *in sum. Cod. de prob.* & Farinacius *quæst.84.*

PER viam etiam Notorij conuincitur Reus, vt habet Boss. *tit. de conuictis, & tit. quomodo procedatur in crimine notorio.* Loquimur autem de Notorio *facti.*

DICITVR autem *notorium factum*, quando coram toto populo, vel eius maiori parte factum est. Ità Cyn. quem sequitur Clar. *in §. fin. quæst.9.* Farinac. *quæst.21. num 41.* & alij apud eum.

CÆTERVM, se multis modis potest Reus legitimè defendere.

PRIMVS est nullitatem processus inducendo, 74
siue allegando defectum iurisdictionis, quæ est fundamentum. Guaz. *defens.1. cap.1.* Bald. *in Rubr. Cod. si à competente Iudice*; Est enim iniudicatum, quod à non habente ius dicendi, fit; *Leg. 1. ff. hac autem, ff. quod quisque iuris.*

MVLTIS autem ex capitibus caret iurisdictione, vt refert Guaz. *defens. 1. cap. 21.* & de Iudice suspecto integrum volumen edidit Laurentius à Beneuento.

SECVNDVS est, si non constet de corpore de- 75
licti, Guaz. *defens.4.* Bouer. *decis.259.*

TERTIVS, si Reus non est legitimè citatus, Guaz. *defens.10.* Farinac. *consil.14.*

QVARTVS, nisi oblata fuerit copia processus, Guaz. *defens.22. & 24.* Ità decreuit suâ Constit. Paulus V. in Romana Curia.

MVLTI sunt alij modi, quibus processus fit nullus ex illegitima testificatione, serie, &c.

SIMILITER ex negatione Rei, graues defensiones eruuntur.

Itaque Actore, vel fisco non probante, & Reo negante, absoluendus est Reus, Clar. *quæst.62.* Guaz. *defensione 29.*

76 Sic optima erit defensio, si ostendat Reus, licitè fieri id, quod fecit, Clar. §. *fin. quæst.* 56. vbi Alexand. Iason, Decius, qui ait; Hanc doctrinam totus mundus sequitur, & semper in fauorem Rei interpretandum factum, Guaz. *defens.*29.

Sic etiam, si ostendatur factum non esse punibile, Guaz. *defens.* 2. & si aliàs fuerit punibile. Omnia autem delicta ferè spatio viginti annorum præscribuntur *Leg. Querela Cod. de falsis.* Farinac. *quæst.*10. Guaz. cum aliis ibi, *defens.* 2.

77 Svnt enim aliqua delicta, quæ non præscribuntur, vt suppositio partus, Farinac. *quæst.*10. *n.*29. Guaz. *defens.* 2. *num.* 2. Similiter nec parricidium, Farinac. *num.*29. Guaz. *num.*78. Idem de vitio nefando, Guaz. *num.*29. & alij *ibi*.

Similiter nec crimen læsæ Maiestatis, hæresis, assassinij, falsæ monetæ, simoniæ, abortus nunquam præscribuntur, Guaz. *num.* 81. Farinac. *num.* 29. & 90.

Est etiam bona defensio, si probet, non affuisse inditia ad inquisitionem sufficientia. Clar. *quæst.* 20. Farinac. *quæst.* 1. Tunc enim nulla est inquisitio. Vide alia in Bicto *Tract.* 8.

78 Qvoad defensiones violentas fugæ, fractionis carceris, & similes, dixi *Tract. de Legibus, disp.* 5. *quæst.* 10. & *Disput. de Iudice hic*: & dicam *quæst. sequenti.*

Certvm est enim primò, damnatum ex iniqua institutione causæ, quam fecerat Iudex non seruato ordine, posse se defendere cum Iudicis etiam læsione, Ità D. Thom. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 4. Caietanus *ibi*, Sotus *Lib.* 5. *de iust. quæst.* 3. *art.* 4. Fagundez *L.* 8. *cap.* 32. *num.* 4.

79 Si verò ex errore Iudicis damnatus sit, non potest vim Iudici inferre. Ità D. Thom. *loco cit.* Sotus *art.* 5. Lessius *Lib.* 2. *cap.* 31. *de Reo, & Aduoc. disp.* 4. *num.* 24. Filliucius *tomo* 2. *tract.* 40. *in octauum præceptum, cap.* 9. *num.* 268. Innocent. *in cap. Quia plerique, de Immunitate Ecclesiæ.* Fagundez *loco citato*, *num.* 2.

QVÆSTIO XI.

An Reus possit fugere, & quomodo, ac quando.

80 Commvnis omnium Doctorum sententia est, posse Reum custoditum, inquisitum ad mortem, vel mutilationem, ante sententiam licitè fugere. Ità D. Thom. 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *ad* 2. Lessius *Lib.* 2. *cap.* 31. *dub.* 5. *num.* 31. Filliucius *tract.* 40. *in octauum præceptum decal. cap.* 9. *num.* 270. Couar. *lib.* 11. *variarum, cap.* 2. *num.* 7. Sotus *lib.* 5. *de iustitia*, *quæst.* 6. *art.* 4. Sà V. *Reus, num.* 9. Aragon. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 4. Vasquez *prima secunda, disp.* 174. Syluest. & Angel. V. *fugere*, Nauar. *sum. Lat. cap.* 17. *num.* 102. Driedo *Lib.* 2. *de libertate Christiana, cap.* 6. Maior 4. *dist.* 15. *quæst.* 22. Fagundez *in* 8. *præceptum, Lib.* 8. *cap.* 33. Tannerus *disp.* 4. *quæst.* 4. *dub.* 6.

81 Non potest tamen lædere ministros iustitiæ, à quibus non læditur contra iustitiam, vt notat Diana *part.* 3. *Tract.* 5. *resol.* 102.

Lata verò sententiâ iniustâ, potest etiam lædendo resistentes, fugere: nam vtitur iure suo.

Qvæstio verò esse potest: an iustè damnatus capite, vel membro aliquo, vel infamia, aut ad Triremes, vel carcere perpetuo, possit fugere, & carceres frangere.

Prima sententia est Henrici de Gandauo *quodlib.* 9. *quæst.* 25. Syluester V. *Accusatio.* Couar. *Lib.* 1. *variar. cap.* 2. apud Dianam, negans, posse talem fugere, frangendo carcerem. 82

Commvnis tamen sententia est assertiua, quò ad fugam. Ità D. Thom. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 4. vbi Caietanus, Sotus *loco cit.* Lessius *num.* 33. Filliucius *loco cit.* Sà V. *Reus.* Syluester V. *Accusatio, num.* 12. & *loco cit.* Tabien. V. *Carcer.* Vasquez *loco cit. cap.* 17. Et communiter Canonistæ *in Clementina Pastoralis de re iudicata*; imò Couar. *Lib.* 1. *var. cap.* 2. *n.* 11. addit, non posse Iudicem hanc fugam punire. 83 Idem docent Cruz *p. p. part.* 8. *art.* 3. *disput.* 12. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 16. *diff.* 11. *num.* 16. Syluius 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 4. *quæritur* 2. qui citat Bannem, & Salonium, Azorium *part.* 1. *lib.* 13. *cap.* 24. Turrianus 2. 2. *disp.* 51. *dub.* 3. cum aliis communiter, quibus subscribunt Diana suprà, & Fagundez. Omnes quidem de pœna mortis, & mutilationis consentiunt.

Probatvr à D. Thom. quia nemo potest cogi ad aliquid, in quo ei mors proximè succedat, nisi ratio boni publici id exigat.

Mvlti ex his consentiunt etiam de damnatis 84 carcere, vel exilio perpetuo, ac seruitute, vel de confinio ad loca pestifera aëris. Ità Lessius *cap.* 31. Fagundez, Salon. & alij.

Qvod verò possit etiam carcerem frangere, docent Lessius, Filliucius, Nauar. Caietanus, Sotus, Salon, Sà, Vasquez suprà, & Driedo *Lib.* 2. *de libertate Christ. cap.* 6. Cruz, Villalobos, Syluester suprà, & multi etiam id dicunt, si damnatus sit carceri ad tempus, Bonacina *de Legibus, disp.* 10. apud Dianam, qui subscribit cum Tannero 2. 2. *disput.* 4. *quæst.* 4. *dub.* 5. *num.* 103. & etiamsi damnatus sit ad triremes.

Ex quo deduco etiam contra Valentiam *disp.* 5. 85 *quæst.* 13. *puncto* 4. Sotum, Toletum, & Grafsium apud Malderum 2. 2. *Tract.* 6. *cap.* 3. *disp.* 7. posse ipsi subministrari instrumenta ad confringendum carcerem. Ita Malderus, & Diana *loco cit.* Villalobos, Caietanus, Vasquez, Lessius, Cruz, Sylu. Bannes, Salon. Azorius, & Turrianus suprà; Religiosis tamen cauendum, quia fugientes scandala dant.

Addit Syluius, non referre, etiamsi alij etiam fugiant. Ità etiam Villalob. *loco citato*, ac Reginaldus *tract.* 2. *Lib.* 24. *cap.* 7. *sect.* 7. *num.* 152. & alij.

Neqve tenebitur restituere damna secuta. Ità 86 Diana, Cruz *loco cit.* Tannerus *num.* 104. Fagundez *num.* 11. in secundo responso, cum Vasquez. Ratio est, quia licet assumere media necessaria ad rem licitam.

Addit Fagundez cum Filliucio, Angelo, Azorio, & Sayro licere pecuniâ etiam corrumpere custodes: Sed mihi non placet, quia custodes ex iustitia, & iuramento iusto tenentur custodire. Quod argumentum Achilleum vocat Fagundez, qui nimis postea subtiliter ait, satis esse præscindere per intellectum ab inducendo custodes.

Respondet secundò, Reos solùm ex Charitate teneri vitare peccatum iniustitiæ custodum, quod vitare non tenentur tanto suo incomodo. Itaque si ex intentione sola procurandi suam libertatem, non inducendi custodes ad malum, inducant, non peccant. 87

Hæc tamen responsio non est bona. Quomodo enim directè possum inducere custodes ad aperiendum, & non intendere inducere eos ad actum vetitum iuramento?

Neqve etiam licet dare illis potionem somniferam ad claues arripiendas, vel inebriare, vt ait Fagundez *num.* 15. quia hoc est mortale.

Dvbitatvr

88 DVBITATVR verò an possint alij hos adiuuare radendo catenas, ferra, &c. Negant omnes constanter apud Fagundez *num.* 19. nam hoc est custodiam publicam in detrimentum boni Reipublicæ grauis violare.

89 NEQVE est simile de suadente, vel ferrum præbente; is enim est merum instrumentum, & non habet aliam malitiam à causa principali; Frangentes verò sunt causæ principales.

DISPVTATIO XXX.

De Testibus.

TOTA Iudicij veritas è Testium dictis cum pendeat, in his apprimè examinandis debet ante omnia Iudex esse optimè instructus, cuius primum in hoc munere officium est testes admonere, quàm graue & facinerosum sit falsitatis crimen; secundò, scriptis tenetur mandare, ea quæ contrà vel pro Reo, deponunt, quos si rationabiliter suspectos credat, in veritatis excussione omnem debet solertiam, etiam & argutiam adhibere; non tamen suggestionem, aut cauillationem: Tertiò perscrutari tenetur omnes facti circumstantias, ex quibus grauitas eius, vel leuitas dignosci queat; denique omnia ipsorum testium crimina prætermittendo, præter ea quæ inhabilitatem obendunt; non debet autem Clericos, aut Religiosos absque superiorum licentia examinare; examinati tamen tenent; His visis, de testium ipsorum obligatione dicendum est.

QVÆSTIO I.

An teneatur aliquando quis ferre testimonium.

{ D.Thom. quæst.7. art.1.

CVM proceditur per viam denunciationis, vel accusationis, nominati iam supponuntur testes. Cùm verò per inquisitionem specialem, seipsos produnt requisiti, vel à requisitis nominantur. Teneri autem aliquando Testes respondêre veritatem, certum est, cùm Iudex exerceat iustè suam potestatem.

2 IGITVR si iuridicè testis interrogetur, tenetur ex obedientia, & Charitate respondere: An verò teneatur etiam ex iustitia.

NEGATIVAM sententiam astruunt Syluius 2.2. *quæst.* 71. *art.* 1. *quæritur* 1. *concl.*6. Ioann. de Cruz *part.* 1. *pract.* 8. *art.* 4. *disp.* 13. *concl.*6. Pitig. *prac. part.*2. *cap.*6. *fol.*191. etsi dedit Iulius Clar. *L.* 5. *sent.* §.*falsum*, *num.*19. qui tamen paradoxè loquitur, Valentia *disp.*5. *quæst.*14. *puncto* 1.

3 SECVNDA sententia est, huiusmodi, contra Iustitiam peccare, & ad restitutionem teneri. Ità D. Thomas 2.2.*quæst.*70. *art.* 4. *in corpore.* Nauar. *sum. Lat. cap.* 25. *num.* 40. & 41. Lessius *Lib.* 2. *cap.*30. *dub.*8. *num.*54. Filliucius *Tom.*2. *tract.*4. *cap.*8. *n.*288. Salon 2.2. *quæst.*70. *art.*1. Sotus *Lib.*2. *de Iust. quæst.*7. *art.*1. Bannes *loco cit. D. Thom.* (Valentia verò falsò allegatur.) Petrus Nauarrus, Fagundez *in octauum præceptum Lib.*8. *cap.*42. Malder. 2. 2. *tract.* 6. *cap.*2. *disp.*9. Turrianus 2. 2. *disp.* 52. *num.*2. Azor. *part.*3. *lib.* 13. *cap.*27. *dub.* 4. Medina, Sotus, Orellana, & alij apud Dianam *part.*3. *tract.* 5. *resol.* 101. inter quos Octauianus Spartatius *in pract. regul. tract.*7. *cap.*11. *num.*7. Molina *Tom.*1. *de iust. tract.* 2. *disp.* 83. §. *de teste*, & *tom.*4. *disp.*700. *num.*4. docet, testem, qui 4 vel falsum dicit in iudicio, vel verum tacet, contra iustitiam peccare, & ad restitutionem teneri damnorum; at verò si fraude, fuga, fictioneve aliqua, cautè iudicium declinauerit, & ea declinatione fuerit in causa damni, non teneri ad restitutionem; & hoc non esse improbabile, ait Lessius *num.*59. vbi de hoc à se consultos, ait, viros doctos Louaniensis Academiæ, & ita sibi respondisse. Eam probabiliorem censet Diana, & Villalobos *tomo* 2. *tract.* 12. *diff.* 21. *num.* 12. Indicat Tanner. *disput.*4. *quæst.* 4. *dub.*6. *numero* 110. Hanc probabilissimam esse ait Bassæus, V. *Testis* 11.

HÆC mihi videtur sententia D. Bonauenturæ *p.p. centil. sect.*13. & *in speculo animæ, cap.*1. quibus locis inter Detractores, restitutioni obnoxios, numerat tacentes contra detrahentem, cùm sciant, infamatum esse insontem. Est autem eadem ratio, necessitasque & obligatio; imò maior eius, qui vocatus ad iudicium iuridicè, vt veritatem, & innocentiam alienius tueatur, vel subterfugit iudicium, vel in iudicio veritatem tacet. 5

ASSERO cum hac sententia, talem, ita proximum Damnificantem, contra Iustitiam peccare.

PROBATVR, quia is cooperatur Damnificationi proximi, cum teneatur non modò Iustitiæ obedire, sed etiam res proximi non dissipare in damnum, non solùm damnificati, sed etiam totius Reipublicæ, quæ graue patietur detrimentum, si via aperiatur ad veritates iustitiæ occultandas. 6

ITAQVE hæc obligatio ex iustitia iniuncta est, ne Iustitia, quâ Respublicæ gubernantur, pereat, ad quam obligationem velint, nolint, ex Iustitia tenentur omnes, & singuli, qui membra sunt Reipublicæ; potuit enim huiusmodi obligationem Respublica imponere ad sui conseruationem: Non enim sine iustitia Regna, & Imperia conseruantur, vt ad rem differit Fagundez *num.*14. & Lessius *loco cit.* post D.Bonauent. *de Ecclesiast. Hierarchia, part.*2. *cap.*2. & *in cap.*6. *sapientiæ.*

EX quo ruit argumentum Molinæ, quod sumebatur ex eo, quod, sicuti nemo tenetur munus tutoris acceptare; ità neque partes iustitiæ; Et ratio Dianæ, quod cùm ante iudicis mandatum non teneretur ex iustitia commutatiua, & post mandatum teneatur solùm ex iustitia Legali, non tenetur ex Commutatiua Iustitia. 7

ADDO tamen, probabile esse, quod subdit Diana cum Maldero, eum, qui incautè suo dicto damnificauit aliquem, putans se de hoc legitime Interrogatum, non teneri restitutioni damni illati; teneri tamen retractare, si potest.

SVBORITVR verò quæstio; num testis dubitans: an Iudex iuridicè interroget, teneatur respondere. 8

ASSERTIVE docet Pitigianus *in pract. crim. cap. de secundo substantiali indicij, c.*3. *fol.* mihi 175. &

& videtur sententia D.Bonauent. vt dixi *prima secunda*, *Tract.2. disp.17. de Conscientia dubia.* Sed ratio videtur hîc diuersa.

NEGANT tamen Lessius *lib. 2. cap. 31. dub.3. num.10.* Sanchez *tract.2.lib.6.cap.3.num.24.* Salas *prima secunda*, *quæst.21.tract.8. disp.vnic.sect.13.n.155.* Henriquez *Lib.14.cap.3. in Glossa*, *littera X.* Bannes, Sotus, Medina, & alij penes ipsos, quibus subscribit Diana *part.3. tract.5. resol.106.*

ASSERO ergo, primam sententiam esse probabilem.

9 RATIO D.Bonauent. quâ cæteri vtuntur, est, quia in dubiis melior est conditio possidentis; at superior est in possessione præcipiendi; subditus verò certò est subditus; at mere dubius solùm pro hoc casu; sed D. Bonauent. loquitur solùm in ordine ad obedientiam religiosam ordinariam; at verò in ordine ad iudicandam vitam proximi, nequaquam; quia est alia ratio grauis in oppositum, quia proximus ille est in possessione vitæ, honoris, opum, atque est res grauissima, & altior, quam obedientia debita superiori, quæ iure humano solo fere nititur; atque ideò tenebor non præiudicare vitæ, alterius in possessione existentis, vt dubiam in hoc iurisdictionem Hominis sustineam.

Ideò mihi videtur sententia secunda verior, & magis ad mentem Seraphici.

10 ALIAM quæstionem instituunt: An si factum sit notorium; sed occultus patrator, puta si cadauer trucidatum iacet in via, & recognitum est à Iudice, qui inquirat de occisore, teneantur vicini scientes reuelare.

SVPPONO ex dictis *dispur. de Iudice*, *quæst.8. dub.3.* Iudicem legitimè inquirere hoc pacto de Reo, nec obstare Canones *cap. cum oporteat*, *cap. Inquisitionis*, *cap. Qualiter*, *& quando*, ibi enim solùm prohibetur, ne inquiratur de aliquo particulari, de quo non præcessit infamia, *v. g.* suggerendo: Dic: An Paulus occideris; sed in genere.

11 ASSERVNT igitur, teneri respondere, & reuelare, Aragon. 2. 2. *quæst. 69. art.2. disp. vlt.* Ioan. Valer. *in diff. vtriusque fori*, *v. Inquisitio, num.9.* Miranda *de ord. iudic. tom.1. quæst. 6. art.6. concl. 3.* & alij allegati *loco citato*, præcipuè P.Eliseus noster.

RATIO eorum est, quia, cùm iudex in proposito casu ius habeat procedendi propter bonum commune conseruandum, & testes interrogandi manifestè; sequitur quod teneantur & ipsi, propter idem bonum commune conseruandum, veritatem dicere, & reum reuelare; alioqui innumera scelera impunita abirent, & aperiretur via ampla sicariis ad sanguinem.

12 ENIM verò adhuc non teneri, docent communiter Neoterici apud Dianam *p.p. Tract. 15. Miscell. resol.63.* Sic Turrianus *tract.2. in 2.2. disp.50. dub.5.* Filliucius *tomo 2. tract.40. cap. 6. num.185.* Lessius *lib. 2. cap.29. dub.14. num. 118.* Bonac. *de Legibus disp.10. quæst.2. part.5. num.14.* Nauar. *de restit.lib.2. cap.4. num.67.* Salon.*2.2. tract.1. quæst.63. art.2. controu.7.* & alij.

13 RATIO est, quia quando dubium est; an iudex iuridicè interroget, & probabilis sententia est, eum non Iudicare iuridicè; ac proinde (quod idem est) eum non esse iudicem; in eo casu subditus non tenetur obedire, quia potest amplecti probabilem opinionem, quæ asserit, Iudicem in eo casu non habere ius. Ita Turrianus, qui reprobat Petrum Nauarrum, dicentem, in hoc casu dari bellum iustum vtrinque, vt & index, iuxta probabilem opinionem, habeat ius; & subditus, iuxta probabilem oppositam, non teneatur veritatem manifestare, quam responsionem tuetur Filliucius. Quidquid sit de ratione concludit Diana, oppositum sentientes, trepidare ad aures.

VIDEBITVR alicui, S.Doctorem aduersari ex *prima secunda*, *Tract. 1. disp. 17.* quia Iudex videtur possessor iuris inquirendi. At hoc ius est solùm probabile: nec est simile de Prælato, habente ius certum præcipiendi subditis; & ad hoc solam probabilitatem, qui tenentur acquiescere in via D.Bonauent. sane altiori motiuo, nempe, quia Prælatus à Deo datus est, vt ductor ad vitam; non sic iudex. 14

QVARE nimia Hyperbole ait Clarus, *§. fin. quæst.5.* citans Innocentium *in cap. bona memoria*, in vniuerso mundo assertiuam sustineri sententiam. Eam sequuntur Megala *in Praxi*, *cap.11.* Farinac. *quæst.1. num. 49.* & Doctores *in cap. Inquisitionis*, *de Accus.* præsertim Ananias *num. 4.* Felin. *num. 6.* & Ambrosin. *de modo formandi processus*, *Lib.1. cap.1.* dicens, esse vniuersalem consuetudinem, vt refert Bictus *quæst.11. num.8.*

AN vero is, qui suo testimonio potest aliquem ab iniusta morte, vel oppressione liberare, & vere non inquiritur à Iudice, posset tamen; peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur. 15

DICO, hunc peccare mortaliter contra Charitatem, non contra iustitiam, atque adeò non teneri ad restitutionem. Id sentit D. Bonauent. *in speculo*, *anima*, *cap.1.* vbi hanc dissimulationem damnificationis, lethali culpâ damnat; non tamen obligat restitutioni. Sequuntur Nauar. *sum. Lat. cap. 25. n.47.* & *in cap. Inter verba*, *11. quæst. 3. num. 638. 706. & 722.* Gabriel. *in 4. dist.15. quæst. 6. art. 2. concl.7.* D.Thom.*2.2. quæst.70.art.1.in corpore*, Lessius *lib.2. cap.30. dub.8. num.58.* Sotus *Lib. 5. de Iust. quæst.7. art.1.* Salonius *2.2. quæst.70. art 1. disp.3.* Fagundez *in octauum preceptum*, *Lib.8. cap.42. num.6.*

ID videtur præceptum, Prouerb. 24. *Erue eos, qui deducuntur ad mortem; si dixeris: vires mihi non suppetunt: qui inspector est cordis; ipse intelligit.* Sic probatur à D. Bonauent. *de Ecclesiast. Hierarch. part.2. cap.2.* vbi etiam innuit, non teneri suo graui damno aliquem se exponere ad restificandam insontis innocentiam; & si cogatur à iudice, posse tergiuersari. Ità etiam Lessius *num.56.* Nauar. *num.50.* Baldus *in cap. cum nuncius de testibus*, Syluester V. *denunciatio*, *q.1.* & V. *correctio*, *§.7.* Filliucius *tom.2.tract.40.num.255.* Sayrus *lib. 12. cap. 20. num. 24.* Sotus *de teg. secreto*, *mem.2. disp.5. quæst.7.* Fagundez *in 8. preceptum decal. Lib.8. cap.42. num.7.* 16 17

QVÆSTIO II.

Qui possint esse TESTES *in iudicio.*

D.Thom.art.2.& 3.

MVLTI quidem à iudiciariis testibus repelluntur in iure, vt ait D. Thomas, & patet *Can. si testes.* 18

PRIMO in causis criminalibus repelluntur iure Canonico serui, ac fœminæ, facinorosique, *cap. forus de verb.signific.* & *cap. mulierem 33. quæst.5.*

IVRE tamen ciuili in communi admittuntur fœminæ *Leg. ex eo*, *ff. de Testibus.* Præterquam in testamento *Leg. qui testamento*, *§. mulier*, *ff. de testamentis.* Ita communiter Doctores, vt docet Lessius *Lib.2. cap. 30. dub.5. num. 36.* Gomez *cap.2. num.13.* 19

Meretrix

Meretrix tamen non potest esse testis *in causa crim.* vt tradit Iul. Clar. *quæst.* 24. *num.* 14. & ita communiter Doctores, vt testatur Iason *in Leg. cunctos populos, Cod. de summa Trinitate*, & Carrad. *in praxi, fol.* 80. *num.* 18. Quæ autem dicatur meretrix docet Iulius Clar. *Leg.* 1. *sent.* §. *meretrix.*

20 SECVNDO de iure communi in causis criminalibus repellitur minor viginti annis, *Lege in testimonium, ff. de testibus*, dictum tamen illius facit inditium sufficiens ad capturam, non ad torturam, vt docet Gomez, & Lessius allegati, atque Fagundez *Lib.* 8. *cap.* 40. *num.* 29.

SI tamen sit puber, idest quatuordecim annorum masculus, & duodecim fœmina, admittitur in ciuilibus.

TERTIO repelluntur inimici in criminalibus, & ciuilibus, exceptis iis criminibus, & litibus, in quibus alij testes non idonei admittuntur, vt in probanda simonia, hæresi, & similibus, *cap. per tuas, de simonia.*

21 QVARTO, ascendentes, & descendentes accusatoris; item collaterales; sed isti vsque ad quartum gradum tantùm. Ità Gomez *cap.* 12. *num.* 15. Lessius *Lib.* 2. *cap.* 30. *disp.* 7. *num* 37. Idem de affinibus consanguinei, tamen & affines Rei aliquando recipiuntur ad eius innocentiam comprobandam, vt docet Clarus *quæst.* 24. *num.* 12. sic enim vsus fert, quando eius innocentia aliunde probari non potest; Ità Lessius *num.* 38. cum D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 41. *dub.* 2.

QVINTO repelluntur domestici accusatoris, & familiares illius, & infames infamiâ *Iuris*, in criminalibus; & hoc est certissimum absque controuersia, vt docet Iulius Clar. *quæst.* 14. *num.* 23. Lessius *num.* 38. Infamis verò infamiâ *facti* aliquando admittitur, quando aliter veritas haberi non potest; sed cum tortura. Ità Clarus *quæst.* 24. *n.* 23. Lessius *loco cit.* P. Eliseus noster *in sua noua Practica criminali.*

22 SEXTO periuri aliàs, iuxta communem regulam: *Semel malus, semper præsumitur in eodem genere malus*, cap. *si quis coniunctus*, & cap. *paruuli* 22. *quæst.* 5. vt refert D. Bonauent. *in confessionali, cap.* 3. *particula* 33.

SEPTIMO repelluntur socij criminis *Leg. fin. Cod. de accusat.* & *cap. veniens, cap. de testibus.* Ità Lessius *num.* 39. Fagundez *num.* 23. Excipiuntur tamen aliqua crimina, vt hæresis, sodomia, crimen falsæ monetæ, Læsæ maiestatis, furtum famosum, philtri, & sortilegia.

23 OCTAVO excluduntur viles, & pauperes personæ, quia suspicioni sunt, ne pretio corrumpantur *Leg.* 3. *&* 4. *ff. de testibus.* Syluester V. *testis, quæst.* 1. Lessius *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 5. *num.* 38. Farinacius *decis.* 138. Vilis autem persona dicitur satelles, & mulier inhonesta. Farinacius *decis.* 79. Felinus *in cap. Quoties, de testibus.* Pauper autem dicitur, qui manibus victum cogitur quærere quotidianum; Glossa *in Leg. Paupertas, ff. de excusat. tutor.* Farinac. *decis.* 109.

NONO testes corrupti, qui in iudicio probantur aliquid accepisse ad iudicium ferendum *cap.* 1. *Si testes, de testibus*, & docet Molina *disput.* 83. §. *de teste.*

24 DEINDE debent esse iurati *cap. nuper, de testibus*, & *cap. tuis quæstionibus, eodem tit.* nam diuinum testimonium frœnum nobis est, ne vltra veritatem diuagemur. Hæc ratio ab omnibus affertur à Lessio *Lib.* 2. *cap.* 30. *disp.* 4. *num.* 32. Sayro *lib.* 12. *cap.* 20. vbi ex multis iuribus probat, non valere dictum contra tertium, nisi iuramento firmatum. Sic præcipuè ex *Leg. Iurisiurandi, Cod. de testibus.* D.Thom. 2.2. *quæst.* 70. *art.* 3. *ad* 2. Couar. *Lib.* 2. *var. cap.* 13. *num.* 3. cum D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 39. *dub.* 3. *&* 5. *littera*, & *art.* 2. *quæst.* 1.

25 HÆC tamen intellige, nisi pars aduersa iuramentum remittat, *cap. tuis quæstionibus, de testibus*, excepto in causa matrimonij, Sanchez *Lib.* 3. *disp.* 41. *num.* 5. Mascardus *de probationibus, concl.* 1023. *numero* 13.

PRÆTEREA oportet ad conuincendum esse plures contestes, idest de eodem facto; nam singulares testes non probant, & sunt quando vnus vnum crimen, *v.g.* furtum equi testatur; alter alterum, *v.g.* furtum crumenæ, &c. qui omnes suum dictum probant, non alterius. Ità Lessius *num.* 23. Sayrus *Lib.* 12. *cap.* 21. *num.* 15. D.Thom. 2.2. *quæst.* 70. *art.* 2. Caietanus, Salonius, Aragon. *ibidem*, Filliucius *Tome* 2. *tract.* 40. *in octauum præceptum, cap.* 8. *num.* 236. & habetur *cap. licet vniuersis, de testam.* & *cap. Licet causam, de probationibus.*

26 TESTES contestes sunt, qui deponunt de eodem numero delicto, iisdemque circumstantiis. Vnde, vt contestes sint, debent conuenire in tempore, loco, & delicti specie, & numero.

ALIA conditio est, vt sensu aliquo factum perceperint *Leg. solùm, de testibus*, vbi Glossa, & Lessius *num.* 34. Fagundez *Lib.* 8. *cap.* 40. *num.* 14. debent autem factum vidisse, vel si delictum in voce sit, audiuisse; in quo casu vafrè solent vocem è pariete audire confitentis, dummodò optimè nota sit, vt inducant ad confessionem in iudicio. Vide Sayrum *lib.* 12. *cap.* 25. *num.* 22. & P. Eliseum nostrum in prax. crim. de Testibus.

27 QVARTA conditio est, vt testes sint omni exceptione maiores, quibus nihil iure opponi queat, nullasque patiantur exceptiones, Lessius *lib.* 2. *c.* 30. *dub.* 5. *num.* 25. Fagundez *cap.* 40. *num.* 56. De hoc suprà dictum est, dum inidoneos exclusimus.

SVFFICIENT autem duo testes omni exceptione maiores; tam in causa criminali, etiam ad morte damnandum; tum in qualibet alia graui.

28 PROBATVR ex Deuter. 17. & 19. *In ore duorum, vel trium testium peribit, qui interficietur*, & prima ad Timot. 5. *Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.* Et ex *cap. licet causam, de probat.* & *cap. cum esset, de testam.* Sic docent communiter Doctores, D.Thom. *quæst.* 70. *art.* 2. vbi Caiet. Aragon. Bannes, Salon. Lessius *Lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 4. *num.* 24. Sayrus *Lib.* 12. *cap.* 21. *num.* 15. Filliucius *tract.* 40. *in octauum præcept. decal. cap.* 8. *num.* 243. Sanchez *Lib.* 2. *de matrim. disp.* 45. *num.* 30. Fagundez *in octauum præcept. Lib.* 8. *cap.* 39. *num.* 2. & supponitur à D.Bonauent. 3. *dist.* 39. *&* *in octauum præceptum, initio opusculi*, & indicat ad 9. *Lucæ.*

29 DE iure communi ciuili in testamentis clausis requiruntur septem testes masculi, liberi, aut pro liberis reputati, puberes, rogati, & qui simul conueniant, & præsentes sint, & audiant, videant, intelligant testatoris voluntatem, vel scriptam, vel voce tenus probatam. Si voce tenus testamentum absque vlla scriptura conditum fuerit, non est necessaria subscriptio, aut sigillum, *Leg. hac consultissima, §. per nuncupationem, Cod. de testamentis, & Instit. de testamentis, §. vlt.* & *Leg. Heres palam, ff. eodem titulo*, nec satis est, vt præsentes sint, & audiant 30 vocem testatoris, sed opus est etiam, vt illum videant. In apertis quinque: In Codicillis quinque: In causis grauioribus, excepta causa mortis, sufficit vnus testis eximiæ authoritatis, vt Rex, Papa, Cardinalis, vt notant Sayrus *lib.* 12. *cap.* 25. *num.* 15.

Filliucius

Filliucius *tom.2. tract.40. in octauum praeceptum, cap.8. num.236.* Fagundez *lib.8. cap.39. num.9.*

De iure verò Canonico validum est testamentum, quod parochiani conficiunt coram Presbytero, seu Parocho suo, & tribus, vel duobus aliis idoneis, *cap. cum esset, de testamentis.*

31 Ad matrimonium requiruntur duo testes, & Parochus, alioqui irritum est, vt decernit S. Concilium Trident. *sess. 24. cap. 1.* Et aduertit Sanchez *lib.3. de matrim. cap.41.*

QVÆSTIO III.

De Iniustitia falsorum Testium.

32 SI Testis vel sciens, & animaduertens, vel ex crassâ ignorantia falsum testimonium dixit, ratione cuius, alterum iniustè læsit, teneri eum ad restitutionem damni in solidum, asserunt Lessius *lib.2. cap.30. disp.7. num.52.* & probant ex *cap. si tua culpa, de iureiurando,* & *damn. dat.* & ex *cap. Paroch. de sententia excom.* Bartol. *in Leg. Nunquam plura, ff. de priuat. delict.* Bald. *in Leg. Quicumque, Cod. de seru. fuga,* & *in Leg. cùm ancillam, Cod. de incest. nupt.* Anan. *in cap.1. de crim. falsi.* Farinac. *part.2. praxis quæst.62. num.5.* Fagundez *Lib. 8. cap. 42. num. 1.* & non solùm in foro conscientiæ tenetur ad interesse omnium damnorum, sed etiam in foro externo potest damnificatus actionem intentare ciuilem contra falsum hunc testem, de damno sibi dato, & interesse.
33 Ità Abbas *in dict. cap.4. de crim. falsi.* Anchar. *ibi,* Butricus *ibidem, num.4. & 8.* Socinus *num.109.* Castrens. *in Leg. Presbyteri, num.3. Cod. de Episcopis, & Clericis,* Iason *in Leg. Praescriptione, num.8. Cod. si contra ius, vel vtilitatem publicam;* Tiudar. *de testimoniis, part.1. cap.9. num. 6.* Angelus de Petus. *in addit. circa materiam testium, num. 15.* Iulius Clarus, *§. falsum,* Suarez *in sua collecta com. opin. Littera T. numero 155.* Simauch. *de Cathol. instit. tit. 64. Rubr. de testam. num. 85.* Moncada *ad Crot. de testibus, part.9. num. 379.* Bossius *tit. de test. falsis, num. 149.* & alij apud Bassæum.

34 Miratvr autem Fagundez *num. 2.* Farinacium *num. 6.* Iulium Clarum, *§. falsum, versu pœna autem,* post Vincentium, & Corsetum, & alios, quos allegat, dixisse, teneri solùm in Foro contentioso, non in Foro conscientiæ.

Si verò ex ignorantia, vel inaduertentia non damnabili, vel obliuione, saltem non mortifera, testificatus est, vnde aliquis damnatur, tunc ait *num.5.* cum Diana *P.3. Tract.5. resol. 105.* non teneri restitutioni: Allegat Caietanum 2. 2. *quæst.70. art.4.* Petrum Nauarrum *lib. 2. cap. 2. num. 253.* quibus non omninò tenere ait Lessium *lib.2. cap.7. dub.6.* Addit *part.4. Tract.4. resol.99.* Becanum *Quæstio 70. quæst.5. concl.2.* contra Strauesdorf. *concl. 3.* qui asserit. Adde Bassæum V. *testis, num.10.*

35 Si tamen ille erat per alios testes reus conuictus, tunc, cùm testimonium accedens nihil efficiat, credunt, non teneri restitutioni. Ità Pitigian. *in pract. crim. can. de test. cap.6. fol.193.* Diana *loco cit.* & alij.

Addit Diana *part.4. Tract.4. resol.79.* & meritò, teneri falsum retractare, si videat, id profuturum, quamuis periculum sibi pœnæ similis timeret. Ità etiam Lessius *Lib. 2. cap.30. dub.7. num. 53.* Petrus Nauar. *lib.2. cap.3. num.251.* contra Vulterum Strouesdorff. nimis rigide docentem, teneri, etiamsi dubitet, an retractatio sit profutura.

Qvid sentiat de his omnibus D. Bonauent. 36
dicam: *In speculo animæ, cap.2.* post medium *§. Hoc etiam* docet ex D. Hieronymo *Lib. 1. in Hierem. cap.4.* & refertur, *dist. 22. quæst. 2. cap. animaduertendo,* ait Iuramentum tres comites habere debere, Veritatem, Iudicium, & Iustitiam. Iudicio caret iuramentum, absque discretione, & deliberatione factum. Iustitiâ caret Iuramentum illicitum, quod est in detrimentum salutis æternæ. Veritate autem caret, cùm falsum iuratur: mox, *§. Item, vt dictum,* falsum testimonium sub iniustitia collocat, obligante ad restitutionem; Iuramentum autem falsum ait, *§. circa iuramentum,* Iuramentum ancisorium esse, cùm iuratur falsum, vel quod creditur falsum, quod ex suo genere est mortale; hoc autem sic intelligendum videtur, cùm quis ex deliberatione peccat, & se peccare aduertit.

Qvare iuramentum ex ignorantia, saltem in- 37
culpata, non cogit ad restitutionem.

Dvbitant autem prætereà: An possint testes, aut Iudex, aut tabellio pro iusta satisfactione, vel sententia, & scripturâ accipere aliquam remunerationem.

Primo sanè, pro iusta testificatione, vel sententia non posse munus accipere certum, & si quid accipiant, tenentur ante sententiam omnia restituere.

Probatvr ex dictis *disp. de Iudice, quæst.6.* Nam quidquid datur pro iusto testimonio, vel iusta sententia censetur inuoluntarium, datum timore iniustæ attestationis, vel sententiæ, vt docet Lessius *lib.2. cap.14. dub. 8. num.55.* Fagundez *lib.8. cap.42. num.18.*

Secvndo quia nihil est ibi vendibile, pro 38
quo pretium accipere possint, nam vterque tenetur ad iustè testandum, vel decernendum: Ergo contra iustitiam faciunt aliquid accipiendo. Ità Nauarrus *cap.25. num.45. & cap.17. num.33. in summa Latina,* & *cap. Inter verba, 11. quæst. 3. concl. 6. corol. 63.* Molina *tract.3. de iust. disp.83.* Fagundex *num.18.* vbi ait, teneri id asserere eos omnes, qui asserunt, teneri Testem, iuridicè interrogatum, ex iustitia veritatem fateri; & iniuriam facere parti, iudici, & Reipublicæ, non testificando veritatem; inter quos est etiam S. Bonauent. citatus *quæst.1.* Idipsum habet *in Diæta, titulo 3. cap.7.* & patet *ex cap. cùm ab omni specie, de vita, & honestate clericorum,* vbi dicitur: *Cùm nec iustum iudicium iudici vendere liceat, & venales sententiæ ab ipsis etiam legibus sæcularibus reprobentur,* quæ ferè ad verbum habet S. Doctor *in speculo animæ, c.2. §. Quartus fructus rapina, circa medium.*

Maivs dubium est: An testis, Iudex, & Ta- 39
bellio teneantur restituere id, quod pro testimonio, sententia, aut instrumento iniusto accipiunt.

Non est autem dubium, quin teneantur restituere damnum illatum parti, vt notat Fagundez *num.19.* cum D. Bonauent. *locis adductis,* & *cap. 1. speculi, §. Item damnificatio.* Sed tota quæstio est: An, præter restitutionem damni, teneantur etiam restituere totum acceptum pro ea iniustitia.

Prima opinio negat. Sic Lessius *tract.1. cap.14.* 40
dub. 8. à num.52. Molina *Tom.1. disp.89.* Nauar. *sum. Lat. cap.17. num.30. & cap.25. num.45.* Toletus *Lib.5. summa, cap.21. & cap. 59.* Petrus Nauar. *lib.4. de restit. cap.2. post dubium 12. num.132.* Rodriquez *summa, part.2. cap.40. concl.2.* D.Thom. *2. 2. q.32. art. 1. & quæst. 67. art. 5.* & alij adducti *disput. de Iudice.*

Secvnda sententia asserit, hos omnes restitu- 41
tioni teneri: Sayrus *Lib.10. cap.2. n.12.* Caietanus *2.2. quæst.32.*

quæst. 35. *art.* 7. Conar. *ad regulam peccatum part.*2. §. 2. *num* 7. Alens. *part.*3.*quæst.*40. *memb.*6 *art.*4. Gabr. *in* 4. *dist.*15. *quæst.* 6. *art.*3. *dub.*1. Palud. ibi *quæst.*3. *art.*5. Adrianus *in* 4 *quæst.*19. *de restit.*. Sotus *lib* 4. *de Iustitia, quæst.*7. *art.*2. Ioan. Medina *Cod. de restit.* q. 2 *disp.*2. Ledesma 24 *quæst.*18. *art.*5. Salon. 2. 2. *quæst.*62. *art* 5. *controu.*5. *concl.*6. Bannes *ibi, disp.*1. Aragon ibi, *concl.* 6. Medina *Lib.* 1. *instruct. confessorum* . *cap.*16. §. 3. Angles *flor. in* 4. *part.* 2. *quæstione. Cui facienda sit restitutio, diff. ult.* 12. Valentia *disp.* 5. *quæst.*6. *puncto* 5. §. *quidnam restituendum sit.* Lopez *p.p. Instruct. cap.*106. *quæst.*2. Corduba *quæst.*32. *in* 4. *prop. dub.*1. *&* 4. Fagundez *in octauum præceptum, Lib.*4. *cap.*42.

42 Est autem sententia D. Augustini *epist.* 54. *ad Macedonium*, vbi dicit: *Iustius dicitur Aduocato: redde quod accepisti, quando contra veritatem extitisti, iniquitati affuisti, iudicem fefellisti, de falsitate vicisti. Restituendum est alienum, quod in ipso foro, vbi peccata puniuntur, legibus id prohibentibus, obtinetur; sceleratius accipitur pecunia pro sententia iniusta, quam pro iusta, & pro testimonio falso, quàm pro vero.*

Et *serm.* 19. *de verbis Domini*, apud D. Bonau. Lib. primo Pharetræ, cap.26. *Vsque adeo cupiditatis inoleuit malum, vt iam ex consuetudine vendantur Leges, corrumpantur iura, ipsaque sententia venalis sit, & nulla iam causa possit esse sine causa.*

43 Cum hac secunda sententia sentit D. Bonauent. *cap.*1. *speculi animæ*, §. *Quartus fructus rapina*; vbi munera accepta pro iniusta sententia ferenda, vel quomodolibet violanda iustitia culpam mortalem, rapinamque conclamat.

Probatur ratione elicita ex D. Bonauent. *loco adducto*, qua vtitur Fagundez *num.*25.

Ad eandem virtutem iustitiæ pertinet præcipere opera iustitiæ, & prohibere opera iniustitiæ; sed illa iniusta acceptio est opus iniustitiæ: Ergo prohibetur per virtutem iustitiæ: Ergo tenetur accipiens restituere id, quod iniustè accepit; siquidem contra iustitiam accepit.

44 Cui autem restituendum sit, admonet S. Doctor *in speculo animæ*, *cap.* 2. ad finem; hæc de iis esse, quæ non transiere ad dominium recipientis, cùm sit rapina; ideò se habere vt contractus inualidus, qui debet rescindi, & restitui danti, & pari passu incedit etiam datum, & acceptum ex simonia reddendum ei, qui dedit, vt notant multi Doctores apud Fagundez *num.*30.

45 Probatur deinde assertio ratione D. Bonauenturæ *loco cit.* §. *Quartus fructus rapina.* Illud pretium, quod accipitur contra iustitiam, est obnoxium restitutioni ex iure naturæ, & ideò ante omnem sententiam: Talia sunt munera ad ferendam iniustam sententiam: Ergo. Minor probatur, nam Testis, Iudex, & Tabellio tenentur ferre testimonium verum, sententiam iustam, scripturam veridicam scribere, atque adeò non iniustam. Igitur contra iustitiam accipiunt, vt damnificent proximum, & iniustè agant; & sanè certum videtur, esse contra ius naturæ, ex quo resultat obligatio restituendi damna, alteri illata.

46 Aduertit tamen Fagundez *num.* 32. cum Sayro *num.*16. non esse negandam absolutionem pœnitenti, qui priorem secutus sententiam, nollet restituere.

QVÆSTIO IV.

Quæ pœnæ statutæ sint falsis Testibus.

Testis falsus Deum, Iudices, & partem litigantem offendit, triplicemque in vno peccato committit deformitatem, necessariò in confessione explicandam; periurij in Deum, iniustitiæ in homines, contra quos falsum dicit testimonium; & mendacium in Iudicem, quo iudicium Forense peruertit, ob id graues pœnæ in iure eis statuuntur, vt docet Fagundez *cap.*43. post D. Bonauenturam *locis citatis*, præcipuè *in Dieta*, *tit.*4. *cap.*7. Idipsum habetur in iure Canonico, *cap.* 1. *de crimine falsi*, vbi triplicem adeo pœnam ait infligendam falso testi. 47

Primo enim quia periurio suo Deum offendit, ieiunium ei in pane, & aqua quadraginta dierum, & per septennium alia etiam pœnitentia indicitur, vt patet ex *C. Quicumque*, *quæst.*1. & Glossa *ibi*, & refert D. Bonauent. *in confessionali*, *cap.* 3. *particula* 18. 48

Secundo, quia Iudicem delusit, & publicum iuris ordinem peruertit, notatur infamiâ, *C. si quis conuictus*, 2. *quæst.*5.

Tertio, quia proximum læsit, punitur iuxta modum, & mensuram læsionis, idest quauis pœna, iure statuta. Ità Farinacius *quæst.* 67. *part.*309. & alij, quos allegat. Idem *num.*9. aduertit multo grauius damnandum falsum testem, tam in causa mortis, quàm in causa ciuili, vel criminali; quam damnandus sit Reus, quod idem docet etiam Ananias *in cap.* 1. *de crim. falsi*. & ibi Butrius *num.*6. Iason *in Leg. Et si legibus*. ad finem *Cod. si contra ius, vel vtilitatem publicam*, Gomez *ad legem Tauri*, 87. Penna *in direct. Inquisit. part.* 3. *quæst.* 73. *com.*122. fol.675. 49

Præterea testis falsi pœna est, quod ei ampliùs in foro iudiciali, in veris etiam, non creditur. Vnde, licèt aliis criminosis fides habeatur, falsidicis tamen nunquam. Id probat S. Doctor *loco nuper adducto*, ex *C. Quicunque*, quod est decretum Fabiani Papæ qui decernit, vt is nunquam sit sine pœnitentia, & nunquam in testimonium recipiatur. Ità etiam Bartolus *in Leg. transigere*, *de transact.* & communiter Canonistæ *in cap. fraternitatis*, *de crimine falsi*, vbi Innocentius, Ioan. Andreas, Zabarella, Ananias id testantur. 50

Quarta pœna est depositio, si clericus sit; eam deducunt aliqui *ex c. Cùm non ab homine*, *de iudiciis*. Hoc tamen non seruatur, vt colligo ex D. Bonauent. *in confessionali*, vbi hanc pœnam non apponit, alias recensens; & ità aduertit Ananias *loco cit.* & Fagundez *num.*9. qui *num.*26. cum Anania aduertit, crimine falsi puniendum, qui veritatem tacet, cùm iurauerit dicere. Colligitur *ex cap. Cùm delicti*, *de accusat.* 51

Iure ciuili olim *Leg.*12. *Tabularum*, testes falsi è Saxo Tarpeio præcipites agebantur, teste Aulo Gellio, *Lib.*20. *suarum noctium Atticarum*, *cap.*1. Simanca *de Cathol. Instit. titulo* 64. *num.* 83. Tirsquell. *de pœnis*, *caus.*31. *num.*29.

Postea hæc pœna nimis acerba visa est, & eius loco pœna deportationis cum publicatione omnium bonorum, si homo esset liber, successit; si autem seruus, vltimo supplicio afficitur, de Iure communi Imperiali *Leg.* 1. *in princip.* *ff. ad Legem* 52

Corneliam de falsis, *iuncto* §. *finali*, & *Leg. si diuina*, *ff. de pœnis*, & aduertunt Angelus Perusinus *in addit.* circa materiam de testium. post *numerum* 15. Abbas *in cap. 1. de crim. falsi*, *num.* 6. Simanch. *de Cathol. Instit. tit.* 64 *num.* 89. Marianus Socinus *in cap. 1. de crimine falsi*, *num.* 109. compellens verò ad testificandum falsum, eadem pœnâ punitur, vt docent Ananias *loco cit.* & Fagundez *cap.* 43. *num.* 3. D. Bonauent. *speculo animæ*, *cap.* 2. ad finem.

53 SIMILITER & testis varius, & contrarius punitur pœnâ falsi testis, *Leg qui falso*, & ibi Glossa, *ff. de testibus*, & *Leg. eas*, *ff. de falsis*. Ità tenent Abbas, Aretin. & Burtius *in cap. Cùm in tua*, *de test.* Baldus, Bossius, Clarus, Foller. & Farinacius, qui alios citat, *quæst.* 66. *num.* 56. & Bictus *quæst.* 47. *numero* 21.

ADVERTE tamen, testem, ne sibi contrarius sit, esse pro viribus concordandum Vide modos id præstandi in Farinacio à *num.* 369.

54 FALSIS testibus in statu Veneto imponitur pileus papyraceus, dæmoniolis depictus. & in alto loco Plateæ sedens illuditur, mox ei linguæ apex præciditur à carnifice, & in exilium pellitur.

55 QVÆ spectant ad essentiam iuramenti, & periurij, prout est contra Deum, satis discutientur *Tract. de religione*, *disput. de Iuramento*; nunc enim egimus de eo, prout est contra iustitiam.



DISPVTATIO XXXI.

De Aduocato.

POSTQVAM supremum in tribunali locum Iudex occuparit, fueritque Reus coràm adductus, palàmque fuerint testes examinati; (quod tamen semper non requiritur, cùm aliquando clam id fieri magis expediat) quartus locus relinquitur quibusdam personis, quæ ex officio, pro, vel contra, legum allegatione, & rationum disceptatione contendunt, vt clariùs & securiùs ad Rei condemnationem, vel absolutionem procedatur, tot enim omnium ferè locorum Iura ambagibus implicantur; vt viros nonnullos Iurisperitos requirant, quorum ope extricari valeant, de quibus hic agendum.

QVÆSTIO I.

Qui possint, & debeant hoc munere fungi.

1 OMNIVM Tribunalium praxis liquidò demonstrat, hoc officium non omnibus promiscuè permittendum; sed vni, aut alteri, quem Aduocatum nominare solent.

ADVOCATVS autem dicitur ille, qui apud eum, qui iurisdictioni præest, sui, vel amici causam dicit, vel alterius causæ contradicit. Ità Doctores *in Leg. Paulus*, *ff. de postulat.*

EST autem munus Aduocati nobile, & latius tractat Cassaneus *in Catalogo gloriæ mundi*, *part.* 7. *consider.* 28. & constat *ex Leg. Laudabile*, *Cod de Aduocat. diuersorum iudicum* & *Leg.* 1. *ff. de Iustitia*, & *Iure*.

HONESTATEM huius officij ostendit primò Cassaneus, *consider.* 29. cum D. Bonauent. *ad* 10. *Lucæ* vbi Christus ipse hoc munere functus est, assumens Magdalenæ causam defendendam contra Martham, sicuti & *cap.* 7. eam defendit à Pharisæo, & *Matth.* 26. à discipulis, vt obseruat D. Bernardus *in assumptione Beatæ Virginis*, *serm.* 3. Vbi etiam aduertit S. Bonau. ibidem, sententiam iudicialem subdidisse pro Maria. Itaque Christus factus est Mariæ Aduocatus, qui fuerat Iudex interpellatus, insuper, & Iudex factus est, & *Ioan.* 8. factus est aduocatus adulteræ. Similiter etiem aduocatus fuit discipulorum, *Lucæ* 6. *Matth.* 12. & habetur *cap. discipulos*, *de consecr. dist.* 5. & Glossa *in Leg. Neminem*, *Cod. de sacros. Ecclesia*. Denique Christus ipse ascendit in cœlos, vt appareat noster coram Deo Aduocatus *Heb* 9. 2

TANDEM prima Ioan. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum*, & Beata Virgo, Mater Dei Altissima, Aduocata nostra est, vt canit Ecclesia. Hæc latè prosequitur S. Doctor *in Diæta*, *titulo* 3. *c.* 2. Inter sanctos insignes, D. Ambrosius decem annos Romæ functus est officio Aduocati. B. Germanus, D. Lipardus, B. Iuo, & alij Vide Cassenensem *consider.* 19. 3

IDEO multi ex indecentia repelluntur ab hoc officio, vt sunt excommunicati, infames, hæretici, infideles, & grauibus damnati criminibus. Aliqui etiam ob impotentiam, vt furiosi, pueri, muti, surdi, cæci, Ità D. Thom. *hîc*, Caietanus *ibi*, Syluester, V. *Aduocatus*, Nauar. *summa*, *cap.* 25. *num.* 28. Panormit. *in rubr. de postulat.* Bartol. *in Leg.* 1. *ff. eodem*, *Leg. Nemo*, 2. *Cod. de Episcop. aud.* Tanner. *disput.* 4. *quæst.* 4. *dub.* 6. *num.* 123. 4

ALII arcentur, quia altioribus sunt sacrati, vt clerici, & Monachi, *cap. fin. de postulat. extra*, *ne clerici*, *vel monachi*. Attamen pro necessitatibus tollitur indecentia.

QVÆSTIO II.

De peccatis ADVOCATI *praui*.

ASSERO primò, Aduocatum, qui notabili sua negligentiâ, aut ignorantiâ iustam clientis 5 sui causam perdit, peccare lethiferè contra iustitiam, & ad restitutionem teneri valoris causæ, & ad expensas, & alia damna; & hoc, si pro viro docto se gerit, & cliens eius ignorantiam ignorabat; alias non nisi sit in dolo, aut lata culpâ, & per cauillationem ei causam auferat. Ità communiter Doctores. Nauar. *sum. Lat. cap.* 25. *num.* 29. Hostiens. *in cap. calumniam*, *de pœnis*. Innocentius *in cap. sicut dignum*, *de homicid.* Syluester V. *Aduocatus*, *num.* 16. Tolet. *lib.* 5. *summæ*, *cap.* 62. Filliucius *tom* 2. *tract.* 40. *in octauum præceptum*, *cap.* 10. *num* 295. Lessius *Lib.* 2. *cap.* 31. *dub.* 8. *num.* 47. Fagundez *lib.* 8. *cap.* 38. & patet *ex Leg. Idem iuris*, §. 1. *ff. ad Leg. Aquil.*

RATIO est, quia ex iustitia tenetur pro suo cliente diligentiam præstare, & eo maiorem, quò difficilior est causa clientis. Sic tenetur etiam esse peritus. 6

ASSERO secundò. Aduocatus, qui defendit causam, quam nouit iniustam peccat, lethaliter contra iustitiam, & tenetur parti aduersæ restituere damna, quæ illi obueniunt, expensarum, &c. Est communis inter Doctores. Ità D. Bonauent. *in speculo animæ*, *cap.* 2. & 4. D. Thom. *art.* 3. *ad* 2.

Armilla

Armilla V. Aduocatus, num. 11. Syluest. num. 5. Sà ibidem Nauar. num. 28. Lessius num. 48. Filliu. n. 282. & 284 Sayrus cap. 22. num. 20. Fagundez Lib. 8. cap. 38 n. 8. Bassæus V. Aduoc. 6.

7 Advertunt autem Syluester, Filliucius, & Lessius, Aduocatum, postquam monuit clientem suum de iniustitia causæ, teneri eum deserere, si ipse velit illam prosequi, non tamen ea, quæ secreta scit, prodere aduersæ parti. Tenetur etiam in Lite iusta non prolongare, non sophisticè allegare iura, ex D. Bonauent. in speculo animæ, cap. 2.

8 Itaque Aduocatus, qui per superfluas dilationes, subornationem testium, oblationem falsorum instrumentorum, aut falsis testibus, aut aliis iniquis, & dolosis modis falsa iura allegando, quæ scit omninò esse falsa, facit, vt aduersarius sui clientis iustam causam perdat, peccat mortiferè contra iustitiam, & tenetur ad omne damnum emergens. Ità D. Bonauent. in speculo animæ, cap. 2. ad finem, quem sequuntur Nauar. sum. Lat. cap. 25. num. 19. Hostiensis in cap. calumniam de pœnis; summa Confessorum, Lib. 2. tit. 3. Syluester V. Aduocatus, numero 4. Armilla, V. Aduocatus, num. 19. Filliucius tom. 2. tract. 40. in 8. præceptum, cap. 10. num. 295. Toletus Lib. 5. cap. 62. & alij passim. Patet ex cap. si quis autem, 3. quæst. 7. & ex Leg. Properandum, Cod. de Iudice. Ratio est quia is iniuriam facit parti aduersæ, vt arguit S. Bonauent. & cum eo Fagundez cap. 38. n. 18. qui autem alicui iniustè causa damni est, tenetur illud restituere, vt patet ex cap. si tua culpa, de iniuriis, & damno dato.

9 Potest tamen, si habeat iustam causam, decipere aduersarium, occultando prudenter ea, quæ ius aduersæ partis impedire possunt, dummodò à mendaciis abstineat; & aliis falsitatibus, non vtatur. Ità D. Thom. quæst. 71. art. 3. ad 3. Caiet. ibi. Nauar. Syluest. loco cit. Glossa in cap. ne quis, 22. quæst. 2. & in cap. Dominus noster, 23. quæst. 2. Fumus V. Aduocatus.

Assero tertiò, posse Aduocatum patrocinari in causa etiam minus probabili, in causa sanguinis, & amissionis omnium bonorum.

10 Et quidem, posse Aduocatum, relicta probabiliori, sequi minus probabilem, non solùm iuris, sed etiam facti, docent omnes, vt notat Diana p. p. tract. 13. resol. 4. sed aiunt, teneri manifestare parti minorem probabilitatem suæ causæ, aliàs restituet ei damna, & expensas.

11 Difficultas igitur stat: an possit procedere etiam in causa sanguinis, & amissionis omnium bonorum, protegendo actorem. Negatiuam enim partem tuentur Ioan. de Cruz in direct. consc. part. 1. præc. 8. art. 5. disp. 1. Malder. prima secunda, quæst. 19. art. 5. disp. 86. assert. 8. Martinez part. 21. tract. 1. quæst. 19. art. 6. dub. 6. concl. cap. 3. & alij cum Soto lib. 5. quæst. 8. art. 3. quia in dubio melior est conditio possidentis Rei, & in dubio fauendum est Reo, vt ait etiam Bassæus V. Aduoc. 6.

At tutam existimant sententiam contrariam Sanchez in summa, tract. 2. quæst. 71. art. 3. Lorca prima secunda, tract. 1. disp. 30. memb. 2. Villalob. tom. 1. tract. 1. diffic. 14. Diana loco cit. Fagundez infra, Bass. loco cit. Tanner. disp. 4. quæst. 4. dub. 6. num. 127. referens Syluestrum V. Aduocat. quæst. 10. & 13. Nauar. man. cap. 25. Valentiam quæst. 15. puncto 4. Azorium Tom. 1. lib. 2. cap. 17. quæsito 12. Lessium lib. 2. cap. 31. dub. 9.

12 Ratio est, quia, si Cliens potest in hoc casu litigare; Ergo etiam Aduocatus defendere.

Advocatus enim solùm tuetur partem vnius, quantum valet ratione, non autem ius dicit, aut sententiam profert.

Addit tamen Fagundez cap. 38. num. 15. si parum vtilitatis actori obuenitet, non posse defendi in tam grauibus casibus actorem. Ità etiam Lessius lib. 2. cap. 31. dub. 9. num. 53. Filliucius tom. 2. tract. 40. cap. 10. num. 285. Ideò Tanner. cum aliis addit; Nisi Charitas reuocet.

Hæc opinio mihi saltem videtur limitanda, quia 13
contra Charitatem est saltem, mortem, vel ruinam alteri sic intentare.

An verò in causa dubia possit Aduocatus protegere.

Assertivam sententiam tuentur Malder. prima secunda, quæst. 19. art. 5. dub. 86. assert. 8. Lorca prima secunda, quæst. 39. memb. 2. Diana p. p. Tract. 13. resol. 6. Ratio est; quia Aduocatus nil præstat, quàm repræsentare Iudici rationes partis. Idem tuetur part. 4. Tract. 3. resol. 47. adducens Merollam Tom. 1. disp. 3. cap. 4. coroll. 6. num. 16. contra Salam prima secunda, tract. 8. disp. vnic. sess. 11. n. 108. Subscribit Bassæus loco cit.

Addit tamen Fagundez num. 13. teneri clien- 14
tem admonere, aliter non posse: Ita etiam Nauarrus summ. Lat. cap. 25. numero 28. Syluester V. Aduocatus, numero 5. De his actum prima secunda, Tract. 1. disp. 17. quæst. 10.

Assero quartò, Aduocatum, tuentem Reos contra Fiscum fraudibus, & his efficientem, ne Fiscus clientis bona rapiat, non teneri restituere Fisco illud emolumentum; Ità Lessius Lib. 2. cap. 31. dub. 8. num. 50. Filliucius num. 283. Sanchez Lib. 10. de matrim. disp. 8. num. 14. Fagundez Lib. 8. cap. 38. num. 10. & deducit è Nauarro, summ. Latina cap. 18. num. 49.

Ratio est, quia pœna non debetur, nisi secutâ Iudicis sententiâ.

Assero quintò, quod si Aduocatus fisci solâ 15
negligentiâ, saltem graui, sit causa, vt fiscus non detegat veritatem ad expoliationem bonorum, non teneri Fisco restituere damnum hoc, sed solùm partem salarij pro rata, atque expensarum, quas fecit: sic Filliucius loco cit. Lessius num. 51. Fagundez num. 11.

Assero sextò; si Aduocatus ita Clientem de- 16
fendat, vt accusator non possit rem veram probare, & incidat in pœnam talionis, non tenetur restituere illi damna, nec fit irregularis. Ità Lessius num. 52. contra Nauar. si furiosus, 2. part. §. 5. Salon 2. 2. q. 71. art. 3. controu. 1. Fagundez num. 22. contra Nauar. summa Lat. cap. 27. num. 109. Ratio est, quia hoc malum est per accidens, & ipse non tenetur Accusatoris partes tueri.

Magna verò difficultas est de quæstione sequenti. 17

QVÆSTIO III.

An teneatur Advocatus de culpa leui.

Affirmativè respondent Villalobos To- 18
mo 2. Tract. 10. diff. 4. Ioan. Valer. in differ. vtriusque fori, V. damnum, differ. 1. num. 7. Ledesma summa, part. 2. Tract. 8. cap. 36. Salon. 2. 2. quæst. 71. art. 2. controu. vnica, conclu. 2. Rebell. part. 2. lib. 1. quæst. 10. num. 7. Molina Tom. 3. tract. 2. disp. 730. Sayrus L. 10. tract. 2. cap. 8. num. 11. Reginaldus tract. 1. Lib. 10. cap. 9. sect. 3. num. 90. Nauar. de restit. lib. 3. cap. 3. num. 3. Bannès 2. 2. quæst. 71. art. 4. dub. 2. Cruz in direct. part. 1. præc. 8. art. 5. dub. 19.

Sed hæc sententia perditio esset Aduocantium. 19
Ideò oppositam tuentur Lessius lib. 2. cap. 7. num. 31. Azorius part. 3. lib. 13. cap. 29. dub. 5. Malder. 2. 2.

tract.6. *cap*.3. *disp*.10. Fernandez *in exam. Lib*.4.*q*.44. Graff. *decis. part*.1. *lib*.3. *cap*. 8. Nauar. *man. cap*.25. *num*.28. Rodriquez *sum. tom*.1. *cap*.6. *num*. 6. Ortiz *summa*, *cap*.8. *numero* 3. Turrian. *Tom*. 2. 2.2. *disput*.11. *dub*.4. *num*.3. & 5. Diana *p. p. Tract*. 15. *resol*.59.

20 Eadem est D.Bonauent. *in speculo animæ, cap*.3. vbi solam grauem culpam in promisso officio damnat. Itaque si amittat causam, non tenetur restitutioni, quia satis prudenter egit, etiamsi leuiter negligens. Id docuit Bassæus V. *Aduocat. num*.3.

QVÆSTIO IV.

An ADVOCATVS, *conductus ad annos, sit Honorario dignus eo anno, quo nil egit.*

21 Negatiua videtur dicendum ex Flore de mera *var. qq. lib*.1. *quæst*.8. *num*.54. Azorio *part*.3. *lib*. 13. *cap*. 29. *quæsito* 10. vbi ex Bartolo *Leg. diem functo*, *ff. de offic. assessorum*, ait, salarium deberi solùm pro rata temporis.

Oppositvm sequitur Gutierez *pract. qq. Lib*.1. *quæst*.32. Matthæus de Afflictis *in constit Regni Siciliæ*, *rub*.82. *de salario Aduoc*. Azeued. *in Lib*. 10. *tit*.16. *lib*.2. *num*.4.

22 Media via incedit Diana *p.p. Tract*. 15. *resol*. 42. dicens, in foro conscientiæ saltem teneri soluere, non tamen totum, sed partem, iudicio viri prudentis. Sic etiam Bobadilla *in polit. tract*.2. *lib*.3. *cap*.14. *num*.63. Quod si Aduocatus esset genij magis laborandi, quàm otiandi, nil de salario minuendum ait, nisi alia causa adesset. Videtur ad mentem Rebell. *de oblig. iust. part*.2. *lib*.14. *num*.7.

QVÆSTIO V.

An teneatur ADVOCATVS *defendere Clientem gratis in graui necessitate.*

23 Assero, in graui, & extrema necessitate Rei pauperis, quando iniustè ad triremes, ad mortem, ad flagella, seu ad durum carcerem putaretur damnandus, vel grauem morbum contracturus crederetur, amissa lite, si non possit ei aliter subueniri, tenetur Aduocatus sub mortifera culpa ei suum patrocinium gratis exhibere, modo ei tempus supersit ex necessario ad suum statum conseruandum: in extrema verò necessitate tenetur patrocinium præstare, etiam de tempore, & industria, necessariis ad
24 suum statum. Ità D.Thom. 2. 2. *quæst*.71. *art*. 1. Caietanus *ibi*, Syluester V. *Aduocatus*, *num*.16. Lessius *Lib*.2. *cap*.71. *dub*. 7. *num*.46. Sotus *Lib*.5. *de iustitia*, *quæst*.8. *art*. 1. Armilla V. *Aduocatus*, *num*.10. Filliucius *Tom*.21. *tract*.40. *cap*.10. *num*.187. Nauar. *summa Lat. cap*.25. *num*.19. Fagundez *lib*. 8. *cap*. 38. *num*.10. Tanner. *disp*.4. *quæst*.4. *num*.125. & alij cum Bassæo, V. *Aduoc. num*.5. qui probat prima Ioan. 3. *Qui habuerit substantiam*, &c.

Ratio est, quia qui superfluum habet, tenetur in graui necessitate de necessariis ad suum statum erogare. Hæc doctrina consonat cum D.Bonauent. vt dixi *disput. de Eleemosyna*.

25 Itaque tenetur Iudex personis miserabilibus, quæ non habent hominem, dare Aduocatum *Leg. nec quicquam*, *ff. de offic. consul*. §. *finali*, Et si Aduocatus sine causa tenuat, potest Iudex eum ab officio aduocationis perpetuò amouere *Leg. Prouidendum*, *Cod. eodem tit*.

QVÆSTIO VI.

An possit ADVOCATVS *recipere munera.*

Vbi certum Honorarium, vel stipendium pro 26
munere Aduocationis statutum est à Principe, aut consuetudine, non possunt Aduocati aliquid vltra accipere; & si recipiant, erit restitutioni obnoxium. Est communis Doctorum, sic D.Bonauent. *in speculo animæ*, *cap*. 2. §. *Quartus fructus rapina*. Filliucius *Tom*.2. *tract*.40. *cap*.10. *num*.290. Nauar. *sum. Lat. cap*.25. *num*.30. & patet ex dictis *disput. præcedenti*, *quæst*.3. & *disp. de Iudice*.

Prior pars probatur à D.Thom.2.2. *quæst*.71. 27
art.4. *in corpore*, & D.Bonauent. *loco cit*. quia quando quis non tenetur alteri aliquid præstare, iustè potest pro eius præstatione accipere aliquid; at è contra (& sic probatur altera pars,) quando tenetur aliquis ex pretio aliquid exhibere, nihil vendibile exhibet. Honorarium verò, lege non taxatum, discretioni cuiusque commendat Bassæus *num*.7.

Qværes An Aduocato, qui in causa propria contra aduersarium in lite aduocauit, & scripturas contexuit, debeatur stipendium.

Negant aliqui, eò quòd regula illa deducta ex *Leg. properandum*, §. *si autem alterutra*, *Cod. de iudiciis*, de qua Menochius *q*.74. de arbitris adiudicat expensas à victo faciendas, quas fecit, non quas non fecit. Sic infert Paulus Castrens. *ad leg. finali*, *Cod. de fructu*, & *litium expensis*.

Asservnt tamen Valasius *tract*. x. *concl*. 26. 28
num.23.

Ratio est, quia expensæ in Aduocato factæ sunt ad eum creandum Aduocatum; neque debet scientia Aduocati eum reddere deterioris conditionis.

Præterea condemnatio expensarum fit propter contumaciam malè litigantis, vt patet *dicta Leg. Properandum*, & ex Doctoribus *ibi*. Ideò huic subscribit Fagundez, *lib*.8. *cap*.38. *num*.31.

Advertit Fagundez *num*. 39. non posse ali- 29
quem aduocare contra eum, à quo beneficium aliquod gratuitum, vel donationem accepit liberalem sine vitio ingrati animi, non si pro se agat, vel pro Patre, vel matre, aut pro causa propria, vel alia persona miserabili, alioqui potest donatio libera reuocari. Primum patet *ex cap. finali de postulat*. Secundum *ex Lege Papinianus*, *ff. de inofficioso testam*, & *cap. finali, de donationib*.

Prodvcam quædam pro Aduocatis erudi- 30
menta ex D.Bonauent. *Lib*.1. *Pharetra*, *cap*.26. ex Diuo Gregorio, homil.7. in Ezech. *Iustus aduocatus iniustas causas nullo modo accipit, nec verba dare pro iniustitia consentit*.

Ex eodem *lib*. 20. *moral*, *cap*. 15. ad ea verba Iob 30. *Nunc autem derident me iuniores. Egestate, & fame steriles, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei, qui mandebant herbas, & arborum cortices, & radix iuniperorum panis eorum*. Pergit vulgatus: *Qui de conuallibus ista rapientes cum singula reperissent; ad ea cum clamore currebant*. Hebræus: *Clamabant contra eos, sicut furem*.

Pergit vulgatus: *In desertis habitabant tor- 31
rentium, & in cauernis terræ, vel super glaream. Qui in*

huiuscemodi

huinſcemodi letabantur , & eſſe ſub ſentibus , delicias computabant. Vbi legit Hebræus : *Inter arbuſta rudebant ſubter vrticam.* Vbi D.Gregorius : *In valle repertis ſingulis cum clamore occurrere , ex ſubortis cauſarum occaſionibus , etiam pro praua ſtirpe litigare.*

32 VINATVR autem ExcellentiſſImos Aduocatos hortari, vt ſuam opem pauperibus impendant etiam pro paruca ſtipe , & gratis , & fideliter defendere ; ſicuti Moloſſi defendunt gregem, & Maluam pharmacum eorum apoſtematibus velint imponere , & vrticas ab eis , inurbana ſcilicet verba , tollere.

33 CLAMAT deinde S. Doctor cum D. Bernardo Lib. 1. de conſider. *Quotidie perſtrepunt in palatio Leges ; ſed Iuſtiniani , non Domini.* Quare hortatur , vt in lege Domini meditentur : *Lex enim Domini immaculata , &c. Hae autem non tam leges , quàm lites ſunt, & cauillationes , ſubuertentes iudicium ſunt Aduocati, qui docuerunt linguas ſuas loqui mendacium : diſerti, aduerſus iuſtitiam : eruditi , pro falſitate : ſapientes ſunt, vt faciant malum : eloquentes, vt impugnent verum. Tales eſſe non debent Aduocati fideles.*

34 TANDEM monet ex eodem D. Bernardo *Lib.* 3. ne ſine cauſa appellent : *Iniqua* (ait) *eſt omnis appellatio , ad quam iuſtitia inopia non coegit. Appellare, non vt graues , ſed ne graueris licet. Qui non grauatus appellat , liquet ; quòd aut grauare intendit , aut tempus redimere.*

35 EX dictis collige boni Aduocati conditiones quatuor : Prima eſt ſcientia ſufficiens : Secunda diligentia : Tertia veritas : Quarta Iuſtitia, vt refert etiam Fagundez *loco cit. num.* 34. Baſſæus à *num.* 3. cum aliis.

NON licet Aduocato paciſci cum Cliante de aliquota parte litis , ſi vincat *Leg. ſi quis, Cod. de poſtulando* , & *Leg. ſumptus , ff. de pactis* , ne via ad lites fraudibus euincendas aperiatur. Non videtur tamen peccatum , amota fraude , vt docent Victorell. *in manu. Nauar. cap.* 25. Diana *part.* 2. *tract.* 2. *miſcell. Reſol.* 49. Valer. *in differ. vtriuſque contract. diff.* 3. Baſſæus *num.* 8. Poteſt tamen paciſci pro tanto pretio, ſiue cauſa obtineatur, ſiue non : Et tunc Aduocatus tenetur totam proſequi cauſam.

Quod ſi clientis culpâ obtruncetur cauſa , tenetur totum pretium erogare.

36 VIDE Sayrum *lib.* 12. *cap.* 23. *num.* 33. Syluest. V. *Aduocat. quæſt.* 22. Azor *part.* 3. *lib.* 13. *cap.* 29. *dub.* 10. Bonac. *diſp.* 10. *quæſt.* 3. *punct.* 4. Filliu. *tract.* 40. *n.* 293. Regin. *lib.* 25. *num.* 678. Rodriquez *part.* 1 *ſum. cap.* 4. Baſſæum *num.* 9. vbi multa addunt.



DISPVTATIO XXXII.

De Notario & Tabellione.



VM ex Iudiciorum proceſſu tam Priuata , quam Publica commoda ſoleant reſultare, vel actori , vel reipublicæ ; ideò ea cautione in rebus forenſibus agendum , vt prouidè futuris litibus præcedentium exhibitione proſpiciatur ; quare omnia ſolent ſcriptis mandari. Verùm qui ad hoc munus deputantur, potiùs, vt plurimum , lucrandi libidine , quàm Iuſtitiæ zelo, inſtar veterum ſcribarum, armantur : De quibus diſtrictim dicam.

R. P. Gaudentij Sum. Theolog. Tom.V.

QVÆSTIO VNICA.

De Notarij , & Tabellionis Iuſtitia , vel iniuſtitia.

INTER alias perſonas ad iudicium conuenientes , atque operantes, ſunt Notarij , & Tabelliones, 1 de quorum creatione , & obligationibus differunt Iuriſtæ , atque Summiſtæ , quos recenſet Sayrus *Lib.* 12. *cap.* 25. Eorum obligatio eſt præcipua , ſcripturas , Inſtrumenta , Teſtamenta , proceſſus , & alia fideliter ſcribere , & tranſcribere , quippe qui publica authoritate Imperatoris , Regis , Reipublicæ, vel Principis agunt , qui eos creant ; ideo debent eſſe perſonæ honeſtæ , & propterea infamatus iuris, 2 vel facti non poteſt eſſe Tabellio publicus, ex Panormitano *cap. cum dilectus.* Felin. *in cap. fraternitatis de heret.* Alex. *conſil.* 80. Couar. *Lib. pract. qq. cap.* 19. Alias conditiones vide in iſtis.

QVIA verò eorum Iuſtitia eſt admodum Reipu- 3 blicæ neceſſaria , nec ſemper integra ; ideo Iura in cauſis criminalibus grauibus non committunt illis ſolis examen teſtium ; imo ipſi Iudices debent eſſe præſentes , vt diſponitur in *Authen. Apud eloquentiſſimum , Cod. de fide inſtrumentorum* , & Authen. *de teſtibus* , & *Cod. in cauſis ciuilibus* , idem agendum ſit, iuxta *text. in Leg. Diuus , ff. de teſtibus* , & Gloſſam *in Leg. Hac conſultiſſima , §. vult. Cod. Qui teſtamenta facere poſſunt* ; tamen ob plurima negotia , quibus diſtinentur Iudices in cauſis ciuilibus minoris momenti , committitur Tabellioni examen teſtium, præſtito prius iuramento apud Iudicem , de fidelitate ſeruanda *cap. ſi qui teſtium , de teſtibus , cap.* 2. *de iudic. in* 6. *Leg. Ad egregias de iureiurando.* Couar. *Lib.* 2. *variarum , cap.* 13. *num.* 10.

OPTIMA erat Lex Athenienſium apud Poſtel- 4 lum *de magiſtratibus Athenis , cap.* 26. quæ ſex viros deſtinauerat aſſiſtentes Notariis , & Tabellionibus, vt aduerterent , an aliquid iſti adderent , vel omitterent. Saltem deberent aliquem apponere. Enim verò magnæ ſunt authoritatis.

DISPVTANT hîc ; quot numero teſtes præualere poſſint contra Tabellionem.

CERTVM eſt , eum , vt perſonam publicam, vni teſti , etiam iuranti , non eſſe ſcriptum verum, præualere , *Leg. ſi quis decurio , Cod. de falſis , cap. ad audientiam, de præſcript.*

MVLTI dicunt, duos teſtes , omni exceptione 5 maiores , præualere. Alij dicunt , requiri tres. Vide Fagundez *lib.* 8. *cap.* 44. Couarruiam *L.* 2. *var. cap.* 13. qui bene videtur diſtinguere ; ſufficere duos teſtes , ſi ſint ex iis , qui in ſcriptura extant.

QVÆRVNT hîc : an teneantur , falſas ſcriptu- 6 ras conficientes , vel falſificantes , vel aliquid eradentes , reſtitutioni , tanquam peccati mortalis Rei contra iuſtitiam.

ASSERVNT omnes cum D. Bonauent. *in ſpeculo animæ , cap.* 2. apud Fagundez *Lib.* 8. *cap.* 44. *numero* 6. & aliis locis , & Sayrus *Lib.* 12. *cap.* 25. *numero* 12. Neque ſufficit , vt non conficiat Inſtrumenta falſa , ſed neque debet vetita facere , vt inſtrumentum vſurarium , vel contra Eccleſiaſticam immunitatem.

PRÆTEREA conficiens teſtamentum nuncu- 7 patiuum alicuius non ſanæ mentis , peccat , & tenetur reſtituere legitimis hæredibus , ſi hoc ſcienter faciat. Nauar. *manu. cap.* 25. *num.* 54. Baldus

in Leg. Cod. de Sacrof. Eccles. num.71. sic, etiamsi pretio corroptus inducat testatorem, instituere hæredem alium ab illo, quem ipse volebat, tenetur restitutioni. D.Antonio.3. *part. tit.6. cap.3. §.vlt.* Toletus *L 5. cap.61.* Saytus *num.15.*


8 NOTARIVS non potest aperire testamentum clausum ante mortem testatoris *Leg. Qui testamenta, Cod. ad legem Corneliam de falsis*, ibi Bartolos.

CAVERE etiam debet, ne pretium excedens exigat. Deinde ne pretium exigat pro re, pro qua nullum pretium exhibendum, vt pro Ordinibus, pro Dimissoriis, aut testimonialibus, si habet salarium; sed si non habet, non potest recipere pro singulis dimissoriis, vel testimonialibus vltra decimam partem vnius aurei, ex Concilio Tridentino *sessione 21. de reform. cap.1.*

9 SIMILITER ne munera, & pretia recipiat super salarium, si illud obtineot. De his iam dictum est suprà.

PRÆTEREA debet Notarius abstinere à conficiendis Instrumentis publicis, quæ longios tempus expostulant, diebus sollemnioribus, quibus tenetur populus Deo vacare; præsertim si sint contractus commerciis inseruientes. Hoc enim colligitur è *cap.1. de feriis*; insuper id variis in locis cautum est Synodalibus decretis, vt notat Bonalis in sua Theologia morali, gallicè contextà *tom. 1. tract. 7. sect.2.* citatque Suarez, Filliucium, aliosque plures in Bonacina *disp.5. quæst. vnica, part.2. num.10.* Excipit tamen loci consuetudinem, prælatis notam & permissam, sicut & publicam necessitatem, qoibus potes adiicere priuatam etiam pietatem, vt in fauorem alicuius inopis fiat.

10 DENIQVE cauere debet Notarus, nè contractibus vsurariis scribendis scienter inseruiat; his enim violat Iuramentum, quod præstabat cùm ad suum officium vocaretur; ad nihil tamen restituendum obligatur cum nil ratione vsuræ receperit. Si tamen vi compulsus debitor obligat se Creditori per contractum vsurarium, idque Notario innotescat; teneri eum ait Bonalis vbi suprà *tract.57. lect.77.* ad restituendum, cum ad illud nefas sit cooperatus; à quo ratione sui officij deberet protsus abstinere.



DISPVTATIO XXXIII.

De Contumelia.



HACTENVS varios discussi modos, quibus proximus in bonis corporis læditur, quibusque iniurians tenetur damnum illatum resarcire: iam aliqua differam, quæ ad damnum animæ, famæ, vel honoris spectant; inter quæ primò occurrit contumelia, cujus naturam postquam descripsero; dicam quomodo homo Christianus debeat eam potius ferre, quàm referre.

QVÆSTIO I.

Quid sit Contumelia, & vnde oriatur.

{ S.Bonauent. variis in locis.
D.Thom.quæst.72.

DEFINITVR contumelia à D. Bonauent. *opusculo Declaratorio terminorum Theologia*, circa medium. *Contumelia est voluntas vindicans per exprobrationem malorum.* 1

Et *in speculo anima, cap. 1.* ad finem: *Contumelia est obiectio criminis perpetrati.*

ADMONET autem S.Doctor, Contumeliam ex ira procedere, vnde dicitur Contumelia, quasi contumens per iracundiam animi, vt ait D.Isidorus *L.10. Ethymol. cap.3.* siue à contemnendo, vt ait Vlpianus *Lege 1. ff. de Iniuriis.*

DESCRIBITVR etiam à Valentia *disput. 5. quæst.16. puncto 5.* Syluestro, & aliis Summistis, *verbo Contumelia*, Soto *Lib.5. de Iustitia, quæst.9. art.1.* Nauar. in manu. cap.18. num.10. *est iracunda expressio rei, contra honorem facta alieni.* 2

Seu *est dictum, vel factum, quo in præsentia alicuius honorem eius lædimus, & violamus*, vt ait Faguodex *in octauum præceptum, lib.8. cap.5. num.3.*

NOTANDVM primò, honorem esse exhibitionem reuerentiæ in signum alicuius excellentiæ, seu virtutis, vt docet S. Doctor *in Compendio Theologia, lib.5. cap.63.* & *in speculo disciplina ad Nouitios, part.1. cap.6.* & *Lib.3. Pharetra cap.34.* & *in 12. Luca* ad ea verba *Honorificabit eum Pater meus*, & *in 3. dist.9. art.1. quæst.4. in corpore*, vbi duplicem constituit honorem. 3

DVPLICI enim modo exhibetur alicui honor; aliquando in obsequium reuerentiæ; & iste est honor venerationis; aliquando in testimonium virtutis, & famulatum complacentiæ, & iste est honor adorationis. Ideò etiam D.Thom. 2.2. *quæst.103. art.1. ad 2.* & Thomistæ ibi definiunt honorem: *Est testificatio quædam bonæ opinionis, & excellentia alterius, verbis, vel signis externis facta*, Verbis sanè, vt cùm aliquem honorificè compellat vocando eum prudentem, sapientem, virtute præditum: Signis, vt corporis submissione, capitis inclinatione, &c. vt docet D. Bonauent. *allatis locis*; & de hoc ait Aristoteles primo Ethicæ: *Honor est exhibitio reuerentia in testimonium virtutis*; nomine tamen virtutis intelligitur excellentia aliqua superioritatis respectu aliorum, quam in alio recognoscimos, vt nobilitatis, &c.

NOTANDVM secundò, expressionem inter homines, primò fieri verbis; deinde factis, vt docent D.Augustinus *lib.2. de doctrina Christiana*, sunt enim verba inditia eorum conceptuum, quos in animo habemus, vt ait Aristoteles *primo Perhierm. cap. 1.* & D.Bonauent. *in primo, dist.27. part.2. quæst.4.* 4

IAM igitur contumelia præcipuè in verbis fit, vt probat S. Doctor *loco cit. Pharetra de conuitiatione, cap.3.* ex Patribos.

D. GREGORIVS Lib. 8. moral. cap. 23. *Sæpe praui, dum sua vitium fortitudinis ignorant, audenter aliorum rectitudinem lacerant: indeque contra bonos sibi authoritatem increpationis arripiunt, aut ea bona proferunt, quæ non videndo, sed audiendo didicerunt, aut ea mala ab aliis mentientes ingerunt, quæ ipsi committunt*, & Lib.5. cap 8. moral. *Sæpe qui in potestate sunt, ad subditorum passim contumelias erumpunt, & hoc,* 5

quod

quod inuigilantes regimini seruiunt, per linguæ procacitatem perdunt, minori scilicet rectitudine verba iudicis pensantes; qui sine causa fratrem fatuum dixerit, gehennæ se ignibus adiicit.

6 D. IOANNES Chrysost. *lib.* 1. *de compunctione cordis* ante medium: *Siue fatuum quis dixerit, siue vanum, siue Latronem, siue quolibet alio nomine iniuriam, vel maledictum fratri ingesserit; ex quolibet horum vocabulo sub maledicti titulo, gehennæ ignis supplicijs condemnatur.*

D. AVGVSTINVS regula 3. cap. 38. *Quicumque conuitio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectum aliquem læserit, meminerit satisfactione quamcitius curare quod fecit: Et ille, qui læsus est, sine disceptatione dimittere: Si autem inuicem se læserunt, inuicem sibi debita relaxare debebunt.*

7 D. HIERONYMVS *epistola* 1. ad Heliodorum: *Nec sibi quisquam de corporis castitate supplaudat, cum de verbo otioso, quodcumque locuti fuerint homines, reddituri sint pro eo rationem in die iudicij; cùm etiam homicidij sit reatus conuicium in fratrem.*

IGITVR ex his deduco, contumeliam ex genere esse peccatum mortale; aufert enim immediatè honorem debitum, quæ est grauis iniustitia, auferens rem magno pretio æstimabilem.

8 INSVPER, quia contumelia hominis honorem lædit in faciē, vel præsentem, vel tanquam præsentem coram aliis; detractio verò bonam famam absentis; grauior est contumelia, eò magis, quia fama ordinatur ad honorem, tanquam finem. Esse verò lethale probat S. Doctor *cap.* 1. *Speculi animæ*, non ex Diana, aut Bonacina, sed ex ore Christi, Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo, fatue: reus erit gehennæ ignis.*

9 OBSERVAT autem S. Doctor, quod cùm verba sint signa intellectuum ex Aristotele *primo Perihermen. cap.* 1. multum considerandum est, quo animo verba dicantur.

CONTINGIT autem (ait) talia verba dici ex indiscreto Zelo, vel ex quadam subreptione, & subito motu iræ, & tunc non esset iudicandum mortale, nisi tantus esset excessus, & verba inordinata quod aliquis per talem contumeliam incurreret in diffamationem manifestè. Tunc enim Zelus iustitiæ nullatenus excusaret, quin peccaret mortaliter; sicut si aliquis aliquem ludendo interficeret. Cùm autem quis alteri conuicium, vel contumeliam, vel improperium dicit ad proximi confusionem, & dehonorationem intendens, tunc agitur contra charitatem proximi, & peccat mortaliter & sic intelligitur verbum Domini, dicentis Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo, fatue: reus erit gehennæ ignis.*

10 HINC etiam fit, vt cum fama, & honor sint potiora bona, quam diuitiæ, & quàm alia bona externa, & temporalia, quæ furto obnoxia sunt, iuxta id prouerbiorum 22. *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ*, infertur, maius esse peccatum contumeliam, & detractionem, quàm furtum, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 72. *art.* 3. *ad* 2. & D. Bonau. *in speculo animæ, cap.* 3. arguit.

EST tamen minus peccatum, quàm homicidium; est enim maius bonum vitæ, quàm honoris, & famæ; cùm hæc sint bona reparabilia, & illud irreparabile.

EST minus peccatum etiam adulterio, quia hoc est contra ordinem speciei humanæ in ordine ad generationem humanam, per quam datur introitus ad vitam æternam.

11 SIC omninò de his sentiunt cum D. Bonauent. D. Thomas *quæst.* 23. *art.* 1. 2. *&* 3. Caietanus ibi, Sotus *l.* 5. *de Iust. quæst.* 9. *art.* 1. Lessius *l.* 2. *cap.* 11. *de detract. & contum. dub.* 3. *num.* 11. Fagundez *in octauum præceptum, l.* 8. *cap.* 1. *num.* 12. & reliqui.

ADVERTE non rarò contumelias, materialiter graues, esse formaliter veniales, si non intenditur, & aduertitur grauitas, vel quia leuitati adscriptæ, non sunt creditæ: Tales occurrunt inter pueros, & mulierculas.

NOTA etiam, contumelias in superioribus animo 12
corripiendi non esse culpas. Ita Valent. *disput.* 5. *quæst.* 16. *p.* 2. Molin. *disp.* 18. Clau. Reg. *l.* 12. *cap.* 4. Bonac. *de rest. disp.* 2. *quæst.* 5. *p.* 1. Syluius 2. 2. *quæst.* 72. *art.* 2. Monet tamen Bass. *num.* 3. vt Prælati cautè incedant modestè ex necessitate coacti ad profectum, & quia plerumque sunt ita falsæ, & non iuuant, sed exasperant, hortatur vt ab abstineant his, cum Nauar. *Man. cap.* 18. Rodriq. 1. 2. *qq.* 41. *art.* 2.

CONTVMELIÆ autem sunt eiusdem speciei, conueniunt enim in ratione formali auferendi honorem iniustè, vt aiunt Sà *v. Contum.* Caiet. 2. 2. *quæst.* 72. *art.* 1. Azor. 3. *p. l.* 13. *cap.* 5. Sotus *de iust. l.* 3. *quæst.* 9. *art.* 1. Molin. t. 4. *disp.* 21. Reginald. *l.* 24. *num.* 102. Fillic. *tract.* 40. *quæst.* 6. Bass. *num.* 4. cum D. Bonau. *locis cit.* Potest verò ità excedi, vt sit necesse confiteri eius grauitatem, vt si aliquem hæreticum, proditorem, vel Sodomitam voces.

SI contumelia inferatur parentibus, habet spe- 13
cialem malitiam in confessione exprimendam. Diana *p.* 1. *tract.* 7. *Resol.* 29. Sotum, & Reginaldum pro hac sententiâ recitat, sed ipse dissentit.

QVÆSTIO II.

Quomodo Christianum oporteat se gerere contumeliis lacessitum.

CERTVM est, teneri Christianum animo præ- 14
parato esse ad ferendas contumelias.

PROBATVR à D. Bonau. primò *serm.* 3. *de SS. Apostolis* ex illo axiomate D. Gregorij l. 1. Dialogorum, cap. 5. *Qualis vnusquisque apud se lateat, illata contumelia probat.* Vnde & Politici illi, vt experirentur, an Christus esset iustus, dicebant, Sap. 2. *Contumeliâ interrogemus eum: Hebræus Lapide Lydio.* Sic enim igne probatur aurum, & contumeliis iustus, vt eleganter edisserit S. Doctor 2. *Sapientiæ* ad locum allatum.

PROBATVR præcipuè à D. Bonau. *ad* 22. *Lu-* 15
cæ in ea verba: *Et emat gladium.* Et *ad* 19. *Ioan.* ad ea verba: *Quid me cædis?* Est enim præparatio hæc animi necessaria, iuxta expositionem D. August. *epist.* 5. *ad Marcellum*, & *tract.* 113. *in Ioan.* illorum verbo- Matth. 5. *Si quis te percusserit in vna maxilla, præbe illi & alteram.* Et iuxta expositionem D. Ambrosij *l.* 10. *in Lucam* ad ea verba *Lucæ* 22. vbi ait: *O Domine, cur iubes, me emere gladium, quem vetas promi? mitte gladium tuum in vaginam. Qui te percusserit in maxillam vnam, præbe illi & alteram? vt sit parata defensio, non vltio necessaria, & videatur potuisse vindicare iniuriam, sed noluisse.*

HÆC autem præparatio animi præcepto affirma- 16
tiuo imperatur à Christo; hoc quidem non obligat pro semper: Ergo non semper tenemur re ipsa sustinere, sed cùm ratio postulauerit; atque adeò licitè possumus aliquando contumelias propellere ad nostram iustam defensionem. Hoc probat S. Doctor exemplo Christi, qui alteram maxillam non præbuit, sed respondit: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem benè, quid me cædis?* Con-

 firmat

firmat exemplo Pauli *Actorum* 23. qui percussus in maxilla, respondit: *Deus te percutiat paries dealbate.*

17 Et ità cum Seraphico sentiunt D. Thom. *quæst.*72. *art.*3. Sotus *loc. cit. art.*3. Sayrus *l.*4. *cap.*4. *num.*11. Filliuc. *tom.*2. *tract.*40. *in octauum præceptum, cap.*3. *num.*85. Fagundez *l.*8. *cap.*2. *in octauum Præceptum*, Valentia *disp.*5. *quæst.*16. *puncto* 3. & alij.

18 Hic verò multi vias amplas præsumptis aperiunt defensionibus, contra Christianam professionem, contra quos aliqua dixi *disputatione de Homicidio*. itaque nullo modo mihi probatur opinio Dianæ *p.*1. *tract.*15. *resol.*15. Nauar. *in Manuali*, *cap.*14. Petri Nauar. *de restit. l.* 2. *cap.*3. *num.*83. Victoriæ de iure belli *quæst.*2. *num.*5. Henriquez *l.*14. *cap.*10. *num.*3. in Glossa *littera T.* vbi citat Cordubam, Mantium, Pegnam, tandem Fernandez *in Exam. p.*1. *cap.*9. §.1. *num.*16. posse aliquem, graui affectum contumelia, insequi fugientem, & occidere, si ad reparationem contumeliæ sit occisio apta. Magis verò displicet opinio eiusdem Dianæ, ibi dicentis, idem posse fieri etiam ante acceptam contumeliam, ea imminente; cum Megala *p.*2. *l.*3. *cap.*1. *num.*12. Lopez *in suo Instruct. p.*1. *cap.*62. quam non reprobat omninò Azor. *p.*3. *l.*2. *cap.*1. *quæsito* 13.

19 Mihi sanè ea sententia certissima est, id non licere, etiamsi Metaphysicis abstractionibus intentionis, volentis defensionem, non vindictam; sanguinolentam istam, ac Turciam defensionem clambicent.

Igitur assero cum Ioanne Cruz *in direct. p.*1. *precept.*5. *dub.*6. Tannero *disp.*4. *quæst.* 8. *num.* 73. Toleto *l.*2. *cap.*6. *num.*16. Rodriquez *t.*1. *cap.*135. *num.*11. Turriano 2.2. *T.*2. *disp.*27. *dub.*3. Bass. *verb. Contumelia, num.*8. qui citant Bannes, Arag. Sotum; Salonio 2.2. *quæst.*64. *art.*7. *controu.*2. Maldero 2.2.
20 *tract.*3. *cap.*1. *dub.*14. nullo modo id licere. Neque vllam speculatiuam etiam probabilitatem admitto, concessam à Lessio *l.*2. *cap.*9. *disp.*12. *num.*8. Reginald. *T.*2. *l.*21. *cap.*5. *num.*63. Filliuc. *tomo* 2. *tract.*29. *cap.*3. *num.*51. Bonac. *de contract. disp.*2. *quæst. vlt. sect.*1. *p.*10. *num.*8.

Ratio est, quia præceptum Domini *Matth.*5. cogit saltem à vindicta abstinere; at insequi fugientem non esset defensio, cùm iam cessauerit ab offensione, sed est vltio euidens.

21 Deinde vltio priuata non licet, alioqui deturbentur è tribunalibus iudices; tribunalia euertantur. Equis autem credet, vt tibi honorem Christianum redintegrent, te id mera defensione patrasse? Hominem occidere fugientem? Dicis habere tecum honorem adhuc, quem in actu aufert; sicuti igitur licet insequi furem, & occidere; si bona mea aufert, ita & hunc.

Vellem scire, quomodo actu auferat honorem, dum recedit ab offensione, imò etsi non fugit, dum cessat à contumeliis? Illa sanè doctrina perniciosa est, non modò Christianæ, sed Politiceæ etiam Republicæ, vt altè conclamat Megala: Huc etiam recurrunt Argumenta pro hac sententia allata *tom.*4. *disp.*17. *quæst.*10. *sect.*2. vbi quidquid aduersarij pro se referunt, refellitur decreto Alex.VII. anno 1665.

22 Itaque neque licet viro honorato occidere innasotem, qui fustem, vel alapam nititur impingere, vt ignominiam inferatur, si aliter vitari nequit. Ita Tanner. *num.*74. *cont. Less. cap.*9. *num.*12. allegantem alios. Addit nec licere, baculo percutientem, occidere.

Sed assumo rationem Dianæ. Defensio est aggressorem compescere, & impedire damnum imminens, vel si allatum est, in suspenso manet. Sic autem manet, quamdiu fit incontinenter redditio vulneris, non autem postquam inimicus domum se recepit. Vellem scire principia in fieri huius reproductionis honoris, solo incontinenti durantis; nam priuatio honoris est à recepta iniuria, & semper manet: Ergo etiam postquam se in domum recepit offensor, adhuc manet, & consequenter poterit recuperari.

Non tenuo tamen cum Fagundez *num.*2. licere contumeliam moderamine debito propellere, vt si me latronem inclamat, eum dicam mendacem; non licebit tamen eum alioqui Assassinum reclamare; at percutientem repercutere non licet; vel conuiriantem percutere, iam enim hoc erit iniuriam vindicare, non repellere, vt optimè aduertit etiam eruditus Sotus *l.*5. *de Iust. quæst.*9. *art.*3. §. *Hoc tamen.* Simili ratione licitum contumelioso dicere: *mentiris*, astruunt Aragon.2.2. *quæst.*70. *art.*3. Sà, *v. infamare* Clauis Reg. *l.*12. *cap.*4. Bassæus *v. Contum.*8. Debet enim contumelia reiici, vt falsa ex malitia, ideò non sufficit dicere: *deciperis*; vt ait Pasqualig. *decis.*437. Diana *p.*6. *tract.*6. *Resol.*16. Addunt Pasqualig. *decis.*439. Hurt. *t.*2. *disp.*170. *sect.*3. Banoes, apud Bassæum posse sic dici, quamuis obiiciatur verum crimen. 23

Non licere tamen obiicere crimina, aiunt Sot. *l.*5. *quæst.* 9. *art.* 3. Hurtad. *sect.*14. §.120. Pasqualig. *disp.*438. 24

Scito denique, contumeliosum teneri restituere honorem, vt docent omnes, modo proportionato, siue retractando, & petendo veniam coram auditoribus, siue alio modo competenti. Et si quid occultum graue obiecit, tenetur dicere, se mentitum: addit Pasqualigo *decis.*443. & Bass. *num.*6. si necesse sit, vt credamur, addendum iusiurandum. Modi verò leniores salutandi, vocandi amicè, inuitandi ad prandium, valent in leuioribus. 25



DISPVTATIO XXXIV.

De Detractione.



DVÆ Sorores prostitutæ, & filiæ Matris vnius sunt Detractio, & Contumelia: Hæc Oolla maior, feruens, ac contumens: altera Ooliba Minor, de quibus *Ezech.*23. Ambæ similes facie, similes quoque culpâ, calumniandi libidine insaniunt, proximorum ignominias discooperiunt, funduntque super eos malitias suas: Verum eò magis in famam proximi deseuit detractio, quo minori infamandi specie in occulto latitat, ne se suo vitio prodat. De virulento hoc peccato, quærendum est, quid, & quotuplex sit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Quid sit DETRACTIO, *& quotuplex.*

D. Bonau. in Spec. Animæ cap. 1. & aliis 16.
D. Thom. art. 7.

1 DETRACTIO est iniusta læsio, ac denigratio bonæ famæ alterius per occulta verba. Ita D. Thom. *hic*, vbi Thomistæ, D. Bonau. *in speculo animæ, cap. 1. ad medium*, & *p. 1. Compil. sect. 13.* in fine, & *opusculo Declaratorio terminorum Theologiæ.*

2 ADVERTO autem, occultam prolationem non esse intrinsecam detractioni, sed ad modum pertinere, quo fit, vt plurimum; nam si aliquis alteri crimen imponat secretum, vel falsum, præsentibus aliis; hic sanè peccat etiam detractione, & non sola contumelia. Ad modum autem pertinet detractionis, vt fit de absente, iuxta id, Ecclesiast. 10. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit*, vt notat Valentia *quæst. 17. p. 1.* post D. Bonau. *loco primo citato*, & hoc indicat S. Thom. *ad 2.*

3 DIFFERENTIÆ, seu diuisiones Detractionum sumuntur ex variis modis, quibus potest aliquis voluntariè famam alicuius denigrare, vt videre est apud D. Bonauenturam *locis allegatis*, Adrianum *quodl. 11.* D. Thom. *hic ad 3.* Alens. *2. p. quæst. 146. membr. 2.* Sotum *l. 5. de Iustitia, quæst. 10. art. 1.* Nauar. *Manual, cap. 18 num. 21.* Valentiam *loco citato.*

DIVIDITVR autem detractio in directam, & indirectam ex parte voluntatis.

DIRECTA est, cùm aliquis detrahit, vt denigret famam; Indirecta, cum aliquid dicit incautè, vel ignoranter, quod famam lædit. Ita D. Bonau. *loc. cit. speculi*; directa dicitur Detractio formalis; indirecta verò materialis.

4 SECVNDO potest diuidi in Directam, & Indirectam ex parte actus externi, seu modi, quo quis alterum infamat. Atque ex hac parte detractio directa est secundum D. Thomam *hic ad tertium*, & D. Bonau. *locis adductis Compil. & speculi*, cùm quis alterum infamat, tribuendo ei aliquid mali; quod contingit quadruplicìter, scilicet, vel falsò imponendo crimen alteri, vel illud verbis augendo; vel reuelando crimen occultum, etiamsi verum; vel dicendo, fuisse ab eo factum malâ intentione, & hoc si leuiter sine indiciis dicitur, est etiam iudicium temerarium, vt dicunt omnes cum D. Bonau. *cap. primo speculi animæ*, ad medium.

5 INDIRECTA autem detractio *ex eodem capite*, est, cùm quis alterum infamat, habendo se modo indebito circa famam alterius; idque triplicìter, vel negando bonum illius, vel malitiosè reticendo, quando debet dici, vel etiam minuendo. Addit Glossa *ad 7. Danielis* etiam nutibus indicando, & fingendo, se id dicere ex charitate, & pietate, qui modi sunt pessimi, & hos decem modos ait Glossa esse decem illa cornua magnæ Bestiæ.

QVÆSTIO II.

An detractio sit peccatum mortale.

D. Thom. art. 2.

CERTISSIMVM est, detractionem directam, intentione denigrandi famam, esse peccatum mortale. Ita D. Bonauent. *locis adductis*, *quæst. 11.* D. Thom. *hic*, & alij communiter apud Valentiam *quæst. 17. p. 2.* Fagundez *l. 8. cap. 1. num. 8.* 6

MVLTIS scripturarum testimoniis id ostendit S. Doctor in *Bibliis pauperum, cap. 71.* vbi ostendit, impium esse, & pessimorum hominum scelus, grauitatemque huius criminis colligit ex pœnis, à Deo inflictis.

SIC *Numer. 14.* Detraxerunt filij Israël in malum 7
suum his, qui duxerant Iosue, & Caleb de terra promissionis; proclamantes eos mendaces, & deceptores simul cum Moyse. *Numer. 16.* Core, Dathan, & Abiron absorpti sunt viui in infernum; alij etiam igne viuentes sunt cremati.

QVI detrahunt Sauli *primo Reg.* indicuntur filij Belial. Absalom. 2. *Reg. 15.* detrahebat regimini patris, & fuit suspensus à Deo in quercu, & damnatus.

CHRISTVS *Matth. 9. Lucæ 5. & 19.* grauiter reprehendit Pharisæos murmurantes, tanquam perditos. 8

PROBATVR à D. Bonau. & ad 19. Lucæ ex Sap. 1. *Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ.*

DEINDE repetit murmurationes populi in deserto, & eorum damnationem, affertque id prima Corinth. 10. *Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.*

IDIPSVM probat S. Doctor in speculo animæ, cap. 1. illo Rom. 1. *Detractores Deo odibiles, digni morte; & non solùm qui talia agunt, sed etiam qui consentiunt.* 9

PROBATVR secundò à D. Bonau. *in Pharetra, l. 3. cap. 3.* ex D. Isidoro, in Synon. cap. 10. *Detractio graue crimen est, detractio grauis damnatio est.*

D. BERNARDVS serm. 24. in Cant. *Vnus est detractor, qui loquitur, & vnum tantùm verbum profert; & tamen illud vnum verbum, vno in momento, multitudinis audientium aures inficit, animas interficit.* Et lib. 2. de Consider. *Detrahere, an detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim.* 10

D. ANSELMVS de similitudine, cap. 147. *Tria sunt genera homicidij, quæ pari plectuntur pœnâ, interfectio hominum, detractio proximorum, odium fraternum.* Et cap. 149. *Detractio est, quoties quis aliquid ea intentione de aliquo dicit, vnde ipse minus amari, vel appretiari possit.*

RATIO D. Bonauenturæ, quâ omnes vtuntur, est *in speculo animæ, cap. 1.* Furari rem alienam est peccatum graue ex genere, contra septimum præceptum, vt si fureris bouem proximi, vel nummos; sed res pretiosior est fama externis opibus, vt dicitur *Prou. 25.* Ergo peius est detrahere famæ, quàm nummos furari; ex quo etiam deducit S. Doct. eum magis teneri ad restitutionem, quàm furem, quia maius bonum abstulit contra iustitiam. 11

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

An sit mortale reuelare crimen occultum vni, vel duobus viris prudentibus, qui id tacebunt.

12 PRIMA opinio est assertiua. Ita Salonius, & Bannes 2.2. *quæst.*73. *art* 2. ille in controuersia; hic verò *dub.*1. & alij apud Saytum *l.*11. *cap.*6. *n.*12. Bonacina *de controu. disp.*4. *quæst.*4. *p.*3. Maldet. 2.2. *tract.*7. *cap.*1. *dub.*4. Vega *Summa, l.*2. *cap.*8. *casu* 12. Azor. *t.*3. *l.*5. *cap.*9. *quæsito* 2. Videtur D.Bonau. *loc. cit. in speculo animæ*, *cap.*1. Sequitur Valentia *ad quæst.*73. *p.*2. *dub.*1. Suarez *Tomo* 4. *disp.*34. *sect.*1. Filliuc. *Tomo* 2. *tract.*10. *cap.*3. *num.*90. Molina *Tomo* 2. *disp.*29. Fagundez *l.*8. *cap.*2. *num.*24. Sayrus *l.*11. *cap.*6. *num.*11. Bassæus, *v. Detractio* 1. *num.*11. qui ait esse communem sententiam.

13 OPPOSITA sententia probabilis visa est Dianæ *p.*1. *Tract.*17. *resol.*22. alleganti Lessium *l.*2. *cap.*11. *num.*7. Caietanum 2.2. *quæst.*73. *art.*2. *dist.*1. Petrum Nauar. *l.*1. *cap.*4. *num.*335. His addere potest Reginaldum *Tom.*2. *l.* 2. *cap.*4. *num.*75. & alios, ea quo deducit Diana *resol.*24. non teneri audientem corrigere detractorem illum, & adducit etiam Cordubam *quæst.*2. *conclus.*2.

ASSERO cum priori sententia, asserente, esse peccatum mortale crimen occultum patefacere etiam vni, vel alteri prudenti.

14 PROBATVR à S.Bonau. quia ordo correctionis fraternæ est præceptus; is autem præcipit, ne duos, etiam prudentes suppositos, ad emendationem adducas ante correctionem secretam. Hunc autem ordinem esse præceptum, ostendi *Tract. de Charitate Disput. de correctione fraterna.*

15 PROBATVR secundò, nam iudicium temerarium de aliquo est mortale, etiamsi vnus solus amittat bonam æstimationem de illo, & quod sit paritas probatur ex 4. Iacobi. *Qui detrahit fratri, vel iudicat fratrem, detrahit legi, & iudicat legem.*

RESPONDET Bonacina, negando paritatem, quia iudicans adscribit peccatum fortè falsum, & ideò grauem infert iniuriam.

16 CONTRA: ergo reuelare crimen verum, non est ex genere mortale, si indebitè fiat? Tandem, quia, vt dicebat P. Marinus noster maius damnum infertur, dum dicitur paucis prudentibus, quàm aliis multis, qui prudentes non reputantur, & docet Fagundez *num.*24. Sayrus *loc. cit.* Hoc definit etiam *disput. de Restitutione.*

QVÆSTIO IV.

An Detractio materialis, quæ fit ex loquacitate, sit mortifera.

‹ D.Thom quæst.73. art.2.

17 PRIMA opinio est, detractionem materialem, quæ ex leuitate loquendi, vel Zelo erumpit indiscreto, non esse mortalem. Ità D. Bonau. refert, nec omnino renuit dicens, quod esset durum, hoc iudicare mortale. Sic *Lib. Speculi animæ*, *cap.*1. circa medium: Sed ipsum infrà explicabo.

SECVNDA sententia est, si damnum sit graue, & præuisum, vel graui culpa ignorantiæ iniectum, esse mortale. Ita D.Bonau. *ibi*, qui dicit, esse plerisque communem; D.Thom. *quæst.*73. *art.*2. Salonius, Caietanus, Aragonius *ibi*, Sotus *l.*5. *de Iust. quæst.*10. *art.*2. Valentia *disp.*5. *quæst.*17. *punct.*2. Nauar. *in Man. cap.* 18. *num.* 23. & *in C. Inter verba*, 11. *quæst.*5. *concl.*6. *coroll.*33. *num.*119. Sayrus *in Claui Regia l.*12. *cap.*6. *num.*9. Toletus *l.*5. *Summæ*, *cap.*63. Syluest. *v. detractio*, Lessius *l.*2. *cap.*11. *de detract. dub.* 3. *num.*11. Fagundez *l.*8. *cap.*2. *numero tertio*, Bassæus, *v. Detractio*, 1. *num.*4. Diana *p.*5. *tract.*5. *Resol.*69. Syluius. 2.2. *quæst.*63. *art.*2.

ERIT autem veniale, si ea leuitate veniali loquendi, non aduertens, loquitur, vel ea bono fine rationabili corrigendi eius mores. Hoc secundum docet Valentia, Salon. *loc. cit.* Nauar. *num.*30. & 844. S. Antonin. *p.*2. *tit.*8. *cap.*4. Adrian. *in* 4. *de correctione fraterna.* Saytus *num.*9. esto aliquid Zeli excedat. 18

ASSERO primò, detractionem materialem esse venialem, si leuiter denigret famam. Patet, quia leue est damnum contra Iustitiam.

ASSERO secundò, esse mortalem, si graue damnum infligatur. 19

PROBATVR primò à D. Bonau. ex præcepto ordinis correctionis fraternæ.

PROBATVR secundò, quia si ex graui etiam ignorantia sequatur, cum tenearis damnum graue non inferre, nequaquam aufers actum voluntarium, vnde peccatum resultat. Si tamen leuitas venialis aliqua sit in loquendo causa, iam erit etiam effectus leuis.

DECLARATVR vlteriùs; potest enim esse ex impetu aliquo, vel subreptione, atque adeo venialis. 20

QVÆSTIO V.

An tacère bonum denigratum, sit mortale.

ADVARTE cum D.Bonau. *loc. cit.* detractionem indirectam posse esse materialem, & formalem. Erit formalis, si taceatur, *v.g.* ex fine denigrandi famam: Erit autem materialis, si taceatur ex mera omissione agnita. 21

SI tamen ex verecundia, vel timore taceatur, non audet S. Doct. definire, esse mortale, nisi esset persona, cui ex officio conuenit corrigere. Talis enim tenetur restitutioni rei, cuius ablationem tenebatur impedire.

PROBAT igitur ibi, omittere, seu tacère bonum, esse mortale, cùm debet dici; nam sicuti tenemur pauperi in necessitate graui subuenire in victu; ita tenemur etiam in bonis famæ, & honoris.

MVLTA hîc disputant Doctores super hæc dicta, de causis excusantibus à non obstando murmurationi; vide Molinam *Tom.*5. *tract.*4. *disp.*34. Azor. *p.*3. *l.*13. *cap.*7. Aragon. 2. 2. *quæst.*63. *art.*4. Sayrum *l.*11. *cap.*9. *num.*37. Lessium *l.*2. *cap.*11. *dub.*4. *n.*21. Reginaldum *Tom.*2. *l.*24. *cap.*4. *quæst.*8. *num.*65. Petrum Nauarr. *de restit. l.*2. *cap.*4. *num.*337. Valentiam *disp.*5. *quæst.*17. *p.*4. Salon. 2.2. *quæst.*73. *art.*4. Sotum *l.*5. *quæst.*10. *art.*4. Rebell. *de oblig. iust. p.*1. *l.*4. *quæst.*6. Malderum 2.2. *tract.*7. *cap.*1. *dub.* 15. Bonacinam *de contract. disp.*2. *quæst.*4. *p.*11. *num.*8. Bassæum *v. Detractio.* 22

ADMONANT autem primò hi, quos sequitur Diana *p.*1. *tract.*17. *resol.* 24. in dubio, an illa sit detractio, non teneri nos obsistere, quia potest esse. 23

vt iuſtè dicat, & eſt in poſſeſſione bonæ famæ, cui iniuriam infers, eum tractando vt detractorem.

HAC doctrinâ Confeſſarij multos à viris timoratis ſcrupulos abigent; itaque Diana *part.2. tract. 5. reſol. 35.* abſolutè concludit, eum, qui audit detrahentem, non peccare mortaliter. Sic & Crux *in Direct. prac. 8. quæſt. 2. art. 2. dub. 5.* qui vna voce cum D. Bonau. *loco cit.* aiunt: Qui ob timorem, verecundiam, negligentiam, aut animi leuitatem non reſiſtit detractioni, peccat venialiter. Subſcribit Tanner. 2. 2. *diſp. 4. quæſt. 8. dub. 7. num. 151.* qui eiſdem ferè verbis Seraphici ità reſoluit cum Baſſæo.

24 EST peccatum cõtra iuſtitiam, ſi quis directè iniuſtã etiam detractionem approbet, aut quod deterius eſt ad eam inducat; Vel erit contra charitatem, ſi quis merè negatiuè ſe habeat non impediendo, niſi ex officio teneatur, aut detrahentem corrigere, aut famam alterius defendere, nempe quia huius, vel illius Superior eſt.

25 COMMVNSTAR tamen ex negligentia, timore, vel verecundia non repellere detractionem, cenſetur veniale, niſi vel audiens ſuperior ſit, vel graue damnum ex detractione ſecuturum animaduertatur, vel timor adeo peruerſus ſit, vt propter eum peccare aliquis mortaliter non curet. Id ſolum videtur eſſe contrarium Seraphico, quia ſciens, & nolens, dicendo iuſtificare, indirectè eam aufert iuſtificationem contra iuſtitiã, & ideò reſtitutioni obnoxius ponitur cum detractoribus, vt dixi: tametſi *in ſpeculo animæ, cap. 1. §. ſecundus ramus inuidiæ?* videtur componere hoc peccatum cum illo non ſubueniendi proximo in graui neceſſitate, quod videtur eſſe contra charitatem, licèt de hoc nil dicat hîc; imò, vt dixi *diſp. de eleemoſyna* videtur ad iuſtitiam ſpectare.

26 EANDEM ſententiam Dianæ ſequuntur Reginaldus *Tom. 2. lib. 14. cap. 4. num. 95.* & Faber *de reſtitutione in 4. diſp. 53. cap. 3. num. 127.*

QVÆSTIO VI.

De variis caſibus, quibus detractio videtur excuſari.

27 PRIMVS eſt, ſi quis probo amico iniuriam, ſibi ab aliquo ſecretò illatam, narret ad leniendum dolorem; nimis enim durum eſt, & præter humanam conſuetudinem, vt quis iniurias ſolus ferat, nec poſſit eas amico communicare; hoc autem licet, non animo detrahendi, ſed vt leuius ferat. Ità Sylnius 2. 2. *quæſt. 62. art. 5. quæritur 15.* Baſſæus verb. Detractio 12. Leſſ. *lib. 2. cap. 11. dub. 12. num. 72.* Nauar. *lib. 1. cap. 4. num. 345.* Molina *tract. 4. diſp. 29. num. 5.* Layman *lib. 3. ſec. 3. tract. 4. parte 2. cap. 3.* Tanner. 2. 2. *diſp. 4. quæſt. 8. dub. 7. num. 145.* & alij Doctores communiter, quibus ſubſcribit Diana *Tom. 3. tract. 15. reſol. 32.* Sed amplius addit Ioan. de Crux, *in directorio, p. 8. quæſt. 2. art. 2. dub. 3. concl. 1.*

28 Dicens: Si perſona ſecretò grauiter iniuriata, non valens ſe à dolore, cohibere, in querimonias prorumpit publicas, non illicò de culpa mortali damnatur, ſi iniurians infametur; durum enim videtur, ſic afflictum animum cohibere, ne in querimonias prorumpat, cum hoc naturaliſſimum ſit. Ità ille, citans etiam Ludouicum Lopez. Hæc ſententia eſt D. Bonau. *in ſpeculo animæ, cap. 1.* circa medium, vbi ait: Multum tamen intereſt, vtrum procedat ex inuidia, quandoque enim contingit, mala aliorum facta ex indignatione quadam, vel leuitate loquendi, nec intentione diffamandi, malè contra aliquem recitari, vel etiam aggrauari, quod eſſet durum iudicare mortale.

SECVNDVS caſus eſt, quando aliquis narrat peccata alterius audita, & expreſsè aſſerit, ſe nihil certò ſcire, ſed ſolùm relata referre.

29 HVNC peccare mortaliter docent Sotus *de Iuſt. lib. 4. quæſt. 6. art. 3. ad 4. & in 4. diſp. 15. quæſt. 4.* Nauar. *cap. 18. num. 50.* Villalob. *ſum. tom. 2. tract. 11. dub. 36. num. 6.* Tanner. 2. 2. *diſp. 4. quæſt. 8. dub. 7. num. 139.* Malder. *tract. 7. cap. 1. dub. 17.* Syluius *quæſt. 61. art. 2. quæritur 16. concl. 3.* Turrianus *diſp. 52. dub. 10. num. 8.* & alij, quibus ſubſcribit Diana *Tom. 3. Tract. 5. reſol. 28.* Ratio eſt, quia is infamat; ſubſcribunt Syluest. *quæſt. 4.* D. Thom. 2. 2. *quæſt. 73. art. 4. in corpore.* Caiet. *ibi,* Leſſ. *lib. 2. cap. 9. de iniuriis in corpus, dub. 16. num. 113.*

30 MVLTI Recentes in caſu id verum eſſe aiunt, ſi referens ſit vir authoritatis, vt ei credatur, vel ex leuitate audientium. Sic Azor. *p. 4. l. 13. cap. 16.* Sotus *loco citato* Leſſ. *l. 2. cap. 11. dub. 5.* Salon. apud Tannerum, Layman. *l. 3. ſect. 5. tract. 3. p. 2. cap. 3. num. 7.* Ioan. de la Crux *in direct. art. 8. quæſt. 2. art. 1. dub. 3. concl. 4.* Dicunt tamen Leſſ. *loc. cit.* Nauar. *Man. cap. 17. num. 71.* non eſſe contra iuſtitiam, ſed contra charitatem, idque Baſſæus *n. 13.* probabilius cenſet cum Fagundez *num. 19.* quia hic non directè infamat, ſed per accidens.

31 NON tamen deſunt negantes, peccare mortaliter, & ita probabilem ſaltem opinionem oppoſitam tenentes, Tannerus *loc. cit.* Caiet. 2. 2. *quæſt. 33. art. 2. diſp. 2.* Sotus *in 4. diſp. 15. quæſt. 4. art. 1.* Syluest. *v. detractio, quæſt. 4. except. 5.* Armilla *v. reſtitutio, num. 4. except. 7.* Sà *verbo infamare,* poſt Gabrielem, Adrianum, & alios. Et ità hanc ſententiam docet Faber *in 4. de reſtit. diſp. 53. num. 29.* & probabilem cenſet Diana.

ADDIT Tannerus *num. 140.* cum Leſſio *dub. 5.* ſi quis ita referat, vt probabiliter putet, nullum crediturum, non eſſe mortale; at ſi aliquos putet credituros è leuitate mera, non eſſe contra Iuſtitiam, ſed charitatem.

32 SERAPHICVS, qui *in ſpeculo animæ, cap. 1. & 2.* refert modos omnes in Confeſſione excuſantes, hunc etiam apponit. Ideò arbitror, ipſum ſtare pro prima ſententia, quia, vt ipſe S. Doctor arguit, cùm damnificatur grauiter fama, ſatis eſt, ſi nulla ſit cauſa; ſi tamen hæc ex merâ loquacitate referantur, cenſet S. Doctor non eſſe mortale probabiliter. Quod ſi ex malitia ſit detractio, erit mortalis contra Iuſtitiam, imò hoc genus detrahendi eſt peſtilens, & magis coloratum ad infamandum. Ita Sotus præcipuè.

33 TERTIVS caſus, quem aduertit S. Doct. *in ſpeculo animæ, cap. 1. §. ſecundus ramus inuidiæ, &c.* eſt leuitas materiæ. Sic Leſſius *l. 2. cap. 11. dub. 3. num. 11.* addens, idem dicendum de reuelante defectus naturales, vt aliquem eſſe ignarum, parui iudicij, &c. Et Petrus Nauar. *l. 2. cap. 4. num. 307.* cum aliis idem cenſet dicendum in defectibus naturalium; vt ſi dicas, aliquem filium eſſe clerici, natum ex adulterio, & ſimilia; niſi tamen ſit perſona tunc qualificata; quæ grauiter deprimeretur, de qua etiam leuia dicere, eſt graue, vt eſſe mendacem. Subſcribit Diana *p. 1. tract. 5. reſol. 69.* Leſſius *num. 14.* Salonius 2. 2. *quæſt. 6. art. 3. dub. 3.* Fagundez *in octauum præceptum, l. 8. cap. 1.* ante *numerum quartum.* Tannerus *diſp. 4. quæſt. 8. num. 136.* Quo reducit etiam leuitatem animi, ſeu loquacitatem cum D. Thom. *quæſt. 73. art. 4.* intelligens ratione indeliberationis cum Valentia *quæſt. 17. puncto ſecundo.* Baſſæo, *v. Detractio 1. à num. 6.*

34 REGVLA generalis S. Bonau. *in ſpeculo, cap. 1. & 2.* refricatur; quoties ex detractione grauis amiſſio famæ

famæ ex ſe prouenit, eſſe mortale. Ità Fagundez *n.*4. Leſſ. *num.*15. Petrus Nauar. *l.*2. *de reſtit. cap.*4. *num.*307. Filliuc. *tract.*32. *de reſtit. cap.*9. *num.*230. Nauar. *Summa Lat. cap.*18. *num.*22.23.25.

SÆPE igitur venialia dicere, erit mortale: Sicuti è contra, mortalia dicere, non erit mortale reſpectu aliquarum perſonarum; vt ſi de aliquo iuuene dicas, inhoneſtos habere amores; de milite, occidiſſe, vel duellum commiſiſſe, aut decepiſſe puellam, vel ha-
35 bere concubinam. Ita Sotus *l.*4. *de Iuſtitia, quæſt.*6. *art.*3. §. *ſequitur in medio.* Et *l.*5. *quæſt.*10. *art.*2. *concl.*4. Leſſ. *l.*2. *cap.*11. *de detract. dub.*3. *num.*17. Lopez *p.*1. *Inſtruct. cap.*285. Tolet. *l.*5. *Summa, cap.*66. Caiet. 2.2. *quæſt.*73. Filliuc. *tomo* 2. *tract.*32. *cap.*9. *num.*231. Corduba *de detract. quæſt.*2. Fagundez *l.*8. *cap.*2. *num.*51.

IDEM dic, ſi nominibus generalibus detrahas, erit tantùm veniale; vt ſi dicas, eſſe ſuperbum, auarum, iracundum. Ita Leſſ. *l.*2. *cap.*11. *de detract. dub.* 3. *num.* 18. Syluester *v. detractio.* Filliuc. *t.*2. *tract.* 32. *cap.*9. *num.* 232. D. Antonin. 2. *p. tit.*8. *cap.*4 Nauar. *Summa, cap.* 18. *num.* 24. Fagundez *num.*6.

36 Ratio eſt, quia hæc plerumque recipiuntur pro defectu, non infamatorio, vel ſumuntur pro naturali inclinatione. Poteſt tamen eſſe, vt grauiter lædant. Ideò prudentiâ vtendum, vt diſcernatur, an grauiter infament, conſideratis perſonis, tum infamatis; tum audientibus; & ideò debent in his confeſſarij magnam prudentiam adhibere. Ita Tolet. *l.*5. *Summa, cap.*64 Nauar. *num.*25. Leſſ. allegatus, Caiet. *loc. cit.* Fagundez *num.*7.

37 CÆTERVM, ſi peccata aliorum referat otioſè illis, quos ſcit, non eſſe credituros, non peccabit, quæcumque illa ſint, Leſſ. *l.*2. *cap.*11. *dub.*5. *num.*24. Sotus *l.*4. *quæſt.*6. *art.*3. Nauar. *cap.*18. *num.*49. Ratio eſt, quia nulla inde ſequitur damnificatio. Idem ſentit D.Bonau. ſuprà; ſi tamen crimen eſſet atrox, vt Sodomiæ, hæreſis, proditio, & licèt non eſſent credituri, tamen aliquam eſſent ebibituri ſuſpicionem, erit lethale, ſi perſona ſit honeſta. Ratio eſt, quia cùm ſit in poſſeſſione pacifica optimæ famæ, reducitur ad dubium, & diſcrimen graue eam perdendi. Ita D.Bonau. *loc. cit.* D.Thom. *quæſt.*73. *art.*2. *in corpore*, Caietanus *ibi*, Sotus *l.*5. *quæſt.*10. *art.*1. Tolet. *l.*5. *Summa, cap.*63. Syluest. *v. detractio, num.*2, Leſſius allegatus, & Fagundez *num.*17.

QVÆRVNT adhuc de ſcribentibus Annales, & in his enarrantibus crimina aliorum occulta.

38 RESPONDET Fagundez *n.*25. eos non peccare mortali, ſi tamen non ex inuidia, vel odio ſcribant. Hæc eſt mens etiam D. Bonau. *loco* ſæpe *adducto in ſpeculo, cap.*1. Caueant tamen, ne alicui familiæ, & viuentibus notam aliquam inurant, quæ apud poſteros ſordeſcat. Ità aduertunt Sotus *l.*5. *de Iuſt. quæſt.*10. *art.*2. Malder. *tract.*7. *cap.*1. Molina ſuprà. Arrian. *quodl.*11. *quæſt.*1. Tannet. *diſp.*4. *quæſt.*8. *n.*143. Valentia *quæſt.*17. *p.*2. hæc enim non licent.

39 TANDEM ſunt aliqui Aſtrologi, qui falſa nonnullis imponunt, & hi grauiter peccant, vt notat Fagundez *num.*26. ſtultè enim aſſerunt ex motu aſtrorum, homines infamando. Quo fit, vt ſi Aſtrologus quæſitus, furem aliquem dixerit, legibus municipialibus puniatur; non poſſe tamen cum illo de iniuria agi, docet *Leg. Item apud* Labeonem, §. *ſi quis Aſtrologus.* Propterea etiam *Leg. Nemo Cod. de maleficio* cautum eſt, vt nemo Aruſpicem, aut Mathematicum conſulat, eò quòd impoſtores ſunt, & ideò in vltimas terras eiiciendi, vt docet Sotus *l.*5. *de virtute quæſt.* 10. *artic.* 2. qui tamen loquitur de Iudiciariis, qui à Pontificibus, Sixto V. & aliis, ſunt damnati.

HAS detractiones damnant Sacri Canones, *extra de ſortilegiis* ex pœnitentiali Theodoti, & Ale- 40
xandri III. Granden. Patriarchæ apud D.Bonauenturam *in Confeſſionali, cap.*3. *particulis* 37. & 38.

QVÆSTIO VII.

An liceat aliquando alterum de falſo infamare, aut occultum eius crimen aperire. 1

IAM varios modos, *quæſt.*1. diuiſos, oportet diſ- 41
cutere.

CERTISSIMVM eſt, nunquam licere crimen falſum alicui imponere; hoc enim eſt mortaliſſimum ex genere. Ità D.Bonau. *in ſpecula animæ, cap.*1.2. & 4. & *p.*1. *Centiloq. ſectione* 13. & *in* 3. *diſt.*28. *quæſt.*3. & *ſequenti*, & *ad cap.*10. *Eccleſ.* vbi vrget illud Scripturæ teſtimonia: *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Eccleſ.10. *Non maledices ſurdo*, iuxta expoſitionem D.Gregorij 2.p. Paſtoralis, cap.1. admonit.36. *Surdo quippe maledicere, eſt abſenti, & non audienti derogare.* Ratio reſricata à S. Doctore eſt, quia is iniquè aufert bonum melius diuitiis, iuxta id Prouerb.22. *Melius eſt nomen bonum, quàm theſauri multi.* Qua ratione vtun- 42
tur communiter. Hæc eſt detractio peſſima, vt clamant communiter Doctores cum D.Thom. *quæſt.*73. *art.*2. quos refert Saytus *l.*11. *cap.*3. *num.*7. & Fagundez *in octauum præceptum, l.*8. *cap.*3. Itaque neque ad vitandas torturas, ſiue ad quodcumque graue malum declinandum, licet, vt docent omnes Theologi cum D.Bonau. & D.Thom. atque Canoniſtæ *ad C. ſuper eo, de vſuris*, & *C. mihi*, 22. *quæſt.*11. Vide Fagundez *l.*8. *cap.*5.

QVÆRITVR verò: An liceat aliquando verum crimen alicuius detegere.

RESPONDET S.Doct. *in ſpecula animæ, cap.*1. 43
§. *ſecundus ramus inuidiæ*; poſſe, cùm laudatur indignus, & vltra merita, & ex hoc poteſt oriri aliqua deceptio; tunc non habet rationem peccati. Igitur, ſi aliquem occultè prauum, pernicioſum, qui poſſet decipere in perniciem, ſiue fidei, ſiue vitæ; vt Pharmacopolam, vel Medicum; ſiue conſcientiæ, vt Confeſſarium; ſiue cauſarum, vt Aduocatum, andiamus commendari, tunc licèt prauitates detegere; non tamen, ſi aliquis ſit hypocrita, & malus ſibi ſoli, vt ſi aliquis exterius pietatem fingat, & intus plenus ſit peccatis priuatis. Conſentiunt Doctores communiter, Filliuc. *tomo* 2. *tract.*40. *in octauum præceptum, cap.*4. *num.*107. Sotus *l.*5. *de Iuſt. quæſt.*10. 44
*art.*2. Leſſ. *t.*1. *l.*2. *cap.*11. *dub.*10. *num.*64. Petrus Nauar. *l.*2. *de reſtit. cap.*4. *num.*341. Corduba *quæſt.*2. *de detract. concl.*4. *ad* 2. Tolet. *l.*5. *ſumma, cap.*65. Fagundez *lib.*8. *cap.*3. *num.*3. Valentia *diſp.*5. *quæſt.*17. *punct.*2. *dub.*3. Salon. 2.2. *quæſt.*73. *art.*2. Saytus *l.*11. *cap.*6. *num.*18. & cæteri apud Tannerum *diſp.*4. *quæſt.*8. *n.*144. addens idem, cum ob officium, matrimonium, &c. inquiritur informatio debita, dummodò non ita enorme ſit damnum, vt ſit alterius potius ratio habenda. Subſcribit Baſſæus, *v. Detract.* à *num.*10.

HINC etiam fit, inquirentem de defectibus alterius, vt deceptiones euitet, non peccare, puta ſi ad matrimonium, ad Cathedram, &c. Ità monet Fagundez *loco citato.*

QVÆRIT

QVÆRAS secundò: An detegere peccata alicuius, infamati in aliquo delicto, sit peccatum.

RESPONDETVR, detegere alia peccata afferentia diuersam infamiam, esse mortale, vt, si aliquia sit publicè ebriosus, & deferas, esse furem. Ità Adrian. *quodl.* 11. *art.* 1. Nauarr. *Summa Lat. cap.* 18. *num.* 42. & alij apud Fagundez *num.* 9. & Tannerum *num.* 142. qui addunt, id verùm, etiamsi hoc delictum, quod proditur, sit minus, vt si de furto velles infamare homicidam. Hoc tamen exemplum indicat Maius quoad creditum. Sic & Bassæus *num.* 9.

46 QVÆRES tertiò: An de mortuo detrahere sit peccatum mortale.

RESPONDETVR, esse peccatum atrox. Ità communiter Petr. Nauar. *l.* 2. *de restit. cap.* 4. *à n.* 351. Angelus *in* 4 *quæst. de restit. honoris.* Malderus *de Iustitia t.* 7. *cap.* 1. *dub.* 8. Molina *disp.* 28. Fagundez *num.* 11.

QVÆRAS quartò: An de Religionibus detrahere sit specialis culpa.

47 RESPONDETVR primò, esse in fide periculosum his temporibus, propter hæreticos inhiantes carpendis Religionibus, maximè in castitate, quam inter nos confictam conclamant, existimantes, seu impiè proclamantes, vitam coniugalem esse meliorem, imò necessariam; alioqui concubitum iri cum aliis, vnde fœdum illud dictum spurcissimi Lutheri *l. de vita coniugali: si non vult vxor, veniat ancilla.* Cùm tamen, & Christus, & Apostolus vitam cælibem, ac virginalem, Dei auxilio seruabilem conclament. Et *Apoc.* 14. innumeros huiusmodi virgines contemplatus fuerit Ioannes, vt edisserit Fagundez *cap.* 3. *num.* 13. post D. Bonau. *in Diæta salutis, tit.* 10. ad finem: Vide Bassæum 7.

48 CONTRA hos sæpe strenuissimus Ecclesiæ Achilles Seraphicus noster pugnauit, vt videre est *in Libris Apologeticis contra magistrum Gulielmum, contra Magistrum innominatum in Apologia pauperum, & aliis locis.*

HOS Religionum hostes, & detractores, Euangelio perduelles (siquidem Christus Euangelica consilia Castitatis, obedientiæ, & Paupertatis edidit, hi autem vituperant) Ecclesiæ Aduersarios conclamat. Etenim Ecclesia Religiones approbauit, & veneratur; isti autem eas reprobant, & aspernantur.

REOS mortis, graui testimonio *Deuter.* 17. eos ostendit; Ibi enim præcipitur: *Si difficile, atque ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, &c. Venies ad sacerdotes Leuitici generis, & sequeris sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, vel sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis, morietur homo ille.*

49 Vnde arguit S. Doctor: Si vmbratico Pontifici grauiter resistere, aut reclamare definienti, vel decernenti, pœna capitis meritò imponebatur, quantò dignius indignissimis, detrahentibus Sacris, & Apostolicis sanctionibus Summi Pontificis, Dei in terris Vicarij, imponetur? Rebelles Ecclesiæ euersoresque proclamat S. Doctor huiusmodi detractores Religionum, quas Sancta Mater Ecclesia erexit, confirmauit, solidauit. Quâ enim fronte isti Dei inimici, pauperes spiritu voluntarios, quos beatos Christus *Matth.* 5: acclamat, hi nebulones proclament? Illos, qui propter regnum cælorum rectâ adeundum, seipsos spiritualiter præciderunt, & continentissimè viuunt, ac ab omnibus se abstinent, vt coronam immarcescibilem consequantur, à via salutis aberrantes latrant? Non vituperant coniugia, Virginitatis amatores (ait S. Bonau.) sed virginitatem præferunt cum Apostolo *prima Corinth.* Vide Sanctum Doctorem latè hac de re differentem.

MERITO igitur anathema fuit impositum his membris putridis, Religionum apprimè Sororum, S. Dominici, ac D. Francisci, detractoribus, teste Bartholomæo Medina *cap.* 14. *fol.* 184. Quæ excommunicatio Papæ est reseruata. Sed aduertunt Petrus Nauar. *l.* 2. *de restit. cap.* 4. *num.* 354. Syluest. *v. Excommunicatio*, 7. *excom.* 48. Saytus *l.* 4. *cap.* 4. *num.* 10. Graff. *l.* 2. *decisionum*, *cap.* 137. Nauar. *cap.* 27. *num.* 109. Fagundez *l.* 8. *cap.* 3. *num.* 14. excommunicationem non ferire detrahentes priuatim de Religionibus his, sed edentes libellos famosos, cantilenas, & rithmos in ordinum istorum infamiam. Et idem valet de aliis omnibus Religionibus mendicantibus per extensionem eiusdem priuilegij, vt patet ex quodam priuilegio Alexandri IV. quod incipit. *Ex alto*; & ex alio, quod incipit. *Non sine multa.* Illi autem tenentur palinodiam scripto decantare. 50

CONTEXENTES autem contra alias personas famosos libellos, primò peccant mortaliter, quia grauiter offendunt famam, & eo grauius, quo libelli diu permanent. 51

PRÆTEREA indicitur eis excommunicatio ferenda *C. quidam malign.* & *C. si qui inuenti*, *quæst.* 1. si libelli sint contra Ecclesiasticos, nam si sint contra sæculares, iure canonico tantùm virgis cædendi sunt, *C. qui in alterius*, 5. *quæst.* 1. quas pœnas innouarunt Pius V. in Bulla 147. & Gregorius XIII. in Bulla 7.

ITAQVE errat Salonius 2. 2. *quæst.* 72. *art.* 2. *controu.* 2. dicens, eos esse ipso facto excommunicatos. Sunt enim tantùm excommunicandi, vt aduertunt Saytus *l.* 4. *cap.* 4. *num.* 10. Nauar. *cap.* 18. *num.* 35. Syluester, *verbo libellus*, *num.* 5. Filliuc. *tract.* 40. *n.* 81. Fagundez *cap.* 2. *num.* 17. 52

ILLI verò, qui tales libellos inueniunt infamatorios, tenentur eos rescindere, alioqui, si dent aliis, cadent in easdem, cum conficientibus, pœnas.

NON dicent tamen libellum manifestare, qui vni tantum perlegit. Ita Bursatus *consil.* 99. *l.* 1. *num.* 17. Cephal. *consil.* 341. *l.* 3. *num.* 28. quia manifestum dicitur, quod pluribus innotescit, iuxta Bartol. *in Leg. hæres. palam* 21. *ff. de testamentis*, *num.* 2. 53

QVÆSTIO VIII.

An liceat crimen, notorium in vno loco, narrare in alio, vbi non est notum.

OPORTET supponere aliquos casus, in quibus non est adeò grauis de hac re difficultas.

SVPPONO primò, manifestare crimen alicuius etiam infamati, intentione mala grauiter nocendi, esse mortale contra charitatem. Ita communiter Doctores apud Fagundez *in octauum præceptum Decal. cap.* 4. *n.* 3. cum D. Bonau. *cap.* 1. *&* 4. *Speculi animæ*, vbi sæpe iniungit, malitiam consistere in intentione nocendi. 54

DICO secundò. Si aliquis infamatus olim, iam suam recuperauit famam, erit mortale eum iterum infamare renouando criminis memoriam. Ita communiter Doctores apud Fagundez *num.* 4. Tannerum *disp.* 4. *quæst.* 8. *n.* 143. etsi Less. *l.* 2. *cap.* 11. *dub.* 13. dicat, esse solùm contra charitatem.

DICO tertiò. Si aliquis in vno loco est infamatus, nec famam resarcivit, non esse mortale narrare eius crimen in alio loco, quo fama est breui perferenda. Ità Tanner. *disput.* 4. *quæstione* 8. *num.* 142. Fagundez *numer.* 9. adducentes Malderum *de Iust. tract.* 7. *cap.* 1. *dub.* 6. Toletum *l.* 5. *cap.* 63. Petrum 55

Nauarrum *lib.2.cap.4.num* 295. Lessium *lib.2. cap.*11. *de detract. dub.*18. *num.*78. Aragonium, Bannem, Valentiam; & alios, infra afferendos, asserentes, non esse mortale referre etiam in loco alieno, quò fama non erat perferenda. Idem dicunt Tannerus, & multi apud eum; si quis sententiam Iudicis vulget in loco etiam remotissimo, non esse peccatum. Sed de hoc est grandis quæstio.

56 PRIMA opinio est, esse peccatum mortale, saltem contra Charitatem, narrare aliquod crimen in loco, quo nunquam esset fama peruentura. In hac sententia sunt communiter Doctores apud Dianam *part.*3. *tract.*5. *resol.*17. Lessius *lib.*2. *cap.*11. *dub.*13. *num.*28. Sotus *lib.*5. *quæst.*10. *art.*2. Villalobo *tomo* 2. *tract.*11. *diffic.*36. *num* 13. Faber *in* 4. *disp.*53. *n.*130. Salon 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *controu.* 18. Nauar. *lib.*2. *cap.*4 *num.*288. Sayrus *lib.*11. *cap.*9. *n.*25. Malder. 2. 2. *tract.*7. *cap.*1. *dub.*6. Adrianus *quodl.*11. & alij plurimi apud allegatos cum Toleto *lib.*5. *c.*65. Tannero *disp.*4. *quæst.*8. *num.*142. Bassæo V. *Detractio*, 1. *num.*10.

57 SECVNDA sententia negat esse mortale. Ità Fagundez *in octauum præceptum decal*, *lib.* 8. *cap.* 4. *à num.*11. (locum malè allegat Diana.) Idem sentiunt Caietanus, *tom.* 2. *opusc.*31. *respons.*9. Nauar. *summa*, *cap.* 18. *num.* 26. Maior *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. Azor *part.*3. *lib.* 13. *dub.*8. Filliucius *tom.*2. *tract.*32. *cap.*9. *num.*235. Diana *loc. cit.* & probabilem existimat Noogus 3. *part. tract.*1. *quæst* 80. *art.*6. *diffic.*3.

RATIO est, quia quando crimina sunt notoria, authores illorum ius ad famam amisêre; & si ex iudicis sententia famam amisêre, est pœna, vt supponitur, iusta, inflicta à iudicibus, qui id intendunt, vt ab omnibus sciatur.

58 ENIM verò si delictum in aliqua domo fuerit patratum, non licebit tuba canere per vicos, & plateas, & id erit mortale contra iustitiam, Sotus *lib.*5. *de Iust. quæst.*10. *art.*2. Malber. *de iust. tract.*7. *cap.*1. Fagundez *num.*10.

59 RATIO est, quia is non est iure priuatus, etiamsi rumor aliquis erupisset; & sanè ampla aperiretur via detractionibus.

QVÆSTIO IX.

An liceat crimen occultum alicuius ad vitanda tormenta aperire.

60 SVPPONO, reuelatum in confessione nunquam posse dici, etiam imminente alicui morte.

SECRETA verò crimina in publicam perniciem mihi secretò reuelata extra confessionem, possum dicere Iudici, absque periculo etiam irregularitatis, ob mortem alicuius secuturam, modo protester, me denunciare ad mala cauenda sine sanguinis effusione. Ità Doctores multi apud Fagundez *lib.* 8. *cap.*5. *num.*5.

61 IN quæstione autem proposita, communiter asserunt, posse reuelari crimen, extra confessionem cognitum secretò, si graue damnum proximo innocenti immineat, præmissâ tamen fraternâ correptione, si illa profutura speratur. Ità D.Thom. 2. 2. *q.*70. *art.*1. *ad* 2. & alij multi apud Fagundez *cap.*6. *num.*7. Bassæum, V. *Reus. num.*8.

DEINDE dicunt, licere ad vitanda tormenta, & alia grauia mala, dicere peccatum occultum auditum, etiamsi mors patratoris sequatur. Ità Lessius *lib.*2. *cap.*11. *de detract. dub.*8. *à num.* 54. Fagundez *num.*9. & indicat Tanner *num.* 149. cum aliis.

MONET verò primò, cauendum ne includantur secreta Principum, quorum reuelatio grauia inducit mala: Ità cum multis aduertit.

ADDIT secundò, aliàs secretum priuatum non 62
reuelandum, si vi, & fraude acceptum sit. Idem docent Sotus *lib.*5. *quæst.*10. *art.*2. Sayrus *lib.*11. *c.*3. Nauar. *summa Lat. cap.*18. *num.*54. Cæterum reuelare secretum sine causa, esse mortale docet S. Doctor *in speculo animæ*, *cap. primo*, §. *Machinatio*, in fine.

DISPVTANT hìc de apertione litterarum.

RESPONDENT, aperire litteras, absque graui causa, puta probabilis opinionis, in eis strui sibi insidias, esse mortale, si probabiliter graue negotium eas continere agnoscas; non autem si litteras ordinarias ex leuitate aperias. Vide Fagundez *cap.* 9. in fine.

EGO equidem æstimo, rem esse grauissimam litte- 63
rarum apertionem, quippe destruitur confidentia humani commercij inter absentes, pax Reipublicæ perturbatur, excitantur inimicitiæ. Et cum semper præsumendum sit, litteras propter grauiores causas mitti, non nisi temerè aperiantur.

QVÆSTIO X.

An possit aliquis se ipsum infamare.

PRIMA opinio est, esse mortiferum seipsum sine 64
causa infamare. Ità Caietanus 2. 2. *quæst.*73. *art.*2. & *in summa*, *v. Detractio* D. Antonin. 3. *part. tit.*8. *cap.*4. §.1. Angel. V. *detractio*, §. *vlt.* Syluest. *num.* 4. qui duo excusant, quando fit metu mortis, Valentia verò *disp. cit. quæst.*17. *puncto* 2. ait, esse contra Charitatem, quod putat probabile etiam Malderus *tract.*7. *cap.*1. *dub.*10. Torrianus verò 2. 2. *Tom.*2. *disput.*54. *num.* 11. dicit, esse mortale contra magnanimitatem. Tannerus etiam *disp.*4. *quæst.*8. *num.* 148. & alij apud eum.

SECVNDA sententia est, infamare præcisè se ip- 65
sum non esse mortale. Ità D.Thom. 2. 2. *quæst.*57. *art.*4. & *quæst.*58. *art.*2. Couar. *lib.* 1. *var. cap.*2. Toletan. *lib* 2. *de restit. cap.*4. *part.*2. *lib.* 1. *num.*113. & *part.*3. *disp.*1. *num.*366. Molina *tract.*4. *disp.*37. Lessius *lib.*2. *cap.*11. *disp.*6. Malder. *tract.*7. *cap.*1. *disp.*10. Sayrus *lib.*11. *cap.*3. *num.*33. Filliucius *tom.*2. *tract.*40. *cap.*4. *n.*113. Tolet. *lib.*5. *cap.*66. Sotus *lib.*5. *quæst.*10. *art.*2. Nauar. *sum. cap.*18. Adrian. *in* 4. *de restit. fama*, *q.*35. Fagundez *in* 8. *præceptum*, *lib.*8. *cap.*8.

SERAPHICVS Doctor videtur mihi constans pro prima sententia, *lib.*4. *Pharetra*, *cap.*47. vbi necessitatem bonæ famæ ex Patribus ostendit.

D. GREGORIVS in Registro, lib.7. ind. 2. 66
cap.2. ait: *Quidquid grauare potest, aut opinionem tuam, aut animam, omninò refugias, & te committere illud, nullius suasione, consentias.* Idem lib.26. moral. cap.23. *Laus sua iustos cruciat, iniquos exaltat: sed iustos dum cruciat, purgat.*

S. AVGVSTINVS de moribus, & vita clerici serm.53. *Nos adiuuante Domino Deo nostro, & vitam nostram, & famam sic custodire debemus, vt non erubescant detractoribus laudatores.* Et de bono viduitatis, cap.22. *In omnibus spiritualibus deliciis, quibus fruuntur innuptæ, sancta earum conuersatio cauta etiam debet esse, ne fortè cum mala vita non sit per lasciuiam, mala sit fama per negligentiam.*

Et paulò post: *Nobis est necessaria vita nostra; aliis fama nostra, & vtique quod aliis ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoque redundat vtilitatem.*

VIDEATVR

VIDEATVR etiam relatus in C. Noli, 12. quæst. 1. *Qui confidens conscientia, negligit famam, crudelis est.* Et l. 1. de ciuit. cap. 20. *Non minus reus est, qui de seipso falsum crimen fatetur, quam si de proximo.*

D. HIERONYMVS epist. 2. ad Nepotianum: *Caueto omnes suspiciones, & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante deuita.* Et epist 11. ad Ageruch. *Fuge personas, in quibus potest mala conuersationis esse suspicio: nec paratum habeas illud de triuio. Sufficit mihi conscientia mea: non curo, quid de me loquantur homines. Et certè Apostolus prouidebat bona, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus, ne per illum nomen Dei blasphemaretur in gentibus.*

68 ET epist. 9. ad Saluian. *Tenera res in fœminis fama pudicitiæ, est quasi flos pulcherrimus, citò ad leuem marcescit auram, leuique flatu corrumpitur.*

D. BERNARDVS serm. 46. in Cant. *Validos, & constantes necesse est esse eos, qui super alios ordinantur, qui & bonum fidei suæ, & conuersationis vbique odorem spargentes, dicere cum Apostolo possint: Christi bonus odor sumus Deo in omni loco.*

ET sermone 71. *Erit quidem virtus contexta candore conscientiæ, vbi sequi non poterit odor famæ, nec excusare sufficiet vitium conscientiæ decoloris, prouidebit tamen semper, quantum in se est, homo virtutis bonæ, non tantùm coram Deo, sed coram hominibus.*

69 Et de consider. l. 3. *Interest tuæ perfectionis, & malas res, & malas pariter species deuitare: in altero conscientiæ; in altero famæ consulis. Esto fortis in fide, decorus in gloria, & probasti te imitatorem Dei. Fortitudo tua fides conscientiæ est: Et decor tuus splendor bonæ opinionis est.* Hæc D. Bernardus.

NEQVE verò sunt hæ simplices admonitiones, vt putat Fagundez *num.* 4. sed præcepta ad mala grauia cauenda. Sanè hinc datur occasio scandali aperitur via peccatis, dum vir bonæ famæ turpissimè labi auditur; ab eo autem, quod plerumque sequitur sumendæ sunt regulæ. Plerumque etiam necessaria est fama, vt in Patrefamilias, Domino, Pastore, &c. plerumque redundat in alios, vt in familiam. Ideò multas coguntur aduersarij dare exceptiones.

70 OBIICIVNT. Vnusquisque est Dominus propriæ famæ, sicuti & suarum opum.

RESPONDETVR cum D. Bonauent. *in speculo animæ, cap.* 1. negando paritatem; nam, vt dicitur *Prouerb.* 22. fama est ordinis superioris.

OBIICIVNT secundò id *Matth.* 23. vbi iubemur non appetere prima loca.

RESPONDEO; Diuersum esse non appetere prima loca, & se infamare, vt ex authoritatibus allatis deducit S. Doctor.

71 QVÆRVNT hic: An ad vitandas torturas possit aliquis confiteri graue crimen falsum, nobis impositum, quod vellent tormentis extorquere.

MVLTI multa dicunt apud Fagundez *l.* 8. *cap.* 9. & Tannerum *num.* 149.

PRIMÒ dico, non posse sibi crimen falsum imponere, Caiet. 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 2. Armill. & Syluest. *v. detract. num.* 4. D. Antonin. 3. *p. tit.* 8. *cap.* 4.

72 §. 1. Valentia *disp.* 5. *quæst.* 17. *punct.* 2. Idem censent, qui docent, teneri eum, qui sibi crimen falsum imposuit, in loco supplicij retractare. Ità Abbas *in cap. ex parte* 2. *num.* 2. *de sepulturis.* Felin. *C. causam, num* 7. Archid. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 21. §. 3. Socin. *in repetit. C. Ad audientiam,* Sanchez *Tom.* 1. *Decal. l.* 3. *cap.* 7. *num.* 12.

PROBATVR, quia nullus est Dominus suæ vitæ.

QVARE mihi non probatur opinio Fagundez

num. 2. qui alios *num.* 9. Doctores allegat; neque Tanneri, qui citat Valentiam, Sotum, Nauarrum, & Lessium pro sententia opposita, cui subscribit tenens, posse sibi falsum infamans imponere.

QVÆRIT etiam *cap.* 10. Vtrum in dispensationibus, quæ petuntur à Summo Pontifice, teneatur quis se infamare, manifestando copulam occultam cum affine, vel consanguinea. 73

RESPONDET, nullibi in iure haberi præceptum explicandi talem copulam, seque infamandi; sed probabilius est, teneri decreto Congregationis Eminentiss. Cardin. super Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 5. & iste est Romanæ curiæ stylus; stylus enim curiæ facit legem, *C. in causis, C. ex litteris de constit.* & *C. quam graui de crimine falsi.* Et pro hoc plures refert Doctores Mascard. *vol.* 3. *de probat. consil.* 1312. *num.* 22. 74



DISPVTATIO XXXV.

De Susurratione, Irrisione, & Maledictione.



CONTVMELIÆ, & Detractioni, de quibus dictum est, affines sunt Susurratio, Irrisio, & Maledictio; Charitati hæ omnes sunt infensissimæ; & Proximo non mediocre damnum inferunt; dum vel prima eum ab amico cogit discedere; vel secunda pudore suffundit; vel tertia denique malum ei imprecatur. Has tres totidem quæstionibus absoluam.



QVÆSTIO I.

De Susurrationis malitia.

{ D. Bonau. variis in locis opusculorum.

SVSVRRO dicitur etiam bilinguis, quippe qui proximos vtrinque susurrationibus, quasi duabus linguis subuertat: De hoc Eccles. 28. *Susurro, & bilinguis maledictus; multos enim turbabit, pacem habentes.*

SVSVRRATIO est occulta obloquutio contra proximum, qua possit oriri discordia inter amicos. Ita sumitur ex D. Thom. *art.* 1. Valentia *disput.* 5. *quæst.* 18. Sotus *l.* 5. *de Iust. quæst.* 11. *art.* 1. Sayrus *l.* 12. *cap.* 5. Filliuc. *Tomo* 2. *tract.* 40. *cap.* 5. *num.* 135. Fagundez *l.* 8. *cap.* 12. Optimè S. Doct. *in Opusc. explicatio terminorum Theologiæ.* penetrat formale detractionis susurratoriæ, sic eam definiens: *Susurratio est voluntas loquendi, seminans discordias inter fratres.*

ESSE autem peccatum mortale formalem Susurrationem probat S. Doctor *in speculo animæ, cap.* 2. §. *Machinatio* ad finem, ex illo Prouerb. 6. *Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius. Qui seminat discordias inter fratres.*

ESSE autem peiorem furto, detractione, & contumelia, probatur à Tannero *disp.* 4. *quæst.* 8. *num.* 152.

es D. Bonau. *ferm.10. de Apostolis*, & D. Thom. *quæst.74. art.1.* ex illo Eccles.6. *Amico fideli nulla est comparatio, nec auri digna ponderatio, nec argenti, quæ possit resistere contra bonitatem fidei illius.* Hinc eruitur argumentum. Tantò peius est peccatum, quantò maius aufert bonum: Sed susurratio tollit maius bonum, quàm furtum, detractio, vel contumelia: Ergo. Minor probatur, nam tollit amicitiam pretiosissimum bonum super diuitias, famam, & honorem: Ergo & vitium amicitiæ destructiuum, est pessimum. Pro-
4 batur secundò Minor à D.Bonau. *ferm.9. de Sanctis Apostolis* Id semper est melius, quod meliori similius ex Aristotele 3. *Top. cap.2. loco 32.* & *l.2. de cælo text.66.* Sed amicitia Christiana facit similem Deo, modo exquisito; vnde Ioan.15. *In hoc cognoscent quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.*

5 PROBATVR tertiò Minor à D.Bonau. *ibi.* Finis est nobilior his, quæ ad finem; sed Charitas est finis vitæ humanæ: Ergo nobilior famâ, honore, & diuitiis, quæ sunt media tantùm. Id confirmat S. Doctor aggregatis Scripturis, Rom.13. *Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis; Plenitudo ergo legis est dilectio.* Psalm.81. *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi.* D.Ioannes semper instabat: *Filioli diligite alterutrum, & si hoc fiat, sufficit.* Præclara multa addit etiam serm. de Sanctis Philippo, & Iacobo. Eadem refricat ad id Lucæ 11. *Quis habet amicum.*

6 SARMONE primo de S. Bartholomæo, affert dictum Tullij in Lelio *de amicitia*, & Valerij maximi *l.4. cap.7.* dicentium, amicitiam propinquitati præferri, & concludit Tullius: *Omnibus rebus humanis amicitia præferenda.*

Vide S. Doctorem etiam *collatione 18. in cap.3. Ioannis.*

7 IDIPSVM ostendit *ad 16. Lucæ* in ea verba: *Scio quid faciam*, vbi Villicus amicos diuitiis præferebat, quia amicus est lux vitæ, est thesaurus. Eccl.6. è contra inimicitia similis est tenebris, & morti prima Ioan.2. *Qui odit fratrem suum, in tenebris est.* Igitur, qui rumpit amicitiam, & inuehit inimicitiam, est pessimus. Ideò Eccles.29. *Perde pecuniam propter amicum.*

HOC peccatum est contra iustitiam, saltem si dolo, fraude, mendaciis, vel reuelatione occultorum contrahatur: Ratio est, quia habet quisque ius ad hoc bonum, quod cæteris est præferendum. Ità Fagundez *cap.12.* Filliuc. *tract.40. cap.5. num.137.*

8 QVÆRES: An liceat insusurrare Principi, vel Prælato, vt succedam ei in amicitiam loco alterius, de quo detrahat.

RESPONDETVR, non posse fieri. Ita Sotus *l.5. quæst.11. art.1.* Salon. 2.2. *quæst.74. art.1.* Sayrus *l.11. cap.5. à num.5.* Fagundez *l.8. cap.12. num.6.*

RATIO est, quia bonum proprium non est ratio sufficiens, vt priuem alium suo iure; alioqui liceret furari. Deinde est contra naturale præceptum, vt non faciamus alteri quod nobis fieri noluimus.

9 QVÆRES: an qui volentem resignare beneficium, vel legare bona alicui, & dissuadet, vt sibi ea bona consignet, sit Susurro.

10 RESPONDETVR, si non proclamat indignum, & solùm hortatur; non peccare secundùm Fagundez, quia ille nondum habet ius ad ea bona.

QVÆSTIO II.

De malitia Irrisionis.

{ D.Thom. quæst.75.

IRRISIO est vitium linguæ, quod tendit ad pro- 11
ximi erubescentiam, & per consequens proximum pace, ac serenitate conscientiæ priuat. Ità D.Thom. *art.1.* Caiet. & communiter Thomistæ, aliique interpretes: D. Bonauentura *l.3. Pharetra cap.3. §. de derisione*, vbi lepidam D.Gregorij *l.25. Moral.cap.8.* sententiam affert: *Timendum est, ne etiam nobis cadentibus surgat, qui à nobis stantibus irridetur, quamuis stare iam non nouerit, qui non stantem nouerit irridere.* Vbi videtur indicare, esse peccatum mortale grauiter deridêre.

ID probat in Bibliis pauperum *cap.70.* ex puni- 12
tionibus. Sic enim *Iudic.8* Viri Sochot deridebant Gedeonem, & dura morte damnati sunt. Michol 2. *Reg.6.* quia derisit Dauidem sterilis à Deo facta est. Pueri, qui deriserunt Eliseum 4.*Reg.2.* iussu Dei fuerunt ab Vrsis lacerati.

ADMONET autem S. Doctor *in specula animæ,* 13
cap.1. §. secundus ramus superbiæ, & *cap.4. §. ex contemptu proximi* derisiones, ironias, & subsannationes plerumque oriri è superbia, & contemptu, esseque mortalia contra charitatem; secluso verò contemptu, non erit mortale, quia irrisio opponit defectus ad modum leuium, vt rubore suffundat. Ita etiam D. Thom *art.2.* vbi Caietanus, Sotus *l.5. quæst.11. art.1.* Filliuc. *Tract.40. cap.5. num.143.* Valentia *quæst.18. p.2.* Sayrus *l.12. cap.5.* Fagundez *l.8. cap.12. num.11.* Tanner. *disp.4. quæst.8. num 159.*

SI tamen putes, grauissimè commouendum, erit mortale, ità Sotus *loc. cit. art.2. concl.2.* Filliuc. *loc. cit. D.Thom.* cum Caietano, & alij suprà.

ITIDEM, Si quis ironia, vel irrisione stultum 14
notaret, tunc grauius peccaret, quàm si contumeliam seriò iaceret. Ratio est, quia addit contemptum, vt arguit D.Thomas.

MONET autem D.Bonau. *cap.1. speculi, loc.cit.* subsannationem esse gestu; irrisionem autem voce. Ita etiam Tannerus cum D.Thom. *quæst.75. art.1.*

GRAVE autem peccatum est Parentum irrisio, vnde *Genes.7.* maledictus est Chanaan, vt notant D.Thom. Caietanus, & Sotus. Ideò Prouerb.30. *Oculum qui subsannat Patrem, & despicit partum matris suæ, effodiant Corui de torrentibus, & comedant eum filij Aquilæ.*

ADDVNT Tanner. *in 4.* & Valentia, aliquando 15
non esse peccatum, si fiat ad correptionem, vel ob recreationem conuenientem, sed diligentem cautionem iniungunt.

QVÆSTIO III.

De Maledictionibus,

{ D.Bonau. in Declar. Term. Theologiæ.
D.Thom quæst.76.art.1.

MALEDICTIO definitur à D.Bonauent. in Declara- 16
torio Terminorum Theologiæ: *Maledicere est alicui plagas, vel pœnas, verbo optatiuo imprecari.* Ita etiam D.Thom.

D.Thom. *art.1.* Filliuc. *Tract.40. cap.5. num.146.* Fagundez *l.8. cap.12. num.18.* & alij apud eum, qui definiunt maledictionem: *Imprecationem mali, sub ratione mali*, & addunt, posse fieri maledictionem, vel imperatiuè, vel optatiuè: Sed non video, quod imperium proprium exercère queant, nisi iubeant occidi, vel percuti, quod non est maledicere.

DICVNT autem, addi in definitione esse imprecationem mali, sub ratione mali, quia potest aliquis imprecari malum, sub ratione boni; vt quod aliquis pro delicto iustè puniatur.

17 ADDVNT etiam, maledicere ore tantùm, esse tantùm materialem maledictionem, sicuti solent Patres, qui ideò grauiter non peccant. Sic apud Bassæum, *v. maledictio.*

SVPPONO hic, si ex iustitia imprecemur malum, non esse peccatum. Sic enim Noë *Genes.9.* maledixit Nepoti, Genes.27. Isaac. *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus.* Genes.49. Iacob Simeoni, & Leuì *Maledictus furor eorum.* Deuter. 27. multas congerit Moyses maledictiones contra peccatores. Iosue maledictionem imprecatus est eis, qui Hierico reædificarent *cap.6.4. Reg.2.* Elisæus maledixit pueris irrisoribus.

18 PROBATVR id à D. Bonau. *loc. cit. Pharetra*, ex Patribus, D. Gregorij *l.4.* Moral. cap.6. *Aliter maledictum profertur prætextu iustitiæ: aliter liuore vindictæ: Cùm sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto vltionis, sed ex iustitia examinis erumpunt.* Ideò monet filios Gregorius de Valentia *loco citando*, vt timeant parentum maledictiones, cùm iustæ sunt; sine causa autem maledicentes, grauissime peccant.

19 CÆTERVM maledictio est peccatum ex genere suo mortale.

PROBATVR à D.Bonau. primò *in speculo animæ, cap.1.* § *Item folium discordiæ*, & *l.3. Pharetra, cap.3.* §.11. iuxta expositionem SS. August. *de conflictu vitiorum, cap.9.* & Gregorij *l.3. dialog. cap.15.* ex illa prima ad Corinth.6. *Neque maledici regnum Dei possidebunt.*

20 PROBATVR secundò à D. Bonau. *in Pharetra* ex Patribus, è D. Gregorio l.22. Mor. cap.6. *Qui maledictionibus inimicum impetunt, quid aliud in illo Deum facere volunt, nisi, quod ipsi aut facere nequeunt, aut erubescunt?* & in Registro *lib.2. indice 10. cap.34.* apud quendam Archiepiscopum: *Nil te ostendis de cælestibus cogitare, sed terrenam te cogitationem habere significas: dum pro vindicta propria iniuria, quod Sacris regulis prohibetur, maledictum anathematis innexisti.* Et *lib.3. Dial. cap.15.* ad ea verba Apostoli: *Neque maledici regnum Dei possidebunt. Pensa quàm grauis est culpa, quæ separat à regno cælestis vitæ.*

21 D. AVGVST. lib. de conflictu vitiorum, & virtutum, cap.9. *Quid de illis dicendum est, qui furore cæcitatis, vsque ad verba prorumpunt maledictionis, nisi hoc quod Apostolus ait: Neque maledici regnum Dei possidebunt?*

ET in Prouerb.26. *Maledictum frustra prolatum in quempiam deuoluetur*, vbi habet Interlinearis: *In proferentem.*

CONTINGIT tamen (ait S. Doct. suprà) verbum maledictionis esse veniale, vel propter paruitatem mali optati, vel quia ludo, vel subreptione, vel Zelo iustitiæ, vel non malo affectu verba dicuntur. Et hoc modo D. Augustinus *sermone 41. de Sanctis* indicat esse veniales.

DVBITANT aliqui: An liceat imprecari ali- 22
cui malum ad rectum finem, idest ægritudinem peccanti, vt resipiscat.

QVIDAM negant, quia quod non licet facere, non licet desiderare.

VERIOR sententia est assertiua. Ita D.Thom. *quæst.76. art.7.* Sotus *l.5. quæst.12. art.1.* Filliuc. *tomo 2. tract.40. cap.5. numer.149.* Fagundez *lib.8. cap.22. num.21.* Ratio est, quia finis est potior, & ideò optatur ei bonum, dum optatur aliqua pœnalitas, ad finem bonum ordinata. Et quod licet desiderare, licet precari, vt ait Bass.4. *&* Sanci. *sel. disp.2. & 6.*

QVÆRVNT tandem: An liceat maledicere creaturis irrationalibus.

RESPONDET vniuersaliter S.Bonau. *ad Psal.39.* 23
non licere his maledicere. Probat Rom.12. *Benedicite, & nolite maledicere:* Et ex illo *prima Corinth.6.* suprà allato.

OBIICIVNT, Dauidem maledixisse montibus Gelboe 2. *Reg.1.*

RESPONDETVR cum D. Bonau. *de gradibus virtutum, cap.16.* Dauidem plorasse ruinam Israël, & potius maledixisse infortunio virorum. Ità etiam D.Thomas *quæst.76. articulo secundo.*

OBIICIVNT secundò, Iobum maledixisse diei suæ natiuitatis, & conceptionis nocti.

RESPONDET D. Bonauent. *in speculo Beatæ* 24
Virginis, lectione vndecima, Iobum maledixisse, nocti suæ conceptionis, non vt erat dies, vel nox, sed vt maculatus in ea est peccato originis. Sic respondet etiam Fagundez *lib.8. cap.13. numero 24.*

RESPONDET Gregorius de Valentia *quæst.19. p.2.* maledictiones rerum, quæ leguntur in Scriptura, non posse referri ad eas res, quæ non sunt capaces mali in ordine ad liberam consecutionem finis superni, sed solùm ad homines ipsos, vt Id *Iob.3.* & *secundo Reg. primo* citatis. Matth.21. *Nunquam ex te fructus nascatur*, Genes. 3. *Maledicta terra in opere tuo.*

MALEDICTIONES ergo in creaturas irra- 25
tionales, vt à rusticis fit, esse verba otiosa ait Tannerus *numero 157.* maledicere autem eis, vt sunt creaturæ Dei, esse blasphemum; sicut etiam maledicere Sanctis, prout in eis Deus habitat. Maledicere verò illis, vt sunt res alicuius, est idem peccatum, ac maledicere ipsis Dominis: Sic & Bassæus *num.5.*

RVRSVS maledicere creaturis, vt sunt relati- 26
uæ ad bona humana, puta maledicere diei, quo quis natus est, quia optas, ne natus esset, veluti ad malum natus esset, est peccatum mortale; maledicere verò illis, vt referuntur ad mala, puta diei natiuitatis, ob mala hinc secuta, modo tamen absoluta voluntate Dei ordinationi non repugnetur, non esse peccatum ait Tanner. *numero 158.* & ita Iob diei suæ *capite 3.* maledixisse, & Dauidem montibus Gelboe 2. *Regum 1.* vt docet etiam D. Thom. *quæstione 76. artic.2.* Caietanus, *verbo maledictum.*

PORRO maledictum non ad vnum peccati ge- 27
nus pertinet; nam si quis alteri malum vià non iniustà, sed per Deum, vel elementa, seu alias creaturas citra iniustitiam inferendum optet, spectabit ad ordinem, & opponetur charitati, vt indicat S. Thom. *quæst.76. art.3.* Si verò huiusmodi mala iniustè inferenda optet, puta homicidio, &c. tunc iustitiæ aduersabitur. Vide Tannerum *numer.159.*

28 Aovnт aliqui hic de Suſpicione, & Iudicio temetario, de quibus egimus nos *diſput*. 23. *quæſt*.9. quare nihil de his ia.o occurrit dicendum, præterquàm, quod in eo Doctores aſſignant regulam diſcernendı vnum ab altero, dum eâ certitudine ac Iudicij firmitate malum de proximo ob leues coniecturas ıudıcas, vt ſi publica interrogatione à te aliquis id ſciſcitaretur, idem affirmares.

Acit addunt, quòd etiam id iuramento confirmare non timeres: & tunc quidem graue eſt Pec-
29 catum contra proximi dilectionem, qui ſemper ſtat io poſſeſſiona ſuæ probitatis, donec eam tam aperta proſtitutione perdat, vt nulla tergiuerſatione eam valeat ſuſtinere: Hoc intellige tamen de eo proximo, qui adeò integræ eſt famæ, vt communiter talis reputetur. Nam indicare de milite, qui ſoler ioter poeula verſari, quod ebrius ſit, dum è Caupona flagranti vultu egreditur; non erit peccatum adeò graue, etſi reuera temulentus non ſit.

Si vero Iudicium ab hac aſſerendi firmitate deſci- 30
ſcat; tunc erit ſuſpicio tantùm, qoæ vt plorimum venialis eſt, niſi contingat circa perſonam valde honorabilem; vt ſi de vito aliquo notæ ſanctitatis furtum, vel adulterium ſuſpiceres, co quod è domo, vbi hæc patrata ſunt, ipſum videris egredientem; tunc enim ob leuem cooiecturam; grauem ei infers iniuriam;
ſolent Doctores ſemper interponere: *Ob leues coniectu-* 31
ras; nam ſi de qoouis eâ rationis euidentia iudicium ferres, vt nulla in contrarium defenſio ſuppeteret; tunc oon temerè iudicatur, nec cooſequenter peccatur: Cum tamen à deprauato aliquo affectu, vel paſſione iſtiuſmodi iudicia ſoleant erumpere; cauendum eſt obnixè, ne quis ſibi ioter iudicandum nimis indulgeat.



TRACTATVS



TRACTATVS DE CONTRACTIBVS.

PROOEMIVM.



NICVM est perfectionis vinculum, quo fideles, inter se colligati, Deo vniuntur; plures autem sunt nexus, & nodi, quibus quoad temporale emolumentum homines non tam sibi mutuò obligantur quàm inter se litigiis implicantur, & hi sunt contractus: De priori, quippe Charitatis contractu, fusissimè tractauit Seraphicus Bonauentura, nec aliud ferè omnia eius opera redolent: De posterioribus quidem paucula (fateor) contexuit. Cùm enim adhuc Iuuenis ob senilem animi sapientiam fuerit Religionis clauo præpositus, cui decem & octo annos sollicitus assederat, mox inter eminentissimos Cardinales conscriptus, ad Episcopatum Albanensem assumptus, & in summi Pontificis coadiutorem ascitus, variisque distentus curiis ad annum quinquagessimum, quo, absoluto Lugdunensi Concilio, cui præfuit, obiit, postquam celebrem illam Latinorum, & Græcorum vnionem contraxerit; vltrà tempus non suppetebat, quod elucidandis plenè sæculi contractibus impenderet: mirum sanè, quomodò inter tot rerum, & temporum Angustias, tam egregia volumina, quibus Diuina, simul & humana mirificè describuntur, absoluerit: Hinc ego ab hac materia breuiùs me expediam, nihil tamen præmittens, quod vel ad contractuum essentiam, spectet, vel conscientiæ obligationem in tam difficili re respiciat: Cæterùm pro fusiori tractatu cuiquè præ manibus sunt Bonacinæ, Azorij, aliorumque immensa ferè opera, qui, quicquid contractibus interuenire queat, dillucidè promere satagunt. Inprimis autem de contractu in genere agam; postea singulos in specie contractus examinabo, vbi eos potissimum casus attingam, qui quotidianæ praxi vbique terrarum inseruiunt; si qui autem casus occurrant, iam desuetudine absoleti, aut inutili Theoria nixi, eos aliis discutiendos remittam.



DISPVTATIO PRIMA.

De CONTRACTIBVS *in genere.*



ONTRAHERE sonat plures in vnum trahere, vnde primus eius effectus est obligatio, quæ est Iuris vinculum, quo vnùs alteri astringitur ad aliquid faciendum, vel non faciendum, vt dicitur §.1. *Instit. de oblig.* & *l.1. ff. de pactis.* Ad hanc autem obligationem contrahendam primò requiritur vt personæ sint habiles, secundò vt se obligandi intentio interueniat; deinde vt nec metu, nec dolo adigantur. Cum enim contractus sit actus liber, ei infensum est, quicquid voluntarium perimit; Huic autem nihil tam contrarium est, quàm error, aut dolus, *l. per errorem, ff. de iurisd. omnium Iud.* Et hæc quidem ad contractus absolutos requiri probabimus; verum sunt & alij conditionales, diuersimode à Iure modificati, de quibus etiam inquiram; sed prius de Contractus Quiditate, & Diuisione agendum.

QVÆSTIO I.

Quid, & quotuplex CONTRACTVS *sit.*

D.Bonauent in 4 dist.27. & dist 29. quæst.2.

1 CONTRACTVS propriè definitur ab Vlpiano *Leg. Labeo, ff. de verborum signific.* vbi ait: *Est vltro, citroque obligatio*: subaudiunt Doctores: *Ex partium voluntate, & pactione consurgens.* Idest contractus est pactum, ex quo oritur vtrinque obligatio. Sic accipit definitionem contractus D. Bonauentura *in 4. dist. 27.* passim, & *dist. 29. quæst. 2. in fundamentis, in corpore, & ad argumenta.*

2 TRADITVR autem hæc definitio, siue descriptio per effectum, idest, per mutuam obligationem, quæ ex pacto partium resultat, vt aduertit D. Bonauent. *locis adductis*, quare est potius definitio causalis, quam formalis, vt notat Bona. in. *dist. 3. de contract. quæst. 1. puncto 1.*

Potest tamen dici cum D. Bonauent. 4. *dist.* 27. *quæst.* 2. obligationem, seu ligamen contractus, in definitione sumi se undùm causam in intentione, quatenus scilicet voluntas intendens obligationem extrà expressa, ex vtraque parte est contractus, & tunc definitio erit essentialis per causam formalem, quod obseruant etiam Suarez *Lib. primo de voto, cap. 33. num. 11.* Fagundez *Lib. 1. cap. 2.*

3 Ex his habes pactum latius patere rigoroso contractu. Definitur autem pactum; *Est duorum, aut plurium in idem placitum, & consensus.* In pacto enim potest resultare obligatio solùm ex altera parte, vt in donationibus, solus donans obligatur dare, non verò donatarius accipere. Deinde oritur ex vi pacti nudi promissio in ratione veritatis, non iustitiæ: In contractu verò oritur obligatio iustitiæ commutatiuæ, vt docet D. Bonauent. 4. *dist. 29. loco citatâ.*

4 HINC etiam habes, quo nomine appellentur aliquæ conuentiones, in quibus resultat obligatio partis, vel partium, ex officio aliquo, puta Tutoris, Curatoris, aut villici; dicuntur autem quasi contractus. Definitur verò apud Fagundez de contract. Lib. 1. cap. 2. *Quasi contractus est obligatio, qua quis ligatur alteri non ex aliquo contractu, aut maleficio, sed ex aliquo officio, vel facto licito, & honesto, licèt non interueniat expressa voluntas vtriusque.*

CERTISSIMVM est igitur, in contractibus necessarium esse consensum vtriusque partis, vt sæpè repetit S. Doctor *in 4. dist* 27. 28. & 29. Molina *Tom. 2. disp. 254* Lessius *Tom. 1. Lib. 2. cap. 17. dub. 2.* Azor. *part. 3. lib. 6. cap. 2.* Bonacina *de contract. in genere, disp. 3 quæst. 1. puncto 2.* Sanchez *Lib. primo de matrim. disp. 8. & lib. 4. decal. cap. 1.* Suarez *tomo 2. de relig lib. 2. de iuram. cap. 7.* Fagundez *Lib. 1. cap. 2. num. 2.* Tannerus *disp. 4. quæst. 7. dub. 1.* 5

MVLTA sunt genera contractuum, vt docet D. Bonauent. *locis adductis*, & *in speculo animæ, cap. 1. 2. & 4.*

DIVIDVNTVR in Nominatos, & Innominatos. Nominatus contractus est, qui proprium nomen habet, vt Locatio, Conductio, Venditio, Depositum, & Transactio. 6

INNOMINATI contractus sunt, qui carent nomine proprio, & ferè ad hos quatuor modos reducuntur, *Do, vt des, v.g.* Do equum, vt des triticum. *Do, vt facias*: Do triticum, vt colas agrum. *Facio, vt facias, v.g.* Colo tibi agrum, vt domum mihi ædifices. *Facio, vt des.* Colo tibi agrum, vt des mihi triticum. De his agitur *Lege, Naturalis, ff. de præscriptis verbis.* Hi verò contractus regulantur iuxta Nominatos.

NOMINATI diuiduntur in Contractus bonæ fidei, & stricti iuris. 7

CONTRACTVS bonæ fidei sunt, in quibus Iudices decernunt non tam in rigore iuris, & pactionis, quàm ex æquo, & bono.

CONTRACTVS verò stricti iuris dicuntur, in quibus iudices procedunt rigore iuris.

CONTRACTVS bonæ fidei sunt Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, Procuratio, seu negotiorum gestorum Mandatum, Depositum, Commodatum, Assecuratio, Societas, Tutela, Pignoratio, Ius diuidendæ facultatis inter hæredes, diuisio rei communis inter diuersos. Item quando alicui datur res vt illam reddat, vel pretium eius. Cæteri verò contractus, vt Emphytheusis *quæst. 5. num. 12.* & Permutationes, sunt stricti iuris, vt docent Rebellius 2. *part. lib. 1. quæst. 2.* Molina *Tom. 2. de iustitia, disput. 259.* Vallascus *de emphyt. quæst. 5.* Fagundez *cap. 1. num. 8.* qui contra alios approbant hanc diuisionem. 8

fionem, non modò in foro externo, sed etiam in foro animæ.

9 Vtrvm verò sponsalia debeant computari inter contractus stricti iuris; Sanchez *Lib.1.de matrim. disp.64. num.3.* supponit, tanquam certum, esse bonæ fidei, ex quo potest inferri sponsalia, quibus dolus causam dedit, esse inualida, quia inualidi sunt contractus bonæ fidei, quibus dolus causam dedit, & hoc videtur sentire D.Bonauent. *in 4.dist.27.dub.2. literali.*

Dividvntvr contractus nominati in Onerosos, & Lucratiuos. Lucratiui sunt in quibus absque vllo onere, aut recompensatione ex Iustitia, sed merè gratis aliquid alicui remittitur, promittitur, vel datur, vt donatio, acceptilatio, commodatum, quo ad vsum rei; nam licèt commodatarius teneatur restituere rem, tamen vsus est liberalis. Onerosi contra-
10 ctus sunt, quibus ex vtraque parte onus incumbit, vt in emptione. Ad hanc diuisionem reducuntur contractus Respectiui, & non Respectiui. Respectiui sunt, quibus ex vtraque parte obligatio resultat, & sunt contractus proprij. Non respectiui, in quibus ex vna tantùm parte resultat obligatio, vt sunt minus proprij, vt stipulatio, & promissio.

11 Si contractus accipiatur pro pacto, diuiditur in Nudum, & Vestitum. Nudum pactum est, in quo sola interuenit conuentio partium, & ad nihil amplius est processum, & nullum aliud fundamentum adest. Vestitum est, quod solemnitatibus roboratur, vel aliqua circumstantia induitur, in qua iure ciuili roboratur.

Vestitvr autem sex modis. Primò in re, si ex altera saltem parte sit implemm. Secundò verbis, si accedat stipulatio. Tertiò scriptura, vt si littera fatearis, esse tibi iam satisfactum, etiamsi satisfactum
12 non sit, quod dicitur Acceptilatio. Quartò specifico, nomine contractus; qua ratione omnes contractus, qui consensu perficiuntur, imò omnes contractus nominati, sunt vestiti, si in suo genere sint perfecti. Quintò iuramento. Sextò cohærentia cum aliquo contractu vestito, vt si vendam tibi domum mille aureis cum pacto, vt illam adhuc inhabitem, & tibi pro inhabitatione dem hanc vestem; hoc pactum accessorium per se est pactum nudum, quia tamen cohæret cum venditione, est etiam vestitum, quia accessorium sequitur naturam principalis.

13 Dividitvr etiam in contractum Guarentiginm, & non Guarentigium.

Gvarentigivs est qui paratam habet executionem, propter iuramentum In illo positum, vel hypothecam, vel instrumentum publicum, in quo conceditur Ius exequendi illum, non expectata iudicis sententia.

14 Non Guarentigius est ille, qui his firmitatibus caret. Ità Molina *tract.1. disp.71.* Lessius *Lib.2.c.28. dub.1.* Fagundez *cap.1. in fine.*

QVÆSTIO II.

An ad valorem Contractus requiratur intentio contrahendi, & se obligandi.

15 Distingvit S. Bonauentura *in 4. dist. 27. art. 2. quæst.2.* de validitate in Foro conscientiæ, & in Foro externo.

Igitvr in foro conscientiæ, si non habuisti intentionem contrahendi; imò intendisti non contrahere, non subsistit contractus in foro conscientiæ. Teneberis tamen in eodem foro omnibus damnis, prouenientibus ex tuo dolo, contrahenti bona fide, & in foro externo cogeris stare contractui, quia forum externum solùm iudicat externum, non autem occultas intentiones. Ità Sanchez *Lib.1.de matrim.dispu.9.* Tanner. *disp.4.quæst.6.* 329. Fagundez *lib.1.de* 16
contract. cap. 2. num.3. qui idem dicunt multò magis de votis, & aliis veluti contractibus, qui forum conscientiæ magis respiciunt, quia Deus, qui scrutator est cordium, magis respicit voluntatem, quàm actus externos *cap. si quandoquidem, 15. quæst. 6.* teneris tamen de damnis, vt dixi, & in foro externo stare contractui, *cap. cum Apostolica, de rescrip. cap. ex tenore, eodem titulo,* ad finem, *cap. ex litteris de contumel. Leg. quoties, §.qui dolo, ff.de probat. & 30. quæst. 1. cap.* Dictum: *Fraus, & dolus nemini debent patrocinari,* vt arguit S.Doctor *loco citato.*

Si verò contrahere voluisti, sed non te obligare, 17
multi asserunt, te obligari. Sic de contractu matrimonij, & de quolibet alio contractu docent Petrus Ledesma *de matrim. quæst.43. art.1. dub.2.*

Loqventes verò de contractibus, & de voto, tenent Soto *lib.7. de iust. quæst.1. art.2.* Gutier. *lib.2.canon. qq. cap. 22. num. 31.* Aragon. *2. 2 quæst 88. art.1.* Ludou. Lopez *p.p. Instruct. cap. 91.* Suarez *lib.2. de iuram. cap.7.* & *lib.1. de voto, cap.3.* acerrimè pugnax.

Secvnda sententia est, hunc non obligari. Ità Fagundez *lib. 1. de contract. cap. 2.* Henriquez *lib.11. de matrim. cap.13. num.2.* loquens de contractu matrimonij: De voto autem, Lessius *lib. 3. de voto, cap.40. dub.1.* Azor *p. p. lib.2. cap.17. quæsito 9.* Valentia *disp. 6. quæst.6. puncto 1.* Nauar. *summa, cap. 12. num. 38.* Sanchez *tom. 1. de matrim. lib.1. disp.9.* vbi supra duodecim Doctores allegat. Hæc est opinio D. Bonauenturæ *loco citato, & quæst. præcedenti.*

Assero cum hac sententia, contrahentem cum intentione non obligandi se, verè non obligari.

Probatvr à D. Bonauent. primò, *quæst. 1.* 18
quia contractus ex intrinseco obligat; atque sanè obligatio oritur ex voluntate se obligandi; sed hic non voluit se obligare; ergo noluit contractum. Itaque implicat velle contractum, & nolle se obligare; negatiua verò cùm sit destructiua, & venenata, tollit etiam positiuam voluntatem contrahendi, vt passim docet Seraphicus Doctor.

Confirmatvr, nam obligatio resultans ex voluntate contrahendi, non resultat naturaliter; sed est effectus moralis pendens à libertate voluntatis.

Probatvr secundò à D. Bonauent. *quæst.2.* 19
ex Innocentio III. & habetur *de sponsalibus*, vbi decernit; deficiente intentione se obligandi, non valere matrimonium.

Probatvr tertiò è S. Doctore. Vbi deficit ratio formalis, atque adeò forma, deficit quidditas rei, & consequenter ipsa res; sed consensus est forma verborum, quæ faciunt matrimonium: Ergo deficiente intentione se ligandi, nullus est contractus. Minor probatur, nam contractus est vltro, citroque obligatio ex partium voluntate, & pactione consurgens, vt dixi initio disputationis, & actus agentium non obligant vltra intentionem eorum. Idem de baptismo arguit S.Doctor *4. dist.6. art.2. quæst.1.* eo autem Dei legi nos obligamus.

Probatvr quartò à D. Bonauent. *dist. 28.* 20
quæst.1. conditio contraria substantiæ matrimonij illud cassat *ex cap. finali de condit. appositis,* licèt enim contrahens intentionem habeat contrahendi sub

condisione

conditione, quod matrimonium v.g. ad tempus fiat, & non sit perpetuum; non contrahit, quia matrimonium, si quod est, perpetuum est, & indissolubile, vt probat S.Doctor *dist.*28. *art.*2. *quæst.*1. ergo cum de intrinseca ratione sit se obligare; qui sub conditione non se obligandi contrahit, non contrahet. His rationibus vtuntur Authores huius sententiæ.

21 FVNDAMENTA oppositæ sententiæ conuelluntur his fundamentis, veluti clauus clauo. Enim verò, si habuisti intentionem contrahendi, & te obligandi, teneris, etiamsi non habueris intentionem exequendi. Ità communiter Doctores apud Fagundez *num.*9.

22 RATIO est, quia qui vult antecedens, vult etiam consequens *lib.*1. §.1. *ff.* *si vsufruct. pet.* quando consequens ex vi eius infallibiliter subsequetur, vt arguit S.Doctor *in* 2. *dist.*32. *art.*3. *quæst.*2. *ad* 2. & aliis in locis, vbi affert exemplum de eo, qui vult esse Abbas Monachorum, consequenter debet velle etiam esse Monachus; alioqui stultus est.

QVÆSTIO III.

Quomodo Error, seu dolus vitiet Contractum.

§ D Bonauent. in 4. dist.30.quæst.1.

23 NOTANDVM ex S. Bonauent. *in* 4. *dist.* 30. *quæst.*1. *& dub.*3. *litt.* posse errorem circa aliquem contractum esse duplicem.

PRIMVS est circa substantiam rei. Secundus circa accidentia. Circa substantiam rei datur, quando *v.g.* vis emere, & petis torquem aureum, & accipis ex auriehalco; vel si petis Adamantem, & datur tibi chrystalli frustum. Circa accidentia est error, si vis, & petis cuprum auratum, & datur tibi, sed maculatum; Vel si petas equum, & datur tibi defectuosus.

24 ADMONET tamen circa hæc S. Doctor *ad* 4. quod si petas torquem in genere, & nomines aureum, nesciens pretium auri, neque quid sit aurum, & detur tibi cuprum pretio competenti, non erit error substantialis, quia tua intentio est tantum de torqua metallino, sed nominat aurum, loquens quasi Pica. Idem etiam die de errore per dolum.

25 ASSERO primò, errorem, vel dolum circa substantiam rei, de qua contrahitur, reddere contractum nullum iure naturæ, si sit error, vel dolus antecedens, dans causam contractui, quo amoto non contraheretur.

PROBATVR primò à D.Bonauent. *loco cit. fundamento primo.* Ablato consensu tollitur contractus. Confirmatur à S.Doctore; non enim censemur velle, quod non cognoscimus, & multò minus diuersum ab eo, quod cognoscimus; vt si volumus aurum, detur cuprum. Hoc argumento vtitur Fagundez, *capite* 3.

PROBATVR secundò à S. Doctore. Voluntarium est, cuius principium mouens est intra in volente, cognoscente singula: Ergo inuoluntarium est, quod ab extrà nobis aduenit contra cognitionem, ex errore.

26 PROBATVR tertiò à S. Doctore. Non minus est inuoluntarium, quod fit per violentiam, quàm quod per errorem. Et confirmatur ex *causa* 29.*quæst.*1. vbi id definitur.

CONFIRMATVR à S.Doctore *in corpore*, eisdem argumentis addita authoritate D. Augustini 2. *de Trinitate,cap.*1. & *tract.*96. *in Ioan.* vbi ait: *Inuisa diligere possumus: incognita nequaquam.*

HÆC assertio magno recipitur applausu à D. Thom. 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 3. Molina *tract.*2. *de iust. disp.*359. & Thomistæ ibi, Lessio *Tom.*1.*lib.*2.*cap.*17. *dub.* 5. *num.* 27. Sanchez *lib.*7. *de matrim. disput.* 18, *num.*12, Bonacina *de contract. in genere,disp.*3.*quæst.*1. *puncto* 2. §.1. & aliis apud hos;& ait Tanner. *disp.*4. *quæst.*7. *dub.*1. *num.*11. esse omnium sententiam. 27

ADDIT tamen Fagundez *num.* 6. cum Sala *de empt. dub.*35. posse esse errorem circa substantiam, & tenere adhuc contractum, vt si aurum alchimicum sit eiusdem perfectionis cum auro è venis sumpto, & detur tibi illud pro isto, vel si detur vna ergastula empta pro alia eiusdem virtutis, vel à pharmacopola vnum pharmacum æqualis virtutis, loco ordinati à medico. Sed hæc vel non variant substantiam, & si variant,confringunt contractum; vt si ego velim eam ancillam numero, & aliam non emerem, vel illud medicamentum. In materia verò matrimonij certum est, vt hi ipsi concedunt, esse inualidum.

ASSERO secundò cum D.Bonauent. quem sequuntur Fagundez *num.*9. Suarez *tract.* 1. *de legibus, lib.*1.*cap.*11. *num.*6. Sanchez *lib.*1. *de matrim. disp.*64. Molina *tract.*2. *disp.* 272. Nauar. *summa Lat. cap* 2. *num.*27. & communiter, si error sit circa accidentia, quæ grauiter mutant iudicium rei, & reduci possunt, prudentum iudicio, ad substantiam rei, contractum esse nullum. 28

RATIO est, quia supponitur abesse consensus necessarius, vt suprà.

HINC colligo cum D. Bonauentura 4. *dist.* 30. *dub.*6. *litt.* si error sit circa virtutem, & mores, puta si sit inhonesta, quam honestam arbitrabar; esse circumstantias magni faciendas,& ait Sanchez, eas frangere posse sponsalia.

ASSERO tertiò. Si error sit circa circumstantias minoris momenti, iudicio prudentum, etiamsi ille non contraheret, si sciret, probabile esse, non irritare contractum iure naturæ. Ità Molina *Tract.*2. *disp.*352. Rebell. *lib.* 1. *quæst.* 6. *sect.*2. *num.* 11. & *lib.*9.*quæst.*1. Bonacina *de contract. disp.*3. *art.*1.*puncto* 2. Mantica *de ambig.convention. lib.*1.*titul.*9. Ægydius Lusitan. *in Leg. ex hoc iure*, *cap.*8. *num.*95. 29

ITAQVE si contraxisti cum ea, quam putabas diuitem, nobilem, pulchram, & inuenisti ignobilem, pauperem, lippam; valet contractus, quia hæc non admodum variant in hoc contractu. 30

RATIO est etiam, quia ille error, vel dolus est causa quidem contractus; adhuc tamen habet suum obiectum, in quod feratur, idest substantiam rei, vt ait Poncius *lib.*4. *de matrim. cap.*21.

ALIO modo id definit Caspensis *Tract.*19.*disp.*1. *sect.*3. *num.*35. cum Castro Palao *Tom.* 3. *tract.* 24. *disp.* 2. *puncto* 5. Quoties error, vel dolus est causa causatiua tantùm, non autem obiectum contractus; hic non erit iure naturæ nullus; si verò sit obiectum expressè declaratum, talis erit nullus, non autem si implicitè tantùm; quia tunc error, vel dolus censetur esse accidentalis,cum supponatur adhuc obiectum sufficiens ad esse contractus. 31

SARAPHICVS *dist.*30. *dub.*3. sic distinguit errorem circa accidentia, puta circa bona fortunæ, in matrimonium posse esse vel causam impulsiuam in æstimatione tantùm, & spe; ita, vt consensus feratur super personam adhuc præcisam, tanquam in obiectum consensus; vel potest esse vt suspendatur consensus superpersonam,& sub hac conditione cadat: accipio personam,si est diues,& non aliter.Primo modo ait 32

ait S. Doctor, validum esse contractum, quia adhuc consensus habet sufficiens obiectum, super quod cadat; altero vero modò, cùm non adsit consensus, sed reseruatus sit, non erit validus.

33 Addit verò *quæst.*1. errorem circa accidentalia in matrimonium, circa conditionem, vel seruitutem, quia præiudicat bono grandi libertatis; sed hoc est iure positiuo depositum, vt explicat *dist.*36. *quæst.*2.

In responsione verò *ad vltimum*, sic distinguit: Dupliciter potest esse error circa bona fortunæ, puta circa nobilitatem, dignitatem, & cætera accidentalia. Primò si erretur circa subiectum personæ. Secundò si circa proprietates.

34 Circa subiectum erratur, cùm Puella sciens, & cognoscens personam, puta filium Regis Angliæ visu, vel auditu, & in illum consentit, & non in aliam, & tunc erit substantialis error irritans contractum matrimonij. At si personam filij Regis Angliæ non agnoscit, sed tantùm credit, hunc, quem videt habere hanc dignitatem, tunc cum non consentiat, nisi in hunc, erit validus consensus, etiamsi non sit eâ dignitate præditus.

35 Assero quartò, si loquamur de iure positiuo, receptissima est sententia docens; si error sit circa substantiam rei, & circa accidentia, & qualitates substantiales, quæ multum variant iudicium, & contractus ipse fiat bona fide ex vna parte; & dolo ex altera, vt dolus det causam contractui, contractum esse nullum iure positiuo. Ità Vallascus *de iure Emphyt. quæst.*5. *num.*9. Lusitanus *in Leg. ex hoc iure, ff. de iust. & iure, cap.*8. *a num.*93. Bonacina *de contract. disp.*3. *quæst.* 1. *puncto* 3. §.2. Gomez *Tomo* 2. *var. cap.*2. *num.*48. Fagundez *lib.*1. *cap.*3. Bassæus V. *Contractus*, Tanner. *disp.* 4. *quæst.* 7. *dub.* 1. Patet *ex Leg.*1. & *ex Leg. sciendum*, §.*vlt. ff. de adilit. act. & ex Leg.*65. *tit.*5. *part.*5.

36 Probatur à D. Bonauent. *quæstione*, nuper *adducta*, ex materia matrimonij *ex causa* 29. *quæst.*1. & rationibus adductis pro prima assertione. Quod enim iure naturæ est inualidum, non potest iure positiuo validari; alioqui ius positiuum esset contra ius naturæ.

Quæ diximus de errore antecedenti, asserunt aliqui de errore etiam comitante, non modò in contractu matrimonij, vt dum contrahis cum Berta, putans eam Titiam, sed tamen libentius contraheres cum Titia, si eam agnosceres; sed etiam in aliis contractibus, vt si emis Chrystallum, existimans gemmam, sed tamen emeres, etiamsi nouisses, esse Chrystallum. Ità Fagundex *num.*7. adducens D Thom. *prima secunda, quæst.*6. *art.* 8. Bonacinam *de contract. disp.* 3. *quæst.*1. *puncto* 2. §.1. & *de matrim. quæst.*3. *puncto* 2. *num.*3.

37 Hinc obserua, disputari: an contractus dolo excusatus, possit validari, data ex iure naturæ optione, decepto ad standum, vel non standum contractui, si reducatur ad æqualitatem, & vtraque sententia est probabilis: Ego arbitror, id posse, quia iure naturæ deceptus potest resarcire iniuriam.

Sed iure naturæ deceptor tenetur stare contractui; si deceptus velit, sed hoc post iudicis sententiam.

38 Probatur à D. Bonauent. 4. *dist.* 27. *art.* 2. *quæst.*2. *ad* 4. ex causa 30. *quæst.*1. etiam in omni foro, tum iudiciali, siue ciuile, siue Canonico: imò & in foro conscientiæ, vbi definitur, fraudem, & dolum non debere fraudanti patrocinari, *Leg. Quoties*, §. *qui dolo, ff. de probat.* ex *cap. sedes Apostolica, de rescriptis, cap. ex tenore eodem*, & *cap. ex litteris, de dolo, & contum.* & tandem *Leg. finali, tit.*2. *part.*4. quæ definit, optionem semper dandam esse decepto; velit ne, an nolit stare contractui, qui iure naturæ fuit irritus in pœnam doli, ne commodum ex dolo suo consequatur; resistit enim semper totum ius dolo, ac fraudi, vt notat Fagundex *num.*18.

Datur etiam decepto actio aduersus tertium, 39
qui dolum fecit *leg.*2. *ff. de prouentu, & iuribus allatu*, & omnis decipiens tenetur in conscientia restitutioni damnorum ante iudicis sententiam; est enim dolus, & fraus ex genere mortalis, vt ostendunt Reginaldus *praxi, lib.*25. *num.*225. Bonacina *de contract. disp.*3. *quæst.*1. *puncto* 2. §.2. Fagundez *num.* 23. ex D. Bonauent. *in speculo animæ, cap.*2. §. *secundus ra-* 40
mus, & sequenti.

QVÆSTIO IV.

Quomodo metus irritet Contractus.

{ D. Bonauent. 4. dist. 29. quæst. 1.

Prælibat S. Doctor *in* 4. *dist.* 29. *quæst.*1. 41
metum duplicem. Alter est grauis, qui & iustus dicitur, & cadens in constantem virum: Alter leuis, qui & dicitur cadens in virum inconstantem, *L. metu, ff. de eo, quod metus causa, cap. consultationi, cap. veniens*, 2. *de sponsal. cap. Cum dilectus, de his quæ vi.* Metus grauis est metus alicuius magni mali absolutè, & in se considerati, quod nobis timemus, vel nostris euenturum; talis est metus incussus, mortis, mutilationis, atrocis cruciatus, stupri, seruitutis, amissionis bonorum, status, honoris iacturæ, magni lucri, infamiæ, excommunicationis iniustæ, &c. vt probat Sanchez *lib.*4. *de matrim. disp.*5.

Hæc quidem mala siue nobis immineant, siue 42
nostris, grauem incutiunt timorem. Ità Menochius *tract.*1. *lib.*2. *de arbitr. centur.*2. *casu* 136. Azor *p. p. lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 6. Sanchez *lib.*4. *de matrim. disput.*5.

In filiis, vt probat *Leg. Isti quidem*, §. *fine, ff. de eo, quod metus causa*; liberi enim sunt pars patris, vt docet Aristoteles *in Ethicis.*

In vxoribus, & maritis, quia vnum sunt. Ita D. Thom. *in* 4. *dist.*29. *quæst. vnic. art.*2. *ad* 1. D. Bonauent. *eadem dist.* & alij.

In patribus, fratribus, & sororibus *leg. vlt. Cod.* 43
de impub. & aliis substit. §. *hi, qui, Instit. de inut. stipul.* & communiter Doctores; & de omnibus coniunctis in primo gradu docent Præp. *cap. cùm locum de sponsal. num.* 10. Cucus *lib.*5. *inst.* Maior *tit.* 22. *num.*156.

In aliis consanguineis, & affinibus, quia vt dicitur *cap. non exist imemus*, 33. *quæst.*2. sunt vna caro. Probatur etiam *cap. sciant cuncti de elect. in* 6. quem textum vocat notabilem Iason, *leg. de pupillo*, §. *si quis ipsi, num.*12. *ff. de oper. nou. nunciat.*

In amicis arctissimo vinculo iunctis probatur, 44
quia amicus est *alter ego*, vt ait Philosophus 6. *Eth. cap.*4. & D. Augustinus *lib.*4. *confess. cap.*6. Itaque metus grauis mali siue nobis, siue nostris dicitur incussus, & irritat contractum, si verè immineat malum.

Metus leuis est metus reuerentialis, ob præ- 45
sentiam alicuius personæ grauis; hic tamen metus, si addantur minæ, verba aspera, &c. potest fieri grauis. Ideò oportet aduertere, metum dici grauem, & leuem respectiuè; nam qui alicui, puta viro, est

metus

metus leuis, erit puellæ granis, vt ostendit Sanchez, citans supra quinquaginta; Doctores, & probatur *ex Leg 3. ff. ex quibus causis.*

46 QVINQVE autem conditiones requiruntur, vt sit metus grauis.

PRIMA, vt malum, qood timetur, sit graue *leg metum, ff. de eo quod metus causâ*, ibi metum accipiendum Labeo dicit, non qnemlibet timorem, sed maioris mali, idest magni mali, vt explicat Glossa.

SECVNDA est, vt timeatur rationabiliter, noo leui de causa: patet ex *Leg. metum cit. ibi*, metum autem non vani hominis, sed qui merito timet, & *Leg. Nec timorem, §. proinde, ff. eodem*. Vnde Eccl. 19. *Qui cito credit, leuis est corde.* Ità D. Thom. 4. *dist.* 29. *quæst. vnic. art.* 2. D. Bonauent. *eadem dist. quæst.* 1. *corpore*, & alij. Et quidem non requiritur vera pœnarum inflictio, sed timor probabilis, & non vanus, vt probat S. Bonauent. & alij apud Sanchez *lib.* 4. *de matrim. disp.* 1. *num.* 16.

47 TERTIA conditio est, vt metom incutiens possit minas suas exeqoi. Ità D. Bonauent. *loco cit.* patet ex *Leg. famosi, ff. ad legem Iulia maiest.* & probat Sanchez *cit. num* 19.

QVARTA est, vt minas incutiens, solitos sit minas exequi; nam si sit facilis ad remittendum, non est grauis metus, ex *Leg. Vnica, Cod. si quis Imperatori*, & *Leg. famosi citata.*

QVINTA est, non posse timentem vitare mala comminata. Ità Saochez *num.* 23. & simul Fagundez *cap.* 5.

48 ANIMADVERTVNT hîc etiam Doctores, metum grauem aut posse prouenire ab extrinseco agente, & causa naturali agente, vt à tempestate, morbo, &c. vel ab extrinseco viuente, sed operante naturali impetu, vt à bruto, ebrio, & furioso. Vel denique ab extrinseco agente liberè, veluti homine, vel dæmone.

49 IGITVR si metus iocutiatur ab extrinseco agente naturali, oon irritus contractus censetur, tametsi consensus etiam ibi sit conditionalis, vt si non immineret naufragium ex tempestate, vel mors è morbo, non voueret, nec iuraret, hoe agere. Ratio est, quia talis metus non est iniuriosus, sed à Dei sæpe prouidentia immissus ad facienda opera sancta, vel ad ciendam pœnitentiam, vt docet Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. Ideò addit: *Hac enim timore vtiliter concussi Niniuita, ad Iona prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt.*

TVNC autem pœnitentia, vt sit recta, non debet habere consensum conditionatum. Si ruina non immineret, non pœniterem, vt dicam *Tract. de Pœnit. Disput. de contritione.*

50 HÆC est doctrina D. Thom. *prima secunda, q.* 6. & D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 34. *part.* 2. *quæst.* 1. & 2. Vasquez *part.* 2. *disp.* 27. *cap.* 3. Sanchez *in decal. lib.* 4. *cap.* 1. Fagundez *cap.* 5. *num.* 17. & patet ex *cap. de regul.* vbi votum ægroti, ex timore mortis, declaratur validum. Idem dicitur, si metus incussus sit a bruto, ebrio, &c.

51 SI verò metus incussus sit ab agente liberè ad extorquendum consensum, certissima resolutio est omnium Doctorum, inualidum esse contractum. Ità D. Bonauent. 4. *dist.* 29. *quæst.* 5. Sanchez *lib.* 4. *decal. cap.* 3. Suarez *Tom.* 3. *de relig. lib.* 6. *cap.* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 57. *dub.* 6. Azor *part.* 5. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 11. & *part.* 3. *lib.* 6. *cap.* 7. Bonacina *de contract. disp.* 3. *quæst. prima, puncto* 2. §. 3. Fagundez *lib.* 1. *de contract. cap.* 5. *num.* 18. Tanner. *disp.* 4. *quæst.* 6. *num.* 315.

QVÆSTIO autem grauis est: An tales contractus sint iure naturæ irriti, an verò iure positiuo. Scinduntur autem in duas acies Doctores.

PRIMA opinio est, oon esse iure naturæ irritos. 52
Ita Paludanus 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. *art.* 5. Sanchez *lib.* 4. *de matrim. disp.* 15. *num.* 5. & *lib.* 4. *decal. cap.* 3. *num.* 9. Suarez *lib.* 1. *de relig. cap.* 7. *num.* 12. Carbo *quæst* 46. Valentia *Tom.* 4. *disp.* 10. *quæst.* 3. *puncto* 2. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 9. Per Ledesm. *quæst.* 47. *art.* 3. Tanner. *loco cit.* Azor. *p. p. lib.* 11. *cap.* 15. *quæsito* 6. Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 1. loquens de voto, & loqueos de contractibus *cap.* 17. *dub.* 6. *a num.* 36. Vasquez *prima secunda, disp.* 27. *cap.* 3. Bonacina *de contract. disp.* 3. *quæst.* 1. *puncto* 2. §. 2. Fagundez *de contract. lib.* 1. *cap* 6. *num.* 3. Caspensis *Tract.* 19. *de contract. disp.* 1. *sect.* 4. qui innumeros pro hac sententia apud Sanchez accinit recensitos. Subscribit Bassæus, V. *Contractus num.* 21.

EXCIPIVNT tamen isti contractus matrimo- 53
nij, sponsalium, dotis ad matrimooium, & professionis in Religione, quos tameo iodicis sententiâ rescindi posse autumant.

DE matrimonio hoc docent communiter Doctores, Sanchez, loquens de matrimonio, & sponsalibus *lib.* 4. *de matrim. disp.* 12. *à num.* 18. Azor 3. *part. lib.* 3. *cap.* 7. Lessius *Tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 6. *n.* 37. Henriquez *de matrim. lib.* 11. *cap.* 9. *num.* 6. Bonacina *de matrim. quæst.* 3. *puncto* 8. *num.* 31. vbi etiam de sponsalibus id probat ex multis grauissimis Doctoribus, & constat ex *cap. veniens* 2. & *cap. cum locum* 1. & *cap. consolationi de sponsal.*

ET idem consequenter de promissione dotis ad- 54
mooent Azorius, Lessius, Bonacina & Fagundez, allegati.

RATIO est, qoia matrimonium est perpetuom, nec ampliùs est locus irritationi, postquam est legitimè contractus, sicoti in aliis contractibus; ideo exigitor ad contrahendum perfecta libertas.

HINC consequenter de professiooe in Religione idem deducunt Sanchez *lib.* 4. *decal. cap.* 3. Suarez *tract.* 3. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 4. Fagundez *num.* 5. & constat *ex cap. de his, quæ vi.*

DE voto autem quocumque simplici, in qua- 55
cumque materia fiat, validum esse asserunt Suarez *de voto lib.* 1. *cap.* 18. *à num.* 5. & alij; sed irrita esse talia vota simplicia, metu extorta, doocent Sanchez *Tom.* 1. *decal. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 12. Cardin. *cap.* 2. *quæst.* 1. *casu* 4. *de his quæ vi.* Syluest. *verb. metus, q.* 8., & *verb. votum* 2. *quæst.* 12. Tolet. *lib.* 4. *summa, cap.* 17. Nauar. *summa Latina, cap.* 12. *num.* 52. & *commonit* 2. *de regular. num.* 13. Azor. *p. p. lib.* 15. *cap.* 11. *quæsito* 7. Abbas, Sotus, Aragon, & alij apud Sanchez, & Bonacina *de matrim. quæst.* 3. *puncto* 8. *à num.* 2. cui subscribit cum Fagundez *num.* 6.

DE iuramento, metu graui extorto, communi- 56
ter asserunt, esse iure oaturæ validum; & ratio est, quia iuramentum est promissio facta, cuius affertur Deus testis. Igitur ne Deus testis sit falsus, erit valida iure naturæ.

QVOAD testamentum, metu graui extortum, esse iure naturali nullum, asserunt Saochez *lib.* 4. *de matrim. disp.* 8. *num.* 6. Molina *tom.* 1. *de Iust. Tract.* 2. *disp* 136. Spioo *in speculo glossa, Rubr.* 2. *part. num.* 5. Guttier. *de quæst. canon. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 83. Caldas *in Leg. si iuratorem, v. contractum, num.* 27. quam opinionem communissimam acclamat Fagundez *numero* 8.

RATIO est, quia testamentum est vltima voluntas, & ideò debet vsque ad mortem manere liberum, nec firmatur, nisi morte testatoris, vt ait

Apostolus

Apostolus *ad Heb. cap.6.* ideò metus non potest dare ei firmitatem.

57 CIRCA collationem beneficij metu extortam, esse iure naturæ validam asserit Garsia *de benef. part. 11. cap.3. §.2. num.143.* Fagundez *num.9.* & constare dicunt *ex cap. super hoc penult. de renunc. cap. Abbas, cap. ad aures, cap. ad audientiam de his, quæ vi,* & docet Rebuffus *in praxi benefic. tit. de resign. metu fact.* & *tit. de vi, in resign. adhibita,* & *tit. de causis resignationem irritantibus,* Rosinus *lib.19. de benefic.* Nauar. *in cap. accepta, de restit. spoliat. opposit. 4. 5. & 6.* Flaminius *de resign. lib. 13. quæst.1. & 2.* Azor *2. part. lib. 7. cap.26. quæsito 1.* Selua *de benefic. 3. part. quæst.32.* Probant rationibus, quas in fine apponam.

DEBEMVS etiam alia distinctione contractuum, varias apponere opiniones.

58 ET quidem contractum lucratiuum, & promissorium, metu iusto celebratum, esse validum iure naturæ docent Sotus *in 4. dist. 29. quæst. 1. art. 3.* quod ferè docuerat *lib 6. de iust quæst. 1. art. 4.* docens, donationem, aut promissionem, metu iusto factam, esse validam iure naturæ. Idem tenent Henriquez *lib. 11. cap. 9.* Carbo *de test. cap.46. quæst. 4.* Ledesma *de matrim. quæst.47. art. 3 dub.1. ad 3.* Sanchez *de matrim. lib. 4. disp. 8. num.4.* Lessius *lib.2. cap.7. dub.6. num.37. ex leg. vltima, Cod. de his, quæ vi,* quam opinionem censet probabilem Diana *part.3. tract. 5. resol.118.*

59 OPPOSITAM tamen non minus probabilem tuentur alij, nempè contractum liberalis donationis, aut promissionis, ex metu graui celebratum, inualidum esse iure naturæ. Ità Medina *Cod. de restitut. quæst. 3. causa 2.* Aragon *2. 2. quæst. 86. art. 7.* Rebellius *part. 2. lib. 1. quæst. 3. conclu. 1.* Molina, & Azor, quos allegatos sequitur Basilius Poncius *de matrimonio, lib. 4. cap. 6. numero 4.* Diana *loco citato.*

60 IDEM de contractibus onerosis asserunt Rebell. *loco cit.* & alij apud eum. Alij tamen hos contractus (excepto matrimonio) asseuerant, validos, Contractus istos, inquam, in quibus datur res pro re data. Ità Basilius Poncius *cap.7.* allegans Sotum, Richardum, Paludanum, Syluestrum, Nauarrum, Henriquez, Molinam, & Vasquez. Imò Poncius ait *cap 9.* valere etiam iure positiuo; dari tamen actionem, & limitat solùm in ludo, & alienatione rerum Ecclesiæ, & hæc notanda ait Diana *resol.119.* ad scrupulos tollendos. Hanc ferè sententiam tuetur Bassæus V. *Contractus, num.25.* excludens aliquos.

61 VERVM enim verò, contractus omnes, metu extortos, Iure naturæ esse irritos asserunt Molina *Tract. 2. de Iustitia, disput.267. & 326.* Sotus *in 4. dist.29. quæst.1. art. 3.* & *lib. 7. de iustitia, quæst.2. art.1.* & *lib.8. quæst.1. art. 7.* Salas *part. 2. quæst. 6. art.6. dub.3. sect.1.* loquentes de contractibus extra matrimonium: loquendo verò de contractu matrimonij, vbi eadem est ratio, Idem sustinent Matienzo *lib.3. recopil. tit. 2. rubr. gloss.1. num. 189.* Barbosa, *ff. solut. matrim. rubr.4 num.30.* Couar. *in 4. decret. 2. part. cap.3. §. 3.* Veracruz *p. p. speculi, art.8.* Gabriel *in 3. dist 39. quæst.1. art.2. concl.8.* Bartholom. Ledesma *dub. 23. de matrim. concl.3.* Philiar. *de offic. sacerd. Tom.1. part.2. lib.2. cap. 8.* & valde probabilem ait Sanchez *lib. 4. de matrim disp.14.* citatur à Fagundez etiam D. Bonauent. *4. dist.39. quæst. prima, art.2. concl.8.*

62 SENTENTIAM suam astruit S. Doctor, non ibi; sed *dist.29. quæst.1. in corpore,* vbi agit quidem de contractu matrimonij, sed ratio eius vniuersalis est sumpta ex voluntatis necessario consensu, quæ complectitur alios etiam contractus; atque adeò, tametsi oppositam sententiam, ex hoc capite libratam, probabilem non renuat, hanc tamen esse probabiliorem *in fine corporis,* concludit.

ASSERO primò, non improbabilem esse priorem sententiam.

PROBATVR primò à D. Bonauent. quia, vbi est consensus, sufficiens ad actum moralem, ibi est actus moralis validus; sed consensus ex metu est sufficiens ad actum moralem, vt ostendi *prima secunda, Tract.1. disput.3.* vbi ostendi metum grauem non tollere libertatem simpliciter. Quod si rescinduntur iure positiuo contractus, hoc est ex indulgentia, quia existimatur non consensisse plenè toto corde, sed ad redimendam pœnam. 63

PROBATVR secundò à S.Doctore; quia, qui timore mortis recipit Baptismum, est Baptizatus: Ergo iure naturæ id, quod fit ex metu, est validum, saltem quoad ea, quæ Deum respiciunt.

PROBATVR tertiò à S. Doctore. Voluntas ad consensum non potest cogi, sed solùm liberè induci à creatura. Tunc sic: Non minus sollicitatus precibus molestis, & blanditiis inducitur, quàm qui timore; sed ille satis ex iure naturæ consentit contractibus: Ergo & iste. Maior tenetur à multis Doctoribus, vt fatetur Fagundez. 64

ENIM verò S. Doctor respondet, blanditias, & preces non æquipollere metui, nisi tacitæ subsint minæ, vt docent etiam Sanchez *lib. 4. de matrim. disp.7. num.7.* Fagundez *cap. 3. num. 23.* Romanus *Leg. interpositas, Cod. de transact.* Nauar. *summa, cap.17. num.16.* Mascardus *de probat. concl. 193. numero 4. & 8.* Ludou. Lopez *p. p. Instruct. cap. 96.* Et idem volunt Hippolytus *singular. 645.* Sigism. *inter consilia feudalia, cons.17. num. 21.* Albertus Brunus *inter eadem consilia, consil.14. num.387.* Burgo de Paz *consil.25. num.72.* dum aiunt, blanditias principum inferre metum viro constanti, quia scilicet insunt minæ occultæ; solent enim Principes vlcisci repulsas.

PROBATVR quartò à S.Doctore: Vbi est consensus sufficiens ad peccatum mortale, ibi est sufficiens ad contractum; sed in nostro proposito talis inuenitur: Ergo. Minor probatur à D.Bonauent. nam si quis metu mortis neget Christum, peccat mortaliter. 65

RESPONDET tamen S.Doctor, negando paritatem, quia plura requiruntur ad constituendum, quod requirit integram causam; quàm ad malum faciendum, quod fit ex quocunque defectu; vnde non sequitur, quod si ad peccatum sufficit consensus conditionatus, metu excussus, sufficiat etiam talis consensus ad actum bonum. Itaque si aliquis metu mortis, vel etiam inferni, eliceret actum attritionis de peccatis conditionatum, nempe intendens, remoto metu mortis, vel inferni, se non dolere, erit actus imperfectus imò culpatus, Deo se ipsum anteponens.

DEINDE respondet, metum, cadentem in virum constantem, non esse, qui incutitur ad Diuinam maiestatem contemnendam: Vir enim constans debet præferre Deum omnibus rebus. Itaque metus, cadens in virum constantem, censetur ille, qui incutitur ad aliquid faciendum, vel omittendum, quod non sit saluti contrarium, quod rationabiliter potest etiam fieri, & omitti. Si enim quis vellet mortem subire, ne alicui rei indifferenti consentiret, sanè ageret non vt constans, sed vt imprudens; puta si mors indiceretur alicui, si nollet altera via, æquè commoda, pergere ad plateam, & 66

persisteret in transeundo per viam alteri suspectam. Contractus autem sunt de genere eorum, quæ non sunt ad salutem necessaria.

Assero secundò probabilius, contractus, metu graui extortos, esse iure naturæ inualidos.

67 Probatvr à D.Bonauent. primò validissimè *fundamento primo*, nam iura, matrimonium, metu graui contractum, irritum declarant ex defectu consensus, qui iure naturæ exigitur, non autem irritant iure positiuo, imò multa matrimonia præterita declarant fuisse irrita, & inualida iure naturali, & perinde esse, ac si nunquam fuissent facta, vt patet *ex cap. cùm locum*, & *cap. consolamini*, & *cap veniens* 2. *de sponsal.* & *ex cap.* significasti de eo, qui duxit vxorem; Similiter *cap. primo, de his, qui vi*, non irritatur professio graui metu facta, sed declaratur irrita, & nullus textus in toto iure inuenitur, qui eam irritet.

68 Respondet Fagundex *num.* 10. concedendo, matrimonium metu excussum, esse iure naturæ nullum. Similiter & sponsalia, & promissionem dotis, ac professionem religionis, vt suprà; sed negat paritatem de aliis contractibus.

Contra, quia non percipit vim argumenti D. Bonauenturæ. Stat enim in hoc: Id, quod ex defectu consensus est irritum, est iure naturæ tale; sed contractus omnis, metu graui excussus, est ex defectu contractus nullus: Ergo. Minor probatur, nam Pontifices declarant, matrimonium esse nullum, si metu graui sit factum, & allegant rationem sumptam, non ex consensu peculiari, debito matrimonij contractui, eò quòd sit perpetuus; sed quia est contractus in genere, quod est ens indifferens, non necessarium ad salutem. Igitur omnis contractus, metu graui excussus, est iure naturæ inualidus.

69 Probatvr secundò à S.Doctore, quia omnis contractus, per quem transfertur dominium in alterum, debet esse liber; At vbi est metus, cadens in constantem virum, non est plena libertas: Ergo.

Respondent aduersarij, hos contractus esse simpliciter voluntarios, & ad peccatum mortale talem consensum sufficere. Sed huic rationi occurri suprà.

Probatvr tertiò à D Bonauent. de matrimonio. Eodem passu incedunt contractus, qui fiunt cum Deo, vota professio, & votum priuatum; atque matrimonium: Sed illa iure naturæ sunt inualida, si metu graui sint excussa: Ergo & matrimonium. Probatur maior, nam matrimonium est signum coniunctionis Ecclesiæ, vel animæ cum Deo; signum autem mensurat signatum.

70 Probatvr quartò à S.Doctore, quoad matrimonium, quia contractus matrimonij est per amorem, atque hic amor coniugalis debet esse perpetuus, iuxta Apostoli dictum: *Viri diligite Vxores, sicut Christus Ecclesiam*; sed consensus coactus non est cum amore: Ergo.

Probatvr quintò à S.Doctore; quia in contractu oneroso debent esse æquales, vt dans retribuat æquè: sed vbi est metus grauis, non datur æqualitas: ergo contractus onerosus non est iure naturæ validus, si fiat ex graui metu.

71 Probatvr sextò validè, argumento sumpto è D.Bonauent. 4. *dist.* 27. *art.* 2. *quæst.* 1. *argumento* 4. *addito responso*. Ius naturale dictat, vt nullus reportet commodum ex damno, quod vnus, ob dolum, iniuriam, & malitiam suam, alteri dat, vt omnia iura clamant, 30. *quæst.* 1. *cap. Dictum*, *cap. sedes Apostolica*, *cap. ex tenore de rescript. cap. ex litteris de dolo*, & *leg. quoties*, §. *qui dolo*, *ff. de probat.* At multum admodum commodi reportaret, qui metu graui excuteret ab alio consensum ad contractum ex malitia, & iniquitate, nisi contractus esset iure naturæ irritus; posset enim in conscientia retinere rem, & fructus eius interim, vsque dum à iudice rescinderetur contractus, quod est ingens absurdum; absurda autem sunt de iure maximè vitanda, *Leg. Nam quod absurdum*, *ff. operis lib. cap. dudum de prebend. in* 6.

72 Respondet Fagundex *num.* 10. teneri tunc in foro conscientiæ omnia restituere, & hoc grauiter iniungit Confessariis pro eorum tribunali, quod est tribunal veritatis. Teneri autem ait ad hanc restitutionem ratione damni illati; nam ius naturæ id iubet, non autem ratione contractus.

Contra arguo validissimè. Id, quod infert damnum contra ius naturæ, est iure naturæ vetitum, si ex vi actionis formaliter damnum sequitur; sed per te ex contractu metu extorto producitur, & infertur damnum contra ius naturæ: Ergo & talis contractus est iure naturæ vetitus, & nullus.

73 Hanc impugnationem validè roboro argumento Dianæ. Innumeri ferè Doctores, & aliqui ex aduersariis, vt Lessius, Sanchez, Nauarrus, & Syluester apud Poncium *n.* 6. asserunt, eum, qui iniustè aliquid per vim, & metum extorquet à donante, teneri ad restitutionem: Ergo neque transfertur dominium, atque adeo non fuit validus contractus iure naturæ; nam si iure naturali valeret, non esset restituendum ante iudicis sententiam; nam dominium sic esset translatum.

74 Cvm igitur bis non sit delatum dominium, atque adeo sint in continuo onere restitutionis, vt docet D. Bonauentura *in speculo animæ, cap.* 2. circa finem; sequitur, iure naturæ esse inualidum. Ex quo deducunt Poncius, & Rebellus in Lessio, & Sanchez graues inconsequentias.

Hic aduerto, Fagundium *num.* 2. *in primo argumento*, vrgere pro nobis, se si inferamus, quod si contractus liberales, metu extorti, sunt irriti, multò magis onerosi; sed è contra, nam qui donat ex metu, nil recipit, & qui contrahit, dando rem pro re æqualem, recipit etiam aliam rem, vnde minus specificè grauatur, atque adeò est iniuria naturæ, specie inferior. Vnde magis liberet arguere: si contractus onerosus, metu extortus, est iustus iure naturæ, multo magis gratuitus donationum, promissionum, &c.

75 Argvmento ergo respondet Caspensis *numero* 38. ex mente Vasquez, Onerosos esse ipso iure naturæ validos, quia est titulus sufficiens ad illorum valorem, scilicet dati, & accepti. Lucratiuos autem non esse validos iure naturæ, quia in his nullus alius est titulus ad transferendum dominium, præter voluntatem, quæ cùm sit coacta, non est sufficiens ad transferendum dominium.

76 Sed vtrumque inualidum ex aliis capitibus ostendi, nempe, quia deest consensus, quidquid obmurmuret Caspensis *num.* 39. qui ineptè arguit: metus leuis non reddit irritos contractus iure naturæ, vt constat ex *leg. Vani timoris*, *ff. de reg. iuris*, & *Leg. metum*, *ff. de eo quod metus causa*; cùm tamen metus leuis inferat iniuriam: Ergo neque grauis.

Respondetvr autem; disparem esse rationem, quia metus grauis tollit consensus libertatem, non sic leuis, vt aduertit S. Doctor *in fine corporis*.

77 Argvmento autem nostro suprà, & impugnationi respondet Caspens. *num.* 40. & 41. cum Bassæo,

cales

tales contractus esse simpliciter voluntarios, & liberos, neque satis esse ad eos irritos reddendos, si teneatur ad restitutionem; nam simul esse possunt, nec repugnant, & contractum esse validum, & esse obligationem rescindendi, si alter velit.

77 CONTRA enim est, quia argumentum sumebatur à debito restitutionis, vt videre est suprà.

EX dictis etiam patet, falsam esse secundam conclusionem Caspensis *num.* 44. contractus (exceptis perpaucis, idest, matrimonio, sponsalibus, religiosa professione, Testibus adhibitis in testamento promissionum rerum Ecclesiæ, absolutione à censuris) non esse iure positiuo irritos; sed irritandos, quod probat ex quibusdam iuribus, vbi facta per metum rescindenda sunt *Leg. vlt. Cod. de his, quæ vi, & cap. Abbas, de his, quæ vi.* Et *Instit. de except.* in principio.

RESPONDETVR enim, aliqua iura solùm definire, declarandos esse irritos tales contractus, nam alia iura clarè asserunt esse irritos.

78 QVÆSTIO verò esse potest: An etiam ex metu leui, contractus irriti sint iure.

PRIMA opinio est, tales contractus in conscientia esse irritos. Ità Panorm. *in cap. ad Audientiam,* & alij Canonistæ, quos allegat Molina *Tract. 2. disput.* 326. de Legibus, Bartolus, *in Leg. metum,* & alij.

EX Theologis Sotus *lib. 6. de Iust. quæst. 1. art. 4. & lib. 8. quæst. 1. art. 7. ad 3.* Sà *verb. contractus, numero* 3. Carbo *quæst. 46. de restit.* Palar. *lib. 4. de contract. cap. 9.* Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 2. num. 46.* Rebellius *p. p. lib. 1. quæst. 5.* iniunctis his, quæ dicit *num. 9. & 26.* Sanchez *de matrim. lib. 4. disp. 9. num. 4.* Tanner. *hic, disp. 4. quæst. 6. num. 351.* qui affert rationem, quia ille metus est causa contractus, qui non esset factus, & refert multos textus vtriusque Iuris, qui solùm dicunt, metum, & vim reddere contractus irritos; sed intelligunt metum æquiualentem vi, nempe, grauem, qui dicitur metus simpliciter.

79 QVANDO enim aliquid dicitur tale absolutè, intelligitur simpliciter tale, non secundùm quid tale. Ex quo habes, non rectè Lessium inferre, teneri hanc sententiam sustinere quotquot tenuere, metum cadentem in virum constantem irritare iure naturæ contractum. Inter hos autem recenset D. Bonouent. 4. *dist.* 39. *quæst. 1.* Sotum *ibi, quæst. vnic.* Gabr. *quæst. 2. art. 2. in supplem.* excipit autem matrimonium, quem metu leui non irritari docet cum aliis; etsi alij dicant irritari, inter quos recenset D. Bonauenturam ponendum.

80 ALTERA sententia est, tales contractus in conscientia esse validos. Ità Medina *Cod. de restitut. quæst. 3. causa 9.* Basilius Poncius *de matrim. lib. 4. cap. 10. num. 5.* Fagundez *lib. 1. cap. 6. num. 12.* Menochius *lib. 2. de arbitr. centur. 2. casu 136. num. 2.* Franciscus Ripa *lib. 3. resp. cap. 15. num. 8.* Bonacina *disput. 3. quæst. 1. puncto 2. §. 3.* & alij apud istos, addentes, contractus posse irritari, si tamen contractus sint irritabiles; nam si irritabiles non sint, docent, vtroque iure esse validos, vt matrimonium, professionem religionis, & sacrorum ordinum, sic & Fagundex suprà.

QVOAD D. Bonauent. censet nullum contractum talem, iure naturæ esse irritum, & quo ad matrimonium, & alios contractus perpetuos, ait, nullo iure posse eos hinc reuocari. Ratio est, quam cæteri adhibent, quia metus hic non labefactat libertatem, vt actus ille non sit liber. Ex quo ruit fundamentum aduersum.

EX his deducit Caspensis *num.* 47. ea, quæ metu 81 leui fiunt, non esse rescindenda aliquo iure, quia hæc actio datur in iure, solùm, ob metum grauem; attamen in foro conscientiæ rescindi posse, si passus velit.

INFERT etiam, ea, quæ ex metu reuerentiali acta sunt, posse rescindi; & eum, qui inde commodum percipit, teneri ad restitutionem, quia, quamuis hic metus grauis non sit; est tamen iniuriosus, & causa actus. Ità Nauar. *cap. 17. num. 155.* Petrus Nauar. *lib. 3. cap. primo, dub. 7.* & alij. Itaque rescisso contractu, tenebitur restitutioni is, qui metu eum iniecerit. Sic filius, qui timens patris indignationem, promisit soluere eius legata, vel debita, non tenetur.

PRO coronide aduertunt Molina *Tom. 2. dis-* 82 *put.* 267. Lessius *tract. 2. lib. 2. dub. 6. num.* 39. Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 8. num. 7.* Fagundez *cap. 6. num.* 13. parum referre; an metus incutiatur à contrahente, an alio tertio, idem enim de vtroque sentiendum.

QVÆSTIO V.

De Contractibus conditionalibus.

D. Bonauent. in 4. dist. 28. quæst. 5.

NOTANDVM ex D. Bonauentura, contra- 83 ctum conditionalem requirere ad sui esse aliquam conditionem. Potest autem conditio esse de præterito, vel de præsenti, aut de futuro: Rursus vel honesta, vel inhonesta, vel necessaria, vel contingens.

SI conditio sit de præterito euentu, vel præsenti, non suspendit consensum, quia iam conditio posita est, vel non est posita, & aliter fieri nequit, vt si dones mihi prædium, si anno præterito fui Romæ. Vel accipio te in vxorem, si est mortuus Pater tuus, vel si es virgo. Ità S. Doctor, quem sequuntur plurimi apud Sanchez *lib. 5. de matrim. disput.* 6. Rebell. *lib. 21 quæst.* 151 Ideò non suspenditur contractus ex vi talis conditionis, vt explicat S. Doctor, & cum eo Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 10. num. 4. & 5. & lib. 4. decal. disp.* 33.

SI verò sint de futuro conditiones contingentes, 84 suspenditur contractus, quo vsque conditio impleatur, & tunc contractus adducit obligationem absolutam, & ideò non requiritur nouus consensus contrahentium. Ità plurimis adductis Sanchez *disput. 8. de matrim. lib. 5.* Azor *3. part. lib. 6. cap. 15. & p. p. lib. 11. cap. 7. quæsit. 9.* Nauar. *sum. Lat. cap. 5. numero* 63. Innocent. *in cap. 1. num. 4. & in cap. super eo,* in fine.

SI vero conditiones sint necessariæ, non censentur 85 suspendere contractum, quia conditiones illæ sunt necessariæ, vt si dicas: accipio te in coniugem, si sol cras orietur. Ità D. Bonauent. & cum eo Azor *p. p. lib. 11. cap. 15. quæsit. 9.* Sanchez *lib. 5. de matrim. disp. 5. num. 1. & lib. 4. Decal. cap.* 23. Suarez *Tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 12. num. 16.* Fagundez *lib. 1. de contract. cap. 7. num. 6.*

SI verò conditio sit naturaliter, vel moraliter impossibilis, diuerso modo sentiunt Doctores.

MVLTI enim dicunt, talem conditionem vitiare 86 contractum ipso iure. Ità Lessius *lib. 2. cap. 18. dub. 15. num.* 121. Azor *p. p. lib. 11. cap. 15. quæsit. 9.* Sanchez *tract. 1. decal. cap. 53. num. 8.* Bonacina *de contract.*

disp. 3. *quæst.* 1. *puncto* 4. *num.* 10. Vasquez *de restit. c.* 7. *disp.* 10. loquens de testamentis, & habetur *Leg. seruo manumisso, ff. de condit. instit.*

ALII dicunt, talem conditionem censeri tanquam non appositam, & contractum valere. Hæc videtur sententia D. Bonauenturæ, nam & de conditionibus, quæ non possunt moraliter impleri, ait, censendas conditiones pro non adiectis. Id sentiunt Philiarch. *tract.* 1. *de offic. sacerd. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 21. & alij.

87 SI verò sit conditio contraria substantiæ contractus, erit nullus, vt de Matrimonio asserit D. Bonauent. *loco cit* patet *ex cap. fin. de condit. apposit.* & *cap. solet* 32. *quæst.* 2. & *lib.* 5. *tit.* 4. *part.* 4. & ratio D. Bonauent. est, quia sine substantia propria res non subsistit, *cap. tua nos de sponsal. cap. detrahe* 1. *quæst.* 1. facit *leg. cùm hi*, §. *si Prætor, ff. de transact.* Ità etiam D. Thom 3. *part. quæst.* 47. *art.* 5. *in addit.* Idem de aliis contractibus, docent communiter Doctores apud Fagundez *lib.* 1. *cap.* 7.

QVÆRIT verò S. Bonauent. de hac conditione praua: Contraho tecum, si vtaris veneno ad sterilitatem in nostro matrimonio.

88 RESPONDET S. Doctor, irritare matrimonium. Sic etiam Paludanus 4. *dist.* 29. *quæst.* 2. *art.* 5. *num.* 27. Sanchez *lib.* 5. *de matrim. disp.* 9. *num.* 8. Fagundez *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 24. Ratio est, quia perinde est ac se obligare ad ea venena sumenda, quod est contra substantiam matrimonij, vt notat S. Doctor.

QVOD si conditio sit praua, sed non contra substantiam contractus, vt: accipio te in maritum, dummodò fureris. Dico, has conditiones censendas tanquam non appositas, & validum esse contractum, quare computantur cum conditionibus moraliter impossibilibus. Id enim solùm possumus, quod licitè, & iustè possumus *Lege Nepos.* Proculo 125. *ff. de verb. signific.* Ità D. Bonauent. *loco cit.* quem sequuntur Ludouicus Lopez 2. *part. Instruct. lib.* 11. *de matrim. cap.* 12. Palat. *lib.* 5. *de contract. cap. vlt. folio* 498. Sotus *in* 4. *dist.* 29. *quæst.* 1. *art.* 3. Gregorius Lopez *lib.* 6. *verbo si furata res, titulo* 4. *part.* 4.

89 QVANDO verò conditiones turpes sunt de præsenti, aut præterito, cum sint iam, vel non sint iam actu: Si sunt; valet contractus; aliter est irritus. Ità D. Thom. 4. *dist.* 29. *quæst. vnic. art.* 3. *quæst.* 3. Paludanus *ibi quæst.* 2. *art.* 5. *num.* 28. Palatius *lib.* 5. *de contract. cap. vlt. fol.* 498. Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 12. *num.* 7. Alexander de Neuo *in cap. de illis, num.* 18. Couar. *in* 4. *Decretal.* 2. *part. cap.* 3. §. 2. *num.* 2. Syluest. V. *matrim.* 3. *quæsit.* 1. Fagundez *num.* 18.

90 SI conditio sit de futuro, pendens à voluntate tertij, & sit positiua, attendendus est primus actus voluntatis tertij, vt: spondeo te mihi, si meus pater voluerit. Si verò sit negatiua, attendendi sunt omnes actus, *v.g.* si meus pater non contradixerit, tunc quocunque tempore contradixerit, si adhuc res est integra, erit contractus irritus, quia de natura negationis est, vt omnia destruat.

91 SI promittas sub hac conditione: si Petrus det Francisco domum, satis erit, si ille offerat, etiamsi Franciscus non acceptet., quia per eum non stetit *Leg. debitor, ff. de vsuris.* Azor *p. p. lib.* 11. *cap.* 15. *quæsito* 9. & deducitur *ex Leg. si ita, ff. de condit. inst.* & *ex Lege, statu liber, ff. de statu libero.* Idem docent Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 33. *num.* 19. & *lib.* 4. *Decal. cap.* 23. *num.* 18.

92 SI conditio apposita contractui impediatur ab altero contrahente, consentiente altero; iam vterque recedit à contractu; si verò altero inuito, tenetur impediens ad contractum, ac si conditio esset impleta. Ità Roderic. à Cunha *in decret. in cap. quo ad nos, dist.* 47. Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 15. Sanchez *lib.* 4. *decal. cap.* 23. *num.* 47. Fagundex *cap.* 7. *num.* 26. Probatur ex regula: *Cum per eum non stat* 66. *de regul. iuris in* 6. & *ex regula in iure ciuili* 122. *ff. de regulis iuris*, & *Leg. in executione* 85. §. *fin. ff. de verb. oblig.*

Ratio est, quia contractus requirit bonam fidem 93
in apposita conditione, quam ideò non debet impedire, vel per se, vel per alium. Vide Sanchez *loco cit. num* 48.

Addit S. Doctor, quod si conditio matrimonij est per modum pœnæ, nullius est vigoris, quia debet esse liberum; vnde, etiamsi non contrahat, non tenetur illi pœnæ.

QVÆSTIO VI.

De obligatione, quæ resultat ex valido Contractu.

REGVLA generalis est apud Doctores. Contra- 94
ctus validè celebratus parit naturalem obligationem in foro Poli, ita vt vna pars non possit ab ea recedere in conscientia. Ità communiter Doctores cum D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 27. & *sequentibus*, passim.

DIXI validè celebratus, quia sæpè contractus prohibentur à iure positiuo, vel præcipiuntur tali solemnitate, sine qua irriti sunt, vt aduertit Suarez *lib.* 5. *de Legibus, cap.* 24. Salas *dist.* 16. *sect.* 4. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 1. *puncto* 7. §. 5.

SI lex positiua non reddat personas inhabiles, 95
sed simpliciter irritet contractum factum sine tali solemnitate, tunc disputatur: an in foro Poli valeat.

COMMVNIS sententia docet, non valere. Ità Suarez, Salas, & Bonacina allegati, Azor *part.* 3. *lib.* 6. *cap.* 9. Fagundez *lib.* 1. *cap.* 4. *de contract. num.* 7.

RATIO D. Bonau. *in* 4. *dist.* 28. *quæst.* 5. est, quia bonum commune, & publicum naturaliter præponderat priuato; sæpe autem ad euitanda inconuenientia lex ciuilis subintrat. Vide S. Doctorem *in corpore*, & *ad* 1. vbi, vt reos afferr inhabilitationem personarum in exemplum partiale eorum, quæ solet ius decernere ad irritandos contractus.

VBI etiam videtur docere, non omnes actus, 96
vel omissiones, à lege vetitas, irritare contractus. Signum autem inualiditatis insigne est, si lex dicat, *ipso iure*, vel *facto*, sit irritus. Vide Suarez *lib.* 5. *de legibus, cap.* 26. & 32. Bonacina *de contract. disp.* 3. *quæst.* 1. *puncto* 3. Similiter si lex dicat, non possint contrahere. Ità Sanchez *lib.* 6. *decal. cap.* 12. *num.* 10. & *lib.* 6. *de matrim. disp.* 38. *num.* 20. & hanc sententiam iam communissimam esse docet Fagundez *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 11.

QVOD si lex decernat aliquid, supponens con- 97
tractum iam factum, non censetur irritare. Ità Suarez *lib.* 5. *cap.* 32. vt si decernatur ex tali venditione solutio gabellæ, alioqui sit irritus ille contractus.

QVÆRES: an quando lex irritat contractus ex præsumptione fraudis, sint validi, vbi non fuerit fraus.

RESPONDETVR; si Lex absolutè irritat ex 98
præsumptione, quod in eis aliter factis possit subesse fraus, erunt semper irriti; Lex enim absolutè loquens, absolutè est accipienda, *ex Leg. pretio, ff. de publican. Leg.* 2. §. & *generaliter, ff. de legatis, præstand.*

*stand. Leg.*1. §. *quod autem*, *ff.de decuribus*, Menochius *cons.*74. Ratio est, quia radix est mala communiter, vt notat S. Doctor *in speculo animæ*, *cap.* 2. §. *Quartus fructus rapina.* Et hoc modo communiter fiunt irritationes contractuum.

ADVERTE tamen, sæpe è contractibus resultare euictionem, quæ est amissio iusti tituli, quo quis rem alienam possidebat.

99 OBSERVANDUM etiam, multas esse obligationes ad euitandam negligentiam culpabilem. Est autem alia culpa lata; alia leuis; alia leuissima. Aliqui addunt latissimam, quæ est Dolus, vt notat Bart. *in Leg. Quod Nerua*, *ff.depositi*, qui addit etiam culpam latiorem, quæ est dolus præsumptus, sed hæ ad culpam latam reducuntur.

100 CULPA lata, est omissio diligentiæ, ordinariæ hominibus prouidis, ad res suas custodiendas: Vt si librum tibi comodatum ponas in via publica.

LEVIS est omissio diligentiæ solitæ apud diligentiores; vt si domum claue non obseres.

LEVISSIMA est omissio diligentiæ, quam adhibent diligentissimi; vt si exiens, & putans portam claue clausam, non tentes, an ita sit, *Leg. si Pater*, *ff. ad Legem Aquil. Leg. Diuus*, *ff. de offic. pret.*

101 PRIMA regula est. Quando contractus fit in solam vtilitatem accipientis, tenetur is de culpa leuissima, & à fortiori de leui, & lata. Ità Molina *tract.*2. *disput.*293. *num.* 13. Nauar. *sum. cap.*17. *numero* 184. Syluester V. *culpa*, *num* 84. & *verb. commodatum*, *quæst.*8. Lessius *lib.*2. *cap.*2. *dub.*3. *num.*15. Bonacina *de contract. disp.* 3. *quæst.* 1. *puncto* 6. Pater *ex Leg. Vinus*, *de offic. præsid.* & *Leg. si putator*, *ff.ad Leg. Aquiliam.* Exemplum est, si vestem habes commodatam, & ponis eam in arca, non obserata.

EXCIPE tamen eum, qui accipit precariò, qui tenetur solùm de culpa lata, seu dolo *Leg. contractus*, *ff.de reg. iuris*, & *Leg. Quæsitum*, §. *& illud*, *ff. de precario.* Ità Syluester, *verb. precarium.*

102 SECUNDA regula. Quando contractus redundat in vtilitatem solius dantis, tunc tenetur accipiens solùm de culpa lata, seu dolo; vt si deposuisti apud me centum aureos, vt eos tibi seruem gratis.

TERTIA regula est. Si contractus sit in vtriusque vtilitatem, tenetur accipiens de culpa leui, & lata, non de leuissima.

103 AN autem hæ regulæ valeant tantùm in foro Soli, an etiam in foro Poli; discissæ sunt opiniones, & vtrinque probabilitas stat. Vide Fagundez *lib.*15. *cap.*50.

QVÆSTIO VII.

Quæ personæ Contractus inire queant; & quæ non.

104 PRIMO loco à contrahendo excluduntur amentes, & furiosi. Ità asserit S.Bonauent. *in* 4. *dist.*34. *art.* 3. *quæst.*1.

OBSERVAT autem S. Doctor plures esse species amentium. Aliqui enim sunt perpetuò amentes; alij habent lucida interualla, & ad hanc speciem reducunt ebrios. Hæ tres species patent *in Leg. Hoc colore*, 2. *ff.de inoffic. test.* iuncta *Leg.* 17. *ff. de Testament.*

105 ASSERO primò. Perpetuò amentes sunt inhabiles ad contractus ineundos, & ad testamenta condenda, & ad matrimonium.

QVOAD contractus etiam matrimonij patet ex § *furiosus*, *Instit. de inut. stipul.* & *in Leg. vbi non voce*, §. *furiosus*, *ff.de reg. iuris*, D.Bonauent. *loco citato*, D.Thom. *eadem. dist. quæst. vnic. art.*4. Sanchez *lib.*1. *de matrim. disp.*8. *num.* 15. Fagundez *lib.*1. *de contract. capite* 11.

RATIO D. Bonauenturæ vniuersalis, qua vtun- 106
tur cæteri, est, quia ad contractum requiritur liber consensus; sed hoc carent isti, qui ideò nec mereri valent, nec demereri, ac proinde nec se obligare, quia tanquam mortui habentur, *Leg. Qui ad certum*, *ff. locat. Leg. Bonorum*, *ff. rem ratam haberi.*

OBIICIES Fabianum Papam, cap. furiosus, 32. q.7. *Neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt, sed si contractum fuerit, non separentur.*

RESPONDET Fagundez *num.* 3. ex D. Bonauent. *in* 4. *dist.*34. *dub.*7. *lit.* Pontificem loqui de furiosis in actu, qui nequeunt contrahere; enim verò contrahentes, tempore sanæ mentis, etiam si postea desipiant, vel caput in cerasam impingant, erit validum matrimonium.

DICO secundò, furiosos habentes lucida inter- 107
ualla, atque adeò ad mentis redeunt sanitatem, posse contrahere, & testamenta facere ex *Leg. cùm furiosus*, *ff.de iudicijs*, & docent communiter Doctores cum D.Bonauent. allegato.

RATIO S.Doctoris, qua cæteri vtuntur, est, quia adest libertas ad consensum.

Ardua est autem probatio lucidi interualli, quia malè de his præsumitur: requiritur autem, vt per aliquod tempus considerabile agat opera prudentia iudicio, arguentia perfectum rationis vsum. Ità Burgos *de paz. consil.*11. *num.*29. Surdus *consil.*89. *num.*43. Fagundez *cap.*11. *num.*6.

IN dubio autem, quando non constat perpetuus 108
furor, præsumendum est, eum esse sanæ mentis, quia natura non solet producere homines furiosos, sed iudicio præditos; quare cùm hæc præsumptio sit naturalis, illi standum. Ità Reinosus *observ.* 32. Gloss. V. *probari in Leg. nè Codicillos*, *Cod. de codicill.* & *in cap. vlt. v. compotem*, *de success. ab intest.* Boet. *decis.* 23. Mantica *de coniect. vlt. vol. lib.*7. *tit.*15. *num.*3. Conar. *in* 4. *decretal.* 2. *part. num.*5. Menoch. cum plurimis *lib.*6. *præsumpt.*45. *num.*18. Sanchez *lib.*1. *de matrim. disp.*8. *num.*17. & constat *ex text. in Leg.* 2. *Cod. qui testam. facere possunt.*

INSTAR amentium censentur prodigi. Est autem 109
prodigus ille, qui profusus absque discretione dat non danda, absumens, dilapidansque sua bona, vt docet D.Bonauent. *in opusc. terminorum Theologiæ declaratio*, & Vlpianus *leg.* 1. *v. minoribus*, *ff. de curat. furios:* Gregorius Lopez *lib.*5. *tit.*11. *part.*5. Vnde prodigalitas est vitium profusionis suarum rerum sine causa dissipatiuum, vt ait S. Doctor, & est vitium contra virtutem prudentiæ, & temperantiæ, vt colligitur *ex text. in cap. sæpe*, *dist.*45. & ex glossa *in cap. ex parte penult. de consuet.* & docet Cunha *dist.* 86. *cap.*15. *num.*4. Quare antiquitus dabantur prodigis tutores, quasi insanis, Sic vsitatum apud Athenas testatur Athæneus *lib.*4. *cœnæ sapientum*, *cap.*20. sic etiam Romani suis legibus id decreuerant, & in Lusitania id practicatur *lib.* 4. *nou. ordin. tit.*103. furiosis enim in hoc æquiparantur prodigi, vt indicat S.Doctor *in* 15. *Lucæ* ad ea verba: *In se autem reuersus.* Et ad ea verba: *Erat filius senior in agro*: dicitur enim senior, quia sensatus: & ad ea verba: *Filius meus mortuus erat*, *& reuixit*, censentur enim prodigi, quasi mortui ob prudentiæ, & rationis inopiam, qua laborant.

110 Nᴇǫᴠᴇ obstat *l. in re mandata*, *Cod. mandati*, quæ concedit rebus suis abuti; id enim habetur verum, quando quis omni vitio mentis caret. Deinde verum est, antequàm ei auferatur administratio.

Vᴛ autem quis probetur prodigus, facta sunt inspicienda, aliqui enim videntur prudenter loqui, sed imprudenter operari, *Leg. is qui* 12. *ff. de tutor. & curat.*

Iɢɪᴛᴠʀ actiones prodigi, antequam datus sit ei curator, validæ sunt; postea verò nequaquam absque authoritate curatoris, *Leg. Iulianus*, *ff. de tutor. furios.* Ante verò Iudicis prouisionem, si prodigus alienet, potest recurri ad iudicem, vt redimat, vt dicunt Iuristæ apud Fagundez *lib.* 1. *cap.* 11.

111 Pʀᴏʙᴀʙɪᴛᴠʀ sanè prodigus resipuisse, si bienoio saltem prudenter agat, vt dicunt Doctores.

Eᴛ verò si prodigus notorius eligatur ad gubernationem Ecclesiæ, talis electio erit nulla, quia est nociua Ecclesiæ, *argumento*, *leg. final. Cod. de sent. pass.*

Sᴇǫᴠᴠɴᴛᴠʀ minores, & impuberes, quibus incundi contractus facultas interdicitur.

Dɪᴄᴠɴᴛᴠʀ autem filij infantes vsque ad septimum annum; ab eo autem vsque ad annos pubertatis impuberes; incipit autem in masculis pubertas quarto decimo anno; in fæmellis duodecimo; eaiode verò vsque ad annum vigesimum quintum dicuntur minores, vt docent communiter cum D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 27. *art.* 2. *quæst.* 1. & quidem ante septeonium pueri, & puellæ nequeunt contrahere, vt docent omnes cum D.Bonauent. *dist. cit. quæst.* 2.

112 Ratio est, quia deest consensus liber; ea inde vsque ad annos pubertatis dantur tutores, quo tempore sunt pupilli; posteà vsque ad annum vigesimum quintum Curatores, & si ante hunc annum probetur læsus, poterit in integrum restitui, *Leg. in causa* 13. §. *interdum*, & *Leg. Quod si minor*, §. *non semper*, *ff. de minoribus*.

Pʀæsᴄʀɪʙɪᴛᴠʀ autem quadriennium post maioritatem ad restitutionem in integrum, iuxta Clementinam *vnic. de restit. in integrum*, & *Leg final.* vbi Doctores, *de restit. in integrum*, & hoc tempus currit à puncto celebrationis contractus. Ità docent Antonios Picardus, *lib.* 2. *instit. titulo* 19. & alij apud Fagondez *cap.* 12.

113 Oᴍɴᴇs igitur contractus minorum, vt validi sint, requirunt decretum Iudicis, & consensum curatorum, seu tutorum, si pupilli sint, & vnum sine altero non sufficit. Vnde alienatio bonorum minorum sine altero non sufficit. Hinc alienatio bonorum minorum, sine decreto iudicis, & consensu curatorum, vel tutorum respectiuè, nulla est, vt ostendit S. Doctor *in* 4. *dist.* 15. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad arg.*

Rᴇɪɴᴏsᴠs *obser.* 30. Hercules Marescot *lib.* 1. *variarum resol. cap.* 68. *num.* 8. & *leg. cit.* 38. *num.* 15. Bartol. & alij *in Leg. Cùm hi*, §. *eam transactionem*, *ff de transact.* Dummodo tamen absit fraus, & dolus, alioqui erunt irriti, *leg.* 1. *ff. de minoribus*, & *leg. finali.* Posset tamen masculus maior viginti annis, & fœmina maior decimo octauo anno, petere à Principe habilitatem.

114 Aᴅᴠᴇʀᴛᴇ autem, quod alienatio, vel contractus minorum gestus sine decreto iudicis, & consensu tutoris, est inualidus, & non reualidatur, si post initum contractum adueniant. Ratio est, quia hæc interueniunt vt causa, quæ debet præcedere, vt notat Fagundez *cap.* 12. *num.* 16. & innuit D.Bonauent. *in* 4. *dist.* 29 & 30. passim; consensus enim debet præcedere debitus, non subsequi.

Aᴅᴠᴇʀᴛᴇ secundò, tutores, curatores, eorumvè filios, aut vxores non posse emere bona pupilli; alioqui venditio est inualida *Leg. Non licet*, & *Leg. si emptione* 23.

115 Qᴠæʀᴇs: an pupilli saltem in foro conscientiæ se possint obligare contractibus.

Pʀɪᴍᴀ sententia est negatiua plurimorum apud Fagundez, *cap.* 13.

Sᴇᴄᴠɴᴅᴀ est assertiua plurimorum *ibi*, & videtur probabilior.

Rᴀᴛɪᴏ est, quia contractus, factus à curatore, firmatur à iuramento, vt probat Sanchez *lib.* 6. *de matrim. disp.* 38. *num.* 13. Ergo ex illo oritur obligatio naturalis.

Confirmatur; nam minores, & pupilli possunt se votis Deo consecrare absque tutoribus, vt docent cum D.Bonauent. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 3. alij.

116 Fɪʟɪɪ etiam familias, nempe qui sub potestate Patris sunt, etiamsi viginti quinque annos excedant, possunt quidem circa bona Castrensia, & quasi Castrensia contrahere, quia circa hæc plenissimum habent ius, ita, vt de eis possint etiam testari, vt Doctores plerique astruunt apud Molinam *Tract.* 2. *disp.* 131. Fagundez *lib.* 1. *cap.* 14.

Cɪʀᴄᴀ bona verò aduentitia, cùm de his habeat pater vsumfructum, non potest filius donare, aut disponere inter viuos per quemlibet contractum: Non possunt verò filij donare causa mortis sine consensu patris.

De profectitiis autem, cùm sint omnino patris, nil potest filius disponere, nisi de licentia patris. Quod si de his duobus contrahant, datur in eos actio, vt ait Bassæus V *Contractus*.

117 Oʙsᴇʀᴠᴀ tamen, posse filium egredi è potestate paterna multis viis.

Pʀɪᴍᴀ est per emancipationem, quæ consistit in supplemento ætatis, concesso à Principe, de quo *Instit. quibus modis ius patriæ potestatis soluitur*, §. *præterea*.

Dᴇ iure tamen communi, patre, & filio comparentibus coram iudice, filius egreditur reciproco consensu, vt probat Molina *disp* 229. De eodem iure communi emancipatio propriè est, quando pater filium emancipat *L. g.* 3. *ff. de iis, qui sunt sui, vel alieni iuris princip. Instit.* & *Leg. iubemus*, & *Leg. vlt. Cod. de emancip.*

118 Sᴇᴄᴠɴᴅᴀ est per mortem patris, tunc enim profectò egreditur de potestate eius.

Tᴇʀᴛɪᴀ est per hæresim patris, etiam occultam, *cap.* 2. §. *vlt. de hæret. in* 6. Vide Molinam *Tract.* 2. *disp.* 9. Sanchez *lib.* 2. *decal. cap.* 24. *num.* 5.

Qᴠᴀʀᴛᴀ via est matrimonium, quod inuitis parentibus potest esse, vt docet D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 29. *quæst. vlt.* vbi ostendit, nullum posse eum vetare, quin matrimonium contrahat.

Qᴠɪɴᴛᴀ est per professionem patris, vel filij in Religione.

Sᴇxᴛᴀ secundùm alios, est susceptio sacrorum Ordinum.

119 Sᴇᴘᴛɪᴍᴀ per assumptionem filij ad Episcopatum, siue etiam Patris.

Oᴄᴛᴀᴠᴀ per dignitatem Patritiam in Consiliarium Regis, vel Præfecti prætorij.

Nᴏɴᴀ est, cùm pater capitur ab hostibus, vel eiicitur in exilium. Vide Fagundez *lib.* 1. *cap.* 18. *de contract.*

120 Sᴠʙsᴇǫᴠᴠɴᴛᴠʀ Religiosi, qui nihil donare, nullumvè possunt contractum inire absque licentia Superioris sui. Ità D. Bonauent. *in* 4 *dist.* 15. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. de quo agit Bassæus V. *Contractus*.

tractus.

tractus, & Fagundez *cap.* 19. & nos in *disput. de restit.* egimus.

SIMILITER serui excluduntur in iis rebus, secundùm quas sunt serui, & vxores in his, secundùm quas sunt sub potestate virorum, vt docet D. Bonauent. *in 4. dist.* 29. *quæst. vlt.* & hæc est regula generalis pro omnibus subditis, vt non possint contrahere, quò ad eas res, secundùm quas subditi sunt.

121 Ratio generalis D.Bonauenturæ est, quia ad contractum requiritur libertas, & potestas supra res contrahendas. Et hac regulâ multa solues.

QVÆSTIO VIII.

An, & quando liceat à contractu resilire, altera parte repugnante.

122 DE obligatione resultante ex contractu, aliqua dixi *quæst.* 6. quæ est seruare contractum, possunt tamen euenire casus, vt alter possit resilire.

PRIMO assero. Quando contractui cuicumque ex vtraque parte satisfactum est, neutri contrahenti in aliquo foro licet in conscientiâ, tum iure ciuili, tum Canonico à contractu recedere.

EST communis cum D. Bonauent. *in 4. dist.* 35. passim, Sanchez *Tom.* 1. *decal. lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 11. Meres *de maioratu, p.p. quæst.* 23. Molina *tomo* 1. *de iustitia, tract.* 2. *disp.* 258. Glossa *in Leg. ex placito, Cod. de rerum permut.* vbi asseritur alterum alteri teneri de euictione.

123 ASSERO secundò, parte altera repugnante, nefas est in vtroque foro, *Poli*, & *Soli*, à contractibus nominatis mutuo consensu initis resilire. Colligitur *ex cap. qualiter de pactis, iuxta leg. iuris gentium* 7. *ff. de pactis*, *Leg. si pecuniam*, *ff. de condict. causa data.*

ASSERO tertiò, quamuis pactum stipulatione firmatum sit, si tamen alter contrahentium ex parte sua implere illud noluerit, fas erit parti alteri secundùm vtrunque ius recedere à tali pacto, & repetere, si quid dedit. Ità Molina *tract.* 2. *disput.* 158. patet *ex leg.* 3. §. *idem erit*, *ff. de condict. causa data, non secuta.*

124 ASSERO quartò. Si præcisè attendamus iuris ciuilis dispositionem, potest quiuis contrahentium altero inuito recedere à quouis contractu innominato (modò res integra sit,) vt neutra ex parte sit satisfactum, maneatque intra limites nudi pacti; Molina *disp.* 258. Patet *ex leg.* 3. §. *præsertim in principio*, & §. 1. & *Leg. si pecuniam*, *ff. de condict. causa data*, & ex Glossa, & Bartol. *ibi*, estque communis omnium opinio. Imo si ex tua parte impleta res sit, non tamen ex altera parte, impunè poteris secundùm leges citatas recedere, etiamsi alter paratus sit ex parte sua implere.

RECTE tamen ex iisdem legibus obseruat Molina secundùm idem ius ciuile, non esse locum pœnitentiæ ei, qui non impleuit respectu eius, qui impleuerit.

125 ASSERO quintò. Interim dum vnus è contrahentibus non dissentit, nequit alter eo inuito, tam in foro conscientiæ, quàm secundùm vtrumque ius ciuile, & Canonicum recedere à nominato contractu iam inito, & perfecto, *leg. sicut* 5. *Cod. de act. & obligat.* iunctis illis iuribus, quæ ibi recenset Glossa, verbo *minimè*. Limita verò contractus precarij, mandati, & depositi; qui non prohibent concedentem, mandantem, & deponentem resilire.

DE Precario res est patens, *ex Leg. cum precario, ff. de precario*, De contractu mandati, patet *ex Leg. si mandauero*, 2. §. *finali*, & *Leg. si quis aliqui*, §. *qui suscepit*, *ff. mandati.* De contractu depositi colligitur ex *leg.* 1. §. *penult. ff. de depositi.*

ADDE etiam contractum societatis non habentem determinatum aliquod tempus affixum, *Leg. verum*, §. *finali*, *ff. pro socio.* 126

ASSERO sextò, quando contractus, præstito sibi consensu, non accipit ex eo nomen aliquod specificum, sed ad illud vindicandum vlteriùs rei traditionem desiderat, aut vtrinque, aut ex altera tantùm parte; Et adhuc tali traditione non est perfectus, potest quis interim, dum ita imperfectus est, si ius ciuile attendamus, resilire. Ità Couar. *in cap. quamuis pactum, 2. part.* §. 4. *num.* 14. Molina *Tom.* 2. *tract.* 2. *disp.* 257.

PROBATVR, quia huiusmodi contractus intra terminos nudi pacti manet; pactum autem nudum non parit obligationem in foro ciuili *leg. iuris gentium* 7. §. *finali*, *ff. de pactis*, *ibi* nuda pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem, *leg. ex placito*, *Cod. de rerum permut.* 127

IN foro tamen conscientiæ ex iure naturæ obligatio sequitur in omnibus contractibus & antequam ius ciuile introduceretur, iam obligabant, vt docet Vallascus *de iure emphyt. quæst.* 6. Molina allegatus, Padella *in Leg. Naturalis*, §. *etsi quidem*, *num.* 17. *ff. de præscript.* Gomez *Tom.* 2. *var.* & alij apud Fagundez *lib.* 1. *de contract. cap.* 25.

ASSERO septimò. Ius Canonicum pro tribunali suo non permittit recedere à contractu etiam nudo, *cap.* 1. *de pactis*, & *cap. iuramenti* 22 *quæst.* 5. 128


ASSERO octauò. Quando alter est in mora implendi, potest resilire secundùm omne ius, vt docent communiter Doctores *in regula mora, de regul. iur. in* 6.

ASSERO nonò. Potest Donator secundùm omne ius resilire à donatione, quamdiu Donatarius non acceptauit. Vide Couar. *in rubr. de testament.* 3. *part. numero* 13. Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disput.* 6. Molinam suprà *disput.* 258. Fagundez *lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 11.

ADDVNT hîc: an iuramento firmentur contractus, sed de hoc infra *disp. de Iuramento.* 129

HIC obiter Aduertendum è Bonacina *disput.* 3. *de contract. quæst.* 1. *part.* 1. *num.* 4. promittentem aliquid cum Iuramento posse, antequam acceptetur, suam promissionem reuocare. Ratio est, quia tunc Iuramentum est promissioni accessorium, cuius naturam tanquam sui principalis sequitur; nulla autem promissio obligat ante acceptationem.

IVRAMENTVM autem, contractui affixum, varios habet effectus; duplicem primò parit obligationem, vnam erga Deum, alteram erga hominem: verum si contractus non afficitur iuramento: perit secunda, & prima tantùm subsistit. Deinde parit actionem partis in iurantem. Tertiò facit, vt obligatio iuramento firmata ad hæredes transeat; est enim realis, non personalis: Hæc tamen intellige, quando Iuramentum afficit ipsum contractum. Ità Bonacina supra, cum Sanchez apud ipsum alegato. 130



DISPVTATIO II.

De acquisitione Dominij in Personas, & Res alias, per Diuisionem Rerum Acquisitas.



OMMVNEM rerum vsum natura instituit, cuique etiam suæ personæ dominium liberum reliquit; verùm subintrante per peccatum cupiditate, ac dominandi libidine, Iure Gentium primò inuectum est *Meum*, ac *Tuum* tam in Res, quam in personas, ne nimiâ licentiâ totum quisque sibi arripere moliretur; è duobus his titulis, tanquam è duplici eiusdem fontis riuulo, manarunt iugiter mille acquirendi artes, quas tandem longa firmauit consuetudo, ac multa locorum Iura sanxerunt. Hinc non possumus contractus inire, nisi dominium rerum contractarum habeamus, ideò ante disputationes de contractibus singulis, agendum de acquisitione dominij rerum, iure gentium.

QVÆSTIO I.

Quo iure facta sit prima rerum diuisio, & subiectio.

D.Bonau. in 2 dist 44 art.2.
D.Thom. 2 dist.44.quæst.1. art.2. & 3.

1 IN hac grauissima quæstione videndum est primò, quo pacto pretiosissima hominum libertas, quæ non benè pro toto venditur auro, temerata sit.

SVPPONIT autem S.Doctor in statu etiam naturæ integræ futuram fuisse præminentiam, atque prælationem; sicuti etiam inter Angelos, ne dum erat in via, sed nunc est etiam in patria: hæc enim optimè hierarchiæ conuenientissima est, quæ dicitur *Vis directiua*, vt sapientior dirigat minùs sapientem. Sic prima Corinth.11. dicitur: *Vir caput mulieris.*

2 ALIA est præexistentia, & prælatio legalis, qua Princeps subditos gubernat, atque coërcet ciuiliter.

TERTIA est subiectio seruitutis, quâ vnus homo est in alterius potestate despoticè, & hic modus seruitutis est miseria, de qua Aristoteles, *primo Polit. cap.3. & 4.*

HAS duas seruitutes in statu naturæ integræ ostendit S. Doctor non extitisse. Ideò ait, Deum non dixisse hominibus: *Dominamini inuicem*; sed solùm: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis vniuersæ terræ*, vt obseruat etiam D.Thomas 2.2. *quæst.66. art.1.*

3 IGITVR seruitutem à peccato ortam esse probat S.Doctor, non solùm post peccatum astruitur; sic Genes.9. ait Noë ad Chanaan *Seruus seruorum eris fratrum tuorum.* Et Exodi 21. *Si emeris Hebræum, sex annis seruiet tibi. in septimo autem egredietur liber.* Leuit. 25. *Seruus, & ancilla, qui in circuitu vestro sunt* (idest ex gentibus) *hos habebitis famulos: & hereditario iure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum.*

PECVLIARITER etiam Christianorum seruitutem exprimit Apostolus 1. Corinth.7 *Vnusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est, permaneat; seruus vocatus es? non sit tibi curæ; sed, si potes fieri liber, magis vtere.* Et prima Timot.6. *Quicumque sunt sub iugo serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur.* 4

HAC seruitute Imperatores pij damnarunt sæpè bello captos, quos poterant interficere, adiudicantes, seruitutem miseram morti ferè æquandam, qui ideò dicti serui, quia seruabantur; mancipiaque, quasi manu capta. Ita Molina *tract.1. de Iust. disp.32.* Fagund. *lib.2. de contractibus, cap.1.* 5

IVRE igitur in pœnam inuectam esse seruitutem ostendunt allatæ Scripturæ, atque adeò seruitutem non esse contra naturam corruptam, vt docent cum D. Bonau. etiam D.Thom. *loc. cit. & in 4. dist.36.* Nauar. in *C. Ita quorundam de Iudæis, notab.11.* Gloss. *penult. num.1.* Couar. *in regula peccatum, 2.p. § 11.* patet *ex C. Ius naturale, dist.1.* & ex Roderico Cunha *ad idem C. in p.1. decret.* & Fagundez *l.2. de contract. cap.1. num.6.*

DEINDE probatur à D. Bonau. ex D. August. *l.19. de ciuit. cap.15.* vbi id etiam probat, quia rationalem hominem ad imaginem Dei factum dominari noluit Deus, nisi irrationabilibus. Idem probat ex D.Gregorio. 6

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. argumento D. August. quo vtuntur alij allegati. Libertas homini inest à natura, tanquam ad Dei imaginem condito. Est autem libertas naturalis potestas, quâ licet homini facere quod vult. Ergo seruitus est contra naturam; sed non alio ex capite priuandus fuerit homo, naturâ liber, suâ libertate, nisi ex culpa: Ergo.

QVAMVIS igitur dominari sit dignitatis; tamen seruum esse dicit indignitatem, atque adeò non benè arguunt, dominium in seruos debuisse etiam in statu naturæ integræ esse, vt ait S. Doctor *ad 3.* Itaque ea peccato orta est, atque etiam occasione ebrietatis Noë fuit proclamata, & hoc vult D. Ambrosius *l. de Elia, & ieiunio, cap.5.* dicens: *Seruitus introducta fuit per peccatum ebrietatis*, vt refert D.Bonau. *ad 4.* 7

OPTIME autem ostendit S. Doct. *ad vltimum*, iustissimè seruitutem in statu peccati esse ponendam, scilicet ad oppressiones remouendas, & ad scelera arcenda. Si enim omnes essent liberi absque subiectione iam effræni cupiditate ferrentur in omne facinus; & Alter alterum opprimere conaretur.

QVATVOR verò titulis iam ex peccato cadunt aliqui in seruitutem. 8

PRIMVS est iure belli iusti, quo capti efficiuntur capientium, ità *Leg. Hostes, ff. de captiuit.* est autem iure gentium inuectum, vt probat *cap. cum Redemptor, 12. quæst.2.* vbi D. Gregorius, eius canonis author; ait, vt refert etiam D.Bonau. quæst.2. fund.1. *Homines, quos ab initio natura liberos protulit, ius gentium iugo subdidit seruitutis.*

Idem probat S.Doct. *quæst.2. argum.4. cum responso*, ex Instit. Iustiniani: *Bella exorta sunt, & captiuitates secutæ, & seruitus.*

CVM enim iure belli sit licitum, hostes occidere *C. ab illo, 24. quæst.4. C. quid culpatur, 23. quæst.1.* nihil æquius ad temperandum belli sæuientis rigorem existimari 9

existimari potuit, quàm, quod illis, qui necari poterant, vita ex misericordia donaretur, iuxta *c. noli* 23. *quæst.* 1. in fine. Vnde, vt iam dixi, dicuntur serui, quod seruentur viui, & mancipia, quod manu capiantur, cum possent occidi, *Leg. Libertas, ff. de stat. homin.*

CHRISTIANA tamen Charitas ampliùs operatur, vt Christiani bello capti in seruitutem non redigantur, quod consuetudine perpetua seruatum est, vt monet Bartol. *ad Leg. Hostes, ff. de capt.*

10 SECVNDVS titulus seruitutis, est natiuitas, de quo D.Bonauent. *in* 4. *dist.* 36. *quæst.* 3. qui enim ex ancilla nascitur, seruus est, qualiscumque sit patris conditio, siue nascatur ex legitimo matrimonio, siue non, quia partus sequitur ventrem, *ex Leg. partum, Cod. de rei vindicatione, Instit. de iure personarum, §. penult. Instit. de ingenuis, §. 2. cap. vnic. de natis ex libero ventre*, vt probat S.Doctor *in* 4 *dist.* 36. *quæst.* 2. & 3. vbi non solùm iure cæsareo, & Canonico id ostendit, sed etiam ex lege diuina *Exodi* 21. vbi dicitur: *Si dederit Dominus illi* (Seruo) *vxorem, & pepererit filios, & filias: mulier, & liberi eius erunt Domini sui, ipse verò exibit.* His ferè & Fagundez hoc probat.

11 ADMONET verò S.Doctor, eum, qui nascitur ex ancilla, non fieri seruum, si mater fuit libera, vel quando concepit, vel saltem in partu, vel aliquo tempore intermedio, *ex Leg. & seruorum, ff. de stat. homin. Instit. de ingen.* §. 2. & *cap. vnic. de natis* ex libero ventre, allegato.

RATIO etiam affertur à S.Doctore, quia mater est prolis principium substantialius, sicuti pater honorabilius, ideò in honoribus sequitur patrem, & in omnibus, quæ habet; quoniam illa acquiruntur paterna sollicitatione; at in eo, quod est; sequitur matrem; & quia seruitus est secundùm id, quod est, non secundùm id, quod habet; ideò in ea sequitur matrem.

12 ADVERTIT verò S.Doctor *in corpore*, aliquas prouincias, quæ legibus cæsareis non obediunt, aliter disponere suis legibus, vt partus, vel sequatur deteriorem partem, vel sequatur conditionem patris, vel ne contrahat seruitutem, nisi vterque parens sit seruus, & hoc ibi seruandum, vt constat *ex cap. licet de coniug. seruorum*, & affirmat ibi Panormitanus. Vbi verò leges Romanæ non vigerent, nec alia peculiaris lex, aut consuetudo; indicari posset, quod mater sit ancilla, tempore partus, vt ait etiam Fagundez *lib.* 2. *cap.* 1. *num* 5.

13 ADDIT etiam S.Doctor in quibusdam Franciæ locis consuetudinem esse, vt si alter coniugum sit seruus, sint serui filij; & si mater ancilla sub diuerso domino, filij diuidantur inter dominos. Attamen conuenientius esse ait, vt proles sequatur matrem, sicuti & in animalibus, equulus genitus sequitur matrem, non patrem, & fructus seminis est domini terræ, non seminantis; & in artificialibus, si quis ædificat in terra aliena, ædificium cedit Solo, non autem Solum ædificio. Ità *Lex Patet*, Ratio est, quia licèt vis formatiua sit à Patre, tamen plus substantiæ trahit à matre.

14 TERTIVS titulus redigendi in seruitutem, est crimen aliquod grauissimum, propter quod à Principe damnetur. Hanc pœnam imponi posse docent communiter Doctores, Scotus *in* 4. *dist.* 36. *quæst* 15. Nauar. *in cap. ita quorumdam, de Iudæis notab.* 11. *gloss. penult.* Syluester V. *seruitus*, Angelus *ibi*, Lessius
15 *Tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 4. *num.* 4. Cunha *dist.* 32. *in cap. eos qui*. Salon *de dominio, quæst.* 3. *art.* 1. *post* 4. *concl.* Fagundez *lib.* 2. *cap. eos qui* 32. *dist.* conceditur Principibus sæcularibus potestas redigendi in seruitutem fœminas, quæ scienter contraxerint matrimonium cum initiatis sacris ordinibus; & *cap. cum multa* 15. *quæst.* 4. statuitur, vt filij, ex tali coniugio suscepti, efficiantur serui illius Ecclesiæ, ad quam pater pertinebat, *cap. de raptoribus*, 36. *quæst.* 1. raptores pœna seruitutis damnantur, quæ iura indicat S. Doctor *in* 4. *dist* 37. & *in confess. cap.* 3. *particula* 54.

QVARTVS titulus redigendi in seruitutem, seu 16
possidendi vt seruum, est venditio, vt docet D.Bonauent. *in* 4. *dist* 36. *dubio* 2. *litt.*

ET primò quidem potest homo liber seipsum vendere in seruum, vt aduertit S.Doctor *dub.* 3. *dist. cit.* quod probat alibi S. Doctor exemplo D. Paulini, Episcopi Nolani, qui se pro redimendo filio paupérculæ viduæ vendiderat. Sic & *Deut.* 15. habetur regula de hoc sanciendo; id tamen debet iuxta eam regulam fieri; ità *Leu.* 25. assignatur paupertas, pro sufficienti venditionis causa.

IVS tamen Cæsareum *Leg. liberis*, §. *si quis sciens*, 17
ff. de liberali causa, prohibet, ne quis sciens liberum hominem, etiam volentem emat, conceditque sic empto proclamationem in libertatem.

OBSERVA tamen, Ius illud Cæsareum, latum esse in fauorem libertatis subditorum Romanorum. Id autem probo, nam *Leg. Non ideo, Cod. de liberali causa*, competit parentibus potestas vendendi filios suos liberos in graui necessitate, quod etiam est de iure naturæ, vt colligitur *ex* 21. *Exodi*. Hæc autem necessitas ad casum nimiæ paupertatis restringitur à iure Cæsareo *leg.* 2. *Cod. de patribus*, qui filios suos distraxerunt.

ENIM verò licet ibi causa sola egestatis sit ex- 18
pressa, si tamen alia similis adueniat, extenditur lex, vt obseruat Pinellus *ad Rubr. Cod. de bonis matern. part.* 2. *num.* 27. qui etiam obseruat ex communi Iuristarum sensu, soli patri, non matri concedi venditionem prolis ob Consilij inopiam, & animi imbecillitatem, quæ in fœminis reperitur; de iure tamen naturæ etiam matri competit prædicta potestas, vt vnanimiter sentiunt Doctores apud Pinellum *numero* 23. *Legem illam* 2. *Cod. de Patribus, qui filios distraxerunt*. Quæ omnia vidit S. Doctor *dist. allegata, dubiis littera.*

EA tamen lex Romana concedit filio, posse libertatem recuperare, reddito emptori pretio.

HÆC tamen lex, & aliæ similes, iam apud 19
Christianos in vsu non sunt. Vide etiam Fagundez *lib.* 2. *de contract.* per multa capita, quibus eruditè edisserit de emptionibus mancipiorum Infidelium è terris vltra Marinis, maximè in Indiis.

REMANET iam videnda altera quæstionis pars de diuisione aliarum rerum, facta iure gentium, & primò agam de Facto: deinde de Iure.

CERTVM est autem, in statu innocentiæ nul- 20
lam esse factam rerum diuisionem, vt aduertit S.Doctor *hic*, *quæst.* 2. *ad* 4. neque vllum in eo futurum erat dominium proprietatis, sed tantùm iurisdictionis, vt ait Tanner. citandus *num.* 69. statim autem post peccatum conueniens fuit diuidi res possidendas; sic Abel, & Caïn dicuntur *Genes.* 4. obtulisse de suis rebus; ille oues; hic fructus terræ immolauit Deo; mox verò Noë diuisit filiis orbem *Genes.* 10. & 11. Posteà verò minutiores factæ sunt diuisiones per campos, & iugera, & ita creditur facta diuisio ab Adam, vel Noë, siue per electum à populo Principem arbitrum, vt ait Tanner. *disp.* 4. *quæst.* 5. *num.* 70.

QVOAD quid iuris, Assero, iure optimo rerum 21
factam esse diuisionem. Ità D. Bonauent. *hic ad* 4. D.Thom. 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 2. Sotus *lib.* 4. *de iustitia, quæst.* 3.

quæst. 3. *art.* 1. Ioan. Medina *Cod. de rebus restitu. quæst.* 1. Conradus *de contract. lib.* 1. *quæst.*8. *&* 9. Molina *tomo* 1. *de iust. tract.*2. *disp.*20. Brito *de locato, & conducto*, 1. *part. rubrica*, *fol.*4. *col.*4. & communiter Doctores apud Fagundez *lib.*2. *de contract. cap.*7.

PROBATVR primò à D. Bonauent. *loco cit.* quia ius naturale dictat pacem, & iustitiam in societate hominum seruandam; At si omnia in communi possiderentur, innumeræ orirentur lites, dissensiones, & iurgia; nam validiores raperent, nihilquè imbecillioribus relinquerent, & sæpe numero plures concurrerent ad accipiendam eandem rem, tanquam si. i necessariam.

22 QVAM facilè autem hæc iurgia in statu naturæ corruptæ nascantur, manifestè eluect è peregrinantium, & mercatorum societatibus. Sic *Genes.*13. orta sunt iurgia inter pastores Abrahæ,& ipsius nepotis, quod incommodum vt euitaret Abraham, diuisit terram cum Lot.

In etiam probat Aristoteles *loco cit. Polit.* contra Platonem, & Socratem, qui ad pacem conseruandam volebant, omnia esse communia,etiam vxores, vt sic omnia essent magis vnum.

PRÆTEREA Deutet.32. dicitur: *Quando diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel.* Itaque Deus prædicat se authorem huius diuisionis.

23 PRÆTEREA in Concilio Constantiensi inter dogmata Ioannis Hus, damnatum est illud, quod Clericis non liceret quidquam proprium possidere, quæ fuit hæresis etiam Maniehæorum, vt refert S. Bonauent. *in quarto cap. regulæ Minorum.* Certum enim est à tempore saltem D. Syluestri, Clericos, & Prælatos habuisse possessiones, & has iustissimè, Ecclesia conclamante; alioqui omnes sancti Clerici Prælati & Laïci, qui aliquid proprij habuêre, fuissent damnati, vt arguit S.Doctor ibi, imò à tempore Apostolorum, & antea multi sancti fuêre diuites, & tamen iusti, quam rem allegat, tanquam notam, *in decretis*, 12. *quæst.*1.

24 OBIICIES primò. Rerum diuisio est contra ius naturæ: Ergo iniqua. Antecedens probatur, quia iure naturæ omnia sunt communia, vt habetur *cap. ius naturale*, *dist.*1. & *in cap. dilectissimis*, 12.*quæst.*1. vbi sic ait Clemens, eius Canonis author: *Communis vsus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus hominibus esse debuit, sed per iniquitatem alius dixit, hoc esse suum, alius istud, & sic inter mortales facta est diuisio.*

25 RESPONDET Scotus *in* 4. *dist.* 15. *quæst.*2. ex D. Bonauent. *dist.*44. *art.*2. *quæst.*2. *ad* 4. ius naturæ quod ante peccatum exigebat omnia communia, exegisse post peccatum,mutato statu, res esse proprias, & hoc voluit dicere Scotus, cùm ait, mutatum esse ius naturæ post peccatum. Quare inconsultò Fagundez *num.* 11. ait, Scotum inconsultò locutum, tametsi ad mentem D. Bonauent. trahere ipsum conetur.

AD textum Clementis Papæ 12. *quæst.*1. iam respondit S.Doctor suprà *ad* 4. *cap. regulæ*, nempe iuxta Canones illos, Ecclesiam ab initio habuisse propria, esto data occasione status corruptionis.

OBIICIES secundò multos Patres docentes, omnia esse communia. Sic Chrysost. *in cap.*6. *Lucæ*, Ambrosius, relatus *in cap. sicut hi*, 47. *dist.* & alij. Vide D.Chrysost. *oratione de sancto Philogonio.*

26 RESPONDET S. Doctor, latissimè *ad cap.* 4. *regulæ*, & *in Apologiis paupertatis*, & *pauperum*, id solùm voluisse Patres, non esse adeò adhærendum opibus, vt propter eas omittant Deo seruire, & vt recordentur, omnia in necessitate, esse quoad vsum communia; & ideò adhibendas eleemosynas. & optimum esse consilium, omnia relinquere, quia illud *Meum, & Tuum*, tenax, & viscosum est. Cæterum luculentissimè ostendit, licitas esse diuitias, atque sanctos innumeros diuites saluos esse, ac gloriosos. Ecclesiam verò etiam antiquam ditissimam, & Leuitas fuisse opulentos, ex Dei Lege probat *in Apolog. pauperum*, *responsionis tertiæ cap.*2.

HÆC eadem latè edisserit S.Doctor *ad* 14. *Lucæ* 27
in ea verba: *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, dicens, abrenunciare omnibus affectu, esse necessitatis; sed omnia dimittere, esse supererogationis, & consilij. Itaque concluditur, nonnulla quidem incommoda oriri ex rerum proprietate, sed plura futura fuisse, si omnia in statu hoc essent communia.

CONVENIT sanè cum amicis omnia esse communia, vt aiebat Pythagoras, non proprietate, sed vsu, vt aiebat Aristoteles 2. *Polit. cap.*3. *&* 4.

OBIICIES tertiò. Id est melius, quod est consilij, & cadit sub voto; sed expropriatio est consilij, Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, & da pauperibus*, & est materia voti etiam solemnis: Ergo.

RESPONDET Fagundez *num.* 14. ex Molina 28
*Tom.*1. *tract.*2. *disp.*20. §. *tertia conclusio*, conuenire sanè, aliquas esse congregationes, in quibus habeantur omnia in communi, & nihil proprium, vt sic magis Dei cultui intenti ab omni rerum mundanarum concretione segregati, vitam cælestem ducant. Hæc latissimè S. Doctor *allegatis locis*, prosequitur, qui etiam ostendit, optionem esse, Deo altissimè seruire volentibus, altissimam paupertatem, quæ nihil etiam in communi admittat; attamen in mundo, vbi ad vitam ciuilem, & ad Politicum conuictum necessaria sunt prædia, negotia, & contractus; 29
oportet sanè, quædam esse determinatè propria; tum, vt contentiones, & lites remoueantur; tum, vt sedulò quisque suis rebus incumbat. Nam amabile vnicuique est bonum proprium, vt ait Aristoteles; è contra, vbi negotium est commune:

Segnius expediunt commissa negotia plures,

Et vt habetur *in Lege*, *Cod. quando*, *& quibus quarta pars debeatur*, *leg.*10. namtale vitium est, negligi,quod communiter possidetur.

VVLGATVM enim est illud apud plures pro- 30
uerbium: *Qui benefacit communi, nulli benefacit.*

RESTAT modò videndum, quo iure inducta sit diuisio rerum.

IAM *Tract. de Legibus*, *disp.*4. *quæst.*2. hoc dubium solui cum cæteris spectantibus ad seruitutem.

DIXI autem, Iuris quidem naturalis dictamine sancitam esse in hoc statu rerum diuisionem, hanc tamen factam Iure gentium, vt docet D.Bonauent. hîc *quæst.*2. D.Thom.2.2. *quæst.*66. *art.*2. *ad* 1. vbi Caietanus, & alij Thomistæ Medina *Cod. de restitut. quæst.*1. *concl.*5. Salon 2. 2. *quæst.*4. *art.*1. *&* 2. Ledesma 2. 4. *quæst.*18. *art.*1. *dub.*6. Molina *Tom.*1. *de iust. tract.*2. *quæst.*20. *concl.*1. Fagundez *lib.*2. *de contract. num.*16. & constat *ex Leg. ex hoc iure*, *ff. de iustitia, & iure*, vbi Bartol. *num.*5. Iason *num.*43.

ADVERTE, D. Augustinum relatum *in cap.* 31
Quo iure, *dist.*8. vbi ait: *Vnusquisque possidet, quod possidet, nonne iure humano? Tolle Iura Imperatorum, quis audet dicere: hæc villa mea est?*

LOQVITVR verò S.Augustinus de specialibus diuisionibus,

diuisionibus; firmatis iure Cæsareo, vt notat Fagundez *num.*17.

32 DEINDE obserua, D. Augustinum omnia iura redocere ad Ius Diuinum, & Humanum; Et quidem ad ius humanum reducit ius gentium; & ius humanum ad ius Cæsareum; sicuti Naturale ad Diuinum reuocat, vt docet Cunha 1. *part. decreti*, *cap. quo iure*, *dist.* 7. Rerum autem proprietates latiùs vocantur seruitutes, siue mixtas, siue reales affirmatiuas, vel negatiuas. Vide Layman *lib.* 3. Filliucium *tract.* 31. Lessium *lib.* 2. Balæum V. *Seruitus*.

QVÆSTIO II.

De acquisitione DOMINII *in Barbaros.*

33 MALE apud gentes audiuntur Lusitani, mancipiorum mercatores; Attamen iam legibus moderari conati sunt Lusitaniæ Reges, quidquid criminis in hac mancipiorum emptione perspexere, & longè lateque ad insulas remotissimas adnauigant ad huiuscemodi mercaturam. Tituli autem honestantes hanc maleolentem mercationem, latè referuntur à Molina *Tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 34. qui diu Lusitaniam incoluit, & à Fagundez Lusitano, *lib.* 2. *Contractuum*.

34 PRIMVS est iusti belli, quod vel lacessiti Christiani Reges, vel alia de causa gerunt. Præcipuè verò nonnullæ sunt gentes, Christiano nomini infensæ, quæ peregrinos deuorant, necantque mercatores. Tales sunt incolæ Monomotapæ, Cafrariæ, Angolæ, & aliæ gentes.

SIMILI titulo emuntur, & in seruitutem redigauntur occidentales, Brasilianæ, gentes efferatissimæ, & carniuoræ.

INDIÆ pariter Orientales Calecutij, magis verò sæuissimi Aceni, Somatræ, Iauenses, Iaponenses etiam olim Christianis amici, iam adeò exerudescentes contra nos desæuiunt, vt Iaponia, *terra Martyrum*, dicatur.

35 ALII verò iam serui facti sunt, vel ex bellis in Guinea, Manicongo, in Africa, in India Ceilani vel in Imperio Sinarum ex natalibus, plurimi enim seipsos vendunt, vt ancillas ibi desponsent, & liberos ergastulos gignant. Vide Fagundez *cap.* 3. *& sequenti*.

QVÆSTIO III.

De acquisitione DOMINII *in irrationalia.*

36 OCCVRRVNT primò Maria, quæ terræ alicui adiacent: hæc enim sunt eorum, qui dominantur littoribus *cap vbi periculum*, §. *Porrò*, *de electione*, *in* 6. & Glossa *ibi*, à Iuris Canonici Doctoribus laudata, quam sequitur etiam Baldus *in cap.* 1. initio, quibus modis feudum amittatur, & *in Leg. penult.* ad finem *Cod. de institut. & substit. sub conditione factis*, & in Authent, *Vt omnes obed. iudicibus*, §. 1. *& l.* 1. *col.* 2. *de sent. ex breui recitat.* & *cap. ex litteris*, *de probat.* & *cap. accedens* 2. *vt lite non contest.* atque Doctores apud Fagundez *lib.* 2. *cap.* 8. Id indicat S. Doctor *ad* 6. *Lucæ*, vbi aduertit, Mare dictum fuisse Galileæ, quia littoribus Galileæ adiacens, & vocatum Tyberiadis, eò quòd adiacêret Vrbi Tyberiadis, constructæ in honorem Tyberij Cæsaris. Ob id enim quid est in mari adiacenti, vbi maritimæ, in districtu illius ciuitatis esse dicitur, vt constat *Leg. Insula*, *ff. de iudiciis*.

DICVNT autem, extendi à littore dominium ad 100. milliaris, Bartol. *in tract. de Insula*, *col.* 2. Cæpola *Tract. de seruit. rust. prædiorum*, & habetur *Tom.* 6. 2. *part. tract. iuris*, *cap.* 26. *de mari*, *num.* 13. & colligitur *ex Leg. Quicumque Cod. de Episcopis*, *& clericis*. 37

HOC verò intelligitur dummodo insulæ in medio mari non sint repertæ, & cultæ; tunc enim totum mare in circuitu per spatium dictum, sunt Principis, repertoris, & populantis.


ET quidem mare ex prima diuisione mansit commune; attamen vtilitates piscationum, & nauigationum fuere primò capientis; magis tamen ad aliquem spectant ex concessione legitimi Principis, sicuti à Pontifice concessa est nauigatio Oceani ad Euangelium seminandum, vt testatur se vidisse huius concessionis Bullas Cabedo 2. *part. decis.* 47. 38

SIC etiam Veneti Illustrissimi Maris Adriatici nauigatione potiuntur legitima, ad Pyratas remouendos diuinâ positi prouidentiâ.

PISCATIO verò in mari, adiacenti terræ alicuius Regis, & in fluminibus publicis libera est omnibus illius Principis subditis, *ex Leg.* 2. *& Leg. Nemo*, *ff. de rerum diuisione*. 39

POTVERE tamen Principes aliquas piscationes sibi reseruare, vt Thinorum, vel Cetorum, ob bonum commune Regni. Vide Lessium *Tom.* 1. *de iust. lib.* 2. *cap.* 5. & Fagundez *lib.* 2. *cap.* 8. *de contract.*

DE acquisitione verò dominij in animalia, in thesauros, & cætera, aliquid breuiter indicaui *Disput. de restitut.* nec mihi ampliora suggerit hac de re Sanctus Doctor. 40



DISPVTATIO III.

De Promissione.

POST acquisitum dominium prima contrahendi species est Promissio, ponens quidem obligationem in vna parte, patitur tamen, ante acceptationem, liberam reuocandi facultatem. Alia est externa: alia interna. Alia simplex, alia quoque sollemnis; solent etiam aliquando fieri Promissiones ob turpem causam: quomodo verò hæ omnes stent, paucis hîc absoluendum.

QVÆSTIO I.

Quid sit PROMISSIO, *& quomodo differat à* DONATIONE.

AFFINES sunt Promissio, & Donatio. Est autem promissio datio fidei firma, & spontanea de re licita; seu est deliberata, & spontanea fidei obligatio, dandi, vel faciendi aliquid, data alteri de re licita, & bona, ipsique grata. Ità communiter Doctores. Vide Sotum *lib.* 7. *de iustitia*, *quæst.* 2. *art.* 1. 1

Fagundez

Fagundez *lib.3. cap.1. de contract.* & indicat S. Doctor *in 4. dist.29. quæst.2. & dist.38. dub.5. littera.*

2 DONATIO verò est exhibitio, non fidei, sed rei; dare tamen, dicit actualem traditionem ex D.Bonauent. *in primo, dist.18. quæst.4.*

POLLICITATIO verò dicit promissionem ex parte offerentis tantùm, sicuti promissio est ex parte vtriusque; attamen pro eodem sæpe accipiuntur, vt habes apud D. Bonauenturam *in 4. dist 27. dub.5. littera*, tum etiam donatio dicit respectum ad donantem, & ad eum, cui fit donatio, vt notat D. Bonauent. *in primo, dist.18. quæst.5.* Donatio verò eo ipso transfert rem finitam à donante ad donatarium, vt ea res dicatur huius, mea, vel tua, vt monet S. Doctor *dist.18. citata, quæst. vltima.*

DICIT verò donatio liberalem exhibitionem rei gratuitæ, vt docet S. Doctor *locis adductis*, & *in 2. dist.7. part.1. quæst.1. ad septimum.*

3 ITAQVE acturi de contractibus singulis, ago de Promissione, quæ est principium omnium, & de exhibitione liberali, quæ ex promissione primo fit, quæque obligat spontaneum exhibentem, sicuti etiam promissio in foro quidem interno, si adfuit intentio se obligandi; quod si habeat intentionem non promittendi, & tamen extra promittat, cogetur in foro externo adimplere, vt docet D.Bonauent. *in 4. dist.38. dub.5. litt.* & aliis locis allegatis *disp. 1. quæst.3.* & communiter Sanchez *lib. 1. de sponsal. disp. 3. num.21.* Caietanus, & alij Thomistæ *2. 2. quæst.88. art.3.* Vbi Aragon Rebell. *de oblig. iustitia, 2. part. lib.18. quæst.1.* Corduba *sum. quæst.156.* Fagun-
4 dez *lib.3. de contract. cap. 1.* Sic & *quæst. citata*, & *quæst.2. disp. 1*, ostendi, promissionem esse debere spontaneam, non autem vi, metu, vel fraude extortam, ne is, qui extorsit, ex fraude, aut vi commodum reportet, vt arguit S. Doctor *locis*, nuper *allatis*, & cum eo D.Thom. 2. 2. *quæst.89. art.7.* vbi Caietanus, & alij discipuli. Sotus *lib.8. de Iust. quæst.1. art.7. ad 3.* Mercatus *cap.16.* Nauar. *summa, cap.18.* Molina *tract.2. disp.267.* Syluester *V. restit.* Lopez *2. part. Instruct. cap. 30.* Rebell. *2. part. lib.18. quæst.1. num.7.* Fagundez *lib.3. cap.1.*

5 Ex quo inferunt Fagundez *num.5.* Azor *Tomo 1. lib.11. cap.7. §. tertia regula*, cum D.Bonauent. *in speculo animæ, cap.2.* & supponunt omnes, præcipuè S.Doctor, *locis*, suprà *allatis*, eum, qui recipit promissum, per vim, aut metum, extortum, teneri in conscientia illud restituere, quia iniustè recipit.

QVÆSTIO II.

Vtrum simplex PROMISSIO *acceptata, obliget ex iustitia.*

6 CERTISSIMVM est, promissionem frangere per accidens, esse contra iustitiam: pone casus quibus promissis fidens promissarius non sibi aliunde prouideat, & graue illi damnum adueniat. Vide Sanchium *lib.1. de matrim. disp.5.*

EST igitur controuersia: an ex promissione per se oriatur obligatio iustitiæ.

7 PRIMA opinio est sentientium, eam esse obligationem ex iustitia. Ità Sanchez *lib.1. de matrim. disp.5. num.20.* Lessius *Tom.1. lib.2. dub. 8. num. 55.* Nauar. *sum. lat. cap.18. num.6.* Sotus *lib.7. de iustitia quæst.2. art. 1.* Couar. *in cap. quamuis pactum, part. 2. §. 4. num.24.* Angel. *V. pactum*, Syluester *ibi, quæst.4.* & *V. Lex, quæst.10.* Rich. *4. dist. 38. quæst.3.* & alij apud Sanchez *loco cit.* & Dianam *Parte 1. Tract.3. miscell. resol.9* Tannerus autem *disp. 4. quæst.1. num.62.* vult obligari, quasi ex iustitia. Bassæus verò, *V. Promissio*, est seuerior.

OPPOSITA sententia censet, eam esse obligationem tantùm fidelitatis. Ità Sotus *in 4. dist.20. quæst.1. art. 2.* Suarez *de aux. disp. 2. sect.2.* Molina *tract.2. de iust. disp.262.* Azor *tract 1. lib.11. cap. 5. quæstio.3.* Henriquez *de Excom. lib.13. cap.17. § 5* D. Thom. *2.2. quæst.88. art. 1.* Caietanus *ibi*, Fagundez *lib.3. de contract. cap.2.* Lessius *num.54.* eam probabilem vocat. Sustinent verò Firmus, *verbo perfidia*, Ledesma *Tom.1. tract.10. cap.3*, Fernandez *in suo examine, p.p. cap.15. §. 8.* Diana *loco cit.* qui opinantur non obligare grauiter. Hæc est sententia D.Bonauent. *locis citandis.* 8

ASSERO cum hac sententia, simplicem promissionem datam, & acceptatam, obligare tantùm ex fidelitate.

PROBATVR à D. Bonauent. *in 2. dist. 17. art. 2. quæst. 2. in corpore*, & *ad 1.* argumento quo vtuntur Molina, & Fagundez, quia simplex promissio est gratuita, & meræ liberalis fidei datio, & ex mera liberalitate procedit, atque adeò non tribuit ius iustitiæ, nisi promittens liberalis intenderet expressè ad id se ligare, quod non est credendum intendi. Confirmatur à Suarez, quia simplex promissio non includit ex natura sua actualem aliquam donationem, sed puram, & meram obligationem fidei donandi aliquid in futurum; hoc autem non transfert ius in rem, cùm non sit data. Confirmatur ex D. Bonauent. *ibi*, quia promissio liberalis pendet ex voluntate promittentis, qui potest nolle se alligare iustitiæ, sed tantùm fidem suam dare. 9

DICES: Promissio acceptata transit in pactum duorum, ex quo oritur ciuilis obligatio, quæ transit etiam ad heredes *Leg. si quis argentum, §. vlt. Cod. de donat.* & *cap.1. de pactis.* 10

RESPONDETVR, id euenire in foro externo, si constat ex instrumento, se voluisse obligare, quia cùm constet de obligatione promittentis, iura præsumunt id ex iustitia voluisse, cùm de intentione non constet, vt monet S. Bonauent. *in 4. dist. 27. art.2. quæst.2. ad vltimum*; secus est in foro conscientiæ. Probatur à S. Doctore etiam *locis adductis, p.p. Tract.1. disp.19. quæst.1.*

ADDO verò, hoc peccatum contra fidelitatem esse mortale, saltem in materia grauissima, supposito quod obliget tantùm ex fidelitate, vt dicunt multi DD. apud Fagundez; materiam talem censent plurimi apud Bassæum quadruplo maiorem materiâ furti. 11

QVÆSTIO III.

An PROMISSIO *merè interna, facta homini, obliget.*

SVPPONO, Promissionem merè internè factam Deo, vel Sanctis, obligare, vt omnes fatentur cum D.Bonauent. *in 4. dist.38.* 12

QVOAD nostram quæstionem, quæ sanè de solo foro conscientiæ est.

PRIMA opinio censet, obligare. Ità Sanchez *lib.1. de matrim. disp. 3.* qui eam probabilem vocat. Aragon *2. 2. quæst. 88. art. 3.* Angles *in flor. part. 2. quæst.1. de voto, art.2. diff.4.* Ledesma *2. 4. quæst.18, art.1.* vbi tamen problematicus est, imò tandem in contrarium inclinat.

HINC

13 HINC verò deducit Diana, teneri hunc patefacere, & implere suum promissum, atque adeò eum, cui est promissum, si cognoscat, & debeat aliquid promittenti, quod non potest in iudicio obtinere, occultam posse compensationem sibi facere. Idem sentiunt Mendoza *lib. 1. de pactis, cap. 1.* Palacius *de contract. lib. 5. cap. 12.* Sanctarellus *var. resol. p. p. quæst. 66. num. 49.*

14 SECVNDA sententia negat, promissionem merè internam obligare. Ità D. Thom. 2. 2. *quæst. 88. art. 1.* & *in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 1. quæst. 2.* Tanner. *disp. 4. quæst. 1. dub. 5. num. 59.* Basil. Poncius *de matrim. lib. 2. cap. 6. num. 9.* Panormit. *in cap. litteraturam, de voto, num. 2.* Turrecrem. *in cap. 1. 17. quæst. 1. §. 12.* Abul. *ad cap. 5. leuit. quæst. 4.* & *ad cap. 30. Numer. quæst. 44.* Rosella V. *votum 1.* Tabiena *ibi 1. §. 4.* & Clarius V. *dispensatio*, Molina *Tom. 2. de iustitia, disp. 266.* Lessius *lib. 2. cap. 18. dub. 5. num. 28.* Rebellius 2. *part. lib. 18. quæst. 1.* Fagundez *lib. 3. de contract. cap. 3. num. 4.* Bassæus V *Promissio, num. 5.*

HÆC est sententia D. Bonauenturæ 4. *dist. 29. quæst. 2. ad 2.*

15 PROBATVR à S. Doctore argumento, quo vtitur Fagundez. Obligatio vnius hominis ad alterum debet esse proportionata modo humano; homo enim communicat cum homine solùm externis expressionibus, quo fit, vt obligatio vnius ad alterum nequeat fieri absque concursu vtriusque voluntatis; dum autem promissio interna est, sanè ignota est promissario, sed est mera volitio vnius, non acceptata ab altero, atque adeò non potest esse donatio obligans. Sic & alij argunnt.

DICES *l. 3. § manumittenda, ff. de acquir. possess.* solo animo amitti potest possessio.

RESPONDET Fagundez *num. 8.* plus requiri ad ius acquirendum, quàm ad perdendum.

16 CÆTERA, quæ congerunt aduersarij, solùm probant, internam promissionem requiri, vt fundamentum obligationis humanæ, non tamen ostendunt eam sufficere.

NEQVE probant, cogere actum illum internum ex conscientia ad manifestandum, quia ab initio fuit imperfectus, & ideò inualidus essentialiter, quoad eff..

DICES accedente iuramento, teneris ei stare in conscientia, sicuti & voto.

17 RESPONDET Fagundez *num. 6.* ex D. Bonau. 4. *dist. 28. dub. 2.* id euenire ex alio titulo reuerentiæ in Deum, cui etiam interna promissio, & testatio, modo competenti fit, atque adeò validè.

QVÆSTIO IV.

An PROMISSIO *externa, antequam acceptetur, obliget.*

18 ASSERO cum D. Bonauentura *in 4. dist. 29. q. 2. ad 2.* promissionem extrà etiam expressam, antequam acceptetur non obligare aliquo iure, & posse reuocari. Sequuntur Sotus *lib. 3. de Iustitia, q. 5. art. 3.* Tiraquellus *ad leg. si vnquam, Cod. de reuoc. donat. v. libertis, num 54.* Molina *de primog. lib. 4. cap. 2. n. 62.* Couar. *in c. Quamuis pactum, 2. part. §. 4. n. 15.* Gomez *tract. 2. var. cap. 9.* Panormit. *in c. Cùm inter vniuersas, de elect.* Felinus *in c. 1. de pactis, n. 7.* Fagund. 2 *lib. 3. de contract. c. 4.* Less. *lib. 2. c. 18. dub. 6. n. 35.* & 38. Molina *Tract. 2. de iust. disp. 263.* Tanner. *disp. 4. q. 1. n. 58.* & alij communiter cum Bassæo, V. *Promissio, num. 5.*

PATET argumento S. Bonauent. quia obligatio vnius ad alterum, non contrahitur, nisi concurrente 19
vtriusque voluntate, & consensu.

PROBATVR deinde Iure Cæsareo *leg. 1. ff. de pollicitat. leg. 3. ff. eodem, leg. 2. §. sed si quis, & leg. absenti, ff. de donat.*

DE iure Canonico id probant Couar. Felin. & Panormit. relati.

DE iure Naturali id ipsum probant Couar. Gomez, Molina, Lessius suprà, Bartol. *ad leg. si vnus ex familia, §. pactum, ff. de pactis.*

Ex quo deducunt cum D. Bonauent. licitum esse recedere à sponsalibus sic promissis.

EXCIPIVNT multi promissiones ad pias caussas. Probant, quia *in lege 1. ff. de pollicit.* excipitur donatio facta ciuitati ad illius ruinas instaurandas.

ALII tamen negant, eas esse exceptas, iuxta *leg. Hoc iure, §. si quis dederit, ff. de donat.* & *leg. 3. ff. de seruis expost.* & *leg. 1. Cod. si mancipium.*

EXCIPIVNT alij, donationes factas infanti 20
argumento *leg. Iubemus, Cod. de emancipat. liberorum.* Ità Decius *consil. 245.* Molina *de primog. lib. 4. cap. 2. num. 76.* sed Fagundez *num. 8.* non audet illam legem, quæ solùm de emancipatis loquitur, adducere.

DVBIVM verò est: An promissio facta præsenti, 21
& tacenti, valeat, eò quòd in fauorabilibus qui tacet, consentire videtur.

SIC affirmant Iulius Clar. *§. donatio, quæst. 14.* Molina *de primog. lib. 4. cap. 2.* Fagundez *num. 12.* Cruz *in directorio conscientiæ, p. prima, pract. 7. art. 1. disp. 1.* Diana *Tract. 5. miscell. resol. 116.* Couar. *in rubr. de testam. part. 3. num. 13.* ex *leg. qui patitur, ff. mandati.*

QVÆRES: an promissio, facta absenti, obliget ante acceptationem.

RESPONDETVR negatiuè ex fundamento 22
D. Bonauenturæ allegato, quia obligatio non oritur, nisi ex mutuo duorum, vel plurium consensu. Ità habetur *in leg. si tibi absenti, ff. de donat.* & *leg. nec ambigi, Cod. eodem,* & *leg. 4. tit. 4. partita 5.* Vide Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 6.* Molina *de primog. lib. 4 cap. 2. num. 62.* Fagundez *lib. 3. cap. 5.* & alios apud istos.

HOC adeò verum ait Fagundez, vt etiam promissiones factæ Deo, & non acceptatæ ab illo, non obligent, vt sunt vota de bono non maiori. Sed hoc non facit ad confirmationem; nam cùm votum sit promissio de maiori bono, ex ipsis terminis est inualidum, quod de promissionibus factis hominibus est in disputatione; sed author iste sæpe in hoc impingit, vt ad idem petendum sæpius redeat.

VT autem promissio ab absente acceptata sit, 23
tria requiruntur. Primum, vt promittens per se, vel nuncium significet, vt docent communiter cum Claro *lib. 4. quæst. 12.* Secundò, vt cùm fit per nuncium, acceptetur coram eo, nec satis est fieri coram aliis. Quod si per litteras res agitur, debet per rescriptum, vel nuncium acceptatio notificari. Tertiò, vt non reuocetur ante acceptationem. Vide Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 7. num. 35.* Lessium *lib. 2. cap. 18. dub. 4.* Tannerum *disp. 6. quæst. 2. num. 49.* Potest autem acceptari etiam post mortem donatoris. Ità allegati, Sanchez *disp. 6.* & alij.

QVÆSTIO autem est de promissione, iuramento firmata, tametsi non adhuc acceptata.

DICO de iure Canonico, & Ciuili, dari actio- 24
nem in ita promittentem, & donantem. Ità Panormit. *in cap. cùm venissent de constit. num. 26.* Couar. *in cap. Quamuis pactum, p. p. §. 2.* Molina *tract. 2. disp. 263.* Fagundez *lib. 3. cap. 5. num. 15.* Sic obligatio

transit ad hæredes, & colligitur *ex cap. contingat de iureiur.* & *cap. mulieres. eodem in 6.* & ex Authent. *sacramenta puber. Cod. si aduersus vendit.* sed de hoc *in disput. de iuramento* agam Interim negant, multi
25 apud Balsæum, V. *Promissio*, quia iuramentum sequitur naturam promissionis; hæc verò, non adhuc acceptata, est reuocabilis.

QVÆSTIO V.

An PROMISSIO *ob turpem causam obliget.*

26 CERTVM est promissionem ob turpem causam, puta homicidij, & concubitus, etiam ante solutionem, esse inualidam. Conueniunt cum D. Bonauent. *in 4. dist. 28. dub. 1. litt.* & *quæst. 3.* D. Thom. 2. 2. *q. 32. art. 7.* & *quæst. 62. art. 5. ad 2.* Caiet. ibi, Couar. *ad Regulam Peccatum 2. part. §. 2.* Corduba *lib. 1. quæst. 32. art. 2.* Medina *Cod. de restit. quæst. 20.* Lessius *tract. 1. de iustitia, lib. 2. cap 18. dub. 3.* & cæteri apud Tannerum *disp. 6. quæst. 2. num. 48.*

RATIO est D. Bonauent. qua omnes nituntur, quia nemo potest, aut debet se obligare peccato patrando, vel iureiurando, vel simplici promissione.

QVÆSTIO autem est, an post patratum opus teneatur promissor pretium promissum soluere.

27 PRIMA opinio est eum teneri. Ità allegati, excepto S. Bonauentura, consentit etiam Less. *Tom. 1. lib. 2. cap. 18. dub. 3.* Sancius *cap. 14. dub. 8. à num. 52.* Guttier. *lib. 2. canon. cap. 10.* Bartolus, & communiter Legistæ *in leg. 2. Cod. de condict. ob turpem causam*, Nauar. *in summa Lat. cap 17. num. 34.* vbi asserit, conspirare in hoc Legistas, Canonistas, & Theologos. Et id probant Sotus *lib. 4. de iust. quæst. 7. art. 1.* Fagundez *lib. 3. cap. 6. de contract.* & alij apud Dianam *tom. 3. tract. 4. miscell. resol. 26.*

28 SECVNDA sententia negat, teneri soluere; imò teneri pretium restituere, etiam post patrationem acceptum. Ità multi apud Couar. *in regulam Peccatum, 2. part, §. 2. num. 9.* & ex Theologis, Medina *Cod. de restitut. quæst. 28.* Dur. *in 3. dist. 39. quæst. 4.* quam etiam probabilem dicunt Lessius allegatus, & Fagundez *num. 5.* cum multis alijs, Diana *Tomo 1. Tract. 4. miscell. resol. 26.* inclinat Balsæus, V. *Promissio, num. 7.*

QVOAD D. Bonauent. *in 4. dist. 28. dub. 1. litt.* & *in speculo animæ, cap. 2.* dat regulam generalem ex D. Isidoro *de contempt. mundi*, cap. de voto. *In malis promissis rescinde fidem.* Quare videtur stare pro hac sententia *ibi*.

29 PROBATVR primò *ex leg. si plagij, ff. de verb. obligationibus*, & *in leg. generaliter, ff. eodem.*

RESPONDET Fagundez *num. 6.* eas leges solùm velle, tales conuentiones ante opus patratum non valere; neque postea dari ius repetendi promissum pretium in foro externo. Hoc sanè in legibus asseri docet S. Bonauent. *in 4. dist. 15. part. 2. art. 2. quæst. 1. ad 4.* sed lex plagij ait: *Si plagij faciendi, flagitiivè causâ concepta sit stipulatio, ab initio non valet*; altera verò lex ait: *Generaliter nouimus turpes stipulationes nullius momenti.* Itaque aliquid ampliùs leges decernunt, vt docet S. Doctor *loco primò allegato.*

RESPONDET secundò, intelligendum de promissione facta in ordine ad turpitudinem; non autem facta intuitu laboris, periculi, & incommodi.

30 SED ostendo, leges nil de hac distinctione cogitasse, neque de solo iure, & dominio translato, vt non detur repetitio, esse locutas; nam *lex Generaliter*, sic ait: *Generaliter nouimus, turpes stipulationes nullius esse momenti, velut si quis homicidium, vel sacrilegium, se facturum promittat*, (subdit verò) *sed & officio Prætoris continetur huiusmodi obligationibus actionem denegari.* Ecce distinctim vtrumque decernit. primò nullitatem; Secundò consequenter, non dari actionem. Ratio verò Fagundez subtiliùs, quàm par est distinguens, mereri ob laborem, esto non ob malitiam, euanescit; nam leges recensent scelera, non præscindendo, sed vt opus alicui vtile, puta occidere inimicum suo periculo, &c.

ADVERTIT tamen Diana *part. 4. tract. 4. miscell. resol. 27.* non teneri soluere quantitatem immoderatam, puta meretrici 100. aureos, etiamsi id iuramento promisisset, quia iuramentum additum obligat solùm ad quantitatem, vbi non est prodigalitas, vt tradunt Sotus *lib. 4. quæst. 7. art. 1. ad 2.* Martin Ledesma 2. *part. quarti, quæst. 18. art. 5.* Mercatus *de contract. lib. 6. cap. 16.* Palacius *de contract. lib. 5. cap. 11.* Aragon. 2. 2. *quæst. 89. art 7.* Salon. 2. 2. *quæst. 62. art. 5. contron. 4.* ibi Bannes *disp. 5. concl. 3.* & alij, licèt Molina, & alij oppositum probabiliter sentiant. 31

ADVERTIT etiam Fagundez *num 8.* cum cæteris primæ sententiæ, omnem promissionem, in cuius impletione est aliquod peccatum, etiam tantùm veniale, esse irritam, etiamsi iuramento firmetur. Ratio D. Bonauent. *dub. cit. litt.* est, quia nemo potest ad peccatum obligari, etiam iuramento, quod non est vinculum iniquitatis. Ità & Sanchez *lib. 1. de matrim. disput. 52.* Azor *p. p. lib. 11. cap. 7.* Molina *tract. 1. disp. 149.* 32

IRRITÆ sunt etiam promissiones, quæ auferunt libertatem testandi, aut disponendi liberè de rebus suis *leg. Pacta, Cod. de pactis*, vbi habetur: *Pacta, quæ contra leges, institutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati iuris est.* 33



DISPVTATIO IV.

DE DONATIONE.



ONATIO etiam est quasi contractus, ideò post promissionem de ea agimus; dicuntur vero ambæ quasi contractus, quia ex sola liberalitate procedunt, ponuntque obligationem in vna sola parte, penes quam est illam irritare, donec res donata, vel promissa in alterius transeat potestatem. Verum ne nimia esset licentia donandi, seu potius bona lapidandi, Iura modos, & personas determinant, in quibus donationes sint validæ.

QVÆSTIO I.

Quid sit DONATIO, *& quotuplex.*

DONANDI actio dicitur donatio, vt ait Iurisconsult. *leg. senatus, §. Donatio, ff. de donatione causa mortis.* Est igitur donatio gratuita, & liberalis 1
datio,

datio, vt docet D. Bonauent. *locis adductis*, Initio *disput*.3. & *ad* 7. *Lucæ* in ea verba: *Cùm non haberent, vnde redderent, donauit vtrique.*

DVPLICITER autem fit donatio. Primò transferendo iura per verba, dicendo: Dono tibi meum equum, quem domi habeo. Et hæc licet naturaliter sufficiat ad transferendum dominium ex natura rei, tamen ius positiuum requirit alterum modum donationis per actualem rei traditionem, *ex Leg. Traditionibus, Cod. de Pactis*, ibi: *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur.* Vide Bonacinam *de contr. disp*.3. *quæst*.12. *part*.1.

2 DONATIONEM autem esse contractum nominatum, docent communiter Doctores apud Fagundez *lib*.4. *de contract. cap*.1. *num* 6.

DIVIDITVR autem donatio in Absolutam, & Conditionalem, sub qua includitur donatio *in diem.*

DONATIO Conditionalis est vera donatio, vbi conditio sit honesta, nec destruat donationis substantiam, vt dixi *de contractibus in genere*, cum D.Bonauent. *in* 4. *dist*.28. *quæst*.3. & habet Glossa *in leg*.1. *in principio, ff. de donationibus*, Curtius iunior *in leg*. 1. *num*.73. *ff. si certum petat.* Iulius Clarus §. *Donatio, quæst*.2. Fagundez *lib*.4. *cap*.2.

3 DONATIO In diem certò venturum, sed incertum, quando futurus sit, est valida, puta si donem tibi meam domum in diem mortis, quæ donatio inducit obligationem tradendi rem, sed non ante eam diem *leg. omnis stipulatio, versu in diem, ff. de verborum obligatione*, & *leg. cedere diem, ff. de verb. significat.* & *leg. certi condictio in principio*, & ex Glossa ibi, V. *Cæterum, ff. si certum petatur*, Molina *disput*. 284 & 567. Fagundez *loco citato.*

4 HINC elicere potes differentiam inter donationem *in diem*, & legatum *in diem*, nam donatio statim obligat, & fit irreuocabilis, at legatum solùm in morte fit irreuocabile, *leg. si pupillus*, § *qui sub conditione, ff. de nouationibus*, & ex *l*. 12. & 17. *tit*. 11. *part*.5. docet Molina *disp*.284. § *illud obserua.* Itaque si Legatarius præmoriatur legatori, nihil eius heredibus debetur: at verò si donatarius moriatur ante eam diem præfixam traditioni rei, transit ius ad heredes.

5 DIVIDITVR etiam donatio in merè gratuitam, & in remuneratoriam, seu antidotalem, quæ potius dicitur compensatio *leg. Aquilius Regulus, ff. de donat.* & docent ibi Reinosus *obseruat*.31 Couar. *in cap. cum in offic. de testam. num* 10. Ceuallos *tract*.1. *commun. contra communes, quæst*. 273. *num*.11. Mascardus *de probat. concl*.1236. *num*.61.

6 DONATIO autem hæc valet, etiamsi merita aliundè ignorentur, & sola donantis expressione probata sint, nullus enim meliùs scire potest beneficia, quàm qui accepit. Ità Petrus Barbosa *Tom*. 2. *leg. quæ dotis* 34. *ff. soluto matrim. num*. 56. Iulius Clarus §. *donatio, quæst*.3. Curtius iunior *consil*. 142. & ita iudicauit Parlamentum Delphinatus, testante Guidone Papa *decis*. 95. & Claro *numero* 2.

NON præexiguntur tamen merita ex Iustitia obligantia, sed sufficit, si iudicio prudentis donantis ex grati animi debito fiat donatiu, vt docent communiter Doctores, Iulius Clarus *loco cit.* Couar. & Socin. *num*.1. Molina *disp*. 244. Sanchez *tract*.1. *de matrim. lib*.6. *disp*.6. Menoch. *de præsumpt. lib*.4. *præsumpt*.67. *à num*.35.

7 EST & alia donatio suprà indicata, quæ dicitur: *Causa mortis*, & est quædam liberalis datio, vel dispositio voluntatis ex consideratione mortis, vel periculo mortis præsentis, vel futuræ. Sic docet Syluester V. *donatio* 4. *num*. 1. & sola morte confirmatur absque hæreditatis adiectione, vt cùm donatio causa mortis fit præsenti, & acceptanti. Tunc enim ad illius confirmationem aditio non requiritur; & in hoc à cæteris legatis, ac fidei commissis distinguitur, quæ non sola morte confirmantur, sed aditionem requirunt, vt docet Bartol. *in leg. & in mortis, ff. de donat. causa mortis*, Molina *de primog. lib*.1. *cap*.12. *num*.14. Alexand. *in leg. sciendum, ff. de legatis* 1. & communiter Doctores apud Fagundez *lib*.4. *cap*.5.

DIFFERT autem hæc à donatione inter viuos, 8
quia donator causa mortis, vult magis sibi rem, dum viuit, quàm donatario: at in donatione inter viuos, magis vult rem donatario.

ADVERTE autem, donationem hanc debere 9
esse liberalem, & ideò non metu mortis incussο ab aliquo agente liberè ad excutiendam donationem; alioqui erit inualida, vt dixi *disput*. 1. *quæst*.4.

QVÆSTIO II.

Qui possint donare, & quid.

OMNES illi, & soli donare possunt, qui habent 10
facultatem alienandi cum dominio.

PRIMO quidem dubium est de vxoribus; an possint donare de bonis Paraphernalibus, quæ secum extra dotem detulerunt, & de his, quæ acu, & aliis textrinis, industriisquè acquirunt.

RESPONDENT cum D.Bonauent. *in* 4.*dist*.15. 11
part.2. *art*.2. *quæst*.1. D.Thom.2. 2. *quæst*. 32. *art*. 8. *ad* 2. Paludanus, Gabriel, Richardus, Syluester, Angelus, & alij apud Molinam *Tomo* 2. *de iustitia, disput*. 274. assertiuè, stando tamen iuri communi; nam iure Lusitano, & Castellæ id negatur. Vide Fagundez *lib*. 4. *cap*. 5. Tannerum *disput*. 2. *quæst*. 5. *dubio* 2. Bassæum, Verbo *Donatio.*

SECVNDO de donationibus inter virum, & 12
vxorem, an saltem causa mortis possint fieri: Aliqui enim negant, vt Iulius Clarus *lib*.5. *sent*.§. *donatio, quæst*. 9. cui magis plaudit Fagundez *lib*. 5. *cap*. 4. *num*.21.

SECVNDA opinio asserit, esse validas. Ità Emanuel Costa *in cap. si pater*, 1. *part. v. legauit.* Molina *tract*. 2. *de iust. disp*. 288. Gomez *ad leg*.50. *Tauri, num*.66. Patet *ex leg. cum seruum*, §. *vlt.* & *ex leg. sed interim*, §. *sed quod, ff. de donat. inter virum, & vxorem.*

TERTIO dubitatur de donationibus factis cau- 13
sa mortis à socero suæ nurui, vel genero.

INVALIDAS has clamant Iulius Clar. §. *Donatio, quæst*.6. *num*.7. vbi plurimos allegat, quibus adde Couar. *rubric. de testam. part*. 3. Molina *Tom*.2. *disput*.288. Ratio est, quia Socer censetur vna res cum filio, vel filia, ideo his viuentibus prohibentur donationes.

QVOAD filium familias, certum est, posse donare bona Castrensia, & quasi Castrensia. Ratio est, quia, sicut de his potest testari, ita etiam donare, vt sumitur *ex leg. marcellus, ff. de donationib. causa mortis.*

DE bonis autem aduentitiis non potest filius- 14
familias, etiam de patris consensu testari. Ità Mo-

Ff 2 lina

lina *disput.* 138. Vallaſcus *Tom.* 2. *conſult.* 108. *numero* 36. Gloſſa Bartol. & Doctores *in leg. Qui in poteſtate, ff. de teſtam.* Attamen de his poteſt donare cauſa mortis de patris conſenſu, ſi pubes ſit. Ità Clar. *lib.* 4. *ſent.* 5. *donat.* 9. vbi ait omnes ità cenſere. Ratio autem, cur de his valeat donare cauſa mortis; ſed non teſtari ex patris conſenſu, eſt, quia teſtamentum, cùm ſit vltima voluntas, nequit ex aliena pendere volitione. Ità Iaſon *in leg. ſi minor, Cod. Qui teſtamentum facere poſſint.*

15 AD donandum verò neceſſarius eſt patris conſenſus eſſentialiter, alioqui donatio eſt inualida. Ità Couar. *de rubric. teſtam. part.* 3. *num.* 6. Clarus §. *Donatio* 36. Molina *diſp.* 288. *Tom.* 2. Fagundez *loco cit. num.* 25.

16 QVÆSTIO inſuper eſt de minoribus: an donare cauſa mortis queant. Sunt autem minores, qui carent patre, & matre, & licet puberes, tamen ſunt infra vigintiquinque annos, vt notat Fagundez *num.* 28. Hi licet puberes, non poſſunt donare, etiam cauſa mortis abſque curatorum conſenſu, & Iudicis decreto, quamuis teſtari queant. Vide Molinam *diſp.* 224. *Tom.* 1. & *diſp.* 288. *Tom.* 2. Excipe tamen bona Caſtrenſia, & quaſi Caſtrenſia, de his enim liberè donare poſſunt tam inter viuos, quàm cauſa mortis, vt patet *ex leg. Pupillus, ff. de acquir. rerum dominio. Et leg. ſi curatorem, Cod. de in integro reſtit.* & eſt communis ſententia, quam docent Baldus, Angel. Salicetus, Paulus de Caſtro, Alexander, Iaſon, & omnes *in Cod. qui teſtament. facere poſſunt.* Authent. *vt ſponſal. larg. cap. ex hoc*, vbi Gloſſa *in verbo teſtari*, & Bartol. *collat* 9.

17 SI autem non habeant Curatorem, vel ætatis veniam obtineant à Rege poſt viginti annos expletos maſculi; & decem, & octo fœminæ, poſſunt donationes facere de mobilibus, tam inter viuos, quàm cauſa mortis; de immobilibus autem nequeunt abſque decreto iudicis. Vide Molinam *Tom.* 2. *diſput.* 277. & 278.

DVBITATVR etiam de deportatis, qui perpetuò ſunt exilio damnati, & de relegatis, qui ad tempus ſunt exilio eiecti, vt habetur *in leg. relegatus, ff. differentia, ff. de interdict.*

18 DICO igitur, deportatus in perpetuum exilium, non poſſe iure communi donare cauſâ mortis, teſtare, aut legare, & idem eſt de morte damnatis; textus *leg. ſi aliquis, ff. de donat. cauſâ mortis.*

INGREDIENTES Religionem, donationem, & renunciationem bonorum facere nequeunt in Religione. Nouitij exiſtentes, niſi intra duos menſes proximos profeſſioni de licentia Epiſcopi, quæ renunciatio non habeat effectum, niſi ſecuta profeſſione, vt definit Sanctum Tridentinum Concilium *ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 16. Hoc tamen decretum non impedit, donationes factas ante ingreſſum Religionis, etiam animo ingrediendi religionem, vt declarat ſacra Congregatio, 18. *Maij* 1598. & ſequuntur multi, Sanchez *ſum. Tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 4. decem allegans Doctores. Adde Dianam *Tom.* 1. *tract. de dubiis regular. reſol.* 55. alios adducentem.

19 ALII tamen volunt, includi etiam donationem factam ante ingreſſum animo, & intuitu ingrediendi Religionem. Ità Fagundez *lib.* 5. *cap.* 6. Molina *Tom.* 1. *diſp.* 149. Gutier. *cap. quamuis pactum, de pactis, in* 6. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 4. *num.* 40. Azor *tract.* 1. *lib.* 13. *cap.* 9. *quæſito* 2. qui adducit etiam Sanchez, adducentem ſexdecim Doctores.

HÆC mihi videtur ad mentem Concilij, quod prohibet renunciationem bonorum, ne cogantur profeſſionem depauperati adire, vt notat Fagundez. Sacra vero Congregatio ſequitur primam ſententiam

NOTARE velim, vt valida ſit renunciatio ſupra ex Concilio, debere maſculum habere ſexdecim annos completos, vt aduertunt multi apud Fagundez *numero* 12. 20

TANDEM regula generalis eſt circa perſonas, quæ valide donare poſſunt, hanc regulam eſſe generalem, vt perſonæ illæ, quæ ſub alterius poteſtate ſunt, licèt dominium habeant bonorum, careant tamen libera adminiſtratione illorum; validè donare non poſſe, vt ſunt vxores, amentes, prodigi, carentes ratione, impuberes, filij familias, & minores viginti annis, vt omnes concedunt apud Fagundez *num.* 13. cum D. Bonauent. *in* 4. *diſt.* 15. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 4. Mariti verò poſſunt quidem moderatas donationes facere, inuitis vxoribus, ſi tamen bona ſibi, & vxoribus communia diſſipent, tenentur eam conſumptam facultatem ſibi aſſumere in tertij ſui partem, ſoluto matrimonio, vel facto diuortio, cum diuiſione bonorum. Ità Molina *tract.* 2. *diſp.* 275. Leſſius *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 14. *n.* 87. Fagundez *n.* 16. quem vide. Hæc ſatis explicui, *Tract. de Charitate, diſp. de eleemoſyna*, & *in hoc tractatu, diſp.* 1. 21

DONATIONES merè liberales ſimplices, factæ à patre filiis, ſub ſuâ poteſtate poſitis, regulariter ſunt inualidæ, & ad partitionem adducendæ. Ità communiter Doctores apud Fagundez *lib.* 4. *cap.* 7. *de contract.* Ratio eſt, quia filius cum patre vna res eſt, *leg. finali, Cod. de impuber.* In donationibus autem debent eſſe, ad minus, duæ perſonæ, donans, & donatarius. Valet tamen donatio facta filio emancipato, vt habet *text. in leg. Donationes, quas parentes, Cod. de donat. inter virum, & vxorem*, & Gloſſ. ordin. & communiter Doctores *ad leg.* 2. *Cod. de inoffic. ieſ. donat.* 22

VALET etiam donatio à patre filio ſuo facta dotis titulo, nec tenetur cum fratribus, vel aliis heredibus eam adducere in diuiſionem poſt mortem patris, *leg. Pomponius, ff. familia erciſcunda*, & *ff. & Cod. de collat. bonorum*, per totum. 23

CIRCA donationes verò, quæ fiunt à ſponſo ſponſæ, vel à parentibus ſponſo, vt honorarior appareat, vide Fagundez *cap.* 7. ſemper tamen ſeruandus eſt mos regionis, quia viri non cenſentur donare, niſi iuxta talem morem, *leg. penult. ff. ſoluto matrim.* & addit Lex: *Sane prodigalia veſtimenta, quæ modernus abuſus induxit, donata conſeri non puto, nec perlas, nec lapides pretioſos, quia nemo præſumitur malè velle vti ſubſtantiâ ſua cum damni ſui enormitate.* Vide etiam Matthæum de Afflictis *deciſ.* 315.

SIMILITER quod dictum eſt dote pro nuptiis corporalibus, dicendum etiam de dote pro nuptiis ſpiritualibus ad Religionem; valet enim in fauorabilibus ab vno ad alterum argumentatio c. *inter corporalia, de tranſlat. Epiſcop.* Bartol. *in leg.* 1. §. *ſi parentes, ff. ſi quis à parente*, Vallaſcus *in praxi de partit. cap.* 13. *num.* 31. 24

NON poteſt fieri donatio omnium bonorum præſentium, & futurorum. Ità Doctores communiter, Bartol. *in leg. ſtipulatio hoc modo concepta, ff. de verb. oblig.* & *in lege vlt. Cod. de pactis*, & alij apud Fagundez *lib.* 4. *cap.* 10. Ratio eſt, quia ſic aufert ſibi poteſtatem teſtandi, quæ non poteſt adimi, cùm ſit de iure gentium. Idem ſignificatur, ſi donet hereditatem.

AN verò poſſint donare omnia bona præſentia. Probabilius reor, eſſe inualidum cum Iulio Claro, Couar. & Gamma, apud Fagundez *lib.* 4. *cap.* 10. 25

DONATIONEM

DONATIONEM verò omnium etiam futurorum, si reseruentur vsus fructus, aut aliquid quo possit testari, valida est; ita Bartol. *in Leg. stipulatio hoc modo concepta, ff de verb. oblig.* Iulius Clar. *lib. 4. sent. §. Donatio, quæst. 19.* Socinus iunior *consil.* 142. *num.* 39.

IMO si donatio omnium, etiam futurorum fiat Ecclesiæ, vel loco pio, est valida *ex text. in leg. Iubemus, 2. vers. patrimon. Cod. de sacrosanctis Ecclesia.* Bartolo *in l. vlt. numero 13. Cod. de pactis*, & communem testatur Gomez *ad leg. 69. Tauri.* Id docet etiam Iulius Clarus *lib. 4. sentent. §. Donatio, quæst.* 20. & alij apud eum. Ratio est, quia si potest quis seipsum validè Ecclesiæ consecrare, multò magis sua, & licèt oppositum teneant multi apud Clarum; tamen pro hac sententia in fauorem Ecclesiæ dicendum.

26 DONATIONES etiam omnium bonorum præsentium, & futurorum, factæ ob causam onerosam dotis, vel matrimonij, validæ sunt. Ità Molina *lib. 2. de primog. cap* 10. *num.* 77. & alter Molina Theologus *tract. 2. disp.* 280. Rainos *obseru.* 41. Menchaca *de success. creat. leg. §. 1. num.* 32. Fagundez *lib. 2. cap.* 10. *num.* 12.

27 QVOAD donationes inter coniuges, olim regulariter fuere nullæ, ne coniuges mutuo amoris nexu propriis se bonis spoliarent, vt patet *ex Leg. cum hic status, ff eodem.* Antoninus Imperator sanciuit, vt liberum maneret coniugi donanti reuocare donationem alteri coniugi factam, dum viueret ipse donator; si tamen illam non reuocaret, morte confirmaretur, ità vt postea heredes donatoris non possent eam reuocare: Hoc sane à legato, & donatione causa mortis parum differt. Itaque sicuti non prohibentur coniuges sibi inuicem donare causâ mortis, & legare, ità neque hoc debuit denegari, & hoc viget etiam hodie *ex leg. cum hic status cit. & leg. 1. & 3. & leg. quas parentes, Cod. de donat. inter virum, & vxorem*, & *cap. vltimo, eodem titulo.*

28 HÆC autem donatio confirmatur etiam morte ciuili, quæ est triplex: Prima per exilium perpetuum, vel longum decennij. Secunda est seruitutis pœna. Tertia professionis in Religione. Ità Sanchez *lib. 6. de matrim. disp.* 17. Fagundez *lib. 4. de contract. cap.* 15. *num.* 6. Molina *Tract. 2. de Iustitia, disp.* 289.

29 DONATIO porrò facta inter sponsos de futuro, anteà erat absoluta, & irreuocabilis, sed nunc habet tacitam conditionem, & valet, si sequatur matrimonium, & consumetur. Prior pars habetur *in leg. 5. v. igitur, ff. de donat. & leg. 2. & leg. si filia, & leg. si tibi, Cod. de donat. ante nupt.* Quod verò nunc requirantur conditiones allatæ, habetur *leg. cum veterum, Cod. de donat. ante nups.* & *lib. 3. tit. 11. part 4.* Vide Sanchez *lib. 6. de matrim. disp.* 18. & 19. Molinam *Tom. 1. Tract. 2. disp.* 290.

30 EX iure positiuo, vt valida sit donatio, requiritur insinuatio coram Iudice, *leg. sancimus, Cod. de donatione*, quare donatio sine insinuatione, excedens 300. solidos, est nulla, quo ad excessum, & *eodem tit. lib. penult.* statutum est, vt valida sit donatio absque insinuatione, si non excedat summam 500. solidorum. Solidi autem quingenti valent scuta Hispanica 700. Vide Clarum *quæstione* 5.

QVÆSTIO III.

De reuocationibus donationum.

DONATIONES, maximè inter viuos, irreuocabiles suppono ex D. Bonauent. *in Diæta, Tit. 3. cap. 1. & in Psalm.* 111. 31

DONATIO, quæ traditione perfecta est, atque reddita irreuocabilis, inficitur a tribus præcipuè vomitoriis. Primò ingratitudine. Secundò superuenientia filiorum. Tertiò inofficiosa donatione. Ad hæc capita reducuntur etiam alia, vt aduertit Iulius Clar. *lib. 4. sent. §. donatio, quæst.* 1.

QVOAD primum, sermo est de donatione liberali; nam quæ fit ex remuneratione, iam habuit correspondentiam.

PRIMO igitur reuocatur, si donatarius graues, & atroces iniurias, etiamsi semel, in donantem iecit; 32
Ità Molina *Tract. 2. disp.* 281. & alij. Quæ autem sint tales iniuriæ, remittitur iudicio prudentis, & possunt istæ iniuriæ verbis, vel factis confici.

SECVNDO si donatarius percutiat donantem, vel manus violentas immittat animo ipsum lædendi.

TERTIO si graue damnum bonis donantis intulit, dummodo iniustè hæc faciat.

QVARTO si donatarius donatori vitæ periculum fuit machinatus.

QVINTO si donatarius alteram donationem, à donatario impositam, non impleuerit, vel conditionem à donante in donatione impositam, & acceptatam, non absoluerit.

CVM autem hæc reuocent donationem in pœnam criminis, non cogitur donatarius ante sententiam iudicis restituere.

ALIAS causas apponunt alij, sed Molina *§. nobis verò*, ait, non esse odia hac in re dilatanda.

SECVNDVM caput est proles superueniens; so- 33
lent enim aliquando fieri donationes tempore, quo donator carebat successione: Quæritur verò: an superueniente prole reuocetur donatio.

ASSERO, ipso facto reuocari *leg. si vnquam, Cod. de reuocand. donat.* & quidem licèt hæc lex lo- 34
quatur de donatione facta liberis, est tamen intelligenda de quacunque alia donatione facta alteri extraneo, vt aduertit Iulius Clar. *lib. 4. §. Donatio, quæst.* 22. & Gloss. *in leg. si nunquam*; & communiter Doctores.

Aduerte, istam reuocationem fieri ipso iure natis filiis, ideò lex ait: *Reuertatur*, &c.

SI tamen donatio facta est Ecclesiæ, reuocatur 35
non in totum, sed quantum mordet. Vide Tiraquellum copiosè *in leg. si vnquam*, Baldum *consil.* 215. Molinam *tract. 2. cap. 2. disp.* 292. Bartolum *in leg. Titia, §. Imperator, ff. de legat. 2.* Couar. *lib. 1. var. cap.* 19. Ripam *ad leg. si vnquam.*

ET aduertunt Doctores, non posse patrem renunciare, beneficio legis; *si vnquam Cod. de reuocando donat.* solùm enim potest renonciare, quatenus non præiudicet filiorum legitimis, quæ sunt illis iure naturali debitæ. Et ideò ait Clarus, hanc sententiam esse optimam, & secundùm eam semper iudicatum.

TERTIVM caput est donatio inofficiosa, quæ 36
duplex est. Alia re tantùm, non consilio, quando pater in re lædit Legitimam filiorum; licèt non intendat lædere: tunc est inofficiosa re, & consilio quando, & in re lædit, & lædere intendebat.

IGITVR si donatio facta sit vni filio, non reuocatur, nisi vsque ad læsionem legitimæ aliorum

filiorum. Ità Clar. *lib.* 4. §. *Donatio*, *quæst.* 14. Molina *tract.* 2. *disp.* 283.

37 Si fiat extraneo, & sit inofficiosa consilio, etiam re reuocatur vsque ad legitimam. Ità Doctores citati, & hoc verum est, etiamsi pater donationem iuramento firmasset, quia iuramentum non est vinculum iniquitatis, vt monet S.Doctor *in* 4. *dist.* 28. *in dubio littera.*

Si verò sit inofficiosa re tantùm, non consilio, probabilius reor, reuocari totam in solidum. Ità Barbol. cit. Iullius Clar. *quæst.* 24. vbi eam communem vocat sententiam.



DISPVTATIO V.

De Emptione, & Venditione.



HI Contractus inter cæteros celebriores sunt, cùm totum ferè humanæ societatis commercium ex eis subsistat; periculosissimi tamen sunt, tum propter vitia, sæpenumerò in re vendibili inscio emptore late tia; tum propter auaritiam mercatorum, quæ specioso hoc prætextu palliata, per fas, & nefas suas merces venditat, cumulatque sibi pauperum Denarios, viliores res charius ipsis vendendo; hæc maximè actitantur in locis, vbi nulla fit pretij taxatio; sed cuiquè impunè permittitur, res suas vel pro emptoris necessitate, vel pro suo libito commutare.



QVÆSTIO I.

Quid sit EMPTIO, *&* VENDITIO.

1 PLVRIMA a tradunt de his definitiones, ea quibus elicitur definitio perbreuis, quam indicat S.Doctor in speculo animæ, cap. 2 *Venditio est pactio mercedis pro pretio. Emptio verò Pactio pretij pro mercede*, ea vtitur Caspensis *Tract.* 19. *disp.* 4. & alij apud Fagundez *lib.* 5. *de contract. cap.* 1. Bassæum, *verb. Emptio.*

2 ADVERTA hic, nomen mercis propriè significare tantùm res mobiles vendibiles *lib.* 66. *ff. de verb. signific.* At *hic* sumitur merces pro mercede, quatenus habet rationem obiecti pretiandi. Sic accipitur à Lessio *Tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 1. cum Iuristis ad *leg.* 1. *ff. de contract. emptionis, & venditionis*, & Molina *Tom.* 2. *de iust. tra.* 2. *disp.* 336. qui sic eam definiunt. Igitur sumitur hîc prout dicit mercedem, non mercem. In quo decipitur Fagundez cum Bassæo.

3 DICITVR *Pactio*, quia est mutuus contractus, & hoc est loco generis. Dicitur *mercedis pro pretio*, & *pretij pro mercede*, quia olim ante inuentam pecuniam erant solæ permutationes equi cum boue; vini cum oleo; & tritici cum panno; post verò pecunia inuenta est ob rerum inæqualitatem, quæ, initio, pede pecudum excusa fuit; vnde & pecunia dicta est, teste Plinio *lib.* 33. *cap.* 3. & apud Romanos pede bouino imprimebatur. Vnde illa Manudij paroemia: *Bouem habet in lingua*, idest, pecuniâ corruptus est. Hinc etiam Depeculatores dicti sunt, qui pecunias vi, furto, &c. auferunt. Mox verò metallis varijs, ob inæqualitatem, pecunia excusa est, cuius pretio inceperunt fieri Emptiones, & Venditiones, iure gentium, licèt quò ad æqualitatem pretij fiant iure naturæ. De his vide Fabianum de monte *de empt. & vendit. quæst.* 1. Mulinam *Tom.* 2. *tract.* 2. *disp.* 336. Fagundez in Proœmio *ad lib.* 5. *de Emptione, &c.*

De hac (vt ait S.Doctor suprà) perleulosa materia, aliqua agam, vt pote necessaria, tametsi paucissima in Seraphico inueniantur. 4

TRIA autem eulliguntur necessaria ad Emptionem, & Venditionem, nempe Consensus, Res, & Pretium. De Consensu patet *ex Leg. omnibus*, *ff. de verb. oblig.* De re constat *ex lege*, *Nec emptio*, *ff. de contrahend. empt.* De pretio constat *ex dicta lege*, & docent communiter Doctores.

PROBATVR, quia hic contractus est vltrò citròque obligatorius; obligatio autem sine coonsensu non est.

ADVERTA autem, simplicem contractum Emptionis, & Venditionis initum cum conuentione formandi scripturam non esse perfectum, nisi facta scriptura, & potest quilibet contrahentium resilire, quia sub ea conuentione, & coditione initus fuit contractus, & ideò non censetur perfecta, nisi purificatâ, impletâque conditione. Ità aduertunt Doctores *ad leg.* 2. *ff. de contract. empt. & leg. contractus, Cod. de fide instrument.* & *Instit. de empt. & vendit.* §. 1. Vide Molinam *tom.* 2. *de Iustitia*, *tract.* 2. *disp.* 337. Fagundez *lib.* 5. *cap.* 2. 5

QVOD si de scriptura facta est mentio, perfecto iam contractu non est necessaria scriptura. Potest tamen alter contrahentium compellere alium, vt scriptura fiat ad faciliorem probationem contractus, quia quod sibi non obest, & alteri prodest, tenetur quilibet contrahentium efficere. Instrumentum autem tenetur soluere, qui alium hoc casu cogit. Vide Mulinam suprà cùm Fagundez. 6

SI verò initio contractus conuenêre de scriptura facienda, & dubitatur, an ad hoc conuenerint ad maiorem scripturæ firmitatem, & faciliorem probationem; an ad valorem contractus. 7

COMMVNITER respondent, eam censendam esse sufficientem ad valorem contractus; alij tamen oppositum dicunt.



QVÆSTIO II.

Quæ personæ emere, & vendere queant.

CERTISSIMA hæc præstare nequeunt, qui non habent rerum dominium, & administrationes, vt minores, pupilli, amentes, filij familias, & alij, quos refert S.Doctor *in* 4. *dist.* 15. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 4. & *disp. de contractibus in genere*, sunt recensiti. 8

MARCATVRA lucratiua est Clericis, & Religiosis illicita, *cap. consequens*, vbi suspensio inducitur *dist.* 88. & *cap. fornicari*, *eodem titulo*, & *cap. negotiatorem*, ibidem, & *cap. vltimo*, *de vita, & honestate cleric.* Clement. V. *eodem titulo*, & *cap.* 1. *Ne clerici, vel monachi*, Sic communissimè Doctores, & *in eo cap.* imponitur excommunicatio ferenda. Similiter vetita est conductio agrorum causâ lucri, & auaritiæ, *cap. peruenit*, *dist.* 86. vbi permittitur taotùm ad sustentationem.

INTELLIGITVR

9 INTELLIGITVR autem de clericis tantùm in sacris. Vide Molinam *Tom. 2. disp. 342.*

PROHIBENTVR etiam Iudices, & alij Principem repræsentantes, in terris à se gubernatis emere, & vendere, vide Molinam *disp. 343.*

TVTORES verò iure communi tenentur, volentes emere bona suorum pupillorum, habere decretum Iudicis palam, & bona fide inito contractu. Ità Gama *decis. 217.* Probatur *leg. si in Emptione, §. finali, verbo tutor, ff. de contrah. empt.* dum fiat palam & bona fide, nam secretò per amicum ementes præsumuntur de fraude. Vide Molinam *Tom. 1. disp. 224.*

10 POSSVNT etiam coniuges inuicem, & patri filius de his, quæ sunt propria, habere tales contractus. De coniugibus habetur *text. in leg. Aurelius, §. finali, ff. de liber. legat.* De Patre, & filio quo ad bona Castrensia, & quasi Castrensia certum est; hæc enim sunt penitus filij.

11 PATER verò nequit vendere filio vni aliqua sua bona absque consensu aliorum filiorum; neque vni nepoti absque consensu aliorum nepotum, aut sine licentia Regis, vel Principis, quando illi talem consensum præstare nequeunt, aut nolunt; aliàs tales contractus sunt irriti, & filius emptor in pœnam amittit earum rerum pretium *leg. 2. ff. de contrah. empt.* Vide Molinam *tract. 2. disp. 343* aliàs 245. Et idem dic de filiis vendentibus res suas parentibus ex regula correlatiuorum, vt notant Fagundez *lib. 5. cap. 15. num. 4.* Rebell. *de oblig. iustit. part. 2. lib. 9. quæst. finali, sect. 3. num. 17.* eadem enim ratio in ascendentibus militat.

12 HINC deducit Fagundez *num. 12.* neque posse Patrem cum filio mutuum contrahere, neque patrem cum filio prioris matrimonij, existentibus è secundo aliis.

SIMILITER, si pater donet filio huic agrum pro solutione alicuius pecuniæ, quam debebat, erit inualida, quia habet vicem venditionis.

QVÆSTIO III.

Quæ res vendi possint.

13 DICO primò, Hominem liberum non posse vendi. Itaque si mala fide vendatur vt mancipium, tenetur venditor emptori de pretio, & de omni lucro cessante, & damno emergente, & venditio est nulla ipso facto. Si autem bona fide vendidit, putans eum seruum esse, venditio est nulla; non tamen tenetur damnis. Vide Molinam *tract. 2. de Iust. disp. 340.* Lessium *lib. 2. cap. 14. dub. 13. num. 59.* Tannerum *disp. 4. quæst. 7. num. 55.*

HIC oritur dubium: An ille, cui dedisti tuam rem vendendam, possit aliquid de pretio retinere; vt si ei des equum, dicens: vende quadraginta aureis saltem, & ille vendat quadraginta duobus, an possit hæc duo aurea retinere; vel si dederim vestem dicens, si tibi decem aureos dederint, da; & ipse duodecim accepit.

14 DICO, teneri totum dare venditori, quia nihil acquirit iuris in pretium, nec ratione rei venditæ, quæ est aliena, nec ratione laboris, quem suppono tanti non æstimari, etsi condictum sit solui mercedem laboris.

DVBITATVR etiam: an possit aliquis emere Chirographum continentem creditum minoris pretij, quam scriptura testetur ob anticipatam solutionem, vt si ego habeo Chirographum centum aureorum crediti cum Ioanne ad S. Martinum: An Petrus, possit nunc anticipare in mense Iunio emere Chirographum nonaginta quinque aureis.

DICO primò, vsuram esse ob solam dilationem, excepta causâ lucri cessantis, vel damni emergentis, talia credita minoris emere. Ità communiter DD. cum D. Bonauent. *in speculo animæ, cap. 2. §. secundus ramus principalis auaritiæ, &c.* 15

DICO secundò; si Chirographum continet creditum difficile, litigiis obnoxium, potes quid minus emere creditum ob has difficultates iudicio prudentis. Ratione etiam lucri cessantis, vel damni emergentis potes minori pretio emere hæc credita. Ità Valentia *quæst. 20. puncto 2. §. concl. 5.* Lessius *lib. 2. c. 21. dub. 18. num. 65.* Nauar. *cap. 17. num. 231.* Tanner. *dub. 4. quæst. 7. num. 46.* Medina *Cod. de restit. quæst. 38.* D. Antonio. 2. *tit. 1. cap. 8. §. 3. & 4.* Molina *disput. 361.*

RATIO est, quia illæ difficultates minuunt pretium crediti, & labores in illis euincendis difficultatibus, pretium exigunt. Eadem etiam ratio est de lucro cessante. 16

TOTA difficultas est, quid agendum, quando nihil horum subest.

PRIMA opinio concedit, posse minoris emi ob has rationes: Prima est, quia talia Chirographa iudicio prudentum minoris æstimantur, quàm valor pecuniæ præsentis; iustum autem pretium illud est, quod iudicio prudentum iudicatur, vt docet Couar. *lib. 2. var. cap. 3.* & alij apud Fagundez *lib. 5. cap. 16. num. 11.* & Tannerum suprà. Inter eos citatur Bellarminus. 17

DEINDE, quia emens illa Chirographa, emit ius ad recuperandam pecuniam, quam continent *leg. minus, ff. de regulis iuris.* Hoc autem ius toto tempore, quo non soluitur, est inutile, & sterile ementi.

TERTIO, alioqui iniquæ erunt emptiones censuum personalium, quæ in pluribus locis sunt receptæ. Subscribunt alij cum Diana *part. 1. tract. 8. resol. 49.*

SECVNDA sententia negat omninò, posse eo casu minoris emi credita. Ità Medina *Cod. de restitut. quæst. 38.* Sotus *lib. 6. de Iust. quæst. 4. art. 3. ad 3.* Syluester *V. vsura, 2. quæst. 14.* Gabriel. *4. dist. 15. q. 11. dub. 14.* Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 8. num. 21.* Rebell. *2. part. de oblig. iust. lib. 5. quæst. 13.* Angelus *V. vsura 1. num. 63.* Molina *Tom. 2. disp. 361.* Fagundez *lib. 5. cap. 16. num. 13.* Tanner. *loco cit.* Valentia suprà, Sot. *lib. 6. quæst. 4. art. 1.* Bassæus, *V. emptio, num. 18.* etsi oppositam non teneat. 18

RATIO est, quia nullum est fundamentum huius lucri, & aperit viam vsuris palliatis; illud enim ius non affert, vt supponitur, aliquod damnum in illa dilatione realis acquisitionis rei.

QVOAD opera, quibus ex iustitia tenemur, iam ostendi *in disp. de Iudice*, non posse ea vendi. Vide Molinam *Tom. 1. disp. 89.* & Lessium *lib. 2. cap. 14. dubio 8.* 19

SIMILITER & opera, ad quæ tenemur ex voto, inuendibilia sunt, quia his tenetur vouens ex quadam iustitia ad Deum.

IDEM dic de operibus debitis Principi, vel Prælato ex virtute obedientiæ, possunt tamen accipere stipendia ad suam sustentationem, vt notat D. Bonauent. *ad 3. Lucæ* in ea verba: *Contenti estote stipendiis vestris*

SIMILITER neque pro operibus præceptis ab Ecclesia possunt mercedem accipere. Vide Molinam *disp. 91.*

QVOAD meretrices, licèt pretium accipiant validè, & iustè, & sine obligatione restituendi, ratione 20

quidem laboris, non tamen licitè illud accipiunt. Quare peccatum est, non contra iustitiam, sed contra seatum præceptum non mœchandi, vt notat D.Bonau. *in 4. dist. 15. p. 2. art. 2. quæst. 1. ad 4.* Fagundez *l. 5. cap. 18. num. 21.*

Qvoad opera misericordiæ extra tempus, cum ex præcepto cogimur, vt docere etiam Thaologica, seruire infirmis, &c. potest vendi; neque enim omnia spiritualia inuendibilia sunt, sed ea quæ sunt à Spiritu sancto. Hæc sanè venduntur simoniacè.

21 Qvoad res Sacras nequeunt vendi. Vide Fagundez *l. 5. cap. 19.* sed nos de hoc infra *Tract. de votis, disput. 12. quæst. 3.* Possunt tamen vendi ratione materiæ, vt notat Tanner. *num. 55.* Azot. *T. 3. l. 8. cap. 5. quæsito 1.* iuxta *C. Ligna, de consecr. dist. 1. can. Aurum, & can. Apostolicos, & can. Sacrorum, 12. quæst. 2.* de qua re egi laconicè *tom. 4. disp. 17. quæst. 10. ad propofit. 22.*

22 Qvoad Religionem, tametsi accipere aliquid ad religionem ob pretium sit simoniacum, tamen potest accipi pretium victûs, & vestitûs. Vide Less. *l. 2. cap. 35. dub. 12. num. 71.* Suarez *T. 1. de relig. l. 4. cap. 17.* cum D.Thom. *in 4. dist. 25. quæst. 3. art. 3. quæst. 1.*

Ratio est, quia venditur temporale, non autem spirituale, neque est aliquod decretum id vetans. Si tamen monasterium opulentum sit, tunc simoniam esse conclamant communiter Iuris interpretes, & colligitur *ex cap. Tua nos, de simonia*; & *C. veniens ad nos*, & *cap. dilectus 2. eodem titulo.*

23 Ramanet labor in operibus spiritualibus. Distinguunt autem multi laborem in intrinsecum, & extrinsecum. Intrinsecus est, qui in actione sacra moraliter includitur, vt labor in camando Missam, Concionatoris in concionando. Alter est labor extrinsecus, puta eundo ad locum remotum ad concionandum, vel celebrandum. Ita Fagundez *l. 5. de contract. cap. 21.*

D. Bonavent. *in speculo animæ, cap. 2.* ait, vendere aliquid spiritualiter adnexum, esse simoniam. Licere autem pro labore, & sustentatione secundùm bonas consuetudines accipere, seu dare.

24 Adnexvm autem spirituale faciens simoniacum videtur S. Doctor accipere id, quod est etiam spirituale, vt patet *in 4. dist. 25. dub. 5. litt.* aut aliquid intrinsecè coniunctum, vt ordinationem sacram adiunctam, quæ est ipsa sacratio intrinsecè coniuncta spirituali, vel cum venditur præbenda, vel si venditur spirituale adnexum spirituali; vt prædicatio. Ita *p. 1. Centil. sect. 30.*

25 Qvapropter non videtur eo modo accipere laborem, sicut accipiunt suprà allati, ita, vt vendere laborem, quem insumo per se cantando missam, vel prædicando, sit simonia; sed arbitror, eum laborem esse inuendibilem, qui in deuotione, attentione, seu intentione collocatur: at labor, quem per se insumo, non modò longum iter assumendo, sed stando in Ecclesia, canendo, & clamando, esse appretiabilem arbitror, & hoc sensu (vt reor) locuti sunt D.Thom. *in 4. dist. 25. quæst. 4. art. 2.* Durand. *ibi, quæst. 3.* Syluester *v. Simonia, quæst. 9.* Maldee. *de simonia, tract. 9. cap. 3. dub. 6.* Filliuc. *cap. 3. quæst. 11.* Reginald. *l. 23. disp. 228.* Sotus *l. 9. quæst. 6. art. 1.* Less. *T. 1. l. 2. cap. 35. dub. 8.* Suarez *T. 1. de Relig. l. 4. de simonia, cap. 21. num. 10.*

Clarivs autem id afferunt alij, quos refert Malderus *loc. cit.* & Bonacina *de simonia, quæst. 6. p. 3.* dicentes, posse licitè laborem appretiari per se iniunctum operi spirituali, & pro maiori labore, maius pretium exigi, puta, si Sacerdos est pinguior, vel Concionator imbellis. Imò aliquid amplius dicit Valentia *disp. 6. quæst. 16. p. 3.* referens Gabrielem, Caietanum, Sotum, & alios, ac Tanner. *2. 2. dist. 5. quæst. 8. dub. 3. num. 76.* atque Suarez *loc. cit. num. 17.* quibus adhæret Diana *p. 1. tract. 16. resol. 29.* Bassæus *v. Emptio, num. 5.* monens, non posse augeri pretium rei ob spirituale adnexum, puta calicis, &c. vel agri, ob ius patronatus, etsi non tenuat omnino oppositum.

Qvod si tantùm ob extrinsecum, & per accidens occurrentem laborem, liceat mercedem accipere, vt ait Fagundez *n. 3.* qualis est longi itineris ad missam, vel ieiunij ad multas horas; heu quot simoniacos infarciemus? Docet D.Bonau. *ad cap. 2. Ioan.* Christum eiecisse vendentes boues, idest, qui laborem prædicationis pretio temporali vendunt. 26

Qvoad officia sæcularia: an vendi possint, multi quidem negant; eò quòd talia officia fiot obiectum distributiuæ, & dignioribus conferenda. Ita Medina *C. de restit. quæst. 4. de vsuris*, Adrian. *in 4. quæst. de vsura* Turrianus *2. 2. T. 2. disp. 23. dub. 2. num. 5.* & facit ad hoc *Lex vnica, Cod. ad Legem Iuliam de ambitu*, quæ prohibet, aliquem promoueri ad officium publicum pro pretio, & ambitione.

Arridet Cassaneus *p. 1. Catal. gloria mundi, consider. 60.* alias autem *fol. 38.* Glossa *in C. sicut 1. quæst. 6.* Bouër. *decis. 149.* Caietan. *in offic.* Auendan. *resp. 9. col. 2.* Fagundez *l. 5. cap. 23.* 27

Alij verò asserunt posse Principes vendere illa officia, dummodò moderatè, & dignis ea dispensentur, & ob Reipublicæ vtilitatem ad Summam aliquam constandam, quæ aliter non habeteretur. Ita docent Less. *l. 2. cap. 31. dub. 4. num. 29.* Aragon. *2. 2. quæst. 63. art. 2.* Villalobos *T. 1. tract. 8. difficult. 7.* Ioan. de Crua *in directorio, p. 2. punct. 7. quæst. 7. art. 2. dub. 10. cen. l. 3.* Ledesma *in summa, T. 2. tract. 7. cap. 1. concl. 15.* Salon. *2. 2. T. 1. quæst. 63. art. 2. controu. 8.* Ibidem Syluius, Tanner. *disp. 5. quæst. 7. p. 2. §. 5. ad 3.* Malderus *2. 2. tract. 9. cap. 1.* Bassæus *num. 8. dub. 5.* Rebell. *l. 9. quæst. 18. sect. 2. num. 24.* & alij apud Dianam *tract. 5. Miscell. resol. 108.* addit is Azorium *T. 3. l. 8. cap. 7. quæst. 3.* Filliuc. *T. 2. tract. 24. p. 2. cap. 2.* Cordubam *summa quæst. 117.* Addit Fagundez *l. 5. cap. 23.* Valentiam *disp. 5. quæst. 7. p. 2. §. 5. ad 3.*

Eam licitam concedit etiam D.Thom. *in resp. ad Ducissam Brabantiæ, opusculo 21.* Sylvester, *v. dignitas, num. 4.* Baldus *l. Barbarius, lectura 1. num. 6. ff. de offic. Prætoris*, Vallascus *in praxi de partitionibus, cap. 13. num. 67.* 28

Apponit tamen D.Thom. aliqua inconuenientia, ob quæ hæc non expedire assumit.

Qvoad S. Bonau: arbitror, esse pro secunda sententia; nam *in speculo animæ, cap. 2.* fine versus *§. Item, vt dictum est*, vt probet illicitam simoniam, arguit, quia rerum spiritualium non sumus Domini; de temporalibus autem dignitatibus non dicit in illa tota diuisione integra peccatorum, esse illicitam venditionem, imò videtur inferre, esse licitam ex ratione allata opposita, & quia inibi, vbi omnes species peccatorum obiicit, tanquam in speculo, ipsi animæ, consultò hanc venditionem omittit. 29

Deinde videtur huius sententiæ etiam *in 3. dist. 40. dub. 2. litt.* ad illud: *Non concupisces domum proximi tui*, vbi opponit Argumentum hoc: *Quod, licet Petro acquirere, licet concupiscere:* Et respondet licere desiderare moderatè, quod licet emere, & statim addit de honoribus, & dignitatibus sanè, vt vtiles sunt temporaliter, quarum ambitus ad auaritiam spectat, ait, posse moderatè appeti; & infert, posse & emi.

Optima ratio est, quæ in D.Bonau. includitur, dum 30

dum hæc supponit publica, & antiqua consuetudine vendibilia. Sic enim Principes, & Reges vendunt officia,habentesetiam iurisdictiones adnexas, & quidem vtiliter non modò Aulico, sed etiam populis: hi timentes eas dignitates, quas tanti emerant, perdere, magis in officio continentur. Confirmatur, quia, vt S. Bonau. tacitè indicat eo Opusculo, in quo omnia ad vnguem peccata menti obiicit, lucaque adducit, nullum contra hoc ius se inuenire profitetur. Non arbitror sanè, omnes Principes consilij esse inopes,vel consiliariorum;sed certò certius existimo, prouidentissimè eos sapientum Theologorum consiliis hæc agere, maximè quia etiam sanctissimi Principes, nedum probi, hæc in praxi exercent. Neque hæc distributiuæ iustitiæ obsunt, possunt enim vendi melioribus.

31 Vxoria sanè Iustiniani consilio facta est lex, quòd de cætero officia Iudicaturæ non vendantur *in auth. Vt Iudices, sine quoquo suffra fiant*, vt refert Cassanæus allatus. Et S. Ludouicus Rex Franciæ id ordinauit, vt refert Gaguinus *l.6. cap.2.* Et Pius V. motu proprio *Etsi Romani*, & Sixtus V. *Cum pro sui premi*, vetant procurationem, & assertionem aliquarum dignitatum habentium ius medio pretio sub pœnis confiscationis honorum, &c. Vide Dianam *p.3. tract.* ; *re ol.168. Miscellan.*

Fateor, rem male agi, cum qood virtute fieri debet,pecunia tractatur, vt dicit Cicero, quem refert Baldus *in Leg. Barbarius.*

32 Dico, hæc optimo zelo dicta, ne iustitia vendatur *Leg. Quisquis, C. si certum petet.* hoc cautè sanxerunt quoad potestatem iudicandi ob grande periculum auaritiæ; qui enim tam carò emunt officia prætoria, volunt in crumenis subditorum refarciri, vt sæpius vidi in Prætoriis Rhetorum, vbi omnia venalia sunt officia. Attamen si cautè, & prudenter id fiat, auferentur pericula.

Qvæstio verò est de his, qui habent talia officia cum potestate transferendi ea in alium, puta in consanguineum, vel amicum; an possint etiam illud vendere.

33 Commvniter affirmnt DD Ità Corduba, *quæst.117.* Ioan. de la Cruz *in direct. p.1. precept.7. quæst.7. art.2. dub.10* & alij cum Diana *Tract.5. Miscell. resol. 109.* & Fagundez *de contract. l.5. cap.13. num.11.* Ratio est, quia ea licentia includit tacitè etiam potestatem vendendi, cum non limitetur modus transferendi. Accinit his Bassæus *num.8.*

Advnt multi cum Diana, posse hunc referuare sibi aliquam pensionem in transferendo tali officio; sed Fagundez timore perculsus, hoic non arridet.

34 Vendibiles sunt res etiam in spe, vt partus ancillarum, pecorum, iactus piscationum, venationes, & aucupia: Hæc enim possunt dari hypothecæ *L. & quæ nondum sunt, ff. de pignoribus*: Ergo & vendi. In his tamen aliqua venduntur conditionatè, vt fructus agri, partus ancillæ, oempe si nascantur; alia verò absolutè, vt iactus piscationis, &c. Ità Molina *T.2. disp.340.* Gomez *t.2. variar. cap.2.* Fagundez *cap.24. Libri 5. num.6.*

Vendibilia sunt etiam venena, quæ vel ad colores, vel alios vsus, puta commiationia, inseruire possunt, non autem cætera. Vide Molinam *disp.340.*

Vendibilia sunt etiam omnia bona præsentia, & futura. Ita Molina *loc. cit.* Fagundez *lib.5. cap.25.*

Qvoad res alienas, suppono cum D.Bonau. *in speculo animæ, cap.2.* & *in 4. dist.15. p.1.art.2. quæst.1.* dupliciter posse aliquem esse possessorem rei alienæ, quam vendit. Primò bonæ fidei Secundò malæ fidei. Possessor bonæ fidei est, qui putat, rem esse suam: malæ fidei est, qui nouit, esse alienam. Vide Panormitanum *in cap. grauis, de restit. spoliatorum*, & patet *ex cap. si virgo, 24. quæst.1. in secunda parte decreti.* De his satis egi, cùm *de restitutione*, & egerim.

Certvm est igitur, possessorem malæ fidei vendere non posse. Ratio D. Bonauenturæ, qua omnes vtuntur,est, quia Venditione transferri debet dominium à vendente in alium: at talis possessor non habet rei dominium, imò est in continua mora obligationis ad restitutionem etiam fructuum. 35

Potest etiam possessor bonæ fidei rem vendere, quamdiù prudenter putat esse suam, statim verò ac rem esse alienam agnouerit, tenetur eam domino restituere, vt dixi *de restitutione.*

Evenit aliquando, vt ratione loci, vel temporis,venditio sit illicita, vt deferre venalia ad Ecclesiam, vel locum Sacrum, vt vendantur, peccatum est mortiferum. Ità D. Thom. *prima Corinth.2.* ad ea verba: *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum?* Et allegat factum Christi *cap.2. Ioan.* quando eiecit omnes vendentes. 36

Eodem argumento probatur à D. Bonauent. *ad cap.2. Ioan.* & confirmat authoritate D. Chrysostomi *homil.22. in Ioan.* & *l.2. de ciuitate, cap.18.* ex quo deducit S.Doct. fuisse culpam grauem, idest, grauem irreuerentiam. Idem docent Molina *t.1. de iustitia, disp.44.* Syluest *v. immunitas*, Panorm. *in cap. cum Ecclesia, de immunit.* & arridet Concilium Trident. *sess.22. decreta de obseruandis, & vitandis in celebr. miss.* 37

Præterea in periuriis, mendaciis, & aliis vitiis, quæ proueniunt, non ex ipsa venditione, sed ex vendentium, & ementium nequitiâ, illicita, & peccaminosa redditur venditio, vt omnes fatentur cum D. Bonau. *in speculo animæ, cap.2.* Imò, si mendacia, & periuria fiant ad fallendum emptorem, vt vltra, & supra iustum pretium emat, mortale est contra iustitiam, & tenetur venditor ad restitutionem, sub mortali, si emptor ideò vltra rigorosum pretium emat,& si excessus sit grauis: Veniale autem erit,si leuiter iustum pretium excedat, vt docet D.Bonau. *loc. cit.* Molina *T.2. disp.346.* Fagundez *l.5. cap.27.* 38

Svnt verò res aliquæ, non habentes pretium terminatum, vt peregrinæ è nouo mundo, de quibus quæritur: an possint vendi,quanti velint domini earum.

Mihi probabilius est, haberi pretium aliquod iudicio prudentis apponendum; computatis computandis. Ità Nauar. *sum. l.23. num.78. Less. l.2. cap.21. dub.3.* Caiet. *2.2. quæst.77. art.1.* Caspens. *Tract.19. disp.4. sect.2.* & alij communiter apud Fagundez *l.5. de contract. cap.28.* Tametsi nonnulli apud hunc, & Dianam *p.1. Tract.8. resol.36.* oppositum sentiant; quos refert etiam Bassæus *num.8.* nobiscum sentiens. 39

Ratio est, quia res venales non sunt determinandæ à solo venditore; alioqui grauissima inconuenientia orientur; Neque hæc sunt melioris conditionis, quàm res cæteræ, imò; cùm necessariæ non sint, non debent expilare populos.

Res quoque victui necessariæ debent in magnis necessitatibus vendi, & cogi possunt homines ob bonum publicum, & ea abscondere grauissimum peccatum est, si alioqui pretio ascendant, vel patiantur grauiter pauperes. Ita D. Bonauent. *in speculo animæ, cap.2. ad finem.* Quod probat illo *Lucæ 12.* Qui multa bona sua quidem congregauerat, cui indicta est mortis sententia, & damnationis: *Stulte, hac nocte animam* 40

animam tuam repetent à te. Idem probat *ad* 12. *Luca.* Et hoc etiam de panno, & aliis necessariis docent Barthol. *l.* 1. *C. de Episcopali audient.* Tabiena *v. emptio, num.*6. Couar. *l* 3. *var. cap.*14. all gans alios Panormit. & alij *in cap.*1. *de empt. & vendit.* & *l.*2. *ff. de nundinis*, & *l.*1. *Cod. vt nemini liceat in empt.* Matth. de Afflictis *quæst.*3. *in proœm. constit. Neapol.* Felinus *in cap.*1. *de Iudæis.* Itaque potest Iudex tempore charitatis, aut annonæ, præfigere pretium, & pœnas imponere victualiis, vt docent Molina *T.*2. *de Iustitia, disp.*341. Syluest. *v. emptio, quæst.*4. Couar. *l.* 3. *var. cap.*14. Gomez *t.*2. *var. cap.*2. & patet ex *l.*1. §. *cura carnis, ff. de offic. Prætoris vrbis.*

41 Tandem addo, licere emere res, vt eædem immutatæ cariùs vendantur causa lucrandi, & hoc ad bonum finem alendæ familiæ, &c. Ità D.Bonau. *loco citato* quem sequuntur Molina *T.*2. *disp* 239. Less. *l.*2. *cap.*11. *dub.*1. D.Thom. 2.2. *quæst.*77. *art.*4. Sotus *de Iustitia, l.*6. *quæst.*2. *art.*1. Benuenutus *tract. de mercatura, cap.*1. *num.*28. Cunha *p.*1. *decret. ord.C.* Fornicari *disp.*88. vbi id probatur etiam ex D. Augustino.

42 Neque obstat D. Chrysost. relatus *in C.* vbi ait, mercatorem non posse Deo placere. Loquitur enim de ponentibus in mercatura vltimum finem, parati mortiferè Deum offendere.

QVÆSTIO IV.

Quotuplex sit rerum pretium.

EMPTIONES, & venditiones ex pretio potissimum iustæ sunt, vel iniustæ.

43 Est autem pretium iustum duplex: Alterum lege publicâ taxatum, vt quod carnis libra, cadus olei, vel metreta vini, tanti vendatur. Hoc autem pretium consistit in indiuisibili, & vocatur ab Aristotele *primo Eth. cap.*7. legitimum pretium, cui subscribunt communiter Doctores. Alterum pretium naturale est, quod ea natura ipsa secundùm prudentem æstimationem imponitur. Hoc autem iustum esse, patet *ex l. pretio, ff. ad Legem Falcidiam.* Non consistit autem hoc pretium in indiuisibili, quia pendet ex multis circumstantiis, de quibus videatur Nauar. *cap.*23. *num.*79. Medina *C. de restit. quæst.*31. Couar. *l.*2. *var. cap.*3. In hoc igitur datur quædam latitudo, intra quam non violatur iustitia, vt docet D. Bonau. *in speculo animæ, cap.*2. Molina *T.*2. *disp.*347. Less. *l.*1. *cap.*21. *dub.*2. *num.*8. Fagundez *l.*5. *de contract. cap.*29. Caspens. *Tract.* 19. *sect.*2. Tanner. *disp.*4. *quæst.*7. *num.*27.

44 Hinc igitur pretium naturale est triplex. Supremum, seu rigorosum: Medium, seu moderatum; & Infimum, seu pium. Exempli gratia, pretium medium sit centum; Rigorosum erit 105. Infimum erit 95. Rursus medium sit 10. Infimum 8. Supremum 12. quæ exempla ponunt Couar. *l.*2. *var. cap.*3. Lessius, & Molina suprà, Caspensis *num.*7. qui tamen computans accrementum in centum, tantùm quinque ponit in decenis augeri, & decrescere solùm vnum, & dimidium.

45 Inter horum trium pretiorum fines non potest esse iniustitia, ita vt cariùs possit vendi res credito, quàm pecunia numerata, dummodo stetur inter hos limites. Ità colligitur ex D.Thom. 2. 2. *quæst.* 77. *art.*1. Caietano *ibi*, Molina *t.*1. *disp.*347. Less. *l.*2. *cap.*21. *dub.*2. *num.*11. Soto *l.*6. *de iust. quæst.* 2. *art.*3. Couar. *l.*2. *var, cap.*3. Scoto *in* 4. *dist.* 15. *quæst.*2. Maiore *quæst.*29. & 40. Conrado *de contract. cap.*3. *quæst.*56. Nauar. *in C. qualitas, de pœnit. disp.*5. *num.*43. Fagundez *l.*5. *cap.*29. Casp. *num.*7. qui tamen cum aliis aduertit, pretium debere determinari.
Quare, si vendas tali pacto: *Vende, quanti volueris,* 46
est inualida.

QVÆSTIO V.

An liceat ex quibusdam causis minuere infra minimum pretium, vel supra summum augere.

MVLTIS è circumstantiis tradunt Doctores mutari posse rerum pretium naturale.

Primvm est ex pecuniâ mercium, & empto- 47
rum abundantiâ; sicut enim emptorum paucitate, & mercium copiâ vilescunt merces; ità è contra, &c. Ideò enim in fine nundinarum decrescit mercium pretium. Ità Sotus *l.*6. *de iustitia quæst.*2. *art.*3. Rebell. 2. *p. de oblig. iust. l.*9. *quæst.*1. *sect.*1. *num.*34. Couar. *l.*2. *var. cap.*3. *num.*4. Caiet. 2. 2. *quæst.* 77. *art.*2. Tanner. *disp.*4. *quæst.*7. *num.*28. Fagundez *l.*5. *de contract. cap.*30. & indicat S. Doct. *in speculo animæ, cap.*2.

Secvndo ex abundantia pecuniæ: Sunt enim 48
aliquæ regiones, in quibus aurum, & argentum abundat, vt Indiæ, & totus ferè nouus orbis, vbi amplius auri, & argenti effundi potest; Adde etiam id sæpe euenire ex difficili mercium aduectione. Ità Fagundez *num.*30.

Tertio, causa est modus vendendi; cariùs enim 49
venduntur res minutatim, vt notat Bass. *num.*5. Rebell. *num.*36. Syluester *v. emptio, quæst.*10. Molina *T.*2. *disp.*348. Fagundez *num.*4. Ad hoc reducuntur venditiones *sub hasta*, aut per *proxenetas*, vel quando studentes vltimò discedunt. Ità Nauar. *in Manuali, cap.*23. *num.*78. Caiet. & Soto suprà. Tannerus *num.* 19.

Qværvnt autem Doctores, quodnam sit pretium iustum venditioni *sub hasta.*

Commvniter respondent, esse illud, quod 50
non excedit dimidium iusti pretij, nec minuit infra dimidium. Ità Gregorius Lopes *de contract. l.*1. *cap.*29. Filline. *t.*2. *tract.*35. *cap.*6. *num.*141. Mercado *l.*2. *cap.*12. Garcia *l.*1. *cap.*21. Corduba *quæst.*8. Rodriquez *tom.*1. *cap.*174. Ioan. Franc. Suarez *l.*1. *verbo venditio, & emptio*, §.14.

Aliqvi tamen dicunt, esse illud, quod vltimò offertur, si fraudes absint. Ità Iacobus Gordon. *T.*1. *Theolog. Mor. l.*4. *quæst.*5. *cap.*8. *num.*98. Villalobos *t.*2. *cap.*21. *diffic.*5. & citat alios Fagundez *l.*5. *de contract.* *cap.*30. *num.*6. Alij dicunt, merces vltroneas vilescere pro tertia parte. Ità Caietanus, sed non placet Tannero *num.*29.

Qvarto augetur pretium ex appetitu, & affe- 51
ctu rerum nouarum circa fructus terræ, pisces maris, & quædam curiosa: Sic Æthiopes rubeos pileos magni pendunt, & Iaponij antiquitates quasdam. Vide Caspensem *tract.*19. *disp.*4. *sect.*4.

Monet verò Tannerus *num.*32. rem esse periculi plenam. Idem habet Molina *disp.*351. Ideò dissuadendum aiunt. Addit Tanner. *num.*34. pro curiosis rebus posse aliquid accipi. Bassæus adiungit affectum venditoris, quo suæ rei velit adhærescere, & qua durè se priuat.

Qvinto ob maiorem vtilitatem communem. 52
Vide Molinam *disp.*348. *Tomo* 2. Fagundez *num.*8.

Dico

Dico vtilitatem communem, quia vtilitas, vel necessitas paucorum non est causa, vt augeatur iustum pretium; sicut enim pretium rerum non pendet ab vnius vendentis æstimatione, ità nec à necessitate vnius ementis; alioqui fas esset cariùs vendere pauperi, quàm diuiti, quia magis ea re indiget. Ità S. Bonau. *in speculo animæ, capite 2. §. circa fraudes, quæ in emendo.* D. Thom. 2.2. *quæst.* 11. *art.* 1. Rebell. 2. *p. de oblig. iust. l.* 9. *quæst.* 15. Molina *loc. cit.* Fagund. *num.* 8.

SEXTO augetur pretium ex bonitate rerum, vt ex multis iuribus ostendit Pinellus 3. *p. C. de rescind. vendit. C. vlt. num.* 32.

53 SEPTIMO ex translatione mercium ad locum, vbi cariùs venduntur, & melioratio illis facta per humanam industriam, vel per naturam, & tempus currens, vt si equus creuerit, &c. Ità Molina *disput.* 348. Fagundez *num.* 11. Tanner. *num.* 31.

ALIAM causam addit Scotus 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. *art.* 2. Maior *quæst.* 41. multum facere ad pretium augendum expensas, industriam mercatoris in mercibus vehendis, & computanda pericula, quibus se exposuit in nauigatione, aut deuectione per terras, latronibus obsitas.

54 HANC regulam reprehendit Fagundex *num.* 52. quia non est industriâ mercatoris augendum, vel periculis &c. vt patet *ex Leg. pretia rerum, ff. ad Legem Falcidam*, & *ex text. in cap.* 1. *de empt. & vendit.* & *ex l. si seruum meum, ff. ad l. Aquiliam.*

55 HÆC tamen, si rectè intelligantur, non refellunt modum Scoti, qui non vult, immoderatè augeri pretia his de causis, aut posse naufragia mercium aliarum resarciri, excessu pretij immoderati; hoc enim Scotus non prætendit.

ALIAS causas per quæstiones discutiam.

QVÆSTIO VI.

An ratione lucri cessantis, vel damni emergentis possit pretium augeri vltra summum.

56 ASSERO, id licere. Ita Fagundez *l.* 5. *cap.* 31. Less. *l.* 2. *cap.* 21. *dub.* 4. *num.* 18. Tanner. *disp.* 4. *quæst.* 7. *num.* 36. Couar. *l.* 2. *var. cap.* 3. *num.* 6. Valentia *quæst.* 20. *p.* 5. Itaque si quis habet triticum, quod vult vendere solùm mense Maij, interpellatus nunc, vt vendat, potest exigere pretium, quod valebit in Maio, detracto periculo corruptionis, deteriorationis, & prudentis iudicio, prout est maius periculum, &c. At verò non licèt vendere pro illo anni tempore, quo valebit plus; nam incertum est, quo anni tempore plus valitura sit, & sæpe decipiuntur auari, differentes ad Maium, &c. Quare venditur assumit certò commodum, & relinquit periculum emptori, quod est vsura, vt docet D. Bonau. *cap.* 2. *speculi*, & Fagundez *lib.* 5. *capite* 37. ac Bassæus *v. Venditio, num.* 5.

57 HINC etiam facilè aliam resolues quæstionem, vtrum liceat exigere aliquid supra iustum pretium ratione periculi sortis, cui interdum vendens credito exponitur.

ID vsurarium conclamant Sotus *de iust. l.* 6. *quæst.* 4. *art.* 1. *disp.* 2. Nauar. *cap.* 23. *num.* 81. Lopes *in Instruct. p.* 2. *cap.* 220. Palacius *de contract. l.* 4. *cap.* 3. *concl.* 8. Garcias *de contract. l.* 1. *cap.* 23. Toletus *de septem peccatis, cap.* 5. Azorius *p.* 3. *l.* 8. *cap.* 8. *quæst.* 7. Rebell. *de oblig. iust. p.* 2 *l.* 9. *quæst.* 12. Hæc secura est, & suadenda, vt ait Caspens. nam sequens est periculosa, & viam aperit vsuris. Subscribit Bassæus *num.* 11. Ratio est, quia hi sunt fructus mercatorum.

OPPOSITA sententia probabilis videtur Medinæ *de restit. quæst.* 38. *causa tertia*, & 4. Petro Nauar. *l.* 3. *de restit. cap.* 2. *p.* 1. *dub.* 11. & *p.* 2. *cap.* 3. *dub.* 10. Valentiæ *Tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 20. *p.* 2. Sa *v. venditio*, Rodriquez *p.* 5. *cap.* 83. Lessio *l.* 2. *cap.* 21. *dub.* 6. *num.* 54. & aliis, quos citat, & sequitur Sanctarellus *p.* 1. *quæst.* 47. *num.* 17. & Salas *tract. de vsuris, disp.* 27. & Diana *p.* 1. *tract.* 8. *resol.* 57. si tamen emptori explicetur in contractu ob periculum, aliquid sumi; quæ conditio necessaria semper est in omni excessu lucri cessantis, vel damni emergentis, vt notat Molina *disp.* 356. & Caspens. *disp.* 4. *sect.* 6. vt sit verum periculum, & tunc ait esse pretiu æstimandum. 58

ADDVNT alij, ne mercator hoc periculum proponat inuitando emptorem, & prius petat fidei iussionem, vel pignus ad assecurandum; alioqui exigat aliquid ob periculum.

HINC pedetentim definies: an mercator, qui præuidet, breui superuenturam è mercium adueniente copia abundantiam, ac sibi damnum emersurum, possit nunc merces illicò pretio currenti vendere. 59

PRIMA opinio negat. Ità Conradus *de contract. quæst.* 63. & 64. Ioan. Medina *C. de restit. quæst.* 35. post Ciceronem cum Antipatro *l.* 3. *de off.*

PROBANT, quia imminens abundantia censetur præsens, quæ enim parum distant, præsentia censentur in iure. ideò & Euangelistæ referentes consecrationem Eucharistiæ, dicunt: *Hic est sanguis, qui pro vobis effundetur.* Matth. 26. Lucæ 22. sed de corpore ait Lucas: *Quod pro vobis traditur*; cùm tamen simul & sanguis sit effusus, & corpus mortuum, imò priùs effusus sanguis, in quo est anima dispositiuè, seu conseruatiuè. 60

OPPOSITVM tamen censent D. Thom. 2. 2. *quæst* 77. *art.* 3. *ad* 4. Caietanus *ibi*, Syluester *verbo emptio, quæst.* 15. Valentia *disp.* 5. *quæst.* 2. *punct.* 4. Tanner. *disp* 4. *quæst.* 7. *num.* 53. Sotus *l.* 6. *quæst.* 3. *art.* 2 *ad* 3. Couar. *ad regulam peccatum*, 2. *p.* §. 4. Molina *t.* 2. *disp.* 354. Less. *l.* 2. *cap.* 21. *dub.* 5. *num.* 4. Pinellus *l.* 2. *C. de rescind. vendit. p.* 3. *cap.* 2 *num.* 24. Fagundez *l.* 5. *cap.* 31. *de contract. num.* 10. Faustus *in speculo conf. disp* 6. *quæst.* 15. Molfes. *t.* 2. *tract.* 12. *cap.* 5. *num.* 69. Nauar. *de restit. l.* 3. *cap* 2. *num.* 67. Caspens. *disp.* 4. *sect.* 9. Diana *p.* 1. *tract.* 8. *resol.* 40. & alij apud istos. 61

OPTIMA est ratio, quam colligo ex D. Bonauentura *serm. vltimo Hexaëmer.* & *ad cap.* 10 *Sap.* vbi aduertit, Sapientiæ diuinæ adscribi, & sanctæ sagacitati, vt Ioseph frumenta tempore abundantiæ ex Ægypti regno colligeret remisso pretio, & seruaret cariùs vendendum, tempore penuriæ imminentis *Genes.* 41. Igitur licet hæc facere, alioqui verò peccasset Sanctus ille Patriarcha. & ad restitutionem fuisset ligatus, vt infert Fagundez *num.* 10. quod est absonum, cum *Sapientiæ cap.* 10. eas omnes illius actiones sibi sapientia Diuina adscribat. Adde verò, id fecisse Ioseph, vt populo in penuria subueniret, quod est licitum, vt ait S. Bonau. *cap.* 2. *speculi animæ*, § 35. *fructus principaliter iniustitia.* 62

INPARO tamen cum D. Bonau. *in speculo animæ, cap.* 2. Molina citato, Rebell. *t.* 8. *de oblig. iustitia, l.* 9. *quæst.* 6. *num.* 5. Fagundez *num.* 24. futurum contra iustitiam, & charitatem, si dolo, fraude, aut mendacio induceret emptores, vnde magnum eis damnum ex tot mercibus importunè aduectis sequeretur. Addunt verò aliqui cum Diana *p.* 1. *Tract.* 8. *resol.* 46. 63

*resol.*46. interrogatum de aduentu mercium, &c. vnde vilescat pretium, & negantem, etiamsi sciat, non teneri restitutioni, si ille carò emat.

SIMILITER videtur contra charitatem, si daret tantam multitudinem illarum mercium vni, cui, ingruente copiâ, damnum graue in reuendendo obueniret.

64 ADDIT tandem Fagundez *num.* 21. si merces, puta vinum, oleum, & triticum essent alicuius magistratus, qui à Principe sciret, legem promulgandam decrementi mercium, vel monetarum, & suos admoneret, vt statim merces, vel monetas subitò deiiciendas expedirent, tenerentur hi ad restitutionem, etiamsi esset ipse Princeps, quia ex iustitia tenentur omnibus subditis procurare bona. Ità etiam Rebell. 2.*p.* *l.*9. *quæst.*6. Less. *l.*2. *cap.* 21. *dub.*5.
65 *num.*48. & alij. Attamen oppositum docent Turrian. 2.2. *disp.*18. *dub.*3. alios citans. Et Couar. *in regulam peccatum*, *p.*2. §.4. nec dissentit Diana *p.*1. *Tract.*8. *resol.*42.

QVÆSTIO VII.

Vtrum liceat cariùs vendere supra summum pretium, expectatâ solutione, quàm numeratâ pecuniâ.

66 INTRA limites iusti pretij licere concedunt communiter, quia totum illud pretium iustum est. Ità D.Thom. 2.2.*quæst.*77.*art.*1. Valentia *disp.*5.*quæst.*20. *p.*2. § 8. Caietanus *ad art.* D. Thomæ, Less. *lib.*1. *cap.*21. *dub.*6. *num.*50. Rebell. *t.*1. 2.*p.* *l.*9. *quæst.*11. Molina *t.*2. *disp.*355. Bassæus *v.* *Vendit.* Fagundez *l.*5. *cap.*32. & alij communiter. Vide etiam Caspensem *disp.*4. *sect.*6. At verò venditam rem cariùs ob dilationem pretij statim reemere, viliori exhibito pretio, malè olet, vt ait Tannerus *disp.*4. *quæst.*7. *num.*52. Carbo *quæst.*52. Less. *dub.*16. Nauar. *cap.*23. *num.*51. Petr. Nauar. *num.*169. & si Bassæus *num.*4. annuat licere; non tamen primo inire pactum retroemendi, quia hoc est mutuum vsurarium.

67 ENIM verò transcendere pretium rigorosum ob solam dilatam solutionem, est vsura palliata. Ita allegati cum D.Bonau. *in speculo animæ*, *cap.*2. §. *tertius fructus principalis iniustitia.* Et §. *secundus ramus principalis auaritiæ.* Et rursus D. Thom. *quæst. cit. art.*2. *ad* 7. Toletus *l.*5. *Summæ*, *cap.*28. Sotus *l.*6. *de iust.* *quæst.*1. *art.*3. & alij adducti. Ratio est, quia nihil est aliud expectare solutionem, quàm mutuare illam pecuniam, quæ statim reddenda erat pro toto illo tempore, quo expectatur; sed pro mutuo non licet accipere aliquid vltra sortem, vt ait S.Bonau. Ergo. Vnde Fagundez cum Soto damnant mercatores, qui in fine nundinarum, quando vilius est pretium, vendunt merces credito, seu expectando solutionem, eo pretio rigoroso, quo initio nundinæ vendebantur.

68 ADDVNT tamen, si tempore solutionis valituræ sint merces ampliùs; posse vendi supra rigorosum pretium præsens, eo pretio, quo vendentur tunc, cùm soluet. Ita Lessius *l.*2. *cap.*21. *dub.*6. *num.*52. Rebellus 2.*p.* *l.*9. *quæst.*11. *num.*3. Debet tamen sciri certò.

Addunt aliqui, posse illud plus accipi, etiamsi venditor non constituisset eo tempore vendere merces illas.

SED hæc est vsura palliata, vt docent Couar. *l.*2. *var.* *cap.*3. *num.*6. Medina C. *de restit.* *quæst.*38. *causa quinta*, Lessius, Rebellus, & Fagundez.

RATIO est, quia, id erit exigere pretium rei alie- 69
næ; nam merces sunt ementis absolutè eo tempore, quo crescit pretium, nec enim cogitarat venditor eas tunc habere.

ADVERTE tandem, posse (vt in nonnullis partibus mundi solet) vendi res numeratâ pecuniâ minori pretio; eò quòd illa pecunia vendenti, illicò negotiis exposita, reddit ampliùs, vnde ex credito, & dilatione pecuniæ oritur cessatio lucri, vel damnum emergens.

Ex dictis etiam definies: an ob anticipatam solu- 70
tionem possint pretia remitti. Et quidem intra latitudinem iusti pretij, iam primò definitum est initio quæstionis.

IGITVR ex præcisa anticipatione non licet egredi limites iusti pretij, attamen ob damnum emergens, vel lucrum cessans, ex illa pecunia, quam anticipatè soluo, quamque negotiis impensam augerem, licebit. Vide Fagundez *cap.*33. *l.*5. *de contract.* Caspensem *disp.*4. *sect.*7.

HAC de causa multi Doctores iustificant con- 71
tractum illum Laoatum in Hispania ex anticipata solutione, infra pretium infimum. Eos refert Fagundez *num.*8. Ratio est, quia mercatores illi, pretium illud anticipantes, eâ pecuniâ lucrarentur, quam anticipatè profundunt. Vide Molinam *Tom.*1. *disp.*360.

QVÆSTIO VIII.

An licita sint Stocolia, & Barocolia Italè STOCCH *Hispanè* MOHATRA.

CONTRACTVS hic talis est: Titius petit 100. 72
aureos mutuò à mercatore Clodio, qui non vult dare pecuniam, sed exhibet merces ad valorem summi pretij 100. aureorum, vt ille vendat pecunia numerata, & suæ inopiæ satisfaciat; sed emptor Titius statim eas merces offert ipsi mercatori Clodio; qui easdem merces emit pretio medio, vel infimo.

HIC prima facie vsura fracida est. Ideò legibus 73
Castellæ, & Lusitaniæ sub grauibus pœnis interdicuntur; esse igitur vsuram asserunt Rebell. 2.*p.* *l.*9. *quæst.*7. *num.* 7. Medina *l.*1. *Summæ*, *cap.*14. §.23. D.Antonin. *p.*3. *tit.*8. *cap.*4. §.4.

ALII tamen appositis conditionibus eum ab vsura redimere conantur. Prima est, vt stetur intra iustum pretium. Altera, vt tollatur omne scandalum, explicando in tali contractu, nullam esse iniquitatem, cum semper sistatur intra limites iusti pretij. Sic Nauar. *cap.*23. *num.*91. Petrus è Nauar. *l.*3. *cap.*2. *num.*170. Homobon. *in Exam.* *p.*2. *tract.*9. *cap.*10. Regius *in suis resol. casu* 14. & 34. *Summa Corona*, *p.*2. *cap.*7. Less. *l.*2. *cap.*21. *dub.*16. *num.*130.

NEC valet opponere, esse dolum, quippe idem 74
est venditor, & emptor, quia si potest alius eo pretio emere, cur non etiam mercator? imò venditor liberatur à cura vendendi per Proxenetas. Non tamen potest ad hoc cogere, nec pactum de hoc habere, vt notat Graff. *p.*1. *l.*1. *cap.*209. Bonac. *de contract.* *disp.*3. *quæst.*3. *p.*3. *num.*20. Bassæus *num.*4.

ADDVNT aliqui aliam conditionem, vt non fiat hæc venditio ea intentione reemendi viliori pretio. Sic Molina *T.*2. *disp.*310. Angel. *v.* *vsura*, *n.*60. Lopes *l.*1. *de contract.* *cap.*34. Vegha *in Summa*, *T.*2. *cap.*131. *cas.*62. Azor. *p.*3. *l.*8. *cap.*11. & arridere videtur Fagundez *l.*5. *cap.*34. *num.*2.

SED hanc tertiam conditionem refellunt Salas 75
de empt. *disp.*37. & Diana *p.*1. *Tract.*8. *resolut.*58.

quia

quia vbi nihil vltra sortem deducitur in pactum, nec speratur, vt præmium, aut debitum de iustitia pro mutuo, nulla est vsura, si auctitium intendatur, vt vult Molina *T.2. disput.305.* Valentia *disp.5. quæst.21. p.1.* Nauar. *de restit. lib.3. cap.2. dub.2. num.19.* & idem Salas *tract. de vsuris, disput.5. numero 5.*

76 FATEOR mihi hunc contractum fœtere, quia nullum adest huius lucri fundamentum, nisi fraus, & ipsa res, quæ non est lucrantis, & est vsura in spe, vt arguit S.Doct. *in speculo animæ, cap.2. §. tertius fructus principalis iniustitia.* Sicuti vsura est manifesta, cum promissum ex pacto interuenit, vt notat S.Doctor.

NEC solidè eum tuentur plures Casuistæ, inanibus argutiis prætendendo, nihil mali esse, si mercator suas vendat merces, si eas alter emat, redimatque prior venditor; cum non sit hic deterioris conditionis, quam alter mercator, qui potest eas emere. Non inquam solidè hæc obtendunt, cum res morales non ità tractandæ sunt, vt seorsim singulæ circumstantiæ inspiciantur; nam etiam rem alienam manu tangere, innoxium est; sicut & eam manu clausam tractare, ac demum è domo excedere, nihil culpæ habet; verùm hæc iunge, furtum est. Similiter, vendere, emere, ac reuendere innocua sunt; at si ita fiant vt venditor equum det Iuueni pro 100. Aureis, intra aliquod tempus soluendis, Iuuenisque equum venditori reddat pro 60. numerata pecunia: quis talem contractum ab vsura, saltem in spe, vindicare poterit.

ALIOS similes contractus auaritia excogitauit, quos vide in Fagundez *cap.34.* Molina *disp.362.* Rebellio *l.9. quæst.7. num.7.* Bassæo *loc. cit.*

VNUM frequentatum appono. Diuites aliqui dant greges ouium, vel armenta boum quibusdam pastoribus, vel armentariis, vt pascant, exigentes lanas ex parte, sed lac, caseum, & agnos relinquendo, ita verò, vt pereant pastoribus, interim pereuntes.

ALII emunt *v. g.* centum oues, pretio communi numerato. Sed cum pacto vt vsque ad mensem Iunium seruentur illæsæ; interim fructus omnes exigentes lactis, lanæ &c.

77 DICO cum D. Bonau. *in speculo animæ, cap.2. loc. cit.* esse tacitam vsuram, cum quis aliquid commune habet cum aliquo, quidquid sit illud, & periculum, vel damnum non sit commune; subscribunt Fagundez *lib.5. cap.34. num.15.* Molina *T.2. disp.362.*

RATIO D.Bonau. est clara, quia res, sicuti Domino fructificat, ita & illi perit.

QVÆSTIO IX.

Quo vsque Emptio, & Venditio in Monopoliis sit illicita.

78 MONOPOLIVM, vt ait Molina *disput.345.* dicitur quasi vnus vendens. Fit autem tunc Monopolium, quando vnus, vel pauci efficiunt, vt ipsi soli aliquod mercium genus vendant eo pretio, quo ipsis collibuerit.

DEFINITVR autem Monopolium: *Est conuentio, machinatio, & industria aliquorum mercatorum, quâ efficiunt, vt ipsi soli, vel aliquod mercium genus vendant, vel certo pretio vendant.*

79 HOC autem quatuor modis fieri potest, vel conspirando inter se de pretio, vt nullus vendat minori. Vel faciendo vt ipsi soli vendant aliquas merces, vel emendo omnes merces certi generis, easque supprimendo, donec pretium illarum multum ascenderit. Vel impediendo, ne aliunde asportentur ab aliis. Hos omnes discutiam.

SVPPONO autem cum D.Bonauent. *in speculo animæ, cap.2.* ad finem, Iniustam congregationem esse, cum quis bona etiam sua, puta fructus terræ, congregat solo ardore ditescendi, vel vt caristia procuretur, & res seruatæ postea cariùs vendantur, & iterum pretium reponatur.

IUSTUR quoad primum casum; Si mercatores 80
non vendant extra limites iusti pretij, nec ad caristiam ordinetur inducendam, dico non esse iniquum contra iustitiam. Ità Less. *lib.2. cap. 21. dub. 10. num.145.* Molina *t.2. disp.345.* Nauar. *in sum. Lat. cap.23. num. 42.* Maior *in 4. dist. 15. quæst.4.* Sylnester *v. emptio, quæst.18.* Fagundez *l.5. cap.35.* Bass. *num.24.* tamen dicunt, peccare huiusmodi contra charitatem. Nauarrus verò loquitur in genere. Et hoc idem indicat S. Doctor, dum ait, monopolia facientes solo ardore habendi, peccare. Aliqui tamen apud Fagundez aiunt, peccare contra iustitiam, quam certò violant, iustum pretium excedentes.

QVOAD secundum casum; certum est, posse 81
Principem dare, vt aiunt aliqui, facultatem (Italicè *Apalto*) posseque mercatores acceptare, dummodo non sit in damnum publicum. Ità Molina *t.2. disput.345.* Fagundez *l.5. cap.35.* & alij. At seruetur iustum pretium, ait Bassæus *num.25.*

QVOAD tertium modum, cum multi simul emunt merces, vt postea vendant pro libito tempore cariori. Dico cum D.Bonau. peccare eos contra iustitiam, & teneri restitutioni. Ita etiam Gabr. *4. dist.15. quæst.10. art.3.* Medin. *de restit. quæst. 36.* Syluest. *v. emptio, quæst.10.* Angelus *v. negotiatio,* Sotus *l.6. de iust. quæst.2. art.2.* Maior *in 4. dist.15. quæst.4.* alioqui 41. Fagund. *l.5. cap.35.* Azor. *3.p. l.8. cap.28.* Regin. *l.25. num.327.* Syluest. *quæst.77. art.1. quæst.2.* Conrad. *de contr quæst.51* Rebell. *2.p. de oblig iust. l.9. quæst.5.* Bassæus *num.27.* vbi cum Fill. *tract.35. num.214.* Less. *l.2. dub.21. num.153.* Molin. *disp.345.* addit, non agi contra iustitiam commutatiuam, sed Legalem, & ideò non teneri restituere. Sed decipiuntur: nam iure gentium libera esse debet singulis emptio in tota latitudine iusti pretij, ac proinde fit emptoribus iniuria toto illo condicto pretij augmento.

EMERE autem omnes merces, aut tantam copiam, vt penuria inducatur; vel singulis auferatur 82
libertas tempore debito emendi iusto pretio currente; est iniustitia ad restitutionem cogens. Vide Medin. *de restit. quæst.36. §. penult.* Syluest. *v. emptio. quæst. 10.* Ang. *v. Negotiatio,* Sot. *l.6. de Iust. quæst.2.* & alij supra citati.

QVARE frustra Fagund. *num.7.* id licitum ait; si maneat libertas, & abundantia.

QVARTVS modus monopolij est omnium con- 83
sensu iniustus, vt ait Fagund. *num 9.* Frustrà verò Bassæus *num.27.* addit, id verum, si mercatores vi, vel fraude diuertantur; non, si precibus, vel suasionibus. Sanè adhuc iniustitiam inferunt ciuibus contra ius gentium; esto non mercatoribus aduenientibus, qui tamen, vt plurimum, aliquam patiuntur amissionem.

QVÆSTIO X.

An teneatur venditor defectum rei grauem aperire.

84 ASSERO, venditorem teneri reuelare defectum rei grauem, notum sibi, alioqui tenetur ad omne damnum etiam resultans; puta si ouem morbidam det, quæ gregem inficiat, *l. Iulian. ff. de act. empt.* & *l.1. C. de ædilit.* ait D.Thom. 2.2. *quæst.*77. *art.*3. D.Bonau. *in speculo animæ, cap.*8. §. *secundus ramus principalis*, Molin. *t.*2. *disp.* 353. Nauar. *cap.* 23. *num.*89. Medin. *C. de Restit. quæst.*34. Tanner. *disp.*4. *quæst.*7. *num.*56. Fagund. *de contract. l.*5. *cap.*38. Bassæus, *v. Venditio, num.*14. & cæteri apud hos. Et Dianam *Tract. de contr.* post D.Ambr. *l.* 1. *de offic.*

85 QVOD si emptori defectus absconsus grauis dedit causam contractus, quem sciens non iniisset, irritus est contractus, & datur ei actio redhibitoria ad rehabendum suum pretium, reddita re, *l.*1. & *l. si sciendum*, 19. *ff. de ædilit. edicto*, quæ actio durat per sex menses *l. si tamen 4. vers. Non nocebit l. Per sex menses ff. eodem.* Si ea sex mensibus non est vsus, potest intra aliud semestre actionem intentare æstimatoriam, quæ durat per annum *l si tamen cit.* Incipit autem vtriusque actionis tempus à die notitiæ emptoris.

86 AT si vitij ignoratio non dat causam contractui, sed in hunc cadit, adeò, vt emptor adhuc emeret, etsi minori pretio. contractus est validus, vt ait D.Anton. 2.*p. t.*1. *cap.*17. §.6. Caiet. *loc. cit.* D. Thom. Sotus *l.*6. *de iust. quæst.*3. *art.*2. Less. *l.*2. *cap.*7. Fagund. *num.* 10. Bassæus *num.* 14. Tenetur tamen venditor reddere id maius. Idem ait *num.* 15. si vitium non est graue. Monendus verò emptor, ne & ipse charo reuendat.

87 ADDVNT tamen aliqui, quod si emptor suo iudicio fidens, rem aliquam è multis eligat, nihil interrogans, præterquàm de pretio; non peccat venditor contra iustitiam, etiamsi occultum vitium non aperiat, dummodo non vendat supra iustum, sed detrahat de pretio æstimationem vitij. Ita D. Thom. *art.*2. & 3. Sotus *l.*6. *quæst.*3. *art.*2. Antonin. 2.*p. tit.*1. *cap.*14. §.6. Less. *t.*1. *de Iustitia l.*2. *cap.*21. *num.*91. *dubit.*11. Molina *disp.*352. Ludou. Lopes 2.*p. Instruct. consc. cap.*42. Tanner. *num.*59. dummodo tamen venditor dolo vitium non contegat, miscendo rem illam cum aliis optimis.

QVOD si vitium patens est, & manifestum, in foro Soli nulla datur actio aduersus venditorem, nisi emptor vltra dimidium iusti pretij defraudetur. Colligitur ex *Leg.* 1. §. *si intelligatur.* Et *Leg. si tamen* §. *si quis, ff. de ædilit. edict.* Vide Fagundez *num* 23.

88 IN interiori vero foro, si pretium sit æquale, ad nihil tenetur. Ità D.Thom. *quæst.*77. *art.*3. si tamen venditor aduertit, emptorem ignorare vitium; tenetur monere, ex communi apud Molinam *disp.*353. at D.Thom. cum aliis oppositum tenet, nec renuit Tannerus *num.*61.

PRO vlteriori intelligentia aduerte; quando quis vltra dimidium iusti pretij vendit, aut emit, dari in foro exteriori actionem contra eum, qui iniustitiam committit, & obligari vel ad restituendum excessum, aut defectum pretij, vel ad rescindendum contractum *l.*1. *C. de rescindenda vendit. cap. cum dilecti*, & *cap. cum causa de emptione & venditione.* Est prætereà peccatum mortale lædere medium iusti pretij, in quo iustitia consistit, nempe excedendo in venditione summum, & in emptione minuendo infra infimum. Ratio est, quia egreditur vterque medium, in quo iustitiæ virtus consistit, alioqui licitæ essent etiam mensuræ dolosæ contra id Deuter.25. *Non habebis in sacculo diuersa pondera*, vt infert S.Doct. *in speculo animæ, cap.*2.

CONCLVDO pro regula generali, in omni venditione diminuendum esse, quantum valet ipsum vitium rei; alioqui erit iniustitia, vt notat Caspens. *sect.* 10. addens, posse venditorem se habere merè negatiuè, exigendo tamen iustum pretium tantùm, si aliunde nequeat rei suæ iustum pretium inuenire. Et hoc verum, etiam si sciret, emptorem non fuisse empturum, si vitium nosset, atque adeò inuoluntarius emit; neque contra hoc facere *l. in rebus* §. *Item, qui sciens, ff. commodati*, statuentem, vt venditor reuelet occulta rei vitia; alioqui actionem contra eum concedit. 89

HANC ait communem esse sententiam, quod si velimus huiusmodi contractus inualidos facere, orientur innumeræ lites, atque dispensationes, quæ hoc modo postulantur, etiam si absque mendacio essent inualidæ, cùm tacentur aliqua de iure non exprimenda, quibus expressis, non concederentur. Idem est in donationibus, eleemosynis, legatis, testamentis, electionibus, præsentationibus, & aliis huiusmodi. Itaque alioqui nihil ferè vnquam in humanis commerciis esset solidum, nihil ratum, vt ait Valentia *quæst.*20. *p* 4. innumeræque lites ebullirent ad irritandas emptiones, magno Reipublicæ incommodo, & detrimento. 90

ITAQVE ad rationem oppositam respondet, contractum huiusmodi esse voluntarium, nisi emptor explicetur simpliciter. Sed hoc non est verum, vt dixi.

AD Legem illam ait Molina *disp.*392. intelligi, quando vitium est graue, & res noxia, & minus vtilis venditur. Hoc sensu Caspensem non refello, vt dixi.

E contra etiam emptor Gemmæ à rustico ignorante, debet iusto pretio emere, non autem vili, vt monet Tanner. *num.*67. & Molina *disp.*253. *num.*12. Posse tamen emi agrum, in quo sciam esse Thesaurum, communi pretio, docent cum D. Thom. *quæst.*66. *art.*5. *ad* 2. Valentia *quæst.*20. *p.*4. Sà *verbo emptio*, Tanner. *num.*66. 91

QVÆSTIO XI.

An res vendita, non adhuc tradita, pereat emptori.

SVPPONO, quod si iam res sit tradita peribit emptori. Vide Molinam *disp.*366. Ratio est quia per traditionem translatum est dominium in emptorem. Res autem domino suo perit, & deterior fit, vt notant DD. *in l. Quod si ff. de periculo, & commod. rei vendit.* 92

ASSERO primò, si res non adhuc sit tradita, & sit determinata, vt hic equus, hic bos, &c. perire emptori. Ita communiter Doctores apud Fagundez *cap.*47. sic enim disponunt Iura, & meritò; nam ius acquisitum est iam ab emptore, & ipsa venditio rei determinatæ spectato iure gentium sufficiens est ad transferendum dominium in emptorem; nam quod realiter non transferatur ante traditionem, id prouenit ex dispositione iuris ciuilis, quod ob certas causas ad vitandas lites id statuit, non ta- 93

men

tamen per hoc ius ciuile volt impedire, ne commoda, & incommoda rei ad emptorem pertineant.

Excipe tamen primò, si res culpa venditoris perit, aut deterior fit, puta si ex culpa lata, vel leui non custodiat rem.

94 Secvndo, si venditor fuit in mora tradendæ rei venditæ, tunc enim ipse est in culpa, vt notat D. Bonau. *in speculo animæ, cap.2.* ad finem. Tunc igitur venditori perit, vt colligitur *ex l. illud, ff. de periculo, & commodo rei vendit.* & docent Less. *l.2. cap.21. dub.12. num.96.* Syluester *v. emptio, quæstione 2.* Molina *loc. cit.* Fagundez *num. 4.* Bassæus *num.23.*

Tertio, si in contractu ita conuentum est, expressè sumitur *ex l. in venditione, ff. de per. & com. rei vend.* & docent Molina *loc. cit.* Fagundez *num.6;* Bassæus *loco cit.*

95 Qvarto, quando res confiscatur ob delictum venditoris. Sic suprà allegati sentiunt.

Qvinto si venditor, in contrahendo aliquid dixit, quo emptor crederet, rem duraturam. Item si venditor sciebat non duraturam rem, nec admonuit emptorem *l. si vina, ff. de pericul. & commod. rei vend.* Vide Molinam *loc. cit.* Fagundez *num.8.* Bassæum *loc. cit.*

96 Assero secundò, si venditio fiat in genere, vt loquuntur Iuristæ, seu si res vendita sit indeterminata, vt Theologi loquuntur, puta si ex grege suo decem oues, ex armento duas vaccas, non designando illas; pereunte grege, vel armento perit venditori, Less. *l.2. cap.21. dub.12. num.97.* Molina *loc. cit.* Fagundez *num.10. cap.47.* Patet *ex Leg. In ratione, §. diligenter, ff. ad l. Falcidiam*, & *Leg. Incendium, Cod. si certum petatur.*

Ratio est, quia è tali emptione emptor solùm acquisiuit ius, vt sibi decem oues traderentur, nullum autem ius in particulari.

Addvnt communiter tertiò; quando venditur aliqua res mensuranda integre tota, vt totum hoc dolium vini, totum hoc horreum tritici, totum hoc dolium olei tot regalibus pro qualibet mensura, si pereant, antequam mensurentur, perire venditori; mensurata verò, emptori; Less. *l.2. cap.21. dub.12. num.97.* Molina *loc. cit.* & alij apud Fagundez *num.12.*

97 Attamen Baldus, & Paulus de Castro *ad l.2. C. de per. & com. rei vendit.* existimant, talem venditionem esse *ad corpus*, non *ad mensuram*, nisi quando aliquæ mensuræ ex dolio, vel aceruo venduntur, & ideo perire emptori, etiam ante dimensionem. Alij hoc reiiciunt cum Fagund. *num.12.* & aliis *ibi*, ac Bassæo, *num.23.* Ipse tamen Fagund. secum pugnat, vt dicam *quæst.13.*

QVÆSTIO XII.

De rescissione venditionis, & emptionis ratione doli &c.

98 Notandvm est D. Bonau. *in speculo animæ, cap.2.* iniustitiam occultam sæpe fieri in contractibus, multis modis, fraudibus scilicet, in numero, pondere, mensurâ; in valore, seu in quantitate, in defectus taciturnitate, vel decipiendo ementis simplicitatem, commendando rem falsam periuriis, asseuerando execrationibus, verborum duplicitate, quæ omnia contra charitatem sunt, & etiam contra iustitiam, quatenus ad decipiendum proximum, & damnificandum diriguntur, dando causam contractibus, quos non inirent emptores, si talia nossent. Similiter emptores sæpe merces vilipendunt, spargentes, tales merces ad viliusculum pretium redigendas; litteras disseminando, naues citò appellendas, iisdem mercibus onustas, &c. Quæ aliquando dant causas contractibus. De his videndum, quid sentire debemus.

Primo igitur fraudes, & doli circa substantiam rerum, dantes causam contractui, reddunt irritum, vt omnes fatentur. Ratio est D. Bonau. *in 4. dist.27. art.2. quæst.2.* & alibi *eadem dist.* quia fraus, & dolus reddunt ipsum contractum inuoluntarium; sine consensu autem libero, actus humanus non stat. Ita probatur etiam à cæteris Lessio *l.2. cap.17. dub.5. num.27.* Fagundez *l.5. cap.42. num.2.* 99

Dico secundò, fraus, & dolus non causantes contractum, sed solùm intensionem, vel remissionem pretij, non irritant contractum, sed solùm obligant ad reducendum pretium ad æqualitatem. Vide Molinam *t.2. disp.352.* Less. *l.2. cap.17. dub.5. num.28.*

Dico tertiò, Si dolus, error, vel fraus det causam contractui venditionis, vel cuicumque alteri, ita vt dolum patiens non contraheret, si dolum sciret, & ipse dolus proueniat ex altero contrahente, aut illius particeps sit, bona fide altero contrahente, contractus est irritus in foro conscientiæ, & externo; datur tamen in foro externo in fauorem decepti, & decipientis, de iure ciuili, & canonico, actio rescissoria contractus, vel reductoria ad æqualitatem, prout deceptus maluerit, etiamsi deceptio non sit extra limites pretij iusti. Ita Molina *T.2. disp.259. & 352.* Couar. *ad regulam Possessor, p.2. §.6.* Medina *Cod. de restit. quæst.35.* Vallascus *de iure emphyt. quæst.5. num 9.* Syluest. *v. culpa, quæst 7.* Fagundez *l.5. cap.42.* & constat ex *l. si dolo C. de rescind. vendit.* & ex *cap. cum dilecti de empt. & venditione.* 100

Probatvr communiter, argumento suprà facto D. Bonauenturæ, quia defuit consensus liber, necessarius ad omnem contractum. 101

Dico quartò. Si dolus inductus est à tertio quodam, inscijs contrahentibus, licèt sit validus contractus, tamen potest deceptus in foro Soli habere actionem contra illum tertium de damno, vt habetur, *cap. cum dilecti, de empt. & vendit.* & *Leg. eleganter, in principio, ff. de dolo*, & *ex Leg. si dolo C. de rescind. vendit.* & docent communiter Molina *t.2. disp.352.* Less. *lib. cit. cap.17. dub.5. num.33.* & alij apud Fagundez *num. 16.*

Aliqvi tamen dicunt, talem contractum esse in conscientia nullum, quia deficit consensus, qui est substantia totius contractus. Ita Medina *C. de restit. quæst.33.* Conrad. *in addit. sum. ad quæst.57. dicto 3. & 4.* Reliqua vide *disput. de contractibus quæst.3.* Bassæus *num.13.* addit non posse resarcire detractum ad infima diminutione mensuræ occulta, nisi cogatur infra infimum ire. 102

QVÆSTIO XIII.

An licita sit venditio cum pacto retrovendendi.

Dico primò, licitam esse venditionem cum pacto retrouendendi in fauorem solius etiam venditoris. Est communis opinio. Ità Molina *t.2. disp.375.* Tanner. *disp.4. quæst.7. num.51.* Less. *t.t. de Iust.* 103

l.2. cap.21. dub.14. num.113. Fagundez *l.5. cap.43.* & alij apud istos, ac Bassæus *n.3.* si tamen adsit vendendi intentio. Secundò vt rei pretium sit iustum. Tertiò vt fructus sint emptoris, vt dicam.

PROBATVR, quia tale pactum nullibi inuenitur vetitum, neque vlli est præiudiciale. Neque obstat *C. ad nostram*, quia ibi aliæ malæ conditiones adducuntur.

RES etiam, quæ tali pacto venditur, minus valet, quàm si sine illo venderetur, nec in redemptione augendum. Ità communiter Doctores apud Fagundez *num.5.* Tanner. *num.51.* Ratio est, quia venditur cum onere. Aliqui verò volunt, tertiam partem minus valere; alij prudentis arbitrio id remittunt.

104 QVÆRES primò, Cuius sint fructus, pendentes pro illo tempore.

RESPONDENT, pertinere ad emptorem, dummodo venditio non sit vsuraria. Vide Fagund. & Bassæum.

QVÆRES secundò, quando in venditione non ponitur terminus ad retrouendendum; qui terminus præscribatur: Aliqui dicunt, esse 30. annorum. Alij dicunt, posse semper redimi. Vide Fagundez *num 19.* fundatur *in l. si ita stipulatus, ff. de fid. instrum.* Et *l. hæc conditio*, & *l.2. ff. de condition. & demonstrat.* & docet Barthol. *ibi.*

105 QVÆRES primò, quo pacto differat venditio *ad corpus*, & *ad mensuram*.

VENDITIO *ad corpus* fit, cùm res venditur designatione, & expressione quantitatis confusa, vt si tibi vendam tale prædium inter tales terminos contentum, quotquot iugera habeat; non designando, habere tot iugera, apud Fagund. *l.5. cap.44.*

VENDITIO *ad mensuram* est, cum tot mensuræ designantur *v.g.* decem modia tritici; vel decem amphoræ vini, secundùm Fagund. *cap.44.*

106 ITAQVE quando forma verborum contractus incipit à mensura, censetur venditio ad mensuram. At quando incipit à corpore, dicitur facta ad corpus. Vide Fagundez *cap.44.* Sic igitur vendo tibi totum hoc vini dolium, quotquot hydrias contineat, erit venditio ad corpus. ità asserit *cap.44. num.3. & 4.* At *cap.47. num.12.* ait esse venditionem ad mensuram, vt dixi *quæst.11.*

107 IVVAT autem hanc scire distinctionem; nam si ad corpus venditio fiat, non solùm periculum rei, sicut & commodum ad emptorem statim pertinet, sed etiam tota res, saltem ex vi contractus, solo pretio ab initio conuento vendita censebitur, siue maior, siue minor postea inueniatur.

SI autem facta est ad mensuram, non censetur vendita tota res, sed solùm quantitas expressa. Vide Fagundez *cap.44.*

QVÆRES secundò, quid sit pactum legis commissoriæ.

108 RESPONDETVR, esse illud, quod res venditur, sub conditione, vt si pretium tali tempore non soluatur, res sit inempta. Ita Molina *t.2. disp.324. & 378.* Fagundez *cap.45.*

QVÆRES tertiò: An fructus rei venditæ, quamdiu non soluitur, sint venditoris.

RESPONDETVR, fructus, qui tempore emptionis pendent in re vendita, quoad valorem, quem tunc habent, ad emptorem pertinere, nisi aliter conuentum sit. Est communis sententia.

DICO secundò, statim ac venditor pretium dedit vendenti, ita omnes fructus, qui post factam venditionem nascuntur, horumque incrementa pertinent ad emptorem.

NOTA, è contractibus, maximè venditione, sæpissimè resultare obligationem quandam, quæ dicitur euictio, quæ est amissio iusti tituli, quo quis rem possidebat, vt si vendidi tibi, tanquam meum, equum, qui reuera erat Petri; Petrus autem illum à te per iudicem aufert, sicque euincit; teneor ego venditor de hac euictione; sum enim obligatus tibi facere bonum illum equum, neque indemnem facere de illa euictione, competitque etiam tibi emptori contra me venditorem, non solùm actio ad pretium, quo equus æstimabatur tempore euictionis ad interesse, & damna secuta *l. si cum quæstio, Cod. de euiction.* & *leg. euicta re, ff. eodem titul.* & Doctores apud Fagund. *de contract. lib.1. cap.4. num.19.* Bassæum, *v. Venditio* Bonac. *disp.3. quæst.2. p. vlt.* 109

SANE in omnibus contractibus vtrinque onerosis tenetur transferens dominium in alterum de euictione rei, *l. Libera, C. de sent: & interloc.* & *L. prædium, C. de euict.* 110



DISPVTATIO VI.

De mutuo & Vsura.



HÆc duo vno titulo expediam, cùm Vsura nihil aliud sit, quàm Mutui abusus; de quo vtriusque testamenti pagina clarè proloquitur; insuper Conciliorum Canones, ac Pontificum decreta planè eum damnant: Non tamen desunt Scholastici, qui ab omni labe tam turpe vitium purgare nituntur; ac materiam delicatissimæ consequentiæ inanibus distinctiunculis discerpunt potius quàm discutiunt, qui eò temeritatis deuenerunt, vt simplices vsuras laïcis licitas ante Alexandrum III. calumnient, cùm tamen in Concilio Nicæno *can.8.* disertissimè sint damnatæ, vt infrà dicam.

QVÆSTIO I.

Quid sit MVTVVM, *&* VSVRA, *& cur hæc sint peccatum.*

D. Bonau. serm. 6. de decem præcept. in fine.
D. Thom. quæst. 78. art. 1.

MVTVVM dicitur ab eo, quod ex meo tuum fit, *l. Mutuum, ff. si certum petatur.* Et sic definitur: *Mutuum est traditio rei, quoad dominium; quæ statim fiat accipientis, cum obligatione reddendi aliam futuro tempore eiusdem rationis.* 1

COLLIGITVR ex D. Bonauent. *in 6. Lucæ* ad ea verba: *Et si mutuum dederitis.* Eam habent Caspens. *tract.19. disp.3.* Bassæus *v. mutuum*, & cæteri *ex l.2. ff. si certum petatur.*

DIFFERT

2 DIFFERT autem à Commodato: In hoc enim solus traditur vsus rei commodatæ, non dominium, vt habetur *Institut. Quibus modis re contrahitur obligatio.* Vnde si res mutuata pereat, ipsi perit mutuatario: At res commodata, si pereat citra culpam commodatarij, perit commodanti.

DEINDE in commodato redditur eadem res, puta idem equus, &c. At in mutuo redditur alia, puta aliud triticum, &c. eiusdem pretij, eiusdem rationis, & qualitatis. Quo pacto differt à venditione, permutatione, & aliis contractibus, in quibus non redditur res eiusdem qualitatis, & rationis, sed res omninò diuersa, vt pecunia pro tritico. Hæc differentia est grauiter notanda, quia vbi non est aliquod mutuum, Vsura subsistere non potest.

3 VSVRA dicitur ab vsu æris, vt ait S. Doctor *in speculo animæ, cap. 2. §. tertius fructus principalis iniustitia, &c.* sunt enim quædam res, quarum vsus est rei consumptio, & quarum dominium in accipientem transfertur, vt pecunia, & bladum, & vinum. Vnde qui talium vsum vendit, vsurarius dicitur, & habet rationem mortalis peccati contra iustitiam, quia vendit aliis quod suum non est, cùm sit translatum dominium.

4 SIC autem vsura definitur à S. Doctore in explicatione terminorum Theologiæ: *Est auaritia acquirens aliquid ex mutuo, præter sortem.* Hanc definitionem sequuntur communiter, vt videre est in Valentia *disp. 5. quæst. 21. puncto 1.* Accipitur autem hæc à Theologis, & Iuristis pro actione ipsa, quæ dicitur *peccatum Vsuræ.*

5 SOLET verò accipi vocabulum *Vsura* etiam pro obiecto proprio ipsius mutationis vsurariæ, & sic vsura nil aliud est, quam lucrum illud, quod quis supra sortem mutui recipit, pro vsu scilicet pecuniæ, quam mutuò dat. Quod lucrum vocatur etiam *Fœnus* à fœtura, quia, vt ait Aristoteles, primo Politic. cap. 7. *in fœnore nummus nummum parit*, & hoc sensu solet dici vsura restituenda. Vide Valentiam suprà, Molinam *tract. 2. disput. 303.*

6 IGITVR Vsura est lucrum proueniens ex contractu, qui dicitur mutuum, non aliunde, neque alio titulo, sed causa mutui. Dicitur autem Mutuans, qui mutuum dat; qui verò recipit, Mutuatarius: Res verò mutuò data, dicitur *Sors*, quo sensu accipitur 14. *quæst. 3. cap. Plerique*, & alibi sæpe in iure Canonico; quod nomen deriuatur ex contractu Societatis, in quo vnusquisque sociorum sortem suam, siue partem mittit, eamque tempore partitionis extrahit, & deinde accipit partem lucri, quæ vltra sortem ad ipsum attinet: Solet etiam dici Sors *Capitale*, aut *Principale*; lucrum verò seu accessus vltra sortem, dicitur Vsura, si accedat vi mutui, vt notat Caspensis *tract. 19. disput. 3. sect. 1. num. 4.* Bassæus V. *Vsura.*

7 DIVIDITVR autem Vsura communiter à Doctoribus post D. Bonauent. *loco cit. speculi*, in Realem & Mentalem, seu Exteriorem, & Interiorem (appellant, alij conuentionalem & non conuentionalem.) Vsura realis, seu conuentionalis est ea, in qua intercedit pactum aliquod, seu conuentio de lucro vltra Sortem ratione mutui. Hoc autem pactum est duplex; aliud expressum; aliud tacitum, siue implicitum.

EXPRESSVM est, quando mutuans verbis expressis conuenit cum mutuatario, vt det sibi aliquid vltra sortem, & hoc pacto illi mutuat.

TACITVM verò, quando fit conuentio, non 8
verbis expressis, sed tectis, & palliatis, quibus innuit, se velle aliquid vltra sortem suam, vt si dicat: Ego tibi mutuabo centum, sed nosti consuetudinem. Aut: Ego confido tibi pecuniam meam non reuersuram ad me vacuam. Vel noui, te virum esse gratum, &c. & mutuatarius tacet, vel innuit se consentire.

VSVRA mentalis est, quando nullo interce- 9
dente pacto, neque explicito, neque implicito de reddendo aliquid vltra sortem, quis ea mente, & intentione mutuat, vt lucrum recipiat ex mutuo, non ex gratitudine mutuatarij, seu liberalitate, sed timore, ne aliâ viâ ei mutuum denegetur, quam tamen intentionem non explicat, & dicitur in spe. De qua vsura intelligitur textus *in cap. consuluit, de vsuris*, vbi consultus ponit: An in iudicio animæ censendus sit vsurarius, qui cessante omni conuentione mutuum dat eo animo, vt inde lucrum accipiat. Et respondet, in foro animæ censendum esse vsurarium, & cogendum ad restitutionem.

ALII diuidunt vsuram in apertam, & pallia- 10
tam: Aperta est, quando mutuum est formale, & intenditur lucrum ex illo, siue intercedat pactum expressum, siue tacitum. Quando verò mutuum non est formale, sed solùm virtuale latens sub alia specie contractus, lucrum intentum dicitur vsura palliata, sicut euenit, cùm quis vendit rem cariùs ex dilata solutione pretij, vt ait S. Doctor. His positis.

ASSERO primò, Vsuram esse peccatum veti- 11
tum iure naturali, diuino, & humano. Ità cum D. Thom. *quæst. 78. art. 1.* S. Bonauent. *locis citandis*, est communis Theologorum consensus, vt referunt Valentia *quæst. 21. puncto 1.* Molina *Tract. 2. disp. 304.* Tanner. *disp. 4. quæst. 7. num. 75. com. Molinæum, tract. de commerc.*

QVOD sit contra ius naturæ, probatur à D. Bonauent. *loco cit. speculi*, & *ad 6. Lucæ* adductum, quia est contra Iustitiam Commutatiuam, ad quam pertinet constituere æquale inter datum, & acceptum: Iniustitia autem vetita est iure naturæ. Antecedens probatur, quia contra iustitiam commutatiuam est in quocumque contractu plus exigere, quàm detur; sed is, qui pro mutuo accipit lucrum, plus exigit, quàm res valeat: Ergo. Pro- 12
batur assumptum à S. Doctore, quia mutuata pecunia propter accommodationem non deterioratur: Ergo non debet aliquid secundùm iustitiam commutatiuam vltra se ipsam. Deinde, quia pecunia illa ex se nil fructificat, sed tota ratio fructificationis est ex industria vtentis. Cur ergo ampliùs debetur? Tandem potiùs deuastat, & consumit, absque eo quod præbeat ex se aliquid resarciens.

PRÆTEREA transit rei mutuatæ dominium in mutuatarium. Igitur mutuans exigit lucrum ex re non sua. Tandem, quia mutuatarius suscipit totum rei periculum; commodum autem mutuanti cedit, ex quibus etiam deducit nouam illationem S. Doctor, plus diligi nummum, quàm proximum.

ALIAM rationem affert S. Doctor *loco cit. spe-* 13
culi, qua nititur Diuus Thomas. Iure naturæ vetitum est idem bis vendere, aut vendere id, quod non est, aut pro eo, quod non est, suum, exigere fructum; qui autem accipit lucrum ex mutuo, idem bis vendit, quia accipit æquale sorti, & vlterius lucrum; aut vendit quod non est, si accipiat lucrum pro vsu, cum talis vsus non distinguatur à Dominio, neque detur sine illo. Hac

ratione vtitur etiam Scotus 4. *distinct.*15. *quæstione* 2. Cui ridiculè respondet Molinæus, posse me etiam accipere pro eo, quod non est meum, sed alterius, si id mihi debeatur. At quomodo probas illud mihi deberi cum lucro, ò stolidum caput!

Qvod verò prohibita sit Vsura iure positiuo diuino, probatur à S. Doctore *locis allegatis* ex multis Scripturis noui, & veteris testamenti.

14 Psal.14. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in loco sancto tuo? Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.* Quem locum ponderantes Patres Concilij Nicæni, can.18. sic referunt: *Multi clerici turpia lucra sectantes obliti sunt Diuini præcepti, quo dicitur: Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram*, & eodem modo intellectus est hic locus in Concilio Romano Martini Papæ, & refertur 14. *quæst.*4. *C. si quis oblitus.* Idem prohibetur Exodi 22. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum, quasi exactor, nec vsuris opprimes.* Id ipsum probat S.Doctor *ad Psal.*71. illis verbis: *Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum.*

15 Sic *Ezech.*18. sententiam mortis pronunciat in vsurarium, dicens: *Non viuet, cum vniuersa hæc detestanda fecerit, morte morietur.*

Proverbiorvm 28. *Qui coacervat diuitias vsuris, & fœnore liberali in pauperes congregat eas, &c. oratio eius erit execrabilis.*

Vrget præcipuè illud Lucæ 6. *Peccatores peccatoribus fœnerantur. Mutuum date, nihil inde sperantes.* Quo testimonio id probat Vrbanus III. *in C. Consuluit, extra de vsuris.* Et Concilium Late-

16 ranense sub Leone X. *sess.*10. non longe ab initio, vbi summus Pontifex, sacro approbante Concilio, ita dicit: *Dominus noster, Luca Euangelista attestante, aperto nos præcepto obstrinxit, ne ex dato mutuo quidquam vltra sortem sperare debeamus.*

Id ipsum è præfatis scripturis grauiter asseuerant SS. PP.

17 Basilivs *in Psalmo* 14. perpendens illud: *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram*, ait: *An ignoras quòd maior tibi peccatorum vrget aceruus, quam sit accessus opum, quem ex vsuris venaris.*

S. Gregorivs Nyssenus, homil.4. in Ecclesiasten: *Fœnus qui aliud latrocinium, & parricidium nominauerit; non procul ab eo, quod decet, aberrauerit.*

18 S.Avgvst. in Psal. 36. *Nolo sitis fœneratores, & ideò nolo, quia Deus non vult. Vnde apparet Deum hoc nolle? Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram*, Psalm. 14. *Et quàm detestabile sit, quàm odiosum, quàm execrandum; puto, quia & ipsi fœneratores nouerunt.*

S.Hieronymvs in Psalm.54. ad id: *Non defecit de plateis eius vsura, & dolus*, ait: *Omnia, quæ in lege prohibita sunt, ad augendi peccati cumulum excreuerunt. In lege eius vsuræ recipi prohibentur. Vsura est plus accipere, quàm dare.*

19 Qvod etiam iure humano sit vetita Vsura, probatur à D. Bonauent. *in Confessionali, cap.*5. *particula* 54. ex toto titulo de vsuris, quod patet etiam 14. *quæst.*4. & 47. *dist.* per multa capita, vbi grauibus sub pœnis prohibentur, & vltimò priuantur Ecclesiastica sepultura. Vide Syluestrum, *verb. Vsura*, 1. §.9.

Ivre etiam ciuili prohibentur vsuræ; nam *Authent. de Eccles. tit. in princip.* iubentur seruare decreta Concilij Nicæni, in quo vsuræ prohibitæ fuerunt *canone* 18. & refertur *in C. Quoniam* 47. *distinct.* & *in Leg. cunctos populos, Cod. de Sum. Trin. & fide Catholica*, iubet Iustinianus omnes sibi subiectos sequi fidem Romanæ Ecclesiæ, & obedientiam præstare, cuius authoritate constat in prædictis decretis, vsuram esse prohibitam. Hoc argumento vtitur Glossa *in Cap. Quid dicam*, 14. *quæstione* 4.

Hæc audiant, qui vsuras non esse peccatum 20 aiunt; hi enim tanquam hæretici damnantur *in Clementina vnica, de vsuris in C. Vien. sub Clemente V.* Pereant igitur Albanenses, & Schismatici Græci, qui hoc negarunt. Abeat Carolus Molinæus qui stultè *in Tract. de Commerciis, & vsuris* aliquas vsuras admittit, & nonnullas insulsas erigit obiectiunculas ad doctrinam adeò lumine naturæ claram obscurandam, quam etiam Aristoteles 1. *Politic. cap.*6. *&* 7. *&* 4. *Eth. cap.* 1. & Cato apud Ciceronem *l.*2. *de offic.* & alij solo naturæ crepusculo perceperunt, eam contra naturam esse confitentes, adeò vt sapientissimus Cato eam vocauerit *hominum occisionem*, cui alludit Ausonius *Eydil.* 15. canens:

——— *Turpia lucra*
Fœnoris, & velox inopes vsura trucidat.

Obiicies primò Deuter. 23. *Non fœnerabéris fratri tuo, sed alieno.* Cùm ergo concedat dare 21 vsuram alienis, idest, gentibus, non videtur vetita iure naturæ.

Respondent Conradus *quæst.* 24. *de contract.* Medina *quæstione* 2. *de vsura*, Caspens. *numero* 11. id concessum, quia iam Deus rerum spectantium ad eas gentes transtulerat dominium in Hæbræos. Itaque, sicuti concessit ipsis auferre thesauros Ægyptiorum, ita & fœnera inire, & capitale Chananæorum in eos transtulerat, vt possent illud exigere. Subscribit Couarruu. 3. *variar. cap.* 1. & sumitur ex Diuo Ambrosio *lib. de Tobia, capite* 15.

Respondent D. Bonauent. *ad* 6. *Lucæ* al- 22 legatum, D. Thom. *quæstione* 78. *art.* 1. Alens. 3. *p. quæst.*36. *membr.*4. Sotus *lib.*6. *de Iust. quæstione* 1. *art.*1. & Valentia, peccasse Iudæos sic fœnerando, id tamen permissum impunè ob eorum peruicaciam; sicuti etiam libellus repudij, & hanc eorum culpam eluendam à Messia venturo canit Psaltes 71. *Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum.* Attidet textus Hebræus ex Pagnino, vbi seclusius particula (*sed*) non reperitur: *Non fœneraberis fratri tuo vsura pecuniæ, vsura cibi, vsura omnis rei, quæ fœnerabitur extraneo* וְבָּאַשְׁרׂ (*Verbi quod*) *fœnerabitur*; vbi grauiter videtur carpere Iudæos, dicendo: Absit à te, nec nominetur in vobis Vsura, quam adeò peruicaciter cum gentibus exercetis. Eam igitur permisit ad maius malum vitandum, vt ait Sanctus Doctor.

Obiicies secundò illud Lucæ 6. *Mutuum da-* 23 *te, nihil inde sperantes.* Hoc autem est merum consilium, vt colligitur ex illis verbis præeuntibus: *Si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia?* Idem colligitur ex verbis sequentibus: *Et erit merces vestra multa.* Ita Sotus *lib.*6. *de Iustitia, quæst.*1. *art.*1.

Respondet S. Doct. quem sequuntur Couar. *l.*3. *var. cap.*1. *num.*5. Nauar. *in Manuali, cap.*17. *num.*107. & Valentia, Imò Vrbanus III. *in C. consuluit, extra de Vsuris.* Leo X. *in Concil. Later. sess.*10. id definiuit, vt notat Medina *quæst.* 2. *de Vsura*, ibi esse præceptum prohibens vsuram; aliòqui Vsuram vtriusque paginæ testamento prohibitam

non

non satis certò asseueraret Alexander III. in Concilio Later. quod refertur *cap. Quia extra, de vsuris*, neque solidè diceret *cap. super eo*, eodem titulo: *Vsuram vtrumque Testamentum detestari*. Nullus enim ferè alius est locus in nouo testamento vsuras carpens. Adde & Pœnitentiale Romanum longè Alexand.III. antiquius, vbi legitur. *Si quis vsuram accipit, rapinam facit, ideoque quicumque illam exegerit, pœnitentiam aget annis 3. vno in pane, scilicet & aqua.*

24 NEQVE satisfacit Sotus dicens, eatenus vtrumque Testamentum vsuras prohibere, quatenus prohibet furtum. Contra enim est; nam allegati Pontifices probant ex eo textu specialiter vetitam vsuram. Idem interpretantur Patres allati, & Beda *ad cap.6. Luc.*

OPTIME autem hoc probat S.Doctor, & post eum Valentia; nam præmiserat præcepta naturalia in genere: *Prout vultis faciant vobis homines, & vos facite illis similiter*; mox verò subdit præcepta singularia naturalia benefaciendi in necessitate, non solùm amicis, sed alienis etiam, & inimicis, & apponit etiam præceptum prohibens vsuram, quæ est contra naturale præceptum, non faciendi alteri, quod tibi
25 non vis fieri. Prætereà satis mihi, superque est Ecclesiæ declaratio, quæ est columna, & firmamentum veritatis. Quam si non recipit damnatus Molinæus, recipiunt saltem boni Catholici. Hæc autem declaratio, vltra loca assignata, liquidò habetur in Concilio Carthag.IV. can.67. Concilio Calchitensi in Anglia *cap.*17. Concilio Parisiensi anno 829. Meldensi anno 845. can. 55. capitulari Aquisgranensi *cap.*5. Concilio Crosleiano anno 909. &c.

QVÆSTIO II.

An sit VSVRA *mutuare, vt mihi, cum opus habuero, remutues, aut iusto pretio à me emas.*

26 QVÆSTIO est: an mutuator licitè possit deducere in pactum eam mutis naturalis obligationem, qua ex honestate tenemur benefacere nostris benefactoribus, & sanè absque incommodo mutuatarij.

NOTA, quatuor conditiones vsuræ communiter assignari. Prima est, mutuum, quod fit communiter de rebus, vsu consumptibilibus. Secunda est lucrum vltra sortem, seu summam capitalem datam. Tertia est, vt lucrum sit res pretio æstimabilis. Quarta vt hoc lucrum obueniat ex vi præcisè mutui, non aliunde, puta lucri cessantis. Sic Bassæus *num.* 1. Molina *disput.*303. *tom.*2. Syluester 2.2. *quæst.*78.

27 PRIMA opinio censet hæc mutua licere etiam pacto ciuiliter ligante. Sic D.Ant. *part.*2. *tit.*1. *cap.*7. §.15. Adrianus *in 4. de restit. quæst. de vsura.* & alij apud Bassæum.

SECVNDA opinio est licere, si inducatur sola obligatio grati animi in pactum. Ità Azor *part.* 3. *lib.*5. *cap.*7 Rodriquez *tract.*2. *cap.*197. Lessius *lib.*2. *cap.* 20. *dub.* 8. Filliucius *tract.* 34. 2. *part.* *num.* 38. Sa V. *mutuum*, *num.* 3. Salas *de vsur. dub.*9. 10. 14. 16, & 21. dicens, tales obligationes sine incommodo impleri, ex Vega *tract.*2. *cap.*131. *casu* 76. Diana *p.*1. *Tract. de contr. resol.*59. & 60. Bassæus, V. *vsura* 2. *num.*5. Malder. 2.2. *tract.*5. *cap.*3. *disp.*4.

28 OPTIMA tamen sententia est D. Bonauent. *in comment. ad* 6. *Lucæ*, vbi concedit quidem mutuare ob spem similis obsequij, puta remutui, &c. attamen omne pactum refellit, tum ciuile; tum etiam grati animi.

Hæc est communis sententia. Sic D.Thom. *q.*78. *art.*2. *ad* 2. & 4. & ibi Caietanus, Salonius, Aragonius, Bannes & Petrus à Nauarra *lib.*3. *de restit.* p.1. *disp.*4. *num.*2, 9. Molina *tract.*2. *disp.*308. & 309. Couar. *lib.*3. *var. cap.*1. Syluester V. *vsura* 1. *quæstio* 2. Medina *in sum. lib.*1. *cap.*14. §. 23. *num.* 43. Lessius *lib.*2. *cap.*20. *dub.*8. *num.*58. Megala 2.2. *lib.*2. *cap.*15. *quæst.*2. *num.*29. Molfesius *part.* 2. *tract.* 12. *cap.*23. *num.*43. & Caspensis *tract.*19. *sect.*3. & 4.

ASSERO cum hac sententia, omne simile pactum illicitum esse, vtpotè vsurarium.

PROBATVR hac ratione D. Bonauent. quam 29
validissimam acclamat Diana; nam obligatio ciuilis, seu ex instantia ad tales actus, est pretio æstimabilis, & consequenter pecuniâ, vt constat ex Aristotele *lib.*4. *Eth. cap.*1. & D. Bonauent. *ad cap.* 4. *Regula nostra*, sed exigere pecuniam pro mutuo vltra sortem, est vsurarium: Ergo.

NEQVE satis aduersarij soluerunt; etenim non potest absque incommodo subiri, vt cogaris remutuare, eius officinam semper adire, molendinum frequentare, &c.

NEQVE dicant, nullum esse pretium mutui, 30
quia mutuatarius in molendino illo habet id, quod haberet alibi; nam cogitur, & libertate priuatur.

OBSERVA verò, non rectè Dianam, & Bassæum asserere, authores nostræ sententiæ solùm excludere obligationem ciuilem; non autem pactum titulo gratitudinis; nam S.Thom. *ad* 1. excludit obligationem ciuilem, & *ad* 4. excludit pactum quodcumque, esto admittat obligationem adesse ex parte recipientis mutuum, titulo grati animi; sed valde distat addere pactum, & hoc modo sentiunt etiam alij, vt videre est, & notat Valentia *punct.*2. §. *Tertio quæro*, & dicam *quæst.* 4. vbi etiam referam verba S.Bonauenturæ.

HINC etiam deduces id, quod quærit conse- 31
quenter Diana *resol.*50. An mutuanti liceat in pactum deducere, vt mutuatarius statim emat, vendat, remutuet, & similia præstet.

ASSERIT quidem Diana cum Reginaldo *tract.*2. *lib.*25. *cap.*11. *num.* 198. licitum esse, sic & Bannes *quæst* 78. *art.*2. eam probabilem asserit, eamque absolutè docent Pet. Nauar *lib.* 3. *de restit. cap.*2. *num.* 235. & 241. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.*16.

HVNC tamen esse contractum vsurarium docent 32
Lopez, Sotus, Aragon. & Graffius, citati à Sale *de vsuris*, *dub.* 10. Rebell. *part.*2. *lib.*8. *quæst.*4. *num.* 10. estque sententia D. Bonauent. *locis allegatis*, nam ipse omnem obligationem detestatur, pacto initam.

QVÆSTIO III.

An liceat mutuare cum pacto, vt qui recipit mutuum, conferat officium, vel beneficium Ecclesiasticum.

HANC esse vsuram docet D.Bonauentura *in speculo animæ*, *cap.* 2. §. *Item, vt dictum est.* Se- 33
quuntur Aragon *quæst.*78. *art.*2. *disp.*2. Medina *sum. lib.*1. *cap.* 14. §. 23. Lopez *part.*1. *cap.*56. Medina, Complut. *quæst.* 4. *de vsuris*, Reginaldus *tract.*2. *lib.*25. *cap.*11. *num.*202. Rebell. *part.*2. *lib.*2. *quæst.*14. *num.* 23. qui eam simoniacam vsuram conclamant. Est enim vsura pro vt ex mutuo vtilitatem intendit;

ſimonia verò vt rem ſpiritualem tradi. Sic etiam Tanner. *num.*89. Nauar. ſuper caput *ſi fœneratoris*, 14. *quæſt.*15. Bensfeldius *quæſt.*4. *in cap. Conſuluit*.

34 Diana *p. p. Tract.* 8. *reſol.* 61, admonet cum Petro Nauarro, quod deducere in pactum collationem faciendam (ſtatim) beneficij, non eſſet vſura, quia obligatio ad *ſtatim*, cum modico tempore durer, non eſt pretio æſtimabilis: Ergo mutuare cum pacto, vt ſtatim mutuatarius conferat beneficium, non eſt vſura. Idem ait Malder. 1. 2. *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.*6. qui ait, quod, ſi quis mutuum daret, non vt pretium beneficij Eccleſiaſtici, ſed vt hac ratione prouocet amicitiam collatoris, aut vt gratiam præſter, quam non vult præſtare, niſi alter ſtatim gratificetur conferendo beneficium, probabile eſt, non eſſe ſimoniam, vel vſuram.

35 Et Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.*9. *num.*64. aſſerit. Si mutues alteri cum pacto, vt conferat beneficium Eccleſiaſticum, partim eſt vſura, partim Simonia; modo iſtud pactum ſit iuſtitiæ, ſecus ſi ſit amicitiæ. At verò Baſſæus, verbo *Vſura, primo, num.*7. *&* 2. *num.*3. videtur velle, eſſe Simoniam, non vſuram, ſi pactum non ex iuſtitia ſit initum.

QVÆSTIO IV.

An ſit Vsvra *accipere vltra ſortem qualecumque etiam aliud emolumentum præter pecuniam.*

36 SVppono primò, vſuram eſſe ex vi mutui accipere vltra ſortem emolumentum etiam aliquod pecuniâ æſtimabile, nam vt inquit Philoſophus *lib* 4. *Eth. cap.*1. & D. Bonauent. *ad cap.* 4. *Regulæ noſtræ.* Pecunia ea omnia dicimus, quorum æſtimationem nummus metitur, ſed accipere ex vi mutui pecuniam vltra ſortem, eſt vſura, vt vidimus *quæſt.*1. ergo etiam accipere aliquid pecuniâ, & pretio æſtimabile. Ità D. Bonauent. *in ſpeculo animæ, cap.*2. D. Thom. *art.*2. & eſt ſententia D. Auguſti *in Pſalm.*36. Id probat Valentia *quæſt.*21. *puncto* 2. cum D. Bonauent. ad ea verba, Ioan. 2. *Eiecit nummularios*, & 18. Ezech. *Vſuram, & ſuperabundantiam non accipias.*

37 Svppono ſecundò, non eſſe vſuram, ſi quis aliquid, pecuniâ æſtimabile, vltra ſortem accipiat, non velut vi mutui exigens, ſed vt donum gratuitum. Ratio eſt, quia ſi talis non mutuaret, poſſet recipere illud donum; At non efficitur peioris conditionis mutuando. Ità communiter Doctores, & ſupponit vbique S. Doctor cum cæteris, apud Valentiam *puncto* 2. vide quæ hac de re dixerim *tom.* 4. *diſp.*17. *quæſt.*10. *ad propoſit.*42. iuxta decretum Alexandri VII.

Qvæstio eſt: An excitans mutuatarium ad remunerationem, ſit vſurarius.

38 Fvere nonnulli, vt Ioannes Maior 4. *diſt.* 15. *quæſt.*29. & Couar. *lib.* 1. *var. cap.*10. *num.*4. alios adducens dicentes, poſſe abſque periculo vſuræ iniri pactum cum mutuatario de aliquo dono reddendo, titulo grati animi, non tamen titulo mutui. Idem docent authores *quæſt.* 2. *ſecundo loco*, allati.

Commvnitèr tamen cum D. Thom. *hic* omnes negant, licere in pactum deducere aliquam remunerationem rerum gratuitam, & ideò Valentia *quæſt.* 21. *puncto* 2. grauiter concludit, opinionem Maioris ad praxim deducendam non eſſe. Idem ſentiunt Leſſius *cap.*20. *num.*58. Tanner. *diſp.*4. *quæſt.*7. *num.*90. niſi fortè ſub amicitiæ ratione (aiunt) cùm res talis eſt, vt ſoleat ex more gratuito præſtari. Sic & relati pro 3. ſententia *quæſtione* 2.

Controversia maior eſt: An liceat exci- 39
tare ſaltem mutuarium ad aliquam remunerationem.

Asservnt Valentia *loco cit.* Caietanus *hic* Molina *tract.* 2. *diſp.*305. Rebell. *part.* 2. *lib.*8 *quæſt.*4. *n.*8. Bonacina *de contract. diſp.* 3. *quæſt.* 3. *punct.* 2. *n.* 10. Salon. *hic ad art. D. Thom. contron.* 2. Diana *p. p. Tract.* 8. *reſol.*62. vbi addit, licere mutuanti non mutuare, donec mutuatarius excitatus à mutuante dicat, ſe daturum aliquod donum, non tamen ex iuſtitia, ſed ex fidelitate. Idem habet Salas *Tract. de vſuris*, *diſp.*7. *num.*6. qui etiam addit, non eſſe vſuram recipere auctitium ab illo, quem ſcio, non daturum, niſi timore, ne iterum negetur ei mutuum, aut no videatur, vel vocetur ingratus. Hoc tamen negant Caietanus *ad* 4. Petrus Nauar. *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 211. Nauar. *cap.*17. *num.*219. & alij.

Cæterum neque licitum eſſe hoc Inſinuare, 40
docent Richardus *in* 4 *diſt.*15. *art.*5. *quæſt.* 5. Scotus *quæſt.* 2. Angles *quæſt. de contract. mutui*, *art.* 2. *defin.* 5. *concl.* 1. & alij.

Sententiam ſuam promit S. Doctor *ad* 6. *Lucæ* in ea verba: *mutuum date, nihil inde ſperantes*, his verbis: *mutuum date, nihil inde ſperantes*, ſcilicet recompenſationis, Deuter. 23. *Fratri autem tuo abſque vſura id, quo indiget, commodabis, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo, in terra, ad quam ingredieris poſſidendam*: ideſt, non quæras retributionem de hoc ab homine, ſicut vſurarij, qui propter ſpem vſuræ perdunt ſpem vitæ æternæ. Contra quos Apoſtolus ait, prima Corinth. 15. *Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus*
omnibus hominibus. Tales ſunt diuites, qui in diuitiis 41
ſperant, &c. Nota quòd ſpes in mutuo poteſt eſſe, vel ad conſimile obſequium, vel ad lucrum: Primo modo licet: Secundo modo poteſt eſſe dupliciter, vel expreſſa per pactum, & hæc ſimpliciter eſt prohibita; quia facit vſurarium. Vel eſt tacita, & in corde, & hoc modo dupliciter: vel vt principaliter mouens ad mutuum, & hæc ſimiliter eſt prohibita, quia facit vſurarium. Vel eſt tacita, & in corde; & hoc modo dupliciter; vel vt principaliter mouens ad mutuum; & hæc ſimiliter eſt prohibita, quia eſt contra
mandatum diuinum: Vel eſt non principaliter mo- 42
uens, ſed quaſi adnexa, quia, licèt non faciat propter commodum principaliter vt lucrum, credit tamen accipientem non fore ſibi ingratum, & eò facit libentius. Hic verò non eſt talis ſpes commodi, quæ eſt contra diuinum mandatum. Hæc S. Doctor, qui apertè negat omnem pactionem, & inductionem eo modo, quo ait Salas; ſed tamen cùm concedat, poſſe ſperari, & deſiderari ex gratitudine aliquod donum, conſequenter concedet etiam aliquam ſuauem inſinuationem, verbis lepidis, quæ tamen nec timorem, nec vim aliquam ingerant, ſed ſolùm exprimant conceptum animi ſui, puta dicendo: Do libenter vobis, & do abſque intereſſe, & eo libentiùs, quo ſpero, vos non fore ingratos veſtra benignitate. Hic modus ſanè eſt tutus.

Assero igitur primò, non licere hac de re aliquod pactum.

Probatvr, quia ſic cogit, & libertatem 43
aufert libero mutuo, & ità licet metaphyſicè abſtrahere valeres; tamen moraliter, & in praxi non eſt bonum. Imò contra diuinum præceptum *Lucæ* 6. quo inhibetur certitudo habendi ex mutuo, vt arguit S. Doctor, & cum eo Valentia.

Ex quo ſequitur, non licere pactum, vt mutua- 44
tarius

tarius ad tuum molendinum, & tuam officinam teneatur venire, licet iusto pretio emendum. Ità plurimi apud Tannerum *disput.4. quæst.7. dub.3. num.88.* inata *cap. Nauiganti, de vsuris*. Ratio est, quia & hæc est obligatio æstimabilis pretio.

ASSERO secundò, posse hoc insinuari lepidè, modo dicto cum D.Bonauentura.

PROBATVR ex S.Doctore. Actus interior, & exterior sunt eiusdem rationis, bonitatis, & malitiæ: sed actus interior ex grati animi nota est licitus: Ergo & insinuatio exterior. Confirmatur à D.Bonauent. *in speculo animæ, cap. 2. loco cit. & hic ad 6. Lucæ*, nam obiectum formale vsuræ est lucrum ex vi mutui, vel explicitum, vel implicitum, appetitum, vel in spe; sed actus ille insinuationis non habet obiectum formale Vsuræ, nec aliquid simile impellens, & exigens: Ergo. Ità etiam Diana, & alij.

45 ITAQVE concludit S. Doctor, mutuantem spe lucri non committere vsuram mentalem, dummodo non speret lucrum, tanquam pretium mutui, sed ex gratitudine, vel amicitia mutuatarij; quare potest stare, quòd mutuans non esset mutuaturus cessante spe lucri, & quod non committat vsuram mentalem; si tamen intendat lucrum ex grato, & beneuolo animo, vt ait Caspensis *sectione 1. in fine*.

QVÆSTIO V.

An, & quid accipere queat mutuans ratione periculi, & lucri cessantis.

46 DIFFICVLTATEM facit, *cap. Nauiganti, de vsuris*: vbi sic dicitur: *Nauiganti, & ad nundinas eunti, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quòd suscipit in se periculum recepturus aliquid vltra sortem, vsurarius est censendus.*

ATTAMEN videtur mihi periculum illud susceptum esse pretio æstimabile; atque adeò aliquam accipere posse remunerationem, vt ait Caspensis *disput.3. sect.7.* Similiter & ex lucro cessante posse interpellatum de mutuo dando aliquid exigere pro vero lucro cessante; vt notat Caspensis *sect.10.*

47 Oportet autem aduertere, ne deducantur in pactum lucra integra, sed extractis expensis periculo deteriorandi, &c. Ratio est, quia lucrum in spe quantum habet incertitudinis, tantò debet esse minus. Ità Rodriquez *in summa, cap.111. num.9.* Palatius *de contract. lib.4. cap.4.* Syluester, *verb. vsura, 1. quæst. 19.* Angel. *quæst. 16.* Armilla *num. 3.* Molina *tract.2. disp.316.* Gabriel. *in 4. dist.5. quæst.11.* Graff. *part.1. lib.2. cap.115. num. 20.* Rebell. *part.1. lib.8. quæst. 6.* & alij, vt Sotus *lib. 6. de Iustitia, quæst.1. art.3.* Salon. *tract. 2. quæst. 88. art.2. controu. 9.* Bassæus, V. *Vsura 3.* aliis adductis.

48 SED quia dicta opinio relinquit taxationem dicti lucri arbitrio boni viri, oportet scrupulis valedicere, & modum moraliter certum dare.

Igitur Diana *p.p. Tract. 8. resol. 64.* cum Lessio *lib.2. cap.20. dub.11. num.96.* Bonacina *de contract. disp.3. quæst. 3. puncto 4.* Reginaldus *tract. 2. lib.23. cap.8. num.87.* Tantum esse de lucro cessante remittendum, quantum ipse daret alteri ob contractum assecurationis, idest, quantum daret illi, qui securum redderet de toto lucro sperato, in seipsam suscipiens totum periculum.

49 MELIVS definitur ex D. Bonauent. *in speculo animæ, cap.2. §. secundus fructus principalis*, vt vtriusque grauamen, pericula, &c. computentur, & omnia reducantur in commune, ita vt æqualiter mutuans, & mutuatarius participent de vtroque, sciliquè bono, & malo, & hoc facilè computabitur. Talis verò lucri cessantis bonificatio debet esse aptata quantitatis certitudini, ac tempori, ita vt non statim, sed tempore, quo erit cessatio, fiat.

QVÆSTIO VI.

An liceat mutuare triticum, vel aliquid aliud cum pacto, vt restituatur in eadem mensura, etiamsi pretium tempore restitutionis creuerit.

DICO primò: si dubium est: An res sit valitura 50
plus, vel minus; potest pro eo tempore, puta mensis Septembris, mutuare triticum, vt reddatur in mense Februario. Vide Molinam *disp.311.* & Caspensem *sess.6.*

ENIM verò, si moraliter sit certum, tempora solutionis plus valiturum triticum, vinum, &c. & non erat mutuatus seruaturus triticum ad illud tempus, non potest citra vsuram mutuare triticum, quod modo minus valet ea conditione, vt reddatur tantumdem, tempore, quo plus valiturum est. Ità expressè D. Bonauent. *in speculo animæ, cap.2.* suprà *citato, quæst. 5.* quem sequuntur communiter apud Caspensem *sect.6.* Idem infert S. Doctor de eo, qui rem antiquam mutuat, vt nouam accipiat maioris pretij. Ratio est, quia accipitur lucrum ex mutuo absque aliquo fundamento.

HINC habes quid sentiendum: An liceat scienti, monetas esse extollendas, dare mutuum, vt monetas reddat ad partem tempore restitutionis mutui. 51

RESPONDETVR enim negatiuè cum Rebellio *part.2. lib.9. quæst.6. num. 7.* Azorio *part.3. lib. 5. cap.7. quæsito 9.* contra Reginaldum *Tom. 2. lib 5. cap. 23. num. 345.* Bonacinam *de contract. disput. 3. quæst.2. puncto 5. num.17.* & alios apud eum, quibus arridet Diana *p.p. Tract. 8. resol. 25.* qui oppositum titulum proponit, quod idem est: An, si sciat pecunias minuendas, possit obligare ad valorem præsentem.

Ratio est, quia accipit è mutuo lucrum, quod est vetitum.

OBSERVAT autem Caspensis *sect. 5.* quod si 52
in contractu mutui non conueniunt, vt redderetur eadem materia, puta aurum; vel eadem quantitas, puta tot Vngari; non potest mutuatarius prætendere aliud, præter valorem.

QVOD si conuenit, vt redderetur eadem materia, puta auri, non potest exigere incrementum.

AT si conuenit, vt reddantur monetæ eædem, 53
etiam quò ad valorem, si creuerint, ait, posse obligare mutuatarium ad reddendum etiam accrementum, puta Vngarorum, vel Ducatorum; & adducit Molinam *disp. 312.* & Nauarrum *cap.17. num. 294.* quia cessat lucrum accrementi, si pecunias apud se retineret, puta vngaros illos, qui apud se crescerent: Ergo ratione lucri cessantis potest obligare mutuatarium; si tamen decrescant, non tenebitur mutuatarius reddere eundem valorem, quem habebat tempore mutui; sed sufficit quòd reddat easdem pecunias numero, pondere, & mensura. Et ita debet intelligi pactum in omni euentu.

TANDEM malè concludit cum Diana, quod si 54
sciat, valorem pecuniæ deprimendum, potest obligare mutuatarium ad reddendam monetam in valore

currente

currente tempore contractus. Ratio est, quia hoc lucrum non venit ex mutuo, sed ea causa extrinseca; sic enim etiam secundùm D. Thom. *quæst.*77. *art.* 3. *ad* 4. possunt vendi merces alto pretio currente; si scias, breui pretium diminuendum.

55 Sed hæc comparatio non placet; nam in mutuo fit contractus pro tempore redditionis, mutato valore, atque adeò pro lucro; neque excusatur, eò quòd ex mandato extrinseco Principis id eueniat, nam lex Principis est monetæ intrinseca, quia currit, & valet, quatenus moneta est solùm, quantum à Principe decernitur, atque adeò fit mutuum pro tempore
56 intrinseci accrementi, quod est vsura, vt ait S.Bonauent: at contractus venditionis fit solùm pro nunc; & ideò negatur paritas.

QVÆSTIO VII.

An, & quomodo restituendum lucrum, VSVRA *acquisitum.*

57 DVPLEX lucrum potest ex vsura venire. Alterum est auctitium illud mutui, quod exigitur; alterum est illud, quod ex hoc auctitio gignitur.

CIRCA primum, omnes Catholici conueniunt, esse restituendum; sed controuersia est qua de causa.

PRIMA opinio est Adriani *quæst.de vsura*, Scoti *in* 4. *dist.*15. *quæst.* 2. *art.*3. & Paludani *ibidem*, post Glossam *in cap.si quis vsuram*, 14. *quæst.*4. dicentium, rationem esse, non quia vsurarius non acquisierit dominium, sed quia damnum intulit mutuatario inducendo illum sine titulo rationabili ad donandum auctarium; Propterea debere damnum resarcire restituendo.

58 VERA tamen sententia est, fundamentum restitutionis esse, quia non est translatum illius auctitij dominium in vsurarium. Ità D. Thom. *quæst.* 78. *art.*3. Alens. 3. *part. quæst.*36. *memb.* 4. *art.*2. Altisiodor. 3. *part. tract.* 21. *quæst.* 1. Henricus *quodlibet.* 4. *quæst.*27. Richardus in 4. *dist.*15. *art.*5. *quæst.* 5. Syluester *verb. Vsura*, 6. Caietanus *tract. de vsura*, *quæst.* 1. Sotus *lib* 6. *de Iust. quæst.*1. *art.* 4. Medina *quæst.*4. *de vsura*. Valentia *disp.*5. *quæst.*21. *puncto* 3. & ferè omnes alij.

HÆC est sententia D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 15. *part.*2. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 4. & *in speculo animæ*, *cap.*2. §.*tertius fructus*, *&c.*

59 PROBATVR ex D.Bonauent. *ibi*, eodem modo se habet dans inuoluntariè ex timore latroni, & ex necessitate coactionis vsurario; sed latro non acquirit dominium rei, quam in via extorquet à mercatore: Ergo cùm non accipiat à mutuatario dominium, non habet illud, nisi à Principe obtineret; at ex lege illud non acquirit: Ergo. Minor probatur primò ex legibus allegatis *quæst.* 1. Et quamuis lege ciuili permittatur impune *Tit. de vsuris*, *ff. & Cod.* quia cogi videtur mutuatarius ad soluendas vsuras, vt patet *ex leg. prima*, *Cod. de Vsuris*, tamen nunc detractum est eis Iure Canonico, maximè *in Clementina unica de vsuris*, vbi sub excommunicatione iubentur iudices ferre sententiam contra Vsuras. Ità Valentia *puncto* 1. Sotus *lib.* 6. *quæst.* 1. *art.* 1. post D. Bonauent. vt ostendi *Tract. de legibus*, *Dispu. de Iure Canonico.*

60 PROBATVR secundò, quia si translatum esset dominium, non teneretur vsurarius ex iustitia ad restitutionem.

NEC satis est, vsurarium debere reddere, quia deficit rationabilis titulus accipiendi. Non enim necessarius est rationabilis titulus, vt donatio valeat, vt patet; cùm quis ex leuitate donat aliquid Scurræ; neque enim tenetur id Scurra restituere, sicuti neque histrio, vt docet Valentia *puncto* 3. cum S.Bonauent. *loco citato.*

ADDO, non solùm vsurarium realem, seu exteriorem, sed etiam mentalem, teneri id restituere, quod vltra sortem accepit; si putat, vel putare debet, mutuatarium ex vi mutui id dedisse. Ità definitum est *in cap. Consuluit*, *extra de Vsuris*, estque doctrina communis. 61

ARGVMENTA pro opinione Scoti solùm probant, mutuatarium quidem velle dare illud lucrum sed necessitate coactum. Itaque illa datio externa non sufficit ad transferendum dominium, vt habetur *leg. Nunquam*, *ff. de acquirendo rerum dominio*, & adnotauit Valentia cum D.Bonauent. suprà.

QVOAD lucrum emergens ex auctitio.

DISTINGVIT D.Thom. quod si res illa est fructifera, certè fructus est restituendus; si autem lucrum factum est re vsuraria, non fructifera, sed vsu consumptibili, vt pecunia; non esse restituendum, quia non est fructus vsuræ, sed industriæ: Est communis sententia, vt ait Valentia, excipe perpaucos apud Medinam *quæst. de restitutione Vsurarum.* 62

HÆC sententia pluribus defenditur à Thomistis. Argumenta in contrarium soluit Valentia. 63

QVÆSTIO VIII.

An liceat petere mutuum ab Vsurario.

HÆC quæstio supponit ea, quæ dixi *Tract. de Charitate*, *disp.*18. & quæ *de scandalo*, *quæst.* 4. licere in necessitate petere ab aliquo recta intentione id, quod ipse culpabiliter operabitur, non petendo ab eo, vt peccatum committat, sed solùm id, quod debeo, vt cœnam ab eo, qui solam carnem die ieiunij apponat. 64

ASSERO primò, non licere petere ab vsurario pecuniam mutuam sub vsura. Ità D. Thom. *quæst.*78. *art.*4. Nauar. *cap.*17. *num.* 262. Conat. *part.* 1. §. 1. Valentia *disp.*5. *quæst.* 21. *puncto* 4. est enim cooperari peccato, imò inducere ad actum.

ASSERO secundò, non licere absque necessitate petere mutuum ab vsurario. Ità Valentia, allegans Syluestrum *verb. vsura* 7. *quæst.* 1. Richardus 4. *dist.*15. *art.*5. *quæst.* 5. *ad* 2. Gabriel. *ibi*, *quæst.*11. *art.*3. *dub.*14. & alios, qui omnes confitentur, id esse peccatum mortale. Idem videtur D. Thom. attamen non admittunt, licere etiam ob necessitatem petere sub vsura; contra Molinam *disp.*335. Sanchez *lib.*3. *decal.c.*8.*n.*27. Caspensem *disp.*3. *sect.*13. qui in necessitate concedunt, posse postulari mutuum ad vsuram.

PROBATVR verò quòd possit petere mutuum in necessitate graui, puta ex decentia status, quia sic vtitur iure suo, nec agit ad culpam formaliter. 65

IN extrema verò necessitate licet petere etiam sub vsura, si aliter non potest, renunciando suum Ius; neque inuitando ad peccatum, sed solùm exponendo ipsi vsurario, vt malit vsuram facere, quàm homici-
dium, sinendo petere, vt ait Valentia, & hoc modo 66
intelliguntur Nauar. *cap.*17. *num.*263. Syluester *verb. vsura*, 7. *quæst.* 1. licet enim proponere minus malum, vt dixi *Tract. de Charitate*, *Disputatione* 18. quæ est *de scandalo*, *quæstione* 4.

DISPVTATIO

DISPVTATIO VII.

De Censibvs.



Olent ditiores, & nobiliores sua prædia vel res aliis locare, qui certam iode obligationem contrahunt: hæc verò in solutiooe census præcipuè stat, quæ tam iure naturæ, quam lege positiua plores patitur conditiones: in primis autem consideratur quo ad tempus, quod est venditioois terminus; & quoad rem, quæ censu venditur, de quibus infrà.

QVÆSTIO I.

Quid sit Censvs, *& quotuplex.*

1 DEfinivnt communiter Censum: *Census est ius percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius.* Exempli gratia, obligat quis se alteri ad coofeiendam ei certam partem fructuum propriæ vineæ singulis annis; ius, quod iste habet eos fructus percipiendi, dicitur Census: & ilie, qui se obligat ad pensionem soluendam, dici solet Censuarius; sicut qui ius habet percipiendi, dicitur Censualista.

2 Divsditvr Census in Reseruatiuum, & Consignatiuum. Reseruatiuos dicitur, quando quis transfert rem suam in alterum quò ad dominium directum, & vtile, seruata sibi pensione annua super eadem re, vt fecit Ioseph *Genes.* 47. io omnibus terris Ægyptiorum, cùm eas emptas, & subiectas dominio Pharaonis, Ægyptiis restituit, constituto in eis censu. Et ideò hic census dicitur Reseruatiuus, quia ex re ipsa, quæ confertur, reseruat, concedens sibi, vel alteri eum censum, nihil accipiendo in recompensationem eius, quod ex ea re concedit. Vnde etiam hic contractus locum habet in spiritualibus absque vitio Simoniæ, & differt ab Emphyteusi, quia per contractum Emphyteuticum transfertur solum vtile dominium; directum verò manet apud concedentem;

3 Per hunc verò censualem, etiam directum dominium transfertur. Deinde quod io Emphyteusi, si pensio ab Emphyteuta biennio, aut triennio non soluatur, incidit in Commissum, idest, amittit vtile dominium proprietario; in hoc verò censuali non incidit, sed solùm tenetur soluere pensiones. Denique differunt, quia Emphyteuta non potest vendere rem Emphyteuticam irreqoisito domino; aliàs cadet in Commissum, & præterea ex pretio tenetur soluere proprietario Laudemium: at debitor buius census potest vendere rem censualem irreqoisito Domino, cui res debetur, neque ex pretio tenetur ei Laudemium soluere. Vide Caspensem *Tract.* 19. *disp.* 5. *sect.* 1. Bassæum V. *Census*, Bonacinam *disp.* 3. *quæst.* 4. Lessium *lib.* 2. *cap.* 22. Filliucium *tract.* 35. 2. *part. cap.* 1. Syluest. & Becan. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 4.

4 Censvs verò Consignatiuus, de quo in præsenti disserο, est, quando quis super bonis suis, qoorum dominium, vel etiam super persona sua alteri ius pensionis annuæ consignat, vt, quando Petrus vendit Paulo ius percipiendi super re sua centum solidos annuos, datis pro pretio centum scutis, & consignat domum, vel prædium, aut ipsam personam, ex qua pensio, vel fructus sunt colligendi.

5 Hic census primò diuiditur ex parte rei, in qua collocatur in Realem, & Personalem. Realis est, qui fundatur in re, vt domo, fundo, prædio, &c. ità vt pensio ex fructibus horum soluenda sit, donec redimatur. Personalis verò est, qoi fundatur super persona, quæ vendit annuum censum soluendum ex fructibus propriæ industriæ. Mixtus verò, qui constituitur super re, & persona immediatè, ita vt si res pereat, adhuc persona sit obligata.

6 Secvndo ex parte rei soluendæ diuiditur in Fructuarium, & Pecuniarium: Si enim soluitur io pecunia, dicitur Pecuniarius; si verò in fructibus, Fructuarius.

7 Tertio diuiditur in Certum, & Incertum. Certus est, qui determinat quantitatem pecuniæ, vel fructuum: Incertus est, qui indeterminatè statuit, putæ secundam, vel tertiam partem fructuum.

8 Qvarto ex parte temporis diuiditur in Temporalem, & Perpetuum. Temporalis subdiuiditur in eum, qui certum numerum annorum durat, puta decem annorum, & in eum qui durat numerum annorum incertum, vt pertotam vitam, & dicitur Vitalitius. Perpetuus secatur in Redimibilem, qui fit cum pacto de retrouendendo; & in Irredimibilem. Vide Caspensem allegatum, Tannerum *disp.* 4. *quæst.* 7. *dubio* 4. & Bassæum.

QVÆSTIO II.

An Censvs *possit licitè vendi.*

9 ASsero, licere vendi, & emi, nisi aliunde accidat iniustitia. Ità habetur in vtroque Extrauagarti Martini V. & Calixti III. *tit. de empt. & vendit.* & passim in vtroque Iure, estque communis sententia Doctorum apud Tannerum *disput.* 4. *quæst.* 7. *num.* 116.

Probatvr, quia ius, quod quis habet ad percipiendam vtilitatem ex re aliqua est pretio æstimabile, sicut etiam ius, quod habet ad rem totam, cuius est dominus: Ergo potest id ius transferri per venditionem.

10 Qvare Medina *quæst.* 12. *de Vsura*, Soto *lib.* 5. *quæst.* 5. *art.* 1, Couarru. *lib.* 3. *variar. cap.* 7. & cæteri refellunt Henricum *quodlib.* 1. *quæst.* 39. & *quodlib.* 8. *quæst.* 24. & Innocentium *super cap. in ciuitate, extra, de vsuris*, & Ioannem Andræam ibi, & Salicetum *in Authent.* Ad hæc, *Cod. de vsuris*, negantes, posse emi, & vendi censum de nouo instituendum, licèt concedant vendi, & emi posse iam institutum.

11 Probatvr secundò à Caspensi, quia potest quis legare vsumfructum rei propriæ, vt probat textus *in leg. Omnium prædiorum, ff. de vsufructu*, & *leg. si quis in* 20. *eodem titulo*: Ergo potest talem vsumfructum licitè vendere: Ergo & potest alius licitè emere.

QVÆSTIO III.

Ex quibus rebus iure naturæ CENSVS *vendi queat.*

12 HOc Iure naturæ ex rebus etiam mobilibus, puta grege, vel armento fieri potest, vt aiunt Medina *quæst.* 11. *de Vsura.* Valentia *puncto* 2. Addit etiam ex pecunia, dummodo sit exposita ad lucrum, ex Soto *lib.6. quæst.5. art.1.* Ratio est, quia ex hac etiam aliis rebus consumptibilibus existentibus in tali statu fructificandi, habet ius accipiendi vtilitatem.

POTEST vendi census itidem ex aliis censibus, vt notant Medina, & Valentia. Adde census inter bona immobilia numerari à Clemente V. *Clementina prima.*

POTEST vendi etiam ex rebus omnibus alicuius, nullam certam determinando, vt multi Doctores adnotant apud Valentiam.

13 PRÆTEREA etiam ex persona potest vendi Census, quando persona est lucratiua, estque census personalis, vt dixi *quæst.* 1. Vide Caspensem *sect.*3.

ADVERTE tamen, non posse vendi censum ex re, quæ ad minimum non fructificet tantum, quanta est pensio soluenda; si enim res non est talis, dominus non habet ius accipiendi ex ea tantam vtilitatem. Oppositum verò sine causa admittunt Sotus *lib.* 9. Couar. *lib.3. var. cap.7.* Conradus *de contract. quæst.* 88. *concl.* 12. apud Dianam *p.p. Tract.8. resol.*44.

14 HÆC iure naturæ dicta sint; nam iure positiuo, *Extrauagant. Pij V.* anno 1568. 14. Calend. Februarij præscribitur ne census vendatur, nisi ex re immobili, naturâ suâ fructifera, certa, & determinatis finibus assignata. Vbi tamen Bulla hæc viget in viridi obseruantia. Etsi Nauarrus *in Comment. de Vsuris, numero* 106. & Valentia dicant, Extrauagantem, cùm procedat ex præsumptione vsurariæ intentionis in iis, qui conditiones omnes ibi requisitas in emptione censuum non seruent, non obligare in foro conscientiæ particulares, qui sine iniquitate vsuræ coram Deo ement census sine iis conditionibus ibi requisitis, vltra necessarias aliquas conditiones, quæ sunt iuris naturæ. Nam præsumptioni in foro conscientiæ non est locus, vbi veritas est præsumptioni contraria, vt habetur *cap. Tua de sponsal.* & *cap. Humanæ aures,* 22. *quæst.*5. Obligat tamen Iudices, ne admittant in iudicio emptiones censuum aliter, quàm ibi præscribitur, celebratas.

15. QVÆ cùm ità sint, Diana *p.p. Tract.8. resol.*44. tenet, posse de pecunia antea debita censum constitui, vel tradendo aliquas merces in pretium census, & adducit Maldetum 2. 2. *tract.5. cap.5. dub.* 6. Ioan. de la Cruz *in direct. part.1. præcepto 7. quæst.6. dub.* 3. Lessium *lib.2. cap.22. num.*80. Nauarrum *in comment. de vsuris, num.* 88. & 121. Boninsignum *de cens. cap.* 4. Bartholomæum à S. Fausto *in speculo, disp.*18. *quæst.* 19. qui citat Valentiam, Salonium, & Palatium. Subscribit Megala eruditus 2. 2. *lib.* 2. *cap.*7. *quæst.*2. *num.*57. ob rationem Nauarri allatam. Idem docuit Sà *verb. Census.*

16 ITAQVE si absque fraude in contractu censuali inuenias ea, quæ sunt iure naturæ debita, concludunt, esse licitum.

HÆC autem sunt ex Lessio *lib.* 2. *cap.*22. *dub.* 12. *num.*74. Æqualitas secundum æstimationem inter censum & pretium. Quod si aliqua grauamina hinc inde, præter naturam contractus per pacta accessoria imponantur; ea prudentis arbitrio debitè compensentur.

ADVERTE, Sotum *de Iustitia, lib.* 6. *quæst.* 5. *art.* 1. asserere, etiam ex pecunia credita posse constitui censum, sed negant Lopez *de contract. lib.* 1. *cap.*59. & Bartholomæus à S. Fausto *in spec. disp.*18. *quæst.*32. *num.* 2. probabilius putat. Tandem Diana opinionem Soti admittit solùm, vbi Bulla non est in vigore. 17

QVÆSTIO IV.

Ad quantum Tempus CENSVS *vendi queat.*

ASSERO cum Valentia *puncto* 4. posse vendi censum etiam temporalem, & perpetuum, dummodò existat fundamentum, vt pensionem reddere possit. Itaque pereunte re, perit etiam census. Quo fit, vt perpetuus esse nequeat super persona, vel re peritura, sed pro rei statu fundantis fiat. 18

ADDIT Caspensis *sect.* 4. posse fieri emptionem census perpetui, irredimibilis minori pretio, quàm sint pensiones speratæ, & ait esse Doctorum communem. Ratio est, quia emitur ius, quod pensione minus est.

EODEM fundamento concludit *sect.* 5. censum etiam ad tempus esse licitum minori pretio, quàm sit quantitas pensionum, quæ ex eo sunt soluendæ. 19

QVÆSTIO V.

Quæ conditiones ad CENSVM *requirantur.*

CONDITIONES iure naturæ supra indicatæ sunt, quæ ab aliis multiplicantur. Tannerus *disput.*4. *quæst.*3. *num.*116. quatuor conditiones iure naturæ statuit necessarias. 20

PRIMA est vt census fundetur in re fructifera, quæ in debito tempore suam pensionem proportionatam reddat, siue immediatè, siue mediatè, vt docent etiam Medina *quæst.*21. *de Vsura.* Valentia *quæst.*22. *puncto* 2. qui addit cum Soto *lib.6. quæst.* 5. *art.*1. ex communi huiusmodi pensionem soluendam omnia bona censuarij, & ipsius quoque personam obligari.

SECVNDA est, vt census ematur iusto pretio. Censetur autem iustum, quod vel lege, vel iudicio prudentum tantum fuerit, spectata rerum præsenti conditione. 21

ET quidem in Imperio, pro Censu perpetuo, siue ex parte solùm venditoris redimibili, legale pretium est quinque pro centum. Seclusa verò hac lege, vbi obseruanda non est, iustum est pretium septem pro centum, vt notat Valentia *quæst.*15. *quæst.*2. *puncto* 2.

TERTIA conditio est, vt si res censualis pereat, vel sterilescat, non amplius apta tanto fructui ferendo (citra censuarij culpam) censualistæ pereat, qui percipit pensionem, secluso speciali pacto assecurationis, vt ex communi docet Valentia *quæst.*12. *puncto* 2. Molina *Tom.*2. *disp.*390. & colligitur ex Bulla Pij V. *de Censibus.* Ratio est, quia res Domino perit. Cùm ergo censualista sit Dominus iuris ad pensionem, debet ei perire. Si tamen res censualis vno, vel 22

altero

alsero anno sit Inepts fructui, non liberatur censuarius à soluenda pensione, modo reliquis annis tantum fetat, quantum necesse est ad soluendam pensionem. Ità Sà V. *census*, & Valentia *loco cit.*

23 QVARTA conditio est, vt res censualis inuito censualista non transferatur in alium, à quo soluenda pensio ægrè, minusque securè obtineatur, vt docent Scotus *lib.6. quæst. 5. art.3.* Valentia *quæst. 22. puncto* 7. Tanner. *num.* 122. Ratio est, quia cum Censualista ius habeat ad rem censualem, non debet illud tali venditione reddi deterius: Addunt, vt non imponantur grauamina, præter naturam contractus; & si fortè posita sint, iudicio prudentis debitè definiantur.

24 FILLIVCIVS *tract.35. part. 2. cap.1. numero* 268. addit, consensum Censualistæ necessarium, & vt ius, quod venditur, sit fundatum in re vendibili. Addit Bassæus *num.3.* vt sit in dominio censualistæ, & vt si onus aliquod imponatur venditori, ad quod non tenetur ex natura contractus, debita mercede compensetur.

BONACINA *disput.3. quæst.4 puncto vnic.* & alij, tres conditiones ponunt. Prima, vt constituens censum, liberam habeat illius disponendi facultatem. Secunda, vt census fundetur in re fructifera. Tertia, vt, si res pereat sine culpa censuarij, cesset census ad ratam; nam res domino suo perit.

25 PRETIVM verò iustum communi æstimatione, & consuetudine loci taxetur; ex natura tamen rei in censu Irredimibili, pretium debet esse maius, quàm in Redimibili, & in Perpetuo, quam in Temporali, & in Vitalitio, quam in eo, qui ad certum, & determinatum tempus constituitur.

QVOAD conditiones à sanctissimo Pontifice Pio V. designatas.

PRIMA est, vt non fundetur census, nisi super re immobili. Quare prohibentur census, etiam personales. Itaque debet esse solùm in re immobili, fructifera, & certa.

26 SECVNDA, vt pecunia numerata præsentibus Testibus, ac Notario fiat, & In actu celebrationis instrumenti, non autem prius recepto integro, iustoque pretio.

TERTIA solutiones anticipatas prohibet.

QVARTA prohibet omnia pacta obligatoria ad casus fortuitos.

QVINTA prohibet pactum, vt venditor non possit liberè alienare rem, censui subiectam, aut soluendi Laudemium pro facultate alienandi obtinenda.

27 SEXTA prohibet, ne fiat pactum, vt Censuarius existens in mora soluendi, teneatur ad interesse lucri cessantis, aut ad aliquam pœnam, aut amittendam rem, censui suppositam, aut ad expensas censualistæ faciendas, mediante iuramento.

SEPTIMA, vt non apponatur conditio, vt soluat aliquod onus is, qui illud non debet, seu ne census institutus super aliqua re, vnquam augeatur.

OCTAVA sic habet: *census in futurum creandos, ne in totum, vel pro parte perempta; aut infructuosa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire.*

NONA reiicit censes irredImibiles.

28 DECIMA præcipit, vt quando census sit extinguendus, denuntietur per bimestre antè ei, cui pretium dandum est, & post denunciam, etiam intra annum ab inuito pretium repeti posse, & vbi pretium petitur, neque volens intra bimestre soluat, neque ab inuito intra annum exigatur.

29 VNDECIMA, vt non possit constitui census cum pacto retrouendendi in fauorem emptoris, ita vt venditor maneat obligatus censum redimere, quoties placuerit emptori, & insuper, vt non possit ei imponi aliqua alia pœna, casu quod pensionem non soluerit, vel ob aliam causam. Hæc conditio videtur nonnullis iuris naturæ; alij id negant. Vide Tanner. *disp.4. quæst.7. num.*128.

NOTA, quosdam astruere probabile ex iure naturæ licitum esse pactum retroemptionis ad libitum censualistæ, reddito eodem pretio, vel pretio, quod postea valebit census, pro vt inter se conuenerint, dummodo grauamen, hinc venditori resultans, aliunde compensetur. Sic multis allegatis Valentia *puncto* 6. addens, ità Romæ à Theologorum Congregatione conclusum; & Bassæus ait *n.*14. in Germania ad praxim deduci. Id probant, quia seruatur integer venditionis, & emptionis contractus, & si conceditur in fauorem venditoris; cur non etiam emptoris? Hæc tamen ratio est tenuis, quia inæqualia sunt vtriusque grauamina. Cæterum Pius V. vsurarium declarat contra decretum suum agere, & in nouo censu constituendo vult obseruari.

30 DENIQVE statuit pretium censui semel constitutum, nunquam immutandum. Sed Caspensis cum Diana *p.p. tract.8. resol.*36. volunt, id posse emi minori pretio, si roget venditor, quia merces vltroneæ vilescunt pro tertia parte.

ADDIT Caspensis *sect.*7. cum Valentia *puncto* 7. censum liti obnoxium, vel difficilem, posse minoris emi iuxta periculi, vel difficultatum æstimationem. Addit Bassæus, non posse minoris emi, vbi à Principe taxatum est pretium, quia taxatur in gratiam venditorum. Sic *num.*18. dicit puniri in Belgio, qui minori pretio, quam 16. in singula emunt census, dum primò creantur.

31 ADDIT licere aliquando emere censum cum pacto, vt venditor, si voluerit redimere, teneatur eadem moneta redimere, si tamen in mutatione futura monetæ non sit fraus, quia esset ei notum tali tempore mutandam in damnum alterius. At si emptor sciebat augenda eo tempore, & in illud volebat reseruare expendendam; licebit pactum. Vide etiam Bonacinam *disp.3. quæst.4. num.*36. Salam *disp.*24.

32 LICERE etiam emere censum ad certum tempus, ita vt intra illud redimi nequeat, docent Medina *de vsur. quæst.15. disp.1.* Couar. *lib.3. var. cap.*8. Bassæus *num.21. & 22.*

LICERE etiam pactum, vt census non possit redimi per partes, docent Toletus *lib.5. cap.*45. Azor 3. *part. lib.10. cap.13. quæsito* 6. Lessius *lib. 2. dub. 11. num.*68. Bassæus *num.*24. & sanè irrationabiliter.

33 IN censu Reseruatiuo addunt posse, vt si pensio per biennium, vel triennium soluta non fuerit, res censui subiecta cadat in commissum, & in pœnam negligentiæ efficiatur domini census. In contractu verò Consignatiuo hoc pactum non licere, nisi ex æquo compensetur aucto pretio census, arbitrio prudentis, asserunt allegati.



DISPVTATIO VIII.

De Cambiis.



CAMBIRE idem sonat ac mutare; non tamen omnis rei alicuius mutatio Cambium dicitur; vt si equum pro vestibus mutares, non nisi latè cambires: Hic autem contractus vsitatissimus est inter Mercatores, & Campsores, diuersarum ciuitatum incolas; & diuehendis hinc inde nummis aptissimus: huius tamen vinculum ligat præcipuè Campsorem, & Campsatium, de quibus infra. Differt quidem à venditione, quia hæc pro re alterius speciei pecuniam sibi vindicat; differt etiam à mutuo, quia hoc fit in rebus diuersæ naturæ, vt in tritico, vino, & similibus; Cambium verò pecuniam pro pecunia postulat, vt ex eius definitione infrà patebit.

QVÆSTIO I.

Quid sit CAMBIVM, *& quotuplex.*

1 DEFINITVR Cambium: *Est permutatio diuersarum pecuniarum: Vel permutatio pecuniæ pro pecunia.*

CAMBIVM est duplex, aliud Reale, aliud Siccum. Reale, quod verum Cambium dicitur, est permutatio legitima pecuniæ pro pecunia: Siccum verò est, quod non est verum Cambium, sed mutui pallio opertum, & vera vsura, quia tantùm ob dilationem temporis, aut expectatam solutionem, aut quando fingitur alibi solutio facienda, & fit in eodem loco, aliquid accipitur vltra sortem, & ideo dicitur Siccum, & sterile ad pariendum legitimum lucrum; nam distantia loci, in eo requisita ad verum Cambium, conuertitur in expectationem solutionis, quia pecunia verè soluenda est in eo loco, in quo accipitur.

2 CAMBIVM reale diuiditur in Minutum, & Locale: Minutum est, cùm quis dat pecunias maiores pro minoribus, vel è contra; vel permutatur vetus cum noua; patria cum extera; aurea cum argentea; vel argentea cum ærea.

3 SOLET etiam hoc Cambium vocari Manuale, quia de manu ad manum numeratâ pecuniâ eodem tempore, & loco perfici solet. Locale Cambium est cum mutatur pecunia præsens cum absente, quod etiam vocari solet Cambium per litteras, quia mitti solent litteræ ad locum, vbi pecunia accipienda, vel soluenda est.

QVÆSTIO II.

An in CAMBIO *minuto liceat accipere aliquid supra valorem nummi, lege definitum.*

VTILE admodum est hoc Cambium Reipublicæ, & quia sæpè egent homines minutioribus pecuniis ad contractus, vel egent transferre pecunias ad loca remota, atque adeo minutas, & inferiores in maiores magis restitutas commutare. 4

MVLTÆ autem causæ sunt, ob quas in hoc Cambio licet lucrum accipere.

PRIMA est ratione officij Cambiendi, cui onus incumbit congregandi pecunias diuersis è Principatibus, vt eas distribuat; officinam conducere; ad telonium numerare, &c. Quod non modo in publico, sed etiam in priuato Campsore intelligitur, vt docet Molina *disput.* 399. Balsæus V. *Cambium*, *num.* 4. & alij apud eum. 5

SECVNDA est lucrum cessans, quod Campsor aliàs recepisset. Vide Balsæum *num.* 5.

TERTIA ratione puritatis materiæ, vt mutuans monetas auri Ophir, cum æreis. 6

QVARTA ratione commodi ad transportandum, vt aurei duplices, vel Zecchini, quæ magis æstimantur quàm monetulæ.

DICES, Princeps in his monetis habitâ ratione etiam metalli, &c. posuit taxam *v. g.* vt Zechini valeant duas vncias argenteæ monetæ, & quantum valent 200. dipondij. Ergo non licet accipere aliud supra hæc. 7

RESPONDETVR, hoc taxatum esse à Principe, vt est mensura rerum venalium, non autem secundùm suprà allatas conditiones, & circumstantias. Vide alias in Caspensi *disp.* 6. *sect.* 1. Hæ enim à Campsore sunt æstimandæ, vt notat D. Bonauent. *quæst.* 4. allegandus. Moderatum verò esse debet lucrum, & minus in Campsore priuato, vt ait Balsæus. Id proborum iudicio æstimandum notat Balsæus *num.* 8. monens arcendas falsitates in moneta, in valore, &c. 8

QVÆSTIO III.

An in CAMBIO *locali, siue per litteras, quando Campsor prior accipit, vt alibi restituat, possit aliquid lucrari.*

ASSERENDVM, cum communi sententia posse talem Campsorem aliquid recipere. 9

PROBATVR, quia ibi duo tituli legitimi ad lucrum interueniunt. Alter est virtualis, seu æquiualens; vt translatio pecuniæ in locum, vbi habet correspondentes. Secundus est assecuratio, quia suscipit in se periculum.

NOTA primò, locorum distantiam, pericula que maiora facere, vt maius lucrum accipi queat. Similiter realem translationem esse pluris æstimandam, quàm virtualem. Ità DD. apud Bonacinam *disput.* 3. *quæst.* 5. & Balsæum *num.* 10.

ADVERTE, quòd in Cambio per litteras, prior Campsor dans, vt alibi recipiat, potest aliquid lucrari, siue ex virtuali transportatione pecuniæ, siue ex maiori pecuniæ æstimatione. Vide Caspensem *sectione* 4. 10

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

An CAMBIVM *sit licitum, cùm pro Campsario respondet Procurator Campsoris cum pecuniis ipsius Campsores.*

11 INTELLIGA in Cambio per litteras, quatuor personas interuenire, vt Cambium perfectum sit. Prima est Csmpsor: Secuoda Campsarius: Tertia Respondens Campsoris: Quarta Respondens Campsarij. Campsot ergo dat pecuniam Campsario, & ab eo vicissim accipit promissum de ea alibi soluenda. Quam obligationem remittit ad suum Respondentem, vt ibi pecuniam recipiat, & similiter Campsarius scribit ad suum respondentem, vt eam soluat; facta verò solutione perfectum est Cambium; & de hoc non est controuersia, licitum ne sit; ibi enim fit vera permutatio, translatio, & solutio pecuniæ. Sæpe verò Campsarius non haber in loeo solutionis respondentem, ideò recurrit ad mercatorem, qui suo
12 agenti in ea ciuitate, puta Romæ degenti, scribat, vt pecuniam talem soluat agenti, vel respondenti Campsoris, qui in hac ciuitate, puta Brixiæ, sibi erogauit. Et hoc etiam licitum est, cùm interueniant tres allatæ conditiones. Idem dicendum, si per famulum fiat ibi solutio ea pecuniis eiusd in famoli.

13 CONTROVERSIA est in casu, quo Campsor non habet respondentem in loeo illo, sed famulum, & Campsot scribit ad illum, vt de pecnniis ipsius Campsoris propriis soluat sibi ipsi pto Campsatio pecuniam illam, quam in alia prouincia recepit.

14 HOC Cambium vsuratinm conclamant Sotns *de Iust. lib.6. quæst.10. art.1. & quæst.13. art.1.* Comitol. *lib.3. quæst.15. & 16.* Molina *tract.2. disp.404.* Mercatus *de contract. lib.4. cap.7.* Tanner. *2.2. disp.4. quæst.7. dub.5. num.149. & 150.* Roderic. *lib.3. de annuis redditibus, quæst.5. num.27.* Romoaldus Coli *Tract. de Cambiis, cap. 22.* Palacius *lib. 3. de contract. cap.2.* Rebell. *1. lib.11. quæst.6 concl.3.* Iustinisnus *in tract. de Cambiis,* Lupus *in cap. vlt. Nauigantes, §.2. sub num.29. Tom.7.* Cauata *tract. de Cambiis, tit. de Vsura, V. quaro Campsores, fol.242.* & alij permulti, inter qoos Faber *de restit. in 4. dist.47. cap.9. num.292.*

15 OPPOSITAM tamen sententiam probabilem censet Azor *part.3. lib.10. cap.9. quæsito 2.* Megala *3.5. lib.2. cap.16. quæst.3.* Naldus *verb. Cambium,* Anthor *consil.31. inter consilia,* Nauar. *tract.2. lib.5. tit. de vsuris,* Salas *Tract. de Cambiis, disp.17.* Lessius *de iustitia, lib.2. cap.23. dub.7. num.71.* Sà *verb. Cambium,* Homobonus *de exam. part.2. Tract.9. cap.17. quæst.56.* Saluatnrius *de Cambiis, part.3. num.5.* Filliucius *Tom.2. tract.35. part.2. cap.8. num.436.* Bathol. à S. Fausto *in speculo, disp.16. quæst.22. num.2.* Tanner. *disp 4. quæst.8, dub.5.* Salon *de iustitia, Tom.2. quæst.4. de Cambiis, art.2. controu.12.* Thomas Boninsignus *cap.7. de Cambiis, num.7. & 9.* Scottia *in constit. Pontif. epitome 107. Theorem. 291.* & Theologus innominatus *tract. de Cambiis,* edito Mediolani, apud Bidellom anno 1625. vbi citat Martinum Fotuarium, & Cosmam Stellam Societatis Iesu. Diana *p. p. Tract.8. resol.2.* qui asserit hoc sentire plurimos suæ Religionis, & Societatis Iesu, Caspensis *tract.19. sect.3.* qui ait, noo videri damnandum, cum ab omnibus Mercatoribus in Hispania, Gallia, Italia, & Belgio exerceatnt, scientibus summis Pontificibus, vel saltem locorum Ordinariis, quod non permitterent, si contractus essent vsurarii.

16 IN D. Bonauent. nihil inuenió, nisi *sermone 4. de pluribus sanctis martyribus;* vbi dicit Campsorum officium esse probare aurum, aut argentum, aut quodcumque metallum in denarios excussum.

PROBATVR ergo ab illis hoc Cambium licitum esse primò *ex epistola Pij V. ad Bononienses;* vbi sic loquitur: *Che ogni persona possa dar danari à Cambio, e che le lettere syno recapitate sopra essi datori, è cosi tener li suoi Cambij sino che saranno imborsati da chi hauera preso i danari.* Ibi Pontifex loquitur absolutè absque distinctione proprij, vel alterius correspondentis; propriæ, vel alterius pecuniæ.

HOC idem ità declaratum est à S. Congregatione Eminentissimorum Cardinalium, Archiepiscopo Panormitano, anno 1574. re cum sanctissimo Gregorio XIII. collata. 17

PROBARE etiam rationibus nituntur hoc Cambium, quia ad Cambium reale sufficit, vt io loco, vbi Cambitur, habeat Campsarius pecuniam veram re ipsa, vel in eredito: sed Campsarius, hoc secundo modo, ibi habet pecuniam, quia ibi Campsarius eam commodat: Ergo. Confirmatur, nam si famulus commodaret suum creditum, quod habet cum Campsore, posset ei soluere, ità, &c.

FATEOR has, vel alias rationes me noo mouere; nam Campsarius in loco illo non habet pecuniam veram, sed fictam à Campsore. Quod enim creditum habet apud Campsorem? Imò potius videtur expressa simulatio; nam ad Cambium requiritur diuersitas pecuniæ, diuersitas personarum; at verò hic vna est persona vera, idest Campsor, qui fingit se etiam Campsarium, & sibi ipsi soluit. Est etiam vna pecunia Campsoris. Confirmatur: Contractus commutationum requirit reales commutationes; commutatio autem est plurium, & vnius cum alio, vt probetur, an æqualitas commutatiua adsit, & ideò ait S. Doctor, Campsorem ex officio suo, si sit verus Campsot, probare varietatem, & diuersitatem pecuniæ, & experiri, an vera commutatio interueniat in pretio, &c. alioqui quæ comparatio eiusdem ad se? 18

NEQVE dicant Diana *loco cit.* Caspeosis *num.28.* Lessius *num.63.* Scauia *de commerciis, & Cambio, §.6.* famulum Campsoris duas persooas repræsentare, Campsoris scilicet, & Campsarij, hæc Metaphysicalia in moralibus sæpenumero euanescunt; nam Personæ in tantum multiplicantur, in quantum contrahunt, & pecuniæ sunt tractatores; non autem, vt discurrunt, vt homines sunt; nimis enim in boc materialiter se habent. Itaque formaliter sunt plures, quatenus sunt contrahentes; at non est contractus commutatiuus, nisi vbi est realis commutatio. Dicant mihi, vbinam est commutatio pecuniæ Campsoris cum pecunia Campsoris? Esto ferretur etiam à multis iumentis, promitteretur à grege famulorum, famularumque, &c. 19

RAVAREOR decretum summi Pontificis, si extaret; sed hoc, quod asserunt non concedit hunc modum Cambij, sed solùm Cambium reale, *che possano dar danari à Cambio,* sed vbinam est Cambium denariorum in boc casu? Vide Iustinianum. 20

QVOAD S. Congregationem dico, eam solùm declarasse, non cootineri hoc Cambium in vetitis à Pio V. *in Extrauaganti,* in qua tria Cambia damnantur. Primum, in quo literæ non mittuntur. Secundum, in quo mittuntur, sed redeunt inanes. Tertium, quando in eodem loco fiunt solutiones: An verò sit licitum, non declaratur à S. Congregatione.

HANC sententiam igitur periculosam arbitror, vt fatetur etiam Diana, & ideò non esse hoc Cambium laudandum, vel consilio, vel suasione. Idem fatentur Filliucius *num.438.* Caspensis *num.29.* & alij cum Tannern *num.147.* 21

Hoc autem vrgeo argumento D. Bonauent. *in speculo animæ, cap. 2. §. tertius principalis fructus iniustitia.*

22 Adamus, Campsores mei, sincerè, & amicè, & pallium cauamus, nudumque cambium vsque ad Anatomen perlustremus. Vos sanè huoc cootractum frequentissimum non agitis ex Charitate, sed ob lucrum: Datis igitur ad lucrum frequentissimè, & ex proposito, vt in eodem loco restituatur, & sic accipere iotenditis luerum ex dilata solutione. Ità hoc serió intenditis; cætera verò puerilia crepundia sunt, & comica, vt famulus personas induat Campsarij, simul & Campsotis, solis Scoticis formalitatibus diuersas. Hortor igitur seriùs vt resipiscatis, & seriò animæ salutem pertractetis; noo enim Deus decipi potest.

23 Hoc igitur Cambium dictum, *cum La Ricorsa,* quod fere conuenit cum Cambio contiouationis, in quo recambium multiplicatur, malè olet.

QVÆSTIO V.

An dicta Recambia solùm liceat ratione lucri cessantis, vel damni emergentis.

24 Asserunt Lessius *lib. 2. cap. 23. dub. 9. numero* 82. Salas *de Cambiis disp.* 22. Filliucius *tomo* 2. *tract* 35. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 471.

Attamen Diana *resol.* 5. cum Scortia *in Bulla Pontif. epist.* 107. *Theor.* 189. docet licita esse hæc recambia, non solùm ratione lucri cessantis, & damni emergentis, sed etiam ex natura Cambij esse licita, quia sunt noua cambia, & iteratæ emptiones, ac venditiones.

25 Videtur mihi S. Doctor *ad cap. 2. Ioannis,* stare pro prima sententia explicans enim ea verba: *Eiecit nummularios*, scilicet accommodantes pecuniam sub cautione; nam prohibitum erat dare ad vsuram, eà sanè de causâ, quia etiamsi non essent certi, tantumdem lucri sibi cessaturum ex mora, tamen exigebant ad cautionem lucra illa; quod secunda sententia admittit, & prima negat; vt videre est in Filliucio, & Caspensi.

QVÆSTIO VI.

An solutiones, & prouisiones, quas Campsores accipiunt, sint licitæ.

26 Nomine prouisionum intelligo cum Lessio *dub.* 8. & Caspensi *sect.* 8. mercedem, & lucrum, quod Campsores, & Bancharij dertahunt pecuniæ numerandæ, ratione operæ, quam præstant scribendo, numerando pecuniam depositam, custodiendo, pro alio se obligando, & alterius negotia custudiendo.

27 Ex immemorabili consuetudine in Cambij prouisione debetur Campsoribus tertia pars scuti pro singulis centenis scutorum, secundùm pecuniam, de qua soluitur cambium, seu efficitur assignatio. Ità Molina *disp.* 408. Caspensis *sect.* 8. Boninsignus *de Cambiis, cap.* 7. Romoald. *Cod. de Cambiis, cap.* 21. Scauia *de commerc. §. 3. Gloss. 3. num.* 12. Scortia *in Bullas Pontific. Epitome* 107. *Theor.* 291. Filliucius *tom. 2. tract* 33. *part. 2. cap* 10. *num.* 475. & alij penes illos, quos refert Diana *resol.* 6.

28 Igitur potest Campsor, vel Nummularius accipere iustam mercedem pro custodia pecuniæ, & obligatione eam reddendi. Hæc enim sunt pretio æstimabilia. Quod si nomine deponentis eroget, & numeret alteri, accipiat adhuc mercedem ab eo, cuius nomine soluit, & cui seruit. Ità Nauar. *cap.* 17. *numero* 293. Caspensis *loco cit.*

Probatur à Valentia *puncto* 3. quia totum est in gratiam illius, cuius ordine fit solutio. Aduerte tamen exactionem hanc esse licitam, si stipulata fuerit, vel si adsit consuetudo. Idem dic de respondentibus Campsoris, & Campsarij, ob eamdem rationem.

Magna contentio est: An hæc tertia pars scuti pro centenario sit iusta etiam in prouisionibus, quæ sumuntur in recambiis, & continuationibus. 29

Aliqui asserunt, quia in omnibus mundi nundinis accipitur. Ità Boninsignus, *tract. de Camb. cap. 7. num.* 53. & alij apud Dianam *resol.* 7.

Pro Iustitia autem, vel iniustitia prouisionum standum est iudicio mercatorum.

Sed alij id licere negant. Ità Coli *de Camb. cap.* 21. Malder. 2. 2. *tract. 5. c. 4. disp.* 7. & ita consulit Diana Mercatoribus.

Ratio est, quia prouisiones debentur pro labore: at non est idem labor in recambiis, & continuationibus, qui est in Cambiis realibus: Ergo. 30

Respondent aliqui, quod Campsores non ob id debent omittere, quia laborarent in aliis Cambiis nouis, si Campsarij soluerent.

Respondent alij, deberi lucrum etiam ratione periculi amittendi sortem; potest autem esse, vt maiora sint pericula in continuatione, quia successu temporis potest Campsuarius fieri deterior, & tandem decoquere. Igitur debent inæquales esse prouisiones.

Neque satisfacit Scortia dicens, posse ob pericula inæqualia accipi æqualem prouisionem, quia pericula sunt incerta. 31

At suppono, computandam esse incertitudinem; at incertitudines sunt inæquales. Præterea sunt aliqua pericula certa, & ideò etiam addo, maiorem quantitatem facere maius periculum, atque adeò esse soluendum.

Videtur S. Doctor *ad cap. 2. Ioan.* in ea verba: *Inuenit in Templo nummularios, &c.* has receptiones reprobare, quod probat ex illo Ezech. 22. *Vsuram, & superabundantiam non accipies.* Rationes quidem allatæ mihi probantur.

Graviter verò admonet Romoaldus Coli *tract. de Cambiis, cap.* 21. non esse duas prouisiones recipiendas, vnam in loco, vbi efficitur Cambium; alteram in nundinis, pro ipso agente. 32

Quæres primò. An debeatur vna prouisio pro Cambio magno, & paruo. Hanc resoluit Diana *resol.* 10. Caspensis *num.* 40. volentes dari maiorem pro maiori Cambio.

Miror, hæc agitari suppositis his, quæ ante docuêre, nempe consuetudine immemorabili seruari, vt detur tertia pars vnius de centenis. Ideò ait Scortia *epit.* 107. *Theor.* 291. quod si summa Cambij sit vnius millionis, lucrum prouisionum erit 3333. Arridet Coli *tract. de Camb. cap.* 21. Scauia *de commer. §. 3. Gloss. 3. num.* 471. 33

Vrget tamen contrà Diana, quia Notarij quoque conficiendo scripturam eiusdem laboris pro magna summa recipiunt maius stipendium. Addunt aliqui, deberi ratione periculi, quod maius est in maiori pecunia exhibita.

Quæres secundò: An consuetudo Campsorum de non acceptanda solutione sortis, nisi simul soluantur detrimenta Cambiorum, sit licita. 34

Respondet Diana *resol.* 12. assertiuè, adducens Lessium *lib. 2. cap. 23. dub. 10. num.* 87. Salam

tract.

tract. de Camb. disp. 65. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 35. *part.*2. *cap.*10.*num.*472. Malderum 2.2. *tract.*5.*cap.*4. *dub.*10. Itaque potest Campsor, cui pro sorte debentur decem, pro interesse autem, & prouisionibus tria; quando ad computum recipit tria, ea accipere in solutum pro interesse, & prouisionibus, & nen tenetur tria minuere de sorte.

35 QVÆRES tertiò: An Campsor, qui bona fide dedit Petro pecuniam ad Cambium soluendum Romæ, existimans, illum habere pecuniam in tali loco, & postea comperiat, eum non habere; possit tantum exigere, quantum lucri percepisset, si Campsarius Romæ soluisset.

SVPPONO, si mala fide id faceret, esse vsurarium, quia nullo titulo, præterquam dilationis, exigeret præmium.

AD quæstionem respondet affirmatiuè Lessius *dub.*7.*num.*69. Molina *disp.* 404. & Diana *resol.*14. eamque probabilem censet Caspensis *sect.*8.*num.*41.

36 QVÆRES quartò: An Campsor possit cum Campsatio à principio paeisci certum, & determinatum interesse, etiam in casu non solutionis.

NEGANT Filliucius *tom.* 2. *tract.* 35. *part.*2. *cap.*7.*num.*424. Homob. *de exam. part.* 2. *tract.* 9. *cap.*15. *quæst.*4. & alij ex Pio V. id prohibente.

ENIM verò, cum Bulla fundetur in præsumptione fraudis vsurariæ, in foro Poli valebit, si moraliter constet, illud interesse moraliter esse iustum. Ità Lessius *lib.*2. *cap.*33. *dub.*11. *num* 90. Reginaldi *tract.*2. *lib.*25. *cap.*34. *num.*467. & alij.

37 AN verò in tali casu peccet mortaliter Campsor. Affirmant Salas *disp.* 13. Rebell. *part.* 2. *lib.* 18. *quæst.*13. *num.*5. sed negant Diana *resp.* 14. Granado *part.*2. *contr.* 7. *tract.* 3. *puncto* 15. *sect.*2. Sà *verbo Cambium*. Fundantur Authores prioris sententiæ in decreto Pij V. quod non cessat obligare, cessante fraude, quia statutum est ad remouendas peccandi occasiones, quæ sanè remanent, si detur libertas illud non seruandi. Alij verò dicunt, non obligare, quia cum cessat ratio legis in particulari, cessat lex pro illo particulari obligare.

38 REFERAM conditiones requisitas à Pio V. ad cambium licitum: Primo quidem damnat omnia cambia ficta, qualia sunt ea, in quibus ex intentione contrahentium fit solutio in eodem loco; eò quòd alter alibi pecuniam non habeat. Deinde in cambio reales has requirit conditiones.

PRIMA, ne Campsor ratione dilationis paciscatur de aliquo lucro. Et hanc esse vsuram asserunt etiam DD. cum D.Bonauent. *in speculo animæ, cap.*2. *§.tertius fructus principalis*.

SECVNDA est, ne ab initio, vel posteà paciscatur de certo interesse, etiam in casu, quo non fieret solutio debito tempore.

39 TERTIA conditio est, ne realia cambia per litteras fiant aliter, quàm ad proximas nundinas, vel si nundinæ non agantur; proximis terminis, iuxta vsum locorum, alioqui erunt vsuraria. Hinc prohibentur cambia ad secundas nundinas cum maiori lucro, non cum pari, vel ad secundas, vi primi Cambij. Ità Doctores apud Bassæum *num.*17.

QVARTA conditio est, vt in terminis solutionum constituendis habeatur ratio longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur, ne longiores statuantur, quàm postulet distantia. Hæc Pius V. anno 1571. apud Nauar. *cap.*17. *num.*299.

ADDIT tamen Lessius, paucis locis, vel fortè nusquam, saltem quoad aliquas conditiones hoc Decretum obligare.

40 QVÆRES quintò: An licitum sit Cambium

R. P. Gaudentij Sum. Theolog. Tom.V.

custodiæ, quo Nummulatius suscipit curam custodiendi pecunias, apud se depositas, & habeat rationem dati, & accepti, & paratus sit reddere eum petentibus.

RESPONDETVR cum Valentia *puncto* 3. posse aliquod stipendium inde recipere.

EX dictis habes titulos, quibus Campsores in cambiis realibus localibus ritè possunt recipere lucrum.

PRIMO quando Campsor prior accipit pecunias, 41
vt alibi restituat, lucrari potest titulo translationis pecuniæ, etiamsi virtualis tantum sit, quippe & ibi habet respondentes. Hæc enim vtilis est Campsatio, & pretio æstimabilis; etsi pro hac virtuali minus ei debeatur. Ità Graff. *p. p. lib.*2. *cap.*110. Syluius 2.2. *quæst.*78. *art.*4. *quæst.*3. Molina *tract.*2. *disp.*403. Bonacina *disp.*3. *quæst.* 5. *part. vnic.* Reginaldus *lib.*25. *num.*454. & 461. Filliucius *tract.*35. *part.*2.*num.*380. Layman *lib.*3. *tract.*4. *cap.* 19. *num.* 7. Malder. 2. 2. *tract.*5. *cap.*3. *de Camb. dub.*5.

SECVNDVS titulus est assecuratio pecuniæ Campsarij, & periculum propriæ, si in eo loco non habet, quo est transferenda; quod si habeat, eius industriæ, vel fortunæ est, quæ pretio est æstimanda. Ità DD. allegati, quibus subscribit Bassæus *num.*11.

DEINDE quia pecunia præsens præstita, est 42
pluris æstimanda, quàm absens, & quo longiùs abest, eò minus æstimanda: Nauar. *in manuali, cap.*17. *num.*289. Azor 3. *part. lib.*10. *cap.*6. *quæst.*4. Filliucius *cit. num.*595. Bonacina *cit. num.*6. Reginaldus *n.*416. Toletus *lib.* 5. *cap.* 55. Valentia *disput.* 5. *quæst.* 23. *puncto* 4. Bassæus *num.*12.

ADDE maiorem esse pecuniæ æstimationem in loco, vbi datur; Syluester V. *Vsura* 4. *quæst.*8. Filliucius *num.*380. Lessius *dub.*4.*num.*34. Reginaldus *num.*461. Malder. *disp.*3. Layman *cap.*19. *num.*8. Alium titulum addunt Filliucius *num.* 404. Lessius *dub.*6. *num.* 55. Malder. *disp.*4. carentiam pecuniæ, & periculum ne restituatur, Sanè mercatores pluris æstimant carere suâ pecuniâ sex mensibus, quam tribus, quia interim carent facultate lucrandi illa.

ADVERTE Monopolium augendi pretium esse 43
iniustum, & cogit ad restitutionem excessus supra iustum; Toletus *lib.*5. *cap.*53. Filliucius *cap.*7. *n.*415. Nauar. *de vsur. num.*59. Sotus *de iust. lib.*6. *quæst.*12. *art.*3. Bonacina *cit. num.* 36. Salon. *de Camb. quæst.*4. *art.*2. *contr.* 23. Cooperatores quoque monopolij ad restituendum obligant in solidum, si principales non soluant, contra Molinam *disp.*345. Lessius *lib.*2. *c.*21. *dub.*20. *num.*151. Salon. *dub.*38.

CAMPSOR, dans pecunias ei, cui non fidit, 44
potest securitatem exigere, ac pignus, Azor 3. *part. lib.*10. *cap.* 11. *quæst.*21. Lessius *dub.*8.*num.*77. Tolet. *cap.*52. Salas *disp.*21.

CAMPSOR, cui Campsarius post multa cambia, & recambia tradidit partem debiti, non tenetur eam partem computare pro extinctione capitalis, sed potest ea computare pro interesse, & lucris. Ratio est, quia quando ex debito aliquo principali tanquam ex radice nascuntur alia debita, tanquam fru-
ctus; tunc si fiat solutio primo, censetur fieri pro fru- 45
ctibus illis: deinde si quid supersit, computatur in sortem, vt patet ex praxi in solutione censuum, & solutione debitorum Societatis. Sic Filliucius *num.*471. Bonacina *de contract. disput.* 3. *quæst.* 5. *puncto vnic.* Lessius *dub.*10. Salas *de Camb. num.* 25. Bassæus *loco cit. num.*22. Quod attentè est seruandum.



DISPVTATIO IX.

De Contractu Societatis.



LICET Societatum varia sint genera, in suscipiendis enim Vectigalibus, in exequendis officiis, & in cæteris bonis dispensandis Societas initur; illa tamen simpliciter Societas vocatur, quæ versatur circa prouentum lucratorium, & quæstuosum ex locatione, venditione, & similibus: Quare quamuis sit talis contractus circa omnia bona, non tamen de eo intelligitur Societas simpliciter inita; sed de præcedenti lucratorio, vt rectè monet Bonacina *disp.3. de contract. quæst.6.* nisi aliter voluntates contrahentium se declarauerint; *leg. quæstus, ff. pro socio*, infrà citanda.

QVÆSTIO I.

In quo consistat CONTRACTVS SOCIETATIS, *& quanam requirantur, vt sit iustus.*

D Bonauent. in Bibliis paup. & aliis locis.

1 RATIO huius contractus in eo consistit, vt aliqui inito inter se pacto, & coniunctis suis rebus ad lucrandum idoneis pecuniâ, industriâ, vel operâ velint per negotiationem aliquam, siue etiam per opificium, aut agriculturam facere commune aliquod lucrum inter se diuidendum, parati similiter ad diuidendum inter se damnum commune, si quod fortè incurrant.

2 HVNC contractum esse licitum patet *ex Cod. & ff. pro socio, & cap. per vestras extra de donat. inter virum, & vxorem*, & Doctoribus vtrinsque iuris *iisdem locis*, & à D. Thom. *quæst.78. art.2. ad 5.* & communiter ab aliis Theologis apud Valentiam *disput.5. quæst.24. puncto 1.*

PROBATVR à D. Bonauent. *in Bibliis pauperum, cap.119.* quia Iacob sanctus Societatis contractum habuit cum Laban, & ditatus est, *Genes.30.*

3 PROBATVR secundò à D. Bonauent. *ad cap.4. Ecclesiastæ*, vbi ea verba ponderat: *Melius est duos esse simul: habent enim emolumentum Societatis mutuæ*; Ait autem S. Doctor, hanc Societatem esse virtuti conformem Charitatis, cùm auarus Societatem in emolumentis odio habeat, vt solus lucretur.

HINC arguo ratione: Id, quod licet facere solum, multò magis licet communicando cum proximo bonum; sed licèt soli exercere contractus: Ergo.

4 VT autem hic contractus licitus sit, tres sunt obseruandæ conditiones.

PRIMA requiritur ex parte negotiationis, vt sit iusta.

SECVNDA ex parte lucri diuidendi, vt iustè inter Socios diuidatur, vt si singuli ponant æquale; æqualiter diuidatur; si inæquale, diuidatur iuxta illam inæqualitatem, quæ si sit dubia, definiatur iudicio prudentis.

TERTIA est, vt etiam damnum eadem ratione diuidatur. Ità communiter apud Valentiam *quæst.24. puncto 1.* Toletum *lib.5. cap.41.* Tannerum *disput.4. quæst.7. dubio 8.* 5

QVÆSTIO II.

An, & quomodo cum Societatis contractu possint vniri alij contractus.

PRIMO certum est, in Societate posse concurrere omnes contractus, qui sunt iusti. 6

SECVNDO certum esse, ait Valentia, secundùm ius naturæ, posse cum altero socio iniri illum alium contractum assecurationis lucri minoris certi pro parte maioris lucri sperati, si tamen periculum super se accipiat, & retineat. Idem censet Conradus *q.96.* etsi periculum esse concludat.

EGO quidem non laudo hunc contractum, etiamsi absit mutuandi intentio vsuraria, & retento rei quidem dominio, & periculo (vt necessarium iniungit S. Doctor *cap. 2. speculi animæ*;) nam ita iuxta probabilitatem spei lucri, pro eius lucri parte imponere alteri Socio onus assecurandi partem lucri alteram, (esto eo consentiente) est grauamen, non satis benè iuxta æqualitatem diuisum super capita; Attamen neque hunc contrahendi modum omninò reprobo. 7

CONTROVERSIA est autem: an præter contractum Societatis, & contractum Assecurationis lucri minoris, quàm speratur, possit etiam Petrus *v. g.* qui centum in Societatem exponit, celebrare simul cum Paulo Socio contractum assecurationis capitalis pro parte quoque lucri sperati; Loquimur autem secundùm ius naturæ. 8

FVIT opinio Accursij *leg. si non fuerint, ff. pro socio*, Panormit. *in cap. Per vestras de donat. inter virum, & vxorem*, quos sequitur Sotus *lib.6. de Iustitia, quæst.6. art.2.* negant id posse fieri.

OPPOSITA sententia est Ioan. Maioris *in 4. dist.15. quæst.49.* qui testatur, sententiam hanc fuisse ab eruditissimo Ioanne Echio defensam Bononiæ; Gabrielis *ea dist. quæst.11. dist.10.* Conradi *quæst.97.* Syluester *ver. Societas, quæst.2.* Couarruuiæ *lib.3. var. cap.2.* Nauarri *in manuali, cap.17. num.254.* Angles *in 4. quæst. de Societate*, Caietani *opusc.17. responsionum, resp.11.* Valentiæ *disp.5 quæst.24. puncto 2.* Hi, præter duos allegatos suprà, hunc etiam tertium in Societate coniungi posse aiunt. Subscribit cum aliis Tanner. *disp.4. quæst.7. dub. 8.* Quam sententiam approbatam vbique ab eruditissimis Viris concludit *numero 211.* Sic etiam Bassæus. 9

PROBATVR *ex cap. Per vestras, extra, de donat. inter virum, & vxorem.* Si apud maritum vergentem ad inopiam, neque habentem pro conseruanda vxoris dote sufficientem cautionem, dos versetur in periculo, iubetur talis dos dari alicui mercatori ad negotiationem, vt nimirum secura apud illum sit, & ex ea salua possint onera matrimonij sustentari. Quod non possit fieri, nisi per tres illos contractus cum mercatore initos, vt notauit Nauar. suprà, & Ioan. Andræas ad dictum caput *Per vestras*. Item per *leg. si non fuerint, ff. pro socio*, & Cassij sententia dicitur, ità iniri Societatem posse, vt nullam partem damni alter sentiat; lucrum verò commune sit. Vide Valentiam, qui ait, hanc sententiam Romæ à pluribus eruditissimis Theologis fuisse approbatam. 10

ITAQVE

11 Itaque sic potest hic contractus iniri, vt Petrus det mercatori magnam summam pecuniarum cum pacto, vt mercator accipiat in fine anni *v.g.* quinque, vel sex pro centenario, assecurando Capitale pro parte lucri sperati. Neque verò hoc est mutuum, aut ex mutuo lucrum vsurarium, vt notat Caspensis *sect.* 10. & Valentia *loco citato*.

12 Obiicies Bullam Sixti V. quæ incipit: *Detestabilis auaritia*, prohibetque societatem factam cum assecuratione capitalis.

Respondet Caspens. intelligi de assecuratione facta, non compensato onere iusto pretio, vel de societate, in qua non admiscetur alius iustus contractus, vt notat Reginald. *l.* 25. *num.* 490. Bassæus *v. Societas*, *num.* 4.

13 Quæres, quid detur mercatori pro illa assecuratione capitalis.

14 Respondet Filliuc. *num.* 55. *tract.* 38. *cap.* 3. dari partem lucri incerti, qui iudicio prudentis omnibus speratis videatur iusta, vel remitti aliquid de lucro certo, quod haberet; alioqui, sic non iniret contractum assecurationis, sed tantùm venditionis lucri incerti pro certo, quod certè maius esset, quàm si præterea etiam contractus assecurationis celebretur.

QVÆSTIO III.

An liceat contractus, per quem, securo capitali, accipitur annuatim certum aliquod lucrum.

15 Multos titulos iustos, & iniustos recensent Doctores huius contractus ineundi.

Primus iustus est ratione lucri cessantis.

Secundus est, si societas ineatur cum pacto assecurationis capitalis; & venditionis, *v. g.* lucri quinarij pro maiori lucro sperato, quod socio in compensationem huiusmodi onerum relinquatur, siue ista pacta fiant explicita intentione, siue implicita, vt dixi *quæstione* 2.

Tertius est, si ematur census realis cum pacto vtrinque redimendi, & assecurandi.

16 Quartus, si absque expressa determinatione contractus societatis, vel emptionis census, seu interesse lucri cessantis, aut damni emergentis generali quadam intentione, habito delectu personæ, quacum contrahit, consentiente etiam socio, velit lucrari illa quinque aliquo tandem modo, quo personarum, & facti circumstantiis consideratis, peritorum iudicio tutè id fieri possit.

Quintum titulum iustum addit Ledesma *p.* 2. *tract.* 8. *cap.* 35. quia is, qui pecunias dat per illud tempus, priuat se sua libertate; & suscipit in se onus non repetendi illas pecunias per illud tempus, quod quidem est pretio æstimabile, atque adeo posse aliquod lucrum inde accipi pro eo sine vsuræ vitio, quam sententiam videtur approbare Diana *p.* 1. *tract.* 8. *resol.* 48. contra Molinam *T.* 2. *tract.* 2. *disput.* 308. Laym. *l.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 16. Turrianum 2.2. *t.* 2. *disp.* 61. *dub.* 3. Salam *de Vsura*, *disp.* 9. Less. *lib.* 20. *cap.* 20. *dub.* 14.

17 His postremis tamen videtur arridere S. Bonau. *in speculo animæ*, *cap.* 2. ad finem; Etenim, non repetere mutuum tanto tempore, non distrahit à ratione mutui, & est conditio omnibus mutuis communis, atque adeò, cum mutuo non possit dari lucrum absque vsura, sequitur, &c. Hinc *in* §. *tertius fructus principalis*; tale mutuum damnat. Arrident Bassæus *v. Societas*, *num.* 4. & alij apud illum. Hinc tale lucrum damnatum est ab Alexandro VII. vt vidimus agendo de Actibus humanis *disp.* 17. *quæst.* 10. *sect.* 40.

At esto talem priuationem admitteremus pretio æstimabilem, tamen exigere pro ea annuatim septem, aut etiam nouem pro centenario (vt plurimi faciunt) annuatim, excedit. Ratio huius est, quia si mercatoribus cambij realis solùm conceditur, vt tantum possint exigere, nouem pro centenario, & hoc ratione lucri cessantis, & ineuntibus cum eisdem contractum societatis septem, dummodo adsint conditiones assignatæ supra, & vtrisque communis est carentia pecuniæ, priuatio libertatis, & obligatio non repetendi sortem intra annum; quomodo hi possunt simile lucrum exigere, non ratione lucri cessantis, quia nullum est, neque ratione periculi socij, quod neque adest, quia non solùm dant pecuniam, sed insuper recipiunt hypothecam, seu pignus æquiualens pro securitate. 18

Sunt ergo tituli iniusti multi assignati à Valentia *disp.* 5. *quæst.* 25. *p.* 1. & 2. & Caspensi *sect.* 11. 19

Primus est, si quis centenariam summam det, & ab eo, cui dat, ideo recipiat quinque vltra centum; eò quòd ille ad suum commodum eâ pecuniâ vtatur. Hæc enim est vsura, neque satis pallio pietatis tegitur dicendo, dari miserabili ad necessitatem subleuandam, vt ait D. Bonau. *loc. cit.* sed quis est, qui hoc nostro sæculo tanta sit pietate affectus?

Secundus titulus iniquus est, si quamuis non adsit animus accipiendi illud propter vsum pecuniæ mutuò datæ, & sine alio omni probabili titulo, lucrum illud accipit, vt notat Caspens. cum D. Bonau. *loc. cit.* qui grauiter admonet hic omnes, vt recordentur, Deum intimi cordis esse scrutatorem. 20

Tertius est, cum prætextus applicitis regulis iustitiæ, quæ sunt lapis Lydius, apparent falsi: & in hoc examinandum est id, quod intenditur. 21

Breuissimè me hîc expedio, cum nihil amplius in Seraphico hac de re viderim.

DISPVTATIO X.

De Emphyteusi, Locatione, Conductione, & Feudo.



Emphyteusis multiplex est; Alia enim datur indefinitè, nulla temporis mentione facta; & dicitur Perpetua: Alia datur ad certas quasdam generationes, vocaturque temporalis. Item vel est Ecclesiastica, vel Sæcularis pro diuersitate Dominij: Noua, vel Vetus, pro varietate temporis, quo de nouo instituitur, vel renouatur. Est etiam Emphyteusis hæreditaria simpliciter, hæreditaria mixtè, & familiaris; & hæc diuersitas oritur ratione personarum, pro quibus conceditur: Hac assignata diuisione; quæritur quid propriè sit Emphyteusis, postea de aliis etiam contractibus, in titulo notatis, agemus.

QVÆSTIO I.

Quid sit EMPHYTEVSIS.

1 EMPHYTEVSIM Laeonicè pereurrit S.Doctor *in Diata salutis*, *Titulo* 2. *cap.*5. vbi etiam agit de Feudo.

DICITVR Græcè Emphyteusis, quasi implantatio, seu insitio. In proposito est, concessio rei immobilis cum translatione dominij vtilis, retento directo pro certa pecuniæ summa, quæ *Laudemium* dicitur; ac onere certæ pensiunis Proprietario soluendæ, idque vel in perpetuum, vel ad vitam vnius, vel plurium (quo casu vitalitium dicitur) vel ad certos annos, non tamen pauciores decennio. Qui vendit, Dominus directus dicitur; qui emit, seu accipit, Emphyteuta vocatur.

2 DIFFERT à Locatione. Primò, quia solùm in re immobili, quæ cultura melior effici potest, constituitur. Secundò, quia per eam transfertur dominium vtile. Tertiò quia locatio propriè non potest fieri ad decennium, vel supià, quia tunc communi iure transfertur dominium vtile in conductorem, ac proinde desinit esse propria Locatio, & fit Emphyteusis, & colligitur *ex Leg.* 1. *ff. de superficiebus*, & ex communi docent Couar. *l.* 2. *var. cap.* 16. & Tanner. *disp.*4. *quæst.*7. *num.* 116. Bassæus *v. Emphyteusis.*

3 AD contractum Emphyteusis, vt sit legitimus, statuuntur iure communi Cæsareo hæ conditiones, vt referunt Less. *l.* 2. *cap.* 24. *dub.*9. Tanner. *disput.*4. *quæst.*7. *dubio* 6. quamuis iuxta varias Prouincias aliæ, & aliæ ponantur.

PRIMA est, vt constituatur in rebus immobilibus, & fructiferis, vt in agris, domibus, pascuis, &c.

4 SECVNDA, vt dominium vtile sit penes Emphyteutam, qui proinde tenetur ad omnia onera, & tributa, quæ alioqui ratione eius dominij solui solent, etiamsi bona aliter sint Ecclesiæ.

TERTIA, vt Emphyteuta teneatur ad pensionem annuam soluendam, vt notat etiam D.Bonauentura *loco citato.*

QVARTA, vt si non soluat intra certum tempus, amittat rem Emphyteuticam cum omnibus meliorationibus, vt Emponematibus, seu operibus, quæ in ea fecit, illaque redeat ad priorem dominum.

5 QVINTA, vt si res sine culpa Emphyteutæ omninò pereat, is à pensione liberetur, nisi obligauerit se ad casus fortuitos.

SEXTA, vt, si rem grauiter deteriorem reddat, eam amittat.

SEPTIMA, vt Emphyteuta non vendat meliorationes nisi domino directo, ante admonito, vt ille ante alios emere possit, si velit.

OCTAVA conditio est, vt si res venditur, vel alio modo alienatur, is, qui eam accipit, soluat domino directo Laudemium pro inuestitura, quam ab eo accipit.

6 EST autem Laudemium certa pars pretij, seu æstimationis rei venditæ, quæ quidem iure communi est quinquagesima, consuetudine verò trigesima, vt notat Syluester *verb. Emphyt. num.*28. ex Ostiensi Less. *num.*57. & Tanner. *num.*170. Bassæus *loco cit.*

QVÆSTIO II.

Quid sit Locatio.

LOCATIO, & Conductio est idem Contractus, 7
quo persona, vel res aliqua alteri ad vsum pro pretio conceditur, & ab eodem accipitur. Ex parte enim concedentis est Locatio: ex parte accipientis est Conductio, vt docet D. Bonau. ad ea verba Lucæ 20. *Homo quidam plantauit vineam, & locauit eam agricolis.*

ADMONENT autem, si impedimentum superueniat ex parte rei conductæ, quod vsum eius impediat sine culpa conductoris, pro eo tempore non tenetur ad pensionem; secus si impedimentum se teneat ex parte conductoris. Ità Syluester *verb. Locatio* Nauar. *Manuali cap.*17. *num.* 187. & 197. Couar. *l.*4 *var. cap.*13. Tanner. *disp.*4. *quæst.* 7. *dub.*6. & Bassæus, Colligitur *ex Leg. Habitatores*, & *Leg. Qui operas*, & *Leg. si vno*, *ff. locati.*

SI ob sterilitatem, aut calamitatem citra culpam 8
conductoris anno aliquo nihil è re conducta percipiatur, tota pensio remittenda est; aliàs, si sterilitas non sit magna, pro rata est remittenda, nisi aliter sit conuentum, vel nisi sequentium annorum fœcunditate, compensetur. Ità communis Doctorum fert opinio iuxta Legem *ex conducto* & *Leg. si merces*, *ff. Locati.* Vide Bass. *loc. cit.* & Dianam *p.*3. *tract.*6. *miscell. resol.*17. & alios ibi.

IDEM extendit Less. *cap.*24. *dub.*3. si fruges in horreo conditæ, fulmine, vel hostis superuentu pereant. Sic & Bassæus *v. Locatio.*

CAVSAS expellendi conductorem exponit *Lex* 9
Æde, *C. de Locato*, his verbis: *Æde, quam te conductam habere dicis, si pensionem in solidum soluisti, inuitam ne expelli non oportet; nisi propriis vsibus dominus eam necessariam esse probauerit, aut corrigere, seu reficere domum maluerit, aut tu malè in re locata versatus es.* Vide Doctores apud Bassæum *num.*4. & Bonac. *disp.*3. *quæst.*7. *p.*2.

ET in eundem sensum Gregorius IX. *cap. propter* 10
sterilitatem, *de locato, & conducto* magis explicans Ius ciuile, ait: *Verùm inuito inquilino domum inhabitare, vel reficere poteris, si necessitas* (quæ tamen non imminebat locationis tempore) *id exposcat: remissa sibi pro residuo temporis pensione: qui etiam inde ratio-*
nabiliter amouetur, si peruersè ibi fuerit conuersatus, vel 11
cùm pensionem per biennium non soluisset, sibi satisfactione celeri non prouidit.

QVÆSTIO III.

Quid sit FEVDVM, *& quotuplex.*

FEVDVM à fide dictum, est concessio rei immo- 12
bilis cum translatione vtilis dominij, proprietate retenta sub onere fidelitatis, & obsequij personalis exhibendi: qua ratione ab Emphyteusi differt.

IS, qui feudum concedit, est Dominus feudi: qui verò accipit, Feudatarius. Seu Vassallus dicitur, vt notat D.Bonau. *in Diata*, *titulo* 2. *cap.*5.

FEVDVM aliud est proprium, aliud improprium: 13
alind nobile, aliud non nobilitans; nobile, aliud regale, aliud non. Aliud vocatur Ligium, in quo iuratur fidelitas contra omnem hominem: alind non

Ligium,

Ligium, in quo prior dominus excipitur. Aliud est francum, aliud non francum à seruitiis. Aliud Ecclesiasticum: aliud sæculare.

14 Ad feudum eædem conditiones requiruntur, quæ & ad Emphyteusim, nisi quod Vasallus, vbi feudum est purum, non tenetur ad pensionem, sed loco pensionis ad obsequium, quod omittens, cùm requiritur, amittit feudum. Iuratur autem Domino fidelitas, vt habetur apud Syluestrum *verb. Feudum*, non nocendi domino, nec secreta pandendi.

15 Tenetur autem Vasallus intra annum, & diem petere inuestituram feudi; si tamen sit miles, habet annum, & mensem; vel si sit minor 14. annis, vel iustâ causâ impeditus: Vide Tannerum *disp.* 4. *quæst.*7. *dub.*6. Baslæum *v. Feudum* & cæteros apud istos.



DISPVTATIO XI.

De Testamentis.



PRæcipve instituta sunt Testamenta, nè bona defuncti incerta, nullius Dominio affixa, ad lites & Discordias liberos, & consanguineos prouocarent: Verum Iura, huic incommodo prouidentia, in aliud extremum ita vergunt, tot Testamentis conditiones, circumstantias, & causas apponendo, vt quæ prius ob Testamentorum carentiam intentarentur lites, nunc difficiliori exitu ob defectus, ipsorum validitatem labefactantes suscipiantur. Hinc in his extricandis leges profusè versantur: Hîc autem ego, quæ è Testamentis in Conscientias resiliant, breuiter agam. Cætera ad Iuristas remittendo. Nomen verò Testamenti à testando deriuatur, eò quòd hoc instrumento mox morituros de sua voluntate testetur, quid post obitum fieri velit de suis bonis.

QVÆSTIO I.

Quid sit Testamentvm, *& Quotuplex.*

D.Bonau. in caput 4. Reg. Minor.

1 Testamentvm ex Vlpiano *Leg.* 1. *ff. de testamentis* definitur: *Testamentum est voluntatis nostra iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult*, cui addit Glossa Accursij, & Bartol. *l.*s. *ff.* de testamentis *cum directa heredis institutione*, quæ particula intrinseca est testamento, sine hac enim testamentum non subsistit, §. *Ante heredes*, *Instit. de legatis*, & *l.*1. *ff. de heredibus instituendis*, & docent Doctores apud Fagundez *de contract*. *l.*6. *cap.*1. mo-

2 dò tamen testamentum ad causas pias excipias. Hæc colligo ex D. Bonau. *in caput* 4. *Regula nostra ad finem*, vbi inde immobilitatem eius colligit, cùm sit vltima voluntas; nam si multa adsint testamenta, vltimum tantùm valet, etsi plures valere queant codicilli, quia hi non disponunt adæquate de toto iure, sed de quibusdam partibus. Idem habet *in Dieta Tit.*3. *cap.*1.

Diuiditur autem Testamentum in clausum, 3
& apertum. Testamentum clausum est illud, quod secretò à Testatore conditur manu propriâ, vel alienâ, & tabellione, testibusque præsentibus, ac vocatis, & ignorantibus quid contineat, traditur approbandum. Apertum, quod nuncupatiuum etiam dicitur, est, quod præsentibus ipsis testibus verbis palam fit, & declaratur, & ob hanc causam apertum dicitur, & sine scriptis, quia licet ordinariè in scripto ponatur, tamen sine scripto potest subsistere.

Testamentvm condere ex Iure gentium in- 4
stitutum est, tametsi aliquæ solemnitates iure ciuili sint impositæ. Ità communiter Doctores asserunt: Nam antequam ius ciuile, in quo disponitur modus solemnis testamentorum existeret; iam antea erant testamenta. Sic *Genes.*48. Iacob reliquit Ioseph vrbem Sichem, quam tulerat armis Amorrhæo.

Ex quo sequitur, non posse Principem iustè au- 5
ferre alicui dominium, è testamento acquisitum, quod facere posset, si esset de iure ciuili, vt aduertit Clarus *l.*2. *sent.* §. *Princeps*, *& l.*3. § *Testamentum*, *quæst.*2. In fine, & Fagundez *l.*6. *de contract*. *cap.*1. *num.*10.

Codicillvs definitur, Instit. & C. de codicillis: *Est vltima voluntatis dispositio, sine directa heredis institutione*, vt notat Molina *Tom.*2. *de iust.tract.*2. *disp.*124.

Legatvm est donatio quædam in testamento 6
relicta post mortem testatoris ab hærede soluenda, §.1.*Instit. de Legatis*: de quo *seq.disp.*

Fideicommissvm est legatum, quod fidei hæ- 7
redis commissum est, vt alteri ab eo præstetur: Dicitur autem fideicommissum species legati verbaliores; fit enim per verba, *volo*, *peto*, sed valet non minus, quàm *precipio*, &c. vt colligitur *ex Leg. & fidei commissum*, *ff. de Legatis* 3.

QVÆSTIO II.

Qua solemnitas requiratur ad Testamentum clausum, & apertum.

De iure communi ad valorem testamenti in scri- 8
ptis requiruntur septem testes masculi, liberi, aut qui pro liberis habeantur, puberes, & rogati ad eum actum non fortuitò, & præsentes, itemque subscripti, coram quibus testator declaret, suum illud esse testamentum, illudque subscribat, si scribere sciat; aliàs per alium octauum testem subscribi faciat.

Ad Nuncupatiuum verò exigitur etiam, vt testes 9
audiant testatorem, & intelligant voluntatem illius, non tamen opus est, vt testes subscribant, aut signent ipsum testamentum *l. Hac consultissimè*, *C. de Testam.* vbi subiungitur, *si aliquid horum desit*, *testamentum non valere*. Idem disponitur *Instit. de testam.* §. *sed paul atim.*

In Codicillis verò, & quauis aliâ vltimâ volunta- 10
te regulariter quinque testes, vel rogati, vel fortuiti adhibendi. Quando sanè fit in scripto, debent subsubscribi *L. vlt. C. de codicillis*, & in his etiam fœminæ possunt esse testes; Exceptis codicillis cæcorum, in quibus solemnitas testamentorum est necessaria *L. Hac consultissimè*, *C. de his qui testamenta facere possunt.*

Ad

A o valorem testamenti requiritur etiam, vt testes sint rogati, quod probant debe duobus testibus, non patientibus exceptionem.

11 A n Testamentum clausum requiritur etiam, vt testes præsentes sint, quando testator manu propriâ illud Notario tradit, & audiant dicentem, illud esse suum Testamentum.

R e q v i r i t v r etiam, vt ipsi testes subscribant omnes, si nul, & si nesciant, alij nomine eorum hoc faciant. Aduerte autem testibus subscriptis non valere legata, vel hæreditatem in eodem testamento dispoſita, vt habetur in iure, & notant Molina *disput*. 135. & Fagundez *cap*. 2. *num*. 25.

T a m p o r e verò pestis, duo, vel tres sufficiunt testes, vt docent communiter. Ius tamen, licèt remittat numerum testium, non remittit conditiones, vt sint masculi, puberes, &c. In codicillis verò possunt esse etiam fœminæ. Vide Fagundez.

12 A p p o n s t v r in testamento, vt si non valeat pro testamento, valeat pro codicillo, omni meliori modo, quod additum inseruit, vt si deficiat solemnitas testamenti, vnde fiat nullum; valeat solemnitate codicilli *l. finali*, §. *Illud quoque*, *C. de Codicillis*, ità quidem, vt, quamuis directa hæredis institutio sit nulla; valida tamen sint legata in eo relicta: Imò etiam, deficientibus hæredibus necessariis, institutio hæredis extranei conuertatur in fidei commissariam, hæredesque ab intestato teneantur illi restituere hæreditatem, detracta sibi solum quarta Trebellianica: itemque si testator testamento iniustè præteteat aliquem hæredem necessarium, instituatque hæredem extraneum, tunc hæres prætermissus teneatur extraneo restituere reliquum hæreditatis, seruata sibi solùm sua legitima portione, vt ex iure probat Molina *disp*. 132. Less. *l*. 2. *cap*. 19. *dub*. 1. Tanner. *disp*. 4. *quæst*. 7. *num*. 305.

13 Q v æ r e s: an testamentum inceptum, sed morte superueniente non completum, valeat pro ea parte, quâ inceptum.

R e s p o n d e t v r negatiuè; imò si completum sit, & antequam legatur, decedat, erit adhuc inualidum *l. fideicommissum*, §. *Quoque*, *ff. de Legatis* 3. iuxta Bartolum, & alios. Vide Molinam *disp*. 127. Couar. *de Testam. C. relatum* 1. *num*. 9.

Q v o n i a m verò *in C. Relatum*, & *cap. cùm omnes*, *de testamentis*, decernitur, vt clericorum testamentum valeat etiam ad non pia, duobus testibus idoneis, & Presbytero parochiali, præsentibus. Et quidem in statu Ecclesiastico valet.

14 Q v æ s t i o est: an sit validum etiam in statibus Principum omnium.

A l i q v i negant apud Fagundez *cap*. 2. *num*. 28.

A t t a m e n, valère asserunt Iulius Clarus *l*. 3. *sent*. *quæst* 6. Syluest. *v. Testam*. 1. *quæst*. 3. Vallascus *consult*. 74. & alij apud Glossam *in cap. cum esses*, *de testam*.

P r o b a t v r *ex cap. cùm esses*, *de testam*. vbi summus Pontifex derogat legibus Principum sæcularium hac in parte: ait enim *ibi* Alexander III. iuris peritissimus, ad Episcopum Hostiensem, sufficere duos testes cum præsentia presbyteri parochialis, & reprobat consuetudinem contrariam, quæ in eo Episcopatu obtinuerat, ne testamenta clericorum, &c. redditque rationem, quia *in ore duorum*, *vel trium testium stat omne verbum*.

15 I m o de testamentis etiam Laicorum videtur loqui *C. cùm esses*, *de testamentis* & de his loquuntur alij. Confidit autem Ius canonicum fidelitate Parochi, qui si fidelis est in maiori, nempe negotio animæ, erit fidelis etiam in negotiis rerum. Idem censet Ius canonicum de Iudice, & clerico Notario, nempe eorum cum duobus testibus præsentiam, exclusuram omnem fraudem; debent tamen esse testes idonei, vt monet Couar. *ad cap. cit.* non fœminæ.

E n i m verò negatiuam esse communiorem ait Fagund. *l*. 6. *cap*. 2. *num*. 30. eamque lites & controuersias vitare; in materia autem testamentorum via securior calcanda est. Decretum verò Alex. III. factum est pro Episcopatu Ostiensi, & aliis locis Ecclesiæ; Neque credibile est, Papam voluisse vbique terrarum derogare iuri adeò communi, ac celebrato ab omnibus Principibus. Ità Zabarella, Archid. Ioan. Andr. & alij *ad C. illud*, *cùm esses*; quibus subscribit Fagund. *num*. 38. 16

A d v e r t e etiam, testamenta condita à parentibus inter liberos valere, solis duobus testibus præsentibus, & idem disponitur de testamentis ad pias causas, *l. Hac consultissima*, §. *ex imperfecto*, *C. qui testamentum facere possunt*, & *l. vlt. C. Familiæ Erciscundæ*; sufficiunt verò testes, siue masculi, siue fœminæ Et per filios intelliguntur etiam nepotes, & descendentes. Debet tamen in testamento clauso fieri subscripto à testatore, vel à libera ab eo institutis, iuxta *Auth. si modo*, *C familiæ erciscundæ*, vel certè testator scribat distinctè nomina filiorum, quos relinquit hæredes cum suis portionibus, addito tempore, quo testamentum conficit iuxta *Auth. Quod sine*, *C. de testamentis*. 17

Q v o d si præter liberos in eo testamento aliqua persona extranea admisceatur, inualidum est quoad eam, & relictum deuoluitur ad filios *ex l. vlt.* vt latè prosequitur Molina *disp*. 128. Tanner. *disp*. 4. *quæst*. 7. *dub*. 11. *num*. 304. 18

A d v e r t e, testamentum factum coram Principe valere absque solemnitatibus. *L. omnium*, *C. de testam*. Item testamentum militis, quod validum est cum duobus tantùm testibus, etiam fœminis *l. Diuus*, *ff. de militari testam*. Imò, eum in prælio versatur, sufficiunt quæcumque signa, vt habetur *iure Bauaro*, vt scribat sanguine in clypeo, vagina, &c. & eius Chyrographum, probent duo testes. Vide Bassæum *num*. 3. 19

QVÆSTIO III.

Qui possint, & debeant testari, aut hæredes instituere.

A s s e r o primò, omnes illos, & solos posse testari, qui rationis vsum habentes, peculium habent, nisi iure prohibeantur. Prohibentur verò primò Impuberes. Secundò filijfamilias, nisi de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus: Item de aduentitiis, quæ post clericatum consecuti sunt, nisi ad pias causas ex patris consensu. Tertiò ob crimen facti iure intestabiles *l. Is cui*. Et *l. cum lege*, *ff. Qui testam*. & *C. Fœlicis*, *de pœnis in* 6. aliaque iura. Quartò Religiosi, nisi ex concessione summi Pontificis ad pias causas. Quintò damnati ad mortem naturalem, vel ciuilem, carceresve perpetuos, nisi ad pias causas. Quæ omnia ex iure fusiùs probant, & declarant Syluester *verb. Testam*. 1. *quæst*. 3. & 4. Molina *T*. 1. *à disp*. 136. *ad* 138. & Less. *l*. 2. *cap*. 19. *dub*. 4. 20

Q v a m v i s autem per se loquendo (vbi debita soluenda, vel lites, aut scandala vitanda id non exigunt) nemo sub graui obligatione teneatur testamentum facere; grauiter tamen contra iustitiam peccant ij, qui impediunt, ne quis liberè testetur; aut ne quis 21

quis mutet, si velit, testamentum iam factum, & tenentur restituere iis, ad quos bona defuncti fuissent peruentura. Et in foro externo, præter alias pœnas, priuantur omni emolumento bonorum talis defuncti, iuxta *l.1. & 2. ff. si quis aliquem Testam. prohib. l.2. C. eodem titulo, Leg. Testamenti, C. de inoff. Testam.* vt probat Molina *disp.* 135.

22 Assero secundò: Hæredes, vel legatarij institui non possunt primò hæretici, apostatæ, iisque adhærentes *Leg. fin. Cod. de heret.* & *Leg. hi, qui sanctum, Cod. de Apost.* Secundò qui persequuntur Cardinales, eosque percutiunt, vel capiunt, *C. fœlicis, de pœnis in 6.* Tertiò Intestabiles ob crimen, vt suprà. Quartò fratres Minores, nonnullique alij religiosi, qui tamen ad titulum eleemosynæ possunt recipere Legata, vt declarat Clemens V. *Exiui de Paradiso.*

Potest etiam in eorum fauorem hæreditas relinqui, vt per executores vendatur, & detur eis pretium, vt docet Less. *l.2. cap.19. dub.5.*

23 Assero tertiò, hæredes necessarios esse filios, nepotes, &c. & in horum defectum ascendentes; Patrem, & Matrem, & his deficientibus Auum, Proauum, vt declarat Molina *disp.*159.

De filiis illegitimis est distinguendum: Naturales enim, qui è simplici fornicatione sunt, possunt hæredes institui, etiam vniuersales, si ipsi legitimas proles non habeant, *Leg. licet Cod. de fil. natur.* quin etiam matri, carenti legitimis, succedunt ab intestato

24 ex asse: habenti autem legitimos succedunt ex æquo cum illis *Leg. si qua illustris, Cod. ad Senatusconsult. Orficianum.* Patri verò carenti legitimis non succedunt ab intestato, nisi in duabus vnciis, hoc est in sexta parte bonorum, iuxta *Leg. licèt, Cod. de filiis natur.* Potest tamen etiam ab habentibus filios legitimos eis relinqui Vncia, hoc est pars duodecima bonorum.

25 At verò Spurij, qui ex damnato à legibus concubitu sunt, non possunt aliquid à patre accipere *leg. Licet Cod. de natur. lib. & Nouella 74. cap.6.*

Potest tamen Spurius recipere alimenta, & parentes ea debent, si aliunde non habeat *cap. cùm haberet de eo, qui duxit in matrim.* non obstante iure ciuili *Leg. ex complexu Cod. de Incest. nupt.* huic enim meritò per canones derogatum est. Quo fit, vt filiæ spuriæ debeatur dos, quæ in locum alimentorum succedit, etiamsi parens fuerit sacerdos. Ita Nauar. *in C. Non liceat, §.19.* Couar. *ibi, num.15.* Less. *lib.2. cap.19. dub.6.* Imò Henriquez *cap.20. num.4.* putat, hæc alimenta spuriis relinqui posse, etiamsi ipsi non egeant, quod non improbat Less. *num.69.* Tenetur autem Mater, si potest, alere filium primò triennio, quo finito, tenetur pater, donec filius suâ industriâ id possit, *l. Hac filium, Cod. de patr. potestate, & C. fin. de conuers. infid.* & docet Couar. *num.* 39. Molina *disp.*169. Lessius *num.* 70. Tannerus *disput.4. quæst.7. dubio* 33.

Quæres, quid sit Substitutio, & quotuplex.

26 Respondetur cum Tannero *n.*314. *disp.4. quæst.7.* esse vnius, aut plurium in alterius, aut aliorum locum ad rem aliquam, in vltima voluntate factam, vocationem, quæ generatim duplex est, *Directa*, & *Indirecta*, iuxta Molinam *t.1. disp.*182.

Vtraque rursus sextuplex est, nimirum vulgaris, pupillaris, exemplaris, fideicommissaria, reciproca, & compendiosa, è quibus quatuor priores sunt simplices; duæ verò postremæ compositæ è pluribus.

27 Substitutio vulgaris est, quâ testator aliam quamuis personam, iure non prohibitam, hæredi, siue à se instituto, siue ab intestato succedenti substituit casu, quo ipse nolit, vel non possit esse hæres.

Substitutio pupillaris est, qua proli impuberi suâ potestate constitutæ aliquem substituit, si is ante pubertatem decesserit; qua fit, vt non solùm bona pupilli, à patre relicta, sed etiam alia ad substitutum perueniant; iuxta *§. Igitur, Instit. de pupil. substit.*

Substitutio exemplaris (velut ad exemplum pupillaris inuenta) est, quâ filio amenti, vel surdo simul & muto, vel prodigo fit substitutio; quæ proinde etiam vulgarem continet, si contingat, filium mori ante testatorem. Quod si filius sit impuber, eadem substitutio erit etiam pupillaris, &c. 28

Substitutio fideicommissaria est, quâ hæres grauatur, vt hæreditatem totam, vel partem eius aliquotam restituat alteri, qui fideicommissarius dicitur, quæ cùm sit substitutio inducta, potest etiam fieri Codicillo.

Substitutio reciproca est, quâ instituti sibi vicissim substituuntur; vt si dicas: Instituo hæredes Petrum, & Ioannem, & hos sibi inuicem substituo.

Substitutio compendiosa est, quæ plures constituit substitutiones secundùm diuersa tempora, & ætates, seu conditiones eorum, qui substituuntur. 29

Quæres, quæ dicatur legitima, quæ hæredibus legitimè instituendis semper salua esse debet.

Iure Cæsareo habetur, quod si testator quatuor filios habeat, vel pauciores, tertia bonorum pars æqualiter inter eos diuidatur; si verò plures sint, media pars bonorum diuidatur. Vide Molinam *disp.*158. Respectu verò ascendentium Patris, & Matris est tertia pars *Auth. de triente, & semisse, §.1. & gloss. ibi.*

Debet autem legitima relinqui libera *leg. quoniam in prioribus, Cod. de inofficioso testam.* Vide Molinam *t.1. disput.*177. Fagund. *l.6. cap.13. num.*19. 30

Nota in defectu ascendentium, & descendentium licèt testator habeat cognatos collaterales, & fratres, liberum ei esse instituere hæredem etiam extraneum *§.1. Instit. de inoffic. test. lib. fratres, Cod. eodem.*

Sic tamen hæreditatem relinquat infami, poterit frater agere ad testamenti rescissionem, dummodo non sit merè vterinus, &c. iuxta iura eadem.

Huic verò testatori libero commendantur propinqui pauperes, quibus misereatur, & ne inhabiles hæredes instituat, quos recenset Syluest. *v. hereditas 3. quæst.1.* & alij Summistæ. 31

In his recenset Syluest. excommunicatos, sed malè, vt probat Suar. *3.p. t.5. disp.15. sect.9.* & Ioan. Baptist. Villalob. *l. com. op. v. Excommunicatio.* Excipiuntur tamen hæretici, & alij iure expressi, vt notat Fagund. *loc. cit. num.*21.

Nota executores testamentorum esse posse omnes, qui iure non prohibentur. Accidit verò, vt vnus è nostris moriens, cùm esset à suo Patre relictus ad assistendum suo fratri amenti, cum facultate alium in morte nominandi, alium nominauerit, quæsitus fui, an id licitè fecisset. 32

Respondi assertiuè, quia, licèt fratres Minores nequeant fieri, vltimarum voluntatum executores, iuxta *Clem. Exiui, §. Proinde iur. Sanctus, de verb. signif.* possunt tamen nominare executores de licentiâ superioris. Item Rodriq. *t.3. qq. Reg. quæst.70. art.1.* & *in summa, p.2. cap.70.* Vecchis *Praxi, disp.8. dub.13.* Couar. *in C. Tua nos, num.1. de testam.* Sanch. *l.6. Moral. cap.11.* Diana *p.8. tract.5. resol.*33. vbi in hanc sententiam 25. Doctores enumerat. Imò cum eis addit Bassæus noster, probabile esse, eosdem fratres

fratres Minores, & à fortiori cæteros, posse constitui, de licentia suorum Superiorum, Commissarios, ad faciendum testamentum nomine committentis.

33 A n declarationem Clement. dico *ibi* agi contra proprietates, ideò excludi fratres propria authoritate id exequi, non autem authoritate aliena testatoris ad operandum. Sic explico D.Bonau. *epist.* ad Prouinciales.

QVÆSTIO IV.

An possit hæres institutus in testamento, è defectu solemnitatis inualido iure ciuili, hæreditatem in conscientia foro adire, spoliando hæredem succedentem ab intestato.

34 PRIMA opinio est exequendam voluntatem testatoris, ac proinde in conscientia posse hæredem illum, iure ciuili inualidum, adire hæreditatem. Ità Innoc. *in cap. sicut de elect. & in cap. celebrata de cler. excom.* Abbas *in cap. Quæ plerique, de immun. Eccl.* Iason. *in l. Nemo potest, de legatis*, 1. habent expressè *ex c. vltima voluntas*, 13. *quæst.*2. deducto è Decretalibus D. Greg. Papæ ibi: *Vltima voluntas defuncti, modis omnibus seruari debet.* Quod intelligunt Doctores de testamentis huiusmodi. ita & Bartholus *in Minor. l.*1. *cap.*3. *ad l. Nemo potest, ff. de legatis* 1. & alij Iuristæ apud Couar. *in cap. cum esses, de testam.* Fagundium *de contr. l.*6. *cap.*7. Sotus *l.*4. *de iust. quæst.*5. *art.*3. Medin. *de rebus restitut. quæst.*23. Adrian. *quodl.*6. Molina *T.*1. *de iust. disp.*81. Less. *l.*2. *cap.*19. *dub.*3. Syluest. *v. hæred. quæst.*7. Reginald. *l.*25. *num.*105. Bassæus *v. Hæres.*

35 NEGATIVAM è regione sustinent Ceuallos *t.*2. *contr. com. quæst.*71. Bald. *in l.* 1. *num.*55. *C. de Sacros. Eccles.* Couar. *in cap. cùm esses de testam.* de Gomez *in l.*3. *Tauri, num.*123. Spino *in speculo testam. gloss.*8. Cenedo 1.*p. collect.*67. *ad Decretal.* Menchaca *de success. creat.* §.2. Gutierrez *l.*2. *qq. Canonic. cap.*5. Ceruant *in l.*3. *Tauri, num.*189. Ledesm. 2.4. *quæst.*18. *art.*1. *dub.*12. Victoria 2.2. *de restitut.* initio, Sotus *l.*4. *de Iust. quæst.*5. *art.*3.

36 DIVISI tamen sunt hi; nam Sotus, Victoria, & alij apud Couar. volunt, iura ciuilia concedere successuris ab intestato repetitionem in foro externo, & retentionem in interno, non dominij in eos translationem, sed impedire ne transferatur. Alij verò hanc etiam concedunt, quibus subscribit Malderus, Salas, Becanus, Vasquez, Bonacina, & alij apud Dianam *p.*1. *tract.*8. *resol.*75.

HÆC videtur sententia D.Bonau. *in* 2. *dist.*44. *art.*2. & 3. & *in* 4. *dist.*18. D.Thom. 1.2. *quæst.*61. *art.*4. & quotquot asserunt, leges Principum iustas obligare etiam in foro Poli, quos retuli *tract. de Legibus, disp.*5. *quæst.*1. & 2.

HÆC grauis decisio extenditur ad omnes contractus ciuiles, vt qui iure ciuili sunt irriti; tales sint etiam in foro conscientiæ.

37 MVLTI tamen mediam sectantur viam, vt si de testatoris voluntate plena constet, è testamento minus solemni possit hæres institutus hæreditatem detinere. Hanc communem sententiam astruit Fagund. *num.*6. cum Couar. *ad cap. cùm esses, de testam.* & cum authoribus primæ sententiæ alios adducunt.

DICVNT secundò, Si hæres ab intestato rationabiliter opinetur, aut dubitet, fraudem aliquam esse innectam in eo testamento, posse iustè agere ad rescissionem, consentit Fagund. *num.*12. cum multis apud Couar. *loc. cit.*

ASSERO cum secunda sententia, probabile esse, Hæredem ab intestato posse rescindere testamentum, in quo alter absque solemnitate instituitur, nec interim securè hæreditatem adiri à taliter instituto.

PROBATVR primò: Leges Principum iustæ obligant in foro poli; at Leges decernunt hæredes institutos absque solemnitate esse exclusos *l. hac consultissima, Cod. de testam. & Instit. Quibus modis testamenta infirmentur*, §. *penult.* & hæ toto orbe receptæ sunt, vt iustæ, & ad bonum publicum grauissimè necessariæ, ne facultates morientium dilapidentur fraudibus: Ergo. Maior latè demonstrata est *l. c. de Legibus.* 38

PROBATVR secundò ex aliis legibus ità disponentibus, & irritantibus ad vitandas fraudes, nec carent effectu etiam fraude amota, vt in alienatione pupillorum &c. quæ nulla ideò est etiam in foro conscientiæ.

ASSERO secundo. Si ritè in foro conscientiæ constet voluntas testatoris, securè hæredem in conscientia adire hæreditatem. Est D. Bonauenturæ, vt ostendam. 39

PROBATVR primò. Leges Principum iustæ sunt, & in conscientia obligant, quæ iuri naturæ sunt consonæ, & multo magis si ità exponantur à Legislatore: Sed iuris naturæ est, vt hæreditates sint eorum, quibus legitimi domini iustè eas relinquunt, & ad hunc sensum veniunt iura etiam ciuilia: Ergo. Maior est euidens, ex dictis *de Legibus, disp.*1. *quæst.*4. & *disp.*2. *quæst.*6. Minor ostenditur ex vtroque iure, Canonico, & Ciuili.

Et quidem Innocent. Papa *in cap. quod sicut*, & *in C. quia propter, de elect.* sic decernit: Si electio aliqua iure naturæ, & gentium, valida sit, tametsi desint solemnitates iure ciuili, vel canonico requisitæ, validam esse in foro poli, quia solemnitates iuris positiui inuentæ sunt solum ad vitandas fraudes, & in foro conscientiæ veritas naturalis est præferenda. Id autem iuri naturæ est consonum, vt hæreditatum transmissio sumatur è Domini voluntate: probatur Institutione de rerum *diuis.* §. *per traditionem*; vbi dicitur: Nihil tam conueniens naturali æquitati, quàm voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi. 40

QVOD verò ipsa iura ciuilia ita in foro animæ se explicent, probatur *Authent. de nuptiis*, §. *disponat. collat.*4. vbi refertur, vltimam defuncti voluntatem pro lege seruandam. Et *C. vltima voluntas, causa* 13. *quæst.*2. habentur hæc verba: *Vltima voluntas defuncti modis omnibus seruari debet.* Sed formalior est textus *in leg. inutiliter, Cod. de fideicommiss.* vbi cum Impe- 41 42
rator dixisset in minus solemni testamento inutiliter fideicommissum relictum esse, quod videlicet ad illud exigendum in foro iudiciali actio non concedatur, subdit: *Si hæredes comperta voluntate defuncti illud præstitissent, repeti deinde non posse.* Rationem reddit Imperator, *Quia non è sola scriptura, sed ex conscientia relicti fideicommissi voluntati defuncti satisfactum esse videatur.* Confirmatur ex Iuristarum consensu, dicentium, Testamentum minus solemne ita habere vim, vt legata in eo relicta non solùm possint à legatario possidente in foro conscientiæ possideri, sed eam in iudiciali defendi per legitimam exceptionem: Ita Bartol. *ad leg. Nemo potest, ff. de legatis*, & alij, vt patet ex Gamma *decis.*347. & Claro §. *Testamentum quæst.*90.

43 Si dicant, hunc textum de legatis, & fideicommiss. procedere, non de hæredibus.

Dico & de his concedi communiter à Iuristis & Theologis, vt vidimus.

Hinc arguo à fortiori ex D.Bonau. Leges sunt ex conscientia seruandæ eo grauius, quo grauiores suos res præceptæ: At leges voluntati vltimæ deferunt in conscientia, vt vltimæ voluntates implerentur, explicantes legata, &c. ergo multò magis
44 quoad hæreditates. Nam multo grauiores sunt, multoque grauius, ac durius esset testatori videre distrahi hæreditatem, se inuito, quàm legatum. Ideò ad naturæ instinctum nullus etiam timoratæ conscientiæ hæreditatem sibi delatam à testatore, etiamsi minus solemoltet, restituere volet.

Iotur ex legum obseruantia, nobis in foro conscientiæ iniunctâ ad mentem Legislatorum educitur, SS. Doctores tile pro prima sententia, non pro secunda, vt putat Fagund. *num.*3. imò cum tertia consentire.

45 Ex 'dictis pro secundo asserto patet responsio ad argumenta primi: Leges enim sunt magnâ sapientiâ, discretione, & spiritu exponendæ, & obseruandæ; sic enim iniunguntur à Deo, & Apostolis ad bonum Reipubl. ad iustitiam, & pacem; atque ideo rectitudo naturæ est seruanda, sicut & iustitia, &c. vt disserit S.Doct. *de Eccles. Hierar. p.*2. *cap.*3.

QVÆSTIO V.

Quibus modis Testamentum est reuocabile.

NON incongruè hominis voluntas dicitur Ambulatoria vsque ad mortem *leg.*4. *ff. de ademend. leg.* cùm per eandem viam soleat sæpè gradi, & regredi, vt in testamentorum reuocationibus clarum probatur, quorum occasione id dictum est.

46 Et primò quidem leges concedunt testatori vsque ad mortem suum testamentum irritum declarare, nisi fuerit Religiosus, qui ante votorum solemnem emissionem testatus sit; ratio vtriusque est, quia vsque ad mortem communiter testator liberum habet dominium suorum bonorum; non sic si sit Religiosus professus: Et hoc ita stat etiamsi iuraret, vel promitteret testator suæ vltimæ voluntatis testamentum esse irreuocabile: quia quod naturâ potest semper retractari, nequit aliqua extriosecа adiectione reddi irreuocabile: Hoc tamen intellige de reuocatione valida; nam licitè non poterit testamentum, iuramento firmatum, reuocari; quia sic Deus in testimonium falsitatis adduceretur: Vasquez tamen in foro conscientiæ non solùm illicitum, sed & inualidum fore ait secundum testamentum, si prius fuerit iuramento roboratum; oppositum tamen communius est, nam multa fiunt validè, quæ non licitè.

Nec obstat, quod Iuramentum sit accessorium testamento, tanquam principali, cuius naturam, ex se licitè reuocabilem, debeat sequi. Hoc enim verum est; quando conditiones expressè non excluduntur; iurans autem se non reuocaturum, censetur omnes conditiones reuocatorias excludere; cùm intendat explodere illam celebrem conditionem: *nisi reuocetur*. Legantur de hac re Vasquez *opusc. de testam. cap.*2. Couar. 1. *parte rubr. de testam.* Antonius Gomez *in* 3. *l. Tauri*, Sylnester *verbo testamentum* 1. §.12. Cum Bonacina *de contract. disp.*3. *quæst.*17. *puncto* 6. qui addit quamlibet verborum formam,

qua constet testatorem prius suum testamentum habere irritum, sufficere; nec opus est, vt nouum instituat, esto verbali tantùm reuocatione sit vsus, licèt hoc tantùm verùm sit de iure regio, vt habet Vasquez citandus.

Secundo testamentum reuocatur fractione 47 Scripturæ, sigilli, aut alterius necessariæ solemnitatis: si verò pars aliqua deleatur, aut cancelletur cum interlineis, reliquum testamentum valet; & solùm pars illa in dubium potest reuocari. Ità colligitur *ex leg. ad testam*, §. *si signa*, *ff. de testamentis*, & *leg. nostram*, *C. de testam.* Hæc tamen modificantur, nam si probetur modus illicitus, quo facta sit talis ruptura, seu cancellatio, vel si tabellio eam rupturam, & cancellationem ante suum signum factam; doceat non, nocere, testamentum non inualidatur, vt dicitur *leg.* 1. §.1. *ff. de iis, quæ in testam. delentur.* Item si duæ sint Scripturæ, quarum vna tantùm rumpitur; altera adhuc subsistet; quia licèt vna sit in re, sunt tamen in probatione duæ, qood tamen ita Vasquez limitet, vt vtraque scriptura fuerit æque principalis; nam si fuerit vna transcripta, & transsumpta apud testatorem, licèt Originalis manserit penes Tabellionem; Hæc non iuuat, si prior fuerit 48 discissa; ita docet Paulus Castr. *in leg. nostram*, *C. de testam. quæst. vlt.* videndum tamen, si voluntate ipsius testatoris, vel contra eius placitum fuerit rupta.

Tertio inualidatur testamentum primum confectione secundi, quæ solemnis, & iuxta iuris sit dispositionem, quod eò vsque verum est, licèt factum esset coram ipso principe; qui non potest simplici assistentia libertatem testandi, quæ vsque ad mortem sequitur bonorum dominium, auferre; vetum si speciali mandato tale testamentum irreuocabile declararet, standum esset tali mandato; sicut enim leges prohibere possunt ob iustam causam testamentorum reuocabilitatem; ita etiam Princeps.

Qvarto testamentum primum, licèt vali- 49 dum, reuocari potest per secundum minus solemne, modo cum quinque testibus perfectum sit, dummodò ab Intestato, hæredes venientes, sint in eo instituti: vt hoc tamen stet, tres requiruntur conditiones. Prima, vt in primo testamento nominatus sit hæres aliquis extraneus, nam si fuerit vnus, vel plures venientes ab Intestato; subsistit adhuc testamentum. Secunda conditio est; vt venientes ab intestato sint hæredes viciniores. Tertia est, vt omnes illi hæredes proximiores, ab Intestato venientes, sint primi gradus, nec vllus eorum solus sufficiat: quæ conditiones sunt solùm de iure communi; sed iure regio aliter statuitur, saltem in testamentis nuncupatiuis; quæ semper æque solemnia sunt cum primis; cùm habere debeant quinque, aut ad minus, tres testes cum tabellione; ita Vasquez *loco citato.*

QVÆSTIO VI.

Quam obligationem subeunt Hæredes, testamento instituti.

CVm hæres sit in loco testatoris, eiusque naturam quodammodo induat, certum est eum teneri ad omnia debita realia, ad quæ testator tenebatur; nam qui suscipit realia commoda, subiici etiam debet realibus incommodis, *argument. leg. hæres in omne, ff. de acquirenda hæredit.* aliter tamen dicendum de iure personali, quod habebat te- 50

Ti stator

ſtator ſoluendum; hoc enim ſimul cum eius perſona extinctum eſt.

Conceditvr autem à iure trimeſtre Hæredi, intra quod tempus poteſt hæreditatem adire, vel abiicere & intra illud tempus à nullo debet moleſtari: tenetur tamen interim facere Inuentarium coram Notario præſentibus legatariis, & creditoribus, ſi adeſſe velint. Ità Bonacina ſuprà, citatis Sà, Reginaldo, & aliis. Si tamen illud facere omiſerit, & non ex fraude, ſed ex alia cauſa iuſta, tenebitur tantùm ſoluere quantum importare poterit hæreditas: ſecus ſi fraudolenter neglexerit, etiam vltra vires hæreditaris obligabitur; vt habetur *leg. finali, C. de iureiurando.*

51 Non ſolùm debita, ſed & legata quæcumque relicta à teſtatore, tenetur hæres ſoluere; nam tacitè hæreditatem adeundo ita cenſetur contrahere cum teſtante; ſi tamen legata fuerint ſoluta ante mortem, licèt in teſtamento non ſint cancellata, reſoluenda non ſunt *leg. lucius, ff. de legatis.* Teſtatoris autem mens eſt inſpicienda, de cuius intentione ſi conſtat, tenetur eam obſeruare hæres, relicta verborum ambiguitate; nam omnes præſumptiones ex verbis ortæ ceſſant, comperta voluntate teſtatoris.



DISPVTATIO XII.

De Legatis.

Legatvm, & Fideicommiſſum in effectu ſunt idem, licèt differant in modo, & forma; nam poſterius fit verbis obliquis, quæ directè reſpiciunt hæredem, qui à teſtatore grauatur reddere, v. g. Titio, quod eius fidei creditum eſt. Legatum autem directè legatarium reſpicit, abſque vlla hæredis mentione, vt cùm dicitur: *Lego Petro centum oues*, ita vt idem reſpectu eius, cui debetur, vel datur, dicitur Legatum; & reſpectu eius, qui dare iubetur, Fideicommiſſum nuncupatur: hinc eodem tenore de vtroque ferè ſentiendum.

QVÆSTIO I.

Quid, & Quotuplex ſit Legatum.

{ D. Bonau. in expoſitione. Regul. cap. 4.

52 Legatvm definitur: *Donatio quædam à teſtatore relicta, & ab hærede præſtanda.* Ità omnes Iuriſtæ *in leg. legatum eſt, ff. de legat. 1. & 2.*

Dicitvr quidem *Donatio*, quia nullo propinquitatis iure, ſed ex mera liberalitate relinquitur; habet enim teſtator vſque ad vltimum vitæ inſtans plenam ſuorum bonorum facultatem, ita vt de eis teſtari, & legare liceat ad libitum. Dicitur *ab hærede præſtanda*, ob rationem ſuprà *quæſtione vltimâ* allatam.

Dividitvr Legatum primo in pium, & profanum vt colligitur è Sancto Doctore citato.

Dividitvr ſecundò Legatum in Vniuerſale, & Particulare; illud raro contingit, cùm ſit omnium bonorum, diciturque fideicommiſſum vniuerſale: Particulare verò vſitatum eſt, quando hæres cogitur tradere rem aliquam certam.

Detnos diuiditur in Abſolutum, & Conditionatum. Primum fit, quando abſque vlla determinatione aliquid relinquitur, quod legatario debet reddi abſque mora poſt mortem teſtatoris. Secundum ita fit adiecta conditione: *Ego Paulo lego quinquaginta aureos, ſi filius maſculus ei naſcatur*, & hoc, adueniente conditione, eſt adimplendum: Hæc autem conditio varia eſt pro varietate obiecti, vel modi, quo apponitur: eſt enim aliquando tacita, vel expreſſa; poſſibilis, vel impoſſibilis; neceſſaria, vel contingens; honeſta denique, vel turpis; item aliquando ſignatur de præterito, interdum de præſenti, & futuro.

De his conditionibus ita ſtatuunt iura, & ſentiunt Doctores, vt contingens conditio de futuro, poſſibilis, & honeſta, legatum ſuſpendat, donec purificentur; De præſenti, & præterito, in ipſo inſtanti legatum tollunt, vel obligant, cum tales conditiones ſint actu neceſſariò veræ, vel falſæ: Impoſſibilis verò conditio, ſeu neceſſaria, & turpis tanquam non appoſitæ cenſentur. Ita Vaſquez *de teſtamentis, cap. 8.*

In omni autem legato intelligitur tacitè: *Si adea-* 53
tur hæreditas, de iure communi, quamuis Ius regium aliter decreuerit: tacita etiam conditio ſubeſt legato annuo, quod relictum intelligitur quot annis vixerit Legatarius; ita vt ad eius hæredes nihil tranſeat.

Tenvis autem illa diſtinctio, quæ intercedit inter legatum Conditionale, & Modale, adeò Iuriſtas torquet, vt planè neſciant, Si relinquatur Dos puellæ, vt nubat; an conditionem importet; an verò modum.

Baldvs, Couartu. Peregrinus, & Simon de 54
prætis apud Bonacinam *loc. cit. prop. 3.* ſentiunt legatum eſſe modale, ac proinde eius ſolutionem non differendam; ſaltim ſi fiat à parentibus; quare, aiunt, puella poteſt fratrem ad ſolutionem cogere, etiam antequam ſit nubilis ætatis.

Econtra, Bart. Gomez, Mantica, Molfeſius, & alij *ibidem* citati, Conditionale eſſe acclamant, adeoque expectandum donec puella viro ſit matura; interim tamen docent teneri fratrem ipſam alere, aliaque iuxta ſtatus decentiam ſuppeditare, cùm in patris locum ſuccedat.

Tota difficultas ſtat in illis voculis *Si & Vt*: nam ſi legetur aliquid puellæ, *ſi nubat*; certum eſt conditionem eſſe: Si verò, *vt nubat*; quis ignorat cauſam finalem legati denotari? & ſic ipſi debetur, etiam antequam viro nubat, & etiamſi nunquam nupſerit, ſi ſaltem penes ipſam non ſteterit, quòd ſe viro non iunxerit; ratio eſt, quia quando conditio redditur legatario impoſſibilis abſque ſuâ culpâ, cenſetur pro non appoſitâ.

Hinc inferunt Vaſquez apud Bonacinam vbi ſu- 55
prà, legatum relictum Bertæ, vt nubat Titio, ipſo mortuo debere adhuc Bertæ reſtitui; modò alteri velit nubere. Ex quo inferre licet, quando legatur aliquid cum onere cuiuſdam actionis, ineſſe conditionem tacitam, ſi legatarius voluerit talem actionem obire; nam ſi noluerit; legatum ipſi negandum eſt: vnde Dos Bertæ legata, vt nubat, illicò poſt teſtatoris mortem tradenda eſt, ſi vult nubere; cautione tamen præſtita; quod ſi omnino nubere

nolit;

nolit, cessante causa, & motiuo finali, ritè cessabit effectus: Huius autem difficultatis decisio non mediocris est consequentiæ, vt innotescat vtrum Dos sic relicta, & non tradita ante mortem puellæ, sit traducenda ad eius proximos hæredes; num verò in ea ius habeat ipsius testatoris hæres.

QVÆSTIO II.

An legata debeant solui illis omnibus, quibus fiunt, & quomodo.

CVM Testatoris voluntas post mortem immobilis sit, vt ait S.Bonauent. *in Regulam fratrum Minorum, cap.4. littera B.* Generalis omnium Iuristarum regula est, legata soluenda esse illis omnibus personis, quæ sunt bonorum capaces, vt autem hæ dignoscantur; notandum est leges libertatem quorumdam, ita proscriptam declarare, vt nullius rei dominium habere valeant: & Imprimis hæreriei manifesti, vbi Sacra Inquisitio dominatum obtinet, nihil possunt possidere, cum eorum bona sint fisco adiudicata; quare legata his facta, sicut & Apostatis, ipso iure inualida sunt; vt habetur *Leg. Manichæos, C. de hæreticis.*

56 ITAM legata personis incertis relicta, non valent §. *incertus instit. de legatis.* Hoc tamen ità concipe, si sint omnino incertæ, cum nihil potest reddi illis, qui nullo nobis modo sunt cogniti. Verum si adsit, aut breui adfutura sit ratio aliqua internoscendi tales, potest ipsis validè fieri legatum, vt si quis legaret in fauorem illius, qui in vxorem duxerit suam neptem; aut filiam, tale legatum stabit, & reddendum est iam nuptâ nepti, vel filia.

AB hac regula excipiuntur Legata facta Deo, si quis ita voluntatem suam exprimeret, quia Deus non reputatur Inter personas incertas; & lex ciuilis nequit suas exceptiones ad pias causas extendere; quare præstandum erit tale legatum maiori Ecclesiæ loci illius, in quo factum est, vt notatur §. *si quis in nomine magni Dei, Authent. de Eccles.* Idem intelligendum de legatis in pias causas vniuersaliter, vt in eas Ius ciuile nullum imperium habeat; & si Ecclesiæ sint facta, id intelligatur de Ecclesia loci, & vbi plures Ecclesiæ conuenerint, de Ecclesia maiori; si omnes sint æquales, dandum est Episcopo, vt iuxta suam prudentiam illud inter omnes distribuat. Ita Bonacina cum aliis apud ipsum citatis suprà.

57 DVBITATVR verò apud Iuristas, an relictum pauperibus legatum, debet dari pauperibus loci; an verò sufficiat, quòd detur alienis. Alij illud adiudicant illis, qui egestate detinentur in patria legantis, *argument. leg. si quis ad declinando, §. vbi autem*; censetur enim testator magis affectus erga illos, quàm erga alienos: tenet tamen probabilius Bonacina satisfieri, quibuscumque pauperibus detur; cùm vltima voluntas magis communi pietate, quàm particulari affectu flagrare credenda est; eaque sufficienter completa sit in quibusuis egenis.

QVANDO autem legatum relinquitur Canonicis, non debet trahi ad eorum Ecclesiam, sed ad totum capitulum, quod aliud est ab Ecclesia; & tunc inter omnes proportione Geometrica est diuidendum, iuxta gradum, & dignitatem cuiusque; si verò singulis Canonicis legatum sit: tunc inter singulos est æquè, seu arithmeticè distribuendum. Sed si vni legerut soli, huic, non alteri, tradatur, ob reuerentiam, & obseruantiam vltimæ voluntatis. Quod apprimè notandum accinit Bonacina suprà, citans Manticam, Couarruuiam, Genuensem, Vasquez, & alios.

IN quocumque autem legato, in quo suboritur 58
dubium de personis, quibus debeat solui, attendenda est purissimum legantis intentio, & simplex verborum significatio; & his deficientibus, piis causis magis est fauendum; Hinc plures casus resolutos habes.

PRIMO, legatum in genere relictum fœminis maritandis, non potest dispensari puellis adhuc non nubilibus; in his enim præsumitur, testantis voluntatem non adimpleri. Ita Mantica *de coniect. vltima vol. lib.21. tit.21. num.5.* Sanchez *de matrimonio, num.7. disp.91.* & plures alij apud Bonacinam suprà.

SECVNDO, Dos legata puellæ, si nubat, vo- 59
lenti tamen religionem ingredi, est reddenda; Ita omnes communiter; idem dic de legato facto viduæ, quamdiu vitam vidualem duxerit, quam etiam in religione honestiùs ducere poterit. Ita Sanchez citatus.

DIFFICVLTAS tamen est de legato, facto viduæ, ea conditione, vt cum filiis semper habitet, & illa voluerit ad secundas nuptias volare, negantibus filiis vnà cum Socero habitare.

DVPLEX est Doctorum hac de re opinio: Pri- 60
ma est Baldi *leg.1. Cod. vbi pupilli, &c.* & *leg.1. in fine, Cod. de leg.* Iason. *ibidem*, & aliorum non paucorum, quos refert, & amplectitur Sanchez vbi suprà, tale legatum irritum iri, quia præsumenda est tacita conditio ei in esse, vt ad secundas nuptias non transeat; & prætereà iustum timoris motiuum possunt prætendere filij; sicut si vxor legaret marito simili conditione, & ille Nouercam suis filiis adsciscceret, proculdubio ab ea recedendi iustam haberent causam filij; cùm illa duriùs se gerere soleat.

SECVNDA opinio est Bonacinæ, citantia Bartol. Imolam, *in leg. cum tale, num. 2. ff. de condit. & demonstr.* & alios, dicentes, tale legatum soluendum etiam volanti ad secundas nuptias, & volenti cum prioris mariti filiis habitare: Ratio est; quia legatum debetur volenti, licèt non potenti conditionem apponere; nec cohabitatio illa adeò suspecta est, cùm sit vsitata; quod si filij eam velint respuere, ipsorum est culpa, quæ legatario non debet præiudicium afferre.

DICERSM tamen in conscientia, tale lega- 61
tum non deberi, si vel ipsa mater, vel filiorum tutores aduerterint talem habitationem ex parte Soceri noxiam futuram, & admonita mater noluerit acquiescere; sic enim censetur ipsa conditionem tollere, & in culpa est.

TERTIO, legatum datum futuræ vxori in genere, priusquam vxoratus fuerit legator; potest solui secundæ, cum ex affectu ad vxorem sibi superstitem præsumendus est ita legasse. Si verò iam vxoratus legatum facit, pro prima præsumitur, & excluduut secunda, licèt eodem nomine cum prima gaudeat, quia censendum est, affectum mariti priorem tantùm respexisse. Ita Barbosa *leg. diuertio, §. 8. ff. soluto matrim.* Menoch. *lib. 4. præsumptione* 122. & Sanchez suprà *numero* 59.

62 QVARTO factum legatum conditionale, vt non fiat transitus ad secundas nuptias, soluendum est, etsi nuptiæ, sed inualidæ, sint subsequutæ. Ratio huius petitur ex regula *non præstat, de regul. iuris in 6.* quia impedimentum non præstat, quod effectum non sortitur de iure. Ita Gutierrez *capite 118. numero* 7. Sanchez *citat.* qui addunt cum Syluestro *verbo sponsalia, quæstione* 1. *dicto* 2. tales nuptias, etiam validas, sed non consummatas ob inopinatum aliquem euentum, legatum non inualidare; Quia in materia pœnali, seu odiosa, nomine nuptiarum, intelligitur matrimonium consummatum.

IN omnibus his casibus considerandum est, legatarium debere recipere, quicquid sibi relinquitur, de manu hæredis, non propria authoritate, aliàs reus erit *Commissi*, hoc est, legati iacturam patietur; hoc tamen intellige, postquam hæreditatem adiuerit hæres; & hæc pœna à lege indicitur, vt detur tempus detrahendi Falcidiam; vnde patet, pia legata, Falcidiæ non subdita, hanc pœnam non subire; vide Bonacin. *de contract. puncto* 8. *dub.* 3.

63 QVOD si hæres in reddendo legatum contumax sit, competit Legatario in ipsum triplex actio: prima est *Personalis*; cùm enim hæres contraxerit testatoris defuncti debita, censetur se & sua obligare ad ea persoluenda, *leg.* 2. *Cod. communia de leg.* Si tamen non sit hæres ex testamento, sed alio titulo, illa actio cessabit, succederque actio Prætoria. Secunda actio nuncupatur *Hypothecaria*, qua res certæ speciei manet legatario hypothecata; vel etiam omnia hæredis bona, si res legata sit tantùm certæ quantitatis; ita *dicta lege* decretum est. Tertia actio est in ipsam rem, vt vindicetur, cuius dominium, cùm sit translatum à die mortis testatoris, potest vindicari, à quocumque possideatur; vnde potest legatarius Iudicis opem postulare, seu Saluianum rei interdictum intentare; vide Bonacinam, & citatos apud ipsum Doctores *puncto* 8. §. 4. ad finem.

64 MAGNA difficultas est; & est plurium litigiorum seminarium, quando res eadem pluribus coniunctim legatur, cui tunc reddatur: vt hæc enucleatiùs soluatur.

NOTANDVM est primò ex legum dispositione dari in legatis; *Ius accrescendi*, & *Ius non decrescendi*. Prius est ius quoddam, quo vnus ob coniunctionem cum altero, vacantem eius partem obtinet: nam si res eadem duobus relinquatur, & vnus eam velit repudiare, alter verò repetere; totus huius posterioris titulus erit, quia cum priori erat coniunctus, vnde res ab eo repudiata, debet ipsi accrescere. Ius autem non decrescendi est illud, quo non proprio iure, sed alieno, res aliqua deficiens cuipiam obuenit: hoc iure si vnus canonicus è choro sit absens, assistens poterit distributiones eius sibi vindicare.

65 NOTANDVM secundò, aliquos posse esse coniunctos tripliciter, re tantùm; verbis tantùm; & re, & verbis simul.

PRIMA coniunctio habetur, quando res vna sub diuersa verborum formula duobus relinquitur; & tunc in solidum vtrique legatur, siue testamento vni, & codicillo alteri; siue vtroque simul: quare vno repudiante, aut non potente aliquid recuperare, totum alteri acquiritur.

66 SECVNDA coniunctio dupliciter fit. Primò si iisdem verbis res eadem duobus distributiuè relinquatur, vt si dicatur: fundum meum Lugdunensem partibus portionibus Petro, & Paulo relinquo: Hunc fundum, si alter respuat; alter totum recipere potest iure accrescendi; licèt enim non sit legatus in solidum vtrique, statuit tamen *lex vnica*, §. *his ita*, *C. de caduc. toll.* vt cùm partes sint tantùm mente diuisæ, non oculis designatæ, vteruis alterius partem, altero deficiente, obtineat.

SECVNDO fit, quando res diuersæ non diuersis verbis legantur, vt cùm dicitur: Domum meam Bergomensem Titio, & domum meam Lugdunensem Caio relinquo: hîc nullum est ius accrescendi, licèt coniunctiua particula, *&*, faciat eundem orationis contextum, quia res sunt penitus diuersæ.

TERTIA coniunctio tunc accidit, quando in 67
eodem vltimo instrumento res eadem, vno verborum contextu, pluribus relinquitur, absque vlla partium diuisione; verbi gratia, Agrum meum Bergomensem lego Titio, & eundem lego Paulo. Hæc coniunctio est omnium commodissima, cæterisque præualet iure accrescendi: Verùm si simul coniunctio re tantùm, & coniunctio verbis tantùm, contingant; multi apud Bonacinam citatum §. 5. volunt æquam esse vtriusque vim; aliis tamen contendentibus, coniunctionem verbis tantùm præualere, quippe quæ magis expressum testatoris voluntatem depromit: Vide Molfesium *in summa*, 2. *p. tract.* 13. *cap.* 5. *num.* 75. & *seqq.* Manticam *de tacit. & ambig. conuent. lib.* 10. *tit.* 3. Tuscum *verb. ius crescendi conclus.* 566. cum Oinotom. *instit. de legat.* § *si eadem res, num.* 3. *& seqq.*

POTERAT tamen Testator hoc Ius accrescendi in- 68
terdicere, ita vt vno è coniunctis deficiente, pars eius obueniat hæredi; vnde elucet differentia magna inter hæredem, & legatarium; nam hic nihil potest iure accrescendi obtinere, vbi expressa legantis voluntas id expresserit; at hæres in aliqua re particulari institutus, aliis hæredibus deficientibus, potest in vniuersam hæreditatem succedere; etiamsi oppositum expresè in testamento sit prouisum; & Ratio est, quia testator non potest impedire iuris communis effectum, quod ita decernit, ne aliquis pro parte testatus, & pro parte intestatus obeat.

QVÆSTIO III.

Quæ res possunt legari.

RES quæcumque alienabilis, ad quam ius ha- 69
bet testator, legari potest; ratio oritur è dominio rei, quod planæ dispositioni cuiusque Domini subiicitur: Res autem alienæ nequit legari, quia legatio importat translationem Dominij, quod in legante debet supponi: Si tamen aliquis rei alienæ legatum faceret, volens & sciens, rem non esse suam, tunc legatum directè cadit super hæredem, qui tenetur rem illam, vel eius æstimationem legatario procurare, vt habetur, *leg. cum alienam, Cod. de legat.* & §. *non solùm, instit. de legat.* Legatario tamen incumbit probare innotuisse testatori rem illam alienam esse; tum quia actor est, cuius est semper probare; tum, quia clarè constat rem esse alienam, quæ simpliciter nequit legari; præsumptio autem stat pro hærede, donec oppositum probetur: Et hæc ita se habent iuxta dispositionem

iuris

iuris ciuilis; In foro autem conscientiæ, tale legatum non posse nec fieri, nec solui debere sentit Bonac. §.3. *proposit.*1. cui consonat *cap. filius noster de testamentis*, reprehendens Ius ciuile, eò quòd rei alienæ
70 legatum validum faciat; docet tamen Vasquez *dub.*2. omne legatum rei alienæ, etiam ignoranter factum, validum esse, si fiat in fauorem vxoris, dilecti amici, aut proprij famuli, quia tunc præsumitur, Testatorem idem facturum, etiamsi sciuisset rem esse alienam; vnde hæres cogendus est ad rei æstimationem præbendam, & hoc speciale est in legato: nam in hæredis institutione, bona aliena inualidè supponuntur; nec eorum æstimatio debetur: Ità Vasquez, citans Gomez *ibidem*.

MINVS autem legati possunt Ecclesiæ, vel res publicæ, quæ nostro commercio non subsunt; nam harum rerum, & similium prohibetur alienatio; vt habetur *Institut. de legat. §. non solum, suprà cit.* potest tamen legari res aliqua, in qua testator aliquid Iuris habeat; & pro illa parte valebit, si suum tantùm ius legauerit; si verò rem, & postea eam totam sibi obtinuerit, valebit totum legatum quocumque titulo eam acquisierit. Ita Vasquez, & pro parte Bonacina, citatus.

71 RES etiam testatoris, creditori obligata, potest legato alienari; quia in ea semper conseruatur à Testatore aliquod Ius, quod potest in alium transferre; & si ignorauerit testator rem obligatam esse, tenetur hæres eam redimere, & legatario tradere.

IDEM dic de rebus ipsius hæredis, legato in alium translatis; nam potest testator illud ipsi onus iniungere, & hæres acceptare, cùm hæreditatis aditio suscipiat omnem obligationem, testamento obsignatam: & hoc verum, aiunt, siue res sit in possessione hæredis, siue ad illam ius habeat: *argum. leg. cum filius, §. dominus, ff. de leg.*1. vt habet Gratianus *discept. forens. cap.*237. *num.*26. cum Molfesio *num.*71. & aliis. Hoc tamen discrimen est inter rem testatoris, & hæredis legatam, quod illa statim mortuo testatore, legatario quoad dominium acquiratur; non sic res hæredis, quæ sola traditione dominium transfert.

72 QVOD si quis legaret rem legatarij propriam, incassum esset tale legatum; quia non potest idem fieri proprium bis eidem, *leg. proprias, Cod. de legat.* quia etiam nemo potest disponere de re, ad se non pertinente. Idem iudicium esto de dote legata vxori, quæ ad ipsam spectat, vnde nequit eam legato accipere; non tamen omnino irritum esset hoc legatum, quia subueniret anticipanda eius solutio, quæ statim mortuo marito debet fieri; cùm Dos ex se non cogitur solui, nisi post annum: Ità Iuristæ *in §. sed si vxori, instit. de legat.*

73 QVANDO autem legatur res aliqua fructificans, videndum est, an sit certæ speciei, aut generis: Si enim sit in aliqua specie, fructus talis legati debentur à die mortis testatoris; sin verò, & res generica sit, computandi sunt fructus à die moræ hæredis, quæ computatur ab illo tempore, quo differt hæres legatum soluere; si verò non ipsa res, sed eius fructus aliquotus legatur, dispiciendum est, an id factum sit demonstrando, vel taxando rem; nam si demonstratiuè dictum sit, licèt res deteriorata fuerit, legatum tamen totum est soluendum; vt qui legaret centum modios frumenti, ex tali fundo: Si verò res taxetur limitatiuè in legato, nihil soluendum est vltra id, quod ea re percipitur. Ita Gomez, Vasquez, Zechius, Sanchez, & alij apud Bonacinam citatum, qui eam regulam assignat, qua taxatio rei ab eius demonstratione discernatur; vt si duplici oratione legatum fiat, demonstratiuè factum iudicetur, vt dum dicitur: Lego centum Paulo, & volo, vt soluantur ea talis fundi prouentu: & soluenda tunc erunt, etiamsi totus agri prouentus ad centum non surrexerit; quia completo iam legato, tantùm demonstrauit agrum: Ita colligitur *ex leg. quidam testamento, ff. de legat.* Si verò vna tantùm oratione modus legandi absoluatur, vt: Lego centum Paulo ex fructibus talis fundi; signum erit, testatorem taxatiuè loquutum; & si ager centum non tulerit, nihil amplius soluendum; *leg. nomen debitoris, §. vni ex hæredibus, ff. de legat.*3.

CIRCA rem verò legatam Regula generalis est, 74
principali quouis legato, censeri & cætera eius accessoria eodem vinculo ligari. Hinc lecto legato; siue domo, viridario, vestimento, peculio, penu, vel supellectili, legata censentur omnia, his ordinariè annexa, vt in longum protrahit, & probat Bonacin. citatâ longâ Iurium, & Doctorum serie.

QVÆSTIO IV.

Quid sit Legatum Pium, seu Priuilegiatum.

LEGATVM Pium est illud, quod intuitu pie- 75
tatis censetur factum, & re ipsâ aliquid pro pio vsu continet. Hoc legatum variis priuilegiis iura munierunt; æquum enim erat, vt forensibus litigiis non adeò implicaretur testatoris pietas, quin citiùs, & certiùs suum haberet effectum; ideò legatum hoc *Priuilegiatum* nuncupamus, quippè exemptum ab ambagibus, & conditionibus ad profana legata requisitis, sed de hoc paulò infra.

IN primis autem curandum est testatori sic legaturo, vt nullius peccati mortalis sit conscius, ne pia illa actio, extra gratiam facta, aliis tantùm, non sibi, proficiat: ad meritum enim pietatis necessarius est status gratiæ, extra quem, quicquid agitur, pro non acto, vtpotè mortuum, computabitur, vt agendo *de Gratia* discussimus.

SI tamen lethalis culpæ conscius talem suam vo- 76
luntatem vltimo instrumento obfirmauerit, & posteà gratiam sit consecutus pœnitendo; optimum erit consilium, suum legatum de nouo ratificare, quod primæ eius institutioni quoad meritum æquiualebit; cùm enim ad mortem vsque possit illud reuocare, ità de nouo approbare; Ità monet Bonacina suprà citatus §.2. *propos.*2. cum aliis apud ipsum relatis: Hæc autem sunt in ordine ad ipsum legantem intelligenda.

QVOAD legata pia in ordine ad personas; quibus fiunt, asserendum est, quicquid relinquitur in honorem Dei, vel Sanctorum; quicquid etiam pro propriæ animæ salute, pro pauperibus, viduis, pupillis, peregrinis, Mendicantium Monasteriis, hospitalibus, & Ecclesiis legatur, hanc pietatem redolere; ita communiter omnes.

NEC necesse est, quòd pauperes, qualescumque 77
sint, ita egeant, vt ostiatim mendicare cogantur; sed sufficit, quod eis non suppetat, vnde iuxta sui status exigentiam viuere valeant; siue ad debita soluen-

da, siue ad alia necessaria procuranda; vt notat S.Doctor in Apologetico ordinis Minorum *quæst.9.*

77 Si verò legatum hoc illis relictum, pro ipsorum alimentis specificetur, & posteà ipsi vel ipsorum aliqui fœliciorem statum, aut fortunam attigerint; illis ampliùs non debebitur, cùm cessante causa finali, cessent ea, quæ ad ipsam ordinantur, si tamen posteà in pristinam indigentiam reciderint, redibit simul cum sua causa legatum illis soluendum. Ita Surdus *de Alimentis quæstione 7. numero 58.* & alij.

Ad pium etiam legatum reducitur à nonnullis, quod maritandis, vel habilitandis ad religionis statum, virginibus relinquitur; modo hoc illis alio iustitiæ titulo non sit debitum. Item quod fontium, viarum, pontium, & similium reparationi destinatur; Item quòd pingendis Sanctorum imaginibus, vel promouendis studiorum vtilitatibus legatur: Hæc tamen non libenter inter pia legata admitterem, nisi constaret, ea paupertatis, vel pietatis intuito fuisse facta: cùm non rarò hæc, & similia propter alia motiua actitari soleant.

78 Hinc discernere licet, quale sit legatum consanguineo pauperi factum; nam sæpè non paupertas præualet consanguinitati, sed è contrà, in affectu testatoris; quare ad hoc dignoscendum regula potissima est, si in suo testamento priùs pauperem, vel consanguineum nominauerit: Si enim primò fit mentio pauperis, censetur legatum pium, ad quod semper duæ sunt conditiones requisitæ; prima est pietas in persona, cui fit: Secunda est, pietas in persona, vel in motiuo, quo fit. Nam si diuiti fiat legatum, non censebitur pium; cùm eo ipso non sit illa pietas, in paupertate fundata: idem esto iudicium, si fiat pauperi, sed non paupertatis intuitu.

79 Denique legata facta Confraternitatibus, authoritate Pontificia erigendis, peccatoribus à malo statu retrahendis, mortuis sepeliendis, Missisque celebrandis, inter piè relicta, apud Doctores recensentur, vt videre est apud Bonacinam *cit.* Quæ omnia sapere debent Confessarius, & pœnitens propter casum reseruatum, qui multis in locis incurritur ob dilatam pij legati solutionem vltra biennium; qualis reseruatio obseruatur Mediolani, relatu Bonacinæ suprà. Nec obstat, quod aliquando sint pia legata facta Mendicantibus, dominij incapacibus; nam licèt ipsi, rei legatæ dominium vindicare nequeant, tenentur tamen testamentorum executores eam in eorum vsum conuertere. Ita D. Bonauent. *citatus.*

Nec sequitur, rem certam legatam interim in nullius esse bonis. Est enim in bonis hæredis erogandis, non reseruandis, vt disertè ait S.Doct. *cit.*

De priuilegiis legati pij id sciendum, quod Falcidia, vel Trebellianica, detrahi solita à legato profano, hic non habet locum; quia est dispositio iuris ciuilis, cui pia causa non subiicitur. Ita Tiraquell. *priuileg.26.* Tuscus *verb. legata, conclus.111.* & cæteri omnes.

Secundo, semper sustineri potest, quocumque modo valeat; & si vni nequeat competere, alteri causæ est applicabilis; ita præfati, Tiraquell. *priuil.33.* & Tuscus, *concl.109.* post D. Bonauenturam *in Reg. Min. cap.4.*

80 Tertio omnes iuris ciuilis solemnitates hinc abiguntur, ob rationem iam latam; vnde testium conditiones variæ, sicut & testatoris, tot dispositiones non requiruntur; quare perinde est, siue testes sint rogati, siuè non; sint viri, vel fœminæ; plures, vel pauciores; sit testator cæcus, mutus, & Surdus; siue non, in totum testatus, seu pro parte, habilis ad legata profana, vel non; sufficitque modo se sufficienter expresserit, hæredem, aut legatarium, clarè nominando. Ità constat è Bonacina, & aliis, quos citat. Addi potest priuilegiis legati pij, vt si indefinitè relinquatur, vel in perpetuum, nullo temporis termino præfixo præscribatur, vt pro legato annuo pro anima relicto definiit Alexander VII. vt vidimus agendo *de Actibus humanis, disput.17. quæst.10. sect.41.*

QVÆSTIO V.

Quibus modis legata sint caduca, ita vt Hæres non teneatur ea soluere.

HÆc intelliguntur de legatis profanis, non de 81
Piis, quæ nunquam sunt caduca, vt patet ex iam dictis: & vt docet D.Bonauent. *quæst.2.* citatus, dicens; si legatum ab vno paupere, qui relinquitur, respuatur, alteri esse dandum.

Multis autem modis contingit, Hæredem liberum esse à solutione legati; præcipuè petuntur ex eius inualiditate, ex tacita, vel expressa reuocatione à testatore factâ, ex rei peremptione absque Hæredis culpa, Item ex repudiatione ipsius legatarij.

Inualiditas potest oriri ratione modi, quo fit legatum, & ratione personæ, cui relinquitur: primo modo inualidum est; si solemnitates Iuris sint prætermissæ, si in testante deest dominium rei legatæ, vt dictum est, si denique in genere supremo, vel subalterno, (vt dialecticè loquar) materiam nominauerit: Secus, si in specie infimâ; quare Ens, vel Animal legatum, illusorium censebitur; non ita si bos, vel equus legetur. Ità *§. si generaliter, institut. de legat.* & tunc iuxta communiorem sententiam tenetur hæres dare iuxta optionem legatarij; nam *eodem §.* habetur: *Si generaliter seruus, vel res alia legetur, electio legatarij est, nisi aliud dixerit testator.*

Secundo modo inualidum est, si fiat perso- 82
næ incapaci; vt si testator errauerit circa eius substantiam; vel adhuc non sit in rerum natura.

Quod deficiat etiam legatum deficiente causa finali, vel conditione ei apposita, suprà dictum est.

Reuocatio etiam legatum inualidat. Nam cùm res legata sit sub dominio legantis, dum viuit, potest eam ad libitum alienare; quare sicut voluntate relinquitur, ita contraria voluntate adimitur; res enim per easdem causas soluuntur, per quas nascuntur, vt dicitur *de regulis Iuris in 6.* Incumbit tamen hæredi probare reuocationem, aliàs in dubio fauendum est legatario, cùm sit in possessione facti. Nam quod clarè constat esse factum, sed dubitatur num sit reuocatum, iudicatur in fauorem eius, cui fit, donec oppositum iuridicè probetur *leg.3. §. si duobus, ff. de adimend. legat.*

Dixi reuocari Legatum tacitè, vel expressè; 83
quia par est vtriusque natura; quare si postquam Legatum obsignatur, enascitur inimicitia inter Legantem, & Legatarium; præsumetur Legatum tacitè esse reuocatum, cùm nullus ordinariè inimico sibi infenso soleat benefacere; multâ tamen circumspectione vti debet Iudex in hoc dispiciendo. Vide *leg. nec adiecit, ff. pro socio.*

Item tacitè reuocatum censetur Legatum alicu-

ius

ius certæ rei, quam testator voluntariè aliter alienauit, vendidit, aut alteri donauit; *leg. rem Legatam*, & *leg. Legatum*, *ff. de adimend. legat.* & hoc à fortiori verum est, si in fauorem ipsius Legatarij factum sit; censebitur enim tunc anticipata solutio.

Qvod si Legatario relinquitur suum debitum,
84 & postea exigitur, ac consumitur, reuocatum censetur; verum si debitum exactum est, vt securiùs custodiatur, ac reponatur, soluendum est: Vide Manticam, Molfesium, Mascaradum, & Gratianum, quos refert Bonacina *cit.* §.8.

Idem dic de re quauis consumptibili, quæ postquàm legatur, à Legante in proprios vsus conuertitur; hæres ad eam rem soluendam non tenebitur, nisi testator aliam similem rem in eius locum supposuerit, vel ignoranter priorem insumpserit. Ità Bartolus, Baldus, & communiter cæteri.

Tertia causa, ob quam Hæres à solutione
85 Legati eximitur, est rei perditio: nam si res est determinata, & absque hæredis culpa sit perdita, perit Legatario; quia res perit suo domino *leg. pignus*, *Cod. de pigneratia actione*, morte autem Testatoris, dominium in Legatarium transfertur.

Dixi: si res sit determinata, nam si sit solùm in genere, non acquiritur eius dominium aliter quam traditione, quare perdita, perit hæredi.

Qvæstio autem controuertitur, an si duæ
86 res sint simul Legatæ, & vna sine hæredis culpa pereat; altera sit restituenda: Communis opinio tenet rem superstitem esse soluendam; quia vtile per inutile non vitiatur: vnde Legato boue cum vitulo, altero mortuo, alter est restituendus; imo integro armento, vel grege Legato, quod superest, solui debet: ità *leg. grege Legato*, *ff. de legatis*, 1.

Nec contrà facit, quòd grex sit Legatus; sed vna ouis non facit gregem. Nam licèt non possit grex in vna oue constitui, potest tamen denominatio gregis in vna ex multis superstite conseruari. Exemplum affert Bonacina suprà; nam licèt inhabitatio vnius hominis non sufficiat ad constituendum collegium, postquam tamen ex pluribus constitutum est, & cæteri ad vnum interierunt; collegium in illo vno conseruatur *leg. Sicut*, §. *finali*, *ff. quod cuiusque vniuersitatis*, ex qua Lege colligitur plura requiri ad constitutionem, quàm ad conseruationem alicuius rei.

Nec similiter obstat, quòd vsusfructus gregis
87 perit et in vno solo; vnde si cui relictus esset totius gregis vsusfructus, vna sola oue remanente, non teneretur hæres ad aliquid soluendum. Hoc inquam non obstat, quia de vsufructu speciatim id lex decreuerit, vt videndum est, *leg. fin. quibus modis vsusfruct.* quod autem in vna causa decernitur, ad aliam, vbi par ratio deest, malè trahitur. Ratio autem, cur ita in lege statutum sit, petitur ex modica vtilitate vsusfructus, qui ex vna oue percipitur; quæ ratio in casu nostro cessat. Ità notat Bonacina §.8. *citat.*

Qvarta causa inualidandi Legatum, est repudiatio ipsius Legatarij, cum omne Legatum habeat tacitè eam conditionem, si acceptetur: vnde non acceptatum accrescit hæredi, & hoc verum est etiamsi partem Legati velit acceptare, & aliam respuere, quia statuitur, *leg. Legatarius*, *ff. de legat.* 2. vt Legatarios nequeat pro parte repudiare, & pro parte accipere eandem rem; secus tamen facere possunt eius hæredes: ratio est, quia voluntas testatoris erat totam rem legare, cui correspondere debet voluntas Legatarij totam acceptando; quia tamen voluntas hæredum eius potest esse multiplex, potest eorum quisque partem sibi obuenientem reiicere, vel recipere; hoc enim velle voluisse censetur testator.

Si tamen res multiplices, seu disparatæ sint relictæ, licèt vno codicillo, aut testamento, penes Legatarium erit optio repudiandi, vel acceptandi pro toto, vel pro parte; Hoc autem iterum limitandum est, nam si ita res sint diuersæ, vt vni sit annexum onus, alteri verò minimè; non poterit Legatarius rem onerosam respuere, alteram, quæ non habet onus, arripiendo: Nam præsumitur testator in eo casu totum Legatum intuitu oneris reliquisse, quare non æquum erit, vt eius voluntas frustretur.

Nonnulla alia tractant de Legatis dicenda, nimirum, quando, & quo ordine sint soluenda; quid de his sibi possit hæres retinere; an ad vnum vsum relicta, in alium possint conuerti, & similia, quæ abundè, licèt ferè nullius sint ponderis, tractantur apud Bonacinam de Contractibus *quæst.* 17. Vasquez Opusculo de testamentis, & alios, apud hos citatos.

Hic itaque dicere sufficiat, Legatum absolute relictum, quod nulla suspendet conditio, statim post obitum Testatoris soluendum; verum si simul cum Legatis debita concurrant, hæc prius sunt soluenda, eo ordine, quem de restitutione agendo suprà innuimus. Item dic de uotis realibus, quibus obnoxius erat testator; Hæc enim sunt Legatis anteferenda: At cùm ad legata plura plures concurrunt Legatarij, omnibus ad ratam sunt soluenda. Vide Sanchez in Summa *lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 39.

Quoad commutationem legatorum, ea fieri potest rationabili causa simul cum superioris authoritate interueniente; Legitimus autem superior in Legatis piis, est Episcopus loci: in profanis verò est Princeps, qui non agnoscit alium in suo regno sibi superiorem.

Quoad id denique, quod legatis potest detrahi ab hæredibus, illud sciendum est, quod Hæredes necessarij, quibus ab intestato hæreditas obuenit, possunt partem suam legitimam retinere, siue sufficiant bona testatoris ad soluenda Legata, siue non. Hæredes verò non necessarij, quibus pars legitima non debetur, possunt ad Ratam à singulis Legatis detrahere quartam partem, quæ Falcidia nuncupatur; cætera patent ex supradictis de Testamento; vide citatos Authores.



TRACTATVS DE RELIGIONE

PROOEMIVM.

CVM hactenus diſcuſſerim, quæ mutuam hominum Iuſtitiam concernunt; nunc opportunum iudico ſupremum illum nexum perſtringere, quo Deo obſtricti, debitum ei cultum internum, & externum exhibemus: Hic eſt omnis Theoriæ, ac Theologiæ ſcopus, & finis, vt Deum colendum cognoſcentes, ipſum actu colamus, æmulemurque noſtras quantumcumque ſublimes ſpeculationes demiſſiori cultu, & ardentiori erga Deum amore ſuperare; immane etenim flagitium veterum erat Philoſophorum, *quia cum Cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt*, vt notat D. Paulus *Roman.* 1. Nec vllus hominum eò vſque hebeſcit, quin naturæ lumen ei indicet, & iudicet, Dei veritatem in iniuſtitia otioſæ cognitionis nequaquam detinendam, ſed deuotæ praxi feriò mancipandam. Vt hoc autem præſtemus, non ipſi nobis ſufficimus; verùm Diuina ſapientia, quæ ſuis radiis hominum mentes illuſtrat, voluntates etiam ipſorum procliui ad pietatem ductu erudit, normamque præfigit, quam ſequentes inter tot cultuum diſparitates, & ementitos Religionis titulos, veræ venerationis principia, media, & finem ſecuri attingemus: Norma verò hæc RELIGIO illa eſt, quæ orthodoxæ fidei primogenita eſt proles. De ea hîc tractabimus, cum ad Iuſtitiam, in cuius elucidatione adhuc perſeueramus, reducatur, vt notat Seraphicus 3. *part. centil. ſect.* 44. Deo enim, quod ſuum eſt, reddit; Ideò S. paulus *loco cit.* oppoſitum vitium iniuſtitiæ adſcribit, dicens: *reuelatur ira Dei ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent.* Porrò conſiderari poteſt RELIGIO, vt eſt Virtus, vel vt eſt Status: ſub priori conſideratione toti fidelium cætui conuenit; ſub poſteriori verò illis propria eſt, qui Religioſæ profeſſionis emiſſione totos ſe Deo deuouent: Cùm tamen Religionis ſtatus ideò ſit inſtitutus, vt exactiori obſeruantia Religio, quæ virtus eſt, exerceatur; de hac primo loco agam in genere: deinde ad eius ſingulos actus deſcendens, ſingulares diſputationes de eis inſtituam, mox etiam apponam quicquid Religioni aduerſetur, vel ipſius exercitium promoueat: Altero, autem tractatu, Deo fauente, poſtquam aliquid de votis dixero, Religioſum ſtatum complectar.

DISPVTATIO

DISPVTATIO PRIMA.

De Religione *in genere*.

CVM quicquid ab homine prodire possit, corde priùs concipiatur; deinde ore proferatur; ac tandem opere consummetur; hæc tria humanorum actuum receptacula omnimodè occupat RELIGIO, vt homo totus Deo, à quo totaliter est, vacare valeat; Itá totum hominis cor consecratur Deo, dum Fide, Spe, & Charitate, debitum ei honorem concipit: Item ore in diuini cultus exhibitione proficit homo, dum adorando, laudando, benedicendo, & gratias agendo, omnem Deo deberi honorem palam recognoscit; dum denique opere complet, quod mente concepit, & linguâ protulit, offerendo, thurificando, & geniculando, Religionem consummat, cuius officia & actus itá tripartitur Seraphicus *loco* suprà *cit.* vbi insuper ei appendit quasdam considerationes, quales sunt patrati sceleris pœnitere, rerum, & temporum vicissitudines ponderare, ac temporalium instabilitatem parui pendere, veritatem quoque æmulari, sicut & se totum Deo committere: Itá paucis omnem Religionis ambitum lustrat S. Doctor, vbi *suprà*. Verum cum nonnullæ difficultates Scholasticæ in hac materia occurrant, eas districtiùs examinabo, postquàm breuem explicationem huius nominis præmisero.

QVÆSTIO I.

Quid sit RELIGIONIS *Virtus*.

D. Bonauent. 3 part. cent. sect. 44. & in 3. dist. 9. art 2. quæst. 3.
D. Thom. 2. 2. quæst. 81. & 82.

1 RELIGIO definitur à D. Bonauent. loco supra allegato: *Religio est virtus, quæ Deo debitum cultum affert.* Eandem definitionem affert *lib. 5. compend. Theologiæ, capite* 37. Eruitur autem è Tullio, lib. 3. de Iuuentute: *Religio est virtus, quæ superioris cuiusdam naturæ, quam diuinam vocant, curam cerimoniamque affert.* Eodem ferè modo definitur à D. Augustino 10. *de ciuit. cap. 1. & 4.* apud D. Bonauent. *in 3. dist. 9. art. 2. quæst. 3.*

2 DICTA est Religio à religando ex D. Isidoro *lib. 8. ethymol. cap. 2.* Eò quòd per eam vni Deo Religemus animas nostras ad cultum Diuinum vinculo seruitutis. Quod idem sensit & D. August. *de vera Relig. cap. 55.* apud D. Bonauent. *lib. 4. phar. cap. 19.* & Bouerium *demonst. 1. Symb. art. 1.* Valentiam *disp. 6. quæst. 1.* cum Lactant. *lib. 4. diu. Inst. cap. 28.* vel cum Isid. *lib. 10. ethym. cap. 17.* à Reeligendo, seu à frequenti electione eorum, quæ ad Dei cultum pertinent; vnde Cicero *lib. 2. de nat. Deorum*, Religiosum

3 denominat. Vel à Reeligendo ipsum Deum, à quo defecerat, ex D. August. *lib. 10 de ciuit. cap. 4.* Vel rursus à religando sibi Deum reconciliatione, ex eodem D. August. *cap. 26. de quant. animæ*, & *lib. 1. retract. cap. 13.* apud D. Bonauent. *loco cit. Pharetra.*

QVÆSTIO II.

An Religio sit Virtus.

D. Bonauent. in 3. dist. 9. art. 2. quæst. 1.
D. Thom. ibi, quæst. 1. & 2. 2. quæst. 2. art. 2.

VT eius veneremur essentiam, eius ortum indicat Seraph *hic* & locis infrà citandis. Eam è cœlis elapsam, quò vultum ab ortu erigimus, ait Lactant. *de falsa sap. cap. 10.* Marsil. Ficin. *de Christ. Relig. cap. 1.* quod è naturæ legibus deduxit Plutarch. aduersus Coloten; nam vbique terrarum gentes, quantumuis efferæ, sacra colunt, litant, altaria erigunt, moliuntur templa, & Deum aliquem colunt. Ideò & legum conditores, qui sapientiâ æternâ magistrâ iusta decernunt, vt habes *Prouerb. 8.* de his disponunt, Id & prisci Legislatores prouidentes, etsi ad superstitiosa declinantes, testati sunt. 4

I D sanè intellectui humano diuinitus affulsit radio, quod naturæ Iudicatorium appellant; de quo Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, vt monet D. Bonauent. 2. *dist. 24. part. 1. art. 2. quæst. 3.* & in 4. *dist. 6. part. 1. quæst. 1.* & *de trib. ternar. cap. 8.* & *de 7. Itiner. æltern. itinere præcipue 6.* & notat Bouer. *demonst. 1. Symb. art. 2.* & late ostendi, *p. p. tract. 1. disp. 1. & 31.* Imaginem Dei gestamus, à quo conditi sumus. 5

H I N C Religionis scopum inueniemus: Quia enim homo ad Deum ordinatus est, tanquam ad primum suum principium, & finem vltimum, vt dicitur *Apoc. 1.* & sæpè obseruat D. Bonauent. ideo ad eum, à quo bona omnia recipit, debet non ingratus, sed recognitione gratâ se, suaque dirigere. Hoc autem Religionis actibus exequitur, vt ostendam, & latè prosequitur passim D. Bonauent. maximè 3. *part. centil. sect. 44. de 6. alis Seraphim, cap. 8. Itinerario mentis in Deum. Soliloq. Itineribus. Æter. Incendio amoris, Stimulo*, & aliis opusculis. 6

Hvivs

7 HVIVS quæstionis titulum instituit S. Doctor de Latria, quæ primò sumitur pro reuerentia Deo exhibita, & est actus internus Religionis, soli Deo exhibendus. Ideò Christus Sathanæ eum ambienti seuerè Matthæi 4. respondit id Deuter. 6. *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies,* vbi, quamuis non dixerit, Deum tuum solum adorabis, vt ostenderet aliquam adorationem exhiberi creaturæ, vt cùm *Abraham adorauit populum terræ,* Genes. 23. & obseruat D. Augustinus *quæst. 61. in Genes.* attamen cultus Latriæ saltem, qui dicitur seruitus, soli Deo est exhibendus, vt explicat S. Augustinus *primo de Trinit. cap. 6.*

HINC verò procedit actus externus cultus Dei, qui dicitur Latria, Matth. 4 *Magi procidentes adorauerunt eum*, & Ioan. 9. Celidonius à cæcitate curatus, *procidens adorauit eum.* De hoc actu externo agam *disput.* 4. nunc de habitu, & actu eius interno disseram.

ASSERO, Latriam, seu Religionem, esse Virtutem.

8 PROBATVR primò à D. Bonauent. & D. Thom. Illa est virtus, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit: sed talis est Religio: Ergo. Minor probatur. Reddere cuique id, quod est debitum, est actus bonus, & bonum reddit reddentem: sed Religio id præstat: Ergo. Maior probatur; nam dum redditur cuique debitum, constituit in ordine conuenienti ad alterum; sed ordo est bonus, sicut & modus, ac species, vt ait D. Augustinus *lib. de natura boni*, *cap.* 55. Ergo. Minor probatur è Platone in Phœdone, vbi affert exemplum ergastuli.

9 PROBATVR secundò à S. Doctore: Circa opera laudabilia, & ardua consistit Virtus ex Aristotele 2. *Eth. cap.* 3. Sed colere Deum est actus huiusmodi: Ergo.

PROBATVR tertiò à S. Doctore: virtus maximè est necessaria circa opera meritoria vitæ æternæ: sed Deum colere, & adorare, est meritorium vitæ æternæ: Ergo.

PROBATVR quartò à S. Doctore. Id, quod est præceptum à Deo, ad virtutem spectat; sed Deum colere, est à Deo præceptum. Ergo. Eadem argumenta resumit *in corpore.*

OBIICIES primò. Omnis Virtus est libera: sed Latria est seruitus, ex D. Augustino *lib. 10. de ciuitate*, *cap.* 1. & *lib* 5. *cap.* 15. & *lib. 6. cap.* 1. Ergo.

10 RESPONDENT Sancti Doctores, Latriam esse seruitutem merè voluntariam, qua homo se sponte Deo subiicit, quæ magis potius liberum facit à peccato, & in alio statu constituit; nam *seruire Deo, regnare est.* Et inde habes, quo pacto Religio, quæ cum timore Dei est coniuncta, sit libera.

OBIICIES secundò. Religio est cultus, Deo exhibitus, cultus autem non est habitus, sed est actus.

RESPONDET S. Doctor primò, habitus sæpè notificari per actus; & ideò, licet Latria, seu Religio definiatur per cultum, non sequitur quod sit actus.

11 RESPONDET secundò, Latriam aliquando sumi pro actu, aliquando pro habitu; sicut frequenter euenit in actibus animæ, qui vnum commune nomen habent. Vnde Aristoteles *primo*, & 2. *Poster.* & 3. *de anima*, & Auctores 3. *de anima*, *com.* 20. aliquando accipit nomen Intellectus pro actu; aliquando pro potentia; eodem modo loquitur D. Ansel. *lib. de Incarn. cap.* 10. de Voluntate. Similiter & D. Augustinus *lib.* 10. *de ciu. cap.* 1. & alij.

OBIICIES tertiò, Latria idem est, ac Pietas, vt ait D. Augustinus 10. *de ciuit. capite* 2. Dicitur enim Theosebia, Pietas respiciens cultum Dei: sed pietas non est virtus, sed donum: Ergo.

RESPONDET S. Doctor ex D. Augustino 10. 12
de ciuit. citata, Pietatem tripliciter accipi. Vno modo pro eodem, ac Theosebia; & sic est idem, ac cultus Dei. Secundò dicitur Pietas officium, parentibus debitum. Tertio modo pietas dicitur misericordia, quæ proximis in operibus exhibetur; est etiam Pietatis donum. Principaliter verò Pietas dicitur Virtus, quâ Deus colitur.

OBIICIES quartò. Revereri Deum est Timoris: Ergo superfluit Religio.

RESPONDET S. Doctor, reuerentiam reperiri 13
tam in timore, quàm in honore, quia in timore est resilitio in propriam vtilitatem; in honore verò est testificatio, vel exhibitio alicuius testificantis, & profitentis ipsius maiestatem. Reuerentia autem, quæ est latriæ, potius est honoris, quàm timoris; & magis habet rationem virtutis, cùm consistat in actione exhibendi Deo cultum, timor autem in passione; & hæc est vna differentia inter Virtutes, & dona.

QVÆSTIO III.

An LATRIA, *seu* RELIGIO *sit virtus specialis.*

S Bonauent. in 3. dist. 9. art. 2. quæst. 2.
D. Thom. in 3. dist. 9 quæst. 1. art. 1. quæst. 3. & 2. 2. quæst. 81. art. 4.

ASSERO, Religionem esse specialem Virtu- 14
tem.

PROBATVR primò à S. Doctore: Ille habitus, qui habet speciale obiectum, est specialis: Religio habet speciale obiectum, nempe cultum Dei, quod est speciale bonum: Ergo. Eodem argumento vtitur D. Thomas.

SECVNDO. Ille habitus, qui habet specialem in suo obiecto difficultatem, est specialis: Talis est Religio: Ergo.

TERTIO. Ille habitus, cui opponitur speciale vitium, est specialis: sed Religioni opponitur Idolatria: Ergo.

OBIICIES primò. Virtus, quà colitur Deus, est Fides, Spes, & Charitas, ex D. Augustino 19. *de ciuitate Dei*, *cap.* 6.

RESPONDETVR, ibi cultum Dei sumi gene- 15
raliter pro obsequio præstito Deo; non autem vt dicit specialem seruitutem, Deo debitam ex sua excellentia, quæ seruitus à nobis dicitur Religio, & Latria.

OBIICIES secundò à D. Augustino 10. *de ciuitate*, *cap.* 6. Verum sacrificium est omne opus, quod agitur, vt sancta Societate iungamur Deo; sed sacrificium pertinet ad Religionem, vt ibi S. Augustinus dicit: Ergo omne opus bonum ad Religionem spectat.

RESPONDET S. Doctor, quòd sicut cultus 16
Dei multipliciter dicitur; ità & Sacrificium: Est enim Sacrificium bonæ operationis, & Sacrificium deuotæ orationis, & Sacrificium immolationis. Primum est virtutum omnium. Secundum est virtutum Theologicarum. Tertium spectat ad Latriam, cuius est immolare Deo, cui soli debetur Sacrificium, sicut ait D. Augustinus *loco cit.* & hic est actus Latriæ elicitus,

elicitus, quæ tamen virtus imperat etiam alia suprà recitata sacrificia, vt aduertit etiam D. Thomas.

OBICIES tertiò. Omnis, qui obedit Deo, illi seruit; hæc autem seruitus est Latria, & virtus generalis, quæ omnibus Legibus Diuinis obtemperat.

17 RESPONDAT S. Doctor, Latriam non esse virtutem obedientiæ generalem, quæ continet etiam subiectionem hominibus, vices Dei agentibus, sed specialem obedientiam soli Deo præstitam ratione excellentiæ, & hæc est Religio.

OBICIES quartò. Omnia sua opera dirigens ad Dei gloriam, iuxta eius cultum agit; hoc autem comprehendit opera omnia; nam ait Apostolus prima Corinth. 10. *Omnia in gloriam Dei facite.*

18 RESPONDATVR, operari ex Religione, dicere modum singularem Dei gloriæ ob speciale motiuum, vt dixi; Religio autem imperat omnia bona opera, quæ ad Dei gloriam fiunt, vt ait etiam D. Thomas.

QVÆSTIO IV.

An RELGIO *sit Virtus Cardinalis.*

D. Bonauent. in 3. dist. 9. art. 2. quæst. 3.
D. Thom. ibi, quæst. 1. art. 2. & 2. 2. quæst. 81. art. 5.

19 NOTA primò ex D. Bonauent. *in corpore, & ad 6.* Rationem formalem Virtutis ab obiecto formali sumendam; obiectum autem formale Religionis non est Deus, sed cultus Deo exhibitus, ita, vt cultus is sit obiectum formale, *Quod*; & Deus sit obiectum, & finis, *Cui*; ex quo sequitur, Religionem non esse virtutem Theologicam: hæ enim respiciunt Deum immediatè, vt verum, & bonum, atque adeò respiciunt bonum, & verum increatum sub rationibus increatis, quæ sunt summa Veritas, & summa Bonitas Dei. Igitur Religio est cultus Deo debitus interior, qui postea multis modis exhibetur exterius Latriâ. Sumitur autem Latria pro cultu interiori, prout ad exteriorem Dei cultum ordinatur. Ideo dicit, exhibitionem cultus debiti ipsi Deo, atque adeò ad Iustitiam spectat, vt pars potentialis eius; non est autem subiectiua, quia neque redditur æquale debito, neque inueniuntur aliæ conditiones Iustitiæ propriæ, qua de re satis egi *p. p. Tract. 1. disp. 19. quæst. 1.*

20 OBSERVAT etiam S. Doctor doctrinam D. Augustini *lib. 10. de ciuit. cap. 1.* Cultum Deo debitum quatuor nominibus vocari; duobus apud Græcos; & geminis apud Latinos. Apud Græcos quidem dicitur Latria, & Theosebia, seu Eusebia. Apud Latinos duo nomina respondentia sunt, Pietas respondens Theosebiæ; & Religio Latriæ; tametsi Religio latius pateat, quàm Latria; & Pietas quàm Theosebia; nam hæc dicit cultum interiorem, qui respicit Deum directè per virtutes Theologicas; sed Latria seruitutem exteriorem, prout ab interiori speciali venit, respiciente cultum Deo debitum ob eius excellentiam, & hæc relatiua est, & spectans ad Iustitiam. Fatetur tamen S. Doctor, Latriam, etiam internum cultum Deo debitum significare sub ratione debiti ob Excellentiam Diuinam, vt respiciat cultum, vt *Quod*, & Deum *vt Cui.*

ASSERO igitur, Religionem esse virtutem, non Theologicam, sed Cardinalem.

21 PROBATVR primò à S. Doctore ex Tullio 3. *de inuentione*, vbi ait, Religionem esse speciem Iustitiæ.

RATIO verò Sanctorum DD. est suprà allata, quia Virtutes Theologicæ respiciunt Deum immediatè, vel vt verum, vel vt bonum, per Fidem, Spem, & Charitatem: At Religio non respicit immediatè Deum, sed cultum Deo debitum: Ergo.

OBICIES primò ex D. Augustino 10. *de ciuit. cap. 4.* vbi ait: *Sacrificamus Deo hostiam humilitatis, & laudis in ara cordis, igne feruida Charitatis. Hic est Dei cultus, hæc vera Religio:* Ergo Latria est virtus Theologica. 22

RESPONDET S. Doctor, Religionem esse Charitatem, quia scilicet cultus perfectus interior Dei, est per virtutes Theologicas; sed tamen Religio respicit Dei cultum, vt ad extra prodeat per adorationes, &c.

OBICIES secundò. D. Augustinus 14. de Trinitate, cap. 1. *Sapientia vera, & verus Dei cultus, qua* Theosebia *appellatur, quod nomen nostri Deitatem appellant*: At Sapientia se tenet ex parte virtutum Theologicarum: Ergo.

RESPONDET S. Doctor, eum loqui de cultu perfecto interiori, modo suprà dicto. 23

OBICIES tertiò: Latria est virtus, qua Deus colitur eo cultu, qui est adoratio: Sed virtus dictans nobis Deum adorandum, est fides, vel etiam Charitas: Ergo.

RESPONDET S. Doctor, adorationem, ex fide, & Charitate promanantem, esse eam, quæ interior est ex motiuo deitatis, veritatis, & bonitatis Dei; sed Religio est principium cultus Dei ex motiuo excellentiæ eius, sub ratione debiti: non nego tamen, posse hunc actum esse à Fide, vel Charitate imperatum.

OBICIES quartò. Impletio primi, secundi, & tertij præcepti Decalogi spectat ad virtutes Theologicas: sed in his continetur etiam cultus Dei: Ergo.

RESPONDET S. Doctor, impleri illa præcepta 24 primæ tabulæ, quò ad interiorem perfectionem, virtutibus Theologicis; sed cultum debitum modo dicto, vt ordinatum extra, per Religionem impleri.

OBICIES quintò. In hoc differunt virtutes Cardinales à Theologicis, quòd Cardinales consistunt in medio circa superfluum, & diminutum; in Theologicis autem non est reperire superfluum; sed circa Religionem non est inuenire superfluum: Ergo.

RESPONDETVR, circa actum interiorem, vt ad externum ordinatur, euenire superfluum, veluti si aliquis vellet decem missas vno die celebrare.

OBICIES sextò. Illa virtus, quæ habet 25 Deum pro obiecto, est Theologica: Talis est Religio: Ergo. Minor probatur; nam oratio est actus Religionis, & Deum ipsum postulat.

RESPONDETVR ex fundamento, Theologicam virtutem respicere Deum immediatè, vt obiectum *Quod*, sed Religio respicit immediatè, non Deum, sed cultum Deo debitum, & oratio petitionem, vt ait Suarez *capite 4.*

COLLIGO primò, hanc esse virtutem digniorem omnibus aliis moralibus, nam propinquiùs cæteris respicit Deum, qui est vltimus Finis, in quem omnia obiecta virtutum moralium tandem referuntur. Ideò præcepta Religionis in Decalogo præferuntur cæteris, vt obseruat S. Doctor *in 3. dist. 37. art. 2.* cum D. Thom. *quæst. 81. art 6.* sequitur Suarez *cap. 3.*

COLLIGO secundò, habere actus tum interio- 26 res; tum etiam exteriores, per quos interiores excitentur. Religio sanè magis interiorem actum respicit, quàm

quàm exteriorem. Ideò *Theosebia*, quæ cultum Dei significat, respicit actum interiorem; *Latria* verò, quæ subiectionem, & seruitutem significat, actum exteriorem, vt notat S. Bonauent. *in 3. loco cit.* Et quia considerat actum suum in comparatione ad alterum, & sub ratione debiti, ideò ad Iustitiam pertinet, vt ait S.Doctor *ibi* & D.Thomas *art. quinto.*

OPORTET autem adnotare, cultum, & honorem Religione exhibitum, non dicere aliquid datum Deo propter seipsum, quia est gloriæ infinitæ, sed propter nos; quia per hoc, quod Deum reueremur, & honoramus, mens nostra ei subiicitur, & in
27 hoc eius perfectio consistit. Quælibet enim res perficitur per hoc, quod subdatur suo superiori, sicuti corpus per hoc, quod viuificetur ab anima, & aër per hoc, quod illuminetur à sole, mens autem humana indiget ad hoc, quod Deo coniungatur sensibilium manuductione, quia *inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, conspiciuntur*, vt ait Apostolus *Rom.1.* & ideò in diuino cultu necesse est aliquibus corporalibus, vt eis, quasi signis quibusdam, mens humana excitetur ad spirituales actus, quibus Deo coniungitur; & ideò Religio habet quidem interiores actus, quasi principales, & per se ad Religionem pertinentes; exteriores verò actus, quasi secundarios, & ad interiores actus ordinatos, vt disserit S. Thom. *art.7.* & D. Bonauent. *locis adductis*, & *in lib. 2. de profectu Religiosi, cap.62. & seqq.*

28 OBSERVAT autem Valentia, duplicem honorem, seu duplex in honore Deo exhibito Religionis obiectum haberi: alterum materiale, & est aliquod officium proportionatum ad excitandam, & conciliandam Deo existimationem: alterum formale, & est ipsa existimatio propriè conueniens diuinæ maiestati, & excellentiæ, quod latè edisserit S. Doctor *illis capitibus.* Ità Deo honorem omnem vult; sic differt à virtute, quæ aliquem solum vult, vt Obedientia & similes. Vide Suarez *cap.5.*

29 ID autem ostendit applicando rationem communem honoris, & cultus ad specialem Dei honorem, & cultum. Honor enim, generatim loquendo, testimonium virtutis, & excellentiæ est, quod continetur verbis, vel factis, quæ de excellentia alicuius conuenientem illi opinionem gignant. Sic igitur & honor diuinus est quidquid verborum, aut officiorum omnino accommodatum est ad gignendam existimationem huiusmodi, quæ in diuinam maiestatem propriè conueniat.

30 HOC autem non solùm ex vera doctrina Philosophi 8. *Eth. cap.8.* cui omnes plaudunt, colligitur, sed etiam ex diuinis litteris *Tobiæ 12. Eccl.43. Isa.24. Ezech.39. Dan.3. Aggæi 1. Matth.9. Lucæ 2. & 23. Act.12. Rom. 15.* & apud Psalmistam passim, quibus locis ideò, glorificatio, & honoratio Dei cum eius laude coniungitur, quia omnis cultus, & honor Deo exhibitus, eò tendit; vt eius bonitas, maiestasque mortalibus innotescat, & supremo loco habeatur. Atque hæc est causa, cur Deus sacrificio laudis præcipuè se honorari significet *Psal. 26. & 49.* quia illud accommodatissimum est ad finem diuini honoris, nempe, vt diuitiæ bonitatis Dei hominibus notæ fiant, quod ipsum meta est, atque scopus omnium operum Dei *Rom.6. Ephes.3. Philip.1.* motiua plurima, ob quæ gloria Deo debeatur, recenset S.Doctor ad id Lucæ 2. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, &c.* nempe, quia glorificandus Deus in Incarnatione, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, vt ait Apostolus Galat.1. *Secundum voluntatem Dei, & Patris nostri, cui est gloria.* Propter sapientiam glorificandus, Rom.11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, &c.* *ipsi honor, & gloria in sæcula.* Ob potentiam, vnde dicitur Ephes. 3. *Ei autem, qui potens est omnia facere, ipsi gloria.* Pro Iustitia, Apoc. 5. *Sedenti in Throno, & Agno, ipsi gloria.*

GLORIAM autem damus Deo, quia ipse sibi eam reseruauit: *Soli Deo honor, & gloria*, ad Timot.1. & Isaiæ 42. *Ego Dominus: &c. gloriam meam alteri non dabo.* 31

OBSERVAT autem S. Doctor, Angelos præmittere gloriam in excelsis Deo, & postea pacem canere in terra hominibus, quia nequeunt habere pacem, qui gloriam, Deo debitam, sibi vsurpant, vt ait D.Bernardus *serm. 4. de Natiuitate.* Igitur danda in cœlis gloria Deo, qua concilietur ei hominum in terris existimatio.

HINC duplex honor exhibetur Deo, vel in signum venerationis, & obsequium reuerentiæ, vel in testimonium virtutis, & famulatum complacentiæ, quod adoratione exhibetur, vt docet D. Bonauent. *in 3. dist.9. quæst.4. in corpore.* 32

HINC S.Doctor ad ea verba Psal.118. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*, ait: *Maiestas requirit reuerentiam; potestas obedientiam.*

EXISTIMATIO autem vera de Dei Maiestate quidam quasi fœtus, & effectus honoris est; hinc est, vt hæc sæpe à causa sua nomen mutuans dicatur honor Dei, etsi gloria Dei magis dicenda; sic enim in Scripturis pro eodem sumitur glorificare Deum, & testificari eius bonitatem, vt Psal. 21. 85. *Tob.12. Ioan.9.* & obseruat S. Doctor ad illud Ioannis citatum.

Sed etiam ex ipsa ratione nominis apparet, nam vt S.Bonauent. *serm. de S. Andrea Apostolo*, notauit ex D.Augustino *tract. 100. in Ioan.* clarissimi linguæ Latinæ auctores definierunt gloriam, esse frequentem de aliquo famam cum laude. Ideò & Apostolus 2. *Corinth.6.* per antithesim apponit ignobilitatis gloriam, quod ignobilitas existimatio obscura de aliquo sit; gloria verò opinio clara. 33

HINC habemus obiectum Religionis formale, quod est cultus, honor, & gloria exhibita, & est obiectum *Quod*; exhibetur autem Deo, vt obiecto *Cui*: Ita aduertit Valentia *punct. 2.* & Caietanus *art.5.* post D.Bonauent. *in 3. dist.9. art.2. quæst.3.* 34

QVÆSTIO V.

Quam latè pateant actus Religionis.

ASSERO primò, omnes actus virtutum esse posse imperatos à Religione. 35

PROBATVR: Quia omnes ad Dei honorem, & cultum diriguntur, vt hortatur Apostol. *prima, Cor.10.* vt notat Suarez *cap.8.* cum D. Bonauent. 2. *dist.41. quæst.3. ad 1.*

ASSERO secundò, elici actus illos à Religione, per quos oritur aliqua existimatio maiestatis Dei, & consequenter cultus, & gloria. Probatur ex obiecto Religionis.

QVAM verò latè pateant huiusmodi actus; sic explicant Valentia *puncto 2.* & Suarez *cap. 8.* Cùm virtutis Religionis munus sit subiectionem erga Deum protestari, quatenus primum Principium est, & Dominus omnium, iuxta diuersitatem eorum, quæ per Religionem Deo subiiciuntur ab homine, diuersi sunt actus Religionis.

TRIPLEX autem est bonum, ad hominem pertinens, quod per Religionem subiicitur Deo. Primum 36

est

est bonum mentis spirituale, & hoc maximè subiicitur Deo per actum deuotionis, & orationis, qui propterea sunt potissimi; Atque etiam per actum vouendi, quatenus protestatur, se velle Deo firmiter seruire, tanquam seruum suo Domino. Itemque per actum iurandi, quatenus per Deum homo iurat, tanquam per maiorem sui, vt ait Apostolus *Heb. 6.* Item per vsum sacramentorum, quatenus protestamur Deum Authorem gratiæ, quâ mentes nostras afficit, vt eas sibi magis, magisque subiiciat.

ALTERVM est bonum externum corporis, quod Deo subiicimus per exteriorem adorationem, per genuflectiones, &c.

37 TERTIVM est bonum quoduis externum, ad hominis dominium pertinens, & hoc subiici potest tripliciter. Primò offerendo huiusmodi bona externa immediatè per sacrificia. Secundò mediate in ministris Dei per oblationes, &c. quæ sunt actus Religionis, quatenus reddimus Deo in eius ministris ea, quæ de manu Dei accepimus, parimus ei honorem, & gloriam. Tertiò adhuc magis mediatè per Decimas, non respiciendo immediatè Dei gloriam, sed & obligationem alendi ministros Dei, quod spectat ad virtutem Religionis elicitiuè, quatenus respicit Dei gloriam; sed quatenus debitum allegatum spectat ad Iustitiam Commutatiuam, & ad gratitudinem, imperatiuè verò peculiari modo ad Religionem, cuius est diuinum cultum procurare, atque adeò actus illos virtutum, quibus decens Deo cultus tribuatur. Hæc multi moderni eruere è D. Bonauent. 3. *part. Centil. sect.* 44.

QVÆSTIO VI.

An RELIGIO *sit necessaria.*

D. Bonauent. in 3. dist. 9. art. 2. quæst. 1.

38 E RELIGIONIS Ethymologiis *q.* 1. sufficienter elicitur, Religionis cultum necessarium esse.

AMPLIVS tamen argumentis firmatur. Primum est D.Bonauent. 3. *dist.* 9. *art.* 2. *quæst.* 1. Cum enim Deus hominem condiderit MICROCOSMON, in eo reponens mundi totius perfectiones, ac orbem peregrino donauerit, Paradisum parauerit; æquum omnino fuit, vt suum Deum agnoscens coleret, veneraretur, & omnia ei ferent accepta, tributum exolueret, & sane iustitia eum deuinciebat.

EST argumentum Tullij *de Inuentione*, Macrob. *lib.* 1. *in somn. scip. cap.* 8. qui ideo Religionem inter moralis iustitiæ partes collocarunt; sic & D. August. *lib. de vera Relig.* D. Thom. *quæst.* 81. a. 2. & alij Patres, ac Theologi, qui definiunt Religio-
39 nem: *Est virtus, Deo reddens cultum debitum, tanquam primo rerum principio, & vltimo fini.* Addit Bouerius *demonstr. primi Symb. art.* 1. ad hoc hominem conditum, vt seruitutis obsequia suo Domino præstaret, vt colligit D.August. *in Psalm.* 70. *conc.* 2. & *lib.* 8. *de Genesi ad litt. cap.* 6. E præcepto dato Adæ, & ostendit *p. p. tract.* 10. & ostendit S.Doctor *ad* 17. *Lucæ*, parabola serui, qui omnia cum adimpleuerit Domini iussa, eique obsequia cuncta præstauerit, non est gratiis actis recognitus.

40 SECVNDA ratio D.Bonauent. *loco citato*, est cùm enim in mundo fateri omnes teneantur esse Monarchiam, omnia regentem, atque dirigentem: quis tanto Domino obsequi non fateatur laudabile, atque præceptum? quis obsequia, adorationes et denegabit? aut non exorabit in necessitatibus? non deprecabitur propitium? &c.

TERTIA ratio D. Bonauent. *loco citato*, est. 41
Cùm enim homo ad beatam vitam sit conditus, vt omnes Philosophi, & Theologi confitentur vnanimes; ea autem sit meritis acquirenda virtutum, quod etiam Pagani sensere, gratiam apud Deum initam ad finem seruando, obsequia beatitatis fonti, & Domino exhibendo; quis actus Religiosi obsequij non videt assumendos? Sic arguit Asclepius *cap. vltim.* Plato *in Epinomede*, *Aristoteles*, *lib. de Republic.* Alexander Aphrodisens *de prouidentia*, Hierocles *contra Atheistas*, *cap.* 1. Iamblicus *de Mysteriis Ægyp. cap.* 45. Tullius *primo*, *de leg.* Quid recenseo alienos? Hoc est, quod Christiana Religio profitetur, quod sacrarum oracula litterarum decernunt, quod Euangelica vbiquè prædicatio dissеminat, in vero Dei cultu salutem esse constitutam. Hæc vrget etiam Bouerius *loco cit.*

QVÆSTIO VII.

An vera RELIGIO *esse debeat vna.*

SECTARII libertatis insanæ amore adeo de- 42
periere, vt omnes sectas auiditate canina amplexentur. Sic Tigurina Ministrorum Confessio, cusa anno 1565. omnes hæreticorum greges in vnum porcile adunat. Sic & Calendarium Geneuæ.

AD omnes verò sectas exterorum, Mahumeti, & Iudæorum, Religionis vnitatem extendit Franciscus Pucius Filidinus *lib. de Christi Saluatoris efficacia*: En via lata ad Atheismum.

RECLAMAT Ecclesia à Lupis istis laniata, vnitatem conclamans Religionis.

PROBATVR à D.Bonauent. primò *in* 4. *dist.* 5. 43
part. 1. *art.* 1. *quæst.* 2. & *in* 3. *dist.* 23. *art.* 1. *quæst.* 3. & illo Eph. 4. *Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptisma.* Hinc etiam ratio eruitur, quæ est etiam SS. Patrum. Ex eo enim quod vnus est Deus, & Dominus simplicissimus, Veritas indiuisibilis, vnam Fidem vnum Baptisma vnamque legem edidit; vndè & diuini cultus vnitatem colligimus, vnamque Religionem ita nominatam, eò quòd vinculo arcto omnes in Dei honore coniungat, vt notat D. Bonau. *lib.* 4. *Pharetr. cap.* 19. è D. August. *lib. de quantit. animæ, cap.* 36. Ideo præfato loco præmisit Apostolus: *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis*; vt indicat S.Doctor *in Appendice Diæta*, *Dominica* 16. *post Pentec.* Sic & Orosius *lib.* 7. *cap.* 33. apud D. Bonau. *serm.* 16. *Hexaëmer.*

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *serm.* 9. 44
Hexaëmer. ex Isaiæ 28. *Ecce Ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, &c.* Exponitur sanè de Christo, qui velut angulus coniunxit Iudæos, & Gentes in vnam Fidem, & vnam Ecclesiam, vt notat S.Doctor *ad* 20. *Lucæ*, vbi id Christus de se exponit, quem imitantur Paulus *Eph.* 2. Petrus *prima* 2. attamen & vnitatem in Religione intelligit, dicens: *In quo & ipsi superædificamini domus spiritualis*, vt vidit S. Bonauent. *loco citato*; *Hexaëmer.* vbi hinc Religionis firmitatem ex vnitate collegit.

Idem prætendit Paulus, dum sæpè Ecclesiam vnum 45
corpus in vno capite describit 1. *Cor.* 12. *&c.* quod obseruat D.Bonauent. passim cum D. Cypriano *ep.* 6. Optat *cont. Donat. lib.* 2. Hier. *lib.* 1. *in Iouin. cap.* 14. & alij.

PORRO vnam Ecclesiam definiunt Concilia, Constantinop. Later. sub Innoc. III. 1215. Patrum Senonense *decreto primo*, & omnes SS. Patres conclamant.


EX vnitate Sacrificij id colligit S. Ignatius *epist. ad Ephesios*.

EX vnitate doctrinæ dogmatum Fidei id valide argumentantur Tertull. *lib. 1. de præscript.* Epiphan. *lib. 1. cont. hæreses, hæresi 31.* D. Bonauent. *serm. 9. Hexaemer.* quæ sane ratio grauissima est, vt ait Bouer. *demonstrat. 1. Symbol. art. 8.* Eam verò prosequitur D. Hieronym. *epist. ad Euandrum*, alia suprà allata cotgens.

46 EX ipsa ratione Ecclesiæ sponsæ ipsi Christo, id colligit Paulus *Ephes. 5.* Cum eo Cyprianus *loco citato*, Origenes *homil. 2. in Cant.* D. Bonauent. *ad 19. Ioannis*, & sæpe in Hexaëm. cum Theodoret. *in Psalm. 47.*

OBSERVAT etiam S. Doctor *ad 19. Ioan.* tunicam inconsutilem seruatam esse integram à militibus, quippe vestem Christi sponsalem signabat, & Religionis vnitatem, vt notant SS. Basilius *in mammante*, August. *tract. 118. in Ioan.* Gregor. 31. *moral. cap. 7.*

47 IN fractione panis, quæ vnum Sacramentum dicit, vnitatem Ecclesiæ considerat S. Doctor *ad 24. Lucæ* cum Beda *lib 6. cap. 92.* & cum Apostolo dicente: *Vnus panis, vnum corpus multi sumus.* Sic & Clemens Alexand. *lib. 7. Strom.* De hoc egi *p. p. tract. 1. disput. 5.*



DISPVTATIO II.

DE DEVOTIONE.



PRIMVS Religionis actus est Deuotio, quâ voluntas se promptam Diuinis obsequiis deuouet; vnde etiam nomen desumit; sumitur tamen non rarò pro eo gustu, qui ex attentione inter meditandum, seu orandum resultat; cùm tamen propriè promptitudo sit, & voluntas vniuersalis ad omne Deo placitum exequendum; vnde constat, ipsam ad Intellectum non spectare, licèt eius actum præsupponat, vt infrà indicabo; aliquando tamen ante omnem mentis considerationem voluntas suaui, & sapido quodam affectu præuenitur, quo ad mentales Orationes placidè excitatur; & hic quidem affectus, à Spiritu sancto immissus, Deuotionis gratia, seu virtutis seminarium, meritò potest nuncupari: In hac materia difficultas ferè nulla sillogistica occurrit; cum Deuotione enim rara est sillogismorum, seu argumentorum concordia; quare totum quicquid hic dicendum est, vnicâ quæstione absoluam.

QVÆSTIO I.

Quid sit DEVOTIO, *& quotuplex.*

D. Bonauent. in Collat. collat. 6.
D. Thom. quæst. 81.

DEVOTIO est actus Voluntatis, quo quis promptè vult exequi omnia, quæ pertinent ad Dei seruitium, atque sic totum se tradit cultui diuino. Igitur deuotio respicit media, ad finem vltimum consequendum idonea. a

HVIVS naturam suauem explicat S. Doctor *in octo Collationibus, Coll. 6.* Vt retrahat consolari, & delectari in alienis; Vt in Dei amore delectetur, vt ait D. Bernardus *sermone 4.* super *Qui habitat.* Recedat ab affectu omnium delectabilium. Sola sit anima, sola ea quærens, quæ ad Deum ducunt, vt discurrit S. Bernardus *serm. 40. in Cant.* vbi ait: *Sola anima esto, vt soli illi serues te ipsam, quem ex omnibus elegisti tibi. Fuge publicum, Fuge domesticos, secede ab amicis, & intimis. Ipsum obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum. Secede ergo, sed mente, non corpore, sed intentione, sed Deuotione, sed Spiritu.*

TANDEM cum eo *serm. 3. de Annunc. Domini,* concludit D. Bonauentura: *Cibus animæ gratia Dei, dulcissimus sanè, & omnem habens suauitatem, & delectamentum saporis, non modò delectat, sed reficit, & medetur. Quatuor sunt signa, quæ ostendunt præsentiam gratiæ Dei. In primis, si cor in se est pacatum, & quietum, quia in nulla re requiescit, seu impletur cor, nisi in solo Deo. Secundum, quando mens, & animus ad deuotionem inclinari se sentit. Tertium, in præsentia gratiæ, tunc plus solito facies hominis hilarescit, & benignam se ostendit. Quartum cum in motibus exterioribus plus homo est compositus, atque ordinatus.* a

ITAQVE concludit, deuotum eum esse, qui seipsum totum Deo deuouet, seu donat; sic enim deuoti antiquitus dicebantur, qui se Idolis ad mortem deuouebant, sicuti de duobus Deciis refert Plinius *lib. 20. Decad. 1.* 3

TRIPLICEM verò deuotionem distinguit S. Doctor *opusc. de sex alis Seraphim, cap. 8.* Prima est communis, seu in operibus communibus diuini seruitij, vt in diuinis officiis. Secunda est specialis in orationibus. Tertia est in operibus quibuscumque sanctis promptitudo.

CIRCA officia diuina communia triplex conditio ad deuotionem requiritur: Prima, vt omnia fiant ordinatè sine errore, vt quisque munere suo perfungatur, vt dicitur prima Cor. 4. *Omnia honestè, & secundùm ordinem fiant in vobis.* Sic Rex Dauid, primo Paral. 25. *Segregauit in ministerium Domini, qui prophetauerunt in citharis, psalteriis, & cymbalis, secundùm numerum suum, dedicato sibi officio feruientes.* Secunda, vt strenuè, & non pigrè, seu desidiosè opus Domini, scilicet diuini cultus officium peragatur: Quia ait Hierem. 48. *Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter.* LXX. legunt, *negligenter.* Tertia, vt reuerenter absque dissolutione, & strepitu, distinctè, & attentè diuina officia persoluantur, sicuti aiebat Psaltes: *In conspectu Angelorum.* Hebræus. *Neghed è regione Coeli*, & Ecclesi. 39. *In omni corde, & ore collaudate, & benedicite nomen Domini.* 4

OFFICIVM enim Diuinum quinque de causis Spiritus Sanctus instituit.

PRIMA,

5 PRIMA, vt Ecclesia militans sorori triumphanti similis in hymnodia esset:

Illi canentes iungimur,
Alma Sionis æmuli.

Ita Ioannes Vidit ciuitatem illam descendentem.

SECVNDA, vt beneficiorum Dei memores, gratias Deo ageremus singulis horis, maximè recensendo passiones Saluatoris; media nocte Incarnationem, & Natiuitatem: Mane tractionem ad Iudices: Hora prima flagellatum: Tertia spinis transfixum: Sexta Crucifixum: Nona defunctum: Vespera depositum; in sero sepultum, recordemur. Vnde Isaias 63. *Miserationum Domini recordabor.*

6 TERTIA, vt nosmetipsos ad deuotionem excitemus: Ignem enim perpetuum in altari præcepit, Leuit. 6. *Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet, in Altari.*

QVARTA, vt statis horis populus ad Ecclesiam confluat, temporibus officiorum ad Dei gloriam; sic enim Ioannes, & Petrus ad horam orationis nonam cum populo ascendêre, & Lucæ primo, *Omnis multitudo populi erat foris horâ incensi.*

QVINTA ad decorem, & Maiestatem Religionis Christianæ, si enim Pagani, Mahumetij, & alij, ad superstitiosos ritus inundant, multò magis in Dei veri cultum debent Christiani pios ritus celebrare; sic Ecclesiastici 47. *Dedit in celebrationibus decus, & ornauit tempora.*

7 QVOAD specialem Deuotionem in priuatis orationibus, necessaria est deuotio pellens tedium, alacres reddens, & vigilantes, ne orationem discipulorum in horto, vel militum ad sepulchrum dormitantium imitemur, Psalmo enim 76. *Meditatus sum nocte cum corde meo.* Deuotione enim cor accenditur in Dei seruitium: Ipse enim Spiritus amoris postulare nos facit gemitibus inenarrabilibus, *Rom.* 8.

HANC Deuotionem Prælatis necessariam ait, eamque aliquando præcipuam statuit illis, quâ rectè Angelicum munus exerceant. Sic enim & Moyses non rarò in tabernaculum secedebat, & Dominus nocte in montem recedebat, *Lucæ 6.* Debent enim, sicuti Angeli, semper Deum, vt præsentem, meditari exemplo Eliæ, & Elisæi, qui dicebant: *Viuit Dominus, in cuius conspectu ego sto.*

8 TERTIA verò, quæ verè est deuotio generalis, est continuum studium Deo placendi, vt dicebat Apostolus 2. Corinth. 5. *Contendimus, siue præsentes, siue absentes, placêre illi.* Monet autem, vt propterea oratione opera omnia nostra præueniamus. Ideò dicitur 2. Paral. 20. *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt ad te oculos nostros dirigamus,* & Psalm. 121. *Sicuti oculi seruorum in manibus dominorum, &c.*

9 GRAVSTAR autem edisserit mirabiles deuotionis effectus *illo capite.* Ipsum vide; non enim huc cuncta transcribo, vt ad Seraphicum fontem auidè compellam; vbi mira habentur.

IN opusculo etiam de profectu Religiosi *lib. 2. cap.* 73. septem deuotionum velut modos distribuit, iuxta motiua diuersa, è quibus consurgit promptitudo, & alacritas ad ea, quæ pertinent ad Dei cultum.

PRIMO enim oritur ex timore, quo infixo, & incusso, ad Diuina fertur, Psalm. 50. *Ne proiicias me à facie tua,* Psalm. 37. *Ne derelinquas me Domine Deus, &c.*

10 SECVNDO ex dolore, & pœnitentia præteritarum offensarum, Psalm. 50. *Auerte faciem tuam à peccatis meis.*

TERTIO ex desiderio gloriæ: *Domine ante te omne desiderium meum,* Psalm. 37. & Isa 26. *Nomen tuum, & desiderium animæ meæ. Anima mea desiderauit te in nocte.*

QVARTO ex imitatione Christi, & compassione illius passionibus exhibenda, dum gladio illo transfigitur *Lucæ* 2.

QVINTO ex amore, quo inflammatur ex memoria diuinæ bonitatis. Per hanc dilectionem, *Spiritus sanctus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.* Rom. 8.

SEXTO, ex gaudio, qui excitat in Domini cultum ex spe prædestinationis ad gloriam, Psalm. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.*

SEPTIMO ex contemplatione, & admiratione diuinæ maiestatis, cui seruitur, Iob. 37. *Magnus fortitudine, & iustitia Deus: ideò timebunt eum.*

ORITVR etiam ex mixtis omnibus affectioni- 11
bus, quibus, veluti aromatibus tritis conflatur thimiama, euaporans ad cælum, vel ex multis oleis vnum conficitur balsamum.

PORRO cum deuotio sit piæ affectionis pinguedo, & magis se habeat ad affectum, quàm ad intellectum, sicuti videri potest in simplicibus deuotis, & nonnullis litteratis indeuotis; perfecta tamen non est deuotio sine lumine intellectus: sed aliter se habet intelligentia simplicium deuotorum; & aliter litteratorum. Litterati enim sciunt subtiliter loqui de quacumque materia spirituali, ac verbis propriis exprimere, quæ volunt, pulchrè diuidere, & distinguere causas, & rationes congruas assignare, & sermone composito persuasibiliter, & ordinatè componere, & ex paruis prolixos tractatus contexere, eaque, quæ plana sunt, & nota, verbis artificiosis contexere, vt rudibus de intimis Philosophiæ medullis extracta videantur.

DEVOTI autem simplices præclarius vident ve- 12
ritatem in se, & profundius sciunt de ea cogitare, & pondus eius pensare, & saporis intimi venas per gustum affectus scrutari, & per puræ intelligentiæ radium quæcumque lucidius discernere; vt, licèt nesciant verbis expressis propriè distinguere tam ex saporis gustu naturales veritatis differentias cognoscere magis valent, quàm per argumentorum coniecturas. Exemplum sit de quolibet artifice in arte perito, & de subtili Philosopho, quorum alter scit pulchrè de arte disserere; & alter propriè operari. Hæc Seraphicus Doctor.

ADMONET verò *cap.* 70. quibusdam agitari de- 13
uotionem tentationibus. Primò hæsitatione, dum in ancipiti versatur: an ea, quæ operatur, sint Deo grata, & an sit prædestinatus, &c. & hoc sanè est graue hilari animæ impedimentum, quo sæpè sancti etiam homines inculti alas demisêre. Secunda tentatio est elationis, quâ videntur cœlum digitis confricare: Sed ab hac etiam sollicitè caueant. Vide S. Doctorem, & D. Thomam *art. 3. ad 3.*

EX dictis habes, deuotionem esse actum præci- 14
puum, & donum Dei; nam eâ deuouemur alacriter ad Dei cultum, vt suprà explicuit S. Doctor. Hoc autem donum aliquando Deus aufert, veluti lima abradens ab anima rubiginem alicuius elationis, vel præsumptionis, vt sic mœrore oppressus clamet ad Dominum, & ab eo agnoscat promptitudinem illam, quam sibi adscripserat. Vide D. Bonauenturam.

HABES etiam, deuotionem esse actum Religionis; nam ad eandem virtutem pertinet facere ali-

quid, & promptam voluntatem habere ad illud faciendum, quia vtriusque actus est idem obiectum. Hinc ait Aristoteles 5. Eth. cap.1. *Iustitia est, qua volunt homines operari, & qua operantur iusta.*

15 HABES tertiò cum D. Bonauent. *locis adductis*, & D.Thom. *art.* 3. contemplationem esse deuotionis causam. Ratio vtriusque Sancti Doctoris est, quia Deuotio est quidam voluntatis actus ad hoc, vt se promptè tradat diuino obsequio. Omnis autem actus voluntatis ex aliqua consideratione oritur. Ideò ait D. Augustinus *lib.*14. *de Trinit. cap.*8. Voluntas oritur ex intelligentia. Ideò necesse est, vt meditatio sit deuotionis causa, quatenus concipit motiua, quibus se tradit diuino obsequio, ad quod inducitur considerationibus bonitatis Dei, beneficiorum, &c. & ex altera parte ex propriæ vilitatis, & indignitatis consideratione; ex qua colligit, se Diuino egere auxilio, Psalm.120. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Beneficia Dei egregiè prosequitur D. Bonauent. & Caietanus *art.*3.

16 COLLIGE tandem cum S.Bonauent. *locis adductis*, & D.Thom. *art.*4. Lætitiam esse deuotionis effectum; ex consideratione enim bonitatis Diuinæ, & beneficiorum, gratiarumque, oritur alacritas in Dei famulatum, vnde exultat Psalm. 76. *Memor fui Dei, & delectatus sum.* Per accidens verò etiam tristitiam generat, vt dicitur Psalm. 41. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: fuerunt mihi lachrymæ mea, &c.* Dum enim proprios videt defectus, miserias palpat, calamitates contrectat, mœrore deprimitur, & obscuratur. Dum autem diuinam pietatem considerat, erigitur, confortatur, & ad Dei famulatum exilit, sicuti claudus illi à Petro sanatus ad portam templi exultabat.

17. MIRABILES deuotionis effectus recenset D. Bonauent. *opusc.de sex alis Seraphim, cap.*8. Hanc ait esse Spiritus Sancti vnctionem, quæ docet omnia 1. *Ioan.*2. Vnde Eccles. 24 *Qui edunt me, adhuc esurient.* Robotat in Dei seruitio: *Deus enim* per eam *operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Facit horrere peccata, dicente Psalm. 118. *Iniquitatem odio habui*, & Apoc. 10. Liber gustui dulcis, amarescat ventrem. Ordinat actiones, Cant.2. *Ordinauit in me Charitatem*: Ebrietatem sanè in cella vinaria diuinis considerationibus suscitat, mores, & vitam componit; etiam exterius, vt dicebat Tob. 3. *Nunquam cum ludentibus miscui me.* Vide S.Doctorem.

18 CONCLVDO, deuotionem esse veluti stimulum acutum Religionis, quo accelerat ad Dei seruitium, & omnes virtutum actus imperat, etiam Theologicos. Et hoc voluit, & supposuit Paulus, dum omnia in Dei gloriam facere præcipit. Vnde S.Thomas *quæst.* 81. *art.* 8. simpliciter dicit sanctitatem,

19 quæ est Religio, omnibus virtutibus imperare. Neque verò necesse est, vt virtus, imperans actus alterius, sit eâ superior; sed sufficit, vt habeant motiua, quibus benè affectus vni virtuti, afficiatur ad aliarum actus virtutum ex ipsarum connexione, vt ait Valentia *disput.* 6. *quæstione* 1. *puncto* 2.



DISPVTATIO III.

De Oratione.



RATIO aliud significat iuxta sensum Ecclesiæ; aliud iuxta vsum forensem; Ecclesia enim semper per Orationem intelligit actum illum, quo à Deo aliquid imploramus, vel impetramus: Rethores autem per eam omne genus sermonis indicant, vt notat D.Hieronymus *epist.*139.ad Cyprianum, apud Suarez *tom.*2.*lib.*1.*de oratione cap.*1.vbi etiam citat D. Bonauenturam *in* 4. *dist.* 15. *art.* 1. *quæst.*4. iuxta cuius mentem diuidit ita Orationem, vt alia sumatur communissimè, alia communiter, alia denique propriè; primam acceptionem explodit, nè hæreticis consentiamus, diuidentibus Orationem in Mentalem, Vocalem, & Vitalem, apud Vvaldens. *tom.*3.*cap.*1. *&* 2. per vitalem autem orationem idem Intelligunt sectarij cum Glossa Ordin. in illud 1. ad Thessal.5. *sine intermissione orate*, semper scilicet iustè viuite; nam iustus nunquam definit orare, nisi definat iustus esse. Verùm licèt possit esse idem vtriusque consensus in eo sensu, quod per *orate* ibi intelligatur semper benè operari; plenè tamen, & planè ab Hæreticis dissentitur, qui Duce Vvicleph, omnem aliam Orationem ita temnunt, vt in solis operibus tantùm fidant: & cum rectè ille actus dicatur oratio, per quam aliquid à Deo impetratur, non video cur saltim in sensu illo communissimo benè operando non dicatur orare. alias Orationis diuisiones ex Seraphico deprompts, infra indicabo, sed priùs variæ eius definitiones sunt assignandæ.



QVÆSTIO I.

Quid sit Oratio.

D Bonauent. passim vt infrà.
D.Thom. quæst. 83.

1 NE quis miretur tantam varietatem descriptionum Orationis; cùm enim hæc sit actus insignis, optimè ex integra causarum plorium concurrentia completur; plurimas ex his conditionibus descriptiones composuere Doctores.

MVLTAS Orationis descriptiones affert S.Doctor 3. *part.centil. sect.*46. Prima ex D.Augustino lib. de spiritu, & anima, cap.50. *Oratio est pius mentis affectus*

affectus in Deum directus. Oratio enim ex affectu debet procedere pio, vt sit ex origine valida. Ideò & idem S. Augustinus, serm.130. de tempore: *Quid est oratio, nisi ascensio animæ de terrestribus ad cælestia, inquisitio supernorum, inuisibilium desiderium.*

2 D. DAMASCENVS lib.3. de fide cap.24. *Oratio est ascensus mentis in Deum.* Necesse est enim, vt orantis anima è terrenis euolet in Deum.

ALIAM descriptionem è Damasceno, *loco cit.* affert S. Doctor: *Oratio est expressio desiderij directi in Deum propter bonum adipiscendum, vel malum remouendum, formata per verbum interius, & exterius,* seu est, *petitio decentium à Deo.*

3 MAGISTRALITER autem sic definiri posse ait: *Oratio est ostensio voluntatis nostræ ei, à quo impetrare speramus id, quod desideramus.* Quæ alludit definitioni D.Basilij homil. 5. de variis: *Oratio est boni cuiuspiam petitio, quæ ad Deum à piis effunditur.*

HANC definitionem simul cum allata ex Damasceno optimam ait Valentia *disput.6. quæst.2. puncto 3.* Aliam apponit S.Doctor ex D.Gregorio *lib.33. moral. cap. 21.* quæ potius perfectionem quandam descripsit orationis: *Veraciter orare est, in compunctione amoris gemitus, & non composita verba resonare.*

4 IN explicatione *terminorum Theologiæ*, addit S. Doctor illam communem descriptionem orationis: *Est ascensus mentis in Deum,* (explicans) seu *est expressio desiderij directi in Deum, ad bonum adipiscendum, vel malum remouendum, formata per verbum interius, & exterius.*

IN *Dieta salutis, tit.2. cap.5.* affert illam definitionem Orationis ex Damasceno 3. *de fide, cap.24.* quam optimam ait Valentia: *Oratio est petitio decentium,* & aliam suprà allatam addit.

EXPLICAT tamen ad ea verba Lucæ 6. *Exiit in montem orare: Et erat pernoctans in Oratione Dei,* cur describatur oratio: *Ascensus mentis in Deum,* ex Damasceno, *loco citato*, nempe, quia debet orans esse à terra separatus, & à strepitu. Ideò sancti solitudines, & montes quærunt. Sic Christus: *Exiit in montem.* Ideò *Moyses, Aaron, & Hur ascenderunt in verticem collis,* Exodi 17. & Christus Matth.14. *Dimissa turba, ascendit in montem solus orare,* & Abraham Genes.22. *dixit pueris: expectate hic cum asino* (scilicet in Valle:) *Ego autem, & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Sic & Iudith, cap. 12. *Exibat in noctibus in vallem Bethulia, & baptizabat se in fonte aquæ, & vt ascendebat, orabat ad Dominum Deum Israel.*

5 ADNOTAT autem S. Doctor *ad cap. 18. sap.* ad ea verba: *Properans enim deprecari pro populis,* alludi ad Num.16. vbi Aaron accurrens ad multitudinem, quam videbat à Deo necari, deprecatus est. Deprecari igitur propriè ait esse pro malis amouendis; orare verò de bonis obtinendis, sed vnum sæpè cum alio ait confundi.

6 EXPLICAT etiam *in 3. dist.17. art.2. quæst.1. ad 3.* quo pacto intelligatur Oratio, esse ascensus in Deum, quia scilicet Deum obsecramus, qui est supra nos, postulando misericordiam, quæ supra nos, vel reuelando miseriam, quæ est infra nos, vt ab hac nos liberet, & ad illam nos subleuet. Aliam etiam eleuationem explicat, quæ orationi non est intrinseca, qua scilicet ex vna consideratione in aliam scandimus, seu ascendimus ad considerationem Dei, & à consideratione creaturæ ad considerationem Creatoris.

7 EX definitione Orationis collige primò, Orationem esse actum intellectus practici, vt sæpè indicat S.Doctor, dum eam definit eleuationem intellectus, vt dicitur postulatio, seu petitio, quæ est expressio intellectus practici; sic enim describitur à D. Augustino *lib. de verbis Domini, serm. 5.* Ideò epist. 121. ait: *Absit ab Oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio. Nam multum loqui in orando, est rem necessariam superfluis agere verbis. Multum autem precari, est ad Deum, quem precamur, diuturna, & pia cordis excitatione pulsare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus, quam sermonibus agitur: plus fletu, quàm affatu,* eum refert D. Bonauent. *lib.2. Pharetræ, cap.45.*

HINC etiam affectum concurrere ad Orationem reddendam efficacem, ait. Id indicat S. Augustinus *serm.216. de tempore*, apud D. Bonauent. *loco citato*, dum ait: *Quid est oratio, nisi ascensio animæ de terrestribus ad cælestia, inquisitio supernorum, inuisibilium desiderium?* 8

ATTAMEN ex ore pronunciante, vel corde procedit, vt ait Chrysost. *in opere imperfecto super Matth. homil.13.* & oratio ex corde melius exprimitur, quàm ex ore, vt ait D. Isidorus *lib. 3. cap.7. sent.4.* & cap.8. sent.2. *Cùm oramus nos, cum Deo loquimur; cùm legimus, Deus nobiscum loquitur. Locutio sanè est intellectus.* Hinc ab eo oratio dicitur etiam oris ratio, *in Psalmum 38.*

VTRVMQVE in Oratione concludit D. Bernardus, epist. de vita solitaria: *Oratio est hominis, Deo adhærentis, affectio, & familiaris quædam, & pia allocutio, & statio illuminatæ mentis ad fruendum Deo quandiu licet.* Hæc & alia refert S. Doctor *in Pharetra, loco citato.*

HINC vide, quæstionem esse de nomine, dum contenditur: An ratio sit actus intellectus, vt docent SS. DD. Caietanus *ad art.1. D.Thomæ*, Valentia *puncto 1.* & alij; non autem magis voluntatis, vt putant Nominales aliqui, & Medina *quæst. 1. de Oratione.* 9

EX eadem definitione colligit secundò S. Doctor *in 3. loco cit. ad 2. & 4.* Orationem esse inferioris ad superiorem, quo fit, vt Christus, quatenus Deus non orauerit; sed quatenus Pontifex postulauit secundùm naturam humanam; & quatenus Reus, Deus exaudiit: Contra nonnullos hæreticos quos *p. p.* confutaui *Tract.2. disp.1. quæst.7.* 10

COLLIGE tertiò, Orationem esse actum Religionis; quia dum oramus, protestamur, nos Deo maximè indigere, vt principio, & auctore nostro, in quo maximè exhibemus ei cultum, & honorem, quod est munus virtutis Religionis, vt docet S. Bonauent. *in locis allegandis in p. p. Breuil. cap. vlt.* 11

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit ORATIO.

{ D.Bonauent. variis in locis infrà indicand.

SVBIECTVM hoc est proprius Seraphici partus, vbique enim orationem intermiscet, vbique aliquid de ea dicit, aut indicat. 12

DIVIDIT orationem, *in opusculo de sex alis Seraphim*, ex parte orantium, in orationem publicam, & in priuatam. Publica est, quæ fit ab Ecclesia in Choris, quæ in Ecclesia etiam antiqua fuit vsitata,

vt constat *primo Paral.* 25. vt Ecclesiam imitemur triumphantem, vt diai *disp.* 2.

13 ORATIO priuata est, quæ prioatim fit familiaribus recitationibus Psalmorum, Coronæ, Litraniarum; hanc singulos docuit, Matth 6. *Cum oratis, dicite: Pater noster.* Itidem in solitariis meditationibus, & soliloquiis exercetur, Psalm. 76. *Meditatus sum nocte cum corde meo.*

D a priuata oratione multa habent SS. PP. recitati à D. Bonauent. *lib.* 2. *Pharet. cap.* 45. & 46.

De publica *ibidem* differit D. Bernardus *epist.* 78.

14 DIVIDIT secundò S. Doctor orationem ex parte actus in Vocalem, & Mentalem; hæc est, quæ solo mentis affectu completur, sic Psalm. 26. *Tibi dixit cor meum, &c.* Vocalis est, quæ voce etiam exprimitur, de qua Psalm. 141. *Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus sum,* quæ verba canendo postremo functus est dic Seraphicus Patriarcha Franciscus, vt refert D. Bonauent. in eius Legenda.

15 HVIVS duplicis orationis institutionem Deo adscribit S. Doctor 5. *parte Breuil. cap.* 10. Quia enim primum principium est non minos bonum, quàm verum; hine est, vt libentissimè sua dona communicet. Quia verò cum hoe simul iustum, ideò non dar dona, nisi volenti, & desideranti; non dat gratiam, nisi tegratianti; non impendit misericordiam, nisi misetiam agnoscenti, vt salua sit libertas arbitrij, & non vilescat nobilitas doni, & integer perseueret cultus honoris diuini. Hine est, vt Deus orari velit, vt munera largiatur. Rursus quia ad hoc, vt desiderium sursum tendat, necesse est, quod affectio nostra sit feruida, & cogitatio in vnum collecta, & expectatio nostra sit certa, & qoia eot nostrum frequenter est tepidum, frequenter dispersum, frequenter pauidum, hinc est, vt Deus voluerit nos non tantùm orare mentaliter, sed etiam vocaliter ad nostri affectus excitationem per verba, & ad recollectionem cogitationum per sensum verborum. Voluit etiam, nos orare per sanctos; & sanctos pro nobis ad dandam fiduciam pauidis, vt qood non audent, vel non possunt impetrare per se; per idoneas impetrationes obtineant, & per hæc in orantibus humilitas conseruetur; in sanctis intercedentibus dignitas declaretur; in omnibus etiam Christi membris Charitas, & vnitas ostendatur.

16 TERTIO diuidit orationem *lib.* 2. *de profectu religiosi, cap.* 60. in vocales orationes, Psalmos *v. g.* per verba composita; In soliloquia per verba ex affectu, & necessitate erumpentia, & *cap.* 62. addit gratiarum actionem, & vocem laudis. Explicat autem *cap.* 63. beneficia, quibus ad gratiarum actionem moueamur.

QVARTO diuiditur à D. Bonauent. *loco suprà relato, & ex Breuiloquio*, in obsecrationem, orationem, postulationem, deprecationem, & gratiarum actionem, iuxta id prima Timot. 2. *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* De his latius *opusc. de profectu Relig. lib.* 2. *cap.* 60.

17 OBSECRATIO, vt explicat D. Thom. *art.* 17. est oratio, qua petitur aliquid, proposita ratione aliqua, ducta ea sacra re quapiam, ob quam sit impetrandum, quod petitur, vt ea diuina bonitate, vel passione; Per crucem, &c. Ità etiam D. Bonauent. *ad Psalm.* 141.

CONGRVIT cum hac S Thomæ interpretatione explicatio, quam adhibuit D. Bonauent. *in expositione missæ*, ad ea verba Canonis: *Da propitius pacem*, ex D. Augustino *epist.* 49. *ad Paulinum, quæst.* 5. Apostolum sub nomine obsecrationis commendasse orationis eas, quas in celebratione sacrificij Missæ, & aliorum Sacramentorum solet Ecclesia adhibere.

ALITER etiam explicat S. Doctor suprà, deprecationem, esse interpellationem pro peccatis; orationem verò postulationem pro gratiis, & aliis bonis. Non longè abit Cassianus *collat.* 9. *cap.* 11. *& sequenti.* 18

DIVIDIT eam etiam S. Doctor *opusculo de profectu Religiosi, lib.* 2. *cap.* 73. *& sequent.* iuxta diuersa motiua, vt diai *disp.* 2. Moa iuxta diuersa dona Dei, reuelationum, & visionum, de quibus latè Aluarez *Tom.* 3. & D. Thom. *quæst.* 175. & nos agemus, cùm de Vita contemplatiua. 19

QVÆSTIO III.

An ORATIO *sit necessaria.*

D. Thom. art. 2.

HÆRETICI, qui medium virtutis oderunt, ad extrema distrahi solent. Massiliani quidem apud Damascenum *hæresi* 80. Orationem ad salutem, etiam absque Sacramentis sufficere; Ex altero, Pelagiani apud D. Augustinum *hæresi* 88. orationem inutilem dicebant. Hic error fuit antiquissimus, de qoo Eccl. 16. *Non exorauerunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui distructi sunt, confidentes virtuti suæ.* 20

EVMDAM errorem secuti sunt Albigenses apud Bernardum de Luzemburgo, qui Prouidentiam diuinam abstulerunt, & alij etiam admitteotes prouidentiam, sed dicentes, eam inducere necessitatem absolutam rebus, malè intelligentes id, quod dissérit D. Gregorius *in Dialog. primo, cap.* 8. apud D. Bonauent. *lib.* 2. *Pharetræ, cap.* 45. vbi ait: *Obtineri per orationem nequaquam possunt, quæ prædestinata non fuerunt.* Ipse enim satis se explicat, subdens: *sed ea, quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus obtineantur.* Itaque neque oratione prouidentia Diuina mutatur; vt aliqui mussitant apod D. Thomam. 21

EVM errorem secutus est etiam Ioannes Voicleph apud Valdensem *Tom.* 3. *cap.* 1. Lutherus autem, qui eandem asserit necessitatem, admittit tamen orationes. 22

Enim verò non ounquam, vt fidem extollat, orationem pessundat, vt refert Valentia *disput.* 6. *quæst.* 2. *puncto* 3.

ASSERO primò, Orationem esse ad salutem vtilem.

PROBATVR vberrimè à D. Bonauent. *de profectu Religiosi, lib.* 2. *cap.* 66. & aliis ll. 23

Itam Dei enim placat *Exodi* 32. vbi Moyses Oratione Deum placauit. Peccatorum veniam impetrat, Matth. 18. *Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.* Matth. 6. *Dimitte nobis debita nostra.* Remouet flagella. Num. 21. *Orauit Moyses Dominum, & absorptus est ignis*, quod factum est in figuram, vt etiam ostenderet, incendia tentationum oratione extingui. Vitia cordis expellit, Psalm. 58. *Disperge illos in virtute tua.* In periculis constitutos liberat, Psalm. 49. *Inuoca me in die tribulationis.* A periculis defendit Matth. 24. *Orate ne fiat fuga vestra hyeme, aut Sabbatho.* De hostibus fidei vindicat 2. *Paral.* 32. Orauerunt Ezechias, & Isaias aduersus Senacherib, & liberati sunt Hebræi. Difficilia facilitat *Iosue* 6. Vociferante populo muri Hiericho corruerunt: Familiaritatem Dei conciliat Psalm. 144. *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum.*

Isa

24 Isa.58. *Clamabit, & dicet: Ecce adsum.* Impetrat do-
na Spiritus Sancti, Act.2. *Repleti sunt omnes Spiritu
sancto.* Lucæ 11. *Pater dabit spiritum bonum petenti-
bus se.* Item donum sapientiæ, Iacobi 1. *Si quis in-
diget sapientiâ, postulet à Deo, &c.* Item gratiam
prædicandi, Ephes.6. *Orantes pro me, vt detur mihi
sermo in apertione oris.* Item reuelationem secretorum.
Hierem.33. *Clama ad me: & annunciabo tibi gran-
dia, & firma.* Item potestatem miraculorum, Isa.5.
Elias orauit, vt non plueret. Item pro puero suscitan-
do 3. *Reg.*17. Temporalia subsidia confert, Psal.144.
*Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam
illis in tempore opportuno.* Subleuat à miseriis, 3.
25 Reg.8. *Fames si oborta fuerit, vel pestilentia, &c.* Dat
vtilia quæuis, & necessaria, Rom. 8. *Nam quid
oremus, sicut oportet, &c.* Vitam confert æternam,
Rom.10. *Omnis quicumque inuocauerit nomen Domi-
ni, saluus erit.* Breuiter (ait S.Bonau.) omnia contra-
ria saluti reprimit, & necessaria confert, conseruat,
& perficit. Vult enim Deus, non tantùm orari pro
eo, quod & ipse autè dare disposuit, sed vult, vt
plus orando mereamur per fidem, quâ credimus, quod
non videmus, per spem, quâ obtinere confidimus petita
per charitatem, qua exauditorem ampliùs amemus,
iuxta id Psal.114. *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus
vocem orationis meæ.*

26 CONCLVDIT, orationem esse quasi speculum, in
quo nostri defectus, & profectus conspiciantur. Vide
S.Doctorem.

ORATIO tandem (ait S.Bonau.) mentem à ter-
renis magis leuat, & elongat, quàm cæteræ actio-
nes; quia cùm illæ agant cum Martha circa frequens
ministerium; hæc cum Maria pedibus Domini ad
hærens, eum solum sibi propitium esse exorat.

27 QVONIAM verò multi orasse conqueruntur,
nec obtinuisse gratias; pergit *cap.*67. tales erudire,
dicens aliquando videri Deum iratum, vt nos ad ora-
tionem protrahendam inducat. Conquerebatur Da-
uid, Psal.29. *Auertisti faciem tuam à me.* Iob.30. *Ecce
clamo ad te, & non exaudis me: Sto, & non respicis
in me.* Ideò postulabat Hierem. 17. *Non sis tu mihi
formidini, spes mea in die afflictionis.* Et Psalm. 142.
Et non intres in iudicium cum seruo tuo. Isaiæ 63.
*Multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum
super me continuerunt se.*

28 HINC D. Bernardus epist. ad fratres de monte
Dei: *Obsecrationibus insistendum, sed in omni humi-
litate, & patientia, quia non afferunt fructum, nisi in
patientia. Quasi enim cælum desuper sentit aeneum, dum
nullam deuotionis, velut roris cælestis stillam, pulsan-
do in oratione percipit; & terram cordis sui ferream,
dum nullo psalmorum, vel orationum irriguo ad fru-
ctum compunctionis emollitur; sed veluti mulier Chana-
naa auersum à se Domini vultum peccata sua, quasi ca-
nis immunditiam, sibi exprobari reputat, & pane filio-
rum se arbitratur indignam.*

29 ALIQVANDO, aliò intentus, videtur Deus
orantis affectibus non attendere. Vnde clamabat,
Psal.56. *Exaudi Deus orationem meam, & ne despe-
xeris deprecationem meam.* Aliquando videtur oranti
attendere, sed tacendo non annuere, vt preces illas
suscipiat, Ioh.9. *Cùm inuocantem exaudierit me, &c.
non credo*, idest, nescio certò, an exaudierit vo-
cem meam.

SED Deus exaudiet eum, *qui non hæsitauerit in
corde suo, sed crediderit; quia quodcunque dixerit, fiat,
fiet ei.* Matth. 21. *Omnia quæcunque orantes petitis,
credite quia accipietis.* Et Iacobus, cap.1. *Postulet
autem in fide, nihil hæsitans.* Affert verò eam parabo-
lam *Lucæ* 11. de eo, qui nocte interpellat amicum,
& licèt in lecto sit amicus, tamen propter importu-
nitatem surget.

ELEGANTER verò *cap.*61. & 68. edisserit, 30
qua sub forma gratias omnes necessarias oratio impe-
tret, dum varias inducens pauperis personas se Deo
offert. Aliquando personam induerit serui, & Iudi-
cem suum deprecatur. Iob.10. *Noli me condemnare*,
sicut Publicanus ille *Lucæ* 18. qui demisso vultu per-
cutiens pectus aiebat: *Deus propitius esto mihi pecca-
tori.* Ecce è seruo fit adoptionis filius: *Descendit hic
iustificatus in domum suam.* Aliquando, vt pauper pe-
tit panem quotidianum. Aliquando amici specie, se
Deo veluti consimilis offert, sicuti *Genes.* 18. Abra-
ham orat pro Sodomitis; Moyses pro populo, Exo-
di 32. *Ne quæso dicant Ægyptij; callidè eduxit eos.
Quiescat ira tua, & esto placabilis.* Et Numer.14. *Ne
audiant Ægyptij, quod occideris tantam multitudinem,
quasi hominem vnum, & dicant: Non poterat eos in-
troducere in terram, pro qua iurauerat.* Aliquando, vt
sponsa, Deo sanctissimè cupiens coniungi, clamat: *Cu-
pio dissolui, & esse cum Christo.*

ALIQVANDO vt filius confidens de charitate
paterna, quid imperij sonat. Sic Moyses Exodi 33.
*Cum dixeris: Noui te ex nomine, & inuenisti gratiam
coram me. Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo, osten-
de mihi faciem tuam, & sciam te; & respice gentem
hanc.* Et cap.34. *Si inueni gratiam in conspectu tuo
Domine, obsecro, vt gradiaris nobiscum, & auferas
iniquitates nostras, atque peccata, nosque possideas.*

ALIQVANDO immemor sui super omnia ad Dei 31
gloriam inhiat, Rom.9. *Tristitia mihi magna, &c.
optabam ego ipse anathema esse, &c.* Exod. cap.32.
*Obsecro Domine, peccauit populus tuus peccatum mag-
num, aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro
tuo, quem scripsisti.* Magna fiducia hominis ad Deum
(ait S.Doct.) Non rogat se deleri de libro Dei, sed
eâ fiduciâ, quâ præsumit, se non delendum de libro
vitæ, petit, illud remitti, non dubitans, se exau-
diendum; vnde, & quod petiit, impetrauit. Post
hæc *cap.*69. plurimas orationis vtilitates, imò exinde
necessitatem deducit.

ASSERO igitur secundò, Orationem esse neces- 32
sariam.

PROBATVR à S. Doct. *ibi* ex illo Lucæ 18.
Oportet semper orare, & non deficere. Et 1. Thessal.5.
Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Hinc
Psal.33. *Benedicam Dominum in omni tempore.*

LATE id probat ad verba allegata *Lucæ* 18. ex
illo Eccles.18. *Non impediaris orare semper, & ne
verearis vsque ad mortem iustificari.* Eccles.3. *Qui dili-
git Deum, exorabit pro peccatis, & in oratione die-
rum exaudietur.* Deinde recenset decem orationis effe-
ctus, seu bona saluti necessaria, ex quibus orationis
eruit necessitatem.

PRIMO enim oratio impetrat relaxationem Di- 33
uinæ sententiæ: sic *Isaia* 38. Orauit Ezechias ad Do-
minum, & subditur, Deus reuocasse decretum. Et
Sap.18. *Properans enim homo sine querela deprecari
pro populis, proferens seruitutis suæ scutum, orationem,
& per incensum deprecationem allegans, restitit iræ.*

SECVNDO pœnarum remissionem obtinet è cul- 34
pis, Matth.17. *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur,
nisi in oratione, & ieiunio.* Sic remittuntur etiam cul-
pæ, Psal.31. *Dixi: Confitebor aduersum me iniustitiam
meam Domino; & tu remisisti impietatem peccati mei.*

TERTIO præseruat à casibus mortiferis, Mat-
th.26. *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentatio-
nem.*

QVARTO reparat virtutem naturæ ad salutem,
Iacobi 5. *Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum.*

QVINTO conseruat pacem, & vitam in salute tranquillam, Prima Timot.2. *Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate.*

35 SEXTO custodit tranquillitatem conscientiæ, Philip.4. *Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione, & obsecratione cum gratiarum actione, petitiones vestra innotescant apud Deum. Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra.*

SEPTIMO inflammat in Dei seruitio, & gratia. In huius figuram 3. *Reg.*18. Elias: *Inuocabo nomen Domini: & Deus, qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus.* Vnde *Act.*1. vt obtinerent Spiritum Sanctum: *Erant perseuerantes in oratione vnanimiter.*

36 OCTAVO edocet, & illustrat mentem ad cognoscenda superna. Huius habemus exemplum in Salomone 3. *Reg.*3. & Iacob. 5. *Si quis vestrum indiget Sapientia, postulet, &c.*

NONO impetrat cælestis ianuæ adapertionem, Iacob. 5. *Elias homo erat similis nobis passibilis: & oratione orauit, vt non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum orauit. & cælum dedit pluuiam.* Hinc visa est tunc nebula, vt *vestigium hominis.* Pagninus, vt *vola hominis*; manus scilicet pura aperiens cælum, iuxta præceptum Apostoli: *Leuantes manus puras ad Deum.*

DECIMO obtinet tandem mercedem æternam. Matth.6. *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi,* Et Psalm.60. *Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam; dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.*

37 IN figuram autem horum decem bonorum, & harum decem virtutum orationis, Sol ad orationem Ezechiæ (ait S. Doctor) legitur decem gradibus retrocessisse. Ex quibus colligitur, quod oratio præualet naturæ inferiori, præualet virtuti cæli, imperat naturæ spirituali, attrahit Spiritum sanctum, inclinat filium Dei, & mitigat Patrem, & per hoc dominium habet quodammodo vniuersorum. Hæc S. Doctor.

HANC necessitatem exemplo suo nobis in omnibus insignibus operibus demonstrauit Christus, vt obseruat S.Bonau. *ad* 3. *Lucæ* in ea verba: *Et factum est, Iesu baptizato, & orante.* Probat autem hinc illud præceptum eiusdem Domini, cap. 18. Lucæ:
38 *Oportet semper orare, & non deficere.* Sic orauit Christus *Lucæ* 3. vt daret formam accedentibus ad baptismum. In deserti solitudine orauit, *cap.*5. Ipse secedebat in desertum, & orabat, vt modum præscriberet contemplatiuæ vitæ. In prædicatione cap.6. *Factum est autem in diebus illis exiit in montem, vt oraret*, vt Normam daret prædicatoribus. In miraculorum operatione, Ioan.11. *Pater gratias ago tibi*, vt daret formam operantibus. In passione: *Progressus cecidit in faciem suam, orans.* Matth.26. vt formam daret mala sustinentibus. In corporis sui administratione: *Accipiens calicem, gratias egit.* Lucæ 22. vt Regulam relinqueret Sacramenta contrectantibus. In morte, Lucæ 23. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum, & hæc dicens, expirauit*, vt exemplar esset morientibus, & sic in tota vita ad extremum halitum necessariam ostenderet orationem.

39 OBSERVAT etiam *ad* 22. *Lucæ*, Christum ter orasse, & venisse ad excitandos discipulos ad orationem: *Surgite, orate, vt non intretis in tentationem.*

Ter orauit, vt ostenderet necessitatem orationis ad Deum Trinum, contra triplex genus tentationis, Concupiscentiæ carnis, Concupiscentiæ oculorum, & Superbiæ vitæ. Et debet esse secundùm triplicis potentiæ conatum, & secundùm triplicem virtutem Theologicam, Fidei, Spei, & Charitatis: & propter triplex bonum assequendum, scilicet veniam, gratiam, & gloriam. Et, *Bonitatem, disciplinam, & scientiam*, vt dicitur *Psal.* 118. Ter autem visitauit, vt ostenderet orationem moderari, & componere Irascibilem, Concupiscibilem, & Rationalem.

NECESSITATEM orationis confirmat S. D. 40
ad 11. *Lucæ, in expositione orationis Dominicæ*, nam Christus tradidit formam orandi, & petitiones faciendas explicans, quæ sanè ostendunt, esse necessariam. Petitur enim sanctificatio Diuini nominis, quam necessariò debemus desiderare. Petitur gloria, quæ est vltimus finis. Petitur obedientia diuinis mandatis: *Fiat voluntas tua.* Petitur gratia, & munimentum spirituale auxiliorum Dei, cibus augustissimus dans virtutem: *Panem nostrum quotidianum.* Petitur, vt nobis remittat culpas patratas, & de cætero nos præseruet ab eis, & *ab omni malo.*

INIVNGIT grauiter *in opusc. de perfectione ad* 41
*sorores, cap.*5. necessitates, quas habemus, vt liberemur à tentationibus. Ideò ait, Christum enixè admonuisse discipulos, Matth.26. Marci 14. Lucæ 22. *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Sanè, inter omnia, necessaria est perseuerantia vsque in finem.

EORXOIS S.Doct. *ad* 11. *Lucæ* in ea verba pri- 42
ma: *Factum est: cùm esset in quodam loco orans*, ostendit, nunquam ab oratione desistendum, nam, & Christus Lucæ 22. *Factus in agonia, prolixiùs orabat*, & saoè in eruditionem nostræ infirmitatis hoc præstitit, vt ostenderet quantùm egeamus orationibus. Ideò Rom.8. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram*, & rursus affert loca suprà relata *prima Thessal.*2. *Lucæ* 6. & 18. *Eccles.*18.

Ex quibus, aliisque testimoniis, quibus opera 43
Seraphici sunt conspersa, colligitur, præceptum orationis, quod est affirmatiuum, non cogere quidem ad semper, sed in necessitate, maximè verò ingentium tentationum, in quibus periculum graue imminet, cùm quis opus graue, & periculosum aggreditur; & quandocumque se debet ad gratiam disponere, vt expellat peccata. Sic docent etiam Valentia *disp.*6. *quæst.*2. *puncto* 3. Medina *quæst.*11. *de oratione.* Syluester *verb. oratio numero* 8. Filliuc. *tract.*28. *cap.*1. *quæst.*3. Less. *l.*2. *cap.*37. *dub.*3. Dian. *p.*3. *t.*5. *resol.*16. Syluios *quæst.*83. *art.*2. Becan. *ibi*, *quæst.*1. Bassæus *v. Oratio*, addens debere aduerti obligationem: In periculo autem non distingui à volitione indirecta culpæ.

OPTIMA autem ad necessitatem orationis comprobandam est ratio allata *quæst.*2. ex D. Bonau. 5. *parte Breuil. cap.*10.

PRÆCLARE etiam Sancti Patres hanc orationis necessitatem edisserunt, quos refert S. Doct. *l.*2. *Pharetra*, *cap.*45. & aliis locis allegatis *Lucæ* 18.

D. CHRYSOST. l.1. de orando Deum: *Quem-* 44
admodum corpus hoc nostrum, si non adsit anima, profectò mortuum est, ac fœtidum: sic anima, nisi seipsam incitet ad orandum, mortua est, & misera, ac olens grauiter.

D.HIERONYMVS post serm. D. Bonau. de B. Virg. *Frequens oratio vitiorum expugnationem extinguit: instans verò oratio impetrat veniam de peccatis, secundùm illud* Eccl.3. *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & in oratione dierum exaudietur*, &c. & illud Matth.17. *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur nisi in*

oratione,

oratione, & *ieiunio* ait: *Ieiunio sanantur pestes corporis: oratione pestes mentis.*

45 D. AVG. ad ea verba, Psal.118. *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam, &c.* conc.17. *Cui Deus propitius inspirat boni delectationem, cui donatur à Deo charitas Dei, & propter Deum charitas proximi, instanter orare debet, quo tantùm sibi augeatur hoc donum, vt non solum contemnat delectationes cæteras, sed etiam quaslibet perferat passiones.*

ITEM D. August. siue Gennadius, de Ecclesiast. dogmat. cap. 56. *Nullum credimus ad salutem, nisi Deo inuitante venire: nullum inuitatum salutem suam, nisi Deo auxiliante, operari: nullum, nisi orantem, auxilium promereri.*

46 D.ISIDORVS de summo, bono l. 1. cap. 23. sent.1. *Fidei Symbolum, & Dominica oratio pro tota lege paruulis Ecclesiæ ad cælorum regna sufficit capescenda, omnis enim latitudo Scripturarum in eadem oratione Dominica, & Symboli breuitate concluditur.*

D.BERNARD. serm.57. *In dubiis vnicum remedium, seu refugium oratio est, & frequens gemitus ad Deum; & vt quid, quando, & qualiter facere nos velit Deus, assiduè nobis monstrare dignetur.*

47 ET sermone de quatuor modis orandi: *In omnibus actionibus nostris, & obseruantiis, multa opus est animi vigilantia, sed præcipuè in oratione.*

Plurima alia testimonia vbique *in opusculis* habet S.Doctor.

QVÆSTIO IV.

An ORATIO *sit non modò impetratoria, sed & satisfactoria, & meritoria.*

D.Bonau. in 4 dist. 15.p.2. art 2 quæst 1.
D.Thom quæst.53.quæst.1.

ORATIONEM esse impetratoriam hucusque ostendi *quæstione* 3.

48 QVOD etiam sit meritoria probaui *prima secundæ, Tract.*6. *de Gratia, disput.*4. *quæst.*7. vbi ostendi, opera omnia moralia ex gratia esse meritoria. Ibi etiam ostendi, non posse esse meritoriam, quin etiam sit satisfactoria. Similiter cum D.Thoma, & D. Bonau. ostendi, non posse esse satisfactoriam, quin meritoria sit, contra Scotum. In specie autem, orationem esse satisfactoriam, ostendam 3. *p. Tract. de Pœnitentia, disp.*5. *sect.*9. *quæst.*12.

49 ALIQVA tamen dicam *hic*: Philippus Melanct. *in confess. August. tit. de confess.* & *in Apolog. art. de confessione*, irridet ea opera, in quibus Catholici satisfactionem constituunt, & dicit, esse inutiles cæremonias, humanasque traditiones, non mandatas diuinitus.

KEMNITIVS verò *in* 2.*p. exam. pag.* 194. admittit opera, quæ satisfactoria dicuntur à Catholicis, vt Orationem, Ieiunium, & Eleemosynam in genere; tamen certas preces, & statutas quasdam eleemosynas, dicit, esse inutiles.

E contra, Catholici omnes cum Sancto Concilio Trident. *sess.* 14. *can.*13. consentiunt, orationem, Ieiunium, & eleemosynam esse opera satisfactoria. His enim dantur Deo bona corporis, animæ, & extrinseca fortunæ:

ASSERO cum D. Bonau. Orationem esse satisfactoriam.

50 PROBATVR à S.Doct. primò *argumento primo ad opp.* & *in corpore.* Illud opus morale, quod est pœnale, est satisfactorium: Sed oratio vtraque vocalis, & mentalis est pœnalis: Ergo. Minor probatur Eccles.12. *Frequens meditatio, carnis est afflictio.*

PROBATVR secundò à S. Doct. ex vsu Ecclesiæ, quæ orationes ad satisfactionem imponit.

PROBATVR tertiò à S. Doct. quia oratio gemebunda est contriti postulantis, qualis erat Publicanus *Lucæ* 18. qui inde iustificatus domum rediit. Hæc enim præ cæteris disponit ad gratiam, & ideò placet Diuinæ bonitati, quippè magis est voluntariæ pœnæ indicium.

OBSERVAT autem primò, orationem vocalem nudè sumptam, inferiorem esse mentali; est autem purè vocalis, in qua nihil cogitatur, attamen meliorem esse mixtam, qua oratur mente, & ore; mixta (inquam) ex vocali excitante mentem ad affectus; sic enim mentalis à vocali adiuuatur. 51

OBSERVAT etiam S.Doct. triplicem ob finem institutam orationem vocalem. Primus est ad affectum accendendum; vnde Beda ad id Matth.6. *Pater noster: Non illis solis verbis oratur, sed aliis contextis sub eodem sensu, quibus cor nostrum accenditur.* Secundus est ad intellectus instructionem. Vnde Beda ibi: *Orationem breuibus verbis composuit, quibus nec opus est loqui ad eum, qui omnia nouit, sed vt qui cum Deo agis, disceret res, quas oraret, non verba, quæ diceret.* Tertius est ad faciliorem recordationem. Vnde super illud. *Nolite assimilari eis.* Glossa: *Non apud Deum agendum est verbis, sed rebus, intentione cordis, affectu simplici; quæ enim dicimus, non eum docemus, sed nos temporis orandi recordamur.* Itaque vocalis propter mentalem orationem est instituta, in qua cor magis intenditur ad peccatorum detestationem, & Dei amorem, & hæc maximè Deo placet, qualis fuit oratio Manassæ 2. *Paral.*33. Vide etiam Bellarminum *de Pœnit. l.*4. *cap.*9. Valentiam *disp.*6. *quæst.*2.*p.*4. 52

ADVERTE autem, ad satisfactionem requiri, vt orans sit in gratia, vt dicam 3.*p. Tract. de Pœnit.* Sic Ioan.15. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Et secunda Ioan.3. *Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum; & quodcumque petierimus, dabit nobis.* 53

E contra dicitur Psal.65. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Et Isa.1. *Cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Ioan.9. *Scimus quia Deus peccatores non exaudit.* Isa.59. *Peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret.* Ideò concluditur, Iudith.4. *Scitote quia exaudiet preces vestras, si permanseritis.* Hierem.29. *Orabitis, & ego exaudiam vos: cùm quæsieritis me in toto corde vestro*; quasi dicat: non aliter vos exaudiam, vt aduertit D.Bonau. *de profectu Relig. l.*2. *cap.*71. vbi authoritates ad id congerit. Et ad *Psal.*108. in ea verba: *Et oratio eius fiat in peccatum*, alia præclara adiicit.

PROBATVR à S.Doct. *l.*2. *Pharetra, cap.*45. vbi orationem Deo gratam describit D. Gregorius *homil.*27. in Euang. *Virtus vera orationis est celsitudo charitatis. Et tunc quisque, quod rectè petit, adipiscitur, cùm eius animus in petitione nec inimici odio fuscatur.* 54

D.CHRYSOSTOMVS homil. 13. operis imperfecti: *Sicut thymiamata benè confecta delectant hominem odorantem; sic oratio iusti suauis est ante Deum. Vis autem scire dignitatem eius? Mox, vt de ore processerit, suscipiunt eam Angeli manibus suis, & offerunt ante Deum.*

D.BERNARDVS epist. de vita solitaria: *Oratio* 55

tio est hominis Deo adhærentis effectio, & familiaris quadam, & pia allocutio, & statio illuminata mentis ad fruendum Deo, quamdiu licet. Et serm. 7. in Cant. *Credimus, Angelos sanctos adstare orantibus, & offerre Deo preces, & vota hominum, vbi tamen sine ira, & disceptatione leuari puras manus perspexerint.*

Mox verò S.Doct. *cap.46.* orationem inacceptam refert ex Patribus.

46 D.Gregorius lib.10. Moral. cap.11. *Grauè mens nostra confusione, orationis sua tempore, deprimitur; si hanc aut sua operatio adhuc inquinat: aut aliena malitia seruatus dolor accusat.* Et in Regist. ind 4. cap.45. l.9. *Vt ad aurem Dei viam precibus faciatis, vigilantius studendum est, vt vestra voces actibus adiuuentur: Nam inanis fit oratio, vbi praua est actio.*

D.Avgvst. in sermonibus. *Qua fronte postulas quod promisit Deus, cùm non facis, quod iussit Deus? prius audi monitiones, & sic exige promissiones.* Idem e
57 *Dimitte nobis debita nostra, &c. Nec pro eis est effi ax oratio, quorum fides sine operibus mortua est; sed pro eis, quorum fides per dilectionem operatur.*

D.Hieronymvs epist. 14. *Nescio qua conscientia ea lingua quis Deum rogat, qua aut mentitur, aut maledicit, aut detrahit. Labia sancta exaudit Deus, & ipsis citò annuit precibus, quas lingua immaculata pronunciat.*

D.Chrysostomvs homil. 15. imperfect. in Matth. *Qui orat, & peccat, non orat Deum, sed illudit eum.*

D.Bernard. serm.71. in Cant. *Oratio peccatoris execrabilis erit, frustra quoque offert munus suum ad altare, qui conscius est sibi, quod frater suus habet*
58 *aliquid aduersum se. Denique non respexit Dominus ad Cain munera; eò quòd non rectè ambularet cum fratre suo.* Similia habet *serm.46.* dicens: *Miror valdè impudentiam aliquorum, qui inter nos sunt, qui cum omnes nos, suâ singularitate turbauerint, suâ impatientiâ coinquinauerint: audent nihilominus ad tam fœdum conscientia sua lectulum cum orationum instantia, totius puritatis Deum inuitare. Sed sicut scriptum est* Isaiæ 1. *Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos: & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam.* Vide alia ibi.

59 Tandem apponit sententiam Senecæ, epist.10. *Tunc scito te omnibus cupiditatibus esse solutum; cum eo perueneris, vt nihil Deum roges, nisi quod rogare palam possis. Nunc autem quanta dementia est hominum, qui turpissima vota Diis insusurrant, ità, vt si quis aurem admouerit, statim conticescant, & quod scire hominem nolunt, Deo narrant?*

QVÆSTIO V.

Quæ conditiones ad perfectam Orationem requirantur.

{D.Bonau. variis in locis intra.

Mvltas passim conditiones orationis enumerat S.Doctor, vt ea Deo accepta sit.

60 Prima conditio ad eius efficaciam est ea, quam suprà prosecutos sum, vt sit ex charitate, aut saltem ex bona voluntate ad Deum redeundi debet exire; nam obstinatos peccatores Deus non audit.

Secvnda conditio est, vt sit ex Fide, & Spe: *Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, dicetis monti, &c.* Matth.17. & *Omnia quæcunque credentes petieritis, in oratione recipietis*, & Iacobi 1. *Postulet autem in fide, nihil hæsitans.*

Mox verò *in speculo disciplinæ ad Nouitios, p.1. cap.12.* Duo prærequirit ad orationem, quibus tanquam alis in Deum feratur anima, nempe meditationem, & cognitionem Diuinæ bonitatis, & misericordiæ, qua subleuemur; & considerationem propriæ indignitatis, & miseriæ, vt sic auidiùs, & humilius ad Deum accedamus.

Hinc paulatim tres conditiones subnectit *opusculo de perfectione vita ad sorores, cap.5.* Prima est, vt 61
ad orationem accedens erecto corde, & corpore cogites tuam vilitatem, quot peccata patrasti, quàm ingrata Deo fuisti, ò Anima, quo per peccatum tendas ad sempiternæ mortis incendia, vt sic humilieris cum Publicano *Lucæ 18.* percutiens pectus dicas: *Deus propitius esto mihi peccatori*, & rugias cum Dauide dicente, Psal.37. *Rugiebam à gemitu cordis mei*, & cum Magdalena riges pedes Domini: *Stans retro* Lucæ 7. sic ait D. Isidorus *de summo bono* l.3. cap.7. *Quando cum Deo in oratione assistimus, gemere, & flere debemus reminiscentes, quàm grauia sunt, quæ commisimus, quàm dura inferni supplicia, quæ timemus.*

Secvnda conditio est, vt Dei bonitatem, & 62
beneficientiam agnoscens, Deo gratias referat, vt monet Apostolus: *Orationi instantes, vigilantes in ea in gratiarum actione.* Nihil enim magis hominem disponit ad noua beneficia accipienda, quàm præteritorum grata recordatio. Ideò D. August. epist.57. *Quid melius animo gerimus, & ore pronunciamus, & calamo exprimimus, quàm Deo gratias? hoc nec dici breuius, nec audiri latius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest.*

Debes igitur in oratione posita ò Anima cum 63
gratiarum actione meditari, quia Deus te hominem fecit christianum, quia innumerabilia peccata tibi indulsit, quia incidisses in multa peccata, si Dominus te non custodisset, quia mori in sæculo te non permisit, quia ad altissimam, & perfectissimam te Religionem elegit, & sine labore tuo te pascit, & quia pro te homo factus est, circumcisus, baptizatus &c. Vide S.Bonau. Est enim gratiarum actio vtilis in oratione, nec sine ea aliqua potest valere oratio; nam *ingratitudo*, vt dicit D.Bernardus, serm.51. in Cant. *Est ventus vrens, & exsiccans fontem pietatis, rorem misericordiæ, & gratiæ fluenta.*

Tertia conditio, vt attentè cor tuum illud so- 64
lùm cogitet, quod precatur: Indignum est enim, vt cor diuisum ad Deum veniat. Vnde super id Psal.118. *Clamaui in toto corde meo*, ait Glossa: *Diuisum cor non impetrat, quod petit, & hoc suasit Christus*, Matth.6. *Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum, & clauso ostio, ora Patrem*, clauso scilicet corde, ait S.D. & custodito; nam Oratio, vt ait D.August. *l.de spiritu, & anima, cap.50.* est conuersio mentis in Deum per pium, & humilem affectum. Ingredere desiderio intenso, quo psalmista: *Os meum aperui, atraxi spiritum*: Est enim oratio haustorium, quo Spiritus Sancti gratia hauritur. Vide mira in S.Doctore *ibi*.

Commendat autem S. Doct. *ad 11. Lucæ* 65
perseuerantiam in oratione, Christi exemplo, qui Lucæ 22. *Factus in agonia, prolixiùs orabat*: Et Paulus Hebr.5. ait: *Qui in diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad eum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia.* Vnde *Matth.26.* ter orauit; & monuit discipulos, vt orarent horâ illâ totâ. Et Lucæ 6. dicitur: *Erat pernoctans in oratione Dei.* Et cap.18. *Oportet semper orare, & non deficere.* Et

Eccles.

Ecclef. 18. *Non impediaris orare semper.* Hoc ibi subtilius considerat *Luca* 11. in ea parabola amici, ad quem intempestæ noctis qoiete pergit importunus, panem postulans, & ille, licèt intus renuerit, dicens: *Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili*, quorum amor paternus non potest perdi, vt dicitur *Isaia* 49. tamen subdit: *Et si perseuerauerit pulsans, surget, & dabit illi, &c.*

66 PRÆCLARVM etiam exemplum considerat *cap.* 18. *Luca* S.Bonau. in illa Viduola, quæ importuna sæpè Iudicem interpellans, meruit iusti.iam obtinere. Vide obsecro vtrobique S. Doctorem, & labia dulcedine illita lambes. Vide ipsum etiam ad 6. Lucæ ibi: *Erat pernoctans*; & *serm.4. de vno S. Confessore*, vbi ponit etiam ad Thessal. *Sine intermissione orate*, & Israëlitæ primo Reg.12. *Ne cesses pro nobis orare, &c.*

LOQVENS autem de Regulo, cuius filia moriebatur, *Luca* 8. ait S. Doctor. Quoniam igitur Christi præsentiam adiit cum reuerentia, rogauit ex confidentia, desiderauit ex indigentia, ideò oratio illius fuit exaudita, secundùm id Ecclef.4. *Rogationem contribulati ne abiicias: & non auertas faciem tuam ab egeno.* Præclara etiam commentatur ad illud Thren. *Non des requiem tibi, & non taceat pupilla.*

67 ET ad quintum *cap. Luca* in ea verba: *Ipse autem secedebat in desertum, & orabat*, ait S.Doct. Quia humanam gloriam, & famam non quærebat, sed fugiebat, secundùm illud Matth. 14. *Dimissa turba ascendit in montem solus orare*, in quo dabat nobis formam recedendi à mundo, & accedendi ad Deum, & ideò oratio debet esse occulta, vnde Matth.6. *Intra in cubiculum, & clauso ostio, &c.* Et D.Bernard. serm.46. in Cant. *O sancta anima sola esto, vt soli Deo omnium serues teipsam, quem tibi ex omnibus elegisti. Fuge publicum, fuge, & ipsos domesticos: An nescis verè eundem te habere sponsum, & qui nequaquam velit tibi suam indulgere præsentiam, præsentibus cæteris? Secede ergo, sed mente, non corpore; quamquam & corpore non otiosè te separas, præsertim in tempore orationis.*

68 HAS orationis conditiones è Patribus confirmat S.Doctor *locis allatis*, & *lib.2. Pharetra cap* 45. & 46. maximè è D.Greg. *in Regist. l.* 11. *indice* 6. *cap.3.* & *l.22. Moral. cap.21.* & *homil.27. in Euang.* è D.August. *epist.121. cap.10.* & *serm.126. de temp.* & *l.20. de ciuit. cap.17.* è S.Chrysost. *Opere Imperf. homil.13.* è D. Ambr. *in Psal.118. octo.8.* è D.Isid. *in synon. cap.4.* & *de summo bono l.1. cap.23.* & *l.3. cap.7.* Damasc. *l.3. de fide, cap.24.* Bernardo *epist. de vita solit. epist.78.* & 201. & *in Cantic. serm.7.* & 18. & *serm. de 4. modis orandi*, & aliis Patribus.

69 HINC vela colligens infert passim, cur aliquando iusti non exaudiantur. Sic ad Psalm.22. Clamabo *per diem & non exaudies.* Triplici autem de causa non exauditur iustus, vel quia orat pro malo peruerso. Sic neque Samuël 1. *Reg.* 15. exauditus est, orans pro Saül. Secundò ob modum orandi, sic *Matth.*20. non fuerunt exauditi filij Zebedæi. Tertio, ratione maioris boni, sic Paulus 2. *Corinth.*12. non est exauditus, dum oraret, vt liberaretur à spiritu malo infestante.

70 EASDEM causas apponit S.Doct. *l.2. de profectu Religiosi, cap.71.* Addit alias. Prima si hæsitet *Iacob.*1. Secunda, vt magis homo prouocetur ad insistendum, vt ait D.Gregorius *homil.35. in Euang.* Vnde Chrysost. homil.30. in Genes. *Deus ad hoc beneficium suum protrahit, vt non sit nobis vile, quod donat.*

Tertia, vt gratia in opportunius reseruetur: Sic *Exodi* 33. non est exauditus Moyses, vt postea faciem Dei videret. Quarta vt aliorum etiam suffragia postulet; sic 4.*Reg.*19. & *Isa.*37. Ezechias misit ad Isaiam, vt oraret pro se, & pro populo & *cap.*22. Iosias misit ad Holdam, & Rom.15. *Obsecro, vt iuuetis me in orationibus vestris.* Et Matth.18. *Si duo ex vobis consenseriat, &c.*

ALIOS verò non exaudiri ait, eò quòd malè pe- 71
tant, vt dicitur *Iacobi* 1. & propterea vrget quæstio de his, quæ sunt petenda.

QVÆSTIO VI.

Quid ORATIONE *petendum: vbi Exponuntur petitiones Orationis Dominicæ.*

D. Bonau. 3.p. Breuil. & alus ll.
D Thom.2.2.q 83.art 7.

QVONIAM ignoramus quid nobis sit peten- 72
dum, vt dicitur Rom.8. *Spiritus sanctus postulat pro nobis* idest, postulare docet. Et Christus *Matth.6. & Luca* 11. Orationem autem edocuit, in qua sunt omnes Thesauri Paradisi, vt dixi supra *quest.*3. Ideò in ea explicanda distenti sunt præcipui Patres, Tertullianus *lib. de oratione*, Cyprianus *de oratione Dominica*, Cyrillus Hierosolymit. *Catech* 5. Chrysost. *homil. de oratione Dominica*, Nyssenus *homiliis quinque*, Ambrosius *l.5. de Sacramentis, cap.4.* August. *l.2. de sermone Domini in monte, cap.5.* Cassianus *collat.2. cap.18. & seqq.* Chrysol. *serm.67.* & Interpretes Matthæi *cap. sexto.*

VBERIVS autem cæteris hanc mandit, ruminat, & degustat Seraphinus noster *5.p. Breuil. cap. vlt. 3.p. Centil. sect.46.* & *in cap.3. Regula*, vbi Laïcis imponitur: & *3.p. Stimuli Diuini amoris, cap.17.* & *in cap.6. Euangelij S. Matthæi.* Vide & Suar. *de orat.* Fili. *t.2. cap.2.* Less. *l.2. cap.37.* Azor. *p.1. l.9. cap.34.* Bict. *quest.4.*

ALIQUAS verò seiunctim petitiones exponit, vt 73
in 4. dist, 17. p.2. dubiis litt. in Pharetra, l.2. capite 45.

PRÆLIBAT autem S.Doctor. orationem hanc triplici ex capite omnium esse præstantissimam. Primò ex authore Christo, qui eam contexuit. Secundò ex breuitate, vt citius dicatur, & firmius teneatur. Tertiò ex fœcunditate, quia breuibus omnia comprehendit, quæ sunt desideranda, ac postulanda.

CVM igitur hæc diuina oratio postulationes contineat omnes, consequenter omnia mala petit amouenda, & omnia bona donanda, & hæc septem petitionibus. Distinguit autem mala in pœnam, & culpam. Rursus omnia in præterita, præsentia, & futura.

MALA quidem culpæ in septem vitia capitalia 74
diuidit, superbiam, Auaritiam, Luxuriam, Inuidiam, Gulam, & Acediam. Rursus mala nonnulla sunt, quæ & ad pœnam, & ad culpam reducuntur, vt tentationes; nam tentatio ad probationem, seu ipsa passio tentationis pœna est; at casus, & inductio in tentationem est culpæ. Et de his omnibus liberationem, aurea hæc oratio postulat.

RVRSVS, quia septem sunt virtutes præcipuæ, 75
tres Theologicæ, & quatuor Cardinales. Septem sunt etiam dona Sancti Spiritus, quibus in virtutibus firmamur, Donum scil. Sapientiæ; Intellectus, Consilij,

filij, Scientiæ, Pietatis, Fortitudinis, & Timoris Domini.

SEPTEM etiam sunt Beatitudines: Regnum cælorum, Possessio terræ, Consolatio; Saturitas, Misericordiæ consecutio, Visio Dei, & Filiatio Dei.

66 HÆC autem septenaria sancta componit, vt septem illis petitionibus omnia contineantur.

PRIMO quidem septem dotes præcipuas, vitiia septem opponit, nempe, paupertatem spiritus superbiæ: Mansuetudinem iracundiæ: Luctum compassionis contra liuorem Inuidiæ: Sitim Iustitiæ contra Acediam: Misericordiam contra Auaritiam: Munditiam cordis contra Gulam, & Pacem contra Luxuriam, seu commutatis his duobus vltimis, munditiam contra immunditiam Luxuriæ, & Pacem contra Gulam insatiabilem.

67 PORRO virtutes septem præcipuas possumus etiam septem vitiis opponere: Fides, à qua captiuatur intellectus in obsequium Christi, opponitur superbiæ. Spes, qua iacitur omnis cogitatus in Domino, Auaritiæ: Charitas Inuidiæ: Prudentia Iræ præcipiti: Iustitia, qua redditur Deo debitum obsequium, & proximo ius, Acediæ: Fortitudo labili Luxuriæ, & Temperantia Gulæ: Hæc omnia septenaria in septem petitionibus comprehensa considerat S. Doctor, vt mox dicemus.

68 PRÆMITTIT autem exordium, narrationi necessarium: *Pater noster*. Nomen autem dulce, noménque confidentiæ præmittit. Non dicitur Domine; sed Pater, quia non vt seruos timore compulsos, sed vt filios allicit amore ad sinum Patris; hac enim differentia postulant seruus, & filius. Ideò Malach. 1. *Si ego Pater sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi timor?* inuocatur enim Pater Deus, quia Pater est, qui genuit filium, nempe sibi similem. Deus autem nos in creatione ad sui imaginem condidit, Ideò ex creatione titulum Patris obtinet. Deuter. 32. *Numquid non ipse est Pater tuus, qui fecit, & creauit te.* Deinde per adoptionem gratiæ fecit filios Deiformes, Matth. 5. *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.*

69 PRIMO igitur Pater æternè est genitor filij per naturam, vt ipse Christus ait: *Matth. 11. Ioan. 5. & sequentibus.* Ad exhibendam igitur eximiam confidentiam, quæ sanè ad orationem est necessaria, docet nos ita inuocare: *Pater noster, Qui es in cælis.* Hinc augetur fiducia, dum amantissimum Patrem, potentissimum ad omnia agnoscimus, quippè qui Rex est cæli, & in Throno maiestatis omnibus imperat; & : *Omnia quæcumque voluit fecit in cælo, & in terra*, vt exponit S. Doctor cum SS. Cypriano *loc. cit.* Nysseno *homil. 2. de hac oratione*, & aliis. Dicitur etiam in cælis spiritualibus, idest, sanctis habitare, vt exponit S. Doctor *hic ad cap. 6. Matth.* cum SS. Ambrosio *lib. 5. de sacr. cap. 4.* & Augustino *lib. 2. de serm. Domini in monte, cap. 9.* Sancti autem (ait S. Doctor) dicuntur cæli quadrupliciter. Primo ob vitæ sublimitatem, dicente

70 Paulo, Philip. 3. *Nostra conuersatio in cælis est.* Secundò propter bonorum operum claritatem, Philip. 2. *Inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes*, & Matth. 4. *Luceat lux vestra coram hominibus, &c.* Tertiò propter firmitatem in propositis, Psalm. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt.* Quartò ob sedem Dei, in eis quiescentis per gratiam. Isa. 66. *Cælum mihi sedes est.* Hunc igitur Patrem cælestem, etiam inuocamus, vt recordemur petenda ab eo primo cælestia, iuxta id: *Quærite primò regnum Dei.*

71 TERMINATO exordio, sequitur enarratio necessitatum, & postulatio donorum: postulatio autem fit, vt remoueantur mala, & concedantur bona. Primò petit cognitionem Primi Veri: Secundò assecutionem Ardui: Tertiò Boni consecutionem.

PRIMA: *Sanctificetur nomen tuum*; Quia enim finis est primus in intentione, ideò his duabus primis petitionibus postulantur ea, quæ finem tangunt; & postea sequentibus postulantur media ad finem.

PRIMO igitur postulamus, vt nomen sanctum Dei, & maiestas sanctificetur, non in se, cùm sit ipsa sanctitas, sed in nobis per notitiam Diuinæ maiestatis; & amorem, vt exponunt sancti, Cyprianus, Ambrosius *loco cit.* Nyssenus, *oratione 3.* Augustinus *lib. 2. de sermone Domini, cap. 10.* & alij.

NOMEN quidem Dei sanctum terribile acclamatur, Psalm. 110. *Sanctum, & terribile nomen eius*, & Deuter. 28. *Est admirabile*, Psalm. 8. est *laudabile*, Psalm. 112. Est autem nomen Dei terribile quò ad Potentiam, quæ attribuitur Patri; admirabile quò ad sapientiam, quæ attribuitur Filio. Laudabile quò ad Bonitatem, quæ Spiritui Sancto adscribitur. Sanctificetur ergo in nobis nomen Dei sanctissimum, idest, in nobis firmetur Terribile in cognitione summæ potestatis; Admirabile in cognitione primæ veritatis; & Laudabile in cognitione summæ Bonitatis. Dicitur ergo: *sanctificetur nomen tuum*, quasi dicat: da nobis Spiritum Fidei, & sapientiæ, vt cognoscamus, & gustemus, quàm suauis es, & hoc generet in nobis pacem, & hoc contra luxuriam, quia dicit Propheta, Psalm. 37. *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* 72

SECVNDA petitio: *Adueniat regnum tuum.* Regnum Dei dicitur quidem militans Ecclesia, vt habetur Matth. 13. *Colligent de regno eius omnia scandala.* Dicitur etiam Euangelium: *Regnum Dei Euangelizatur*, Lucæ 16. Dicitur etiam Regnum Dei beatitudo æterna, Matth. 13. *fulgebunt iusti, sicut sol in regno Patris eorum.* Postulatur ergo aduentus regni: Da nobis spiritum intellectus, quo mondati corde intelligamus in præsenti, te regnare per Fidem, & spetemus bonum illud arduum, donec videamus te in Regno per speciem; interim vigilantes, ne Gulæ dediti inueniamur ebrij, & imparati, curis huius sæculi distenti, quia *vinum, & ebrietas auferunt cor.* Oseæ 4. 73

TERTIA petitio: *Fiat voluntas tua*, iam incipimus præcipuè media postulare ad finem consequendum, nempe, executionem mandatorum, maximè Charitatis, quæ est plenitudo legis, vt exponit S. Doct. cum D. Augustino *cap. 11.* Voluntas quidem Dei elucet in creatione, Psalm. 103. *Omnia, quæcumque voluit, fecit.* In sanctificatione, prima Thessal. 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* In glorificatione, Ioan. 6. *Hæc est voluntas Patris mei, vt omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Igitur postulat: Da nobis spiritum Consilij, vt faciamus voluntatem tuam, maximè Charitate in te, & proximum, quia *qui diligit, legem impleuit*, vnde sequitur misericordia in proximos contra auaritiam, vt misericordiam consequamur, vt dicitur Matth. 5. *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.* 74

QVARTA petitio est: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* 75

TRIPLICEM verò panem distinguit S. Doctor. Primus est corporalis, de quo Genes. 3. *In sudore vultus tui, vesceris pane tuo.* Secundus est sacramentalis, prima Corinth. 11. *Quicumque manducauerit panem hunc, &c.* Est etiam panis cælestis æternus Ioan. 6. *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi*, & is præcipuè dicitur: *supersubstantialis.* Ideò D. Hieron. *ad Matth. 6.* supersubstantialis panis est, qui dicit: *Ego sum panis viuus*, qui vniuersas superat creaturas.

PANIS

76 PANES igitur istos petimus, vt ait D. Augustinus *cap. 12.* sermone citato: *Panis quotidianus*, dictus; vel necessaria huius vitæ, vel Sacramentum corporis Christi, intendentes.

De his tribus panibus accepit S. Doct. id Lucæ 11. *Amice, commoda mihi tres panes.* Primus panis est ad corporis sustentationem: Secundus ad animæ in via refectionem; Tertius in patria ad æternam fruitionem. Dicitur ergo: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*; sic enim ex Hebræo legendum, ait Diuus Hieronymus; sic etiam
77 idem nomen ex Hebraicis solent LXX. transferre, nam Hebraicum *Segula*, supersubstantialem significat. Igitur petimus alimentum necessarium corpori, & omnia animæ auxilia, maximè sanctissimum panem Eucharistiæ, vt roboretur anima, & obtineamus postea in patria panem Angelorum.

HINC donum Fortitudinis imploramus, vt det nobis robur simul cum pane, qui *cor hominis confirmat.* Petimus esuriem iustitiæ, vt beatitudinem Saturitatis consequamur, & interim contra acediam ad iustitiam anhelemus, quia *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.*

78 QVINTA petitio: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Grandis petitionis modus. Protestatur, dimittenda nobis debita; *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Petimus autem hic medium per accidens ad beatitudinem, vt remittat nobis peccatorum debita, vt beatitudinem consequamur, vt notat S. Doctor ex Diuo Augustino *lib. 2. de sermon. Domini in monte, capite 1.* hoc autem probat illo *Matth.* 18. vbi Deus inducitur in parabolam nolle remittere illi, qui noluit aliis remittere: *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne oportuit, & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?* Et hoc, ait Dominus: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater cælestis peccata vestra; si autem non dimiseritis hominibus,*
79 *nec Pater vester dimittet vobis.* Itaque, vt idem Sanctus Augustinus ibi ait: *Tunc conuincimur contra hanc regulam fecisse, si eis non dimittimus, qui veniam petunt, quia & nobis veniam petentibus à benignissimo Patre dimitti volumus. Petimus igitur scientiæ donum, vt sciamus conferre, & ædificare, quæ nos debemus, & remittere discamus fl.mes è compassione aliorum etiam, nedum nostra peccata, & ità consolationem habeamus de concessa nobis indulgentia; eò quòd & nos contra inuidiæ liuorem ex charitate in proximum ei remisimus.*

80 SEXTA petitio est: *Ne nos inducas in tentationem.*

OBSERVAT autem Sanctus Doctor multa esse genera tentationum. Est enim tentatio irritationis, de qua Exodi 17. *Vocauit Moyses nomen loci illius Tentatio, propter iurgium filiorum Israel, & quia tentauerunt Dominum, dicentes: Estne Deus in nobis?* Est tentatio probationis, de qua Iacobi 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem.* Et Tob. 2. *Hanc tentationem ideò Deus permisit euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob.* Est etiam tentatio malæ persuasionis. Matth. 4. *Accedens tentator dixit*
81 *ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Et prima Corinth. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* De hac

tertia intelligitur, ne Deus sinat nos in tentationem peccati ruere, sed oramus, vt manus porrigat, & adiuuet, vt exponit Sanctus Doctor cum Diuo Augustino *cap. 14. loco citato*, vbi ait: *Sine tentatione probationis esse nullus potest. Itaque non hic oratur, vt non tentemur vllo modo, sed vt non inferamur in tentationem. Tanquam si quispiam, cui necesse sit igne examinari, non oret, vt igne non contingatur, sed vt ne exuratur. Vasa enim figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis*, Ecclesiast. 27. *Ioseph tentatus est illecebrâ stupri, sed non est illatus in tentationem. Susanna tentata est, sed neque ipsa inducta, vel illata in tentationem, multique alij.*

ITAQVE postulamus spiritum pietatis, & 82
mansuetudinem spiritus, vt exercendo nos in operibus sanctis, ad quæ omnia pietas vtilis est, fugiamus otium, tentationis fomitem, & animo mansueto sustineamus, donec veniat salutare Domini, nec proximo reddentes malum pro malo, vt in superiori petitione dictum est, vitemus Iram præcipitem, prudentiâ præuidentes, & prouidentes pericula, & sic possideamus terram viuentium, quæ donatur patienter sustinentibus tentationes, sicut Tobias, & Iob possidere, & quibus dicitur: *Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.*

SEPTIMA petitio: *Sed libera nos à malo* 83
nempè culpæ, de quo Rom. 6. *Liberati à peccato, serui autem facti Deo.* Et à malo miseriæ, de quo Rom. 8. *Creatura liberabitur à seruitute corruptionis*, & maximè de malo pœnæ æternæ, Oseæ 13. *De manu mortis liberabo te.*

POSTVLAT igitur spiritum timoris Domini quo auidiùs ad Deum confugiens liberationem à malis postulet, & per virtutem paupertatis spiritus humiliter Deum precemur, vt ait Diuus Cyprianus. Sic enim petimus, vt exponit etiam D. Ambrosius, liberari à malo Dæmone, ne ad ruinam superbiendo nos trahat.

HAS autem petitiones concludit dicens: *Amen*, 84
quod sonat, *fideliter*, vt interpretatur S. Hieronym. *Matth.* 6. aut *verè*, vt, teste Hieronymo, interpretatur Aquila, vel *fiat*, vt explicat Ambrosius in *Psalm.* 40. in ea verba: *fiat, fiat*, vbi Hebræus habet: AMEN.

VBI aduertit insuper Sanctus Doctor, in fine librorum solere Hebræos vnum è tribus ponere, aut *Amen*, quod significat verè, & fideliter, aut *Selah*, quod significat semper, aut *Salom*, quod significat pacem. Tandem addit: *Amen* quandoque esse nomen, vt Apoc. 3. *Hæc dicit: Amen, testis fidelis, & verus, qui est principium creaturæ Dei.* Quandoque aduerbialiter, vt *Amen,* 85
Amen dico tibi: hodie mecum eris in Paradiso. Lucæ 23. Quandoque verbialiter, vt hic, idest: omnia prædicta fiant nobis ex tua gratia. Hinc fit, vt alteri oranti tantùm respondens: *Amen*, fiat comparticeps eius precum, quod satis commodum est in oratione vocali, vt vnus tantum oret, & alter attendat. Hæc Sanctus Doctor, ex quo etiam deduco, posse idem accipi aliis duobus modis, vt Dominus ipse IESVS innuatur hic: *Amen*, quippe qui nunquam desit orantibus, sed ipse concludat benefica conclusione nostram orationem, iuxta sua promissa, quia Deus est fidelis. Itaque ex fidelitate, orantibus rectè Deus adest, non tamen sequitur, adesse ex iustitia, quia non ex æqualitate cum nostra oratione, vel ex iusta distri-

butione concedit petita, sed sua misericordia, vt colligo ex Sanctus Doctor. & aduertit Valentia *disp.6. quaestion.2. p.4.* contra Medinam *quaestion.18. de oratione.* Ideò enim Daniel *caput 9.* clamabat: *Non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis exaudi Domine, &c.*

84 OBSERVAT id etiam Valentia *puncto 5.* ex D. Bonauent. *ad 11. Lucæ*, qui tantùm quinque petitiones memorauit, omissâ tertiâ, & septimâ; eò quòd in aliis contineantur, vt ednotauit D. Augustin. *in Enchir. cap. 115. & 116.* nam tertia, idest, *fiat voluntas tua*, subintelligitur in illa: *Sanctificetur nomen tuum*, cùm sit necesse facere voluntatem Dei, vt nomen eius sanctificetur in nobis. Septima quoque: *Sed libera nos a malo*, subintelligitur in illa: *Ne nos inducas in tentationem.* Vnde acutè D. Augustin. ait, Lucam, omittendo huiusmodi petitiones, fecisse potius, vt intelligerentur.

85 OBSERVAT etiam S. Doctor Lucam finire illâ petitione: *Ne nos inducas in tentationem*, in qua dubium est de statu, vel lapsu, & ideò non addit *Amen* quod est inditium certitudinis orationis exauditæ: Matthæus verò terminat in liberatione ab omni malo pœnæ, ac per hoc à morte; de qua prima Corinth.15. *Nouissimè autem inimica destruetur mors*, & posteà est certitudo salutis, ideò finit dicens: *Amen*, ad certitudinem pro illo tempore; sed quia, quamdiu hic sumus, ad hanc certitudinem non peruenimus, ideo submissè dicitur à Sacerdote in Missa. Hæc S. Doctor. *ad 6. Matthæi.*

86 NON omnino diuerso modo explicat hanc orationem sacerrimam, iuxta Euangelium Lucæ: *Cùm oratis, dicite*, corde, & ore, ne quando dicatur nobis illud Marci 7. *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est à me.* Corde quidem, sed etiam ore, iuxta id Psalm.108. *Confitebor Domino nimis in ore meo.* Inuocatur autem Pater ratione conditionis naturæ, secundùm id, Ephes.3. *Ex quo omnis paternitas.* Et Malach.2. *Numquid non pater vnus omnium nostrum.* Est etiam Pater ratione collationis gratiæ, Rom. 8. *Accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus: Abba Pater.* Idem habetur *Galat.4.* est etiam Pater ratione consummationis gloriæ, Hierem. 3. *Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis.* Quoniam igitur omnibus his modis est pater, ostendit, nos confidenter debere om-
87 nia ab eo petere. Lucas tamen hæc implicitè accipit, vt dicta minoribus discipulis, Vterque tamen nomen Patris præmittit, vt reuerentiâ, & confidentiâ, veluti geminis alis, ad Deum oratio euolet. Habetur sanè reuerentia ex nomine Patris, vnde Malach. 1. *Si ergo ego Pater sum, vbi est honor meus?* Et Eccles. 3. *Gloria hominis ex honore Patris sui.* Habetur & confidentia, iuxta id Isa.49. *Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui?* Ideò infert Christus hîc: *Si vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester dabit spiritum bonum petentibus se?*

88 IOAN Beda ad hunc locum: *Oratio, quæ paterno dulcescit nomine, omnium petitionum mearum impetrandarum mihi fiduciam præstat.*

MOX incipit exponere petitiones: A Deo enim Patre tria sunt postulanda. Primum est finis, qui est consummatio gloriæ. Secundum consummatio gratiæ, quod est medium vicinissimum. Tertium remotius, veniæ scilicet condonatio. Et ista tria ordinata sunt iuxta gradum, & ordinem maioris dignitatis. Ad consummationem gloriæ concurrunt 89
perfecta notitia & perfecta reuerentia, & secundùm hæc sunt duæ primæ petitiones. Ad consummationem gratiæ sufficit assidua subuentio cælestis eleemosiæ, & hoc petitur tertiò. Ad condonationem veniæ duo concurrunt, scilicet remissio culpæ, & remotio pœnæ, & hæ petuntur in duabus vltimis petitionibus.

SED quoniam perfectio reuerentiæ attenditur non modò in affectu, sed & in effectu, ideò Matthæus addit: *Fiat voluntas tua.* Rursus quia remotio pœnæ attenditur, non modò quantum ad remotionem tentationum, sed etiam afflictionum; Ideò Matthæus duabus vltimis adiungit septimam: *Sed libera nos à malo.*

SIC igitur omnia postulat necessaria, amotio- 90
nem mali, & collationem boni: Rursus amotionem mali culpæ, & pœnæ, seu mali quod patimur, & mali quod agimus: sed malum pœnæ potest subdiuidi; quia quoddam est occasio culpæ, & sic est tentatio; quoddam tenet rationem meram pœnæ, estque tribulatio; & sic ea illa diuisione habemus tres vltimas petitiones. Petimus autem bonum, aut æternum, aut temporàle. Si æternum, aut ex parte intellectus, aut ex parte affectus, & sic duæ sunt petitiones. Sed affectus habet ordinari respectu maiestatis, & respectu bonitatis, & sic illa petitio primâ diuisione geminatur, sed subdiuisione triplicatur. Si verò petitur bonum tem- 91
porale, aut ratione mentis, aut ratione corporis petitur; sed quia corporale bonum non debet desiderari, nisi propter spirituale. Ideò tam secundùm Lucam, quàm secundùm Matthæum, vna fit petitio de vtroque, & sic patet sufficientia diuisionum vtriusque Euangelistæ.

SVNT igitur quinque petitiones secundùm Lucam (ait S. Doctor) ordinatæ secundùm maiorem nobilitatem: In prima petitur perfecta notitia Dei: In secunda perfecta reuerentia in affectu: In tertia sufficientia in virtute: In quarta indulgentia in reatu: In quinta victoria in conflictu; & in his implicantur septem allatæ ex Matthæo. *Sanctifice-* 92
tur nomen tuum. Hîc petimus notitia Dei, vnde sanctificetur nomen eius, idest, nobis notum honoretur, de quo Psalm. 75. *Notus in Iudæa Deus* & Malach. 1. *Ab ortu enim solis vsque ad occasum, magnum nomen meum in Gentibus.* Et Hierem.31. *Omnes cognoscent me à minimo, vsque ad maximum.*

TRIPLEX autem notitia postulatur. Prima per fidem: *Accedentem enim ad Deum, oportet credere.* Hebr.11. Secunda, cognoscere, quid non est, de qua Augustin. *Multum comprehendis, si comprehendis, quid non sit Deus.* Tertia est cognoscere, sicuti est, de qua *prima Corinth. 3.* Prima cognitio 63
liberat ab insipientia; nam Psalm. 13. *Dixit insipiens, non est Deus.* Secunda liberat ab Idolatria, quâ colitur, quod non est Deus, 1. Corinth. 8. *Idolum nihil est.* Tertia ab omni liberat miseria, quia *tunc similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* 1. Ioan.3.

HINC D. Chrysost. *opere imperfecto*, in cap.6. 94
Matth. *Sanctificatur in nobis nomen Dei, quoniam scientes eum sanctum, timemus, & sollicitè vigilamus, ne fortè violemus sanctitatem nominis eius in nobis. Hoc autem erit quando totaliter ei vacabimus, & per nullam distractionem inficiemur*

mentes

menes nostra, quod erit in gloria, *secundùm illud* Psalm. 137. *In conspectu Angelorum psallam tibi; adorabo ad templum sanctum suum, & confitebor nomini tuo. Super misericordia tua, & veritate tua; quoniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.*

95 SECVNDA: *Adueniat regnum tuum*: Tunc autem perfectè regnat in nobis, quando nos sumus perfectè omninò illi subiecti, quod erit in fine, *cùm tradiderit regnum Deo, & Patri*, prima Corinth. 15. Apoc. *Redemisti nos, &c. & fecisti nos Deo nostro regnum.* Per huius regni aduentum non augetur Deo potentia, sed hominibus obedientia, quæ efficit, vt fiat voluntas Dei, vt ait tertia petitione Matthæus, *in cælo, & in terra.* Hîc enim non est adeò perfecta obedientia sicut in cælo: Ideò dicebat Ioan. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo*; & hoc, quia in mundo sunt rectores tenebrarum *Ephes.* 6. sed in fine mundi tolletur potestas à dæmonibus, & tota Christo deferetur, vt dicitur *Daniel.* 7.

96 TERTIA *Panem quotidianum* postulat, vbi petitur principaliter panis spiritualis. Ideò Matthæus ait: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Sed quia tamen petimus omne necessarium etiam ad vitam. Ideò Ecclesia cum Luca dicit: *Panem quotidianum.* Obseruat autem S. Bonauent. peti panem quotidianum pro continua necessitate, sed peti hodie, vt remoueatur auara sollicitudo, cogitans de crastino.

ADVERTIT autem, nomen Hebræum *Sechol-la* ex D. Hieron. *in* 6. *Matth.* significare vtromque, & quotidianum, & supersubstantialem. Nomen verò Hebraicum est *Segula.*

ET hoc ait Beda *ad* 11. *Luca* in Glossa: Panis verò quotidianus ideò dictus est, quia hic est necessarius; quamuis animæ, carnique tribuendus est, siue spiritualiter, siue corporaliter, siue vtroque intelligatur modo.

97 MVLTIPLEX igitur panis hîc petitur. Primus est alimentum huius vitæ, Eccles. 29. *Initium vitæ hominis aqua, & panis, & vestimentum.* Secundus est intelligentia Sacræ Scripturæ, de qua in Thren. *Paruuli petierunt panem.* Tertius est Sacramentum Eucharistiæ, de quo Sap. 16. *Paratum panem de cælis præstiti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.* Et Ioan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Quartus est adiutorium Scripturæ, de quo Psal. 77. *Panem Angelorum manducauit homo.* Et Psalm. 103. *Panis cor hominis confirmet.* Et Lucæ 14. *Beatus, qui manducabit panem in Regno Dei.* Quintus est obsequium obedientiæ; de quo Ioan. 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris.* His quinque panibus satiat Ecclesiam in illa multitudine expressam *Ioan.* 6. Ideò orandum: *Domine, da nobis semper panem hunc.*

98 QVARTA petitio est: *Dimitte nobis peccata nostra.* Hæc enim faciunt nos debitores, de quo Psalm. 36. *Mutuabitur peccator, & non soluet.* Hæc sunt debita, quæ mulier illa nequiuit soluere, donec Eliseus oleum multiplicaret 4. *Reg.* 4. Oleum enim est misericordia Christi; sed quia: *Iudicium sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam*, Iacobi 2. Ideò dicitur: *Siquidem & dimittimus omni debenti nobis.* Vnde Eccles. 28. *Relinque proximo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata soluentur.* Et Matth. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum; dimittet & vobis Pater cælestis.* Et Matth. 18. enarrata punitione eius, qui noluerat remittere, concludit: *Sic Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis, &c.* ait enim, Iudith. 9. *Nec superbi ab initio placuerunt tibi: sed humilium, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Et Isa. 1. *Cùm multiplicaueritis orationes, non exaudiam: manus enim vestra sanguine plenæ sunt.*

QVINTO addit S. Lucas vltimam: *Et ne nos inducas in tentationem.* Non petit, ne tentetur, quia tentatio hominem probat, Psalm. 25. *Proba me Domine, & tenta me.* Et Eccles. 35. *Qui non est tentatus, quid scit?* Sed petit à tentatione non superari: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari super id, quod potestis*, prima Corinth. 10. Id petendum etiam ad nostræ infirmitatis recognitionem, secundum id 2. Paral. 20. *In nobis quidem non est tanta fortitudo, vt possimus resistere huic multitudini, quæ irruit super nos. Sed cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Quoniam ergo tribulatio tentatio est, secundùm id Iacobi 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem.* ideò qui eripitur ab omni malo tentationis, eripitur ab omni malo tribulationis; & ideò non addit Lucas: *Sed libera nos à malo*, tanquam petitionem diuersam, sed eam explicat, quasi in hac inclusam. Ideò Beda in Glossa ait: *Sciat vnusquisque, in eo se liberari à malo, quod non infertur in tentationem.* Rationem autem cur non addat: *Amen*: iam dixi suprà. 99 100

EX quartæ petitionis expositione habes, bona spiritualia ad salutem concernentia, simul cum fine vltimo posse determinatè peti per se absolutè; at verò bona temporalia, & necessaria, vt panem, & vinum totum peti in ordine ad salutem. Ideò enim vnam ex omnibus petitionem panis spiritualis, & corporalis ponit. Sic enim licet optare hæc bona temporalia, & non aliter; & illud tantum licet petere orando, quod licet optare, vt ait D. August. *epist.* 121. 101

ORATIO igitur absoluta debet esse propter tria obtinenda, veniam, gratiam cum virtutibus & gloriam, vt ait S. Doct. *ad* 22. *Lucæ* ideò ter Christus orauit; & Apostolos visitans ad orationem excitauit. 102

QVÆSTIO VII.

Quis debeat orare.

{ D.Thom. art. 16.

DICO cum D. Thoma, *artic.* 16. omnem hominem, dum hanc vitam ducit, posse, & debere orare, tempore, quo præceptum orandi obligat, vt dixi *quæstione* 3. Nam omnis homo, aut peccator est, aut iustus: Si iustus, eget oratione ad perseuerandum, & ne inducatur in tentationem: Si autem est peccator, eget oratione ad petendam gratiam, & satis necessitatem orationis ostendi *quæstione tertia.* 103

ADVERTE id, quod dixi *quæst.* 4. com, qui vult mereri, vel satisfacere suâ oratione, debere esse in gratia, & hoc sensu D. Bonau. *de profectu relig. cap.* 71. exponit id Ioan. 9. *Scimus quia peccatores Deus non exaudit*, non exaudit, scilicet ad meritum, vel 104

ad liberandas animas è Purgatorio, vt docet D. Bonauent. *in 4. dist.45. art.2. quæst.2.* vbi hunc locum ità exponit. Vel intellige peccatorem, vt peruicax est; nam sæpè etiam peccatores exaudiuit, vt notat idem S.Doct. ibi allegatus, & ad 7. *Lucæ*, vbi considerat, exauditam fuisse peccatricem. Similiter *Lucæ* 10. Publicanum *Lucæ* 23. Latronem, &c. vt obseruat etiam Valentia *p.6.* post D. Bonauent. ad eum locum *Ioan.9.* vbi D. August. inducit *tract.44.* quærentem: *Si Deus peccatores non audit, quomodo audiuit publicanum, & peccatricem? Frustrà publicanus orasset: Deus propitius esto mihi peccatori.* Et respondet S. August. *Quod sicut inunctus loquitur, non sicut plenè videns, id, intelligendum, vt peccatores dicantur dupliciter, vel vt peccatores actu, & affectu.* Et tales non audit Deus, in quantum tales: Non enim est speciosa laus in ore peccatoris. Vel dicuntur peccatores peccata recognoscentes, & se reputantes pec-
105 catores, Matth.9. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Et tales exaudit, sicut Publicanum. Subdit autem ibi Ioannes ex ore cæci: *Sed si quis Dei cultor est, hunc Deus exaudit.*

Movat autem hic quæstionem S.Doctor: Paulus erat Dei cultor, & non est exauditus, 2. *Corinth.* 12. Et respondet, Apostolum exauditum ad vtilitatem, etsi non ad votum, quia, vt ait S.August. *lib. de vnitate Ecclesiæ, cap.* 16. & tract.73. in Ioan. *Deus aliquando exaudit propitius, aliquando iratus, vt peccatores manentes in suo peccato, vt dicitur* Isa.59. *Peccata vestra absconderunt faciem eius, à vobis, ne exaudiret; quia vt dicitur* Sap. 2. *Peruersæ cogitationes separant à Deo*, neque enim oratio est placabilis, vbi persona est indigna. Ideò obseruat, Deum *Genes.4.* Respexisse primò ad Abel, deinde ad munera eius; at verò non respexit primò ad Caïn, deinde ad munera.

106 Ex quibus habes, insulsè locutum Vuicleph *errore* 26. damnato in Concilio Constant. *sess.8.* dicentem, Orationem præsciti nihil valere; Quod supra reiectum est. Sanè peccatores peruicaces, non orantes animo tecto, audiuntur à Deo irato, vt ait D.August. *Tract.73.* allegato, vbi ait: *Metuendum est, ne multa Deus quod posset non dare propitius, det iratus.* Etenim tunc ipsa oratio est illusio Dei, vt ait Valentia *loc. cit.* cum D. Bonau. *in Pharetra, p.2. cap.46.* ex D.Chrysost. *homil.15. in Matth. opere imperfecto.* Et tales orationes sunt, quas meritò damnant Scripturæ, & Patres allegati *quæstione* 4.

Deinde dico, Sanctos in Beatitudine orare pro nobis, vt ostendam 3. *p. Tract. de purgat.*

107 Damnati verò petere possunt. Sic enim epulo petiit, vt ad fratres suos mitterent, & vt Lazarum ad se mitterent, vt obseruat S. Doct. *Lucæ* 16. vbi eam petitionem vocat postulationem, & non vult eam vocare orationem, quia non est actus virtutis Religionis, sed ex prauo affectu inuidiæ in Lazarum, & carnalis affectionis in fratres, quos nolebat in infernum descendere, non charitate motus, sed amore proprio, na sibi pœnæ augerentur. Vide S.Doctorem.

108 Dico tertiò animas in Purgatorio orare petendo suffragia. Indicat S. Doct. *in 4. distinctione 45. articul. 3. quæstione 2. in corpore*, ex quo deducitur, eos petere etiam à Deo, vt ad Fideles visitores mittat, eisque inspiret, pro ipsis suffragia offerre.

Idem docuit Alens. 4.*p. quæstione 91. membr.4.* & probat ex Diuo Gregorio *lib. 4. Dialogorum*, vbi memorat, animas petere à viuentibus auxilia.

Dico quartò, probabile esse animas purgatorij orare pro nobis. Ita Medina *quæstione 5. de oratione*, Valentia *loco citato*. Sic Hieremias iam defunctus, dicitur multum orare pro populo, & dum erat in Lymbo 2. *Machab. vlt.* & Hierem.15. dicitur: *Si steterit Moyses, & Samuel, &c.* Ergo soliti erant orare. 109

QVÆSTIO VIII.

Quis sit Orandus.

Non est diu in hac quæstione immorandum, cum nullam prorsus difficultatem patiatur; cultus enim Religionis Deo est debitus, ideò is solus orandus, tanquam author bonorum supernaturalium; nam solus Deus dat gratiam, & gloriam *Psalm.83.* & hic est cultus Religionis. 110

Sancti verò sunt orandi, vt intercessores. Hanc quæstionem habebis tertia parte Tractatu de Incarnat. *disput.23. quæstione 5.*

QVÆSTIO IX.

Pro quibus sit orandum.

Assero primò, orandum non modò pro nobis, sed etiam pro aliis etiam inimicis, vt latè ostendi de Charitate *disput.8. quæst.24.* 111

Probatvr à S. Doct. *ad cap.3. Regulæ*, vbi ideò ait, docuisse nos orare, dicendo: *Pater noster*, non Pater meus, ne quispiam orationem suam ad se solum contrahat. Ideò S. Cyprianus hoc vsus argumento ait: *Noluit pacis Doctor, vt quis pro se tantùm precetur, non enim dicimus: Pater meus, nec panem meum da mihi &c. sed: Pater noster: Panem nostrum, &c.*

Deinde probatur à D.Thom. *art.7.* Id, quod debemus aliis optare, debemus pro aliis petere; sed ex charitate debemus non solum nobis, sed etiam aliis multa bona optare; ergo & petere. Hoc argumento vsus sum *Tract. de charitate, loc. cit.* ex D. Bonau.

Assero secundo, non esse orandum, vt omnes efficaciter beatitudinem consequantur, sed illi tantùm, qui voluerint Deo respondere. Ideò obseruat S. Doct. *ad 17. Ioan.* & cum eo Valentia *p.8.* Christum orasse hac forma: *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro illis, qui credituri sunt per verbum illorum in me.* 112

Igitur (ait S. Doct.) pro omnibus orandum, qui voluerint conuerti, quia Christus venit vocare peccatores *Lucæ 5.* & ideò *Matth.9.* dixit: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Igitur per mundum intelligit volentes obstinatè mundo seruire, vt exponit D. Augustin. *tract.107.*

Ex his deducit S.Doct. orandum etiam pro prædestinatis, vt patet in oratione Christi.

Dicas: Statutum est de eis ad salutem; ad quid ergo pro eis oratur? 113

Respon

Respondat S. Doct. quòd sic electi, sunt prædestinati, sicut per Christum redempti, & vt fide ipsius in corpore mystico viuificati; sicut enim ait D. Gregorius, Dial. l. I. cap. 18. *Ipsa perennis regni prædestinatio, ita est ab omnipotente Deo disposita, vt ex labore perueniant electi ad illud, sicut electi ista & prædestinati saluabuntur opere redemptionis Christi, quod consummauit, sicut redempti sunt, & sic oratione suâ acceptati.*

114 Addendo tertiò non esse aliquem viuorum ab orationibus nostris priuatis excludendum.

Probatur ex D. August. *lib. de corrept. & gratia, capite* 15. vbi sic loquitur: *Nescientes enim, quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus Charitatis affectu, vt omnes velimus saluos fieri*: infra autem ostendit id præstari, cùm conamur id efficere, vt iustificati euadant. Reliqua vide de charitate, *disputatione* 8. *quæstione* 25.

QVÆSTIO X.

Quomodo sit orandum.

D.Thom. quæst. cit. art 12. 13. & 14.

115 Conditiones illas posui *quæst.* 4. & 5. quibus bona constare debet oratio. Hic præcipuè considero conditionem attentionis. Et sanè attentio aliqua necessaria est, vt efficax sit. An verò attentio sit necessaria orationibus ex præcepto, vt satisfaciat, disserui *primæ secundæ. Tract. de Legibus, disput.* 5. *quæst.* 3.

S. Bonaventura in cap. 22. Lucæ, orationis Christi in horto distinguens anatomen, septem conditiones in oratione ponit, vt modus orandi sit optimus.

116 Prima est, vt sit secreta: sic enim ibi, Christum optimum pro negotio grauissimo orationem in fine vitæ fecisse, aduertit, *quòd egressus ibat secundùm consuetudinem in montem solitarium oliuarum*, Ideò Oseæ 2. ait: *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius.* Et Matth. 6. *Cum oraueris, intra in cubiculum, & clauso ostio, ora Patrem tuum.* Et Matth. 14. *Dimissâ turbâ, ascendit in montem solus orare*: & arbitratur, fuisse eundem montem oliuarum, vt ostenderet ibi impinguari in oleo caput, vt dicitur *Psalm.* 22. & inde in cælum ascendi.

Secundo debet esse sollicita. Ideò Christus, cùm peruenisset ad locum orationis, dixit discipulis: *Vigilate, ne intretis in tentationem*, maximè verò in tempore tribulationis debemus solliciti orare; vnde & Psal. 76. *In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus, &c.*

117 Tertio debet esse deuota, quod Christi exemplo ostendit, cùm *auulsus ab eis quantum iactus est lapidis, positis genibus orabat*; nam *oratio humiliantis se, nubes penetrabit*, Eccl. 35. & Psalm. 101. *Respexit in orationem humilium.* Et Iudith. 9. *Humilium, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Et Paulus, Eph. 3. *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem*; exprimit autem motum violentum, dum dicitur auulsus lapis iste angularis. Perbellè ait Isaias 28. *Quem docebit scientiam? ablactatos à lacte,* *auulsos ab vberibus.* Hic exprimit vehementiam deuotionis, quâ gemens auellitur ab amicis.

Qvarto debet esse discreta, exemplo orationis Christi precantis: *Pater, si vis, transfer calicem istum à me.* Calicem passionis nominat, de quo statutum erat Psalm. 109. ex Matth. 20. *Potestis bibere calicem, &c.*

Qvinto debet esse vigorosa. Ideò: *Apparuit ei Angelus confortans eum*, sic Angelus etiam Danielem tetigit, & confortauit *cap.* 10. Ideò & *Christus factus in agonia, prolixius orabat.* 118

Sexto debet esse anxia: *Et factus est sudor eius, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.* Sic dicitur Psalm. 87. *Domine Deus salutis meæ in die clamaui, & nocte coram te.*

Advarte tamen primò cum S. Doct. vitanda esse extrema, ne scilicet nimis languidè oremus, sed instanter replicando affectus, & sæpè etiam verba, iuxta id: *Orationi instate.* Coloss. 4. *sine intermissione*, vt dicitur *prima Thessal.* 8. Christus quoque recursus est ad orationem, *eundem sermonem dicens.* Quare stultè Caluinus *lib.* 3. *Instit. cap.* 20. *sect.* 29. dixit, replicare orationes, esse battologiam, & multiloquium prohibitum à Christo. 119

Ex altera parte neque ad anxietates incessantes, & vehementes declinandum, vt dixerunt Massiliani apud Damascenum *hæresi* 80. illo nisi fundamento Lucæ 18. *Oportet semper orare*; hoc verò intelligendum, ait Seraphicus, vt particula *semper*, non distribuatur pro omni parte temporis, sed prò horis statutis. Et hæc expositio est D. August. *hæresi* 57. Bedæ in 18. *Luca.* Anselmi *in cap.* 5. *primæ ad Thessal.* D.Thom. *hic art.* 14. *ad* 4. Ioan. Medinæ *quæst.* 11. *de oratione*, Alphonsi à Castro *verb. oratio, hæresi* 2. Valentiæ *disp.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 9. Eodem ferè modo exponit S.Doct. id Lucæ 2. *Erat Anna prophetissa, quæ non discedebat de templo, seruiens Deo nocte, ac die.*

Septima conditio est, vt sit circumspecta, sic enim Christus orauit ad Dominum, vt non obliuisceretur discipulorum, Matth. 26. *Et venit, & iterum inuenit eos dormientes.* Hinc rursus Messaliani, seu Psallani carpuntur, qui volebant soli adeò intendi orationi, vt non definerentur, donec sentiremus dæmonem erumpere. Sed debemus etiam operibus inuigilare charitatis; qui enim hæc negligit, est infideli deterior, vt ait Apostolus 1. *Timot.* 5. & aduertit etiam Valentia. 120

Allatæ conditiones, maximè vel conferunt ad attentionem, vel eam comitantur.

Sæpius autem, vt dixi *quæst.* 5. deuotissimus noster, & Sanctissimus Doctor peracuta motiua exenlatur ad attentionem, maximè verò *lib.* 2. *de profectu Religiosi*;

Et quidem *cap.* 61. distributa oratione in deprecationem, & obsecrationem, addit gratiarum actionem, & laudem.

Mvlta verò incentiua ad gratias Deo agendas refert *cap.* 63. Considerandum ait nostrum Benefactorem nobilissimum Deum, beneficia exquisitissima contulisse, eaque nobis vilissimis, indignis, & demeritis. Et sanè plurimum debemus: *Cui enim multum datum est, multum quæretur ab eo.* 121

Capita 64. & 65. Laudum Dei materiam vbique reperit, siue terram inspexeris, siue cælum intuitus fueris: Est enim liber aureis characteribus excusus, litterisque amatoriis, Deus amat. Stellæ quinquaginta quinque motibus permeant, litteras Dei velocissimè per vias lacteas ad nos deferentes. Sol, Lucis Auriga, tempora

beneficia varianta confert. Vide S. Doctorem, & Glielmum *de Gloriis sanctissimæ Trinitatis*; In septem Dei operibus, inuenit præcipuè Dei laudem, *capite* 65.

122 PRIMVM opus est Creatio; nam super nihilum, mundum vastissimum erexit, & tot ornamentis decorauit.

SECVNDVM opus est vniuersi gubernatio, tam ordinata, & mira, vt considerantí extasim causet.

TERTIVM opus est Humani generis redemptio.

QVARTVM Iustificatio tot peccatorum, tantâ suauitate, benignitate, & misericordia.

QVINTVM opus est, iusta meritorum retributio.

SEXTVM opus gloria Beatorum.

SEPTIMVM opus, non opus, sed Sabbathum, & in Deo quies, & Dei in sanctis. Vide mira in S.D. quem imitatur Glielmus *opere allegato*, quod nunquam ad satietatem perleg s.

123 OSTENDIT adhuc S.Doctor *in legenda S. Patris Francisci*, *cap*.10. in omni loco, & tempore Seraphicum Patriarcham solitum orare, siue in solitudine, siue in ciuitatibus, populorum inundantium obrutum concursu, atque impetu compressum, modò manibus elatis, modò brachiis expansis, modò prostratum, sicuti etiam de Christo legitur *Ioan*.17. *Marci* 14. *Lucæ* 22. & Stephanus *Act*.7. Petrus *Act*.9. Paulus *Act*.20. & ad *Ephes*.3. Item aliquando orationem factam in Ecclesia referunt Scripturæ *Iudith*. 6. aliquando in cænaculo *Act*.9. A Iona in ventre Ceti *cap*.2, A pueris in fornace *Daniel*.3, & Damascenus *l*.4. *de fide*, *cap*.13. refert, olim ex traditione Apostolica moris fuisse Orientem versus ora-
124 re, & Tertullianus *in Apolog*. *cap*.30. refert, orare solitos expansis manibus. Eadem fere D. August. *lib. de cura pro mortuis*, *cap*.5. refert. Hoc epiphonemate claudam: Omnia Seraphici opera ad orationem dirigunt vt ait Sixtus V. in Bulla de S.Doctoris Canonizatione.

QVÆSTIO XI.

De modo illo orandi Horis Canonicis.

VBERRIME scribit de publicis laudibus in Choro canentium P.Zacharias Bouerius *Tom*.1. *Annalium*.

125 FVERE nonnulli etiam sanè perantiqui hæretici, qui horas Canonicas, & Sacram Hymnodiam, quâ in exilio hoc consolatur Ecclesia, vt ait sanctissimus Vrbanus VIII. initio Breuiarij renouati, vituperauerunt, & sarcasmatibus insectati sunt. Inter hos Vigilantius, de quo S. Hieron. *in epist. ad Riparium Episcopum*. Et alij hæretici apud Isidorum *l*.1. *de offic. cleric*. *cap*.22.

OMNINO autem Horarum Canonicarum vsum improbarunt Vualdenses hæretici, teste Ænea Syluio *lib. de origine Bohemorum*, *cap*. 35. & Vuiclephus apud Thomam Vualdensem *tomo* 3. *cap*.21. Hussitæ, & tandem Lutherus *l. de forma missandi*, vbi imprudens audet dicere, Horarum lectionem esse simulatum Dei cultum. Hunc hæresiarcham sequuntur Sectariorum armenta.

126 PROBATVR ergo à S. Doct. hic modus orandi sanctissimus, quem propterea obseruat à S.Patre Francisco *in regula*, *cap*.3. nobis præceptum ex vniuersalis Ecclesiæ consuetudine, quam improbare insolentissima est insania, vt clamat D.August. *epist*.118. Hoc, ait S. Doct. in Psalmis contexendis intendit Spiritus Sanctus; ideò Psalm.45. *Sacrificium laudis honorificabit me*. Et D. Gregorius *in Ezech. homil*.1. Vox Psalmodiæ cum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Deo ad cor iter paratur, vt deuotæ menti, vel prophetiæ mysterium, aut compunctionis gratia infundatur. Id latè prosequitur S.D. *opusc. de profectu Religiosi*, *lib*.2. *cap*.72.

IO probat S.Doct. *ad Psal*.50. ex ipsa Dauidis antiquissima consuetudine, qui *Psalm*.118. aiebat: *Septies in die laudem dixi tibi*, & *media nocte surgebam ad confitendum tibi*, vbi horæ Canonicæ recensentur.

IDEO in eum Psalmum, *cap*.11. *versiculo* 4. obseruat, septem horis canonicis hic recensitis, exprimi perfectam Deo debitam seruitutem, & cultum, vnde à septem vitiis expiati, septem ornati virtutibus, donis totidem, & charismatibus confirmati, ad immortalitatem, quæ septenarium claudit temporum, euolamus. Hinc etiam nos monemur: *si septies in die peccauerit in te*; *si septies in die conuersus fueris ad te*, &c. Lucæ 17. 127

ET *cap*.4. *versiculo* 14. in ea verba: *Media nocte surgebam, ad confitendum tibi*, obseruat, hoc tempus esse seruatum ad diuinas laudes. Ideò Act.16. *Media nocte, Paulus, & Sylas orantes laudabant Dominum*. 128

AD diuinas laudes ideò institutus, & deputatus est chorus canentium cum Asaph. 1. *Paral*.16. & in dedicatione templi cantabant Psalmos, quos fecerat Dauid: *Quoniam bonus &c*. Et Psal. 121. *Ascenderunt tribus Domini ad confitendum nomini Domini*. Hæc omnia in figuram sacrarum Ecclesiæ cantionum prosequitur. Sic Daniel tribus vicibus in die orabat, vt notat D.Bonau. *in Bibliot. paup*. *cap*.21.

HVNC autem ritum, vt dixi, ex antiquissimo Ecclesiæ vsu probat S.Doctor. Testatur id *Actorum* 3. quando *Petrus, & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam*, quod latè explicat S.Basilius *in regulis ad interrogat*.37. & Ephes.5. *Implemini spiritu, loquentes vobis metipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper in omnibus, &c*. Vbi egregiè Haymo intelligit Hymnos ab Ecclesia vsitatos, quos Ambrosius, Gregorius, Hilarius, & alij Patres contexuêre. Hunc autem vsum in Ecclesia Hierosolymitana inoleuisse refert Beda *l*.2. *in Lucam*. 129

HVNC ritum describit S. Clemens Papa, S.Petri discipulus *lib*.8. *constit*. *Apost*. *cap*.34. Tertullianus *in Apolog*. *cap*.2. S.Cyprianus *in expositione orationis Dominicæ*. Item S.Ambrosius hymnos aliquos contexuit, vt refert D. August. *l*.1. *retract*. *cap*.21. Horarum Canonicarum meminit S. Hieron. *epist*. 22. *ad Eustoch. de custodia Virg*. *cap*.16. & *epist*.27. *in epitaphio Paulæ*, *cap*.10. S.August. *in regula* 3. (sumpta ex epist. 109.) *cap*.7. & 8. & *serm*.201. *de tempore* & *l*.22. *de ciuit*. *cap*.8. D. Isidorus *l. de offic. Eccl*. Beda *in cap*.18. *Lucæ*. 130

TANDEM nihil in his habetur, nisi diuinæ laudes, gratiæ, &c. quæ Deo, iustè & piè exoluuntur. Neque moueor, fuisse aliquos ab Ecclesia hymnos compositos; non enim ideò contemnendi. Hinc enim Concilium Toletanum IV. *can*.22. excommunicationis pœnam iacit in eos, qui Ecclesiasticos hymnos propterea respuunt, quod humano studio sunt compositi. 131

TENENTVR autem recitare Diuinum officium sacerdotes *C. Presbyter de celebr. missarum*. Diaconi, & subdiaconi *C. Dolentes*, *eodem titulo*, & *C. Finali*, 32. *dist*. non autem, qui minoribus sunt initiati,

vt

vt communiter sentiunt Doctores *in dicto cap. Presbyteri:* Tenentur etiam, qui habent beneficium aliquod Ecclesiasticum, vel præbendam titulo clericali, vt exponunt Doctores ea verba *cap. finali*, omnesque teneri officio diuino, qui sunt Ecclesiæ deputati, nempe Præbendæ, declaratum est à Pio V.

132 TENENTVR etiam omnes Religiosi Choro deputati, etiamsi non initiati sacris ordinibus, non iure communi, sed peculiari earum lege, vel consuetudine. Sic Fratres minores *cap.3.Regulæ*, de hoc habent præceptum, vt exponunt omnes cum D.Bonauent. ibi, vbi etiam Laicis orationes imponuntur. Nouitij tamen non tenentur, vt notant Valentia, & alij.

PORRO statutum est iam à sanctissimo Pontifice Pio V. Breuiarium, nunc demum à sanctissimo Papa Vrbano VIII. reformatum obseruari.

133 AN verò liceat dicere officium aliud, loco currentis, absque mortali, asserunt Caietanus *in sum. verb. Hora canonica*, Syluester *verb. hora num.* 2. *&* 15. Valentia *disp.6. quæst.2. puncto* 10. § *Quid recitandum*, nec audet reclamare Sotus *lib.10. de iustitia, quæst.5.art.4.* Tannerus verò *disp.5. quæst.1.dub.5.* ait, facere id absque causa, esse saltem veniale. De hoc *dubit.2.* actum est. Adducit Syluestrum, Caietanum, Sotum suprà, Azor *cap.10. quæsito* 2. Lessium *cap.37.num.77.* Alios verò dicit asserere esse mortale, vt Toletum *lib.2. cap.13.* & ait, ad id inclinare etiam Valentiam.

IVBENTVR autem Ecclesiastici *in cap. Dolentes, Officium diuinum, studiosè pariter, & deuotè celebrare, quantum Deus dederit.* Igitur ex vi huius præcepti imponitur modus recitandi voce distincta, vt docet D.Thom. *hic, art.12.* & D.Bonauentura. Triplex est autem attentio, vt sæpe docet S.Doctor *locis relatis, quæst.5. &* 10. vel ad verba, vel ad rem significatam, vel ad finem Deum. Vide S. Doctorem *lib.2. de profect.relig. loco cit.*

34 QVOAD tempus recitandi officium, hoc est à primis Vesperis vsque ad mediam noctem sequentis diei inclusiuè, modò tamen in primis Vesperis non dicantur aliæ horæ, quàm Vesperæ, & Completorium, & posteà matutinum. Prima verò, Tertia, & Horæ sequentes debent recitari die sequenti.

CIRCA hæc multæ quæstiones disputantur, præcipuè à Diana *p.p. Tract.2.* è quibus aliqua tangam.

DVBITATIO I.

An Attentio sit necessaria ad officium ex præcepto recitandum.

135 PRIMA opinio est affirmatiua. Ità omnes ferè Recentiores, Fernandez *in Exam. Theol. part.* 3. *cap.13.§.6.* Villalob. *Tom.1. tract.24. dub.15.* Sotus *lib.10. quæst.3. art.3. concl.* 7. Caietan. 2. 2. *quæst* 83. *art.13.* Nauar. *de oratione, cap.13.num.* 18. Vasquez *prima secunda, Tom.2. disp.160. num.30.* Medina *in summa, lib.1. cap.4. §.* 11. Nauar. *de restit. lib.2. cap.2. num.240.* Lopez *Instruct. Tom.2. cap.103.* Sà *verb. Hora canonica, num.* 19. Pesantius *num.2. q.62. art.1. disp.3.* Zerola *in praxi episc. part.1. verb. Hora canonica*, §. Beia *in resp. part. 2. casu* 33. Comitol. *in resol. moral. lib.1. quæst.6.* Malderus 2.2. *tract. 10. cap.2. disp.2.* Moneta *de distrib. part.1. quæst.2.* Carolus Maeigni *de Hor. can. cap.86. num.16.* Molfesius *in summa, tom.1. tract.4. cap.2. num.8.* Syluius 2. 2.
quæst.83. art.13. concl.4. Homobon *de exam. Ecclesiast.*
part.1. tract. 4. cap.5. quæst.40. Viguer. *Instit. Theol.*
cap.5. §. 5. Gauantus *tom. in rubr. missal Tract.2.*
sect.1. cap.6. ritu 4. Bellor *in praxi de casibus reseruantis, part.2. quæst.15.* Conradus *in resp. casuum consci. part.7. quæst.* 144. Rodriquez *tract. 1. cap.* 143.
Vega *in summa Tom. 2. cap. 128. casu* 20. Valentia
Tom.3. disp.6. quæst.2. puncto 10. Azor *part.1. lib.10.* 136
cap.16. quæsito 6. Ledesma *in summa, tom. 2. tract. 9.*
cap.4. Squillante *de oblig. cleric. part. 1. dub.10.* Suarez *de Relig. tract. 2. lib. 4. cap.26.* & *de censuris, disp.4. sect.2.* Aragon 2. 2. *quæst. 83. art. 13.* Sayrus *de censuris, lib.3. cap.4.* Salas *de legibus, disp.9. sect.9.* Lorca *in prima secunda, Tom.1. de Legibus, disp.16. memb.2.* Raphael de la Turre *part.2. de horis Canonicis, controu.9.* Antonius Caramuel *in Reg.S. Ben.1575. & seq* Lugu *de Euch.disp.22.sect.2.* Tambur. *Tom.2. disp.10 quæst.2.* Antonius Ragaucius *de offic. Can. in choro, quæst.19.* & alij penes citatos, quos refert Diana *p. p. de Horis*, & *part.7. tom.11.30.* Hæc videtur sententia D. Bonauent. *part. 2. speciali ad Nouitios, cap. 1.* & *opusculo de sex alis Seraphim, cap.* 8. subscribunt Tanner, 2. 2. *disp. 5. quæst. 1. num.* 154. cum aliis ibi.

MVLTI tamen, nec ignobiles Theologi, docent, sine attentione satisfieri, dummodò interim aliquid implicans officio non agant. Ità Durandus *in 4. dist.15. quæst.* 12. Syluester *verb. Hora Can.* Medina *Codice de oratione, quæst.14.* Angel. *verb.Hora*, D.Antonin.3. *part. tit.13. cap. 4. §. 8.* Rosella *verb. Hora.* Palud.4. *dist.25. quæst.5. art.2.* Coninch. *de sacr. in 3. part. quæst.83. art.6. num.291.* Ioan. Valderus *in differ. vtriusque fori, verb. Hora can. differ.* 1. Eamque probabilem affirmat Diana cum Lessio *lib. 2. cap.37. dub.2.* Henriquez *lib.9. cap.25. in Glossa, litt.P* Victorello *in summa*, Toleto *lib. 2. cap. 13.* Layman *lib.4. tract.1. cap 5.* Fuliensis *lib.4. de Inst. cap.2.* qui ait esse multorum grauium, & piorum virorum; Bassæus, V. *Hora*, alios afferens. 137

ASSERO cum priori sententia, quæ est D. Bonauent *locis allegatis*, & *de perfectione vitæ ad sorores, cap.5.* quæ refert Bonacina *de Horis, disput.* 1. *quæst.3. puncto* 2. 138

HANC latè probaui *Tract. de legibus dispat. 5. quæst.3.* vbi multas authoritates attuli, & rationes.

PROBATVR ex *cap. Dolentes*, vbi id præcipitur. Vide, quæ ibi dixi.

PROBATVR à Suarez *lib.3. de oratione vocali, cap.4.* ratione D.Bonauent. quem citat *lib. citato*, Vbi aliud profertur ore, & aliud meditatur corde, non est verè oratio; sed dum non attenditur ad illud quod ore profertur, aliud meditatur corde, vt constat, ergo: Subdit talem orationem à Deo nunquam exaudiri, propter Glossam dicentem in Psalm. 118. *Diuisum cor non impetrat, quod petit, diuidit autem cor, qui dimidium habet in cælo, & dimidium in terra.*

DEINDE oratio est quoddam adorationis genus; hæc autem fieri debet in spiritu, & veritate; 139
quæ autem dicuntur attentione aliò distracta, cum veritate non cohærent; vnde sequitur irreuerentia, fini, & effectui orationis substantialiter opposita, saltem cùm innotescit illi, cui fit oratio; Deus autem est scrutator cordium, nec ignorare potest indebitum modum, quo absque attentione, nuda ad ipsum verba referuntur.

DENIQVE vbi non saluatur definitio orationis, absque dubio ibi non potest consistere oratio substantialiter; sed dum abest attentio, definitio orationis non stat; quæ est ascensus mentis in Deum; vt mens autem ascendat in Deum, nequit sufficere sola externa

verborum prolatio. Confirmatur à simili; qui tantùm genua flectit, nullo modo attendendo internæ adorationi, non dicitur adorare; ergo. Consequentia patet; quia sicut oratio vocalis dicitur ad testificandam internam mentis deuotionem; sic genicula-tio fit ad testandam internam mentis demissionem ad Diuinam maiestatem recognoscendam. Ità Suarez *loco citato, num.5.*

Ex his sequitur, beneficiatum, distractè recitantem diuinum officium, non satisfacere, & ad restitutionem teneri. Ita Valentia, Aragon Tannerus & alij.

Dvbitatio II.

An satisfaciat recitans Officium aliud pro currente.

140 Dvæ inueniuntur hac de re sententiæ. Negatiuam sequuntur Vasquez *opusc. de benefic. cap.4. §.1. dub.2. num.60.* Reginaldus *Tom.2. lib.18. cap.16. num. 172.* Suarez *de Relig. Tom. 2. lib. 4. quæst. 23. num. 12.* Fernandez *in exam. Theol. part.3. cap.13. §.3.* Fabius *de sacram. ord. dist.24. quæst.1. disp.1. n.146.* Homobon. *de exam. Ecclesia, part.1. tract.4. cap. 5. quæst.42.* Gauantus *Tract.2. in rubr. sect.1. cap.5. tit.2.* Onuphr. *opusc. de mutatione, offic.* Nauar. *de oratione, cap.10. num.211.* Graff. *decis. part. 2. lib. 2. cap.51.* Philiarc. *tract.1. part. 1. lib. 1. concl. 6.* Rodriquez *Tom. 1. quæst.42. art.6.* Bellarm. *Tom.3. lib.1. controu.9. cap.18.* Tolet. *lib.2. cap. 23.* Ledesma *part.2. tract.9. cap. 4. conclu. 12.* Ragauuius *de offic. can. in choro, quæst.13.* Squillante *de oblig. cler. part.1. dub.26.* Tabiena *verb. hora, quæst.10.* Molphesius *Tom.2. tract.5. cap.2. num.50.* Naldus *verb. Diuinum, offic.* Bonac. *quæst.3. puncto 1.* Filliucius *Tom. 2. tract. 23. cap.8. num 186.* summa Corona *1. cap. 1. num. 10.* Tiruhat de Mortali Tannerus *disp.5. quæst. 2. num. 150.* cum Syluestro *verb. hora, quæst. 12.* Caietanus *ibidem. cap.2.* dicens esse ad minimum veniale. Probabile id censet Bassæus V. *Hora, num.4.*

141 Limitant eam opinionem Reginaldus, Suarez, & alij, quando officij mutatio non fieret ex contemptu, & esset æquiualens in quantitate, vel ferè; nec fieret animo id sæpius agendi. Requiri verò volunt aliquam compensationem, si officium prolixum *v.g.* Dominicæ, cùm officio alicuius Sancti mutetur, iuxta doctrinam Raphaelis della Torre *2. 2. tract. 1. de Horis Can. controu.9. num.6.*

142 Has tamen limitationes respuit Diana *p. p. tract. 12. resol. 3.* cum Vega *p. p. cap.128. casu 17.* quia tenetur singulis diebus tale officium dicere sub tali forma: Ergo parum conducit, si semel tantum violetur, & in quantitate sola seruetur æqualitas.

143 Secvnda igitur sententia docet mutationem officij, etiam dedita opera, non esse mortiferam, vt si loco officij de Feria dicatur de aliquo Sancto. Caietanus V. *Hora, cap.2.* Layman *lib.4. tract.1. cap 5.* Zerola *in Praxi Epis. part.1. v. Hora can.* Lessius *de iust. cap.37. dub.12. num.77.* Valentia *Tom.3. disp.6. quæst.3. puncto 10.* Vega *in sum. loco cit.* Binsfeld. *in Enchir. Theol. part.4. cap. 9. concl.7.* Syluester *loco cit.* Sotus *lib.10. quæst.5.* Medina *lib.1. cap.14. §.11.* Medina *de oratione, quæst.10. diffic.10.* Armilla, V. *Hora Can.* Azor *part.1. lib.10. c.10. quæsito 2.* Rodriquez *summa Tom.3. cap. 195.* Diana *loco cit.* Eamque probabilem censent Filliucius *Tom. 2. tract. 29. cap.7. num.227.* & Bassæus *loco citato.*

Ratio est, quia substantia præcepti est recitandi officium Diuinum, vt septem horæ Canonicæ persoluantur. 144

Prima tamen sententia nititur præcepto Pij V. qui talem formam recitandi Officij mandat, de qua latiùs dictum est *tom.4. disp.17. quæst. 10.* iuxta Decretum Alex. VII.

Dvbitatio III.

An interrumpere partes eiusdem Horæ grauiter sit mortale. 145

Lavdes à Matutinis disiungere, etiam ob leuem causam, nemo culpat, cùm ad modum duarum horarum possint dici; nec etiam vnum nocturnum ab alio moderata interruptione segregare culpabile est; cùm sensus possit compleri, & concludi in quolibet nocturno. Verum quæstio est de interruptione psalmorum, capitulorum, & lectionum eiusdem horæ, in qua potest interuenire vel alterius actionis, inconsistentis cum officio, exercitium; vel confabulatio cum aliquo; vtrumuis autem fiat, si interruptio moralis, & notabilis sit, fit peccati mortalis rea, iuxta tredecim Doctores, quos citat Diana *p. prima, tract. 12. resolut.4.*

Ratio est, quia ad solemnem officij ritum, ab Ecclesia institutum, spectat vnitas cuiusque officij; hoc autem notabili interruptione sæpè destruitur: & per consequens præcepto non satisfit: licèt autem ad vnitatis destructionem phisicam requiratur grauis interpolatio temporis, à quo desumitur plerumque actionis vnitas; non tamen idcirco peccatur, 146 nisi talis interpolatio moralis sit, & libera.

Modvm autem discernendi notabilem interruptionem remittit Suarez ad prudentis Iudicium; qui debet pensitare cuiusque horæ quantitatem, quæ, quò minor est, eo minori etiam temporis mora magis violatur; quare tempus illud, quod modicum censetur in matutino, non ita modicum in breuiori hora censebitur; nec eadem temporis morâ computanda est recitatio vnius Psalmi, sicut duorum.

Alio modo interrumpitur officium, dum leuiter, postquam inchoatur, prætermittitur cum intentione illud iterum resumendi; quod culpæ damnat Suarez, quippè irreuerenter se talis gerit erga Deum; non tamen peccat mortaliter, modo officium intermissum iterum compleat.

Addit insuper Suarez, si officium interrumpatur etiam grauiter, ad aliquid agendum, vel dicendum; quod ipsi officio deseruiat: verbi gratia consulendo socium de modo, quo tale officium, in quo de nouo occurrit aliqua difficultas, dicatur, vel remouendo aliquam distractionis causam; tunc nullum erit peccatum: consultius tamen foret, si hora sic breuis; eam ab initio repetere, saltem si in medio Psalmi esset interrupta. Verba autem indecora, seu etiam actiones indecentes, in Diuino officio grauiter prohibet *Caput nullus, de consecr. dist.5. & cap. Dolentes, de celebr. miss.*

Contrariam priori sententiam sustinent duodecim Doctores apud Dianam *loco cit.* ita vt notabilem officij interruptionem de veniali tantùm damnent; quibus adiicio Tannerum *disput.5. quæst.2. dub.4. num.156.* Peltanum *lib.3. de bonis operib.* quibus subscribis ipse Diana cum Bassæo V. *hora, numero 16.*

Dvbitatio

DVBITATIO IV.

An omittens omnes horas vnius Diei, plura committat peccata.

147 PER plura peccata hic intelligimus ea, quæ externa omissione consummantur; nam si merè interioè voluntas se habuerit determinando circa singulas horas, eas omittere, nemini dubium est, quin tot sint peccata, quot sunt voluntates repetitæ; cùm etiam sic circa eandem numero horam pluries posset peccare, morali interruptione eam intendens prorsus omittere.

PVTANT, & sustinent nonnulli, tot esse peccata, quot sunt horæ omissæ, eodem modo ac si decem diebus consecutiuè aliquam horam omitteres, vel vna integra septimana quadragessimali ieiunium negligeres, ita Lessius *lib.2. cap.37. dub.9.* Tabiena *v. hora, quæst.18.* Frascus *de Iustitia, lib.1. cap.20. num.19.* & videtur Toleti *lib.2.cap.12.*

ILLVD sustinent vnica ratione, quam supponunt; quia tot sunt præcepta precandi, quot horæ omissæ; peccata autem multiplicantur ad multiplicationem præcepti.

OPPOSITVM tamen tuentur quindecim Doctores apud Dianam *resol. 5.* queis adde Tannerum *disp.2 quæst.1. num.145.* & hanc quidem communiorem, & saniorem fatetur Suarez *lib.4. de horis canon. cap.25. num.18.*

RATIO vna omnium est, quia sunt omnes vnius officij partes, & vnicum est præceptum omnes tanquam vnum totale officium recitandi; ratio autem opposita per hanc soluitur, quia diuersæ partes eiusdem officij in ordine ad diuersos dies non possunt facere quid vnum, cuius signum est, quod hora hodiè dici solita, cras nequit absolui præceptum seruando; cùm tamen quælibet eiusdem diei hora, quolibet istius diei tempore dici valide, & licitè queat.

IN ordine tamen ad Deum perinde est, ac si vnum, vel septem sint peccata, cum tanta sit malitia in septem, ac in vno solo, illis æquiualente; suadet tamen Suarez in confessione aperiendum horarum omissarum numerum propter circumstantias valdè aggrauantes.

147 SVNT tamen nonnulli, quos non approbat Suarez, admittentes quidem vnum esse peccatum, plures horas omittere, si id fiat actione continuata, non discreta, ita vt post Primam omittat Tertiam, & post hanc, aliam proximè sequentem; secus verò esse, si post Primam dicat Tertiam, & post hanc omittat Nonam, &c. eodem ferè modo ac hominem nunc mutilare est vnum peccatum, deinde post aliquod tempus ipsum interimere est aliud peccatum.

HÆC tamen ratio respectu officij mutila est, cum non sit nisi vna omissio, etsi in partibus discretis; quia officium aliquod non dicitur omnimodo omitti; donec tempus ipsi præfixum totaliter transeat; quare qui horis antemeridianis statueret non dicere Primam, & postea eam diceret, etiam post alias horas, ad vltimum præfixi temporis punctum, non diceretur Primam omittere, licèt id intendendo peccasset, quia nulla hora præcise adeò omittitur, quia suo tempore non dicitur; cum absque peccato potest fieri horarum inuersio, sed quia voluntas in eo instanti, quo eas dicendi tempus necessarium vrget, persistit in proposito eas omittendi.

149 HINC habes aliud esse horas aliquas omittere in effectu, aliud omittere in re; & hoc aduertendum puto propter censuras, horas non recitantibus imminentes; nam qui statueret in corde suo aliquam officij partem præterire, quantum ad peccatum, quod voco omissionis effectum, iam omitteret, non tamen censuras subiret, donec vltimum instans temporis præteriret; quia eò vsque potuit omissionem intentam reuocare, & sic censuras euitare.

HINC etiam habes, vnam censuram mulctare illum, qui omnes illas horas vno die omitteret; quia vnum est peccatum; secus verò, si id diuersis diebus contingeret.

DVBITATIO V.

An recitans in Choro Diuinum officium voce valde demissa, ita vt non audiatur, satisfaciat.

S. BONAVENTVRA *part.2. speculi disciplinæ ad Nouitios, cap.1.* videtur omninò exigere, vt audiantur, qui canunt in Choro. Eum verò non satisfacere docent Beiar. *sp. part.1. cap.55.* Sotus *de Iustitia, lib.10. quæst.5. art 4.* Nauar. *de oratione cap.13. num.17.* Graff. *lib.1.decis. cap.51.num.12.* & *cap.52. num.21.* & *cap.53.num 45.* Conuat. *resol.lib 2.cap.13.* Columna *de redditibus Ecclesiæ, part. 3. cap.34.* Pinell. *in lib.1. Cod. de bon. mater. part.3. num.16.* Rodriquez *sum. Tom.1. cap. 43.* Zech. *summa, part. 2. cap.83.* Summa Corona *part.1. cap.2.* & alij citati à Moneta *de distrib. quot. part 2 quæst. 2. num. 31.* & à Garcia *Tract. de benefic. Tom.1. part.3. cap.2. n.513.* & ne dura, ait Comitolus *lib.1.quæst.62.* videatur hæc sententia, sciendum ità declarasse Sacram Congregationem eminentissimorum Cardinalium. 150

PROBATVR etiam ex Conciliis Basileæ *sess.21. §.3.* & Aquisgrani *cap. 131.* vbi dicitur: *Canonicus in Choro religiosissimè standum, & psallendum.*

TANDEM Concilium Trident. *sess.24. cap.12.* ait: *Omnes verò Diuina per se, & non per substitutos, compellantur obire officia, atque in Choro ad psallendum instituto, hymnis, & canticis Dei nomen reuerenter, distinctè, deuotèque laudare.* 151

HIS non obstantibus plurimi dicunt, eos satisfacere. Ità Lessius *lib.2. cap.34. dub.33. num.185.* Raphael de la Torre *2. 2. tract.1. quæst.83. de Horis Can. controu.10. disp.7.* Petrus Nauar. *lib. 2. restit. cap. 2. num. 217.* Aragon. *2. 2. quæst.83. art.12. dub. vlt.* Garzia *de benef. Tom.1. part.3. cap.7. num.517.* Cenedo *quæst.2.* Riuius *tom. 2. resp. 362.* Ioan de Cruz *in direct. præcepto 3. art. 3. dub. 7.* Petrus Ledesma *tom.2. tract.9. cap.3. concl.31.* Vide etiam Gauantum *in comment. ad reg. missalis, tom.2. tract.1. cap.5. tit. 5.* Diana *resol.6.* Tanner. *disp.5. quæst. 1. num. 159.* referens Valentiam, & Aragonium. Sic & Bassæus, sed addit tales non satisfacere Choro.

AD authoritatem Cardinalium respondet de ea non constare. Ità Comitol.

AD Concilia Basileæ, & Aquisgrani dicunt Cenedo *num.16.* & Diana, illud esse non præceptum, sed Consilium. Vtuntur enim Patres verbo, *debent*, quod consilium notarè videtur, & si est præceptum, iam consuetudine abrogatum dicunt. 152

AD Concilium Trident. respondent, præcipi quidem Prælatis, vt Canonicos inducant ad canendum in Choro, non verò Canonicis, vt canant. Ità Lessius *num.186.*

HÆC tamen leuia sunt, cum decretum Sacræ 153

Congre

Congregationis refertur ab ipso Comitolo. Concilia vero illa duo prima vtuntur verbo *debent*, quod vellem scire in quo Dictionario significet Consilium, non debitum. Quoad consuetudinem, nulla inuenitur.

CONTRA verò responsionem Lessij, arguo. Quandocumque præcipitur à Concilio œcumenico, vt Superiores cogant ad obseruantiam alicuius rei, rectè signum est, rem illam esse de præcepto, alioqui quorsum præcipitur, vt compellant ad illius operis executionem? Sed Concilium Tridentinum præcipit, vt cogantur Canonici in Choro altè canere: Ergo. Confirmatur; nam finis legis, est anima legis; sed finis institutionis Chori, & cantus, est vt altè canatur, & ob id dantur fructus: Ergo. Hoc argumentum vidit Diana. Ideò ipse respondet, hoc præceptum consuetudine durante abrogatum.

154 SED contra, nam consuetudo erat per se ante Concilium, cui ipsum derogauit, nam sic in suis decretis se declarat: Ergo non est præscripta consuetudo, sed mera inobseruantia.

DVBITATIO VI.

An Canonici confabulantes in Choro sint capaces distributionum.

155 NEGANT multi apud Dianam *resol.* 7.

ALII tamen concedunt posse eos recipere distributiones.

MIHI prior sententia probatur, nam *cap. Dolentes*, grauissimè damnantur: Ergo non satisfaciunt.

156 PRÆTEREA certum est à Choro absentes, distributiones recipere non posse, & si eas reciperent, teneri ad restitutionem; perinde autem est, quantum ad finem præcepti, qui præcipuè spectandus est, quod absint Canonici, aut confabulantes adsint; imo aliquando plus proficerent Choro, dum ab eo omnino se abstinerent, quam dum mussitando, & susurrando aliorum piam applicationem auerterent: Hæc tamen limitanda sunt iuxta ea, quæ suprà diximus *dubit.* 3. pensando, an illa confabulatio sit modica, vel magna; sancta, vel profana, &c. Hæ etenim conditiones, prout validant, vel inualidant officij recitationem, reddunt etiam Canonicum capacem, vel incapacem distributionum.

157 SVNT autem nonnulli Canonici, qui solùm assistere Choro tenentur, absque vllo recitandi onere; & hos excipit Bassæus *num.* 24. si ita modestè, ac submissè confabulentur, vt aliis non sint scandalum; quod fit, cùm aliquantulum remotiùs & consuetiùs inuicem colloquantur, de his aliquid insinuaui *tom.* 4. *tract.* 1. *de actibus humanis*, *disp.* 17. *quæst.* 10. iuxta tenorem propositionis 19. ab Alexandro VII. damnatæ.

DVBITATIO VII.

An qui priuatim officium recitat, debeat seipsum audire.

158 PRIVATIM officium recitat, qui extra Chorum, & cantum, siue solus, siue cum alio illud dicit; si cum socio recitat, nemini dubium est, quin ea vocis claritate pronunciare debeat, vt ab eo audiri possit: Si verò solus sit; asserit Reginaldus in praxi *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 12. *disp.* 5. *quæst.* 174. & Suarez *de Religione*, *tract.* 2. *lib.* 4. *cap.* 7. eum ita teneri pronunciare, vt à seipso audiatur.

PROBAT hoc Suarez ratione, quia hæc oratio est vocalis; ergo debet esse audibilis, saltem ab ipso orante: probatur consequentia; quia seclusis impedimentis, quæ per accidens se habent, nulla vox est tam tenuis, quin in auribus loquentis sonet, aliter vox non est censenda.

HOC ait patere è Concilio Basiliensi *sess.* 21. dicente vocem ita debere formari, vt in gutture, vel inter dentes dictiones non formentur; inter pronunciationem autem illam, quæ fit inter dentes, & illam, quæ est audibilis, moraliter nequit dari medium.

DEINDE ita officium Canonicum est explendum, vt quisque certus moraliter sit, se suo debito satisfecisse; quomodo autem certus erit se vocaliter orasse, qui se non aliter, quàm mente audierit, nam nisi mens attenta staret tali pronunciationi, constans est, hominem ita nescire se loquutum, ac si non esset locutus.

PRO opposita sententia stat Azorius *parte* 1. 159
lib. 10. *cap.* 11. *quæsito* 4. Cuius ratio est, quia ea pronunciatione officij satisfit Ecclesiæ præcepto, quæ contradistinguitur à mentali pronunciatione; talis autem est illa, quæ fit motis tantùm labiis, licèt à nullo audiatur; quia, vt ait Nauar. *de orat. cap.* 20. *num.* 14. sufficit, vt clericus ità verba proferat, quod percipiat, se ea protulisse.

HÆC tamen ratio mihi valida non probatur, quia mentaliter tantùm percipit se verba protulisse, vel vocaliter; si primum perinde est ac si mentaliter dixisset; si secundum; ergo audiuit suam vocem; & sic est cum prima sententia.

ALTERO etiam modo potest impugnari huius secundæ sententiæ ratio; quia non is est tenor præcepti Ecclesiastici, vt non solùm mente, & corde oremus, sed etiam sufficiat aliquo alio modo contradistincto; vt patet ex Concilio Basileensi suprà citato; alias sufficeret inter dentes mussitare, aut in gutture; quod ibi improbatur.

QVICQVID sit, hanc opinionem pro Scru- 160
pulosis tantùm admittit Fillíucius *tom.* 2. *tract.* 23. *cap.* 3. *num.* 117. & Diana *resolut.* 11. Verùm Bassæus *num.* 15. Caramuel *in Reg. S. Bened.* 1380. Tamburin. *tom.* 2. *disp.* 10. *quæst.* 9. absolutè volunt secundæ sententiæ stare, dicentes præceptum dari dicendi officium, non autem audiendi.

DVBITATIO VIII.

An qui dicit officium notabili syllabarum abscissione, seu detruncatione satisfaciat.

REPREHENDVNTVR grauiter Clerici *in* 161
clement. 1. *de celebr. Missarum*, eò quod transcurrendo & syncopando, Canonicas horas absoluerint; ità etiam in ipsos animaduertit Innocent. III. in Concil. Lateran. *cap. Dolentes*; vt habet Azorius vbi suprà. *cap.* 7. *num.* 1. afferens modum, quem Concilium Basileense, suprà citatum, præscribit recitantibus officium extra Chorum his verbis: *Quoscumque etiam alibi Beneficiarios, seu in sacris constitutos, cùm ad horas Canonicas teneantur, admonet hæc Sancta Synodus, vt si orationes suas Deo fore acceptas cupiunt, non in gutture, aut inter dentes, seu deglutiendo, aut*

syncopando

sincopando dictiones, vel verba; sed reuerenter verbis distinctis, siue soli, siue faciat cum aliis officium Diurnum, nocturnumque persoluant.

QVARA hunc modum recitandi officium grauiter increpat S. Doctor, locis allegatis, *dubit.* 1. & 4. præcepto tamen ita satisfieri tenent Filliucius *tom.* 2. *tract.* 13. *cap.* 7. *num.* 141. Azor. *cit.* Villalobos *summa tom.* 1. *tract.* 24. *diff.* 10. *num.* 7. Diana *resol.* 32. modò tamen totum officium ita sincopis non interscindatur, vt eius substantia deperire videatur.

162 HOC probat à simili Azorius; nam maior est obligatio distinctè, & integrè pronunciandi formam baptismi, quàm Canonicas horas; qui tamen ita talem formam sincoparet, nec peccaret grauiter, nec rebaptizare teneretur; vt patet *ex cap. retulerunt, de consecr. dist.* 4. vbi pontifex respondet, Hominem ita baptizantem ex linguæ lapsu, vel sermonis latini nescientia, validè egisse; prætereà *leg. debet, ff. de manumiss.* dicitur, eum, qui testamento donauit seruo suo libertatem, ipsum Cratinum nominans, qui tamen Cratistua vocabatur, valide testatum fuisse, licèt abscissis sillabis id fecerit.

163 EGO tamen huiusmodi rationes pro Monialibus, vel linguæ latinæ ignorantibus potius adducerem; Et si reuera paritas stet, pro illis supponitur, vt patet ex aliatis exemplis, vbi illa ignorantia interuenerit: quare cum plerique clericorum diuinis obsequiis & officiis mancipati, teneantur linguam latinam, quantum par est, addiscere; non dicerem illos à culpa, vel ab obligatione repetendi horas, esse immunes; nisi materiæ quantitas modica, vel naturalis linguæ trepidatio, seu balbutiens præcipitatio eos excusatos prætenderet. Ità sentit Syluius *quæsita* 83. *num.* 13. Caramuel 1583. Bassæus *num.* 7.

DVBITATIO IX.

An qui partem officij magnam dicit animo non satisfaciendi satisfaciat.

164 COMMVNITER Doctores asserunt, ita officium cum animo non satisfaciendi persoluentem, siue sit in parte, siue in toto, præcepto satisfacere; nec ad aliquid ampliùs teneri; Ità plures apud Dianam *resolut.* 37.

RATIO est, quia lex obligat tantùm ad executionem, non ad intentionem; & qui ita officium recitat, totum, quod præceptum est, adimplet. Confirmatur à Suarez *cap.* 26. *num.* 8. nam qui ex deuotione pensum horarium absoluit, iterum illud dicere intendens, vt satisfaciat Ecclesiæ; ipsum ampliùs non vrget tale præceptum; quod tantum ipsi iniungit horas semel in die recitare; hoc autem iam præstitit; Ergo. Idem dic de Auditione Missæ, seu executione alterius præcepti humani: Dico *humani*, quia si sit præceptum naturale, aut diuinum, cuius impositio à tua dependet voluntate, vt in voto, aliter dicendum est, vti infrà notabo. Hoc patet exemplo apud Suarez citatum; nam qui bona fide in Vigilia S. Virginis, quando ieiunium teneretur ex præcepto seruare, vellet potius ieiunare ex deuotione, intendens alio die proximo sequenti præcepto satisfacere; quis diceret eum teneri eo die ad præceptum, quod cum suo die extinctum est. Prætereà qui quocumque animo officium, vel eius partem notabilem diceret, exclusa intentione satisfaciendi, nullam excommunicationem, aut censuram subiret; ergo signum est præcepto satisfactum esse.

IDEM dic de aliis criminibus, propter quæ cen- 165
suræ incurruntur, nam qui hominem ita vulneraret, vt ablata omni spe esset moriturus, si miraculo tamen saluaretur; censuram nullam contraheret.

Propter has rationes huic sententiæ adhærent Portell. *addit ad dub. regul.* verbo *hora can.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 47. *dub.* 10. *num.* 59. Sanchez *in summa tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 16. Aragon. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 3. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 15. Garzias *de beneficiis, tract.* 1. *part.* 3. *cap.* 1. *num.* 198. Squillante *de oblig. clericor. part.* 1. *disp.* 22. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 2. *puncto* 10. Vasquez *opusculo de beneficiis, cap.* 4. §. 1. *disput.* 7. *num.* 114 Molfesius *tomo* 1. *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 40. Neldua V. *officium*, Filliucius *tom.* 1. *tract.* 23. *cap.* 8. *quæst.* 1. *num.* 251. quibus subscribit Bassæus *num.* 18. Oppositam tamen opinionem tenent multi apud Suarez *cap.* 16. *num.* 7.

PRIMO eam sustinent, quia actio, quæ est in 166
præcepto, debet eiici modo humano; hoc autem fit cum intentione.

SECVNDO quia qui deberet centum aurea alicui, & ea ipsi daret, dicens se nolle ea solutione satis facere suo debito; semper teneretur ad tantundem ex iustitia soluere; ita qui reciperet stipendium, vt Missas celebraret, easque ex deuotione diceret, teneretur priori debito adhuc satisfacere.

HÆ rationes, satis licet speciosæ, videntur ta- 167
men mihi prioribus cedere; primo quidem, quia modus humanus, quo voluntas præcepto obtemperat, benè, & sufficienter saluatur; dum liberè agit, afficitque sua libertate substantiam actionis; nec necesse est, vt modum afficiat: cum modus præcepti non cadat sub præcepto, saltem cum non sit modus obiectum principale præcepti: vt accidit in secunda ratione allata, vbi debens 100. Aurea, tenetur non tantum ea dare, sed ex Iustitia soluere; quare si alio titulo ea dederit, adhuc debitor existet; quia penes ipsum erat donare, vel non donare; sic qui voueret fixo die recitare officium Beatæ Virginis, & non vellet ex voto, sed è sua deuotione illud dicere, statuens alio die se satisfacturum voto; teneretur adhuc, nec per primam recitationem satisfaceret; quia, cum naturale, seu diuinum voti præceptum ab ipso immediatè sit ortum, in ipsius erit potestate, illud, quamdiu voluerit, retinere; secus est in præceptis, quæ imponuntur nobis; sed non à nobis; nam si rei, ab Ecclesia præceptæ semel satisfecimus, cum intentione alio tempore exequendi formale præcepti, vel etiam non exequendi, vltra non penes nos est illud præceptum retinere, quin in re semel acta pactum simul, & extinctum sit.

VTRAMQVE autem opinionem ita concorda- 168
re nititur Suarez suprà, vt duplex occurrat præceptum, vnum naturale, quod obligat vt cum affectu præceptis quibuscumque obediamus; & hoc ait transgredi, si absque omnino intentione satisfaciendi officium dicatur: quia iure naturali edocemur, vt posito præcepto absque voluntaria renitentia, illud exequamur. Aliud est humanum præceptum, cui satisfit, extrinsecè actionem iniunctam, præcisam ab omni interna intentione peragendo; dum modo voluntariè fiat, tam obiectiuè, quàm effectiuè.

DVBITATIO

Dubitatio X.

Quaenam sit grauitas materia in omissione Horæ Canonicæ.

169 MVLTAA opiniones refert Diana *resol.* 48. NAVARRVS *cap.* 10. *de oratione, numero* 44. cum Squillante *de oblig. cleric. part.* 1. *disp.* 33. *num.* 99. aiunt, partem notabilem Horæ vnius, esse tutum principium cum psalmo.

D. ANTONINVS citatus ab Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 7. *quæst.* 3. Maerignus *de Horis can. cap.* 26. *num.* 2. Malderus 2. 2. *tract.* 10. *cap.* 2. *disp.* 3. & alij dicunt, tertiam partem Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, & Completorij, esse partem grauem.

HANC opinionem refellit Diana cum Angelo, *verb. Hora, num.* 18. Lessio *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 9. *numero* 52. Si tertia pars Horæ est materia grauis: ergo & tertia pars Psalmi. Sed hæc ratio friuola est; nam si admitto, tertiam partem esse materiam grauem; est, quia comparata ad totum, adhuc pars grauis est; non sic tertia pars Psalmi.

170 RESPONDET Diana cum Fernandez *part.* 3. *cap.* 13. §. 7 Belloch. *in Praxi de casibus reser. part.* 2. *quæst.* 15. *num.* 49. Vega *tom.* 1. *cap.* 128. *casu* 15. Pet. Led. sma *tom.* 2. *tract.* 9. *cap.* 10. *conclusione* 14. Reginaldu *Tom.* 2. *lib.* 18. *cap.* 12. *num.* 143. in Horis breuibus, dimidium, esse partem grauem, Remittit etiam ad Lorcam *Tom.* 2. *disp.* 16. *memb.* 2. *de legibus.*

QVOAD alias horas maiores, Sanchez *Tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 8. ait, omittere nouem lectiones esse materiam grauem in matutino.

GAVANTVS *ad rubr. missalis, tom.* 2. *sect.* 2. *cap.* 5. *tit.* 1. *num.* 4. Suarez *de Relig. Tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 16. ait, necessarium, vt non dimittatur pars alicuius horæ, quæ æquiualet vni horæ paruæ; si autem hanc non attingant, non esse mortale.

171 ANTONIVS Ragueius *tract. de offic. Canonicorum in Choro, quæst.* 13. *num.* 4. ait, in Horis maioribus, Matutino, scilicet Laudibus, & Vesperis, partem notabilem, esse quartam.

RATIO autem, cur maior pars requiratur in Hora maiori; est, quia debet esse pars comparata ad totum maioris adhuc grauis: Tannetus *disp.* 5. *quæst.* 1. *num.* 145. cum Sà *verb. Hora*, ait, partem notabilem esse vnam Horam è septem, vel cuiusque Horæ dimidiam, & minimæ, & ait esse communem sententiam.

172 QVÆRES: an teneatur quis recitare Litanias in diebus Rogationum extra Chorum, & supplicationes publicas. Asserunt Tannerus 2. 2. *disp.* 5. *quæst.* 1. *dub.* 5. *num* 148. Gauant. *in comment. ad Rubr. missalis, Tom.* 2. *sect.* 6. *cap.* 16. Suarez *de Relig. Tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 25. Bonacina *de Horis, can. disput.* 1. *quæst.* 3. *part.* 1.

NEGANT Maeign. *de Horis, can. cap.* 29. Vasquez *opusc. de benefic. cap.* 4. §. 1. *art.* 2. *disp.* 1. Molfesius *Tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 56. Diana *resol.* 42.

ADVERTIT etiam S. Doctor *ad Psalm.* 94. cum Psalmum Inuitatorium omitti in principio officij Epiphaniæ, quia illud officium est de vocatione gentium, manentibus Iudæis in sua peruicacia. Tandem verò *sexto loco*, cani, quia in sexta ætate, etiam ipsi lambent vestigia Christi.

173 ADNOTAT S. Doctor *ad Psalm.* 23. & 118. in ea verba: *Vide humilitatem meam*, in hebdomada sancta, in tribus diebus tenebrarum, omitti principium officij: *Deus in adiutorium*, & finem etiam orationum, quia tunc sublatus erat Christus, qui est ALPHA, & OMEGA; principium scilicet, & finis.

PORRO orationis effectus in eius figuris examinat S. Doctor *in Diata, tit.* 2. *cap.* 5.


COMPARAT autem eam incenso *Psalm.* 104. suaueolenti. Secundò Scuto, *sap.* 18. dicitur de Aaron *proferens scutum orationis, restitit iræ.* Tertiò eam comparat tributo, quod Diuinæ maiestati tenemur persoluere.

COMPARATVR orans homini, portanti encœnium ad Principem. Sic Angelus ait *cap.* 12. *Tobiæ*, de orationibus eius. 174

IOEL hortatur, vt clamemus ad Dominum, sicut paruuli, qui volunt vbera, sicut catulus, cùm sentit verbera, & sicut populus videns pericula.

ITEM debemus (ait) os aperire sicut Reumaticus, aut sicut pullus paruulus matri aduolanti; & sicut infantulus nutrici.

SVRGAMVS itaque strenuè ad diuinas laudes 175 more Galli ad cantum, nec somno absorpti, sic enim non repetens officium, quod cantasti dormitans, reus es culpæ lethalis, vt monet Bassæus *num.* 23. cum Marchino *de sacr. Ordinis, tract.* 2. *part.* 6. *diff.* 2. *cap.* 12. Esto gratis concederem, quod nego Roderico *sum. part.* 1. *cap.* 140. satisfacere Choro, si enitatur somnum excutere. Neque Choro satisfieri, dum musicali canto canitur, si libens distraharis, contra Zach. Pasqualigo *decis.* 408. constanter assero, si teneris illam partem recitare.



DISPVTATIO IV.

De Adoratione.



DE adoratione, quæ est actus Religionis, agit D. Thom. *hic.* De Adorationibus verò in particulari, agam 3. *part. Tract.* 1. *disp.* 27. vbi latè disputabo, quæ Adoratio Deo, quæ Christo, B. Virgini Sanctissimæ, Imaginibus, & Cruci debeatur. Triplex autem est Adoratio: DVLIÆ, HYPERDVLIÆ, & LATRIÆ, quæ præcipua est; quæ Diuisio ortum habet è Diuersa consideratione obiecti, circa quod versatur Adoratio; nam si est obiectum simpliciter infinitum, illi debetur Latria; si excellentiæ insignibus aliquibus honoratur, exhibetur ei Dulia; si verò supereminentem cæteris dignitatem attingit, Hyperduliâ honorabitur, vt infrà patebit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

An LATRIA *sit in genere virtutis alicuius.*

D Bonauent. in 3. dist 9. art.2. quæst.1. & seq.
D.Thom. in 3. dist 9. quæst.1.

1 NOTA ex D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 9. *art.* 2. *quæst.* 1. LATRIAM esse actum externum Religionis, qui dicitur Adoratio, vt dixi *disp.* 1. *quæst.* 2. atque adeò differt à Dulia, qua adorantur Sancti, & ab Hyperdulia, quæ conuenit sanctissimæ Virgini, inter puras creaturas præclarissimæ, & multò magis differt ab adoratione illa impropria, quæ exhibetur etiam Principibus; de qua *Genes.* 23. 33. *&* 42.

ASSERO igitur primò, LATRIAM esse in genere Virtutis.

2 PROBATVR argumentis S. Bonauent. allatis *dist.* 1. *quæst.* 2. Actus enim procedens ab habitu bonum faciente, operantemque reddens bonum, est actus virtutis: talis est adoratio Latriæ: Ergo. Cætera vide ibi.

ASSERO secundò, esse actum specialis virtutis. Ità D.Bonauent. *art.* 2. *quæst.* 2.

PROBATVR à D. Bonauent. argumentis allatis *quæst.* 3. *disp.* 1. Ille actus, qui est circa speciale obiectum bonum, circa quod est specialis difficultas, ille est bonus: Talis est actus Latriæ, qui versatur circa cultum, soli Deo debitum, vt dicitur *Deuter.* 6. & ostendi *disp.* 1. *quæst.* 1. & latiùs ostendam 3. *part. disput.* 27. Ergo.

ASSERO tertiò, Adorationem, seu Latriam esse actum virtutis Cardinalis. Ità D. Bonauent. *dist.* 1. *quæst.* 3.

3 PROBATVR à D. Bonauent. & D. Thom. Actus Theologicæ virtutis respicit Deum immediatè, vt fides veritatem increatam; spes, & Charitas sub diuersis rationibus bonitatem increatam; at Latria dicit cultum exhibitum Deo, atque adeò illam entitatem creatam; at Deum solùm mediatè respicit, vt dixi *disp.* 1. *quæst.* 4. Ergo. Argumenta in oppositum ibi soluta iacent. Vbi aduertere debes, aliqua ex
4 illis magis tangere actum solum externum, quàm Religionis actum internum, & ideò magis ad hanc quæstionem pertinere. Quod si actus internus Religionis differt à cultu interno *Theosebia*; multò magis à cultu externo *Latria*, de quo hîc est sermo. Hoc notato, ea argumenta ruent.

QVÆSTIO II.

An LATRIA *sit distincta à* DVLIA.

D.Bonauent. in 3 dist.9. art.2. quæst 4.

5 ASSERO, Latriam à Dulia esse distinctam.

PROBATVR à D. Bonauent. ex Glossa *in Psalm.* 98. ad ea verba: *Adorate scabellum pedum eius*, vbi ait: *Latria est adoratio, quæ soli Deo debetur. Dulia est adoratio, quæ etiam creaturæ exhibetur.*

HINC arguit secundò. Habitus diuersificantur per actus; & actus per obiecta: Ergo si Latria est cultus, qui debetur Deo; & Dulia cultus, qui debetur creaturæ, vt creatura est, videtur quod Latria sit cultus distinctus à Dulia.

TERTIO, quia, sicuti diuersificantur dona, quæ respiciunt Creatorem, & creaturam, vt sapientia, & scientia, ita debent diuersificari virtutes, & actus earum: Sed Latria respicit cultum debitum Creatori; & Dulia cultum debitum creaturæ: Ergo. 6

QVARTO probatur à S.Doctore: Si idem honor præstaretur Creaturæ, qui præstatur Creatori, iam non erit actus virtutis, sed vitij: Si quis enim sacrificaret homini, crimen idolatriæ committeret. Ideò Exodi 22. *Qui immolat Diis, occidetur, præterquam Domino soli*, & D. Augustinus lib. 10. de ciuit. cap 4. *Multa de cultu Diuino vsurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis: siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera: ita tamen, vt quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi, & venerandi: si autem eis multum addatur, & adorandi. Quis verò sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum aut sciuit, aut putauit, aut finxit?*

OBIICIES primò Glossam ad id Psalm. 7. *Domine Deus meus in te speraui*, dicentem: Domine omnium per potentiam, cui debetur Dulia; Deus omnium per creationem, cui debetur Latria: Ergo vtraque debetur Deo. 7

RESPONDET S. Doctor, ibi sumi Duliam latè secundùm anologiam communem Latriæ, & speciei Duliæ. Dicitur autem magis Dulia Domino, quàm Deo, quia Dominus communicatur creaturæ, & de Creatore, & creatura dicitur analogicè; Deus autem non ità communicatur; sed si dicatur de Creatore, & creaturâ, dicitur æquiuocè, non est autem Dulia propriè Deo exhibenda, sed Latria.

OBIICIES secundò. Sicuti vna est fides, quâ omne credendum creditur; ità vna debet esse virtus, qua omne colendum colitur.

RESPONDET S. Doctor, vnam esse Fidem, quâ creditur sub eadem ratione formali idem obiectum. Talis est fides Theologica, quæ credit omnia vera, veritate diuina reuelata; at fides, quæ diuersa habet obiecta, est diuersa, vt fides, quâ credo aliquid assertum à creatura, & hæc fides spectans ad virtutem Cardinalem, & potius dicenda est fidelitas: At cultus Dei diuersa respicit obiecta, diuersam nempe Excellentiam increatam, & excellentiam creatam, ideò diuersus constituendus. 8

OBIICIES tertiò. Sicut vna charitate amatur Deus, & proximus, qui sunt obiecta diuersa; ita vno cultu honorandus Deus, & creatura.

RESPONDET S. Doctor, diuersam esse rationem, nam in Charitate vnum est obiectum principale, nempe bonitas Dei, quæ est amabilis per se, atque proximus amatur propter ipsum Deum: At Latria, & Dulia alium, & alium respiciunt cultum, omninò, & vltimò diuersum. 9

OBIICIES quartò: Magis, & minus non diuersificant speciem: sed Latria, & Dulia differunt, sicut maior honor, & minor: Ergo non sunt diuersæ species.

RESPONDET primò S.Doctor, maiorem falsam in genere moris: minor etiam falsa est; quia Latria, & Dulia habent diuersa obiecta (vt dixi) formalia.

CONDITIONES ergo vtriusque adorationis aliquæ sunt communes, aliquæ propriæ. Communes sunt, vt tam Deo, quàm sanctis exhibeatur debitus 10

cultus deuotè, & piè, vt ostendit S. Doctor *ad 6. Lucæ* in ea verba: *exiit in montem orare.* Itaque eædem conditiones vigent, quæ & de oratione dictæ sunt *disp. 3. quæst. 5. & 10.* Itaque affert exemplum Abrahæ 22. *Genes.* qui volens ire ad adorandum, & sacrificandum, coegit seruos in decliui expectare: *Expectate hic cum asino: Ego autem, & puer illuc properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Id præclarè edisserit S. Doctor ad ea verba Ioan 4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate. Nam Deus tales quærit adoratores.*

11 Hinc enim, & Apostolus prima Corinth. 14. *Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente.* Ratio est, quam reddit Christus ibi Ioan. 4. *spiritus est Deus: & eos, qui adorant, in spiritu, & veritate oportet adorare.* Eodem modo proportionaliter in spiritu, & veritate adorandi sunt Angeli, & sanctorum animæ beatæ, vt obseruant ad hunc locum Chrysost. *homil. 31. in Ioan.* Augustinus *tract. 15. in Ioan.*

12 Hinc deducit S. Doctor, adorandum præcipuè Deum in puritate, & sanctitate, sicuti de orante dixi *disp. 3. quæst. 4. 5 & 10.* Vnde Chrysostomus peccatores adoratores confert supplici offerenti stercora. Deducit, adorandum humili subiectione Deum cum protestatione Diuinæ maiestatis. Vnde & adorare, est corpus ad pedes prosternere, & summum nostrum ad eius ima inclinare, vt explicat D. Augustinus. Ideò Isaiæ 60. *Adorabunt vestigia pedum tuorum.* Id ò adorandum ait debita honorificatione: *Venite adoremus, & procidamus ante Deum*, Psalm. 99. *Præoccupemus faciem eius in confessione*, & Matth. 2. *Procidentes adorauerunt Deum.* Ita adoratio est supplex inclinatio, esto ad deprecandum.

Itidem adorandum pro loco, & tempore debitâ solemnitate, vt dicitur, Psalm. 5. *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore.* Et Isaiæ 66. *Veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea.*

13 Mox verò S. Doctor *in collatione 22. ad cap. 4. Ioan.* rursus exponens ea verba: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.* Primò enim, ait, debent esse veri adoratores, seu deprecatores; idem enim est adorare, & deprecari, vt ait Papias, & Valla *lib 5. eleg. cap. 11.* Veritas autem est, quæ ostendit id, quod est, vt ait D. Augustinus *de vera relig. cap. 36.* Ergo verus adorator est, qui suæ indignitatis, & vilitatis conscius, eam recognouit, simulque fatetur, Deum esse peccatorum condonatorem, Christum Saluatorem, & sanctos, præcipuè Beatam Virginem, esse intercessores. Vnde S. Gregorius *lib. 3. moral. cap. 27.* ait: *Ille orationem exhibet, qui semetipsum, quod puluis sit, humiliter videt, qui sibi nihil virtutis tribuit, qui bona, quæ agit, esse de misericordia conditoris agnoscit.* Talis erat Abraham, qui aiebat, Genes. 18. *Loquar ad Dominum, cum sim puluis, & cinis.* Publicanus *Lucæ* 18. Tales in spiritu, & veritate in templo cordis adorant, vt ait D. Augustinus *Tract. citato in Ioan.* sic aiebat Apostolus, prima Cor. 14. *Orabo spiritu: Psallam spiritu, &c.*

14 Adorant potiò (ait S. Doctor) in spiritu, & veritate, qui in simplicitate, & veritate sincera adorant. Itaque non confundit S. Doctor *in 3. dist. 9. quæst. 4.* & *loco cit.* adorationem, & orationem, vt putat Tanner. *disp. 5. quæst. 2. dub. 1.*

Hinc ait Hugo de S. Victor. *de sacr. lib. 1. part. 12. cap. 6.* Deum adorare est ei totam mentem per humilitatem ad deuotionem substernere, & ipsum principium, ac finem omnis boni credere: Sic Deuter. 6. *Dominum Deum tuum timebis, seu adorabis*, vt secundum aliam litteram legit S. Doctor, cum Hugone: E regione Pharisæus non adorans, sed stans, hæc apud se orabat *Lucæ* 18. vt aduertit D. Gregorius *lib. 19. moral. cap. 12.*

Hæc habet, secundùm analogiam, communia Latria, & Dulia; sed tamen aliqua sunt Dei, omninò propria obiecta Diuini cultus. 15

Dignoscitur autem materia propria Diuini cultus primò ex officij, & ritus qualitate, cuius generis sunt sacrificia, quæ soli Deo offeruntur, præcipuè sanctissimum missæ sacrificium, & internum mentis sacrificium, quo Deo vouemus.

Secundo ex intentione, quâ excellentiam colimus, vt Diuinam, quæ oratio alia est à creatura, quæ est obiectum Duliæ.

Itaque adoratio Latriæ soli Deo est debita; vt vbique notat S. Doctor, & D. Thom. *art. 3.* & dixi supra.

Errarunt ergo Platonici, latriam exhibere volentes etiam Angelis, vt refert D. Augustinus *lib. 9. & 10. de ciuit.* & hic error refellitur ab Apostolo ad Coloss. 2. *Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, &c.* quem locum exponens Chrysost. *homil. 7.* ibi eorum errores meminit. De his latiùs agam *3. part. Tom. 1. disp. 27.* 16

QVÆSTIO III.

De Locis sacris, adorationibus destinatis.

Dvo agmina hostium, Templis infestissima, inuenio: Alterum euertentium, & incendentium ea in odium populi fidelis. Hi fuerunt Nabuchodonosor, Antiochus, Pompeius, Cassius, & Titus, qui Templum Salomonis, vel incenderunt, vel prophanauerunt. Vide 4. *Reg. vlt. Primo Machab. 10.* Iosephum *lib. 14. antiquit.* & *lib. 7. de bello Iudaico.* Cornelium Tacitum *lib. 21.* Augustinum *lib. 18. de ciuit. cap. 45.* 17

Christianorum Ecclesias Diocletianus iussit solo æquari, vt refert Eusebius *lib. 8. hist. cap. 2.* Idem voluisse Iulianum scribit Hieron. *epist. ad Riparium.*

Alii verò Templa agmine constipato oppugnarunt, vt omnem ab eis cultum auerterent. Hi sunt Manichæi apud D. Augustinum *lib. 20. contra Faustum, cap. 3. & 4.* Messaliani apud Damascenum *de 100. hæresibus*, Eustachius, teste Socrate, *lib. 2. histor. cap. 33.* Petrobrusiani, Albigenses, Vuiclephistæ, Taboritæ, Anabaptistæ, Transyluani, aliaque his simillima monstra, apud Bellarminum *Tom. 2. lib. 3. de militante Ecclesia*, & Boucrium *Exam. 2. cens. 18. err. 1.* 18

Porro sectarij, ne vnquam illi deessent abominationi desolationis, templa ad conciones admittunt, sed ad orandum, vel sacrificandum execrantur, consecrationes detestantur, ornamenta expoliantes, omni priuantes sanctitate. Sic Magdeburgenses *cent. 4. cap. 6.* & initio *centur. 6.* Caluinus *in Præfat. Instit.* & *lib. 1. cap. 11. §. 13.* sed *lib. 5. cap. 20. §. 30.* Templa ad communes preces admittit, sed omnem ab eis ritum sacrum, seu sanctam ceremoniam abigit. 19

Assero primò, Ecclesiarum fabricas à Deo esse institutas.

Probatur primò à D. Bonauent. *in quatuor sermonibus de Ecclesia dedicatione.* Sermone primo id probat primò *ex 3. Reg. 9.* vbi Deus loquitur: *sanctificaui*

ficaui domum hanc, quam ædificasti, vt ponerem nomen meum ibi in sempiternum.

Deinde quia Christus *Ioan.* 2. Templum vocat domum Patris sui, & zelo grandi pellit inde negotiatores.

Psalm. 5. David. *Adorabo ad Templum sanctum tuum.*

Exodi 40. & Numer. 7. dicitur Moyses, Deo iubente, sanctificasse Templum.

20 Isaiæ 56. *Lætificabo eos in domo orationis meæ: holocausta eorum placebunt mihi super altari meo.* Et Matthæi 21. *Domus mea domus orationis vocabitur.*

Et 3. *Reg.* 8. & 2. *Paral.* 7. apparuit Dominus, multa priuilegia Templo Salomonis elargiens, protestans: *Elegi, & sanctificaui locum istum, vt sit nomen meum ibi in sempiternum.*

21 Multas deinde alias scripturas congerit, quibus Deus conqueritur, sanctitatem Templorum violari. Matth. 21. *Vos autem fecistis illam speluncam latronum*, Hierem. 7. *Numquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum?* Hieremias: *Quid est, quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Zachariæ 9. *Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi, & non transibit super eos vltrà exactor.* Prima Corinth. 14. *Turpe est, mulierem loqui in Ecclesia*, & cap. 11. *debet velare caput suum propter Angelos*, 2. Corinth. 10. *Domum enim Dei decet sanctitudo*, Psalm. 92. *Conueniemibus vobis in Ecclesiam*, & Ezech. 28. *In multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negotiationis sua polluisti sanctificationem meam.* Psalm. 78. *Deus, venerunt gentes, polluerunt sanctum templum tuum*, vt refertur 1. *Machab.* 4. His indicitur prima Cor. 3. *Quicumque Templum Dei violauerit, disperdat illum Deus.*

22 Probatvr secundò à S. Doctore *ad cap. 4. Ioan.* in ea verba: *Pater tales quærit adoratores*, ex antiquissimo vsu Ecclesiæ Christi, quæ semper Templa habuit, & Altaria.

Prima Corinth. 10. *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Heb. 13. *Habemus altare, &c.* Neque vllus est Patrum veterum, qui non meminerit altarium Ecclesiæ, vt videre est in Canone 3. Apost. vt habent etiam Dionysius *cap. 3. Eccl. Hierar.* Irenæus *lib. 4. cap. 33.* Athanasius in vita Beati Antonij, & *in Apol. pro fuga sua*, Tertullianus *lib. pœnit.* Optatus *lib. 6. contra Parmen.* Hieronymus *in epitaph. Nepot.* Augustinus *epist. 50.* & alij omnes, vbi de Ecclesiis sunt locuti.

23 Nomine etiam Templi vsi sunt Patres, quo indicatur locus ad sacrificium; ità Græci, passim, & Eusebius *lib. 3. de vita Constantini*, Basil. *in Psalm. 114.* Nazianzenus *oratione in Gorgoniam sororem*, Nyssenus *in oratione in Theodoretum*, Chrysost. *homil. 5. in Matth.* & alij.

Inter Latinos, Lactantius *in carmine de passione Domini*, Saluianus *lib. 4. de prouidentia*, Ambrosius *lib. 2. de offic. cap. 21, & 28.* Hieron. *in cap. 7. Hierem.* Augustinus *lib. 8. de ciu. cap. vlt. & lib. 2. cont. Cresconium*, *cap. 40.* & *epist. 66. & 137. & lib. 22. de ciuit. cap. 8.* S. Paulinus *in carm. de S. Fælice*, Amb. *lib. 1. epistolarum, epist. 5.* & *lib. 10. epist. 85.* & *lib. 2. de offi. cap 28.* & Concilium Gangrense *cap. 5.* & conc. V. Carthag. *cap. 6.* Vide Valdensem *tom. 3. cap. 144.* Valentiam *disp. 6. quæst. 3. puncto 3.* Bellarm. *loco cit.*

24 Ecclesiæ autem nomine vtuntur ad Templa significanda Apostolus 1. *Cor.* 10. Clem. *lib. 10. recognitionum*, Iustinus *Apol.* 2. *ad finem*, Tertullianus *Ædem* eam nominat, Cyprianus *sermone de eleem.* &

Gregorius Neocæsar. miraculo insigni montem transtulit, vt locum sibi faceret ad Ecclesiam ædificandam, vt refert Beda in eum locum Marci: *Habete fidem Dei, &c.*

Assero secundò, ritum Ecclesias consecrandi sanctum esse.

Probatvr à D. Bonauent. primò *serm. 3. de Ecclesiæ dedicatione*, nam populus Dei ingenti solemnitate antiquitus ad Templorum consecrationes conuenit, ibique Deus gratias sæpè largitus est *Num.* 7. à Moyse 2. *Paral.* 2. à Salomone, tunc optimo Rege, cui & Deus apparuit, gratissimam sibi ostendens festiuitatem illam. Deinde fuit dedicatum ab Esdra *lib.* 1. *cap.* 6. Tertiò à Machabæis *lib.* 1. *cap.* 4. 25

Neqve sapidè respondent, nos imo potius iudaizare; nam hæ consecrationes non fuere figuræ implendæ in aliqua Christi actione, vel passione, sicut Agnus, Azyma, &c.

Probatvr secundò à S. Doctore *hic ad 4. Ioan. citato textu*, ex antiquissima Ecclesiæ praxi, & sanctorum PP. ac veterum scriptorum traditione; sic referunt Eusebius *lib. 9. hist. cap. 10.* & *lib. 4. de vita Constantini*, Athanasius *Apol. ad Constantinum*, vbi affert exemplum Esdræ ex antiquo testamento. 26

Basilivs *in Psalm. 114.* Chrysostomus *serm. in encæniis*, Suzomenus *lib. 4. cap. 13.* Ambrosius *lib. 1. epistola 5.* & Nazianzenus *in nouam Dominicam ad sororem*, quæ habetur *in serm. 92.* S. Gaudentius præclarissimus Brixiæ Episcopus, testimonio Bellarm. & Valentiæ, *de Dedicatione*, S. Augustinus *in quinque sermonibus*, qui, inter sermones de tempore, sunt 251. 252. 253. 254. 255. & 256. Gelasius Papa *epist. ad Episcopos Lucaniæ*, Fœlix IV. *in epistola sua decretali*, Prosper *part. 3. cap. 38.* Gregorius *lib. 3. Dial. cap. 30.* Bernardus *sex sermonibus*, Rupertus *in cap. 28. Genes.* Hugo *lib. 2. de sacr. part. 5. cap. 2. & 3.* Isidorus *lib. 1. de offi. cap. 15.* Rabanus *lib. 2. cap. 45.* Amalarius *lib. de ord.* B. Iuo *lib. de consecr. templi*, Vualfridus *lib. de rebus Eccl. cap. 9.* Hi, & alij, quos indicat S. Doctor, de Dedicatione templi, vt antiquissima, eloquuntur; Quorum vide testimonia in Bellarmino. 27

Assero tertiò, rectè sacras permultas in dedicatione templi cæremonias adhiberi.

Probatvr iterum à S. Doctore *locis allatis*, ex *Numer.* 7. & *Exodi* 40. vbi sacræ vnctiones, & alia in dedicatione templi recensentur. Imò & *Genes.* 28. in lege naturæ Iacob sacro oleo vnxit lapidem, vt ibi sacrificaret, & vocauit Bethel, idest, domum Dei. 28

In lege etiam Gratiæ Apostolus *prima Cor.* 11. prohibet in Ecclesia commessationes, quo indicatur, esse locum sacratum, & S. Dionysius *lib. de Eccl. Hierar. cap.* 6. testatur, suo tempore Apostolorum adhibitum fuisse sacrum oleum ad altaria dedicanda.

Concilivm etiam Carthaginense *cap.* 14. Bracar. II. *can.* 6. Gelasius, & Fœlix IV. suprà citati. Ioannes I. *Epist. ad Episcopos Italiæ.* Alia etiam decreta refert Gratianus *dist.* 1, vbi etiam affertur Canon Nicæni Concil. & alius Canon Con. Hippon. quod fuit è tota Africa congregatum, vt refert D. Augustinus *lib. 1. Retract. cap. 17.* Confirmatur ex PP. allatis pro secunda assertione, nam eorum maior para etiam meminit Templorum dedicationis. 29

Sacrarvm verò Templi cæremoniarum recenset Mysteria S. Doctor *serm. 3. De dedicatione*, finis autem illarum cæremoniarum est, vt innotescat omnibus locum illum sacris destinari functionibus. Quoniam ergo Templum dedicatur Christo, ideo ibi signum eius depingitur, nempe Crvx. Pinguntur autem duodecim cruces, ita inter se distinctæ, vt to-

tum templum occupent, & ante eas lampades, signantes duodecim Apostolos, per mundum depottantes sanctum illud vexillum, gentes illuminasse.

31 VNGITVR autem oleo sacro, vt sciatur, Templum illud sacrari; est enim oleum magnæ virtutis, & præstantiæ, liquor cæteris supernatans, sanans, roborans, & ad illustria adhibitus.

ET quia ad opera sancta, maximè ad illam mundissimam oblationem consecratur; ideò adhibetur aqua benedicta, thus, & cerei accenduntur.

ET quia consecratur ad erudiendos in Fide Christi, ideò describitur Alphabetum in pauimento, litteris Græcis, & Latinis, quia illis præcipuè linguis prædicata est Fides, & illis eo tempore vtebatur Ecclesia ad Fidem edocendam; quo in omnem terram exiuit sonus Apostolorum.

32 ET quia in loco illo sancto vera sanctitas est impetranda, ideò ibi ponuntur simul mista, sal, cinis, aqua, & vinum, vt in quo vera perfectio posita sit, & constituta, agnoscatur: In cinere mortificatio, in sale discretio, in aqua compunctio, in vino exultatio.

DE primo dicitur *cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat*, Heb.9. *ad emundationem carnis*, quod fit, cùm mortificatur caro ex memoria præteritæ delectationis. Vitula enim est animal lasciuum, & cinis remanet post ignem combustum.

DE secundo, *sicuti exhibuistis membra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete*, &c. Rom. 6. mortificanda est quidem caro, sed vt subdita sit, non autem vt destruatur; & sicut in consecratione Ecclesiæ, sal, & cinis simul miscentur; ita in pœnitentia mortificatio, & discretio, Rom.12. *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.*

33 DE tertio dicitur: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*, Ezech 36. Aqua enim compunctionis, est aqua benedicta, per quam abluuntur peccata, Prima Corinth. primo: *sed abluti estis, sed sanctificati estis.*

DE quarto: *In omni dato hilarem fac vultum*, Ecclef. 35. & sicut cinis, & sal simul ponebantur, in vinum, & aquam, vt computet simul necessarium esse in Dei seruitio gaudium vini, & timorem in aqua significatum. Primò enim timore; deinde exultatione Deo seruiendum. Ideò *Numer.6.* Nazaræi initio à vino abstinebant, aquâ ablui, sed in consumatione vinum bibebant.

34 ET quoniam per opera misericordiæ acquiritur ingens perfectio, & meritum; opera autem naturæ exhibentur corde compatiendo, verbis consolando, & opere subueniendo: Ideò adhibentur in figura, Oleum, Aspersorium de hyssopo, & Balsamum; Chrisma enim, quo vnguntur altaria, componitur ex oleo, & balsamo. Oleum superfertur cæteris liquoribus, pietatem significans, quæ superfertur cæteris operibus, quia: *Pietas ad omnia valet*, prima Timot. 4. Hyssopus herba humilis, dum valet pro pectore confortando, tollit asperitatem à lingua, Ignotante misericordiam oris per dulcedinem sermonis. Balsamum seruans à corruptione, signat largitatem, quæ declaratur per opus exterius.

35 DE primo dicitur: *Moyses vnxit omnia Tabernaculi vasa, & sanctificauit eo oleo*, Leuit.8. quia ad omnes patientes adhibenda est cordis compassio, vt sit animæ sanctificatio; sic Exodi 30. *Sumpto vnctionis oleo vnges tabernaculum cum vasis suis, vt sanctificentur.*

DE secundo dicitur, Iudith.9. *Da verbum Domine in ore meo, & in corde meo concilium corrobora, vt domus tua in sanctificatione permaneat*, sicut enim lingua canis curat infirmitatem; Sic lingua consulationis alleuat infirmum patientem.

DE tertio: *Erant negotiatores eius, & mercedes eius sanctificata Deo*, Isa. 27. vbi ait Glossa: *Dicit Deo, quia quod erogamus pauperi pro Christo, facimus Deo.* Hinc lepidè subdit S.Doctor *si Martinus sciuisset, quem vestisset clamyde* (puto) *non dimisisset, nisi integram vestem imposuisset.*

36 INDVCIT autem Episcopus clerum cum Reliquiis Sanctorum, vt ostendatur, inde abigi dæmones, & religionem induci.

ACCENDVNTVR candelæ, vt ostendatur inde magis, quàm è lumine, *Vrim Thummim*, limpidè, & clarè habendas sanctas cogitationes ad salutem necessarias. Hinc Isa. 10. *Erit lumen Israel in igne, & Sanctus eius in flamma.*

CONSECRATVR lapis, quo exprimitur soliditas dilectionis in Christo, in quo sumus sanctificati in æternum, vt ait Apostolus ad Hebræos.

37 ALTARE porrò significat Christum vnctum præ consortibus suis, *Psalm.44.* primo loco pulsatur, & aperitur templum baculo Pastorali ab Episcopo, quia prædicatores, potestate à Deo accepta, corda fidelium pulsant, & ad Christum inducunt.

DEINDE scribit litteris Græcis, Latinis, & Hebraicis, veluti etiam titulus Crucis erat, quia cognitio Christi in mentibus fidelium scribitur, & Mysterium Crucis altissimum exponitur. Vide D. Bonauent. etiam *serm.1. Dedicationis*, vbi has cæremonias sanctificationi animæ applicat. Aspergitur pauimentum aquâ, & cerei accenduntur, quia post illuminationem datur Baptismus. In parietibus pinguntur Cruces ad signandam consignationem in Confirmatione. Fit mixtio cineris, salis, vini, & aquæ ad signandum qualis debeat esse baptizati, & Ecclesiæ filij vita, vt dixi: Vide etiam Bellarminum *cap. 5.* Vide quoque Augustinum, Bernardum, Hugonem, Iuonem; & Rabanum *in sermonibus*, de hac re.

38 ASSERO quartò, Templum his cæremoniis remanere consecratum.

PROBATVR à D. Bonauent. primò scripturis suprà, præcipuè 2. Paral. 7. *sanctificaui locum istum.* Ideò Matth. 23. dicitur: *Templum sanctificat aurum.*

SECVNDO, quia in templis sunt res sanctæ, vt Reliquiæ sanctorum, Sanctissimum Sacramentum, Angelorum assistentia, qui propterea auditi sunt tempore obsidionis Hierusalem clamantes: Discedamus, migremus hinc; nè scilicet viderent templum temeratum, vt refert Iosephus *lib.7. de bello Iudaico, cap.12.* & D.Bonauentura.

39 ASSERO quintò, ornatus templorum esse pium opus, & religiosum; sic etiam varietatem ornamentorum in diuersis festiuitatibus obseruat S.Doctor, vt Tempore sanctissimi Natalis tapetia ponuntur ad rigiditatem ostendendam: In Resurrectione Serica maximè alba ad lætitiam gloriæ exponendam.

PROBATVR à S.Doctore ex veteri Testamento, vbi & Sanctuarium, & Templum Ingentibus sumptibus erecta sunt, Deo complacitum suum præclarè exponente; sumptus autem in Templo Salomonis fuere incredibiles; totum enim erat aureis vestitum laminis, vtensilia aurea, &c. Refert Glielmus *in opere Italico, de gloria sanctissimæ Trinitatis*, Dauidem reliquisse Salomoni ad opus istud 2400. milliones aureos, quibus alii addita sunt à Salomone non minus

minus ingentia è thesauris. In nouo etiam testamento id præstandum prædixit Isaias *cap.60.*

40 IOAO enim & pijssimi Imperatores thesauros Ecclesijs dederunt, præcipuè Constantinus, qui in Calendario Græco inter sanctos colitur, & à Patribus dicitur sanctus. Et Carolus magnus, qui tanquam sanctus colitur, præcipuè Parisijs, & Aquisgrani, ac meritò ab omnibus scriptoribus mirificè laudatur, vt aduertit Bellarminus *hic.*

HORVM omnium assignat multas Seraphicus rationes.

PRIMA est, quia Templa exornata excitant ad Diuinam maiestatem contemplandam. Ideò enim, & Deus in templo *Isa* 6. visus est maiestate decorus.

41 SECVNDA, quia est signum religionis, Fidei, & deuotionis, vt omnes historici veridici narrant, & asserunt, præcipuè Eusebius *de præpar. euang. lib.*13. *cap.*7. Theodoret. *hist. cap.*9.

TERTIA, quia Deus ostendit, se gratos habere ædificatores Templorum, vt suprà ostendi; et expilatores, & destructores exterminauit, vt patet in Balthasare *Daniel.*5. Eliodoro 2. *Machab.*3. Antiocho *cap* 9.

OBIICIVNT primò loca scripturæ, indicantia, Deum in locis manufactis non habitare *Act.*7. & 17.

RESPONDET S.Doctor *in* 1. *dist.* 36. passim & *ad* 4. *cap. Ioannis.* hinc solùm duo colligi: Primum est, Deum non esse alligatum templis, sed immensum, & hoc prætendebat Apostolus *Act.*17. disputans Athenis: Alterum est, Deum non esse localiter in locis corporeis. Illud etiam prætendit, Deum non in solis templis orandum.

42 OBIICIVNT secundò id Ioan. 4. *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem.*

RESPONDET S. Doctor, ibi sensum esse non adorandum Deum solom in templo, sicuti prætendebant Iudæi, alligantes omnem Adorationem illi templo, & eò minùs, quò cerimoniæ erant vmbræ illius templi, & adorandus erat Deus in spiritu, & veritate, ablatis vmbris. Itaque non adorandum, ait Deum ritibus Iudaicis vmbraticis. Ità Chrysostomus, Cyrillus, Euthymius, & alij. Vult igitur, tempore gratiæ colendum Deum in spiritu, non corporalibus tantum cæremoniis, in veritate, non in vmbra. Ità etiam Theophylactus, D.Thomas, & Caietanus in hunc locum.

43 SECVNDO exponit: adorabunt Deum in spiritu contra superstitionem Samaritanorum, qui corporalem locum montis Garizim necessarium, vt adoratio esset, arbitrabantur. *In veritate*, abactis scilicet Iudaicis vmbris.

OBIICIT secundò Augustinus Mariotatus id Apoc. 21. *Et Templum non vidi in ea, Dominus enim Deus templum illius est*, vbi de Ecclesia agitur, vt patet ex sequentibus: *Ambulabunt gentes in lumine eius, & Reges afferent splendorem.* Hæc verba ex *Isa.* 60. mutauit Ioannes, vbi Isaias de Ecclesia loquitur.

44 RESPONDETVR ex D. Bonauent. *in Diata, tit.* 10. *cap.* 5. *& sequentibus*, ibi describi Ecclesiam triumphantem, non militantem, sic intelligunt omnes probati authores, Primasius, Beda, Oecumenius, Richardus, Rupertus, Anselmus, & D. Augustinus *lib.*20. *de ciuit. Dei, cap.*17. vbi imprudentiæ nimiæ carpit, qui auderet de Ecclesia id militante exponere: ex quo deducit Bellarminus *cap.* 4. non esse Augustini expositionem illam Apocalypsis, quæ habetur *tom.*9. illius operum.

CONFIRMATVR, nam *cap.* 10. finit discursum de Ecclesia militante, descripto iudicio, & lata sententia à iudice, vt indicat S. Doctor *ibi tit.*9. in fine, post quem incipit agere de Ecclesia triumphante. 45

QVOAD locum Isaiæ, respondet S. Doctor *serm.*22. *in Hexaëmer.* & *serm.*13. ibi loqui de Ecclesia militante, vt exponunt Hieronymus, Cyrillus, & Lyra, sed in sensu anagogico, vt ordinatur ad triumphantem. Ideò S. Hieronymus in fine capitis ait, gloriam ibi descriptam impleri in futuro sæculo plenius.

OBIICIVNT tertiò aliquos Patres, qui à Templi nomine abstinebant: Ità Hieronymus ad Riparium Cæcilius apud Minutium, & Opistus *lib.*6.

RESPONDETVR, eos abstinuisse, ne viderentur cum Iudæis conuenire. Ideò primitiui illi Christiani vsi sunt nominibus Ecclesiæ, & presbyteri, non templi, aut sacerdotis; vt patet in epistolis Apostolorum, atque Ignatij, & Iustini. Posteà verò satis perspectâ differentiâ inter Christianos, & Iudæos, cœperunt nominibus Sacerdotis, & Templi vti. 46

HIC adnotabo, Templa esse soli Deo ad Latriam debita, sed tamen etiam sanctis rectè ædificari, & dedicari. ita Concilium Gangrense *epistola ad Episcopos Armeniæ, can.*20. eas nominat Martyrum Basilicas, sic & Concilium Cabilonense *canone vltimo*, & C. Carthag V. *can.*14. idem supponit.

IDEM docent sancti Patres Græci, Cyrillus *catech.*16. Athan. *epist. ad solitar.* Basilius *in Psal.*114. Nazianzenus *oratione prima in Iulianum*, Nyssenus *oratione in Theodorum*, Chrysost. *homil.* 28. *ad populum Antiochenum*, Theodoretus *lib.*8. *ad Græcos.* Adduntur Eusebius *lib.*4. *de vita Constantini, cap.*58. & *sequenti.* Sozomenus *lib.*8. *cap.*18. Socrates *lib.*1. *cap. vlt.* Euagrius *lib.*2. *cap.*3. Nicephorus *lib.*13. *cap.*27. Damascenus *lib.*4. *cap.*16. 47

EX Latinis, Ambrosius *lib.*1. *epist.*5. Hieronymus *lib. contra Vigilantium.* Augustinus *lib. de cura pro mort. cap.*1. & *lib.*1. *de ciuit. cap.*1. & *lib.*20. *contra faust. cap.*21. & *lib.*8. *de ciuit. cap.*26. Paulinus *in Natali S. Fœlicis*; Victorinus Vticens. *lib.* 1. *persecut. Vaandalorum*, Gregorius *lib.* 2. *Dial. cap.* 8. Libet etiam Pontificalis testatur sæpius à multis sanctis Pontificibus, Ecclesias fuisse Sanctis dedicatas.

APPONIT tandem Bellarminus maximum illud Brixiensis mitræ ornamentum, Sanctum scilicet Gaudentium (quem acclamat Ambrosio æqualem) *Tract. de dedicatione Ecclesiæ.* 48

OBIICIVNT hæretici, etiam ornamenta Templorum reprobari. Hierem.7. *Nolite confidere in verbis mendacij dicentes: Templum Domini, templum Domini.*

Opponunt etiam multos Patres apud Bellarminum, parui facientes hæc ornamenta, tanquam superflua; maximè quia Christus semper amauit paupertatem.

HÆC testimonia latè discutit S. Doctor *in Apologia pauperum*, maximè *responsionis tertia cap.*2. vbi obseruat, D. Hieronymum solùm reprehendere dicentes, necessaria esse hæc ornamenta ad perfectionem Ecclesiæ, & paupertatem inde detestabantur, quod Deus in sua Ecclesia antiqua, quæ erat nostræ vmbra, posuisset diuitias, auro ornasset, ac possessionibus ditasset ministros.

ASSERO, vltimò sanctè peregrinationes suscipi ad loca sacra visitanda: Motem hunc esse antiquissimum ostendo; nam *Deuter.*16. præceptum Dei erat Templum Hierosolymæ inuisere. Post ascensionem Christi ad loca sancta Hierusalem ibant, vt refert D.Hier. *epist.*17. *cap.*6. vt videant Sectarij has visitationes non incepisse à sæculo Constantini. 49

PROBATVR igitur quòd hæc peregrinatio ſit Sancta, è PP. Chryſoſt. *hom. 32. ad Rom. hom. 8. ad Epheſ.* Ambroſ. *de vita Theodoſij Imp.* Ruffin. *cap. 17. lib. 1.* Epiphanio *in vita Ezech* Amphilochio *in vita Baſilij*, Auguſtino *epiſt.* 137. Paulino Nol. *natali* 3. & 8. Conc. Cabilonenſi *cap. 45.*

DVAS rationes affert D. Baſil. *in reg. diſp. reſp. 40.*
50 Altera eſt quia vbi ſanctorum templa, & corpora ſunt, patrocinium eorum facilius impetratur: Altera, quia ibi magis ad eorum imitationem ex præſentiori ipſorum recordatione accendimur.

DISPVTATIO V.

DE SACRIFICIO.

DVM Deus nos ſuis cumulat beneficiis, in ſignu noſtræ indigentiæ, quæ prius non erant, ad eſſe producit. Verùm dum nos eius recognoſcimus dona, eò quòd bonorum noſtrorum non egeat, quicquid ſacrificio offerimus, ad non eſſe perducere neceſſe eſt, vt ipſum tam vitæ & mortis ſupremum dominum, quàm Alpham, & O Megam, ſeu Principium, & Finis, à quo omnia prodeunt, in quem etiam deſinunt, obreſtemur: Hic eſt ſacrificij ſcopus vnicus: Hinc ſui conſcia obſeqnij naturalis ratio ab initio mundi Deum victimis colendum dictitabat; obtulitque Abel de primogenitis gregis ſui, ad quem Deus reſpexit, vt dicitur: *Geneſis* 4. Nam ſi alicuius regni incolæ ſuo regi illuſtre aliquod Donum ſoleant offerre, vt agnoſcant ſe ſuaque bona Regis patrocinio accepta ferri; quamuis vnus nomine omnium illud exhibeat; quanto potius populus vniuerſus ſacrificium teneatur habere, & Sacerdotem, qui Diuinæ Maieſtati grati illam animi ſignificationem perſoluat, vnoque omnes ore Deum deprecantur; hinc ſacrificans aiebat Nemias: *Accipe domine ſacrificium pro vniuerſo populo tuo*, eſt enim actus Religionis publicus, & præcipuus, vt notat S. Doctor 3. *diſt. 9. dub. 3.*

QVÆSTIO I.

Quid ſit SACRIFICIVM.

D. Bonauent. in 3. diſt. 9. dub. 1.
D. Thom. art. 3. quæſt. 85.

1 AGAM hîc de ſacrificiis in genere; nam de ſacrificiis legis veteris egi *prima ſecunda, Tract. de legibus, Diſputat.* 10. *quæſt.* 8. *De lege veteri.* De Auguſtiſſimo autem Sacrificio Miſſæ ſimul, & de ſacrificiis vmbroſis agam *tertia parte, Tract. de Eucharistia, diſp. 4. initio.*

OBSERVA ex D. Bonauent. *in 3. diſt. 9. dub. 1.* multipliciter ſumi ſacrificium. Primò communiter ſumitur pro omni re facta ad Dei gloriam: & ſignificat actionem ſacram, ſeu factum aliquod Diuinæ maieſtati conſecratum. Secundò ſumitur ſacrificium pro externo officio, quod ad Dei gloriam, & maieſtatem recognoſcendam, & internam deuotionem exhibendam, & ſeruitutem erga Deum, tanquam omnium rerum Dominum proteſtandam, certo ritu conficitur, ac immutatur; vt cùm animal mactatur, aut comburitur; vel panis frangitur, & comeditur.

ILLAM communem rationem Sacrificij exprimunt ſcripturæ, dum actus virtutum, ſacrificia vocant, vt *Pſalm. 49.* vbi S. Doctor obſeruat, in veteri teſtamento fuiſſe quatuor genera ſacrificiorum. Erat enim ibi ſacrificium, quod non totum accendebatur: Erat holocauſtum; quod totum conſumebatur igne: Erat oblatio de rebus ſolidis, vt pane, thure: Libamen de liquidis, vino, oleo, &c. His ait reſpondere quatuor ſacrificia. Sacrificiuum Iuſtitiæ, de quo Pſalm. 4. *Sacrificate ſacrificium iuſtitia*: Sacrificium pœnitentiæ, *Deo ſpiritus contribulatus*, Pſalm. 50. Tertium Sacrificium laudis, de quo ibi *Pſalm. 49.* & Quartum mortificationis, de quo Rom. 12. *Exhibite corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam* &c. 2

ET ad Pſalm. 50. in ea verba: *Sacrificium dediſſem* ait, in Sacrificio omni eſſe tria: Deuotionem, Oblationem, & Significationem; & prima duo diligit Deus, non vltimum; & hoc eſt, de quo dicitur: *Holocauſtis non delectaberis.*

HANC diſtinctionem agnoſcit S. Doctor *ſermone 5. Hexaëmer.* vbi cultum Dei diuidit in laudem, & Sacrificium. Sacrificium autem inſtitutum eſt ab Abel *Geneſ. 3.* & vſitatum Noë *Geneſ. 9.* Veriſimile tamen eſt eum ab Adam didiciſſe, vt notat Suarez *tract. 2. lib. 1. cap. 1.* ex Angelico *art. 1. ad 5.* 3

SIC etiam Sacrificium diuidit *in 3. diſt. 9. art. 2. quæſt. 2. ad 2.* dicens, dari Sacrificium bonæ operationis, deuotæ orationis, & immolationis; & hoc tertium dicit ad Latriam ſpectare, tametſi etiam oratio, vt ordinatur ad cultum Dei, prout præcellentis ſit actus Religionis, *lib. 2. de profectu Religioſi*, ait, dari Sacrificia bonæ voluntatis, bonæ actionis, bonæ locutionis, ſacræ meditationis, & piæ affectionis. 4

QVÆSTIO II.

Quænam requirantur, vt SACRIFICIVM *ſit rectum.*

D. Thom. art. 3.

D. BONAVENTVRA ad 2. *Lucæ* ait, in oblatione Domini quatuor perſonas obtuliſſe, Ioſeph, Mariam, Simonem, & Annam, quia anima, quæ verum Sacrificium vult Deo offerre, debet habere comitatum quatuor virtutum Cardinalium. Per Simonem, qui interpretatur *Audiens*, intelligitur Prudentia. *Audiens ſapiens, ſapientior erit.* Prou. 1. Per Annam, quæ interpretatur *Gratia* intelligitur Temperantia? *Optimum eſt gratia ſtabilire cor non eſcis.* Heb. 13. Per Ioſeph virum iuſtum, intelligitur *Iuſtitia*; ſonat autem Ioſeph *augmentum*, 2. Corinth. 9. *Multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ.* Per Mariam, quæ dicitur Dominatrix, intelligitur *Fortitudo*, Prouerb. 16. *Melior eſt patiens viro forti.* 5

POTERAT ſanè eſſe Sacrificium, ideſt, Sacrum Deo 6

Deo, infectum aliqua mala circumstantia, sic enim & votum Iephte, sacrificandi primum, qui è domo occurreret, vocatur sacrificium, & tamen fuit prauum, vt docet D.Bonau. *in 4. dist.38. quæst.2.* ex D.August. *super Iud. cap.49. & qq. veter. testam. cap.43.* vbi ait, quòd fuit in vouendo stultus, & in reddendo impius.

PRIMO autem necesse est, vt sacrificium institutum sit à Deo, vel per internum instinctum, sicut erant sacrificia à Patriarchis vsitata in Lege naturæ; vel per mandatum peculiare, vt docet D.Bonau. *in 4. dist.1. p.2. quæst.3.* eò vero magis hoc erat illorum sacrificiis insitum, quia erant in memoriam Redemptoris venturi, in cuius fidem habebant virtutem. Igitur vt Deo placeant sacrificia, debent Dei voluntati esse conformia; hoc autem non possumus scire, nisi, aut dictamine recto naturæ, aut reuelatione.

7 SECVNDO ex parte offerentis requiritur, vt sit talis, qualem requirit Diuina institutio. Hinc enim antiquitus non poterant offerri sacrificia, nisi à personis, Diuino cultui dedicatis. Vnde 1. *Reg.13.* Saul grauissimè reprehenditur, eò quòd sacrificarit, etiam necessitate compulsus. Ideo etiam cap.15. ait: *Melior est obedientia, quàm victima*, vt obseruat S.Doct. *in Dieta, tit.3. cap.2.*

Ex quibus sequitur, soli Deo vero offerendum sacrificium, vt ait D.August *lib.10. de ciuit. cap.14.*

PORRO ad perfectionem sacrificij eædem conditiones requiruntur, quæ ad orationem, de quibus *disp.3. quæst.5. & 10. ac sequentibus*, dictum est.

QVÆSTIO III.

An SACRIFICIVM *sit de iure naturæ.*

{ D.Th.quæst.cit.art.1 & 4.

8 ASSERENDVM esse iuris naturæ, saltem in fundamento, vt ait Suar. *Tract.2. l.1. cap.3.*

PROBATVR, quia cùm simus Deo subiecti, debemus protestari debitam Deo seruitutem, & cum ex anima constemus, & corpore, debemus modo proportionato non solum interiori cultu, sed etiam exteriori Deum agnoscere, & cùm omnia ab eo recipiamus, debemus aliqua offerre, vt arguit Valentia *disp.6. quæst.4. punct.3.* ex D.Bonau. *in 4. dist.1. p.2. quæst.3. in corpore*, D.Thom.3. *contra Gent. cap.120.* & D.August. *epistola 4.*

9 QVAMVIS autem de iure naturæ sit sacrificium in genere; tamen hoc, vel illud Sacrificium est ex Institutione, vt ostendam *Tract. de Eucharistia* initio.

QVÆSTIO IV.

An præter SACRIFICIVM *sint offerendæ primitiæ.*

{ D.Thom art.4.

10 TAMETSI oblationes primitiarum in Veteri Lege præceptæ figurales essent, & ideò hoc tempore euacuatæ, tamen quatenus aliquid Deo ex Religione donabant non sunt euacuatæ; & ideo hoc etiam tempore possunt Deo offerri; vt ait D.Thom. *hic* Valentia *disp.6. quæst.4. p.4.* Rationem affert S.Bonau. *in 4. dist.1. p.2. quæst.3.* quia hæc Deo exhibentur, vt debitæ Creatori, Benefactori, ac rerum omnium Datori; ideò ex naturæ instinctu offerebantur etiam à non agnoscentibus figuras, & nunc etiam ideò durare debent, quia tenemur Deum agnoscere, vt rerum omnium datorem.

HVNC ritum approbat Gregorius VII. *in cap.* 11
Omnis de consecr. dist.1. dicens: *Omnis Christianus procuret ad missarum solemnia aliquid offerre.*

DICVNT autem Nauar. *Man. cap.13. num.19.* Syluest. *verbo decima*; vbi est consuetudo offerendi ad missam, sufficere, si maior populi pars offerat, & ideò non peccare eum, qui semel, vel iterum non offert, nisi omittat ex contemptu, vel sit causa, vt maior pars populi non offerat.

NOTAT etiam D.Thom. *art.1. ad 3.* cum Caie 12
tano, quamuis debeat is à superiore puniri, qui oblationes non vult facere; tamen sacerdotem, cui faciendæ illæ erant, non debere ei negare sacramenta.

Hæ oblationes Rectori Ecclesiæ cedunt. Ita Syluest. *loc. cit.* Valentia *hic* ex D.Thom. *art.2.* sunt autem offerendæ res bonæ, non vitiosæ. Vide Caietanum, & Valentiam. Ita verò, vt alia etiam caueantur, nempe ne res sint ex naturali præcepto aliis exhibendæ, puta in vsum parentum pauperum: Vel sint è turpi lucro. Hinc non est offerendum è mercede prostibuli, vt notat D.Thom. *art.3.* & communiter cum D. Bonau. *in 4. dist.15. p.2. art.2. quæst.1.* sic enim præcipiebatur etiam *Deuter.23.*

PORRO in Ecclesia gratiæ latum esse præceptum 13
de primitiis Deo offerendis asserunt Theologi omnes & Canonistæ apud Suar. *tract.2. l.1. cap.8. num.14.* Habetur *C. Reuertimini 16. quæst.1.* & Greg.VII. *cap. decimas 16. quæst.7.*



DISPVTATIO VII.

De Decimis.



EA Sacrificij, & Oblationis est distinctio, qualis est generis, & speciei; omne enim Sacrificium oblatio est, non è contra. Inter oblationes autem præcipuæ occurrunt Primitiæ, & Decimæ; olim soluebantur ambæ vi legis cæremonialis, saltem quoad aliquotam determinationem; nunc verò in Ecclesiæ ministrorum sustentationem, aut naturalis gratitudinis recognitionem solui solent.

DE Primitiis nihil speciale restat explicandum præter iam dicta; nam licet de his varia Iuris capitula, Patres quoque, & concilia parem cum Decimis obligationem innuant, apud Suarez *loco suprà citato*, in desuetudinem tamen variis in locis abiere, vel propter Hæreticorum prauitatem, seu quod Ecclesiarum Ministri sufficienter Decimis, aliisque modis sustententur. Quare hîc pauca de Decimis tantùm subiungam. Notandum autem Decimas à numero denario sumi, qui inter omnes numeros perfectissimus est, vt infrà ostendam; vnde hunc perfectum numerum Deo offerentes, imperfectum nobis retinemus, arguentes quippè omne perfectum in Deum

refundendum ; ex quo capite inferebat D. Paulus magnitudinem Melchisedech, præfigurantis nobis Christum: *intuemini* (ait) *quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.*

QVÆSTIO I.

An sint DECIMÆ *soluendæ.*

{ D.Bonau.in 4 dist 1.p.2.q 3.
D.Thom quæst 87.

1 HÆRETICI, ex more, hunc sanctum morem reprehendunt, soluendi Ecclesiæ decimam fructuum, vel aliarum rerum partem : eos refert Valentia *disp.* 6. *quæst.* 5. *punct* 1. Hic error damnatur in Concilio Const. *sess* 8. estque decimusoctauus inter errores Vuicleph. & ideò Concilium Trident. *sess.* 25. *cap.* 12. declarat : *Qui decimas subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur ; neque ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absoluantur.* Intellige tamen cum Nauar. *cap.* 21. *num.* 12. quando potest restitui ante absolutionem, non instante necessitate, puta mortis, vel alia, vt absoluatur prius. Et in Clementina *Cupientes, de pœnis*, excommunicantur Religiosi, qui in concionibus dissuadent solutionem decimarum.

2 PORRO decimas soluendas instituerat Deus tempore legis antiquæ ad honorandum Deum, vt remuneratorem, ad profitendam fidem Redemptoris, vt docet D. Bonau. *in* 4. *dist.* 1. *p.* 2. *quæst.* 3. & ad rectæ vitæ institutionem.

3 PRIMO quidem honoratur decimis Deus remunerator, (ait S. Doct.) Numerus enim denarius perfectissimus est, quia tres in se habet perfectiones. Prima est vnitatis, quæ est perfecta, quippe quæ omnis numeri est principium. Secunda ternarij, qui est numerus perfectus constans ex omnibus partibus suis, ex parte aliquota, & non aliquota. Tertia senarij, qui constat ex omnibus partibus aliquotis. Hæc autem simul faciunt denarium in quo est status : nam volentes ascendere iterum resumimus numerando : *vndenarius, duodenarius, &c.* addentes vnitates denario vsque ad centesimum numerum, è quo vna ouis periit. Est ratio Chrysost. *homil.* 1. *Imperf.* apud Suar. *c.* 11. *n.* 5.

4 SECVNDO ordinatæ sunt decimæ ad profitendam fidem Redemptoris. Homo enim per decimam drachmam perditam exprimitur ; quæ addita, decem choros perficit in cælo, vt ait Beda *in Glossa ad* 15. *Lucæ*, ad quem locum S. Doct. cum Glossa, per mulierem, sapientiam intelligit ; per decem drachmas, seu denarios, nouem choros Angelorum, & hominis decimum, imagine suâ excusum Deus condidit. Hinc vero ad liberationem hominis signandum præcepisse Deum afferri sibi decimas, ait S. Doct. ac decem præcepta dedisse. Vide S. Doctorem eximiè *ibi* disserentem.

TERTIO ordinatæ sunt decimæ ad rectam vitæ agendæ institutionem ; dum enim decima pars Deo datur, refertur illi id, quod est vitæ nostræ perfectum, & reliquum imperfectum nobis restat. Vide S. Doctorem.

5 PROBATVR verò egregiè solutio hæc à D. Bonau. *ad* 10. *Lucæ* ex illis verbis : *In eadem autem domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt : dignus est enim operarius mercede sua.*

DEINDE id probat ex *prima Cor.* 9. non modò authoritate, sed rationibus Apostoli : *Quis militat suis stipendiis vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, de lacte eius non manducat? &c. Scriptum est enim in lege Moysi : Non alligabis os boui trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtique hæc dicit? Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe, qui arat, arare : & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?*

6 IDEO id probat ex 6. ad Galatas. *Communicet autem, is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis.*

IDEM habet prima Timot. 5. *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur : maximè qui laborant in verbo, & doctrina. Dicit enim Scriptura : Non infrænabis os boui trituranti.*

7 CONFIRMAT S. Doctor Christi argumento. *Dignus est enim operarius mercede sua*, quo sensu exponitur etiam à D. August. *in Psalm.* 146. & *lib.* 50. *homiliarum, homil.* 48. perbellè ait : *Maiores nostri ideò copiis omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant. Modò autem quia recessit deuotio Dei, accessit inductio fisci. Noluimus partiri cum Deo decimas, modò autem totum tollitur : Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.* His mediis vtitur etiam Valentia *disp.* 5. *quæst.* 5. *punct.* 1. Suar. *tract.* 2. *l.* 1. *cap.* 10. *& sequent.*

IDEM probatur ex Decretalibus *tit. de decimis.* Vide Valentiam *loc. cit.* & Suar.

Quo autem iure soluantur decimæ.

8 SVPPONIT S. Doct. *in* 4. *dist.* 1. *p.* 2. *quæst.* 3. decimas ex iure naturæ esse inuectas, Mox etiam iure Diuino constitutas; sic enim omnes Iudæi dabant decimas Sacerdotibus, & hi dabant decimam decimarum Pontifici, *Numer.* 18. & hæc vocabatur decima decimæ, vt notat D. Bonau. *ad Psal.* 64.

S. DOCTOR ad *titulum Psal.* 93. qui inscribitur: *quarta Sabbathi*, obseruat, quòd hæc quarta Sabbathi est feria quarta, in qua creata sunt Luminaria, & in figura ipsa Ecclesiæ adumbrata est claritas, & ideò quatuor tempora in quarta feria incipiunt, & quarta Feria Quadragesima. Nos enim debemus offerre primitias temporum, idest, quatuor tempora, & decimam dierum, idest Quadragesimam. Quare potius decimam damus, quàm nonam, vel vndecimam ; Quia decimus ordo cecidit Angelorum, qui debet hominibus restaurari.

9 DISPVTANT verò Doctores : an quota partis, quæ est ipsa decima, sit adhuc iure diuino Ministris Ecclesiæ debita.

INNOCENTIVS *in Rubr. de decimis*, & Glossa *in cap.* 2. *de decimis, lib.* 6. & alij Iuristæ citati à Couar. *l.* 1. *var. cap.* 17. & à Nauarro *Man. cap.* 21. *num.* 28. putant non modò ad aliquid soluendum ob alimenta Ecclesiæ ministrorum, sed ad quotam partem, idest, decimam teneri iure Diuino.

FVNDAMENTVM horum est, quia Pontifices in Decretalibus *extra, de Decimis*, aiunt, diuino præcepto decimas esse soluendas. Item non esse ab hominibus statutas, sed à Deo *C. Parochianos, C. Tua nobis, C. Cum non sint*, & *C. In quibusdam.*

10 VERA tamen sententia est, non esse ex præcepto quidem antiquo ; & nunc Ecclesiastico soluendam quotam, idest, decimam. Ex præcepto autem Diuino dandam sufficientem ministris Ecclesiæ mercedem ad sustentationem. Ita D. Thom. *art.* 1. Suar. *cap.* 10. *n.* 1. Nauar. Couar. suprà, Valentia *quæst.* 5. *punct.* 1. qui ait esse Theologis communem, quos refert Suar. Imò Maior *in* 3. *dist.* 37. *quæst.* 36. reprehendit sententiam oppositam tanquam Iudaizantem.

Hæc

Hæc procul dubio est sententia D. Bonau. qui ad 10. *Luca*, & aliis locis allegatis, eoque solo sensu intelligit solutionem decimarum, vt patet legenti, & Scripturas suprà allatas à S.Doct. è nouo testamento ità exponit.

11 Ad Decretales dicunt Theologi apud Valentiam, intelligi exemplariter, seu imitatiuè, idest, soluendas decimas iure Ecclesiastico, imitante Diuinum præceptum antiquum; hine præcepti maiorem autumnat firmitatem, qui est ad exemplar iuris diuini, vt notat Suar. *cap.* 16.

Ego adderem, Illis Decretalibus recenseri institutionem huius ritus, sed Ecclesiam immutasse quotam, & retinuisse id, in quo adhuc tenemur completa iam Redemptione, nempe Deo remuneratori aliquid soluere.

12 Ex dictis colligo cum communi sententia, posse per contrariam consuetudinem tolli legem decimarum quoad quotam. Ratio est apud Valentiam *puncto* 2. quia est ius humanum, quod potest consuetudi e abrogari rationabili, & præscripta.

QVÆSTIO II.

E quibus rebus sunt soluendæ decimæ.

D.Thom art 2.

13 De hoc latius Suar. agit *cap.* 34.

Decernitvr iure, vt soluantur ex omnibus rebus iustè partitis, atque adeò è fructibus prædiorum, & aliarum rerum fructiferarum, & molendinorum, piscinarum, &c. Quæ dicuntur decimæ prædiales. Similiter ex lucro cuiusque propriæ negotiationis, militiæ, venationis, quæ dicuntur decimæ personales. Itemque pecorum, & ouium, quæ possunt vocari mixtæ; eò quòd partim prædiorum fructibus, quibus muniuntur, partim industriæ adscribuntur.

14 Ex his omnibus soluendas decimas asserit Cælestinus III. *C. Non est, extra de Decimis.* Consuetudine tamen solæ prædiales sunt in vsu, & aliquæ mixtæ, vt notat Nanar. *num.* 31. *cap.* 31. Valentia *p.* 3. Suar. *cap.* 10. Bassæus *v. Decima.* Personales verò consuetudine iam præscripta in toto orbe non soluuntur. Vide Doctores in Fag. *praec.* 5. *l.* 1. *cap.* 2. Bonac. *de decimis, p.* 2. Bassæo *num.* 40.

QVÆSTIO III.

Quibus, & à quibus soluendæ decimæ.

D.Thom.art.3. & 4.

15 Asserо primò, decimas non Laicis, sed Ecclesiæ ministris soluendas, *C. Quamuis grave, de decimis*, & videtur intelligere de iis solis qui curam habent animarum, *cap. Cùm contingat de decimis.* Ita innuit D.Bonau. *ad* 10. *Luca.*

Ex horum verò redditibus decimalibus coadiutores, & illorum clerici alii solent, vt notat Valentia *puncti.* 4. *quæst.* 5. Posito autem Ecclesiæ præcepto soluendæ etiam sunt cætui Ecclesiasticorum; Ita D. Thom. *quæst.* 87. *art.* 3. & alij apud Bass. *num.* 10.

16 Asserо secundò: prædiales decimæ pertinent ad Parochos loci, vbi prædia habemus. Ita D.Thom. *art.* 3. *ad* 2. & colligitur *ex c. Quoniam de decimis*, & *cap. vlt. de Parochis.* In hoc tamen standum consuetudini, vt habetur *c. Ad Apostolica: & c. Cùm sint de Decim.* & nadit D.Thom. *art.* 3. *ad* 2.

Asserо tertiò per cessionem Summi Pontificis possunt fructus decimales extendi in vsus Laicorum. Primò per venditionem, seu donationem. Secundò per priuilegium Summi Pontificis ad tempus, vel in perpetuum. Tertio per concessionem in feudum perpetuum, factum ab Ecclesiæ aliquo Prælato ante Concilium Later. sub Alexandro III. quod fuit celebratum 1107. *c. Cum Apostolica.* Post dictum autem Concilium non potest aliquis Prælatus, Summo Pontifice inferior, tale feudum Laicis concedere.

Qvarto per concessionem in feudum, factum ab aliquius Ecclesiæ Prælato, si sint tales decimæ, quæ aliquando fuerint feudi titulo legitimæ possessæ à Laicis, & à feudo redierint ad Ecclesiam. Ità Valentia, & alij. 17

Qvinto per titulum Locationis *c. Vestra, de locato, & conducto*; dummodo dominium directum maneat apud Ecclesiasticum locantem, vt notat D. Thom. *art.* 3. *ad* 3. & solus fructus eius sit apud Laicum, qui conducit; neque in perpetuum hæc locatio fiat, vt notat Sylvester *v. Decima*, neque vltra triennium, vbi recepta est Extrauagans Pauli III. *de rebus Ecclesiæ non alienandis*, quæ sub excommunicatione id prohibet.

Qvo in genere etiam Conc. Trident. *sess.* 25. *cap.* 11. *de reform.* irritas declarat quascumque locationes rerum Ecclesiarum, etiam authoritate Apostolica confirmatas, quas ad longum tempus etiam 30. infra annos factas Synodus Prouincialis, vel deputandi ab ea iudicauerint contractas fuisse in damnum Ecclesiæ, & contra Canonicas sanctiones. 18

Asserо vltimò eos debere decimas soluere, qui vel Sacramenta percipiunt in aliqua Ecclesia, vel in eius territorio prædia habent aliquo alio titulo, quàm spirituali, etiamsi Clerici sint, nisi priuilegio, vel consuetudine, aut condonatione aliter ordinetur. Ita D. Thom. *art* 4 & D.Bonau. *locis adductis quæstione prima* Valentia *p.* 5. Suar. *cap.* 16. Less. *l.* 2. *cap.* 39. *disp.* 5. Filliuc. *tract* 27. *cap.* 8. Vasq. *de benef. cap* 1. *dub.* 8. *num.* 37. Regin. *l.* 19. *num.* 87. Figund. *l.* 1. *cap.* 4. & *l.* 2. *cap.* 1. Bassæus *num.* 5. Ita habetur *C. ex transmissa v. Fideles omnes*, *c. Tua nobis.* 19

Qvoad Clericos habetur *cap.* 2. *de decim.* vbi tamen loquitur, cas de bonis sæculi soluendas, non de bonis Ecclesiæ, vt monet Suar. *cap.* 17. cum Theologis, & Canonistis.

Infideles autem, cum foris sint, nec Sacramenta recipiant, non tenentur ad Decimas. Ideo *c. Ex transmissa* explicant qui ad eas tenentur. 20

Quoad Iudæos obligantur ad soluenda onera realia, *c. De terris*; non autem ad decimas prædiorum. Deinde *c. Quanto* indicitur cogi eos posse ad decimas prædiorum, quæ soluti consueuerant antequam prædia ad eos peruenirent. Cuius rationem addit Glossa, quia res transit cum onere suo.

Tenentvr verò hæretici baptizati, sunt enim subditi Ecclesiæ, Vide Suar. *cap.* 16. *num.* 3.

Nota verò consuetudine præscribi posse, vt decimæ soluantur, non in Parochia, vbi est prædium, sed in alia *c. Ad Apostolica*, *c. Cum sint homines, de decim.* colligitur ex *c. Ad aures de Præscript.* & *cap.* 1. *de Præscrip. in* 6.

Reqviritvr autem ad præscriptionem hanc tempus, quo iuri communi derrahitur, vt ait Gloss. *ad c. cit. Cùm sint homines.* Est enim iuris communis, vt dentur decimæ, vbi sunt prædia, vt habetur eo *cap. Ad Apostolica*, est autem tempus necessarium 40. annorum *c. Accidentibus de Priuil.* 21

Ex

Ex dictis habes decimas prædiales solui de omnibus omninò fructibus integris *c. Nuncius*, *c. Ex parte*, *c. Ex transmissa*, *c. Tua nobis*. Vide Suar. *cap.* 34. soluendæ autem sunt integrè, antequam computentur expensæ. Vide Suar. *cap.* 35.

22 SIMILITER & de mixtis, vt gregibus, &c. sic habes, *c. Peruenit*, *c. Non est*, *c. Quicunque*, *c. Omnes 16. quæst. 7. c. Nuncios*, vbi & de apum fructibus, cera, & melle idipsum dicitur: Vide Suar. *loc. cit. num.* 4.

QVÆSTIO IV.

Vbi & quando soluendæ sunt Decimæ.

23 RECEPTA consuetudo est hac in re obseruanda; solent enim multis in locis decimæ solui in ipso agro, quando fructus percipiuntur, & tunc admonendus est decimarum Dominus, vt ad sit, ne fraude, vel furto frustretur bonis sibi debitis. Aliis in locis fructus indecimati in horrea cumulantur, & postea decimantur. Et si decem quidem annorum spatio consuetum fuerit, ità fructus indecimatos in Horrea portare, propriis Feudatarij, seu Domini Agri expensis præstandum est; cum illud tempus præscriptionem, legis vim habentem, inducat; quod si consuetudo illa legem non fecerit, non tenebitur Dominus agri ad nihil aliud, nisi vt admoneat illum, cui decimæ debentur; & si nolit se præsentem exhibere, possunt seorsim in agro relinqui.

24 DE tempore autem, quo hæc fieri debeant; si Decima sit personalis, & solui soleat, statim post acquisitionem lucri est soluenda; quia debetur lucro acquisito: Ergo tunc solui debet: si tamen aliter fieri consuetudine introductum sit, illi erit standum. Vide Lessium *lib. 2. cap. 39. dub. 3. num. 26.* Suares, Valentiam, Azorium, Vasquez, Molfesium, & alios non paucos, quos citat, & sequitur Bonacina *disp. vlt. de præcep. Ecclesiæ, quæst. 5. p. 5. & 4.*

25 EANDEM ratio militat etiam pro decima prædiali. Hæc enim collectis fructibus est debita; ergo tunc est soluenda. Addi potest ad confirmationem vtriusque; quod solutio cuiuscumque Decimæ cadit sub præcepto affirmatiuo, quod implendum est pro certo tempore; nullum autem tempus certum, magis commodum est, quàm cum res debita est in debentis potestate, nec vlla ratio sufficiens, aut consuetudo solutionem cogit differre. Præterea præcipitur *cap. cum homines, de decimis*, vt ita soluatur.

HINC habes ad solutionem Decimarum non requiri, vt petantur; sed vltrò debere statuto tempore solui; vbi tamen contraria viget consuetudo, non est ei contradicendum. Verum si à tempore, solutioni præfixo, sit debitor in morâ, saltim in ordine ad eas decimas, quæ dilatione solent deteriores fieri; tenebitur ad damnum resarciendum. Incipit autem tempus soluendi lanas ab ouium tonsione, vitulos, aliosque animalium fœtus, quando à Matribus maturè separantur; Item Lacticinia tunc decimantur, quando in suo ordine censentur perfecta.

QVÆSTIO V.

Qua Authoritate exigenda sit decimarum solutio.

26 HANC solutionem, si iniustè negetur, posse iustè exigi nullus vnquam dubitauit; & hoc eò vsque verum est, etiamsi diu differat eam petere ille, cui debetur; nam non remittitur debitum, eò quòd non suo tempore petatur; nisi talis apponatur conditio; quod raro fit: Hinc planæ temeritatis notâ obsignatur meritò Paulinus à Suarez *cap.* 38. eò quòd improbabiliter ipse solus, nulla seu rationis, siue authoritatis instantia suffultus, asseruerit, parochum non petentem fructuum Decimas tempore collectionis, eas ampliùs petere non posse: Nullus enim rem suam proscribit, eò quòd eam petere prætermittat, eò maximè cùm res absque petitione reddi debeat; decimæ autem sic sunt soluendæ, vt suprà dixi, nisi consuetudo obstet.

VERVM licèt petendi Ius habeat Parochus, aut alius Clericus, qui eas iusto titulo obtinet; non tamen vi exigendi authoritatem vllam prætendere potest; etiamsi eas prorsus neget Dominus fructuum; tum quia quisque suæ rei, donec eius dominium traditione abdicet, est legitimus possessor; tum quia parochus est persona priuata, cui non competit Ius talem iniuriam vindicandi, seu rem ipsam arripiendo, seu Sacramenta ita iniurianti negando. 27

ACCERSENDVS est itaque Iudex Ecclesiasticus, seu Prælatus Ecclesiæ; qui causis Ecclesiasticis quales sunt decimæ, præfici debet: Nam cum pœna, contumacibus decimarum retentoribus inflicta, sit excommunicatio, digna quippe tantæ inobedientiæ mulcta, debet pronunciari ab habente Ecclesiasticam iurisdictionem. Ita *cap. 16. omnes, quæst. 7.* & Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 12. de reformat.* decernit: *Qui decimas subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine sine plena restitutione sequuta absoluantur*, quod intellige, si habeant restituendi facultatem; nam si impotentes facti sunt, possunt absolui ab habente iurisdictionem, præstita cautione, & proposito satisfaciendi Ecclesiæ, cùm fuerint in soluendo. 28

NOTANDVM autem, illud Concilij decretum non tantùm decimarum detentores ligare excommunicatione, sed & Ecclesiæ prælatos obligare, vt eo modo cogant subditos ad solutionem Decimarum; in quo tamen magna adhibenda est prudentia, vt monet Suarez *loco citato*, vt modo amicabili, & per quandam compositionem eos inducant, nè propter consuetudinem, non ritè præscriptam, scandala, & aliæ perturbationes oriantur.

NEC talis compositio, vel pactio vllo modo simoniam redolet, cùm non agatur de iure spirituali, sed de reditu temporali, in cuius administratione tenentur se Prælati fideles, & pacificos exhibere.

QVOD si prædia alienentur, postquàm debita decimarum sunt contracta, addunt multi apud Suarez *loco citato* suprà, posse pastores Ecclesiæ, petere prædiales decimas ab illis personis, quibus prædia sunt vendita. Plures tamen tenent, talia prædia obnoxia tantùm manere futuris decimis, non autem præteritis; quod & probabilius videtur. Nec in contrarium allegari potest, quod bona prædialia fidelium maneant obligata per modum Hypothecæ, tacita quadam obligatione, vt soluantur inde decimæ, vbicumque reperiantur, & ità transire cum onere soluendi illas, siue futuræ sint, siue præteritæ, eodem modo, quo bona mariti manent tacitè hypothecata ad soluendam vxoris dotem, apud quemcumque sint reperta. 29

AD hoc enim Respondeo, omnem obligationem hypothecariam venire ex aliqua lege; in hoc autem casu nulla lex ostendi potest. 30

TRACTATVS



TRACTATVS DE VOTIS.

PROOEMIVM.



ELIGIO, Aurea Catena est, qua Deo religamur; Votum verò huius catenæ nodus est, quo ipsi arctiùs obstringimur. Homo enim tam labilis, palantisque naturæ est, vt à Creatore suo continuò diuagans, non solùm flagellis, ac plagis multis ad reuertendum cogitur, verùm reuersus catenis, & nodis, nè amplius discedat, coërcetur, suâ tamen sponte, seque exequente, voluntariis suum vinculis collum submittit. Hæretici, nefandam aberrandi libertatem ambientes, has detestantur catenas, quas eò vsque suspectas habent, vt nè vel Deo appropinquare student; hinc vagabundi, extra Ecclesiam excurrentes, contumelia, & inania ratiuncularum iacula in nos iactant; hæc retundam infrà, agendo de Votis solemnibus; hîc autem priusquàm ad Voti in genere quidditatem, & conditiones accedam, præmittam solutionem quorumdam argumentorum, quibus non tàm sectarij, quàm solutiores, nomine quidem, Christiani à vouendo disuadent, opinantes eam esse seruorum, & Christianorum parem conditionem, vt sicut illi rei nullius dominium, seu obsequij promissum in Dominos valent conferre, quippe qui toti ipsius sint cum suis bonis, & obsequii; ità homo, quantumcumque liber, totus est Dei, qui sicut nullam rem potest à se abdicare, ita nullam de nouo acquirere: Prætereà si votum velut obligationis sit vinculum, quo aliquid Deo præstare tenemur, quod antè non præstitimus, omnia potiori iure Deo debemus, tum vi illius præcepti, quo ipsum ex toto corde diligere tenemur; tum ratione tot beneficiorum, quibus nos quotidie solet cumulare; Insuper lex Euangelica liberos esse filios proclamat, non verò votorum necessitate premendos: Hæc, tanquam volucrum terriculamenta facilè abiguntur, quis enim ignorat, licèr Deus nos, & nostra absolutè ad suum placitum dispenset, relinquere tamen nobis nostrorum actuum, & rerum illud Dominium, quo possumus liberè vti, vel abuti in ipsius gloriam,

seu

seu nostram perniciem; vnde quamuis sit vniuersalis rerum omnium Dominus, non tamen excludit Dominium particulare in libertate cuiusque fundatum; Et licèt seruus sit totus sui Domini, possidet tamen naturalem libertatem, qua suam fidelitatem possit ei deuouere, vel denegare: Nec ità vrget Diuinæ dilectionis præceptum, vt ad eius executionem omnia omnino, quæ factu possibilia sunt, faciamus: At esto; ità esset, non est cum Voto incompossibile, vt res alioquin præcepta in eius obiectum adsciscatur, vt suo loco demonstrabimus: Nec vllus etiam modicæ mentis compos inficiabitur dari plures actus in indiuiduo, qui sub præcepto non cadant; decet etenim Creaturam rationalem & liberam, vt sicut quædam agit ex alieno imperio, ita etiam nonnulla faciat ex proprio, & libero arbitrio, quod votiua promissione non temeratur; tum quòd voluntariè suscipiatur; tum etiam quòd suscepta non aliam, præter præcepti, necessitatem patiatur, quæ non aduersatur vllatenus libertati filiorum; cùm eo ipsi, quo iusti filij Dei sint, necessariò præceptis Deum amandi, honorandi, obediendi & similibus subiiciantur. Et hæc quidem de votis etiam simplicibus dicta sint. Verùm ex Votis solemnibus (de quibus sequenti disputatione agendum erit) quantum & prouentum, & aumentum semper Dei Ecclesia ab ipso sui exordio cæperit, quis etiam cæcutiens non viderit? Et quamuis hac nostra tempestate carpendis Monachorum moribus plures cum Vigilantio inuigilent; nullus tamen vel modicè suæ salutis sollicitus ibit inficias, eam esse Religiosi status præeminentiam, vt dum Monastica vita paleis infestetur, sæcularis interim trabibus prematur: & quantumcumque de suis sibi viribus fidant mundani; illis obiici potest illud Augustini relatum à D.Bonauent. Apolog. paup. resp. 1. cap. 2. *Lubrica spes est, quæ inter fomenta peccatorum se saluari sperat, incerta victoria inter hostilia arma pugnare, & impossibilis liberatio flammis circumdari, nec ardere*, & vt cum Diuo Hieronymo loquar contra vigilantium epist. 53. *Nulla securitas est vicino serpente dormire, nec necesse est certa dimittere, & incerta sectari, nam si fugero gladium vitaui; si stetero, aut vincendum, aut cadendum.* His adiice Scripturas, quæ omnia mundi huius emolumenta vel venundare, vel pessundare consulit; vt vbique opusculorum fusissimè ostendit Seraphicus Doctor. Verùm hanc materiam, vtpotè satis copiosam, per plures disputationes, & quæstiones meliùs intersecabimus.

DISPVTAT

DISPVTATIO PRIMA.

De Voto.



Ntequam Voti Definitiones, & Conditiones assignem, nonnihil de eius nomine prænotabo; variè enim sumitur in Sacra scriptura; nam non rarò pro bono proposito, seu pio desiderio vsitatur, quo sensu Exodi 36. *Quotidiè mane vota populus offerebat.* Sicut & Prouerb. 31. dicitur: *Quid dilectè votorum meorum*, idest desideriorum, vt notat Suarez *tract. de voto in proœmio*; item dum in Missa dicitur: *tibique reddunt vota sua*; nam in singulis Missis non persoluimus semper promissionem aliquam ex voti obligatione: Sumitur etiam sæpè pro spontanea sponsione, obligationem inducente, vt *num.* 13. *Psal.* 49. *Psal.* 65. *& Eccles.* 5. quibus locis frequens fit mentio de voto reddendo, eò quòd obliget vouentem; vnde loco vltimò cit. habetur: *Si quid voueris Deo, memor eris reddere; displicet enim ei infidelis & stulta promissio*; hæc est voti acceptio propria, nunc vnicè tot scriptoribus probata: Aliquando etiam sumitur pro ipsa re, quæ vel vouetur, vel offertur; vt Deuteron. 12. *Offeretis Holocausta, vota, atque donaria*, hoc etiam aliis in vocibus non inusitatum est, vt materia, circa quam actio versatur, ad se actionis denominationem transferat, & è contra, vt clarum est: his ita præmissis ad cætera accedamus.

QVÆSTIO I.

Quid sit Votvm, *& quæ eius conditiones.*

D Bonau. in 4. dist. 18 q. 2.
D. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 1. & 2.

1 Votvm *est promissio Deo facta de meliori bono.* Ità D. Thom. D. Bonau. & alij communiter.

Aliam definitionem voti tradit D. Bonau. argumento sed contrà: *Votum est melioris boni conceptio, animi deliberatione firmata.*

Aliam definitionem affert S. Doctor. 3. *p. Centiloq. sect.* 55. ex Hugone de Sacram. l. 2. p. 12. cap. 3. *Est testificatio promissionis facta spontanea, quæ Deo, & de his, quæ Deo pertinent, fieri debet.*

2 Pro Voti essentia hinc eruenda, scias ex D. Bonau. *in corpore*, & D. Thom. *art.* 1. promissionem propriè dictam, esse, qua aliquid hominibus pollicemur, quæ ideò requirit, vt fiat modo humano, verbis, vel nutibus, & ita ait, prima definitione definiri Votum solemne, quod in facie Ecclesiæ fit.

Ea enim indicat Votum secundùm externa: Secunda verò definitione ait, tradi essentiam Voti simpliciter coram Deo. Addit verò Sanchez, promissionem etiam extendi ad internam sponsionem Deo. Quo sensu, in Definitione omnis voti, Votum dicitur *Promissio.*

3 Deinde obserua ex D. Bonau. hanc sponsionem fieri Deo debere; est enim actus religionis, quo debitum Deo reddimus, tanquam omnium largitori, seu ad gratias de acceptis reddendas; seu ad beneficia impetranda.

Dicitur obiectum Voti esse non solum bonum, sed melius, nempe, debet esse melius, quàm eius oppositum, idest, maioris virtutis, vt notat Sanchez *De voto, cap.* 1. & Azorius *l.* 11. *Inst. cap.* 14. *n.* 10.

Quoniam verò debet hæc sponsio esse moraliter bona, oportet, vt sit voluntaria, ad quod requiritur primò deliberatio, quæ est intellectus actio, & cognitio plena obiecti. Secundò propositum, quod liberè firmatur ex cognitione obiecti. Tertiò promissio addita consensui, vt notat D. Bonau. *ad* 1. & 4
Sanchez *loc. cit.* Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 4. *dub.* 1. cum D. Thom. *art.* 1. *&* 2. *in corpore*, & *art.* 5. *ad* 3. quibus omnes assentiuntur.

QVÆSTIO II.

Quæ deliberatio ad Votvm *requiratur.*

Qvoad primam conditionem deliberationis, 5
necessariæ ad votum, quæstio est: an sufficiat omnis deliberatio sufficiens ad mortale; an verò requiratur talis deliberatio, quæ omnes circumstantias rei præponderauerit.

Qvidam putant, non sufficere eam deliberationem priorem, quæ ex calore passionis, iræ, vel amoris procedat, sed requiri perfectam, quod probari potest *ex c. si quis iratus, 2. quæst.* 4. & regula *Quidquid calore*, 48. *ff. de regulis iuris & l.* 3. *ff. de diuortiis.* Vnde habetur etiam qualis debeat esse sponsio in matrimonio. Ita Glossa *c. dudum, verb. calore*, & ibi Hostiens. super eodem verbo, Anton. *c. sicut ex litteris de iureiurando, n.* 9. Panor. *d. c. dudum, num.* 8. & *c. sicut ex litteris, num.* 2. & *c. si verò, num.* 7. *de iureiurando*, Rom. *singulari* 508. Tiraquel. *de pœnis temperandis, causa* 1. *num.* 26. & ex Theologis, Richardus *in* 4. *dist.* 38. *art.* 2. *quæst.* 2.

Opposita tamen sententia est sufficere delibe- 6
rationem, quæ etiam ad mortale patrandum sufficit. Ità Nauar. *summa Latina, cap.* 18. *num.* 7. Molina *T.* 1. *de iustitia, tract.* 2. *disp* 267. vbi generaliter id docent in omni promissione homini facta; in voto autem, & iuramento id docent Ioan. Andreas *c. dudum, n.* 20. *de conuers. coniug.* vbi Anton. *n.* 25. Cardin. *n.* 2. *oppositione* 5. Ancharanus *n.* 10. Alexander de Neuo *c. sicut ex litt. de iureiurando, n.* 18. vbi Imola *fine*, Fœlinus *num.* 3. *&* 4.

Decius *regula Quidquid, num.* 2. *ff. de regulis iuris.* Nauar. *summa, cap.* 12. *num.* 24. & 26. *& c. non dicatis:*
7 *in quæst.* 1. *in priori editione, num.* 100. Syluest. *v. votum* 2. *quæst.* 13. & *iuram.* 4. *quæst.* 2. Angel. *iuram.* 5. *num.* 8. Tabiena *votum* 1. *quæst.* 1. Armilla *v. votum, num* 6. Gutierrez *l.* 2. *quæstionum Canon. cap.* 22. *num.* 7.

Ex Theologis, Paludanus *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 1. D. Antonin. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. Caietanus 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 1. & *in summa, v. votum.* Sotus *l.* 7. *de iustitia, quæst.* 1. *art.* 2. Viguet *l. Instit. cap.* 5. §. 1. Alcoyer *l. de Ludo, cap.* 13. Medina *l.* 1. *summa, cap.* 14. §. Palacios 4. *dist.* 38. *disp.* 1. Manuel 2. *tomo summa, cap.* 92. Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 4. *dub.* 1. Aragon. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 1. *fol.* 995. Angles *floribus* 2. *p. quæst.* 1. *de voto, art. cit. diff.* 3. Bassæus *num.* 2. Lopez *prima parte Instruct. cap.* 43. Hos adducit & sequitur Sanchez *l.* 1. *de matrim. disp.* 8. *num.* 5. & *in summa l.* 4. *cap.* 1. Hæc est sententia D. Bonauenturæ *loco citato.*

8 Asserо cum hac sententia, eam deliberationem ad votum sufficere, quæ peccato mortali interuenit: Probatur à D. Bonau. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 3. argumentis primo loco, additis responsis. Ea deliberatio sufficiens est ad tradendum se diabolo, & voto, vt habetur *in c. sunt, qui opes* 17. *quæst.* 4. & *c. veniens de voto:* sed ad tradendum se diabolo sufficit deliberatio, & ea passione, non consideratis omnibus circumstantiis: Ergo. Hoc argumento nituntur Sanchez & alij *locis adductis.*

Notat autem Sanchez primò *num.* 6. in sponsalibus requiri septennium.

9 Notat secundò *num.* 7. ita colligi, vt deliberatio requisita sit sufficiens, debere vouentem sic præmeditari causam motricem, & finem, quod explicat Caietan. dicens, debere conferre id, quod deliberat cum eius opposito; hoc tamen non requirere moram temporis aduertit.

Quæ verò consideratio, & qui consensus requiratur ad peccatum mortale, satis elucidatum est *Tractatu* 3. quod est *de Peccato, disput.* 2. *quæst.* 11. & 12.

10 Si verò incidat dubium; an fuerit sufficiens deliberatio, censere possumus, non fuisse, iuxta fundamenta tradita *Tract.* 1. *disp.* 17. *quæst.* 22. dicit tamen Tanner. *disp.* 5. *quæst* 4. *dub.* 1. consilium fore, petere dispensationem. De hoc vide Sanchez *in summa, l.* 1. *cap.* 10. *à num.* 16. vbi in dubio, an votum sit emissum, censet, non esse credendum emissum, quia melior est conditio possidentis, & tota possessio stat pro voluntate, non pro voto. Adde Sotum *l.* 7. *de Iust. quæst* 3. *art.* 2. *dub. secundo* Medinam *l.* 1. *summæ, cap.* 14. §. 7. *fol.* 90. Suarez *de Censuris, disp.* 40. *sect.* 5. *n.* 15. Sà *in summa, v. debitum,* Lopez 1. *p. Instruct. consc.* 145. Henriquez *l* 8. *de Eucharist. cap* 45. Manuelem 2. *Tomo summæ, cap.* 99. *num.* 5. Graff. *p.* 1. *decis. l.* 2. *cap.* 26. *num.* 7. Rebell. *de Iust. p.* 2. *l.* 1. *quæst* 3. *sect.* 2. quos adducit Sanchez *loc. cit.* vbi retractat etiam id, quod docuerat *T.* 1. *de matrim. l.* 2. *disp.* 41.
11 *num.* 34. eum, qui magis inclinat ad affirmandum, se vouisse, teneri ad eam partem rei promissæ, quàm dubij quantitas exigit. Quo in casu censet hîc, iudicandum omnino in fauorem dubitantis, cum Sala *p.* 2. *quæst.* 10. *Tract.* 4. *disp. vnica sect.* 25. *num.* 254. quibuscum incedit Fernandez *in exam. Theol. Moral. p.* 1. *cap.* 6. §. 2. Bonac. *Tract. de legibus, disp.* 2. *quæst.* 4. *p.* 1. *num.* 18. Diana *p.* 1. *tract.* 15. *resol.* 9. contra Bassæum Idem Sanch. *l.* 4. *decal. cap.* 1. *num.* 12. ait videndum, vnde oriatur, hunc esse adhuc ancipitem; quia non in quocunque dubio stat possessio pro libertate ex defectu deliberationis. Si enim oriatur ex animi perturbatione ob metum, vel iram; ait, iudicandum tunc pro voto. Si verò ex tenera ætate dubitetur, an 7. annos compleuerit; iudicandum pro libertate: Si ex vouentis amentia, videndum quid ius præsumat de tunc gestis. Et ita variè definit.

Enim verò non rectè edisserit. Cùm enim dubium stet in hoc, vt animum reddat vtrinque æqualiter ancipitem, vt docet *l.* 2. *de matr. disp.* 41. *num.* 2. & 12
libertas stet in possessione dubitantis, vt ipse asserit *ll. cc.* & è singulis hisce causis possit dubius reddi, & possessio libertatis oriatur è dubio, vt ipse docet, profectò erit in possessione, vndecunque dubium oriatur. Porrò casus ab eo allati non relinquunt ancipitem. Quare æquiuoco laborat. De his vide *p.* 2. *T.* 2. *disp.* 17. *q.* 20.

QVÆSTIO III.

An promittens DEO *aliquid, & sciens obligationem, tamen habens intentionem non se obligandi, Voto teneatur.*

Intentionem, quæ posita est in definitione voti, hic breuiter edisseram.

Notandum ex D. Bonau. *in* 3. *dist.* 39. *art.* 3. 13
quæst. 1. *in resol.* eandem quæstionem esse de matrimonio, Iuramento, & Voto. Ita Sanchez *l.* 1. *de matrim. disput.* 9. & *loco citando in summa,* cum D. Bonau. incedens, difficultatem in solidum resoluit. Præmittit verò casus aliquos, in quibus vouens absque intentione non tenetur, qui faciles sunt, puta si credit, votum non obligare, &c. si voueat absque intentione promittendi.

Circa verò quæstionem hanc, aliqui voluere, illud esse verum votum, & obligare. Ità Soto *l.* 7. *de Iust. quæst.* 1. *art.* 2. *versic.* 3. Penna *p. p. Instruct. cap.* 42. & 43. Manuel 2. *Tomo summæ, cap.* 92. *num.* 4. Aragon. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 1. *fol.* 969. Gutierrez *l.* 1. *quæst. Canon. cap.* 22. *num.* 31.

Secunda sententia est, illud non esse votum, 14
nec obligare in ratione voti conscientiam. Ita D. Bonau. *in* 3. *dist.* 39. *art.* 3. *quæst.* 1. & *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 1. quem sequuntur Richard. *ibi, art.* 3. *quæst.* 2. *ad* 2. D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. Angel. *v. pactum, num.* 4. & *v. votum* 1. *num.* 7. Syluester *verb. metus, quæst.* 8. & *verb. pactum, quæst.* 4. Armilla *ibi, num.* 2. & *verb. Iuramentum, num.* 14. Tabienna *verb pactum, quæst.* 2. Medina *C. de restit. quæst.* 23. Nauar. *summa, cap.* 12. & *l.* 3. *conf.* 4. Viguer. *l. Instit. cap* 5. §. 5. *versic.* 14. Palacios *in* 4 *dist.* 29. *disp.* 1. *fol.* 665. quos adducunt & sequuntur Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 4. *dub.* 1. Sanchez *loc. cit.* & *in summa, l.* 4. *cap.* 1. *num.* 27. vbi addit Valentiam 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 6. *p.* 1. Azor. *l.* 11. *cap.* 4. *quæsito* 2. & *cap.* 13. *quæsito* 9. Addo Faustum *Thesaur. lib.* 1. *quæst.* 26. Less. *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 3. & Bassæum *num.* 7.

Asserо cum hac sententia, vouentem, nec in- 15
tendentem se obligari, ratione voti non teneri.

Probatur à Sanchez *ex c. finali,* vbi conditio, substantiæ matrimonij contraria, ipsum annullat, licèt verba, & intentio adessent ipsum contrahendi: Ergo cùm de natura promissionis sit animus se obligandi; vbi animus deesset; promissio nulla erit. Idem sentiunt alij cum Fagundez *in* 2. *præcepto Decal. l.* 2. *c.* 9.

Hæc tamen ratio videtur petere principium, vt innuit S. Bonau. *in* 4. *loc. cit. argumento vltimo;* hoc est enim, quod controuertitur: an sit necessaria intentio cùm adest voluntas promittendi, in quo videtur votum, seu alia promissio consistere.

Probatur ergo à D. Bonau. quia votum respicit im- 16
mediatè substantialiter. Deum: Ergo talis erit promissio

qualis

qualis in Iudicio Dei indicatur, sed ibi indicatur iuxta internum, vt dicitur 1. Reg.16. *Homo enim indicat ea, quæ patent; Deus autem intuetur cor*, & D. Gregorius: *Verba deseruiunt intentioni, & Deus talia verba indicat, qualia ex intimis proferuntur.*

17 PROBATVR secundò à D. Bonau. argumento, quod desumpsêre Sanchez *loc.cit.* Henriquez *l.11. de matrim.cap.13. num.1.* pro matrimonio, & cæteri allegati pro voto. Omnis obligatio, quæ non est ex lege, oritur ex priuata hominis voluntate. Sic *l. obligationum, ff. de obligationibus*, dicitur, neminem se alteri obligare nisi volentem: Sed votum non est ex aliqua lege: ergo ex libera hominis voluntate: Ergo ibi consurgit ex lege priuata, quam promittens sibi imponit; nulla autem lex obligat, nisi legislator obligare intendat.

OBIICIES primò: Obligatio est naturalis effectus promissionis, sicut ignis est calefacere: Ergo, sicuti apposito igne, sequitur calefactio; ita posita promissione, sequitur obligatio.

RESPONDETVR ex D. Bonau. *in 4. loc. cit. ad 1.* quando promissio est vera, habere effectum obligationis; non autem quando est ficta, qualis est animo non obligandi; tunc enim deficit conditio naturalis promissioni. Itaque, sicut calor non sequitur ex igne picto, ita & hîc. Ita etiam Suarez respondet.

18 EX quo ruit etiam id, quod secundò obiiciunt. Qui vult antecedens, vult necessariò & consequens *l.1.§.1. ff. si vsusfruct. petat.* sed obligatio sequitur promissionem: ergo. Respondetur enim sequi promissionem veram, non verò fictam, qualem hic supponimus.

RVIT etiam illa alia obiectio: Dans formam, dat etiam consequentia ad formam: Ergo apponens promissionem, apponit etiam obligationem.

RESPONDETVR enim, id verum esse de dante veram formam, qualis non est fictè promittens.

ASSERO tertiò, hunc fictum promissorem, si fictè vota solemnia edat, teneri in facie Ecclesiæ ad ea implenda.

19 PROBATVR à D. Bonau. *in 4. loc. cit. in corpore*, quia Ecclesia iudicat secundùm externum.

PROBATVR secundò à D. Bonau. *ibi ad vlt. & in 3. loc. cit. argumento secundo.* Fraus, & dolus nemini debent patrocinari, vt omnes Iuristæ clamant.

PROBATVR tertiò à D. Bonau. *loc. cit. argumento 3.* Humanus conuictus contractibus durat; quod si intentioni standum esset, nullus vnquam esset solidus: Verba enim sunt, in quibus consistit contractus.

HAC distinctione vtrinque argumenta percipiuntur.

20 EX his deducit Sanchez *l.4. Decal. cap.1. num.29.* eum, qui initiatur, & consentit Ordinibus Sacris, quibus coniunctum est votum castitatis, nec vult huic voto se subdere, sed solùm vult Ordines Sacros, hunc non teneri ex vi voti ad castitatem seruandam, sed teneri ex vi Ecclesiasticæ constitutionis, & si matrimonium iniret, fore irritum.

IDEM habet *lib.7. de matrim. disp.27. num.12.* vbi secum adducit Paludanum *4.dist.37. quæst.1.art.2. num.14.* Syluest. Gabrielem *4. dist.38. quæst. vnica, art.2.* & *dist.37. quæst. vnica, art.2.* post secundam conclusionem, D. Anton. *3.p.tit.11.cap.8.* Syluest. V. Matrim.8. *quæst.15. dicto 2.* Durandum *4. dist.37. quæst.1.* Arboreum *l.5. Theosophia, cap.7.* Bassolim *in 4. dist.47. quæst. vnica, art.1.* Nicolaum de Nissia *super 4. sent.*
21 *tract.6. p.22. de matrim. quæst.7.* Antonium Cuccum *l.5. Instit.maioram, tit.12.num.220.* Palac. *in 4 dist.37. disp. vn.* Anglem. *floribus p.1.* vbi de matrimonio *quæst.11.art.1. diffic.4.* Sic & Henriq. *l.10. cap.14.* Valent. *p.1.* Azor. *p.1.l.11.c.13.* Bassæus *v. Votum, n.6.*

OPPONVNTVR Rich. *4. dist.37. art.1. quæst.1.* Palud. *dist.38. quæst.2. art. vn.* Nauar. *sum. cap.22. n.52.* Palac. *4. dist. 37. disp. vn.* Dominicus *c. Diaconi, dist.38.* Tol. *l.3. cap.8.* nempè quia accedens ad ordinem sacrum, efficaciter vult illum; atque adeò censetur deponere illam nolitionem voti castitatis. Id videtur sentire D. Bonau. *in 4. loc. cit. ad 2.*

EQVIDEM non reor, Sanchez rectè deducere 22
ex eo, quod fictè vouens non tenetur, idem dicendum de casu nostro; de quo sic ad hominem argumentor.

QVI vult antecedens, vult etiam id, quod necessariò consequitur; si antecedens velis efficaciter, ex Sanchez *l.1. de matrimonio, disput.9. num.8.* (sic enim respondet argumento supra.) At qui initiatur Ordinibus sacris, per te, supponitur velle Ordines Sacros, è quibus coniunctim sequitur obligatio voti castitatis, vt habetur *l.7. de matrimonio, num.12.* ergo is volens Sacros Ordines, vult etiam vouere castitatem.

AMPLA est autem disparitas: nam ibi vouit fictè, vnde obligatio, quæ est effectus promissionis, non cadit super promittentem: At verò hîc, qui initiatur, vult realiter, & efficaciter id, ex quo sequitur voti castitatis onus, vnde & ad illud tenetur; sicuti etiam (ait S. Bonau.) qui intendit promittere regulam monachorum, intendit vouere etiam castitatem, & obedientiam, quæ sanè vota fateor professioni Monachali coniunctiora; quàm sit votum castitatis ordini Sacro; attamen eadem currit ratio, quia vtrinque alterum ex altero sequitur necessariò.

VRGEBIS adhuc: Si ordinatus ille teneretur, non 23
ratione voti, sed ratione Ecclesiasticæ constitutionis; sequeretur, duo præcepta existere in hoc negotio, castitatem imponentia: Alterum Diuinum ex voto: alterum humanum ab Ecclesia: Sed hoc est falsum contra omnes, & contra ipsum Sanchez *l.7. de matrimonio, disp.27. num.11. & 12.* Ergo.

HINC etiam sequitur, initiatum Ordinibus fornicando, duplici peccato peccare vltra culpam ordinariam fornicationis.

RESPONDET Sanchez *num.14.* præceptum Ec- 24
clesiæ non esse immediatè de continentia, sacerdotibus imponenda, sed de voto castitatis imponendo. Ideò hæc ratio non valet contra Sanchez.

ADDIT *lib.3. de matrim. disp.16.* cum S. Bonau, *allegatis locis*, & cum Hostiensi *cap. veniens, qui clerici*, & Ioan. Andræâ *ibi*, Ancharan, & quoad iuramentum metu coactum, idem asserunt Anton. *c. si vero, de iure iur. n.5.* & ibi Abbas *num.10.* Imola *fine*, Næuo *n.38.* Syluest. *iuram.4. quæst.7. dicto 1.* post D. Bonau. *in 3. loc. cit.* non esse credendum fatenti votum, & dicenti se fictè vouisse, & ideò cogendum implere votum, licèt in foro conscientiæ credere illi teneamur, & à voti obligatione declarare immunem.

RATIO verò est D. Bonau. *ad 2.* quæ habetur 25
etiam in cap. per tuas, de probat. ibi. *Cum nimis indignum sit, vt quod sua quisque voce dilucidè protestatus est, in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmare*, & *l. Labeo 7. versiculo, idem Tubero, ff. suppellect. legat.* ibi. *Non arbitror, quemquam dicere, quod non sentit.* Id tenet, multis citatis, Tiraquel. *l. si vnquam, verb. libertis, num.17. C. de reuocat. donat.* Menoch. *lib.6. de præsumpt.35.* & *l.1. quæst.12.* & *l.3. præsumpt.1. num.57. & 39.*

ADDIT Sanchez *num.10.* si ex sola confessione 26
eiusdem habeatur, eum sanè vouisse; attamen noluisse se obligare; credendum esse, quia si vellet decipere, vtrunque taceret, aut negaret. Ex his ferè soluitur quæstio.

QVÆSTIO IV.

An promissio Votiua soli DEO *fiat.*

27 ASSERIT id S.Bonau. *in* 2. *dist*.38. *dub*.2. *&* *quæst*.1. Primò ex definitione voti.

PROBATVR à D. Bonau. *in Biblus pauperum, cap*.15. ex votis, quæ in Scriptura Sacra leguntur, quæ omnia Deo facta recenset; quippe, vt sunt actus Religionis.

QVAMVIS enim 2. *Machab*.9. Antiochus dicatur pollicitus templo Hierusalem, hoc intelligitur factum Deo, qui in Templo adoratur.

28 SIC promissiones factæ sanctis, censentur Deo, exhibitæ, vt in sanctis honoretur; sicuti etiam iurare per creaturas, maximè per Sanctos, quatenus in eis præcipuè elucet Deus, & ita per Deum solum iuratur, vt probat S.Bonau. *in* 3. *dist*.39. *art*.2. *quæst*.1. & D Thom. 2.2. *quæst*.88. *art*.5. *ad* 3. quos omnes sequuntur, vt notant Bassæus *v. Vot*. Sanchez *l*.4. *Decal. cap*.1. *num*.41. & dicam *disputatione de Iuramento*. Vide etiam Azorium *l*. 11. *Instit. Moral. cap*.13. in fine, vbi aduertit, qua ratione in Votorum solemnium emissione dicitur: Promitto Beatæ Virgini, B. Francisco; Dominico; &c. nempe sanctos aduocari, vt testes, & patronos, vt auxilientur. Præterea vouetur sanctis Patriarchis, locum Dei tenentibus; Deo autem soli votum fit, tanquam omnium largitori, vt dixi *quæstione* 1.

29 HANC directionem voti ad Sanctos, vel iuramenti ad alias etiam creaturas vocat D.Bonau. *Habitudinalem*; ad Deum autem immediatum *Actualem*, & ideo maiorem in hoc inuenit obligationem. Vide S.Doctorem *in* 3. *dist*.39. *dub*.2. *littera*.

QVÆSTIO V.

Quomodo error, vel ignorantia circa VOTVM *causet inuoluntarium.*

30 SVPPONO, ea quæ *prima secunda*, *Tract*.1. *disput*.3. *quæst*.12. scripsi; quomodo ignorantia causet inuoluntarium, & quæ *disp*.4. *quæst*.1. quæ circumstantiæ causent Inuoluntarium.

ET Quidem ignorantiam substantiæ rei, vel earum circumstantiarum, quæ notabiliter mutant materiam voti, reddere inuoluntarium, docent Sanchez *l*.4. *Decal.cap*.2.*num*.11. Soto *l*.7. *de Iustitia, quæst*.1. *art*.2. Aragon. 2.2. *quæst*.88. *art*.1. *fol*.966. Lopez *p*.1. *Instruct. cap*.56. Manuele 2.*Toma summæ, cap*.92. exemplum affert Soto: Si quis deceptus circa delectum ciborum in aliqua religione eam voueret; minimè voturus, si sciret. Similiter circa iter Hierosolymam, si crederet esse decem leucarum tantum; Non verò si erret circa aliqua minuta accidentia: Neque enim ad votum necessaria est cognitio omnium accidentium eius, vt dixi *quæstione prima*.

31 MAIOR difficultas est: an quando ignoratur, seu non præuidetur mutatio facienda in voti materia, an postea facta tali mutatione soluatur à voto.

COMMVNITER circumfertur adagium; Nullum voto iuramento, vel alia promissione ligari ad id, ad quod se obligari noluisset, si aduertisset, dum promisit. Ità docent Innocentius *c. veniens*, *numero vnico de iure iurando*, ibi Abbas *num*.4. Anton. *cap. Quemadmodum*, *num*.13. *eodem titulo*, Hostiens. *summa eodem tit num*.3. D.Antonin. 2.*p.tit*.10.*cap*.6.§.5. Angel. *verb. iuramentum*, 4. Syluester *v. Votum* 2. *quæst*.17. *& v. Iuram*.3. *quæst*.1. *part*.9. & *verb. Iuramentum* 4. *quæst*.6. *& quæst*. 13. Tabiena *v. iurare, quæst* 15. *num*.16. Armilla *v. Iuramentum*, *num*.35. Nauar. *summa*, *cap*.18. Hispana *num*.5. Latina *num*.7. Molina *T*.2. *de Iust. disp*.272.*col*.2.

32 Ex hac oritur alia regula: Id liberat à voti, vel iuramenti obligatione, quod si à principio accidisset, aut notum fuisset, impediret ea fieri. Ita D.Thom. *in* 4. *dist*.38. *quæst*.1. *art*.3. *quæstiuncula* 5. *ad* 1. Maior *ibi, quæst*.1. Carthus. *quæst*.2. §. *Quæritur item*. Arcbidiac. *c. Quæ bona*, *quæst*. 17. *num*.4. Syluest. *verb. Votum*, *quæst*.1. & *verbo iuramentum* 3. *quæst*.1. & *v. Pactum*, *quæst*.4. Tabiena *quæst*.2. *num*.3. Armilla *num*.2. Medina *C. de Ieiun. quæst. vlt. ad* 4. Angles *flor*.2.*p.quæst. vnica de voto*, *art*.2. *difficult*.3. *concl*.5. Enriquez *l*.11. *de matrimonio*, *cap*.14. quos refert Sanchez *loc. cit. num*.18. *&* 25.

ALII è contra dicunt, eo solùm reddi votum inualidum, si mutetur substantia voti; alioqui nunquam aliquid stabile haberemus in contractibus; multa enim eueniunt, quæ si fuissent præuisa, non esset secutus contractus. Ita Caiet. 2.2.*quæst*.88 *art*.3. Soto *l*.7. *de Iustitia, quæst*.2. *art*.1. *ad tertium*, Armilla *verb. votum*, *num*.11. vbi idem Caietanus *c. penult*. Nauar. *summa, cap*.12.*num*.39. Lopez *p*.1. *instruct.cap*.43. Valencia 2.2. *disp*.6.*quæst*.6.*p*.4. Sanchez *loc. cit. num*.21. Fagundez *in* 2. *præcepto Decal. l*.2.*cap*.13.*num*.32.

33 NOTANDVM ex D.Bonau. *in* 3. *dist*.39. *art*.3. *quæst*.3. *in corpore*, mutationem rerum mutare obligationes, etiam iuramento firmatas. Hæc enim cogunt, rebus in eodem statu manentibus, vt habetur *c. Quemadmodum de iure iurando*, & aliis textibus, & D. Bonau. quos sequitur Gutier. *de iuramento, p*.1. *cap*.29. *num*.6. *& cap*.71.*num*.6. Sanchez *loc.cit.num*.20. Quis enim non videt, votum, quod saluti affert detrimentum, non tenere pro eo tempore, vt si quis vouisset, non accipere prælaturam, quia tunc ineptus erat, postea factum necessarium adiuuandæ Religioni, vel rei publicæ non amplius teneri? alioqui peccaret omittens publicam necessitatem. Ideò hoc votum, aut iuramentum, si fieret absolutè, esset malum, vt notat D.Bonau. *loco citato*.

34 ENIM verò si aditum ampliorem patefacias ad irritanda vota, & iuramenta ex quacunque rerum mutatione, iam sexcentis confusionibus via aperiretur. Sola ergo mutatio grauis sufficit, & in hoc authores primæ sententiæ rectè senserunt.

ADVERTE autem, eam difficultatem, aut mutationem superuenientem, quam dixi esse debere grauem, debere etiam esse nouam. ita vt substantia rei promissæ eam non secum ferret. Ita Gloss. *in c. non est verò authoritate*. Hostiens. *summa, tit. de iureiur*. & Sanchez *num*.29.

ALIA difficultas est; an votum, vel iuramentum sit inualidum, quando in causa voti est error. Similis quæstio est, quando causa tempore voti erat vera, & postea cessauit.

35 DVPLEX est causa: Altera finalis, eaque est, ad quam dirigitur, atque ordinatur operatio, sine qua non operaretur: altera est causa motiua, vel impulsiua, quæ excitat animum iam deliberatum ad faciliùs, seu libentiùs opus prosequendum.

ASSERO primò, cessante causa finali, cessare obligationem voti. Ita intelligitur *c. Cum cessante causa, de appell*. & similes textus, quibus asseritur, cessante causa cessare effectum. Vide Sanchez *num*.42. Bassæum *num*.12. qui excipit vota solemnia, quia is præsumitur velle eum statum omnibus notum.

ASSERO secundò, cessante causâ impulsiua, reddi faciliorem

faciliorem dispensationem, licèt non irritet votum. Ità colligitur *ex c. magnæ de voto*, in fine, & tradunt Glossa *ibi*, *verbo*, *vt venires* Anton. *num.* 15. Abb. *num.* 14. Tiraquel. *Tract. cessante causa*, *limitatione* 1. *num.* 10.

36 OBIICIES contra primum *cap. magnæ*, dispensatur Episcopus Trecensis à voto, quod fecerat peregrinationis in Hierosolymam, vt ope Comitis cuiusdam, quem ibi commorantem audierat, libertatem suæ consequeretur Ecclesiæ. Iam verò admonitus est Episcopus, obiisse Comitem, atque adeò videbatur liber à peregrinatione, & tamen Pontificem consulens obtinuit commutationem voti: Ergo cessante fine, non cessat votum.

RESPONDENT Abb. Tiraquel. Angel. & Syluest. eam fuisse causam tantùm impulsiuam, non finalem.

37 CONTRA, quia Pontifex testatur: *Ad hanc autem indulgentiam tibi faciendam specialiter nos induxit, quod cum pro libertate Trecensis Ecclesiæ, per dictum Comitem assequendam, præcipuè votum peregrinationis emiseris, eo sublato de medio, quia cessauerat causa, facilius potuit cessare & effectus.* Vbi asseritur causa principalis voti fuisse inuisere Comitem illum causa libertatis Ecclesiæ. Id sentiunt Glossa *ibi*, Hostiens. *num.* 21. Anton. *num.* 15. Anchar. *num.* 15.

RESPONDET Sanchez *num.* 43. *loc. cit.* eam voti commutationem non fuisse necessariam, sed concessam ad maiorem cautelam, quod significat Papa dicens: *Cessante illius voti causa, potuisse quoque eius obligationem finiri.* Quasi dicat, cessasse, si fuit causa finalis; secus si fuit impulsiua.

Nec obstat, hanc commutationem vocari indulgentiam, atque adeo debere aliquid operari; nihil autem operaretur, si iam ex se votum cessasset.

Respondet enim, concedi priuilegia ad hoc opus, vt pacentur conscientiæ.

38 MIHI tamen facilior occurrit solutio, finem illum adeundi Comitem non fuisse adæquatum, sed simul concausam cum alio fine adeundi sacra loca, ait enim Pontifex, præcipuè emissum votum ad eum finem inuisendi Comitem, vbi Pontifex in particula *præcipuè* includit implicitè aliam concausam, non quidem motiuam ad libentius adeundum, sed simpliciter ad eundum. Itaque necessaria fuit commutatio, quia non cessauerat finis adæquatus.

NEQVE benè dicit Sanchez, eam non fuisse necessariam; nam profitetur Pontifex dispensare, nec aliquis scrupulus inuenitur in illo Episcopo, sed sola cessatio finis principalis, qua facilius potuit cessare effectus obligationis tollendo reliquam obligatio-
39 nem, quæ ex altero fine resultabat. Hoc autem luce clarius in illo priuilegio elucet, vbi aliàs eum teneri asserit adducens id Psalm. 75. *Vouete, & reddite Deo.* Et Pontifex timet etiam scandalum laïcorum in liberandis adeo facilè clericis ab obligationibus. Addit Pontifex, se compati ætati senescenti, necessitati Ecclesiæ Trecensis, &c. & commutat expensas itineris in tot eleemosynas pro locis sanctis absque diminutione. Ergo verè adhuc tenebatur, cùm etiam terræ orientalis sanctæ peregrinationem intenderet, & ob id crucem assumpsisset, vt ait ibi Pontifex Alexander III. Neque benè probat Sanchez, eam commutationem non fuisse necessariam, quia dixerat Pontifex, *potuisse cessare*, idest cessare, si fuit causa finalis; secus si impulsiua; hoc enim non ostendit non fuisse necessariam dispensationem.

40 EX dictis asseritur tertiò, errorem circa causam finalem adæquatam tollere votum, non circa motiuam metam. Patet ex dictis: Si enim ea cessante cessat votum. Ergo ea non existente non fit; sicut enim res se habet ad conseruari, ità & ad esse; nam per easdem causas res moralis fit, & conseruatur.

In dubio autem, an sit causa finalis, fauendum libertati, quæ possidetur, vt dixi *quæst.* 2. contra Bass. *n.* 12. Azor. *l.* 11. *cap.* 15. Vasq. *p.* 2. *resp.* 70. Sanchez *l.* 2. *de matr. disp.* 9. Syluium *quæst.* 88. *art.* 1.

QVÆSTIO VI.

An metus incussus reddat Votum inualidum.

D.Bonau. 3. dist. 39 art 3. q. 2. & in 4. d. 39. quæst. 1.

QVÆSTIO hæc admodum grauis est, & plu- 41
rima supponit, traditque necessaria etiam pro aliis Tractibus, etiam de matrimonio.

SVPPONO autem primò *ex prima* 2. *Tract.* 1. *disp.* 3. *quæst.* 5. Voluntatem, quoad actus elicitos, non posse cogi.

SVPPONO secundò ex *eadem disput. quæst.* 8. ea quæ metu fiunt, non esse inuoluntaria. Ita habet etiam Iurisconsultus *l. si mulier* 25. *§ si metu coactus*, al. 5. *ff. de eo, quod metus causa.* Et *l. cum proponas C. de hered. instit. & C. si priuatus, ff. qui & à quibus.* Ratio est clara, quia potest elicere, & non elicere actum.

EST autem *metus instantis periculi, vel futuri causa mentis trepidatio*, Ita Vlpianus Iurisc. *l.* 1. *ff. de eo quod metus causa.* Sic definitur etiam à D.Bonau. 3. *p. Centil. sect.* 55. & *in* 4. *loca citando.*

DIVIDITVR autem metus in Concussiuum, 42
qualis est, qui per minas infertur, & in Impressiuum, qui dicitur metus *Facti*, vt cum acta interueniunt, puta verbera, &c. Ita D.Bonau. *loc. cit.* de quibus Zasius *Instit. de actione*, *§. quadrupli*, *num.* 10. Bursatus *consil.* 72. *num.* 15. *vol.* 1. vbi alios refert; Sanchez *l.* 3. *de matrim. disput.* 1. *num.* 8. Alium metum addunt Compulsiuum à potente, qui etiam dicitur Violentus; quia vir, metum incutiens, est vir præpotens: Alium metum esse dicunt tacitum, seu reuerentialem, vt filiæ erga Patrem. Vltimum vocant timorem *perfidiæ*, qualis est ægroti timentis, à medico perfidè curari.

METV igitur dicitur aliquis cogi conditionaliter, 43
quia secluso metu voluntas nollet, non tamen absolutè, quia adhuc potest nolle, & ideò dicitur vis conditionata.

AT violenta, seu vis absoluta ea est, quæ est ab extrinseco, non conferente vim passo *ex* 3. *Eth. cap.* 2. veluti si Christianus traheretur ad Mesquitam, & cogeretur impulsibus offerre Idolo thura, quam vim sic definit D.Bonau. *loc. cit. Centil.* & *in* 4. *loca citando* ex Iurisconsulto *l.* 2. *ff.* de eo quod metus causa: *Vis est maioris rei impetus, qui repelli non potest*, qui sanè caret penitus voluntario.

CELEBRIS autem est diuisio metus, quam ha- 44
bet D.Bonau. *in* 4. *dist.* 29. *quæst.* 1. *in corpore*, & *loc. cit. Centil.* & habetur *c. Considerationi*, *c. veniens*, *et l.* 2. *de sponsal. cap. cum dilectus de his quæ vi*, & à Iurisconsulto *l. metu*, *la* 2. *ff. de eo quod metus causa.* Decio *cap. final. de appell. c. causam matrimonij*, *num.* 4. *de off. deleg.* Menochio *de arbitrariis l.* 5. *Centur.* 2. *casu* 135. *n.* 5. Flaminio *de resignatione benef. l.* 13. *q.* 1. *n.* 54. Abb. *c. cum dilectus*, *n.* 3. D.Thoma *in* 4. *dist.* 29. *quæst. vn. art.* 2. & alibi passim cum cæteris Theologis, & Summistis.

45 ALIVS dicitur metus cadens in constantem virum, qui & dicitur Timor iustus, *c. Finali de appell.* dicitur etiam probabilis à D. Bonau. *loc.cit.* & Goffredo *de his, quæ vi, num.2.* Angelo *verbo metus.* Syluest. *quæst.1.* Sanchez *loc. cit. num.19.* Dicitur etiam metus grauis à D. Bonau. & aliis cum Iurisconsulto *lege metum, la 2 ff. de eo quod metus causa*, vbi ait, esse non vani hominis, quia eo etiam fortes concutit.

ALIVS dicitur metus hominis inconstantis, dicitur que metus leuis, è regione præcedentis, quia inconstantiæ, leuitatis, & vanitatis indicat eum, qui eo concutitur, & inducitur ad operandum contra appetitum.

46 QVINQVE autem conditiones assignat S.Bonau. *locis adductis*, quem cæteri imitantur, ad metum, vt sit prioris generis. Prima est, vt malum, quod timetur, graue sit *l. Metum, la 1. de eo quod metus causa*, ibi metum accipiendum Labeo dicit, non quemlibet timorem sed maioris mali.

Ex vltimis verbis ansam arripiunt dicendi, hunc timorem non debere absolutè esse magnum, sed comparatiuè, ita vt sit maior alio, licet in se sit leuis. Ita Syluest. *v. metus, quæst.1.* Veracruz *p.1. speculi, art.8. concl.3.* Carbon. *de restit. quæst.46. fundamento 3.*

AT D.Bonau. *in 4. loc. cit. in corpore*, & *loc. cit. Centil.* vult, esse grauem in se, puta mortis, infamiæ, vel mutilationis; quem sequuntur Sotus *4. dist. 29. quæst.1. art.2.* Sanchez *num.12.* Ratio est D.Bonau. *loc.cit.* quia timore huiusmodi rescinduntur contractus, quippè impediat consensum *cap. Cum locum de sponsal.* at quando malum est leue, quamuis grauiori malo anteponatur, non censetur impediri libertas consensus in viro forti.

AD verba illa dico, comparatiuum illud esse abusiuum, & positiuè significare tantùm magnum, vt explicat Glossa *ibi.*

47 SECVNDA conditio metus, cadentis in constantem virum, est, vt æstimatio mali grauis sit probabiliter imminentis, non autem leuis suspicio. Ita D.Bonau. *in 4. loc. cit.* & habetur *l. Metum la 2. ff. de eo quod metus causa.* Vir enim constans non adeo leuiter terretur, ita etiam D.Thom. *in 4. dist.29. quæst. vnica, art.2. in corpore.* Scotus ibi *quæst. vnica, §. de primo contradictio* Durandus ibi *quæst.2.* Richar. *art.1. quæst.1.* Gabriel *in 3. dist.39. quæst.1. art.1.* Sotus *4. dist.29. quæst.1. art.2,* Palacios *ibi, disp 1.* Ledesm. *dub.23. de matrimonio.* Et ex Iurisperitis Turrecremata *31. quæst.2. in summa, num.6.* Syluest. *v. metus, quæst.1.* Tabiena *v. impedimentum, impedimento 9. quæst.1.* Bursat. *consil.72. num. 30. vol.1.* Alphanus *collectarius iuris, collect.877.* Sanchez *num.15.* Hinc Aristoteles, *3. Eth. cap.9.* dicit, fortem esse impauidum, quia non timet leuiter, sed vbi recta ratio timendum dictat.

48 HINC infero cum D.Bonau. *loc. cit. in resol.* nōn requiri veram, & realem pœnarum illationem quia sic non timor, sed damnum dicitur; sed sat, esse probabilem timorem futuræ, vel imminentis illationis *Leg. nec timorem 7. ff. de eo quod metus causa* & *l.15. tit.2. p.4.* & docent Glossa *c. el. primò vere metuebant de electione.* Bartolomæus *l. metum autem, in principio, num.1. ff. de eo quod metus causa.* Syluest. *v. metus, quæst.1.* Lopex *ea l.15.* Cucus *l.5. instit. Maiorum, tit.12. num.157.*

ADDVNT aliqui, metum debere esse præsentem, non expectatum, licèt malum sit tantum futurum. Id colligunt *ex l. metum autem 9. ff. de eo, quod metus causa.* Ita exponunt multi apud Sanchez *num.16.*

ALII tamen putant, sufficere probabilem metus suspicionem, & ste satis esse ad rescindendum actum, 49
Leg nouissimè, ff. de falso tutore ibi, *quod enim sic metu compulsus, aut metuens, ne compelleretur.* Ita Bartol. *l.2. lectura 2. C. quod metus causa.* Baldus *leg. interpositas, ad finem C. de Transact.* Alex. *cons.99. n.6. vol.3.* Parisius *consil.60. num.15. vol.3.* Romanus *l.5. ob turpem, num.10. C. de condonatione ob turpem causam.* Hostiens. *c. Cum dilectus de his, quæ vi super verba; nec metum mortis*, & ibi Anchar. *num. 7.* Rebuff. *Tom.2. constit. Gallicarum, tit. de rescissione contractuum, art. vnico* Glossa *2.2. num.6.* Alex. Tartagnus inter consilia matrimonalia Tileti *cons.21. num.5.* Syluest. *v. metus* Villalobos *in communi opinione, lit. N. verbo metus, num.70.* Anton. Gabr. *tom.2. commun. l.11. v. metus, fol.107.* Burgos de Pax *cons.25. num.73.* Padella *l. cum proponat, la 1. num.1. C. de transact.* Decisio Pedamontana *170. num. 3.* Ioan. Garzia *de nobilitate, gloss.17. num.14.* Mascard *de probat. concl.1055. num.26.*

ILLA tamen Lex mihi aliter sonat, rescindi eius 50
contractum, qui metu compulsus, aut metuens non compelleretur, idest, vi ad rem, puta si cogeretur subscribere *l. nam timor violentia inferenda vitiat electionem.* Sic Glossa *C. bone, el.1. verbo metuebant de electione*, quam omnes ibi sequuntur, Alex. *cons. 98. vol.3.* Rebuff. Mascad. *loc.cit.*

IN ALIO aduerto, Legem non dicere, aut probabiliter cogitans, ne metus incuteretur, sed *metuens (ait) ne compelleretur*, idest, vi.

TARTIA conditio, ad metum grauem requisita, 51
assignatur à D.Bonau. *loc.cit. in corpore*; estque, vt metum incutiens, potens sit minas exequutioni mandare, non enim fortis Ducis est terreri minis rusticuli, vt notat D.Bonau. *l. Famosi, ff. ad legem Iul. maiest.* ibi nam & persona spectanda est: an potuerit facere, Gloss. *l. metum, v. iactationibus, C. de his, quæ vi.* Anchar. *c. ad Audientiam, num.2. de his, quæ vi.* Baldus *l. metum 9. C. de his quæ vi*, & ibi Alex. Salicetus *num.2.* Sebastianus *de medicis, de casibus fortuitis, quæst.1. num.67.* Flaminius *de resign. benef. l.13. quæst.1. n.116.* Cucus *l.1. Instit. Mai. tit.12. num. 165.* Rolandus *consil.83. num.28. vol.2.* Angelus *v. metus,* Sotus *l.7. de Iustitia, quæst.2. art.1. ad 2.* Aragon. *2.2. quæst.88. art.3. §. Pro explicatione, fol.988.* Carbo *de restit. quæst.46. fundamento 3.* & omnes, quos sequitur Sanchez *num.19.*

NOTA tamen, non ità accipiendum, vt minas verè 52
de facto possit implere, sed vt timens rationabiliter existimet, posse eum implere, quamuis de facto verè non possit ob aliquam rationem, timenti incognitam. Quod egregiè significauit D.Bonau. *loc.cit.* quem sequitur Richardus *ibi art.1. quæst.1.* vt refert Sanchez *num.19.* Quare perpendenda est qualitas, & potentia metum incutientis, & passi, vt si ille erat vir potens, & hic infirmior, vt benè docent Beroius *cap.1. n.30. de off. deleg.* Sotus, Arag. Carbo, & Sanchez *loc. cit.* & Henriquez *l.11. de matrim. cap.9.* post D.Bonau. *loc.cit. Centil.*

QVARTA conditio est D.Bonau. *loc. cit. Centil.* 53
quam indicat *in 4.* vt verisimile sit, minantem exequuturum minas; eò quòd ità solitus sit, non autem sit ex Cospetronibus illis, qui minas iactant, sed non exequuntur. Constat ex *l. vnica, Cod. si quis Imperatori, ibi ex personis hominum dicta pensemus.* Et *leg. Famosi, ff. ad Leg. Iul. maiest. & Leg. metum, Cod. de his, quæ vi* ibi: *Metum non iactationibus tantùm, vel contestationibus, sed atrocitate facti probari conuenit.* Et ita docet Bartolus, Paulus, Alex. Baldus, Salicet. & Aretinus: Abbas verò *cap.1. num.3. de offic.deleg.*

&

& *cap. causam matrimon. numer.* 5. *eodem titul.* & *cap. Cum dilectus*, *numer.* 8. Anchard. *capite ad Audientiam*, *num.* 2. *de his qua vi.* Næuo *cap. consultatione*, *num.* 12. *de sponsal.* & *cap. finali*, *num.* 17. *de appel.* Felinus *cap.* 1. *de offic. deleg.* ibi Decius, & *cap. causam matrim. eodem tit. num.* 21. Crottus *leg. stipulatio hoc modo concepta*, *num.* 67. *ff. de verb. oblig.* Vitalis de Cambaris *tract. de clausulis*; *clausula non vi*, *tit. de metu vxoris*, habetur *Tom.* 18. *tract. noniorum*, Iacobinus *leg. Interpositas*, *num.* 10. *Cod. de transact.* Couar. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 3. §. 6. Tiberius Decianus *consil.* 18. *num.* 128. *vol.* 1. Bursatus *cons.* 72. *num.* 33. & 42. *vol.* 1. Flaminius *lib. de resignatione, benef. lib.* 13. *quæst.* 1. *num.* 174. Mascardus *de probat. consil.* 1055. *num.* 18. Antonius Gabriel. *Tom.* 2. *com. lib.* 11. *v. metus*, *fol.* 106.

54 Et ex Theologis Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 9. Lopez 2. *part. Instruct. de matrim. cap.* 40. *fol.* 1071. & Sanchez *num.* 20. *qui num.* 21. addit, requiri vt is solitus sit exequi comminatum malum in eodem genere mali comminati, per doctrinam Baldi *leg. finali ad finem*, *ff. de hered. instit.* vbi ait, ex dissimilibus non sumi coniecturam; sic Cynus, quem refert, & sequitur Alexander *leg. metum*, *num.* 2. *Cod. de his*, *qua vi.*

55 Vltima conditio est, ne possit timens aliter occurrere malis indictis, quàm vouendo; si enim posset aliter obuiare, non esset timor viri, sed homuncionis, cuius est metuere mala, quæ facilè possit euadere. Hæc tamen conditio videtur mihi implicita in secunda, qua malum est imminans, tunc enim ferè irreparabile est.

Statim verò Sanchez disputat: an eligens maius malum, puta Christum negare, vt vitet minus, puta mortem, possit dici constans vir, & ille timor minoris mali, esto grauis in se, sufficiat, vt inualidentur extrinseci actus, tanquam inuoluntarij, eò quòd sit metus cadens in constantem virum, cùm sit grauis, iuxta primam conditionem metus.

56 Plvrimi asserunt, malum, etiamsi graue, non sufficere ad timorem incutiendum constanti viro, si ad aliud maius vitandum eligatur, volo, dicere, non censeri constantem virum, si eligat maius malum, puta culpæ, vt vitet minus pœnæ, puta mortis; ratio est, quia talis non mouetur metu rationabili; sed irrationabili; constans autem vir operatur rationabiliter.

57 Et quidem id tenent D.Bonauent. *loco cit. ad vltimum*, D.Thom. *in* 3. *dist.* 29. *quæst. vnica*, *art.* 2. *in corpore*, Scotus *quæst. vnic.* §. *de primo contradictio*, & §. *hic dicitur*, Durandus *quæst.* 1. Richardus *art.* 1. *quæst.* 1. ad Paludanum *quæst. vnica*, *art.* 2. *concl.* 2. *num.* 13. Gabriel. *in* 3. *dist.* 39. *quæst.* 1. *art.* 1. & *art.* 3. *concl.* 8. Victoria *sum. de matrim. num.* 268. Sotus *in* 4. *dist.* 29. *quæst.* 1. *art.* 2. Palacios *in* 4. *dist.* 29. *dub.* 1. *fol.* 655. Veracruz *p. p. speculi*, *art.* 8. & alij, quos refert Sanchez *lib.* 4. *de matrim. disp.* 2. *num.* 2. vbi asserit, hos Doctores locutos de metu in ordine ad matrimonium, & alios contractus rescindendos, nempe vt sit metus cadens in virum constantem, sufficiens irritare matrimonium, requiri, vt eligatur minus malum à viro, alioqui non erat constans, sed inconstans.

58 Alii tamen explicant, hos Doctores velle hanc conditionem eligendi minus malum requiri, vt metus excuset à culpa, non tamen vt sufficiens sit ad contractus rescindendos, & hoc sensu locutus est D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 29. *art.* 3. *quæst.* 2. *ad* 3. vbi metum cadentem in virum constantem ipse concedit quo ad contractus humanos; tamen quo ad ea, quæ sont institiæ vniuersalis id negat, iuxta id Matth. 10. *Nolite timere eos*, *qui occidunt corpus.* Ideò talem metum mortis apud Deum non reputari causam sufficientem ad excusandum hominem à reatu peccati, vel ob obligationem iuramenti, esto eximat à contractibus humanis, iuxta Iurisperitorum Axioma, suprà relatum.

In loco verò adducto à Sanchez *in quarto sent. in fine quæstionis citata*, dicit, timorem cadentem in virum constantem esse de iis rebus tantùm, quæ non sunt contrariæ nostræ saluti, & ita nullum timorem pœnæ respectu peccati perpetrandi posse cadere in virum constantem, ideo rationabiliter debet pati potiùs mortem, quàm peccare; matrimonium autem non est de his, quæ sunt saluti contraria, vnde infert, respectu eius posse cadere metum constantis viri, qui metus reddat inuoluntarium; quo fit, vt hæc conditio eligentis minus malum, vt sit constans vir, in casu nostro non veniat in voto, vel iuramento, sed solùm in his, quæ culpam præ se ferunt, quæ etiam si venialem tantùm culpam præferant, tamen maius malum sunt, quàm quælibet pœna, etiam mortis, vt docet D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 38. quem imitantur alij post D. Augustinum, relatum *cap. ne quis* 22. *quæst.* 2. 59

Qvæ cum ita sint, non rectè Sanchez disputationem secundam *lib.* 4. *de matrimonio*, instituens: An metus viri constantis necessariò petat eligi minus malum, idest, pœnam, potiùs quàm culpam, dicit B. Bonauenturam, D.Thomam, & alios asserere, tale malum debere præeligere in ordine ad matrimonium; nam cùm matrimonium non comparetur, vt malum respectu mortis, & consequenter non possit dici minus malum, quàm malum pœnæ intimatæ à minitante, nisi matrimonium ineas, non video, quo fundamento Sanchez dicat, hoc sensu locutum D.Bonauenturam, D.Thomam, & alios, vt eligendo potius matrimonium, quàm mortem, aut mortem potius, quàm matrimonium, dicatur eligere maius, vel minus malum, & hinc argui vir constans, aut inconstans. vt arguit subtiliter D. Bonauent. *loco cit.* & ipse Sanchez *disp.* 5. *num.* 16. vbi metum excommunicationis iustæ ait, non incutere timorem grauem ad aliquem contractum, quia non eligitur vnum, vt malum præ alio, cùm vtraque bona sint. 60

Is igitur metus non modò requiritur ad rescissionem matrimonij, & aliorum iustorum contractuum, vt asserunt Soto *in* 4. *dist.* 29. *quæst.* 1. *art.* 3. Nauar. *summa lat. cap.* 22. *num.* 51. & alij, quos sequitur Sanchez *num.* 3. sed neque potest interuenire. 61

Id sanè benè definit Sanchez *disp.* 3. metum hunc grauem, qui dicitur in constantem virum cadens, non esse æqualiter secandum; sed proportionaliter, vt qui est leuis viro, sit grauis fœminæ, vel puero *cap. indignantur* 32. *quæst.* 6. vt notat Tiraquel. *lib.* 1. *connub. num.* 71. Glossa *cap. cum locum de sponsal. v. metu*, vbi Anton. *num.* 12. Abbas *num.* 6. Alexand. *de Nevo, num.* 23. & alij.

Prætera nota, non requiri ad metum grauem, qui constantem deterreat, vt malum in personam propriam timeatur, sed satis est timeri in personis filiorum *leg. isti quidem* 8. *fine*, *ff. de eo, quod metus causa.* 62

Idem de aliis consanguineis *in cap. sciant cuncti de electione*, *in* 6. quem reatum esse notabilem ait Iason *leg. de pupillo*, *ff. si quis ipsi*, *num.* 12. *ff de operis noui nunciat.* Felinus *cap. Ecclesia sancta Maria*, *n.* 99. vbi metus, illatus consanguineis electoris, ad incutiendum metum electori, censetur electori ipsi incussus.

63 IDAM de amicitiæ vinculo arctè coniuncto docent Sanchez *num.* 9. Quia amicus est *Alter ego.* Adhuc alia aduerte circa malum graue, sufficiens incutere timorem viro constanti.

ET quidem quò ad ea mala, quæ iure non sunt declarata grauia, id iudicio Iudicis est definiendum *leg.* 3. *ff. ex quibus causis.* Maior ratio est, quia nequeunt omnes casus exprimi; hoc autem iudicium non requiritur ad ea mala, quæ iure constant grauia. Ità Baldus *cap.* 2. *de his, quæ ad finem*, ratio eius est quia arbitria data sunt quò ad ea, quæ sub regula comprehendi nequeunt ob humanam varietatem, vt notatur *leg. non possunt, ff. de legibus.* Idem aduertit Syluester V. *metus, quæst.* 4. erit tale iudicandum, an æstimatio mali impendentis esset natura rationabilis.

64 QVOAD mala certè grauia D. Bonauent. *loco cit. in corpore*, enumerat mortem, habetur *cap. cum dilectus, de his quæ vi*, & *leg. nec timorem* 7. *ff. de eo quod metus causa.* Ratio est, quia *omnium terribilium maxima est mors*, teste Aristotele 4. *Eth.* Ità & Sanchez *disp.* 5. *num.* 4.

IDAM asserit S. Bonauent. de mutilatione; est enim quædam mors partialis, *cap. si quis abscciderit disp.* 55. & habetur expresse *dicta leg* 7. Idemque de graui corporis cruciatu habetur expressè *dicto cap. cum dilectus*, & *dicta leg.* 7. ad quod grauia verbera reducuntur. Idem dicendum de metu armorum *leg.* 3. *in principio, versu qui armati, ff. de vi, & vi armata.*

IDAM asserit S. Bonauent. de metu seruitutis. Habetur *leg. ego puto*, & *leg. isti quidem, ff. de eo, quod metus causa.* Idem dic de captiuitatis timore, & grauis exilij. De carceris timore habetur *leg. nec timorem*, & *leg. qui in carcerem, ff. de eo, quod metus causa.*

65 IDAM asserit S. Bonauent. de timore honoris amittendi; habetur *leg.* 7. *tit.* 33. *part.* 7. Videtur id sentire Glossa *cap. cum dilectus, v. metum de his, quæ vi.*

HVC spectat metus stupri, vt ait S. Bonauent. *loco cit.* & habetur *leg. isti* 8. *ad finem, ff. de eo, quod metus causa*, & *leg. ff.* 15. *tit.* 2. *part.* 4. quæ loqui videntur de virgine; hæc enim non corrupta stuprum pati potest. Idem sentiunt D. Thom. 4. *dist.* 29. *quæst. vnica, art.* 2. *ad* 2. citatur & D. Bonauent. *quæst.* 1. & alij à Sanchez *disp* 5. *num.* 12. vbi idem de alia muliere honesta intelligit, quod idem sensisse arbitror Seraphicum, non enim ibi declarat de stupro strictè, & colligunt ex *leg. isti quidem* adducta, quæ includit etiam viros, quibus non est signaculum virginitatis, & præterea addit rationem honestatis, cum viris bonis iste metus maior esse debeat, quàm mortis, quæ ratio etiam in vidua honesta militat.

66 QVOAD infamiam grauem, licèt sit in controuersia, neque S. Bonauent. aliquid de ea expresserit; arbitror tamen, inclusisse in metu mortis, cui æquiparatur *leg. iusta, ff. de manumiss. vindic.* Vel potest inclusisse in metu stupri, qui infamiam secum fert plerunque. Vel S. Bonauent. tenuit, infamiam non esse inter hæc mala. Idem docuit D. Thomas *in* 4. *dist.* 23. *quæst. vnica, art.* 2. *ad* 3. Durandus *quæst.* 2. *num.* 4. Carthus. *ibi quæst.* 2. Syluester V. *metus, quæst.* 4. & colligitur *ex leg. nec timorem. ff. de eo, quod metus causa*, ibi: *Nec timorem infamiæ hoc edicto contineri Pedius dixit*; & tenet ibi Glossa V. *infamia*, quando est infamia *facti.* Imò de infamia *iuris*, est lex ipsa adducta, & tenet Tabiena V. *impedimentum, impedimento* 9. *quæst.* 1. *num.* 2.

67 ADDVNT alij metum excommunicationis. Alij eum negant.

HIC valet regula D. Bonauent. qua vtitur Sanchez *num.* 17. Vel enim excommunicatio est iusta, & tunc eius metus non cadit in virum constantem, quia est medicinalis, & bona, nec comparatur, vt malum aliquod vitandum, vel timendum, vel est iniusta, & hæc timenda est, quia sic habetur 11. *quæst.* 3. *cap.* 1. vt notat Sanchez *num.* 17. post D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 18. *part.* 2. *dub.* 2. & infamiam affert.

AMISSIONEM bonorum non enumerat S. Bonauent. inter ea, quæ metum grauem incutiunt, quia sic videtur excludi 32. *quæst.* 7. ibi: *Nolo mihi proferas damna rei familiaris*, & *cap. cum dilectus de his, quæ vi*, omittitur. Idem sentit Paludanus 4. *dist.* 29. *quæst.* 1. *art.* 2. *concl.* 2.

68 VEL forsan includit in metu mortis, cui æquiparatur, vt docet Tiraquellus *de nobilitate, cap.* 31. *num.* 369. nam bona sunt quædam hominis vita *leg. aduocati* 14. *Cod. de aduoc. diuers. iudic.* ibi Glossa, & probatur Hesiodi carmine:

Pecunia est anima miseris mortalibus ——

Sic Glossa *cap. vnic. verb. coactus de his, quæ vi in* 6. ibi Ioan. Monach. *num.* 5. Alphonsus Brunus *inter consilia feudalia, consil.* 82. *num.* 7. & plures alij apud Sanchez *num.* 22.

NOTAT adhuc Sanchez *disp.* 6. metum solum reuerentialem absque minis non cadere in virum constantem, nec sufficere ad irritandos contractus *cap. ex litteris de desponsi. impuberum*, & *cap.* 2. *de pactis, in* 6. & aliis plurimis.

QVÆSTIO igitur est: An metus grauis, incussus ad votum extorquendum, illud irritet, & quâ ratione.

69 PRIMA opinio est, tale votum nullo iure esse irritum, sed aiunt iure Ecclesiastico irritandum. Ità Cardinalis *cap.* 2. *quæst.* 1. *casu* 4. *de his, quæ vi.* Syluester *verb. metus, quæst.* 8. & *verb. votum*, 2. *quæst.* 12.

SECVNDA opinio de solis votis simplicibus id asserit; at professionem ita emissam solam esse irritam, quia vnica lex votum irritans inuenitur, & est *cap.* 1. *de his, quæ vi*, quod de sola loquitur professione, sic Penna apud Lopez *loco citando*, & alij Recentiores eruditi.

70 TERTIA opinio est, omne votum tale esse irritum, siue simplex, siue solemne. Ità plurimi, qui ex traditione id astruunt, licet forsan aliàs scripta lex irritans perierit. Ità Glossa finalis ad finem *cap.* 2. *de his, quæ vi.* Abbas ibi *num.* 11. & *cap. sicut nobis, num.* 5. *de regular.* Maior *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 4. *col. penult. vers. His rationibus*, Rosella V. *votum*, 5. *num.* 4. & *v. metus, num.* 3. ibi Angelus, *num.* 8. Tabiena V. *votum*, 1. *quæst.* 1. Fortunius *de vltimo fine, illatione* 1. *num.* 4.18. Rota *in nouis.* 4. *To decis.* 20. *num.* 15. Sotus *lib.* 7. *de Iustitia, quæst.* 2. *art.* 1. *ad* 1. & 2. Nauar. *summa, cap.* 12. *num.* 52. & *commentar.* 2. *de regular. num.* 13. Palacios 4. *dist.* 38. *disp.* 1. Metina *lib.* 1. *summa, cap.* 14. §. 6. Arag. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 3. *fol.* 988. Angles *flor.* 2. *part. quæst. vnic. de voto, art.* 2. *difficult.* 18. Toletus *lib.* 4. *summa, cap.* 17. Sà V. *votum, num.* 8 & *v. metus, num.* 2. Valentia 2. 2. *disp.* 6. *q.* 6. *puncto* 4. Manuel 7. *Tomo, cap.* 93. Lopez *p. p. Instruct. cap.* 45. Azor. *lib.* 11. *Instit. moral. cap.* 15. *quæst.* 7. Philiar. *de offic. sacerd. Tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 18. Sanchez *in summa, lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 13.

ET hoc verum esse aduertunt multi, etiamsi vouens veram intentionem se obligandi habuerit, alioqui absque intentione procul dubio ex se irritum est, subscribit Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 4. *dub.* 1. *num.* 8.

71 EX his aliqui volunt, esse irritum iure Diuino, & naturali. Ita Sotus *lib.* 7. *de Iustitia, quæst.* 2. *art.* 1. *ad* 2. & *lib.* 8. *quæst.* 1. *art.* 7. *col.* 17. & aliqui Recentiores,

tiores, & in simili casu, nempe matrimonij, id tenent D. Bonauent. *in 4. dist.29. quæst.1.* D. Thom. *ibi quæst. vnica, art.3. quæstiuncula 1. supplem.* Gabriel *ibi quæst.2. art. 2.* Almain. *quæst.1.* Carthus. *quæst.2.* Sotus *quæst.1. art.3.* Richardus *art.1. quæst.1.* Altisiodor *lib.4. summæ, tract.9. cap.7. quæst. 5.* Scotus *4. dist.20. quæst. vnica. §. De secundo dico*, D. Anton. *3. part. tit.1. cap.7.* Veracruz *p. p. speculi, art.8. concl.1.* Angles *flor.1. part. de matrim. quæst 3. de consensu coacto, art.1. diffic.1. fol.546.* Ledesma *dub.23. de matrim. concl.3.* Philiarc. *de offic. sacerd. tom.1. part.2. lib.2. cap 8. & cap.6.* Molina *tom.2. de Iust. Tract.2. disp.226. ad 2.* eamque probabilem asserunt Victoria *summa, de matrim. num.168.* Palacios *4. dist.29. disp. vnica*, Lopez *2. part. Instruct. de matrimon. cap. 40. fol.1063.*

72 Ex Iuris peritis eam tenent Angelus de Vbaldis inter consilia matrimonialia Zileti *consil.46.* Couar. *4. decret.2. part. cap.3 §. 5.* Cucus, *lib.5. Instit.* Maior *tit.12. num 118.* Alexander Carterius *lib.4. de sponsal. cap 9.* Matienzo *lib.5. recopilat. tit.1. rub. glos.1. num.189.* Barbosa *ff. soluto matrimonio, rub. 4. part. num.30.* quam valdè cæteris recitatis asserit Sanchez *lib.4 de matrim. disp.14. num.1.*

73 Alii verò dicunt, solo iure Ecclesiastico irritari. Ità Aragonius *2.2. quæst.88. art.2. fol. 989.* Azor. *lib.11. Instit. moral. cap.15. quæst.6.* Vega *2. tomo summæ, cap.129. casu 17.* Sanchez *in summa, lib.4. cap.3. num. 9.* Idem de matrimonio asserit Sanchez *lib. 4. disp. 14 num.2.* afferens multos: Hi sunt Durandus *in 4. dist.29 quæst. 2.* Paludanus *1. quæst.1. art. 3. concl.2. num.20.* Sotus *ibi, quæst.1. art. 3.* Arboreus *lib.11. Theosophia, cap 15.* Ledesma *2. part.4. q 49. art.3.* Henriquez *lib.11. de matrim tit. de impedimento violentiæ, num.29.* eamque probabilem ait Richardus *4. dist.2. art.1. quæst.1.* D. Antonin. Victoria, Palac. Barthulomeus à Ledesma suprà relati, & ex Iurisperitis Syluester *V. matrimonium, 8. quæst. 11.* Armil. *V. matrim. num. 41.* Tabiena *V. impedimentum, impedimento 9. quæst.2.* Nauar. *sum. cap.22. num.50.* Fagundez *lib.2. in 2. præcept. cap.13. num.15.* & Suarez *Tom.2. relig. lib.2. cap.10 num.8.* Huc inclinat Bassæus *num. 5.* dummodo metus incussus sit ad finem extorquendi votum: Citat Nauar. suprà, Suarez *cap.7. num.8.* Sanchez *lib.4. moral. cap.5.* Valentiam *disp.6. quæst.6. puncto 4.* Syluium *quæst.88. art.1.*

74 Sententia igitur D. Bonauent. quò ad vota, habetur *in 3. dist.39. art. 3. quæst. 2. ad 2.* vbi vota fatetur irrita, licèt non iuramenta; ratio disparitatis ab eo assignatur, quia Votum respicit obligationem ad Deum, qui vult, sacrificia non esse coacta, sed voluntaria; non sic iuramentum, inter quæ tres ponit differentias S. Bonauent. *in 3. dist.38. quæst.1. ad vlt.* Prima est in obiecto, quia iuramentum fit hominibus; votum Deo. Secunda in medio, quia vouetur Deo per promissionem; sed iuratur per Deum. Tertia in fine, quia iuramentum est ad astruendam veritatem; votum autem ad augendam honestatem, ideò debet esse magis perfectè voluntarium.

Ex quo ruit oppositio Sanchez *c. summa, num.9.* vbi arguit. Iuramentum tali metu graui extortum obligat penitus *cap. si verò, de iureiurando*; & tamen est inuoluntarium, ac ligat, quantum esset ex se, non minus, quàm votum; nulla ergo alia differentia est, nisi quia Ecclesia irritat Votum, non Iuramentum.

75 Sentit igitur D. Bonauent. votum esse irritum iure naturæ Diuino; idem enim de matrimonio sentit *loco cit.* suprà.

Asserо, Votum omne ex metu graui extortum, esse iure naturali Diuino irritum.

Probatur primò à D. Bonauent. *loco citato.* Votum est actus religionis, offerens aliquid in obsequium Dei; at Deus non vult sacrificium coactum, vt habetur 2. Corint. 9. *Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut necessitate.*

Respondet Sanchez *num. 19.* id esse inuoluntarium tantùm secundùm quid; sed simpliciter voluntarium.

Verum Doctor iste non percipit rationem vo- 76
luntarij, ad votum requisitam; nam vt ritè aduertit S. Bonauent. *in 4. dist.38. quæst.1. in argumentis*; tale voluntarium requiritur, quale in verbo deuouendi clauditur, quæ est omninò spontanea, & liberrima ratio, quà per Votum exhibemus sponte Deo obsequia nostrorum operum, nosque ipsi tradimus; qualis est in matrimonio, in quo traditur corpus amore ad sanctam, & charam societatem, quàm similitudinem admittit etiam Sanchez *ll. cc.* at matrimonium metu graui irritatur, vt declarant Canones *can. veniens, el.2. de sponsal.* & *can. significauit*, relata ad hoc à D. Bonauent. *in 4. dist.29. quæst.1.* & Sanchez *lib.4. de matrimonio, disp.22. num. 18.* & hoc matrimonium est irritum in vtroque foro, vt tenet S. Bonauent. *loco cit.* adducens Canones, quem sequuntur Doctores vtriusque Iuris, præcipuè Doctores omnes iuris Pontificij, *cap.2. de his, quæ vi*, & *cap. cum locum, de sponsal. vbi cap. matrimonium*, absolutè irritum esse docent; esto enim explicent etiam in foro conscientiæ. Id tamen explicant Theologi, adducti à Sanchez *loco citato.* Ratio est D. Bonauent. qua nititur Sanchez *num.18.* quia matrimonium signat vnionem Christi cum Ecclesia; sicut Votum signat vnionem animæ cum Christo: at illud iure naturæ diuino est irritum, si ineatur ex metu graui: Ergo.

Probatur verò Minor, argumento S. Bo- 77
nauent. validissimo *dist.29 quæst.1.* Vbicumque deest id, quod ex natura sua constituit aliquid in esse intrinseco, ibi illud ens non est, quia non potest res esse absque sua essentiâ: sed in matrimonio, inito ex metu graui, deest consensus, qui ex natura rei intrinsecè constituit matrimonium: Ergo ex natura rei est irritum. Minor probatur *ex cap. cum locum, de sponsal.* vt refert D. Bonauent. *in argumentis, & corpore.* Nam cum duo ciues Papienses prætenderent ius in puellam, dicentes, cum ea contraxisse matrimonium; Pontifex præcepit, puellam in loco tuto reponi, quia ipsa timebat vim, & reddit rationem Pontifex: *quia matrimonium solo consensu perficitur, qui non inuenitur, vbi est timor cadens in constantem virum.*

Hinc infert ipse Sanchez *num. 18.* ergo clarè 78
sentit Pontifex, consensum illum inuoluntarium, qui reperitur, vbi adest prædictus timor, sufficientem non esse ad valorem matrimonij: Nempe, quia deesset naturæ essentiale. De essentia enim matrimonij esse consensum mutuum è est de fide Con. Florent. *in decreto de sacramento matrimonij*, vt notat Sanchez *lib.2. disp.25.* Imò *disp. 26.* infert per nullam potentiam, etiam Dei, posse esse matrimonium absque consensu, quia est de essentia eius.

Consensum autem de essentia eius statuit Pontifex *loco cit.* excludere metum, in virum constantem cadentem. Huic argumento non video, quid valeant aduersarij respondere, præcipuè Sanchez.

Vrgeo adhuc, quia neque matrimonij, neque
votorum, sic emissorum, inuenitur Ecclesiæ irritatio 79
aliqua; sed sola assertio, ea esse irrita. Sic de matrimonio habetur *cap. cum locum. cap. consultatione*, & *cap. veniens el.2. de sponsal. significauit de eo, qui duxit in matrimonio*, qui sunt textus, de hac re loquentes,

agunt

agunt de matrimoniis iam contractis, & declarant; si metu inita sint, esse inualida, nec Ecclesia potuit irritare matrimonia illa, iam contracta, si ante ea decreta, valida essent: Ergo iure ipso naturali irrita erant. Quoad vota inuenitur solum *cap.1. de his, quæ vi*, non irritans professionem, sed asserens, & declarans, eam esse talem.

80 RESPONDET Sanchez *lib.4. de matrimonio, disp.14. num.2.* illos textus quidem non habere statutorum formam, & ità non constare, vbi talis irritatio ab Ecclesia statuta sit; haberi tamen traditionem tot Doctorum, Pontificesque in illis decretis ostendunt iure, & vsu id semper seruatum esse, vt matrimonium metu graui extortum, sit irritum, & forsan olim fuit scripta, licèt perierit scriptura, sicut licèt non habeatur Ecclesiæ scriptura declarans, matrimonium fidelis cum infideli esse irritum, id tamen ita esse constat ex antiquissima Ecclesiæ traditione.

Eadem responsione satisfacere conatur *cap.5. de vi*, quò ad vota.

HÆC tamen responsio friuola est, nam Pontifices in præallegatis decretis ostendunt omni tempore, talia vota, & matrimonia semper fuisse irrita, vt fatetur ingenuè Sanchez: Ergo signum est nullam solidam haberi traditionem, quod hæc irritatio decreta sit ab Ecclesia.

81 VRGEO adhuc ratione suprà allata, quia Pontifices asserunt, ea matrimonia semper irrita fuisse ex defectu consensus, excludentis metum grauem, quem consensum ad matrimonium intrinsecè necessarium asserunt.

AD id verò, quod addit de matrimonio fidelis cum infideli, dico, non esse ea sola Ecclesiæ determinatione irritum, vt asserit D.Bonauent. *in 4. dist.39. quæst.1. in resolutione*, sed ex natura sacramenti, quod absque Baptismo, qui est ianua sacramentorum, haberi non potest, & ratione periculi deficiendi à Diuino cultu ob coniugis cultum imparem, ex quibus oritur determinatio Ecclesiastica, quæ in mul-
82 tis Conciliis Prouincialibus declarauit tale matrimonium irritum; & *cap. caue*, & *cap. non oportet*, vetat nè tale contrahatur matrimonium, & *c. Quam verò*, inuenitur decretum generale irritans; ideò multi dicunt ex natura sacramenti esse irritum, inter quos est S.Bonauent. qui malè adducitur à Sanchez *lib.7. disp.71. num.7.* cum asserentibus esse irritum solo iure Ecclesiastico.

OBIICIES primò cum prima sententia. Vbi est consensus liber, cæteris positis, ibi est voluntarium Votum, & matrimonium: Sed in casu nostro est consensus liber, nam metus facit inuoluntarium tantùm secundùm quid: Ergo.

RESPONDET D. Bonauent. *in 4. dist. 29. quæst.1.* requiri voluntarium modo suprà dicto, ob rationes allatas.

83 OBIICIES secundò cum Sanchez. Stando in iure naturæ, ea deliberatio sufficit Voto, quæ & culpæ mortali, vt diximus *quæst.2.* Sed hæc reperitur in voto, inito ex metu: Ergo.

RESPONDETVR ex dictis, talem deliberationem debere esse voluntariam simpliciter, qualis est ea, quæ sufficit etiam culpæ mortali patrandæ; non autem ea, quæ ex metu graui oritur, vt ostendimus suprà: hæc enim simpliciter non sufficit, sed solùm vt præponit minus malum maiori.

ALIA argumenta, eodem fundamento nisa, ait, se referre *lib.4. de matrim. disp. 14. num. 2.* & vrgere quoad matrimonium, quæ ex dictis eliduntur, & soluentur etiam *3. parte, Tractatu de matrimonio, disputatione 4. quæstione 2. & 3.*

84 OBIICIES primò. Si ratione libertatis irritum est; contrà; nam sæpe metus leuis magis priuat libertate; auarus enim magis deterretur ab actu, timore amissionis pecuniæ, quàm mancipium metu flagelli: sed metus leuis ex natura sua non irritat: Ergo.

RESPONDETVR ex S. Bonauent. *loco cit.* negando, metum leuem magis tollere libertatem, quæ ex rationis dictamine sequi debet, vt ritè mensuretur, & ob id debet, in viro rationabili mensurari, non in frenetico.

OBIICIES secundò: metus incussus à causa naturali, puta timore mortis, vel etiam à causa libera, vt si captiuus morte damnatus, vt euadat, sponsat meretricem iuxta morem aliquarum gentium, & similibus casibus non irritat contractum inde secutum: Ergo irritatio non venit ex vi libertatis, sed ex iure Ecclesiastico.

85 RESPONDETVR ex D. Bonauent. *dist. 29. quæst.1.* & *dist.39. art.3. quæst.2. ad 1.* debere esse metum pugnantem è diametro cum libertate rationabili resistente; talis enim sola est grauis, ideò timor solus incussus ad extorquendum matrimonium irritat; nam timor damnationis imminentis, aut mortis aliunde proueniens, non agunt contra hanc libertatem ad consensum extorquendum, ideò graues contra consensum non sunt, ideò non dicuntur cogentes, sed inducentes, vt ait S.Bonauent. sicuti etiam precibus sollicitantes, vt ait S. Doctor *dist. 29. quæst.1. ad penultimum*, hæ enim metum tantum leuem incurere valent, vt tenent DD. apud Sanchez *lib. 4. disp.6. de matrimonio.*

86 OBIICIES tertiò. Baptismus in adultis exigit consensum ad sui valorem, & tamen sufficit voluntas etiam metu graui coacta, vt validum sit Baptisma *cap. Maiores de Baptismo*, & *cap. Iudæis, 45. dist.* Ergo sat esset etiam matrimonio, & Voto, nisi Ecclesia irritaret.

RESPONDET S. Bonauent. *In 4. dist. 29. q.1. ad 2.* Baptismum esse opus Dei, non hominum; sed matrimonium esse ex hominum consensu; est enim contractus humanus, ideò exigit maiorem libertatem; nam est totum in consensu positum.

Alia etiam ratio communis Voto assignatur, quia sunt deditiones amoris.

87 OBIICIES quartò: etiam iuramentum, extortum metu graui, est validum *cap. verum*, & *cap. si vero de iureiurando*, & tamen requirit libertatem. Si ergo Votum, & matrimonium ideò irritantur, signum est, ea irritari iure Ecclesiastico, non ex defectu libertatis. Hoc argumentum suprà solutum est.

OBIICIES quintò. Nil magis opponitur consensui, quàm dolus, & error, *leg. si per errorem, ff. de iurisdict. omn. iudic.* & tamen hic non irritat matrimonium, nisi sit error personæ, & conditionis: metus tamen irritat: quod in aliis contractibus diuersum est; nam dolus dans causam contractui bonæ fidei, illum irritat, *leg. Et eleganter, §.1. de dolo*; metus autem illos non irritat: Ergo hæc differentia non potest oriri ex iure naturali; aliàs enim & dolus dans causam matrimonio, cùm magis contrarietur consensui, quàm metus, illud irritaret.

88 RESPONDETVR, metum irritare quatenus directè oppugnat libertatem in substantia rei eligendæ, ideò cum errore incedit; incutitur enim ad substantiam Voti, matrimonij, &c.

QVOD dicitur, alios contractus non irritari metu, falsum est, vt innuit S. Bonauent. *in 4. dist.29. quæst. 1.* probatur *ex leg.1. Cod. de rescind. vendit.* ibi irrita est, vt exponit Glossa *leg. iubemus 54. §. æconomus*

mus, verbo priuetur, *Cod. de sacro-sancta Ecclesia*, & *l. 5. v. habeas*, *Cod. de iurisdict. omn iudic.* & est communis sententia, vt testantur Cremensis *singul.*7. Iason *leg.2.num* 13. & 15. *Cod.de iure emphyteut.* Tiraquel. cum multis *leg. si vnquam, v. reuertatur, n.*21. *& sequentibus*, *Cod. de reuocatione donat.* idem habetur aliis legibus relatis à Sanchez *lib.3. de matrimonio, disp.8. num.2.*

89 PROBATVR ratione D. Bonauent. *locis adductis*. Sine consensu contractus priuatur suâ substantiâ *leg.obligationum*, *ff.de act. & oblig.* at vbi metus adest, deficit consensus ex dictis: Ergo: & patet ex regula *Nihil consensui* 117. ff. de regul. iuris ibi: *Nihil consensus tam contrarium est, quàm vis, atque metus*, &c. cum locum, de sponsal. ibi: *cum locum non habeat consensus, vbi metus, vel coactio intercedit.*

TEXTVS verò allati in contrarium à Sanchez solùm ostendunt, debere iudicari irritos ad pacem conseruandam, quia sæpè non possint effectum naturalis irritationis habere ex vi præpotentium.

90 ALIA verò solùm volunt extrinsecum actum, puta hereditatem adeundo, factum absque intentione possessionis capiendæ, debere à magistratu declarari, seu in suum statum reuocari. Ideò *cap.2. de his, quæ vi*, habetur: *Quæ metu, & vi fiunt, de iure debent in irritum reuocari.*

RESPONDEO secundò ex dictis, maiorem libertatem ex natura rei exigi pro Dote, & matrimonio, quàm pro contractibus humanis simplicibus ob rationes suprà allatas.

91 AFFERT Sanchez *num.*4. textum *leg.* 1. *ff. de eo quod metus causa*, ibi ait Prætor: *quòd metus causâ gestum erit, ratum non habebo*, vbi notat, loqui in futuro, idest irritandum, ex Tiraquel. cum aliis, & tamen D.Bonauent. *in 3. dist.39. art.3. quæst.2. argumento 2. secundo loco*, ità ponit in præsenti *ratum non habeo.*

NOTA, idem esse, quod iam factum est, *ratum non habeo*: & quod habet, *non habebo*, vnde nil facit Sanchez; nam irritatio sequitur factum, & ex natura rei, multò magis quò ad declarationem iudicis in foro externo. Destruiret fortasse, si dixisset: *Quod metu factum est, ratum non habebo.* Sed nec ita: Sensus enim esset, omni tempore irrita esse.

REMANET dubium: An Votum emissum ex timore graui incusso, iusta de causa, irritum sit.

92 PRIMA opinio est, esse irritum. Ità Lopex *prima parte Instruct. cap. 45. col. 3.* Manuel 2. *tomo summæ, disp.*93. Vega 2. *Tomo summæ, cap. 29. casu* 17. & in simili casu de matrimonio id asserunt apud Sanchez *lib.4. disp.*13. Ratio est, quia adhuc tollit libertatem.

93 SECVNDA opinio est, esse validum. Ità Sanchex *lib. citato de matrimonio*, & *lib 4. summæ, cap.3. num.* 21. cum Medina *lib. 1. summæ, cap.* 14. §. 6. *fol.86. quæst. 1. ad vltimum*, & *in 3. dist. 39. art.3. quæst. 2. ad* 3. vbi non admittit metum, in constantem virum cadentem, quando oritur ea iustitia; tunc enim nullus est timor, qui virum constantem deterrere à iusto, atque deflectere valeat, & consequenter ad irritandos contractus pertineat, vt diximus suprà contra Sanchez *in notandis.*

ASSERO, Votum emissum in metu graui iustè incusso, esse validum.

94 PROBATVR ratione D. Bonauent. ibi, quia à nullo tunc ei incutitur metus cadens in constantem virum, sed ipse potius sibi metum incutit, vt habetur *leg. si mulier* 21. in principio, *ff.de eo, quod metus causa.* Ipse enim est sibi causa timendi peccatum; vel malum pœnæ, quorum alterum imminet eligendum. Qua ratione vtitur Sanchez *lib.4.de matrimonio, disp.*13. *num* 3.

HAC doctrina ruit aduersariorum fundamentum; est enim votum voluntarium, quippe ab intrinseco debitè timor incussus fuit, atque adeò non cogens, nam coactio, & vis est ab extrinseco.

EX his colligere potes, Vota, metu leui extorta, esse valida; non enim inde temeratur grauiter libertas.

HIC latius edisserit Sanchez de excommunicatione sancti Concilij Tridentini *sess.* 25. *de regul. cap.*18 quæ fulminatur primò contra cogentes fœminas ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum Religionis, vel ad professionem. 95

SECVNDO, contra dantes ad id auxilium, vel fauorem.

TERTIO, contra eos qui scientes, fœminam non sponte ingredi, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, interponunt quomodocumque illi actui potentiam, vel consensum, vel authoritatem.

QVARTO, contra impedientes sine iusta causa voluntatem fœminæ, volentis emittere Vota, ingredi religionem. De hoc Suarez *Tom. 5. in 3. part. disp.23. sect.5.* vbi de Censuris, qui est huius disputationis locus, & à nobis disputabitur 3. *part. Tom.2. Tract. de Censuris.* 96

QVÆSTIO VII.

An res necessaria possit esse materia Voti.

D Bonauent. in 4. dist 38. quæst.2.
D.Thom 2.2. quæst 88. art.2. & in 4 dist.38. quæst.1. art.2.

HACTENVS egi de his, quæ in definitione Voti posita, sunt quò ad voluntatem liberam; nunc multa quærenda sunt circa materiam Voti, quæ dicitur esse melius quoddam. 97

SVPPONO autem, voueri non posse res absolutè necessarias *v.g.* mori, similiter nec impossibiles, vt arenam Maris enumerare.

QVÆSTIO est: an possis vouere ea, quæ aliàs præcepta sunt, *v.g.* non fornicari.

COMMVNITER asserunt Theologi, hanc non esse propriè materiam Voti. Ità D. Bonauent. *loco cit.* quem alij sequuntur relati ab Azorio *lib.*11. *de moralibus, q. 9. cap.*14. Id enim sentit D. Thom. *in 4. loco cit.* & 2.2. ait, tale ens, quatenus necessarium, non cadere sub Voto; D.Anton. 2. *titulo* 11. *cap.* 2. Paludanus 4. *dist.* 38. *quæst.* 2. *art.* 1. Maior *quæst.* 1. Durandus *ibi quæst.* 1. Richardus *quæst.* 2. *art.*5. Caietanus verò 2.2. *ad locum citatum D. Thomæ*, citatur male Nauar. *in manual. cap.*12. *num.*25. Sotus *lib.7. de Iustitia, quæst.1. art.* 3. Tabiena V. *votum* 1. §.2. *notandum*, Lyranus Deuter. 23. Gerson 2. *part. Alphabeto* 25. *littera I. & littera T.* Angelus V. *votum* 1. *quæst.*4. Arboreus *lib.*19. *Theosophiæ, cap.*6.

E RAGIONA alij dicunt, de his esse propriè votum, Ità Sanchez *lib.4. summæ, cap.5. num.* 6. vbi adducit D.Thomam 2. 2. *loco cit.* (sed malè, vt dixi) & Caietanum *loco cit.* 2. 2. Nauar. Sotum *loco cit.* Castro *lib.1. de leg. pœnal. cap* 10. Aragon. 2.2. *q.*88. *art.2. fol.*77. Valentiam 2.2. *disp.6. quæst.6. puncto* 2. Azorium *loco cit.* Idem sentit Diana *part.2. Tract.6. resol.*86. Bassæus V. *Votum* 2. *num.*11. alios adducens. Sic & D.Bonauent. vt dicam *quæst.8.* 98

ASSERO

Asssero non esse propriè votum. Probatur primò à D.Bonauent. quia votum ponit legem nouam obligantem; at lex non est, nisi de nouo liget; sed circa materiam necessariam non ligat, cum iam sit ligatus: Ergo.

99 Probatvr secundò à D.Bonauent. ex Glossa ad id Psalm. *Vouete, & reddite*, vbi ait: *Vouere est voluntatis; & reddere necessitatis*. Ergo est de his solum, ad quæ aliunde non ligatur.

Respondet Sanchez, Voluntatem de nouo modò ad id ligari, quod ait ad rationem voti sufficere.

Vervm hic S. Bonauent. magis propriè illum modum vocat nouam complacentiam in bono necessario, quæ voti vim non obtinet.

QVÆSTIO VIII.

An Votvm *sit de aliquo bono tantùm.*

D.Bonauent. loco cit.
D.Thom. loco cit.

100 Asssero primò votum non esse de re mala: est assertio certa, vt ait Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 4. *dub.* 1. *num.* 12.

Probatvr à D. Bonauent. primò ex D. Isidoro, monente: *in malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum.*

Probatvr secundò, quia votum est promissio rei, quam in gratiam Dei aliquis pollicetur ad suam salutem. Ità probatur etiam à Sanchez *cap.*6.

Probatvr tertiò à D.Bonauent. *fundamento vltimo*. Qui implet votum, facit id, ad quod tenetur: Sed nullus tenetur ad faciendum malum: Ergo.

101 Assero secundò, neque rem indifferentem simpliciter esse materiam voti *v. g.* leuare festucam. Ità sancti DD. & cæteri apud Bassæum *num.* 6. dummodo ex intentione, aut ex se non ordinetur ad bonum.

Probatvr à D. Bonauent. quia votum est actus Religionis de his, quæ Deo deseruiunt, at indifferentia mera non spectant ad Dei cultum: Ergo. Ità probatur à Sanchez *cap.*7. post D.Thom. Aduerte tamen aliqua indifferentia posse, aliquo fine cohonestata, fieri materiam voti, vt notat D. Bonauent. *ad* 3. vt comedere est indifferens, similiter non comedere præter necessitatem, & tamen possum abstinentiam vouere.

102 Circa primum asserendum occurrit casus ille insignis Ducis Iephte, qui pergens ad bellum vouit, si victor rediret, offerre Deo primum quemcumque, qui è domo sua sibi occurreret, *Iudic.* 11. Circa hoc votum occurrit dubitatio: an Iephte vouerit occidere filiam, & occiderit, quod sanè votum occidendi innocentem est de obiecto malo.

103 Prima etiam Sanctorum PP. calculis confirmata opinio est, Iephte verè filiam occidisse. Ità D.Bonauent. *hic ad* 4. quod probat ex D. Hieronymo *in cap.*7. *Hierem.* & D. Augustino *in quæstionibus super librum Iudicum, quæst.* 49. & *lib.* 7. *quæstionum veteris Testamenti.* Idem ex aliis PP. supponit. Id sentire Chrysostomus *homil.* 14. *ad populum Antioch.* & *homil. de Iephte.* Origenes *Tom.* 9. *in Ioan.* Tertullianus *lib.*3. *cont. Marcion.* Iustinus Martyr *quæst.* 99. Nazianzenus *oratione de laude Machabæorum*, quæ est *oratio* 22. Isidorus *in Allegoriis in scripturam*, & *de vita, & morte sanctorum*, Ambrosius *lib.* 3. *offic. cap.* 12. Beda *lib. quæstionum, in Iud. cap.*7. Rupertus *de Trinitate, & operibus eius, in lib. Iudic. cap.* 12. Tostatus *in* 11. *Iudic. quæst.*56. & inter Hebræos Iosephus *lib.*5. *Antiq.* & alij Rabbini antiqui, quibus adde D. Thom. *loco cit. ad* 2. quos refert Azorius *lib.* 11. *cap.* 14.

Oppositvm tamen asserunt Rabbini aliqui neoterici, atque Catholici, quos defendit Lyranus, qui dicunt, Iephte nequaquam immolasse filiam, sed virginitati eam deuouisse. 104

Primo igitur id probat, quia Iephte fuit vir inter sanctos ab Apostolo repositus: Heb. 11. Deinde cum hoc votum emisit, dicitur: *Irruit super eum Spiritus Domini*, at Spiritus Sanctus non inspirat malum.

Prætera non satis ex scriptura colligitur, Iephte occidisse Filiam, vbi enim dicitur in Vulgata: *Votum vouit, &c. si tradideris filios Ammon in manus meas, quicunque primò fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit, reuertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino*, Hebræa lectio habet: *Et erit Domino, & ascendere faciam illud ascensionem*, vbi nulla mentio habetur holocausti, vt putant multi, quos sequitur Azorius, sed lectio est: 105

ascensionem illud faciam ascendere Domino. Erit &
והיה ליהוה והעליתהו עולה

Si autem in holocaustum voluisset exprimere, potiùs dixisset לעלה.

Qvare solam oblationem modo conuenienti debitam vouisse videtur. 106

Prætereà filia audiens, se Domino offerendam, petiit duorum mensium inducias, vt plangeret virginitatem suam: at si immolanda fuisset, planxisset vitam, signum est ergo fuisse oblatam, vt castè viueret absque marito, quod eo tempore erat deplorandum.

Confirmatvr: Nam regressæ fecit, sicut vouerat, quæ ignorabat virum, quasi dicat virginitatem eius vouit, & consecrauit eam Domino, includens eam domi ab hominum consortio.

Prætera mos dicitur tunc inualuisse, vt filiæ Israel quotannis conuenirent, vt plangerent filiam Iephte, vbi verbum *plangerent*, in Hebræo est לתנות ad alloquendam filiam Iephte: Ergo adhuc viuens erat, eamque inuisebant mœrentem inclusam, vt consolarentur; quod si iam erat immolata, quomodo alloquebantur eam quatriduo, qui mos nullibi legitur? 107

His non obstantibus vnanimis sanctorum PP. sensus, iuxta sacri Concilij Trident. præscripta, est à nobis præferendus. Quare D. Antoninus *part.* 2 *tit.* 11. *cap.* 1. §. ait: *sed ex quo Doctores communiter tenent, quod corporaliter eam occiderit, & ipsum reprehendunt de parricidio, non debemus sapere plusquam oportet sapere, vt admonet Apostolus*, Rom. 12. *quod fit, dum quis doctrinis, ab Ecclesia approbatis, & quæ communiter tenentur, non acquiescit, nouas inueniens, quod prohibetur*, in cap. relatum, dist. 37. Hæc S. Antoninus. 108

Probatvr, nam in Vulgata, quæ est Canonica, habetur, vouisse offerre in holocaustum, quod sanè mortem, & combustionem animalis exigebat. Ideò ait S. Bonauent. adducens D. Hieronymum, Sacrificium hoc Deo non placuisse, licet bona intentio placuerit; & cum D. Augustino, quod Iephte & in vouendo fuit temerarius, & in soluendo impius. Prætereà dimissa est duobus mensibus, vt plangeret non virginitatem suam consecratam, quia potuisset eam semper plangere. 109

Secvndo hoc non est tam deplorabile, quarè planxit potiùs mortem ætate florente. Ideò etiam, filiæ Israel plangebant eam.

Prætera

PRÆTEREA dicitur, recententi puellæ fecisse, quod vouerat, quod si solùm consecratam Domino voluisset, nil noui fecisset.

110 ADDIT aliud argumentum Tostatus, quia de B. Virgine solà dicitur sine exemplo placuisse Domino, offerendo suam Virginitatem: Sed non consideras, filiam Iephte, dici consecratam inuitam; at B. Virgo sola spontanea siue præcedentis exemplo vouit suam Virginitatem.

AD rationes in oppositum respondetur, solam sacrificij ascensionem includere combustionem, qua holocaustum dicebatur ad Dominum euaporare. Sic & in alijs locis scripturæ, vbi holocaustum oblatum Domino dicitur, legitur *ascensio*; ipsum verò nomen holocausti ad maiorem claritatem apponitur.

QVOD verò verbum illud significet etiam *alloqui*, nil refert; significat enim, & plangere.

111 QVOAD Apostolum, & D. Hieronymum, respondet S. Bonauent. laudari eius fidem, & finem, ac deuotionem; at vituperari ab alijs Sanctis inhumanitatem, quia inconsideratè vouit, & crudeliter reddidit; attamen excusatur à PP. quia existimauit, illud esse ratum sacrificium, sicut fuit Abrahæ, cum præceptum esset à Domino, vt filium immolaret.

QVOD si aliquis sciens, aliquid esse peccatum mortale, & illud voueat; duplex peccatum committit. Alterum naturâ suâ; alterum iniuriæ in religionem, vouendo grauiter illicita. Ità Sanchez *lib. 4. cap. 6. num. 9.*

112 SICVT autem malum, vel ab obiecto, vel à fine, vel à circumstantijs sumitur, ità & nullitas voti ex re mala promissa. Vide Sanchez *lib. 4. cap. 6.*

OBIICIES contra secundum assertum. Cibus, & potus sunt indifferentes; sed circa hos potest voueri abstinentia, vel temperantia: Ergo.

RESPONDET D. Bonauent. *ad 3.* dari aliqua indifferentia à virtute informabilia, & hæc posse esse materiam voti; alia verò non posse informari a virtute, & de his non esse votum, nec vouentem egere circa hæc dispensatione, cùm desit materia voti, quæ debet esse aliquid in Dei obsequium, quæ est ratio etiam D. Thomæ.

113 BREVIS quidem responsio, sed optimis fœcunda doctrinis, quas latè prosequitur Sanchez *lib. 4. summa, cap. 7.* qui *num. 5.* requirit quatuor conditiones ad hoc, vt res indifferens fiat materia voti.

PRIMA est, vt concurrat aliqua finis honesti circumstantia, reddens ipsam rem materiam alicuius virtutis: Sic ingredi aliquam domum est indifferens; at si ibi esset aliqua occasio peccandi, esset materia voti, promittendo ob id non ingredi. Ità Richardus *in 4. dist. 38. art. 3. quæst. 1.* & alij. Ego aliud exemplum do de se subiecta voto, si ibi esset infirmus visitandus, & non ex præcepto, posset vouere ingredi.

SECVNDA conditio est, vt res illa sit apta, vt illi bono fini deseruiat, seu, vt ait S. Bonauent. sit informabilis ab illo bono fine, nam finis in moralibus actum quodammodo informat, & reddit intrinsecè bonum, vel malum, vt dixi *prima secunda, Tract. 1. disput. 4. quæst. 8.* Si enim ad eum finem nil conferat, neque votum valebit, vt si aliquis voueat ad honorem Beatæ Virginis, non præscindere sibi vngues in Sabbatho. Ità multi apud Sanchez *loco citato*.

114 TERTIA est, vt ea res indifferens actu dirigatur ad eum finem, & ita à fine illo actu informetur; alioqui manebit in esse morali adhuc indifferens.

QVARTA est, vt finis ille honestans rem indifferentem adhuc maneat. Ex his plurima à D. Bonauent. definiuntur.

ENIM verò potest materia, Voto sponsa, esse honesta, sed finis indifferens.

ET quidem si finis sit assequendi res temporales, erit validum. Sic enim & in scriptura huiusmodi vota facta sunt, & rata existimata, vt notat D. Bonauent. *in Biblijs pauperum, cap. 15.* sic *Genes. 28.* pro peregrinatione, & reditu facit votum Iacob sua Deo. Sic 1. Reg. 1. Anna vouit pro filio obtinendo. Populus Israël. *cap. 21.* vouit pro obtinenda victoria. Antiochus 2. *Macab. 3.* pro salute corporis obtinenda, nec reprehenduntur. Itaque hæc vota communi Ecclesiæ sensu recepta sunt. Ita Hostiens. *c. scriptura de voto, num. . & 6.* Ioan. Andreas *num. 3.* Anton. *num. 3.* Cardinal. *num. 2. quæst. 4.* Abbas *num. 5.* Anchar. *num. 3. quæst. 2.* Henricus *num. 11.* Richardus, *in 4. dist. 38. art. 1. quæst. 2. & 3.* Maior ibi *quæst. 1.* Abulens. *cap. 30. Numer. quæst. 92.* Angelus *v. votum 1. num. 4. & 9.* Syluest. *v. votum 1. quæst. 4. dicto 2. & quæst. 5.* Caietanus *ad art. 2. citatum D. Thom. dub. 4.* Sotus *lib. 7. de Iustitia, quæst. 1. art. 3.* Palu. *4. dist. 38. quæst. 1. fol. 814.*

HINC Innocentius *c. scriptura, num. 1. de voto* ait: *Vota, ad res temporales assequendas emissa, esse simoniaca, nec obligare, non recipitur.* 115

IAM verò hæc regula generalis S. Bonauent. est, quando votum aliquo modo offertur in obsequium Dei, validum est ex hoc capite materiæ indifferentis, & ita euenit vouenti Deo etiam ob bona temporalia assequenda, vel ob gratias de acceptis deuotè reddendas: at vero inualidum erit votum, si voueatur actus quidam, qui sit materialiter virtutis & specificetur à fine, non ordinato ad alium, quàm temporalem, vt cum vouimus eleemosynam, vt eluctur opinio auaritiæ de nobis sparsa, vel ieiunium, vt sumptus attenuet.

HINC innumeri casus resoluuntur, quos referunt Sanchez *lib. 4. summa, cap. 7.* & alij. Quale autem peccatum sit res indifferentes vouere, S. Bonauent. *loco cit.* solùm sic ait: Iste iudicio caret; esse autem peccatum patet, quia prophanum reddit votum: ideo peccatum quidem esse, sed veniale aiunt Aragonius *ad locum citatum D. Thomæ.* Petrus Ledesma, *secundo tomo summa, tract. 10. cap. 2. dub. 2.* Manuel *2. tomo cap. 94. num. 6.* Tolet. *lib. 4. summa, cap. 17. num. 14.* quos sequitur Sanchez *lib. 4. cap. 7. num. 4.* qui *num. 27.* Idem asserit de voto priuato; at de solemnibus, quia irrita ea reddit, ait esse mortale, sicut dixerat *cap. 6. n. 15.* 116

SICVTI vouere ob malum finem sumit à fine malitiam; ità si finis sit mortaliter malus, etiam vouere erit mortale; si finis venialis sit; veniale erit: At vouere religionem solemniter etiam ob finem venialem, ait, esse veniale, quia vota illa reddit irrita graui Dei iniuria.

QVÆSTIO IX.

An VOTVM *sit tantùm de meliori, an verò, etiam de minus bono.*

D. Bonau. loc. cit.
D. Thom art. 12.

MIRABAR primo intuitu Seraphicum vix duobus articulis indicasse ea, quæ materiam voti, quippe grauissimam, agunt; at vidi profectò, hos geminos articulos esse veluti in horologio solari Gnomonem, qui horas omnes indicat. 117

In secundo igitur fundamento quæstionis secundæ ex definitione voti docet, de meliori bono esse debere; est enim nouum aliquod obsequium Deo præstitum, vnde reddit obsequentem meliorem coram Deo, & in ordine ad propriam salutem. Ex quo habetur, non esse de optimo semper, neque de quocunque meliore, sed de meliori respectu prioris status, ita vt vouens à suo statu coram Deo aliquid melius voueat. Ita cœlibi non erit materia voti matrimonium; erit tamen homini incontinenti. Sic alij apud Bassæum V. *Votum* 2. *num.* 2.

118 Ex his fundamentis tertio respondens argumento, dicit; Minus bonum dupliciter sumitur. Primò comparatum cum eo, quod habet vouens, & ita non potest esse materia voti; non enim virgo bonum maius debitum voto vouet, vouendo matrimonium: alio modo potest dici minus bonum comparatum quidem ad alia maiora bona, quæ non habet vouens, & ita potest esse materia voti. Sic potest homo sæcularis vouere castitatem; quia sic est de meliori bono respectu status coniugalis, cui potest applicari, licèt sit minus bonum, quàm religionis professio, qua ille caret.

119 Rursus notat S. Bonauent. hoc bonum esse minus pluribus aliis, quæ vouens non habet; maiora tamen, quàm ea, quæ habet vouens; *v.g.* cælibatus potest dupliciter vueri: vel simpliciter, vt vouendo priuatim castitatem; vel in hoc voto excludendo maius bonum, *v.g.* vouendo priuatim castitatem, & excludendo vouere vnquam solemniter in religione, & hoc est irritum.

Etsi dicas: Status ille castitatis priuatus, est licitus, & sanctus: Ergo potest voueri. Respondet, licèt non sit malus ille status; sed bonus, & gloriosus; attamen malum esse ita velle eum statum, vt excludat meliorem, sicuti laudari non est malum, & tamen est malum velle sic laudari, vt laus in nobis sit, nec ad Dei gloriam maiorem tendat; in Dei enim obsequium non tendit excludere maius bonum directè.

120 Dices: In matrimonio licet seipsum alteri promittere, quamuis sit status imperfectionis: Ergo licet etiam in voto.

Respondet S. Bonauent. negando paritatem; nam in matrimonio despondetis alteri personæ, quæ contenta est illo statu. Itaque benè cum ea spondes eum statum, cui tunc etiam obligaris, etiamsi excludas religionem implicitè, dum statum eligis coniugij. At si Deo vouere velis in eius obsequium, teneris aliquid melius velle, & spondere, quia Deus semper quod melius est in sui obsequium voto exhiberi postulat. Hæc S. Doctor.

Præterea ad quæstionem hanc decidendam oportet ex S. Bonauent. *quæst. citata*, supponere, materiam voti esse simpliciter aliquod bonum consilij, esto etiam de bono præcepto possit catenus esse, quatenus nouam Deo exhibet voluntatis expressionem, & etiam ex alio capite obligationem, quæ si violetur, nouam etiam infert iniuriam, specie distinctam, atque adeò in confessione exprimendam, vt constat ex *cap. impudicas*, & *cap. sacrilegij*, 27. *quæst.* 1. & docent communiter DD. apud Sanchez *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 7. contra Gersonem, & Tabienam, negantes, mutare speciem.

121 Ex hac doctrina sequitur primò, ea quæ negatiuè opponuntur consiliis, vt non esse castum, non ingredi religionem, & similia non esse materiam voti, & talia vota non valere. Ità omnes fatentur, vt notat Sanchez *lib.* 4. *cap* 8. *num.* 3. excipe Hostiensem, qui *in summa, tit. de voto*, ait, hæc vota esse quidem temeraria; tamen valere.

Ratio communis deducta est ex D. Bonauent. suprà, quia votum exhibere debet aliquid in Dei obsequium; at ista nil boni moralis habent in se. Possent tamen habere per accidens, & sic esse materia voti; puta si is, qui vouet religionem non ingredi, agnoscit se ineptum, vel pietate parentum in necessitate iacentium, iure ac meritò detineri; & qui vouet, non viuere castè, agnoscit, se nimis labilem in carnalia.

122 Imo ex hoc videtur inferri, eum, qui ea sua incontinentia expertus est, melius esse sibi nubere, quàm vri, validè non vouere religionem, aut castitatem; hoc enim est minus bonum, ideo huic valet votum coniugij, quia maius est bonum: ergo non potest valere contradictorium votum, *v.g.* religionis, aut castitatis. Ita arguit Homobonus citandus. Id videtur supponere Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 6. *punct.* 2. *difficul.* 4. *col. penult.*

Idem asserit Petrus de Ledesma 2. *Tom. summa, tract.* 10. *cap.* 2. *dub.* 5. Addit tamen, hunc teneri impetrare dispensationem. Quod sanè videtur implicare; si enim votum est irritum, non eget dispensatione. Idem probabile censet Homobonus *de Bonis in Consult. moral. col.* 1. *part.* 2. *resp.* 28. vt refert Diana 4. *p. Tom.* 4. *resol.* 102. Addens: *sed incognita*, & addit, petendam ab Episcopo dispensationem.

123 Enim verò Sanchez *num.* 10. terretur quidem argumento contrario: adhuc tamen asserit, ea vota religionis, & castitatis esse valida illi incontinenti. Probat, quia Ecclesia consueuit his dispensationem tanquam de voto valido, non nisi rigidissima commutatione iniuncta, concedere.

Respondet igitur argumento cum Valentia, illum, vt est persona singularis, talem esse, vt ei sit melior status matrimonij: at verò, vt est membrum Ecclesiæ, melius esse, vt ratum censeatur, & sit votum continentiæ, & religionis; alioqui multa hinc mala in Ecclesia orirentur, dum prætextu incontinentiæ vota castitatis, & religionis inualida clamantes, se traderent voluptatibus. Hoc sensu verum est, quod ait Maior *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 1. *col.* 2. non oportere materiam voti esse vouenti meliorem, sed sat esse, si sit melior in se.

Ego aliter responderem, hunc ritè vouere posse, nec fidere tantùm debere suis viribus, sed considerare, & agnoscere cum Salomone, *quod non possit esse continens, nisi Deus dederit ei*, hanc autem gratiam vitandi peccata mortalia nemini negari, & necessariam esse etiam coniugatis ad salutem; nam ex his aliqui incontinentes sunt salacissimi, nec matrimonij delectationibus sunt saturi, maximè si vxor non sit ad nutum; & tamen his Deum non deesse, si & ipsi faciant quod in se est. Sicut igitur potest validè quisque vouere non peccare mortaliter, vt probabiliter asserit Sanchez *cap.* 5. *num.* 16. alios adducens; multò magis non peccare in materia Temperantiæ, vt in castitate, eò magis, quò & Deus concurreret ad necessarium auxilium, quia non exigit aliquod ea his, quæ neque sanctis concedit, quale est vitare omnia venialia, quod sanè vouere non liceret, nec esset validum, vt docent plurimi cum Sanchez *lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 10. Bassæus *loco cit.* vbi addit, votum non peccandi venialiter ex deliberatione, esse validum. 124

Hæc tamen vota castitatis, vel religionis irrita erunt aliquando ex aliquo impedimento, puta si quis fide matrimonij prius deflorasset Virginem, aut mulierem honestam cognouisset. Ratio est, quia votum non adimet obligationem præcedentem iustitiæ. Is tamen mortua vxore teneretur religionem ingredi, vel castitatem seruare, vt vouit. Vide Sanchez *lib.* 5. *de matrimonio, disp.* 44. & *lib.* 8. *disp.* 36. *à num.* 8. & *lib.* 4. *summa, cap.* 8. *num.* 11.

Elicitur

125 ELICITVR prætereà ex fundamentis D.Bonauent. opera bona quasi contraria, opposita consiliis, dummodo sint bona meliora statui vouentis, valère, vt v.g. seruire Xenodochio toto vitæ curriculo. Ità omnes asserunt, vt notat Sanchez *lib.4.cap.8.num.40.* Valentia *loco cit. puncto 2. col.8.* Paludanus *4. dist.38. quæst.1. num.29.* D.Anton.2. *part. tit.11. cap.2.* Syluester V. *votum 1. quæstio 4.* Tabiena V. *votum, 1.* in fine, qui reddunt rationem D.Bonauenturæ, quia res illa promissa est de meliori bono, iuxta statum vouentis: Ergo est materia voti. Sic DD. apud Bassæum V. *Votum 2.*

126 ENIM verò omnes cum D. Bonauent. clamant; eum qui eò dirigit votum rei melioris, iuxta statum suum, vt excluderet vlteriorem statum meliorem, puta si voueret priuatim castitatem, ne solemniter vnquam eam voueret in religione, vel ob id voueret inseruire in Xenodochio, is inepte voueret: Vide Sanch. *loco cit. num.41.* Ratio eius est, quia sic contra consilia Christi è diametro pugnaret, & rebellis gratiæ suum præcluderet profectum ad perfectionem à Deo ipsi propositam.

EX his colligitur, etiam votum matrimonij non esse validum. Ità communiter DD. quos adducit Sanchez *lib.1. de matrimonio, disp.4.* nam sic descenditur à cælibatu, qui est nobilior, vt definit Concilium Trident. *sess.24.can.11.* & est consilium Domini.

127 POTEST tamen matrimonium esse præceptum, vt si aliquis fide matrimonij deflorauit Virginem, vel cognouit honestam quampiam viduam; aut si matrimonium publicæ paci esset necessarium, & tunc cadere posset sub voto latè dicto. Vide DD. in Maldero *cap.5. disp.2.* & Bassæo *loco cit.*

DE cætero potest simile votum esse vtilius, & melius, quia is incontinens est, iuxta id 1. Corinth.7. *melius est nubere, quàm vri.* Id sentiunt communiter Doctores apud Sanchez *loco citato, num.7.* Malderum, & Bassæum suprà.

POTEST etiam voueri ad causam piam, puta ad accipiendam puellam è periculo, vel inopem; hoc tamen in voto debet includi, tanquam materia, vt patet, quia aliàs est inualidum. Id notat Bald. *leg. illud Cod. de sacro-sancta Ecclesia*, Azor *lib.11. cap.14. num.9.* Oppositum tenet Sanchez *loco citato.*

128 QVOD si finis sit contra consilia Euangelica, puta vouere eleemosynam ad matrimonium obtinendum, Sanchez *lib.4. summa, cap.8. num.56.* ait, illud valere, cum Soto *lib.7. de iust. quæst.1. art.3.*

QVÆSTIO X.

An VOTVM *de re, quæ potest habere bonum, & malum euentum, valeat.*

< D. Bonauent. loco cit. ad 4.

129 D. BONAVENTVRA paucis verbulis respondet, posse voueri rem, quæ potest habere bonum, & malum euentum, sub conditione tamen boni euentus; quod si voueat absque conditione, indiscretum est, & non tenetur ad votum.

QVOAD hoc oportet euentum considerare pro tempore, quo exequendum est votum, non autem tempus, quo emittitur votum: materia sit bona, nec ne; an apta, vel inepta. Ità Sanchez *lib.4.cap.9.n.2.*

130 EX quo definitur, vouentem rem ineptam, teneri ad obseruandum, eâ factâ aptâ tempore executionis intentæ, in quo intentio vouentis maximè est consideranda. Hinc Nauarrus *summa, cap.12. num. vltimo,* ait, vouentem generaliter aliquid habens tractum successiuum, obligari pro tempore, quo materia est apta voto, quia votum comprehendit totum tempus; at si voueat solùm pro tempore, quo est illicita, tunc esse illicitum ait cum D.Bonauentura.

QVÆSTIO XI.

An aliqua obligatio oriatur ex VOTO, *& quæ sit.*

> D.Thom. quæst.88. art.3.

CERTVM est, votum obligare sub peccato ad sui complementum, vt notat D. Bonauent. *in speculo animæ, cap.3.* longè post medium, & primò ex *c.20. Prou. & Deuter.23. & primo Timot.5.* & Psal.75: *Vouete, & reddite Deo,* vbi id Glossa exponit: *Vouere est voluntatis; sed reddere necessitatis,* vt notat ibi D. Bon. Obligare autem sub mortali definit Innocentius III. *cap. Licet de Voto.* Ità omnes Catholici sentiunt. 131

HÆRETICORVM huius sæculi parentes, Lutherus, & Caluinus, religionis hostes infensissimi, vota etiam maximè solemnia, è medio tollere nisi sunt.

PRIMO docent, Vota ad colendum Deum non posse fieri, nisi de rebus præceptis, proinde vnum esse commune votum fidelium, quod in Baptismo emittimus. 132

SECVNDO docent, Vota de rebus non præceptis posse fieri, si non ad colendum Deum, saltem ad negotia huius vitæ peragenda, aut ad vitanda peccata.

TERTIO, Vota monachorum impia, & irrita esse: Hæc Lutherus *de votis monasticis*, & Caluinus *lib.4. Instit. cap.13.* Nec dissimilia docent *Confess. Augúst. art.27.* & *Confess. Vuirtembergæ, c. de votis monast.* quos refert Bellarminus *lib.2. de Monach. cap.15.*

PETRVS Martyr *lib. de cælibatu, & votis monast.* duo dicit contraria Luthero. Alterum est, vota, omnia esse inter Iudaicas cæremonias computanda, & ideò abrogata: Alterum est, in Baptismo non fieri votum. Quò ad vota monastica, non minori insolentiâ ea vituperat.

ASSERO primò, Vota ad cultum Dei pertinere, etiam de rebus non præceptis. 133

PROBATVR primò ex 19. Isaiæ: *In illo die cognoscent Ægypty Dominum, & colent eum in hostiis, & muneribus: & vota vouebunt, & soluent.*

PROBATVR secundò à Bellarmino ratione D. Bonau. *in 4. dist.28. q.1. & 2.* Omne honestum, etiam Virtutis supererogationis, est ex se Deo acceptum: Ergo & oblatum voto. Probatur antecedens è D.Bonau. ex 2. *Lucæ*, vbi dicitur, quòd Anna illa morabatur in templo, seruiens Deo nocte, & die; vbi Grecè habetur λατρεύουσα quod propriè cultum significat, vt indicat ibi D. Bonauent. *ad eum locum*, transferens officiosè, *vacabat, & deuotè Deo.* Probatur consequentia à D. Thom. quia voto stabilimur in bono.

PROBATVR etiam à S. Doctore *lib.1. Pharetræ, cap.38.* vbi ex D. Gregorio 15. *moral. cap.12.* vocat Virginitatem: *obsequium Deo*, & D.Augustinus *lib. de virginitate, cap.27.* vbi describit obsequium Virginum in Deum; sequuntur quippè Agnum; & è Cypriano *de discipl. & habitu virginum*, vbi Virgines longè è diametro à cultu terræ alienas esse docet, quia sequuntur Christum. Alia ibi vide.

PROBATVR tertiò Scripturis, quibus habetur, sanctos de rebus non præceptis; vota edidisse. Sic Iacob *Genes.28.* vbi primum votum edidit, promittens Deo decimas de omnibus, & erigere super eo la- 134

pide domum Dei, si Deus fœlicitatem itineri suo contulisset. Quod si hæc fuissent præcepta, malè Iacob hæc sub conditione fœlicis itineris fecisset. *Primo Reg.* 1. Anna vouit eodem spiritu filium, si daretur à Domino. Sic *primo Paral.* 29. Dauid plurimos thesauros simul cum subditis vouit ad templum Domino ædificandum, & habetur: *Lætatus est populus, cùm vota sponte promitterent: quia corde toto offerebant eam Domino: sed & Dauid Rex lætatus est gaudio magno.* Sanè ex præcepto tot thesauros nec Dauid ipse cumulauit. Sic 2. *Paral.* 31. Israel filij obtulerunt plurima animalia, quæ sponte vouerant,
135 non ex præcepto. *Tertio Esdræ*, Artaxerxes obtulit, quæ sponte vouerat: *Ionæ* 1. Viri, qui erant in naui, vouerunt Deo, vt liberarentur à naufragio: Heliodorus 2. *Machab.* 3. multa vouit ob sui liberationem. Beata Virgo sponte obtulit, & vouit Virginitatem, vt dicitur, Lucæ 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, vt testantur sancti PP. Gregorius Nyssenus, *oratione de natiuitate Domini*, Augustinus *lib. de sancta virginitate*, *cap.* 4. Beda *in cap.* 1. *Lucæ*, Anselmus *lib. de excellentia virginis*, *cap.* 4. Rupertus *lib.* 3. *in cant.* Bernardus *sermone* 4. super *missus est*, D. Bonauent. *ad* 1. *Lucæ*, & *in Bibliis pauperum*, *cap.* 25. vbi supra dicta omnia etiam vota connumerat.

136 Calvinvs immodestissimè latrare audet in Commentario huius loci apud Marloratum, reprehendens primò infidelitatis Beatissimam Virginem, de qua exclamauit Elizabeth: *Beata, quæ credidisti*, quam sancti PP. ad hunc locum, nusquam in fide titubasse conclamant.

Deinde reprehendit SS. PP. quasi absurdè, & ridiculè hinc votum B. Virginis colligentes, quia (ait) si votum habuisset Virginitatis, illusisset Iosephum, accipiens eum in coniugem magnâ in eum perfidiâ, & Dei ludibrio.

At solidè hinc deduxere votum sapientissimi PP. allegat enim suam difficultatem in concipiendo, quia virum non vult cognoscere. Et sanè potuit concors cum Iosepho post desponsationem, & ante salutationem Angeli, vouisse Virginitatem, quo ruit tota Caluini moles.

137 At neque vnquam Caluino concedam, Beatam Virginem habuisse vllo tempore animum consumandi matrimonium; alioqui fuisset Virgo solum corpore, non animo, vt indicat Bellarminus *lib.* 2. *de monachis*, *cap.* 22. post D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 30. *dub.* 5. *litt.* & *quæst.* 2.

Respondetvr ergo cum D. Bonauent. *quæst. citata*, B. Virginem ante desponsationem vouisse absolutè Virginitatem, & in hoc eum sequuntur Scotus *in* 4. *dist.* 30. *quæst.* 2. Idem dicunt Albertus Mag. *de laudibus Virginis*, & antea sancti PP. Gregorius Nyssenus, & Augustinus *locis adductis*; attamen habuisse reuelationem de sancto Ioseph, eum nunquam petiturum debitum coniugale, & ideò fidenter associasse eum sibi ob honestissimas causas, quas *in Tract. de matrimonio* referemus. Tradidit ergo Beatissima corpus suum sponso, qui potuisset matrimonium consummare; attamen certa erat, eum nunquam id voliturum. Sic autem Diuino afflante Spiritu despondit, quod satis est ad rationem matrimonij, vt notat Bellarminus *loco cit.* & probat Sanchez *lib.* 2. *de matrimonio*, *disp.* 28.

138 Alias coniecturas è phantasiâ suâ inuersâ obiicit Caluinus, nempe Virginem ita locutam ex mentis excessu, quia esset filium Dei conceptura, & ideò virilem complexum excludere, non quod votum de virginitate haberet.

At temerè Caluinus suas coniecturas assertioni tot Patrum anteponit. Neque satis colligit id esse ex admiratione dictum; nam Angelus respondet dubio, dicens: *Spiritus sanctus superueniet*, *&c.* vt notat D. Bonauent. ad eum locum, & post eum Bellarminus. Quasi dicat Angelus (ait S. Doctor.) Quæris quomodo concipies? Ad hoc respondeo, quod fœcundaberis sine corruptione; concipies sine libidine; paries sine dolore, non ex virili semine, sed ex Spiritus Sancti virtute.

Qvod verò addit Bellarminus, B. Virginem non 139
adhuc cogitasse, se futuram matrem Dei; non placet; nam in præcedentibus verbis id expresserat Angelus: *Hic erit magnus: & filius Altissimi vocabitur*, *&c.*

Petrvs Martyr obiicit præterea, ex illis verbis non colligi votum B.V. sicut cum ait Moyses, Exodi 6. *Quomodo audiet me Pharao, cùm sim labiis incir-* 140
cumcisus? & tamen non colligeremus, Moysen vouisse labiorum incircumcisionem. Sic & *Ioan.* 3. Nicodemus ait: *Quomodo potest homo nasci, cùm sit senex*, & tamen non inde colliges, hunc vouisse senectutem: Ergo neque ex similibus verbis id colligitur in B.V. Hæc tamen insulsa & friuola sunt: Propositio enim Nicodemi erat: an posset homo corporaliter nasci rursus, & renouare vitam, quod est impossibile; ipse verò carnaliter regenerationem percipiebat, propositam sibi à Domino; ideò rem impossibilem, nec à libero arbitrio pendentem opponit: *Quomodo possunt hæc fieri*, vt notat D. Bonauent. *ad* 3. *Ioan.* Sic & Moyses opponit impedimentum ad eloquendum, quod à natura est necessarium; at B. Virgo opponit impedimentum pendens à libero arbitrio, nempe coniugatam copulari viro. Quod si obiecit: *Quomodo?* est, quia lege prohibebatur, non quidem vniuersali, vt patet: Ergo lege propria Voti.

Obiicit adhuc, prudenter respondisse Virgi- 141
nem, tametsi non ligatam voto, nempe si partus ordinariâ viâ futurus esset, obstare, quod nondum viro admisceretur; si verò modo altiori, quærit instrui.

At stultè ità exponit; nam cùm futurum asserat Angelus conceptum; quid ad rem, si nondum viro admixta est? satis enim erat post misceri; si verò modo altiori faciendum erat, extra rem fuisset modum naturalem opponere.

Iam verò ad nostram propositionem redeo. Vota in scripturis narrata erant de rebus non præceptis, & tamen ea, tanquam sibi gratissima Dominus exigebat, vt habetur *Deuter.* 23. & Psalm. 75. *Vouete, & reddite*, vt ponderat S. Bonau. *in speculo animæ*, *capite* 3.

Assero secundò, Vota non spectare ad Iudaicas cæremonias.

Probatvr primò ex *loco citato Isaiæ*, quem SS. PP. Hieron. Cyrillus, & alij de Christianis exponunt.

Probatvr secundò à D. Bonau. *in* 4. *dist.* 38. 142
art. 2. *quæst.* 3. ex illo Psalmi, mox adducti: *Vouete, & reddite Domino*, quod de nobis intelligi probat S. Doctor ex Gloss. quæ ait: *Vouere est voluntatis, sed reddere necessitatis.* Idem habet S. Augustinus *hic*. Vnde ruit responsio hæretici, sermonem esse ad Iudæos.

Probatvr tertiò à D. Bonau. *in* 4. *dist.* 38. *dub.* 4. *litt.* ex illo, *cap.* 5. *prioris ad Timotheum*, vbi de viduis nonnullis ait: *Cùm luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Quo loco per *fidem primam* omnes interpretes Græci, & Latini intelligunt votum continentiæ. Vnde S. August. ad locum citatum Psalmi 75. *Vouete, & reddite*, ait: *Quisque quod potest, voueat, reddat, & non sitis pigri ad vouendum: non enim viribus vestris implebitis*, mox locum Apostoli

exponens

exponens ait: *Quid est, primam fidem irritam fecerunt? vouerunt, & non reddiderunt.*

143 In ità exponit Concilium Carthag. IV. qui fuit 214. Episcoporum, *Canone centesimo quarto.* Et Concilium Tolet. IV. quod septuaginta Episcopis constabat.

Idem exponunt hac ratione tres summi Pontifices sanctissimi, Clemens *lib. 3. Constit. cap. 1. & 2.* Innocentius I. *epistola secunda*, *cap.* 13. Gelasius I. *epistola 1. cap. 23.* Iidem Tertullianus *lib. de monogamia*, non longè à fine. Basilius *lib. de Virginitate*, vltra medium. Hieronymus *lib. 1. in Iouin.* & *in cap. 44. Ezech.* Epiphanius *hæresi* 48. Augustinus *lib. de sancta Virginitate*, *cap.* 23. & *lib. de bono viduitatis*, *cap.* 8. *& 9. & loco cit. in Psalm.* 75. Fulgentius *epistola* 1. Præter hos etiam omnes expositores ità, tum Græci, vt Chrysostom. Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius; tum Latini, vt Ambrosius, Primasius, Beda, Haymo, Sedulius, Anselmus, D. Bonauentura, & alij.

144 Respondet Lutherus *de votis monasticis*, per primam fidem intelligi, non votum, quod nullibi nomine fidei accipitur, sed fidem Christianam, quam perdiderant viduæ illæ, quæ vt facilius illis liceret nubere, defecerunt à fide Christiana. Ideò dicunt, eas abiisse post Sathan, & luxuriatas aduersus Christum.

At audax hæc interpretatio est, & quidem fide intelligi promissionem, ostendit D. Bonauent. ex D. Gregorio *ad Bonifacium*, & habetur 17. *quæst.* 1. *cap. viduas à proposito*, quas & ipse Apostolica authoritate damnat, vt refertur *in littera dist.* 38. *cap.* 1. Idem obseruat S. Bonauent. *in 3. dist. 23. dub.* 2. hunc locum adducens pro *sponsione*, vbi notat, etiam accipi pro fidelitate promissionis debita, Hierem. 7. *Periit fides, & sanctus de terra*, sic dicitur Genes. 44. *Ego hunc in fidem meam accepi*, sic Rom. 3. dicitur: *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit.*

145 Quod verò ait, defecisse à fide, vt nuberent, falsum est; nam & viduæ Christianæ poterant nubere, vt ait Apostolus *prima Corinth.* 7. Abire autem post Sathanam, & luxuriari contra Christum, aptè significant per peccatum luxuriæ sacrilegum.

His ruit etiam similis Caluini instantia, qui addit aliam expositionem, has viduas promisisse continentiam; at non potuisse licitè, nisi sexaginta essent, annorum, quo tempore non sunt amplius aptæ coniugio. Ideò ait Apostolus: *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum*, hoc igitur ad vota sanctimonialium statuenda nil facit, quæ etiam in ætate florida vouent.

At cur Apostolus eas reprehendit, si irrita fuere, vel non obligantia vota? Id verò sexaginta annorum tempus non erat voto præfixum emittendo, sed vel officio Diaconissæ, vt ait Tertullianus *de velandis virginibus*, & *lib. 1. ad vxorem*, & alij; vel admissione ad numerum earum viduarum, quæ ex eleemosynis Ecclesiæ erant alendæ, vt exponunt Chrysostomus, & Ambrosius hîc, & Hieron. *epist. ad Saluinam.*

146 Tertia Caluini responsio est, illam promissionem non fuisse votum Deo factum, sed sponsionem Ecclesiæ non nubendi, vt expeditius Diaconissarum officio fungerentur.

At Patres oppositum dicunt, quod si Ecclesiæ soli facta esset sponsio, potuissent facile dispensari.

Instant: Apostolus ibidem ait: *Volo iuniores nubere.*

Respondetur, id dicere indulgendo, non imperando, vt ipse testatur: Sed de hoc infra.

Petrus Martyr dicit, locum hunc ambiguum esse, quia multis modis exponitur, & ideò ad dogma non esse aptum: deinde non damnationem sonare, sed infamiam quandam ait; seu accusationem, seu notam, eò quod non perseuerarent, & hoc è Bucero deducit.

At sancti PP. omnes veram damnationem exponunt æternam istis viduis, quæ post votum nubebant, & hoc sensu damnationem coram Deo, & hominibus vbique accipit Apostolus *Rom. 3. & 13.*

Prætérea etiam Ioannes *cap.* 3. non semel, 147
sed ter vtitur eodem verbo *κρίμα*: *Non venit filius hominis, vt iudicet mundum*, quod non significat iudicium discussionis, sed damnationis, vt ritè aduertit ibi S. Bonauentura.

Deinde aduertit, quare viduæ illæ erant infames nubendo, si nullo voto erant impeditæ?

Assero vltimò, Baptismum non esse votum. Ità D. Bonauent. *in 4. dist. 38. quæst. 2. ad primum*, & communiter Thomistæ *eadem distinctione.*

Probatur à Bellarmino *cap.* 19. *lib. 2. de* 148
Monach. argumento S. Bonauent. Vota spontanea esse debent. Sic Deuter. 23. *Si votum voueris, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris.* At promissio, quæ fit in Baptismo, necessaria est, neque de ea potest dici: *si nolueris pollicere, absque peccato eris*, Omnes enim ad Baptismum suscipiendum Diuinâ lege obligantur. Confirmatur. Vota paruulorum, à parentibus edita, rata non sunt, nisi ab ipsis, quorum nomine facta sunt, postmodum in ætate adulta confirmentur, vt docet D. Bernardus *epist. ad Robertum*; at promissio, quæ fit in Baptismo, paruulus obligat, etiamsi per alios edita: Ergo.

Confirmatur à Bellarmino ex D. Bonauent. quia cùm non sit necessarium, neque admodum vtile vouêre præcepta, non est credibile, Deum ad hæc nos voluisse obligare.

Obiicies primò, contra primum asser- 149
tum. Omnis cultus voluntarius placere non potest Deo *ex 2. Coloss.* vbi omnem superstitionem, quod Græcus habet: *Cultum voluntarium*, & Rom. 14. *Quod non est ex fide, peccatum est*; Sed ex fide non habemus, placere Deo hunc cultum: Ergo.

Respondetur Apostolum *hic* reprehendere cultus quosdam gratis inuentos absque ordine ad Diuinum obsequium, vt erant frequentes lotiones Iudæorum, & nunc Turcarum, qui ad orationem ascendunt pluries loci; hi enim cultus alibi etiam ab Apostolo reprehenduntur, & à Christo *Luca* 11. vt obseruat S. Bonauent. ad eum locum; hunc autem cultum, quem S. Doctor *in 4. dist. 13. dub.* 4. vocat superstantem, & diuturnum, ex antiquis errorem reprehendit.

Illud *Rom.* 14. intelligitur, qui agit non ex 150
conscientia; sic enim fides hîc accipitur, vt notat S. Bonauent. *in 3. dist. 23. dub.* 2. & alibi passim, & hæc est communis expositio, vt notat Bellarminus.

Obiicit secundò Pseudo-Martyr contra secundum assertum, quia in testamento nouo non inuenitur nomen voti, nec oportet; nam profitemur in Baptismo fidem Christi; quorsum ergo vota de ea? Sic enim libertas euangelica per vota minuitur. Imò fit iniuria Deo, faciendo necessaria, quæ ipse fecit libera.

RESPONDETVR facilè, in testamento nouo inueniri rem voti, vt suprà vidimus. Rectè quidem dicimur, omnia à Deo accepisse, eaque dare Deo, vt ait Concilium Arausicanum *can.* 11. quia nostræ sunt tradita potestati; hæc enim in sui obsequium accipit Deus, vt ait D.Bonauent. *quæst.* 1. *&* 2. Neque libertas Euangelica temeratur, quæ non à lege obseruanda, sed à peccato liberat, vt ait Apostolus *Rom.* 6. Neque iniuria aliqua fit Deo, se enim his delectari ostendit.

151 OBIICIT tertiò contra tertium assertum. Christiani grauius peccant violando legem, quàm Ethnici.

RESPONDETVR, grauius eos puniri ex ingrati animi culpâ.

OBIICIVNT quartò D. Augustinum *in Psal.* 75. vbi ait, voueri Diuinam legem.

RESPONDET D. Bonauent. *ad cap.* 1. *Regulæ*, ibi *vouere*, sumi latè, quod si strictè sumatur, iam hæretici audiant, se lege Dei teneri: nam ibi sic loquitur: *Vouete, & reddite Domino Deo vestro omnes communiter. Quid debemus vouere? Credere in illum, sperare ab illo vitam æternam, benè viuere secundùm communem modum. Est enim quidam modus communis omnibus, furtum non facere, adulterium non facere: Non amare vinolentiam: Non superbire: Non hominem occidere, non odisse fratrem, non aduersus aliquem texere perniciem. Hoc totum omnes vouère debemus.* Audistisnè sectarij Augustinum? itanè vobis patrocinatur?

152 OBIICIVNT quintò. Ecclesia cogit baptizatos ad legem seruandam, non autem Ethnicos, aut Iudæos: Ergo contraxère in Baptismo aliquam specialem obligationem.

RESPONDETVR, cogere, vt seruent, quatenus facti sunt filij, & membra Ecclesiæ, membra enim capiti subiecta sunt, & filius parentibus.

Restat nunc videre ex qua virtute oriatur hæc obligatio.

ASSERO quartò, eam oriri ex virtute Religionis.

153 PROBATVR à D.Bonauent. *in* 4. *dist.* 38. passim, quia per votum promittitur aliquid faciendum in Dei obsequium, quod est formale obiectum religionis.

IMPROPRIE autem dicitur actus Iustitiæ à D.Thom. *p. p. quæst.* 80. *art.* 1. quatenus religio est pars iustitiæ potentialis. Neque potest aliquis titulo iustitiæ obligare se Deo vouendo, quia inter Deum, & nos non potest vera iustitia intercedere, vt ostendi *prima primæ, Tract.* 1. *disp.* 17. *quæst.* 1. Ità Sanchez *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 8.

QVÆSTIO XII.

An impuberes VOTIS *teneantur.*

D.Bonauent. loco cit. quæst 3
D Thom art. 9.

154 IAM de subiecto Voti agendum est, quinam possint validè vouere: hoc autem dupliciter potest intelligi ex D. Bonauent. *in corpore*. Primo, vt validè voueant ex ratione intrinseca subiecti, seu ex capacitate deliberationis. Secundò, an stabiliter possint vouere, ità vt ab aliis eorum vota nequeant irritari. De priori agam in hac *quæstione*; de iis verò, qui stabilia vota edere non valent; eò quòd pendeant in subiectione ab aliis, agam in sequentibus, vbi ostendam eorum vota esse irritabilia.

155 ALIQVI tenent, impuberes non posse validè religionem vouere, idque speciale esse in hoc Voto. Ità videtur sentire Glossa *cap. mulier, v. obligauit* 32. *quæst.* 2. Abbas *cap. Scriptura, num.* 7. *de voto*. Angelus V. *votum*, 2. *num.* 6. vbi aiunt, impuberem, doli capacem, obligari omni voto, præter religionis. Et idem Abbas *cap. significatam, num.* 3. *de regular.* & Rosella V. *Nouitius, num.* 8. dicunt, votum religionis ante pubertatem non obligare, eò quòd Ecclesia illud irritum reddat. Sed hi loquuntur de voto solemni religionis.

CLARIVS videntur huius sententiæ Innocentius *cap. scriptura, num.* 3. ibi Hostiensis *num.* 7. Ioan. Andreas *num.* 4. Anton. *num.* 3. Cardinal. *num.* 6. *quæst.* 11. *&* 13. vbi dicunt votum religionis impuberum, doli capacium absque parentum, vel Tutorum licentia emissum, non obligare; secus de aliis votis personalibus, puta abstinentiæ, peregrinationis &c. Hi enim loquuntur de Voto solemni; nam hoc ante pubertatem non valet, etiam parentibus volentibus.

156 HI tamen solùm volunt, votum religionis non valere, quatenus firmum non est, sed potest irritari, vt fatetur Sanchez.

ALII censent, nulla impuberum vota valida esse. Ità Palac. 4. *dist.* 38. *disp.* 1. *fol.* 870.

TERTIA sententia est, nulla vota impuberum valere, nisi prope pubertatem. Ità Syluester V. *religio*, 2. *quæst.* 15. satis fauet circa religionis votum D.Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 9. & *quæst. vlt. art.* 5.

157 QVARTA sententia est, omnia vota impuberum post vsum rationis esse valida, si ità doli sint capaces, vt mortaliter valeant peccare. Ita Canonistæ allegati *in cap. scriptura*, Abbas, *cap.* 2. *num.* 2. *de voto*, Rosella V. *votum* 2. *num.* 2. D. Thom. 2. 2. *quæst. vlt. art.* 5. *ad* 3. *& quæst.* 88. *art.* 9. *ad* 1. Caietanus ea *art.* 9. & *summa*, *v. votum, cap.* 3. Paludanus 4. *dist.* 38. *quæst.* 3. *art.* 1. *num.* 9. & *quæst.* 4. *art.* 2. *num.* 29. D. Anton. 2. *part. tit.* 11. *cap.* 2. §. 6. & 3. *part. tit.* 16. *cap.* 2. §. 4. Armilla V. *votum, num.* 6. Sotus *lib.* 7. *de Iustitia, quæst.* 3. *art.* 2. Nauar. *summa, cap.* 12. *numero* 68. Aragonius 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 9. Manuel 1. *Tomo, cap.* 91. Azorius *lib.* 12. instit. *cap.* 16. *quæstio* 9. Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 6. *puncto* 6. Sanchez hos referens *lib.* 4. *summæ*, *cap.* 18. Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 4. *dub.* 2.

HÆC est sententia D. Bonauent. *loco cit.* quamuis enim quæstionem instituat: *Qui vouere valent*, & excludere videatur impuberes *in responsione ad secundum*; attamen ibi, & clarius *in corpore*, solùm vult, eorum vota non esse stabilia absque consensu parentum, quo ad id, quod spectat ad vitæ regimen.

158 ASSERO ergo, omnia huiusmodi puerorum vota esse valida ex se, dependenter tamen à voluntate parentum quò ad executionem, quando sine eorum licentia emissa sunt.

PROBATVR à Sanchez *num.* 5. *argumento* 2. *D. Bonauentura*, quo nituntur etiam allegati Canonistæ. Quicunque potest peccando mortaliter se dare diabolo, potest etiam voto se Christo consecrare; sed qui iam ætatem discretionis attigerunt, sunt huiusmodi; Ergo.

HOC argumento habes etiam, non tam ætatem, quàm rationis vsum considerandum, qui potest & præueniri, & posteà sequi.

QVÆSTIO XIII.

Quæ & Qualis ſit poteſtas VOTA *irritandi.*

{ D.Bonau quæſt 3.loc.cit.
D.Thom art 8.

159 CVM de obligatione votorum egerim, iam de eorum diſſolutione agendum.

TRIPLICITER autem vota diſſoluuntur extrinſecè, Irritatione, Diſpenſatione, & Commutatione; nam quando ceſſat obligatio ex mutatione materiæ, aut ceſſationis cauſæ, vel conditionis, ſeipſo deficit, & interit, quæ ſatis ex dictis colligi poſſunt.

DIFFERVNT autem, quia diſpenſatione, & irritatione extinguitur obligatio voti; at commutatione non extinguitur, ſed transfertur in aliam materiam, loco prioris ſubrogatam, quæ ſi ſit eleemoſyna, dicitur *voti redemptio*, quam eſſentialiter commutationis ſpeciem enumerant.

DVPLEX autem eſt irritatio: Altera directa, & propria, qua votum prorſus extinguitur; altera impropria, quæ dicitur voti ſuſpenſio ex materiæ prohibitione, manente illæſo vinculo voti.

160 IRRITATIO autem hæc differt ab altera, quod irritatio propria ſoli poteſtati dominatiuæ competit, qualem habent Prælati Religionum in ſuos religioſos; pater in filios; vir in vxorem; dominus in ſeruos, vt docet D.Bonau. *in corpore*, & poſt eum communiter, vt habet Sanchez *l.4. cap.24.* Impropria autem, & indirecta conuenit ratione cuiuſcumque ſubiectionis, ſiue temporalis, ſiue ſpiritualis, vt habet Suarez *Tom.2. de relig. Tract. de Voto, lib.6. cap.1. num.6.*

QVÆSTIO autem eſt: an hæc poteſtas ſit ità abſoluta, vt cauſam irritandi non exigat.

PRIMA opinio eſt, non requirere cauſam aliquam. Ita DD. viginti ſeptem apud Sanchez *lib.4. cap.24.* Subſcribit Tannerus *diſp.5. quæſt.4. 20. & 21.*

161 SECVNDA opinio eſt, requiri cauſam, quando habent poteſtatem irritandi ordinatam ad bonum vouentis, qualem obtinent Prælati religionum; non autem quando conceſſa eſt in bonum ſolius irritantis. Ita Suarez *Tom.2. de relig. tract. de Voto, lib.6. cap.1.*

TERTIA ſententia eſt, eſſe ſemper culpam venialem irritare abſque cauſa. Ita Sanchez *l.4. cap.24. num.13.* adducens nouem Doctores in eundem ſenſum.

EST Soti *lib.7. de iuſtitia, quæſt.3. art.1.* Medinæ *l.1. ſumma, cap.14. § 7.* Aragonij *2.2. quæſt.88. art.8.* Sayri *lib 6. cap.10.* Leonard. *l.2. de Iuſt. cap.40. dub.10. num.70.* Manuelis *in Bulla Cruciata, §.9. num.104.* Cortad. *in reſp. p.1. quæſt.298.* Valentiæ *2.2. diſp.6. quæſt.6. p.6.* Abul. *cap.30. Numer. quæſt.43.* Sanchez *loco citato.*

162 ASSERO cum hac ſententia, vota non ſine peccato veniali irritari abſque cauſa.

PROBATVR ratione D.Bonau. *diſt.19. dub.6. in 4.* quoad diſpenſationes, vt dixi *prima ſecunda Tract.4.* qui eſt de Legibus *diſp.5. quæſt.14.* quia remouere à Dei cultu aliquo abſque cauſa, eſt indecens, & abuſus poteſtatis. Hac ratione vtitur Sanchez *num.13.* qui dicit, eſſe peccatum veniale, quod plurimi exiſtimant etiam de petente irritationem ſine cauſa. Vide Sanchez *num.4.* Quod ſi prius data eſt licentia vouendi, & irritatur votum ſine cauſa, Suarez *l.6. de voto, cap.4.* ad finem ait, rarò eſſe lethale, niſi accedat contemptus, vel ſcandalum: Accidet Soto *l.7. quæſt.3. art.1.* Roſella *verbo votum, num.2.* Tamen Sanchez *l.4. cap. 32.* ait eſſe mortale, de quo *quæſt.13.*

PRÆCIPVA verò quæſtio eſt: an debeat eſſe dominatiua; & an ſufficiat Iuriſdictio ſpiritualis ad vota directe irritanda; quod ſi hæc ſufficeret, iam poſſet vbique Papa omnium vota irritare. 163

SVPPONO autem ex dictis *prima ſecunda, Tract.4.* qui eſt de legibus *diſp.6. quæſt.1.* Papam non habere poteſtatem dominatiuam eiuſdem in omnes Chriſtianos.

ALIQVI aſſerunt, poſſe Papam omnium omninò vota irritare, quia aiunt, omnia vota habere infitam hanc conditionem: ſi Papæ placuerit, qui eſt ſummus Paſtor, ad quem ſpectat noſtra ſpiritualis gubernatio, ſub qua vota includuntur. Idem de Epiſcopis in eorum Diœceſi colligitur *ex cap. quemadmodum, v. Conditio de iureiurando.* Præterea cui licet id, quod plus eſt, licet & quod minus eſt, *Regula, cui licet 53. de regulis iuris, in 6.* at Papa valet diſpenſare, quod eſt maius, quàm irritare, cùm illud ſit poteſtatis ſpiritualis, quæ præcellit dominatiuæ: Ergo. Id ſuſtinent Medina, *de ſacrorum hominum continentia, lib.5. cap.44.* Llmas *methodo curationis, 3.part. cap.44. §.51.* & aliquid probabilitatis huius ſententiæ concedit Leſſius *lib.2. de Iuſt. cap.40. dub.10. num.86.* Hanc refert S.Bonauent. *in 4. diſt.38 art.2. quæſt.3.*

OPPOSITA tamen ſententia eſt communis poſt D. Thom. 2. 2. *quæſt. 88. art.12.* & aliorum decem, & nouem Doctorum, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib.4. cap.24. num.18.* Idemque ex iis multi aſſerunt de votis clericorum ſæcularium, quæ ad Eccleſiaſticas res non pertinent. Adde Baſſæum 5. Ad hanc videtur S.Doctor inclinare *art.1. quæſt.3.* 164

ASSERO, non poſſe Papam irritare vota omnium fidelium.

PROBATVR à D. Bonauent. *art.1. quæſt.1.* Ad hoc neceſſaria eſt poteſtas dominatiua, qualis eſt domini in ſeruos, coniugis in coniugem, patris in filios, prælati religioſorum in ſubditos, quæ in Papa reſpectu omnium non eſt, vt ſupponit ibi S. Doctor, ideò eam omittit.

HÆC eſt ratio communis, qua vtitur Sanchez *num.18.* Dominatiuam autem eiuſdem poteſtatem non eſſe vniuerſalem oſtendi *Tract. de legibus.*

EX hac ratione deducunt multi, Papam poſſe irritare vota religioſorum, quia in eos habet poteſtatem dominatiuam. Ità D.Thom. 2. 2. *quæſt.186. art.5. ad 2.* quod de Ordine Fratrum minorum eò eſt verius, quòd S.P. Franciſcus *cap. 1. Regula*, ſpecialem obedientiam filialem promittit cum ſuis Sedi Apoſtolicæ, vt notat D.Bonauent. *in expoſitione illius capituli.* Vide DD. in Sanchez *num.20.* Suarez *lib.6. cap.2.* Baſſæo V. *Votum 5. num.2.* 165

AD oppoſita reſpondet D. Bonauent. ea, quæ ſunt ad Dei obſequium, non eſſe adeò Pontificis voluntati alligata, vt ſine eo nequeant exhiberi.

AD aliud reſpondetur, intelligi de iuramentis, non de votis; quia non eſt eadem ratio, cùm ad hæc requiratur dominatiua poteſtas; vnde poteſt diſpenſare, non irritare, neque propoſitio illa: *Quod poteſt in plus, &c.* valet in rebus diuerſi generis, vt ait D. Bonauent. cuius ſignum eſt (ait ipſe) quod homo poteſt generare hominem, non aſinum.

EST autem controuerſia: An hæc poteſtas dominatiua, quatenus in irritationem votorum extenditur, ſit de iure naturæ; an humano.

PRIMA opinio eſt, eſſe iuris Eccleſiaſtici. Ità Leſſius *lib.2. de Iuſt. cap.40. dub.10. num.74.* Vaſquez *prima ſecunda, diſp.165. cap.4. num.29.* 166

SECVNDA sententia est, esse iuris Ecclesiastici simul, & naturalis. Ità Sanchez *loco citato, num* 32.

TERTIA sententia est, esse iuris naturæ. Videtur D. Bonau. *art.* 1. *quæst.* 3. *citata in* 4. *dist.* 38. sequuntur Sotus *l.* 7. *de iustitia, quæst.* 3. *art.* 1. Aragon. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 8. Ouandus 4. *dist.* 38. *disp. vnica, prop.* 12. Sayrus *in Claui regia, l.* 6. *cap.* 10. Azor. *T.* 1. *l.* 11. *cap.* 17. Petrus Ledesma 2. *Tomo, Tract.* 10. *cap.* 7. *dub.* 2. Suarez *Tom.* 2. *de relig. Tract. de voto, l.* 6. *cap.* 6. loquens de impuberibus, & de religiosis *l.* 6. *cap.* 7. Idem tenet Salas *p.* 2. *quæst.* 21. *tract.* 8. *disp. vni â, sect.* 25. *num.* 262. loquens de parentum potestate.

SIC loquentes de Prælatis religionum asserunt Vega 2. *Tomo summæ, cap.* 120. *casu* 88. Conradus *in suis resp.* 1. *p. quæst.* 297. Manuel 2. *Tomo summæ, cap.* 89 & *qq. regul. tom.* 1. *quæst.* 25. *art.* 5. Caiet. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 8. *dub.* 3. fatentur tamen Suarez, & Ledesma, concurrere etiam ius humanum, præscribens tempus pueris.

167 ASSERO cum hac sententia, potestatem dominatiuam, votorum irritatiuam, esse de iure naturæ.

PROBATVR à D. Bonau. fundamento primo, quoad vxorem *ex cap.* 30. *Numer.* vbi dicitur, vota vxoris pendere à viri arbitrio; sed hoc non est merè positiuum: Ergo. Probatur minor primò, quia cessasset cum reliquia Mosaycæ legis merè positiuis: Ergo est explicatio iuris naturalis. Itaque omnes PP. colligunt ex eo loco hanc subiectionem mulieris erga virum quoad vota. Idem colligit S. August. *l.* 4. *in qq. Numer. quæst.* 59. quo sententiam suam probauit S. Bonau. *dist.* 32. *dubio* 3. *littera.*

168 PROBATVR secundò validissimo argumento S. Bonau. *loc. cit. in corpore*, quo cæteri vtuntur. Id, quod præciso omni positiuo iure cogit, est à iure Diuino naturali: Sed potestas dominatiua irritandi vota vxoris cogit præciso quolibet iure humano positiuo: Ergo. Minor probatur, quia vxor subiecit se iure naturali, & subditur, vt ab ipso coniuge regatur. Non enim habet potestatem sui corporis, vt ait Apostolus *prima Corinth.* 7. *& Genes.* 2.

HINC fuit effugium Sanchez, hanc subiectionem inducere solam irritationem impropriam, quamdiu impedit: Est enim matrimonium vinculum perpetuum.

169 PROBATVR tertiò quoad impuberes à D. Bonau. *fundamento* 2. *& in corpore* ex natura pueri, qui ob sui iudicij imbecillitatem sub potestate parentum, & sub tutoribus est, tanquam pars eorum, imò tanquam nihil differens à seruo, vt habetur *ad Galat.* 4. & hoc natura ipsa docet.

RESPONDET Sanchez *num.* 31. hanc subiectionem non impedire alias promissiones grauiores, & irreuocabiles, nisi probetur læsio; cùm tamen in votis adsit remedium dispensationis; at promissiones ab impuberibus factæ, nequeunt à parentibus irritari, vt patet de sponsalibus. Secundò, pupillus cum homine contrahens obligatur, quæ obligatio irritari à patre nequit, & filiosfamilias pubes independenter à patre homini obligatur naturaliter, & ciuiliter. Quæ omnia ob dispositionem iuris ciuilis, ità statuentia, fiunt.

170 PRÆTEREA quia subiectio naturalis solam irritationem impropriam suspensionis tribuit, & hoc quando votorum executio subiectionem illam impedit, vt habet *num.* 28.

TANDEM quoties obligationem indefinitam iuris naturalis determinet ius humanum, dicitur absolutè obligare de iure humano, vt constat in præcepto confessionis annuæ, & seruandi alicuius festi; ea enim determinatio est tanquam forma specificans illud præceptum.

AT hæc friuola sunt: Et primò quidem sponsalia ita permutantur, vt non transeant ad effectum matrimonij, nisi post pubertatem. Et tunc quidem est maturum ad id iudicium, nec in his subditur parentibus, nam dicitur Genes. 2. *Propter hoc relinquet homo patrem, &c.* subiectio autem impedit in his, quæ illi subiectioni, vel parti illius repugnant, vt notant D. Bonau. & alij.

AD id de pupillo, & minori respondetur, falsum 171
esse assumptum, alioqui iniquæ essent leges, quæ tuentur pupillum, ne soluat id debitum.

RESPONDET Sanchez *lib.* 6. *de matrimonio, disp.* 38. *num.* 36. leges non esse iniquas, sed eam legem tueri, vt fas sit illi hoc debitum naturale elidere, vtendo aduersus illud priuilegio restitutionis.

AT non video, qua ratione his verborum inuolucris soluat argumentum; nam iniquum est priuilegium eximens à restitutione, naturaliter debita.

QVOD verò addit, subiectionem naturalem tribuere solam irritationem impropriam, non autem propriam: Respondeo iam *num.* 4. asseruisse potestatem dominatiuam esse fundamentum potestatis ad vota irritanda; hæc autem potestas in patre naturalis est ad filium.

QVOD verò addit de præceptis Indeterminatis, 172
falsum est, & vt exemplo confessionis vtamur, si determinaretur essentialiter ad ius humanum, iam non teneremur peccata merè interna confiteri: quando ergo determinatur essentiale aliquid, puta materia, vel forma, tunc trahitur ad esse humanum, non quando determinatur quoad ea, quæ omninò extrinseca sunt, puta tempus, &c. sic igitur, licèt impubertas iure naturæ sit fundamentum naturale talis dependentiæ à patre; at determinatur tempus à iure humano, non quidem vt aliquod tempus naturaliter subiectum elidatur, sed vt declaretur, quo tempore aptus sit filius ex se vouere naturaliter. Itaque Lex solùm declarat ius naturale, quod cùm in ætate hominis variante situm sit, habet plurimum dubij, vt benè aduertunt Sanchez *num.* 19. Suarez, & Ledesma suprà citati. Neque hoc erat parentum arbitrio relinquendum.

PROBATVR quartò à D. Bonau. *loc. cit. & fun-* 173
damento vltimo, quoad seruos, quia id, quod oritur ex dominio naturali, est naturale; sed hæc potestas oritur ex dominio, quod est naturale in seruum, vt ipse Sanchez concedit: Ergo. Scio, interuenisse ius gentium in captiuitate; at seruitus in hoc statu est naturalis, vt dixi *Tract.* 3. *de Legibus, Disput. de Iure gentium, prima secunda.*

RESPONDET Sanchez ante *numerum* 32. ea subiectione solùm induci in Dominio potestatem impropriam irritationis, suspendentia vota, in quantum nocent. Idem de vxoribus, & filiis ait.

AT de vxoribus sanè absona est responsio, quia 174
cùm vinculum sit perpetuum, non alia, quàm irritatio propria exigitur. Simile est de filiis; serui autem, quamdiù serui sunt, eandem obligationem perpetuam habent quoad ea, quæ sunt suæ seruitutis. Neque enim volumus seruitute omnia bona spiritualia impediri, vt notat S. Bonau. *loc. cit.* sed ea, quæ cum statu seruitutis pugnant, & saluti necessariis non obstant.

QVOAD Religiosos probatur à D. Bonau. *fundamento* 3. *in corpore.* Per voluntariam obedientiæ promissionem ità prælato subduntur, vt respectu dispositionis suæ voluntatis sint tanquam pupilli sub tutore. Ideo *c. si religiosus, de electione in* 6. dicuntur

religiosi,

religiosi, non habere VELLE, aut NOLLE, & ita consuetudo omnium religionum interpretata est hanc subordinationem religiosi ad prælatum.

175 RESPONDET Sanchez, obligationem illam suæ voluntatis solemnem; esse è iure Ecclesiastico, & eo solo iure talem obedientiam reddere irritum, quod fit, & hoc apparet in votis simplicibus, quæ ex determinatione Ecclesiastica obtinent vim irritandi, vt in societate Iesu. Vrget: quia ea subiectio solam arguit potestatem irritationis imperfectæ. Addit, religiosus non subdere voluntatem suam in omnibus.

176 AT esto solemnitas voti, vt religionem talem constituat, requirat ius Ecclesiasticum, tamen obligatio voluntatis, facta in obsequium Dei illi homini, iure naturali Diuino cogit quò ad promissa, in his sanè, quæ repugnant illi subiectioni; promissio autem est in omnibus, quæ sunt infra religionem, vt notat D.Bonauent. *in corpore*, neque ideò vult, potestatem irritandi extendi vltra potestatem dominatiuam, quæ in prælato est ad omnia regenda; esto non præcipienda ex Sanchez. Vide *quæst*.19. finem versus. Atque promissio rata religiosi ex natura rei naturaliter ex vi fidelitatis cogit; alioqui reuiuiscerent vota, quod Sanchez *lib*.4. *cap*.26. *num*.4. non concedit, & est contra Ecclesiæ totius praxim, & *cap*.29. *num*.29. ex natura dominationis colligit potestatem irritandi directè in regula data *cap*.26. *num*.4.

QVÆSTIO XIV.

De potestate Religiosorum Prælatorum ad VOTA *irritanda.*

¶ D.Thom. art 8.

177 SVPPONO primò, opera voto promissa, quibus subiiciuntur; absque licentia Prælati, validum votum facere. Ideò *cap. monacho*, 20. *num*. 4. non dicitur vota huiusmodi esse irrita, sed frangenda, idest irritanda, quæ ratio de aliis etiam militat, nam cùm ea materia nullo pacto sit interdicta, & sit bona, & apta voto emittendo, & quamdiù non interdicitur, sita sit in vouentis potestate; sequitur, ea vota esse licita, & obligare, quousque interdicantur à superiore. Ità censent communiter Canonistæ *in cap. scripturæ*, & viginti sex Theologi, quos allegat & sequitur Sanchez *lib*.4. *cap*.25. *num*.6. cum D. Bonauent *in* 4. *dist*.38. *art*.1. & *in corpore*, vbi ait, nil posse hos vouêre, quod sit stabile ex his, quibus subduntur voluntati prælati.

178 QVOD si materia sit interdicta; nec super formale veriti ceciderit promissio, quæ esset illicita, vt *v. g.* peregrinatio versus Hierosolymam, incipiet valere accedente consensu prælati. Ità plurimi è suprà indicatis Doctoribus.

SVPPONO secundò è contra, Prælatum, qui vouendi aliquid licentiam dedit subdito, posse reuocare licentiam, dum adhuc non vouit, quia nullum ius est acquisitum. Ità D.Bonauent. *in* 4. *dist*. 32. *dubio* 4. *litteræ*, & alij quos sequitur Sanchez *lib*. 4. *cap*.17. *num*. 1.

QVÆSTIO prima est: An possit suam reuocare licentiam postquam votum est emissum, nondum tamen executioni mandatum; & illud irritare.

179 PRIMA opinio est negatiua. Ità Richardus *in* 4. *dist*.38. *art*.4. *quæst*.3.

COMMVNITER tamen conceditur à decem, & nouem Doctoribus, quos allegat, & sequitur Sanchez *loco cit. num*. 9. Idem de votis vxoris asserunt alij, apud eundem.

ASSARO affirmatiuè cum hac sententia, quæ est communis, vt ait Bassæus V. *Votum* 4. *num*.8.

PROBATVR à Sanchez. Simili vinculo aut strictiore tenetur religiosus prælato, quam vxor viro. 180 Sic etiam D. Bonauent. *in* 4. *dist*. 32. *in dubiis litt*. hæc vincula inter se assimilat: sed potest maritus reuocare vota, quæ ex sua licentia vxor emisit: Ergo. Minor probatur à D.Bonauent. ibi *dubio* 3. ex cap.30. Numer. *Si audiens vir tacuerit, & in alteram diem distulerit sententiam: quidquid vouerat, atque promiserat, reddet; si autem contradixerit postquam rescivit, portabit ipse iniquitatem eius*. Vbi, licèt non dicat scriptura, vxorem esse à culpâ immunem, dum viro contradicente non seruat votum; at tacitè id significat, dum ait, culpam vxoris redundare in virum, & ità intelligunt hunc locum D. Augustinus *lib*. 4. *quæst* 59. *in Numer*. vt refert D.Bonauent. & refertur *cap. Manifestum*, 33. *quæst*.5. & à D. Ambrosio *lib. de paradiso*, *cap*.10. & refertur *cap. fin*. 33. *quæst*. 5. & Gloss. ord. *in eundem locum Numer*. & ibi Hugo litt K. & multi alij relati à Sanchez *lib*.9. *de matrimonio*, *disput*. 40. *num*.41. id tenuerunt.

HANC autem esse irritationem perfectam, vt vo- 181 ta nunquam reuiuiscant, ratio est D. Bonauent. *in* 4. *dist*.32. *dub*. 3. quia is, qui habet ius irritandi vota, non renunciat illud, concedens facultatem illam vouendi: Ergo tanquam Dominus retinet potestatem irritandi. Antecedens probatur, quia potest ad bonum commune, aut subditi, conducere illa retractatio; at Prælatus ob priorem voluntatem non renunciauit suæ potestati ordinariæ ad bonum religionis, vel sui subditi: Ergo potest postea retractare. Ità probatur etiam à Sanchez *cap*.27. *num*.9. Ideò id sentiunt Sanchez *num*.19. Caietanus 2.2. *quæst*.88. *art* 8. *dub penult*. Sotus *lib*.3. *de iustitia*, *quæst*. 3. *art*.2. Manuel 3. *Tomo summæ*, *cap*.90. & alij. Sanchez autem *lib*.4. *cap*.27. *num*.32. ex *loco adducto Numer*. 32. vbi dicitur, iniquitatem non exequendi votum, ex licentia mariti emissum ab vxore de aliqua abstinentia, redundare in virum, deducit, eum, qui absque causa irritat votum, editum è sua licentia legitima, peccare mortaliter: hæc enim dicitur iniquitas, quæ de veniali non dicitur, neque dicitur iniquitas transgressionis voti, quæ mortalis est. Adducit Caietanum 2.2. 182 *quæst*.88. *art*.8. *dub*.2. Nauar. *summa*, *cap*.12. *num*.73. Sayrum *lib*.6. *cap*.10. *num*.12. Anglem 2. *part. quæst. vnica de voto*, *art*.7. Aragon.2.2. *quæst*.88. *art*.8. *post* 6. *concl*. Lopez *p.p. Instruct*. *cap*. 48. Manuelem 2. *Tomo summæ*, *cap*.89. Llamam *in methodo*, *curat*.3. *part*. *cap*.4. § 43. Corradum *in resp. p. p. quæst*.303. Petrum de Ledesma 2. *Tomo summæ*, *tract*. 10. *cap*. 7. *dub*.2. Ratio est, quia dans licentiam, confert rem illam Deo: Ergo auferendo, iniurius est, & sacrilegus.

D. BONAVENTVRA *eo dubio* 3. *dist*.32. non 183 videtur premere eam viri, (relati *cap*. 30. *Numer*.) retractationem, quam Suarez respondet vocari iniquitatem materialiter, quæ est non obseruantia voti, à muliere emissi: Inclinat Bassæus *num*. 9. & ratio est quia vtitur iure suo, & ablato voto, cessat obligatio.

HÆC tamen responsio non placet Sanchez, quia satis impropriè non obseruantia, quæ non est transgressio, & culpa, diceretur iniquitas.

RESPONDETVR tamen, nomine iniquitatum includi etiam venialia, quo sensu *cap*.18. dixerat Aaroni: *Tu, & filij tui portabitis iniquitatem Sanctuarij*, vbi Origenes ex antiquo reddit: *iniquitates sanctorum*, neque cooperatur Prælatus vouenti in ratione vouentis; alioqui relaxans, teneretur votum implere

implere,iuxta id Psalm.75. *Vouete , & reddite* , quod nullatenus concedit Sanchez *cap. 27. num.33.* Ideò dico cum Suarez , esse veniale ; & idem asserit Diana *Parte 4. Tract.4. resol.*110. Ratio tamen Bassæi petit principium.

Difficultates autem aliquæ soluendæ sunt.

PRIMA est : An religiosi prælatus posset irritare votum subditi transeundi ad strictiorem religionem.

184 RESPONDETVR , negari *ex cap. licet , de regular.* vbi ius Canonicum dat facultatem huius transitus , facultate petita , licèt non obtenta ; In professione enim, qua subditus tradit suam voluntatem prælato excludit hoc.Ità Sanchez *lib.4.cap.32.n.2.* secum afferens decem , & octo Doctores. Est ferè communis sententia , vt ait Bassæus V.*Votum 5. num.*8.

SECVNDA est : An cætera vota possint Prælati irritare.

RESPONDET Sanchez *loco cit.* posse , exceptis votis , quæ ad religionem spectant ; hæc enim irritatio dicit implicantiam , & exceptis his , quæ adnectuntur illis , qualis est in Minimorum religione abstinentia quadragisimalis. Est communis Theologorum sensus apud Suarez *lib.6. cap.*8. Filliuc. *tract.26. num.*245. Nauar. *cap.12. num.*73. Reginaldus *lib.18. num.*304.& Bassæum *num.9.*

185 TERTIA difficultas est ; an possit Prælatus irritare votum subditi de aliquo peccato vitando.

PRIMA opinio est negatiua , quia in his quæ spectant ad non offendendum Deum , nil habet potestatis Prælatus , cui non tenemur obedire ; etiam in religione strictissimæ obedientiæ Minorum , in his, quæ sunt contra Deum , vt habetur *cap. 10. regula.* Ita senent multi apud Sanchez.

OPPOSITA tamen sententia est posse. Ità D. Thom. 2.2. *quæst.88. art.8. ad 3. & in 4. dist.38. q.1. art.1. quæstiuncula vltima , ad 3.* quem sequuntur vigintiquinque Doctores , quos refert, & sequitur Sanchez *cap.33. num.7.*

186 RATIO est quia licèt non subdatur religiosus prælato quò ad illam materiam præcepti de non furando , &c. subditur tamen quò ad nouam obligationem ; neque aliquid est contra Deum , dum Prælatis sinit eum subditum seruare præceptum non furandi, licèt auferat nouam obligationem. Hoc autem posse omnes prælatos etiam minores , imo etiam inter fœminas Priorissas ostendit Sanchez *loco citato.*

DE his latè agit Fagundez *in secundum præceptum Decalogi , lib.2. a capite 34.*

QVÆSTIO XV.

An vir possit irritare omnia Vota vxoris, vltra Votum castitatis.

¶ D.Thom. art 8.

187 FVNDAMENTVM difficultatis est , an vxor subdatur viro solùm quo ad materiam promissam, atque adeò sola vota de materia , præiudicanti coniugio in ratione coniugij,sint in potestate viri ; an verò subdatur viro etiam quò ad totam rationem voluntatis , qua vouet ; atque adeò vir possit quodcumque votum vxoris irritare , quippe emissum à voluntate non sui dominâ.

PRIMA opinio est, vxorem ratione solius materiæ promissæ subdi viro , ac proinde virum sola vota præiudicantia sibi , & domesticæ gubernationi, posse irrita reddere. Ità Abbas *cap.litteras , n.*27. Innocentius *cap. scriptura de voto* , vbi Hostiensis, Ioan. Andr. *num.4.* Anton. *num.* 3. Cardinal *quæst.* 14. Anchar. *num.* 13. Hugo *cap. manifestum , 33. quæst.* 5. Vincentius *speculo doctrinali , tom. 2. lib. 9. cap.* 86. Turrecremata *dicto cap. manifestum , num. 2. & cap. sunt quædam 17. quæst.1. num.* 9. Carthus. *ad cap.20. Numer.* D. Antonin. 3. *part. tit. 1. cap.22. §. 1.* Angel.V. *votum 2. num.*8. Syluester V. *votum 5 . quæst.2.*
Tabiena V. *matrimonium 1. quæst.2.§.4.* Maytonus 4. 188
dist.38. particula 1. concl.2. Monaldus *summa , Tract. de voto , tit. de voto coniugatorum* , Nauar. *summa, cap.11. num.64.* Margarita confess. *fol.*135. Palac.4. *dist.38. disp.3. fol.* 987. Valentia 2.2. *disp.6. quæst.6.*
puncto 6. Lopez *p. p. Instruct.cap.47. §.vltimo* , Graff. 101
p.p.decis.lib.2. cap.29.n.8. & part.2.lib.2. cap.2. numero 43. Viualdus *Candelabro , sacram.3.part. cap.14. num.*100. Philiarc. *de offic. sacerd. tom.1. part.2.lib.3. cap.*18. Ioan. Hessles. *in expositione , Decal. cap.14.de secundo præcepto Ecclesiæ.* Azor. *lib.* 11. *Inst. cap.17. quæsito 12. & cap. 16. quæsito vltimo* , Lessius *lib.2. de iustitia , cap.40.disp.10. num.* 83. Saytus *in claui , reg. lib.6. cap.5. num.8. & cap.10. num.*19. Llamas *methodo curationis 3. part. cap.4. §.23.* Suarez *Tom.2. de religione , Tract. de voto , lib.3. cap.6. num. 26. & lib.6. cap. 4. num.2.* & alij apud Basilium Poncium *de matrimonio , lib.10. cap.17.* & Dianam *loco citando.* Syluius *quæst.* 88. *art.* 8. Rodriquez *cap.* 92. Filliucius *tract. 26. num.*235. & Bassæus V. *Votum 5. n.5.*

Altera sententia è diametro asserit , mulierem sub- 185
di viro, etiam quo ad ipsam voluntatem ; atque adeò posse eum omnia vxoris vota irritare , constante matrimonio emissa , pro tunc implenda , si absque eius licentia facta sint. Ità D.Thom.2. 2. *quæst.88. art. 8. ad 3.* Gloss. *cap. manifestum , V. nisi author ; ibi* Gratianus , *§.ex promissis* , Gloss. ordin. & Hugo ad 33. *Numer.* Durandus *in 4. dist.38. quæst.1. art.1. num.7.* & excludendo solum votum moderatæ eleemosynæ, de cæteris idem docent Abbas *cap. scriptura , num.8. de voto* , Paludanus 4. *dist.38. quæst.3. art.2. concl. 6. num.* 10. Abulens. *quæst.84. ad 30. Numer.* Rosella *verb. votum , num.8. & 10.* supplem. Gabr. 4. *dist.32. quæst. vnica , art.2. concl.7.* & posse omnia , excepto voto de rebus necessariis , vt de non mentiendo tenet Angles *flor.2.part. quæst. de voto, art. 7. diffic. 9.* Denique hanc sententiam tenet Maior 4. *dist.* 38. *quæst.4. dub.2.* Sotus *lib.7. de iustitia , quæst.3. art.1.* Brunellus *de sponsal. concl.30. num.14.* Alcozer *summa , cap.16. fol.36. pag.* 2. Stunica *de voto , quæst.3. num.74.* Manuel 2. *Tomo summa , cap.90. num.9.* Ara-
gon.2.2. *quæst.88. art. 8. fol.*1020. Sà V. *votum* , vbi 190
de voti irritatione , §. 1. Petrus Ledesma *de matrim. quæst.64. art.4. dub.2. concl.1.* Vega 2. *Tomo summa, cap.129. casu 93. & 94.* & eam tutam , & probabilem asserit Lessius , & Lopez , pro sententia priori adductus , licèt sit de rebus necessariis , vt de non mentiendo. Ità Sotus , Stunica , Aragon , Manoel, Vega, & Ledesma cit.quos refert & sequitur Sanchez *lib.9. de matrim. disp.39. & lib.4. Decal. cap.34.* & Diana *part.2. Tract.4. resol.*220. volens eum posse irritare vota etiam castitatis , edita constante matrimonio , vbi alios citat.

HÆC est S.Bonauenturæ præcipua sententia , vt notat Sanchez , nam *in 4. disp. 22. dub.3. littera* , ait, virum non posse irritare votum continentiæ vxoris, eò quòd in hoc sint pares ; & statim subdit : Nec est simile de voto abstinentiæ , pro eo quod quantum ad omnia præest vir vxori , præterquam in lege thori, in qua sunt æquales. Idem tenet *disp.38. quæst. 3.* eundem citat , & sequitur Fagundez *in 2. præcepto, lib.2. cap.38.* multos alios allegans.

ASSERO

ASSERO igitur cum hac sententia, posse maritum irritare omnia vxoris suæ vota, absque licentia ipsius modo suprà dicto emissa.

191 PROBATVR à D. Bonauent. *ll. cc.* primò ex cap. 30. Numer. *Si maritum habuerit, & vouerit aliquid; si audiens vir statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes eius: propitius erit ei Dominus. Vxor in domo viri cùm se voto constrinxerit, si audierit vir, & tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcumque promiserat; sin autem extemplò contradixerit, non tenebitur promissionis rea*, ex quo textu S. Bonauent. deducit id de omni voto spectante ad regimen vitæ. Ita legunt LXX. Vatablus, & Pagninus, non quidem de omni, includendo etiam votum castitatis, vt mox quæstione sequenti ostendam; sed de voto spectante ad abstinentiam, aut religiosam conuersationem, vt exponit D. Ambrosius *lib. de Paradi-*
192 *so, cap. 10.* & refertur *cap. finali 33. quæst. 5.* ibi euidentissimè. Itaque apparet, ita virum esse caput mulieris, vt nulla vota abstinentiæ, vel religiosæ conuersationis liceat sibi sine eius licentia Deo offerre; & ratio D. Bonauent. qua vtuntur posteri, est, quamquè affert Sanchez *num. 4.* quia, quamuis quò ad actum coniugalem vir, & vxor pares sint; in cæteris tamen: *vir est caput mulieris*, Ephes. 5. Et *mulier sub viri potestate est*, Genes. 3. omnes autem actiones corporis subduntur capiti, ab eoque gubernantur. Vnde fit, vt viri sit gubernare mulierem, ne imprudenter voueat. Quare subdidit Deus voluntatem eius viro, quia mulier leuis est ad vouendum.

193 SANA secundus textus loquitur de solo abstinentiæ voto, non de omni vniuersaliter, vt vult Sanchez *num. 4.* neque D. Augustinus, ab eo allegatus, vniuersaliter (vt ipse ait) interpretatur, sed de solo abstinentiæ voto, vt notat D. Bonau. cit. *dist. 32.* Sic enim loquitur D. Augustinus *lib. 4. in Numer. quæst. 59.* & refertur *cap. noluit 33. quæst. 5.* ibi: *Noluit itaque lex mulierem aliquid vouere, vt non in aliqua rerum licitarum abstinentia in eisdem votis fœmina valeat authoritas, sed virilis*, & cap. manifestum, eadem quæst. 5. quod est D. Augustini: *manifestum est ità voluisse legem, fœminam sub viro esse, vt nulla eius vota, quæ abstinentiæ causa vouerit, reddantur ab ea, nisi auctor vir fuerit permittendo.*

VBI aduertas, finem esse interpretem legis: quia ergo (ait S. Augustinus) noluit Deus, vt in abstinentiis à rebus licitis niteremur fœminæ authoritate, voluit sancire vota fœminarum à viris irritabilia; supple in eo genere, vt in posteriori loco euidentius ostenditur.

194 OBIICIVNT primò; eatenus subditur voluntas vxoris viro, quatenus se extendit lex matrimonij; at ita non respicit omnia, sed ea sola, quæ ad cohabitationem in ordine ad suscipiendam prolem, & domum regendam ordinata sunt, cur ergo voluntas vxoris ita subiectatur, cùm neque ipsi serui dominis, nedum impuberes parentibus subiiciantur? Neque enim filij in omnibus Patri subduntur, vt ait Abbas *cap. litteras, num. 27. de restit. spoliat.*

RESPONDET Sanchez *num. 9.* ex doctrina D. Bonauent. *locis adductis*, virum in toto regimine vitæ præesse mulieri, excepta lege thori, in qua sunt æquales. Itaque ad regimen vitæ conducit, ne fœmina, quæ leuis indolis est, maximè ad deliberandum, extra prudentiæ limites erumpat; ideò debet assistere vir, qui naturà est prudentior.

195 OBIICIES secundò. Prælatus religionis non potest irritare votum subditi de transitu ad arctiorem religionem; cur ergo potest maritus irritare vota vxoris de perfectione, vel de vitando peccato, cùm magis subdatur religiosus prælato, quàm vxor viro?

RESPONDET Sanchez, in hoc eximi religiosum per iura, sicut & filius puber in voto religionis; ideò ait Innocentius *cap. scriptura, de voto, num. 3.* & Antonius *ibidem*, Patrem posse irritare omnia vota personalia filij, excepto voto religionis: at vxor non eximitur à toto; eò quòd ad regimen vitæ conducit. Cùm autem vita coniugum in maxima pace, & maximo amore esse debeat, oportuit, remoueri ea omnia, quæ possent hanc pacem perturbare, vt sunt votorum obligationes, ad quas præcipuè fœminæ propendunt. Ideò *Genes. 3.* dicitur Euæ: *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, & Apostolus ad Ephes. 5. *mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris: sicut Christus caput est* 196 *Ecclesiæ*; sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ità & mulieres viris suis in omnibus. Vbi ponderanda sunt vltima verba, quæ subiectionem vxoris viro asserunt in omnibus. Itaque sicut omnes actiones corporis in suo regimine subduntur capiti, ab eoque gubernantur; & sicut Ecclesia subiicitur Christo; ita vxor viro in toto regimine vitæ, vt peracutè colligit S. Bonauent. *in 4. dist. 32. dub. 1. littera*, & post eum Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 34. num. 3.* qui ità progreditur: Sicut recta religionis gubernatio postulat, vo- 197 luntatem subditorum subiici prælato in omnibus obligationibus additis, nec huic plenæ subiectioni obstat, non posse omnia subditis præcipi, sed ea sola quæ sunt secundùm regulam, nec omnia interdicere; ita etiam recta, & pacifica gubernatio domus postulat plenam vxoris viro in omnibus subiectionem, quo ad obligationes nouas sibi imponendas, ne perturbetur pax, & recta gubernatio. Nec huic plenæ subiectioni obstat, virum non posse præcipere, nec interdicere omnia. Hæc Sanchez, quibus satisfit eius argumento allato *quæst. 11.* in fine, quo nitebatur probare, religiosum ex natura sua non subdi quò ad votorum irritationem, quia non tenetur obedire in omnibus.

Respondet enim Sanchez hic, vt vidimus.

DECVIT autem hæc subiectio mulieris ob eius 198 multa onera, vnde *Numer.* 30. eodem disponit modo irritanda à Patre vota puellæ in domo, ac vxoris à viro, cùm maiori assistentia prudentiæ egeat vxor ad domus regimen. Subditur ergo in his votis vxor, excipe si diuortio diuidantur legitimè ob alterius fornicationem; nam eo durante neuter potest vota alterius irritare. Ideò *Numer.* 30. allegato, dicitur: *Vidua, & repudiata, quidquid vouerint, reddent.* Vbi aduertit Abulens. & Sanchez *lib. 5. de matrimonio, disp. 39. num. 8.* pari conditione positam viduam iam solutam, & repudiatam.

CONFIRMATVR, coniugem adulterum non 199 posse irritare vota innocentis coniugis, quia ius amisit, ità vt possit eo inuito religionem intrare, vt habetur *cap. Agathosa, 27. quæst. 2.* non tamen ante, & adulterio secuto, quia adhuc innocens non expressit, se velle iure suo vti. Similiter nec innocens potest, quia durante diuortio, cedit iuri suo. Vide Sanchez.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XVI.

An possit vir irritare Votum Castitatis ab vxore emissum absque licentia, constante matrimonio, & pro tunc implendum.

200 CERTVM est, votum vxoris de non reddendo debito esse nullum, quia est contra legem matrimonij. Quæstio ergo esse potest solùm, an votum de non petendo debito valeat à viro irritari.

PRIMA opinio est affirmatiua. Ita D. Thom. *in 4. dist. 31. in expositione litteræ*, & ibi Palud. *quæst. 2. art. 2. num.* 17. Ioan. de Friburgo *summa confessorum, lib. 1. tit. 8. quæst. 35.* Sotus *in 4. dist. 32, quæst. 1. art. 3.* & *lib. 7. de Iust. quæst. 3. art. 1.* Aragon. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 8. *fol.* 1021. Nauar. *summa, cap. 12. num.* 16. Reginaldus *lib. 18. num.* 304. & 312. Stunica *de voto, quæst. 3. num.* 59. Gutticr. *quæst. can. lib. 2. cap. 21. num.* 49. Philiarc. *de offic. sacerd. tomo 1. part. 2, lib. 3. cap.* 4. Manuel 1. *Tomo summæ, cap. 243. num. 8.* & 2. *Tomo, cap. 90. num. 3.* Gomez *super Bullam Cruciata, clausula* 10. *num.* 67. Vega 1. *Tomo summæ, cap. 159. casu 12. & 93.* Saytus *Claui reg. lib. 6. cap. 5. num.* 13. Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 39. num. 10. & lib. 4. summa, cap. 34. num.* 19. Diana *Parte 2. Tract. 4. resol.* 120. alios referens, Fagundez *lib. 2. Decal. cap.* 37. & Bassæus V. *Votum 5. num.* 6.

201 SECVNDA sententia est D. Bonauent. *in 4. dist. 32. dub. 3. litt.* quem sequuntur Glossa *cap. Manifestum 33. quæst. 5.* vbi Hugo, & Archidiac. in fine Hugo Cardinal. *Numer. 30. in fine Litt. K.* Vincentius *in speculo Doctrinali, tom. 2. lib. 9. cap.* 86. Palud. *in 4. dist. 38. quæst. 4. art. 2. concl. 5. num.* 23. vbi Mayro *concl. 2. part.* 1. Caietanus *summa, V. votum, cap. de conditionibus ex parte vouentis*, & opuscula *Tom. 1. tract. 31. septemdecim responsionum, resp. 14. dub.* 4. Syluester V. *Votum, 4. quæst. 2. dicto* 4. Nauar. *summa, cap. 12. num.* 64. Ledesma *2. part. 4. quæst. 66. art. 4.* Palac. *4. dist. 32. dub. 2. fol.* 717. Angles. *flor. 2. part. quæst. de voto, art. 7. diffic.* 9. Petrus à Ledesma *de matrim. disp. 94. art. 4. dub.* 1. Valentia *2. 2. disp. 6. quæst. 6. de voto, puncto 6. quæst. vlt. de votis subditorum*, Lopez *p. p. Instruct. cap. 47. fine*, Ioannes Hesals. *in expositione Decal. 2. præcepto, cap.* 14. quibus relatis Sanchez *loc. cit. de matrimonio*, ait, esse satis probabilem sententiam hanc negantem.

202 ADHÆREO cum hac sententia, non posse votum non petendi debitum ab vxore emissum, à marito irritari.

PROBATVR à D. Bonauent. *in 4. dist. 32. dub. 1. & 3. litt.* Vir non habet dominium in vxorem quò ad actum coniugalem, sed quò ad eum sunt pares *cap. gaudemus, de diuort.* & *cap. si quis vxorem, 32. quæst.* 1.

RESPONDET Sanchez *num.* 12. licèt coniuges sint pares quò ad obligationem reddendi, & libertatem non petendi, & ita materia illa non sit viro subiecta; at quo ad illam nouam obligationem vxor subditur viro, tanquam capiti, cuius est eius voluntatem dirigere, ne imprudenter agat.

AT potestas primò debet esse super materiam, super quam cadat voluntas, ideo enim suprà quæstiones instituit Sanchez: An superiores possint solùm in materiam debitam *v. g.* vir in materiam spectantem ad matrimonium; an etiam in voluntatem. Id habet Sanchez præcipuè *lib. 9. de matrimonio*, Voluntas enim in ordine ad materiam aliquam subiicitur, neque moderanda relinquitur voluntas viro, cùm à iure sit ipsi vxori in hoc integrè subiecta, imò ex natura rei, & ex vi coniugij, ex quo coniux tenetur sanè reddere petenti, at petere liberè potest: Et sic respondetur etiam argumento Sanchez.

OBIICIT secundò illam scripturam *ex 30. Numer.* & expositionem D. Augustini.

RESPONDETVR ex dictis *quæst. præcedenti*, 203
scripturam loqui semel de abstinentia, & semel de regimine, extra thorum; nec D. Augustinum aduersariis fauere, vt ostendi.

INSTAT Sanchez ex Abbate *cap. Carissimus, num. 5 de conuers. coniug.* nomine abstinentiæ claudi continentiam *per cap. si tu abstines. 27. quæst. 1.* ibi: *si tu abstines sine vxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam*, &c.

AT hæc extra rem sunt: Nam licet aliquando
verbum *abstinet*, in materia subiecta carnalis copulæ
significet etiam abstinere ab ea, sicuti in materia
homicidij, & aliis, dum explicatur materia, à qua
abstinetur; tamen verbum genericum est, quod ex
vsu pro abstinentia à cibis vsurpatur, & ei appropriatur,
& multò magis, si addatur materia cibi, aut ieiunij,
ut ponitur *in cap. illo.* Itaque non sequitur regula,
quod in aliis etiam materiis vbique extendatur
ad abstinentiam à carnalibus, quia est verbum improprie
illam significans, quæ proprie dicitur Continentia;
Eoque minus in loco *Num. 30.* vbi de abstinentia
à cibis est sermo; ait enim: *Si vouerit, vt per* 204
*ieiunium, vel cæterarum rerum abstinentiam affligat
animam suam*, puta secundùm legem Nazareorum,
abstinere à vino &c. Sic exponit D. Augustinus, relatus
quæst. præcedenti. Manifestum est itaque voluisse
legem, fœminam sub viro esse, vt nulla eius vota,
quæ abstinentiæ causa vouerit reddantur ab ea, nisi
author vir fuerit permittendo. Dicit autem *quæ abstinentiæ
causa vouerit*, ad distinctionem voti continentiæ,
ut notat ipse Sanchez *num.* 4.

QVÆSTIO XVII.

Vtrum possit Vir irritare Vota Vxoris, sine sua licentia emissa, implenda tempore soluti matrimonij.

VNIVERSALITER de omnibus habentibus potestatem dominatiuam disputatur à Sanchez *lib. 9. de matrimonio, cap. 29. num.* 24. Ideò & nos omnia hæc de re definiemus. 205

PRIMA sententia est, neque virum coniugem, neque vllum alium dominatiuâ potestate præditum posse ea vota irritare. Ita Caietanus 2. 2. *quæst. 88. art. 8. dub. penultimo* Angel. *votum* 2. Nauar. *summa, cap. 12. num.* 66. Aragon. 2. 2. *quæst. 88. art. 8. fol.* 1021. Angles *flor. 2. part. quæst. de voto, art. 7. diff. 8. concl.* 2. Lopez *p. p. Instruct. cap.* 48. Manuel 2. *tomo summæ, cap. 79. num. 8. & 90. num.* 10.

SECVNDA sententia est, posse irritare vota eorum tantùm, qui subditi sunt, non solùm quò ad materiam voti, sed etiam quò ad voluntatem, Ita vt non habeant *velle*, aut *nolle*. Ita Syluest. *verb. votum 4. quæst. 2 dicto* 5. Sà *verbo votum.* Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 6. puncto 6. quæst* 5.

TERTIA sententia asserit, posse omnes superiores ea vota irritare. Ita Sotus *lib. 7. de Iust. quæst. 3. art. 1.* Alcozier *summa, cap. 16. concl.* 9. Lopez *p. p. Instruct.* 206

Instruct. cap.50. Vega *Tom.1. cap.129. casu 20.* & de votis vxoris tenet Stunica *de voto, quæst.3. num.76.* Sanchez *lib.9. de matrim. disp.39. num.16.* adducens hos, & alios.

Excipiunt tamen Sanchez, & alij votum serui, adducentes Lopez *loco cit.* & Tostatum *q.91. ad cap.30. Numer.*

Excipit etiam Ludouicus Lopez votum castitatis, factum ab vxore pro tempore, quo sui iuris erit implendum, aitque, non posse à viro irritari; at contra sentiunt Sanchez, Sotus & Stunica suprà.

207 Qvoad votum religionis, respondet Sanchez *num.* 19. Si hoc votum emissum est ab vxore post initum matrimonium ante illius consummationem, tunc implendum, ait, non posse irritari, quia est votum per quod eximenda est vxor à viri potestate, & soluendum matrimonium. Atque se habet ad instar voti facti à religioso transeundi ad arctiorem religionem. Si verò emissum est in tempore soluti matrimonij, siue matrimonio consummato, siue non consummato, posset vir illud irritare. Addit *num.* 20. alia vota facta ab vxore ante consummationem matrimonij, dum habet votum etiam eximendi se à potestate viri, & transeundi ad religionem, posse irritari, quia nondum vxor liberata est à potestate viri. Vide etiam Fagundez *in secundum præceptum, Decal. lib.2. cap.38. num.9.*

208 Qvid senserit D. Bonauent. non adeò clarum est; arbitror tamen, eum cum prima sententia stare, quia *in 4. dist. 39. quæst. 3.* vbi *in corpore, & ad 1.* duo requirit, vt stabile votum edatur. Alterum est libertas voluntatis ad votum edendum, & hanc haberi ait etiam tempore subiectionis: Alterum est ad exequendum; & hoc habetur tempore, pro quo editum est votum.

Assero cum hac sententia, vota tempore libertatis exequenda, irritari non posse tempore subiectionis.

209 Probatvr argumento D. Bonauent. *loco cit.* quia superior potest irritare vota; eò quòd sit dominus materiæ, & voluntatis, ad summum pro vt cadit super materiam promissam, quæ ideò censetur in potestate Domini; sed dominium tale non est super votum editum pro tempore libertatis: Ergo. Minor probatur, quia si consideretur votum in ordine ad voluntatem, ea libera est independenter à creatura, cuius signum est, quod nullum dominium legitimum aufert libertatem; si verò consideretur in ordine ad materiam, cùm non sit in potestate Domini, sed sit pro tempore, quo potest liberè eam exequi, quippè eam habet in sui potestate; non potest à dominio vsurpari superioris.

Respondet Sanchez *num.* 21. sufficere si persona sit subiecta, & materia voti tempore, quo emissum est votum; licèt obligatio executionis dilata sit ad tempus libertatis.

Hæc tamen responsio non est solida, quia subiectio formalis venit à subiectione ad summum voluntatis, pro vt voluntas vouet: atque adeò super illam materiam. Cùm igitur hac ratione voluntas non sit subdita, cùm non feratur in materiam subiectam, vt putat Sanchez; nam illa materia pro eo tempore potest esse non existens, & contingens, vt, si vxor voueat pro tempore viduitatis, eum statum assumere, qui pro suo profectu spirituali à suo Episcopo sibi suadebitur, non uideo quid iuris habeat vir circa hoc.

210 Vrgeo; si voueat relgionem ingredi, cui voto non video quomodo dominetur maritus; eodem enim modo ab eius potestate eximitur, sicuti religiosus, vouens transitum ad strictiorem religionem, eximitur à potestate superioris præsentis. Diana *parte 4. Tract.4. resol.29.* ait; se olim putasse, aliquos probabiliter censere, patrem posse irritare votum religionis emissum à filio, post annos pubertatis exequendum, quia impuber est in plena patris potestate.

Sanchez hoc argumento validè se premi fatetur; respondet tamen; si votum sit emissum constante matrimonio rato, non consummato, & pro tunc implendum, non posse irritari, quia eo casu vxor eximenda est à viri potestate, ac matrimonium soluendum, vt patet, & probant Theologi præcipuè D. Bonauent. *in 4. dist.32. quæst.2.* ex *cap. Præterea de conuersione coniugatorum*, si verò emissum sit ante, vel post consummatum matrimonium, sed implendum tempore soluti matrimonij, posse virum id irritare. Ratio disparitatis huius cum voto religiosi vouentis transitum ad strictiorem, est, quia per hoc votum Religiosus eximitur omninò à potestate superioris illius ex iure; non sic vxor pro eo voto. 211

At effugium hoc præcluditur, quia, sicut religiosus ille stabiliter vouet, quia voto illo à iure eximitur, vt ad statum perfectiorem transeat, ità mulier iam exempta est, cùm voueat id, quod non subiacet, quò ad impletionem, ipsi viro, qui de eius regimine post facta curam non potest habere. 212

QVÆSTIO XVIII.

An possit vir irritare Vota vxoris, ante matrimonium emissa.

Ex doctrina supra allata D. Bonauenturæ deducitur, vota adimplenda tempore matrimonij subiacêre potestati viri, etiamsi ante matrimonium edita; tunc enim in materiam, vt implendam per voluntatem sibi tunc subditam, & in voluntatem, quæ debet implere, habet dominium. Qua ratione vtitur Sanchez *disp. 39. num.25. lib.9. de matrimonio.* Hæc propriè irritatio non est, vt dicam etiam *quæst. sequenti*; sed suspensio. Ideò hanc sententiam tuentur vigintiocto Doctores, relati à Sanchez *loco citato.* 213

Assero itaque, vxoris vota, ante matrimonium facta, sed post implenda, posse à marito irritari, demptis tamen casibus infrà dictis. Probatur primò ex D. Augustino *lib.4. quæst.56. in Numer.* & habetur *cap. noluit 33. quæst.5.* ibi: *Ita si adhuc innupta concesserat pater vota persoluere, si antequam persolueris nupserit, & viro eius hoc cognitum non placuerit, non persoluat, & hoc omnino sine peccato.* Hoc est fundamentum D. Bonauent. quod indicat *dub. illo* 3. eoque nititur *quæst. illa 3. dist.38.* 214

Excipe tamen vota realia, edita ante matrimonium, v.g. eleemosynæ, quæ vouit ante matrimonium; si tamen erat sui iuris.

Secvndo excipe votum castitatis, ante matrimonium ab vxore emissum; id enim à viro nequit irritari, quoniam illud votum continet duo, nempe non exercere actum venereum, nec petendo, nec reddendo, quò ad secundum, non indiget irritatione. Nam fortiori matrimonij vinculo cogitur reddere. Quò ad primum irritari nequit à viro, quia materia petendi non est viro subiecta, ita vt prohibere possit, aut præcipere debitò petitionem, sed mulier est libera, & sui iuris in hoc. Nec actus liber, quo mulier 215

eam sibi obligationem imposuit, est sub viri dominio, & potestate, quoniam est iam Deo consecratus, & quando fuit elicitus, non habebat potestatem prohibendi, ne eliceretur. Itaque etiam post mortem coniugis valet, vt probat S. Bonauent. *in 4. dist.* 38. *art.* 2. *quæst.* 1. quem sequuntur omnes Doctores allegati pro D.Bonauent. *quæst.* 14. quibus adde Sanchez *disp.* 39. *citata*, *num.* 17. Quare id falsò negat Ioan. de Friburgo *summa*, *lib.* 1. *tit.* 8. *quæst.* 35.

216 EXCIPE tertiò votum Religionis ante matrimonium ab vxore emissum; non enim poterit à viro irritari; Quia si matrimonium non est consummatum, tenetur illud votum adimplere, vt probat D.bonau. *in* 4. *dist.* 32. *quæst.* 2. & habetur *cap. Praterea de conuers. coniugatorum.*

SI verò sit consummatum, non indiget pro tunc irritatione, quia pro tunc impleri nequit, vt probat D.Bonauent. *loco cit.* Nec potest irritari pro tempore, quo erit sui iuris, quando iam tenebantur implere. Quia materia illa non erat subiecta tempore, quo promissa est, nec actus liber; nec subiicitur etiam materia tempore, quo votum implendum est.

217 NOTAT Sanchez *num.* 31. si mulier ante matrimonium obligationem aliquam contraxit, vir non potest illam irritare propter ius homini acquisitum: Ratio differentiæ est, quia vir, vel alius superior non gerit vices hominis, cui ius acquisitum est, vt possit illud remittere, & irritare, aut gerit vices Dei, cui ius per votum acquiritur.

QVÆSTIO XIX.

An Vota vxoris, absque licentia viri facta, soluto matrimonio reuiuiscant.

218 CERTVM est, vota omnia legitimè irritata, non redire, itaque ante irritationem legitimam habere esse corruptibile, vt notat D.Bonauent. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 3. & post eum Valentia 2. 2. *disput.* 6. *quæst.* 6. *puncto* 6. *quæst.* 4. & Sanchez *lib.* 9. *de matrimonio*, *disp.* 39 *num.* 33. nam irritatio extinguit obligationem; at obligatio semel extincta minimè reuiuiscit *leg. cum ex causa*, *Cod. de remiss. pignor.* atque adeò si reuiuisceret obligatio, signum est, fuisse imperfectè irritata, & solùm suspensa.

NOTA autem, votum irritari, vel ratione dominij in voti materiam, vel ratione dominij etiam in voluntatem vouentem. Quando irritatio fit ratione solius dominij in materiam, si materia totaliter, & in tota sua duratione materiæ voti subiacet illi superiori, irritatur perfectè, contra aliquos. Si verò materia non adæquate totaliter, subiacet superiori, eò quòd vel ante fuerit in potestate Dei ex vi voti, tunc non subiacet illa materia perfectæ irritationi, atque adeò suspenditur solùm pro tempore dominij durantis. Quando verò irritatio oritur ex dominio in materiam, & voluntatem, tunc perfecta est irritatio; dominium autem non debet sumi in voluntatem nudam, sed in voluntatem, prout cadit super materiam voti, vt dixi suprà.

219 ASSERO primò, vota omnia, constante matrimonio emissa ab vxore, & pro tunc implenda, si à viro irritentur, non reuiuiscere. Ità D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 3. Abbas *cap. scriptura*, *num.* 7. *de voto*, Caietanus 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 8. *dub.* 4. Abul. *quæst.* 86. *ad cap.* 30. *Numer.* Angelus V. *votum*, 2. *num.* 12. Syluester V. *votum*, 4. *quæst.* 2. *dicto* 3. & 4. Armilla V. *votum*, *num.* 12. Sotus *lib.* 7. *de Iust. quæst.* 3. *art.* 1. Nauar. *summa*, *cap.* 12. *num.* 66. Lopez *p. p. Instruct. cap.* 48. Philiarc. *de offic. sacerd. tract.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 4. Vega *Tom.* 2. *cap.* 129. *casu* 95.

HOC asserunt Sotus, Nauar. Philiarc. & Lopez etiam de votis seruorum, qui subduntur, non quoad voluntatem, sed quò ad materiam tantùm: Contra Rosellam V. *votum* 2. *num.* 7. & 13. Valentiam 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 6. *puncto* 6. *quæst.* 1. & alios.

PROBATVR à Sanchez *num.* 36. argumento D.Bonauent. relato *quæst.* 14. quia vxor non modò quò ad materiam, sed etiam quò ad voluntatem in omnibus, excepta lege thori, ita viro subdita est, vt omnia eius vota ab ipso valeant absque spe, aut obligatione reuiuiscendi, irritari; sed hæc conceditur ab omnibus perfecta irritatio: Ergo. 220

ASSERO secundò, vota edita ab vxore, vel alio subdito, tempore libertatis reuiuiscere.

PROBATVR, quia neque voluntas, neque materia tempore vouendi subdebatur viro, vel alij domino: Ergo solam habet potestatem super executionem tempore sui dominij. Ità Sanchez *loco cit.* Oppositum tamen tenet Ioan. Præp. cum Diana citandis *quæst. sequenti.*

HÆC supponunt, mulierem tempore voti fuisse liberam, nam si erat sub aliorum potestate, quid agendum, dicam *quæstione* 21.

ASSERO tertiò: Tempore diuortij vota emissa à reo, etiam castitatis, & religionis, possunt ab innocente irritari, neque censentur facta; sicuti vota ante matrimonium. 221

PROBATVR, quia innocens habet ius, cui non potest reus coniux derogare, quia diuortium factum est in fauorem innocentis, ac dependeniat ab eius voluntate. Si verò innocens coniux voueat, censendum est, sicut de votis emissis ante matrimonium, quia innocens est ineptè sui iuris absque aliqua obligatione, esto vinculum perseueret matrimonij, vt notat Sanchez *num.* 41. post S.Bonauent. *in* 4. *dist.* 35. *quæst.* 1. præcipuè *ad secundum.*

QVÆSTIO XX.

An possit vir irritare Vota vxoris ex sua licentia edita: omitto votum Castitatis.

PRIMA opinio est vniuersaliter negantium. Eos refert Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 40. & de Prælatis religionum asserit Richardus 4. *dist.* 38. *art.* 4. *quæst.* 3. & eo excepto, de cæteris dominantibus asserit Philiarcus *de offic. sacerd. tract.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 4. 222

VNIVERSALITER verò de omnibus votis etiam Castitatis id asserit Diana *Parte* 4. *Tract.* 4. *resol.* 110. adducens Ioannem Præpositum Modernum *in* 3. *part. D.Thom. quæst.* 6. *de bonis matrimonij*, *dub.* 20. *num.* 153. & hoc, etiamsi vxoris vota essent implenda tempore soluti matrimonij.

OPPOSITA tamen sententia est D. Bonau. *in* 4. *dist.* 32. *dub.* 3. *litt.* Gloss. ord. *Numer.* 30. Hugo ibi, *littera K.* Richardus *in* 4. *dist.* 32. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 1. Hostiens. *summa*, *tit. de voto*, Abbas *cap. Charissimus*, *num.* 4. *de conuers. coniug.* & *cap. scriptura*, *num.* 8. *de voto*, Henricus *num.* 6. Vincent. *spec. doctrin. Tom.* 2. *lib.* 9. *cap.* 86. Turrecrem. *cap. sunt quadam* 17. *quæst.* 1. *num.* 19. & *cap. manifestum*, *num.* 3. D. Antonin. 3. *part. tit.* 1. *cap.* 22. Caietanus *summa*, *v. votum*, *cap. vltimo*, Angelus *votum* 2. *num.* 10. Armilla V. *votum*, *num.* 12. Adrianus 4. *quæst.* 14. *de matrimonio*, 223

Nauar.

Nauar. *summa*, *cap.* 12. *num.*61. & 73. Nicolaus de Orbell. 4. *dist.* 38. *quæst.*1. §. 7. Brunellus *de sponsal. concl.* 30. *num.* 14. Alexander *in En bir*, 2. *præcept. tract. de voto*, Iuan. Heilleß. *in expositione*, *Decal.* 2. *præcepto*, *cap.* 14. Graff. *p.p. decis. lib.* 2. *cap.* 29. & 2. *part. lib.* 2. *cap.* 12. *num* 27. Lopez *p.p. Instruct. cap.* 48. Innocentius *cap. scriptura*, *de voto*, Gratianus *dict. cap. manifestum*, § *ex præmissis*, Maior 4. *dist.* 38. *quæst* 4. *dub.* 2. Rosella V. *votum* 3. Syluester V. *votum* 4. *quæst.* 2. *dicto* 6. Caietanus 2.2. *q.* 88. *art.* 8. *dub.* 2. Sotus *lib.* 7. *de Iust. quæst.* 3. *art.* 2. Bartholomæus a Ledesma *dub.* 20. *de matrim. concl.* 1. Palac. 4. *dist.* 38. *dub.* 3. *fol.* 872. Stunica *de voto*, *quæst.* 3. *num* 62. Nieuo *summa*, *tit.* 135. Angles *flor.* 2. *part. quæst. de voto*, *art.* 7. *post* 9. *difficul dub.* 1. Aragon. 2.2. *quæst.* 88. *art.* 8, *fol.* 1019. Valentia 2.2. *disp.* 6. *quæst.* 6. *puncto* 6. *quæst.* 3. Sà *verbo votum*, Manuel 2. *Tomo summæ*, *cap.* 90. Vega 2. *tomo summæ*, *cap.* 129. *casu* 22. & 91. quos adducit, & sequitur Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 40. *num.* 4. & Bassæus V. *Votum* 5. *num.* 6.

ASSERO cum hac sententia, posse virum irritare vota vxoris de licentia sua edita.

224 PROBATVR à D.Bonauent. primò, ex *cap.* 30. *Numer.* vbi dicitur: *Si vouerit, vt per ieiunium, & cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam, in arbitrio viri erit, vt faciat, siue non faciat. Quòd si audiens vir tacuerit, & in alteram diem distulerit sententiam: quidquid vouerat, reddet; Si autem contradixerit postquam rescinit, portabit ipse iniquitatem eius.* Vbi Scriptura immunem constituit mulierem à transgressione voti imperatâ à marito, dum culpam, quæcumque ea sit, in maritum transfert, vt infert S. Bonauent. & post eum Caietanus *ibi*, ac Sanchez.

225 PROBATVR secundò à D.Bonauent. ex D.Augustino *lib.* 4. *in Numer. quæst.* 59. & refertur *cap. manifestum*, 33. *quæst.* 5. ibi: *nam cum ad peccatum eiusdem viri pertinere voluerit lex, si prius permiserit, & postea prohibuerit, non tamen dixit, vt faciat mulier, quæ vouerat.* Idem habet D Ambrosius *lib. de Paradiso*, *cap.* 10. & refertur *cap. fin.* 33. *quæst.* 5. ibi: *etiamsi viro permittente repromissa fuerit, non licet ei votum opere complere, cum vir voluerit reuocare promissum.*

RATIO fundamentalis, quâ cæteri nituntur, est; quia vir etiam post datam vxori licentiam adhuc præest eius voluntati, neque ob datam illam indiuiduam facultatem renunciauit iuri voluntaria vxoris; maximè verò quia, cùm eius regimini sit destinatus, potest aliqua occurrere causa, prudenter dictans, reuocandam facultatem datam. Idem de cæteris dominantibus vrget.

OBIICIES. Licentia illa transfert dominium illius actionis indiuiduæ in subditum.

226 RESPONDETVR cum D.Bonauent. non transferri dominium, sed tantùm pro tunc concedi facultatem vtendi eâ voluntate, & re, seruando ibi regimen prudens, cui occurrere potest ratio reuocandi facultatem.

AN verò peccet lethali culpâ irritans votum, è sua licentia emissum, nulla præcedente causa; Sanchez asserit *num.* 7. plures afferens.

AT solam in eo casu venialem interuenire asserui; & probaui *quæst.* 13. refellens argumenta Sanchez.

QVÆSTIO XXI.

An possit maritus Votum Castitatis vxoris, ex licentia sua editum, reuocare.

PRIMA opinio est affirmatiua. Ità Abbas *cap.* 227
Charissimus, de conuers. coniug. cap. 5. Sotus *lib.* 7. *de Iust. quæst.* 3. *art.* 1. & *quarto sent. dist.* 31. *quæst.* 1. *art.* 3. vbi Palac. *dist.* 2. *fol.* 717. Stunica *de voto*, *fin.* 3. *n.* 62. Bartholomeus à Ledesma *dub.* 71. *de matrim.* Aragon. 2.2. *quæst.* 88. *art.* 8. *fol.* 1021. Vega 2. *Tomo sum. cap.* 129. *casu* 22. & id posse, quando adest periculum incontinentiæ, ait Ledesm. 2. *part.* 4. *quæst.* 66. *art.* 4. Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 40. *num* 17. Diana *parte* 2. *Tract.* 4. *resol.* 110. alios referens. Idem sentit Fagundez *in secundum præceptum*, *Decal. lib.* 2. *cap.* 37. Bassæus 5. *num.* 6. Loquuntur post consummatum matrimonium inito.

SECVNDA sententia est negatiua. Ità D.Bonau. 228
in 4. *dist.* 32. *dub.* 3. *litt.* D. Thom. ibidem *ad litt.* Albertus Magnus *art.* 6. Richardus *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 1. Paludanus *quæst.* 2. *art.* 2. Gratianus *cap. manifestum*, §. *ex præmissis*, 33. *quæst.* 5. & ibi Turrecrem. Ioan. de Friburg. *summa*, *confess. lib.* 1. *tit.* 8. *quæst.* 45. Adrianus 4. *quæst* 14 *de matrim.* D. Antonin. 3. *part. tit.* 1. *cap.* 22. §. 3. Rosella V. *votum* 3. *num.* 2. Pisan. verb. *votum* 3. §. 3. Syluest verb. *votum* 5. *quæst.* 2. Tabien. V. *matrim.* 1. §. 4. Nauat. *sum. cap.* 12. *num.* 61. Philiarcus *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 4. Manuel 2. *Tomo summæ*, *cap.* 90. qui intelligit, in quantum votum præiudicat viro; vnde ait, non licere irritare, vt mulier possit petere.

ASSERO cum hac sententia, votum castitatis, ab vxore cum mariti licentia emissum, non posse denuò ab eo irritari.

PROBATVR à D. Bonauent. Radix, & ratio, 229
qua nititur facultas irritandi vota, est potestas dominatiua, vt etiam aduersarij fatentur; at coniux non habet potestatem dominatiuam super vxorem in his, quæ spectant ad ius thori, cùm sint æquales, vt habetur *cap. Gaudemus*, *de diuort. cap. si quis vxorem*, 32. *quæst.* 2. & fatetur Sanchez *lib.* 4. *sum. cap.* 34. *num.* 19.

RESPONDET ibi Sanchez, licet æquales sint in iure petendi, & reddendi; attamen quo ad illam obligationem, quæ accidentaria est, vxorem subdi viro, cuius est eam regere, ne imprudenter agat.

AT hoc effugium præclusum est *quæst.* 15.

PROBATVR secundò ex D. Ambrosio *lib. de* 230
Paradiso, *cap.* 10. & refertur *cap. Nec* 33. *quæst.* 5. ibi: *Vota verò continentiæ ita alterius permissu ab altero valent offerri, quòd post permissionem non valent in irritum deduci.*

RESPONDET Sanchez, D.Ambrosium intelligi, quando vterque mutuo consensu castitatem vouet.

AT profectò hæc Glossa est contra textum, ibi enim D. Ambrosius, & Canon antithesim componit, asserens; virum, quia caput est mulieris, posse super vota abstinentiæ, & religiosæ conuersationis suæ vxoris, cuius vota de his materiis emissa, etiamsi data à se illi facultate, potest irritare; vota verò continentiæ nequaquam. Ideò etiam de voto castitatis mutuo loquitur. Hæc sunt verba: *Euidentissime itaque apparet, ita virum esse caput mulieris, vt nulla vota abstinentiæ, vel religiosæ conuersationis liceat sibi sine eius licentia Deo offerre:*

231 *etiamsi viro permittente repromissa fuerit, non licet ei votum opere complere, cùm vir voluerit reuocare permissum. Vota vero continentia ita alterius permissu ab altero valent offerri, quòd post permissionem non valent in irritum deduci.* Vbi fallitur forsan Sanchez, quia dixit: *alter alterius*; sed hæc relatiua respiciunt supra dicta nomina eo ordine, nempe vir vxoris vota, &c.

Obiicit Sanchez *num.* 17. primò. Licèt vir non sit dominus materiæ illius promissæ, sed in illa sit æqualis vxori; at tanquam caput, est Dominus actus illius liberi, quo vxor tempore subiectionis se obligauit voto illo. Et quamuis ex consensu viri sit Deo consecrata, id confert, vt vir irritans absque causa peccet mortaliter, non tamen vt irritatio sit nulla, quia illâ licentiâ datâ non amisit dominium illius actus liberi. Sic & Bassæus.

Respondetur, virum quò ad actum illum non esse caput mulieris, vt bene docet Sanchez *disp.* 39. *num.* 10. laudans hoc dictum Durandi, tanquam verum; ideò non est cur laboret in aliqua dominatione tenenda quò ad hanc promissionem, circa quam ius non amisit; quia illud non habuit.

232 Ex his sequitur, multò minus posse maritum reuocare votum vxoris, quando mutuo consensu vouerunt castitatem. Ità D. Augustinus *epist.* 199. *ad Ecditiam*, & refertur *cap. quod Deo*, 33. *quæst.* 5.

Oppositum tamen tenent Palac. 4. *dist.* 32. *dub.* 2. *fol.* 717. & quidam alij, teste Aragonio, *loco citato.*

Idem tenet Ioan. Præpositus *in* 3. *part. D. Thom. quæst.* 6. *de bonis matrimony*, *disp.* 20. *num.* 113. quem proponit Diana *Parte* 4. *Tract.* 4. *resol.* 110. vt inde Confessarij possint sedare hac probabili opinione aliquos scrupulis agitatos.

233 Probatur, quia contractus per easdem causas dissoluuntur, per quas fiunt, *cap.* 1. *de regul. iuris*, vbi de omnibus rebus id asseritur.

Respondet Sanchez *num.* 23. obstare votum ne licitè ea remissio fiat, etiam ex iusta causa.

QVÆSTIO XXII.

An Vir possit irritare Vota Vxoris, edita sub præcedenti dominatione patris, vel primi viri.

234 Assero primò, posse maritum irritare vota vxoris, quæ poterant irritari à præcedenti æquali dominatione.

Probatur, quia vir succedit in locum Patris, & Tutoris, & æquiualet primo viro. Itaque cùm votum illud factum sit à fœmina, dum adhuc erat sub potestate, & solidè non poterat vouere stabile votum, sequitur, irritari perfectè à succedente præcedenti dominationi. Idem de aliis dominantibus dic. Vide Sanchez *disp.* 41.

235 Assero secundò. Vota facta de licentia prioris mariti, quæ poterant irritari ab illo, possunt etiam à succedente. Idem de aliis superioribus dic, dummodo succedant æquales. Ità habet D. Augustinus *lib.* 4. *in Numer. quæst.* 59. & refertur *cap. noluit*, 33. *quæst.* 5. & ibi Hugo Archid. & Bellamera, ac Sanchez *disp.* 41. *num.* 16. Vide ipsum.

QVÆSTIO XXIII.

An possit Vxor aliqua viri vota irritare, & quæ.

{D. Bonauent. in 4. dist. 32.

Aliqui sanè existimant, nulla vota viri, & ab eo emissa absque licentia vxoris, posse ab ea irritari. Videtur Soti *lib.* 7. *de Iustitia*, *quæst.* 3. *art.* 1. Est autem Ledesmæ *quæst.* 64. *art.* 4. *dub.* 2. *concl.* 2. & aliorum Recentiorum eruditorum opinio. 236

Vera tamen sententia est, posse mulierem irritare ea viri vota, quæ sibi præiudicant, vel quæ ad moderatam debiti redditionem, vel quæ ad mutuam cohabitationem spectant. Ità D. Bonauent. *loco cit.* quem imitantur Glossa *cap. manifestum*, *v. nisi author*, 33. *quæst.* 3. ibi: Hugo Archidiac. Bellamera, Hostiensis, V. *summa*, *tit. de voto*, §. *Quis vouere possit*, *num.* 8. & *cap. scriptura de voto, ad finem.* Vbi Innocentius, Ioan. Andreas, Antonius, Abbas, Anchar. & Cardinalis *quæst.* 14. Abulensis verò *quæst.* 83. *ad* 30. *Numer.* & *quæst.* 149. *ad cap.* 6. *matth.* D. Antonin. 3. *part. tit.* 1. *cap.* 22. §. 1. Maior 4. *dist.* 38. *q.* 4. *dub.* 2. suppl. Gabrielis 4. *dist.* 32. *quæst. vnica*, *art.* 1. *notab.* 3. Rosella *votum* 2. *num.* 9. Angel. *ibi*, *num.* 8. Syluester 5. *quæsito* 1. *& v. lex* 8. *tit.* 8. Gregorius Lo- 237
pez *lib.* 3. *v. el marido*, *eodem tit.* Margarita confess. vbi de voti irritatione *folio* 135. Manuel 2. *Tomo cap.* 90. Nauar. *summa*, *cap.* 12. *num.* 64. Stunica *de voto*, *quæst.* 3. *num.* 60. Toletus *lib.* 4. *summa*, *cap.* 18. Aragon. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 8. *fol.* 1020. Graff. *p. p. decis. lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 8. Philiarc. *Tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 18. Ludouicus Lopes *p. p. Instruct. cap.* 47. §. *vlt.* Canned. *summa de sacram. tract. de matrimonio*, *cap.* 8. *num.* 74. & supponit Valentia 2. 2. *disput.* 6. *quæst.* 6. *puncto* 6. *quæst. vlt.* & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 42. & alij, quos refert *lib.* 4. *summa*, *cap.* 34. *num.* 20. ex quibus est Paludanus 4. *dist.* 38. *quæst.* 4. *art.* 2. *conclus.* 3. Lessius *lib.* 7. *de iustitia*, *cap.* 40. *dub.* 10. *num.* 83. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 9. *& cap.* 10. *num.* 20. Suarez *Tom.* 2. *de religione*, *Tract. de voto*, *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 8. Corcardus *in resp.* 1. *part. quæst.* 304. Fagundez *in* 2. *præceptum*, *lib.* 2. *cap.* 37. *n.* 20. alios referens, cum Bassæo V. *Votum* 3. *num.* 6.

Quæ autem sint hæc vota, dicam in assertionibus.

Assero primò, posse vxorem irritare votum castitatis, editum à viro absque sui licentia.

Probatur à D. Bonau. argumento primo, quo cæteri nituntur: Ea vota potest irritare vxor, quæ præiudicant dominio, quod habet in corpus viri; sed habet potestatem in corpus viri, quò ad debitum petendum, cui præiudicat votum castitatis: Ergo. Maior est clara; Minor est Apostoli *prima Corinth.* 7. 238

Probatur secundò à D. Bonauent. ex D. Augustino *lib. de bono coniugy*, *cap.* 6. *Tom.* 6. *&* 7. & super *Psalm.* 46. & habetur, 33. *quæst.* 5. *cap. si dicat*, & *epistola* 45. *ad Arment. tomo* 2. & aliis locis, vt notatur *in magistri dist. cit.*

Probatur tertiò à D. Bonauent. quia sequeretur, posse cogi vxorem ad continentiam, quod prohibetur, 33. *quæst.* 5.

Assero secundò, non posse virum absque vxoris licentia vouere religionem; & ideò votum hoc ab vxore posse irritari. 239

Probatvr

Probatvr à D.Bonauent. ex dictis, quia sic tollitur ius vxoris petendi debitum, & cohabitatio.

Probatvr præcipuè à S. Doctore *dist.* 32. *dub.*3. ex prohibitione Ecclesiæ vniuersaliter, etiamsi obtenta licentia, alter tantùm voueat; hoc enim illicitum est. Quod si absque licentia fiat, irritatur. Ità definit Alexander III. Landulpho Corsicæ scribens *cap.* 2. *quæst.* 1. *citata* 33. *causa*. Ratio est, quia non potest cogere vxorem ad continentiam; quæ est Consilij, vt notat S.Bonauent. *ad vltimum*.

Probatvr tertiò *fundamento vltimo*, *hic*, quia sicut seruos subditur in his, quæ sunt debita, ita vt si ex Iustitia se obligauerit, & sit ligatus, non possit religionem intrare, præiudicans debitis suo Domino; ità nec mulier, aut vir.

240 Assero tertiò, non posse vxorem irritare votum castitatis viri, quo ad debitum petendum. Patet ex dictis *quæst.*15. & 19. Quia ad hoc vterque habet suum ius inuiolabile. Ità D. Bonau. *in corpore*, quem sequuntur Bellar. *in* 4. *disp.* 38. *dub.*2. *fol.*717. Angles *flor.* 2. *part. quæst. de voto*, *art.* 7. *post* 9. *diff. dub.* 2. Siunica *quæst.*3. *de voto*, 60. Gomez *in Bulla Cruc. clausul.* 10. *num.* 67. & omnes, qui relati sunt *quæst.* 15. & 19. dicentes neque virum posse hoc votum vxoris irritare.

Ex his aliqui aliquam disparitatem assignant, quia mulier ob pudorem, viro non petente, retrahitur à copula, quia non audet petere. Ità Henriquez *lib.*25. *de matrimonio*, *cap.*13. *num.* 8. Manuel 2. *Tomo summæ*, *cap.*90. Philiar; *tract.*1. *part.* 2. *lib.*3. *cap.*4. Vega 2. *Tomo summæ*, *cap.* 129. *casu* 93. & dicit esse probabilissimum. Aragon. *loco cit. fol.* 1021. Videtur Nauar. *cap.* 15. *summa*, *num.* 60. cum hac restrictione, nisi sit votum non petendi in fauorem sui, sed tantùm, quando mos est gerendus alteri coniugi; & videntur idem tenere alij indistinctè dicentes, posse alterum coniugem illud votum cassare. Hi sunt Gutier. *quæst. can. lib.* 2. *cap.*22. *num.* 49. Manuel 1. *Tomo summæ*, *cap.*243. *num.* 8. Ludouicus Lopez *p.p. Instruct. cap* 46.

241 Assero quartò, posse vxorem irritare vota viri circa abstinentias, & similia, quæ moderatæ redditioni debiti grauiter præiudicant: sequitur ex dictis, & tenent Canonistæ *cap. scriptura*, vbi Innocentius Ioan. Andreas, Anton. Anchar. Abbas, Henriquez, & Cardinalis *quæst.* 14. Gloss. *cap. manifestum*, 33. *quæst.* 4. vbi Archidiac. & Turrecremata, Hostiens. *summa*, *tit. de voto*, §. *Qui vouere possit*, & alij multi Theologi, relati à Sanchez *lib.* 9. *de matrimonio*, *disp.* 3. *numero septimo*.

Assero quintò: non potest vir edere vota de longis peregrinationibus absque vxoris consensu. Ità D.Bonauentura.

242 Probatvr à S. Doctore *ad* 1. quia *cap. ex multa*, §. *in tanta de voto*, conceditur viro, vt possit absque vxoria consensu vouere peregrinationem in subsidium terræ sanctæ, vbi Gloss. V. *viri*, & Abbas *n.*8. dicunt, esse specialissimum casum in fauorem terræ sanctæ, & non habere locum, quando peregrinatio esset sollus gratiâ deuotionis. Ità docent Antonius *cap. Scriptura*, *num.* 3. *de voto*, vbi Abbas *num.* 8. D. Antonin. 3. *part. tit.*1. *cap.* 22. Rosella *votum* 2. *num.*8. Syluester *votum* 5. *quæst.* 1. Abul. *cap.*30. *Numer. quæst.*83. Mannel *summa* 2. *Tomo*, *cap.*90. *num.*7. Angles *flor.* 2. *part. quæst. vnica de voto*, *art.*7. *post* 9. *diff. dub.*3. *concl.* 1. Aragon. 2. 2. *quæst.*88. *art.*8. *fol.*1020. Quæ omnia obseruat S.Bonauent. *loco citato*.

Probatvr secundò à D. Bonau. quia vxor, & vir debent cohabitare, nec absque licentia concessa ex magna necessitate separari diutiùs *cap.* 1. *de coniug. lepros.* ibi: *Cùm vir, & vxor vna caro sint, non debet alter sine altero diutius esse*.

Si tamen magna necessitas sit, potest abesse, vt ob bellum graue Principis sustinendum, vel, vt dixi, causâ peregrinationis ad subsidium terræ sanctæ, potest enim (vt innui) vir vxore inuitâ vouere. Habetur expressè *cap. ex multa*, §. *in tanta de voto*. Nec factum est omnino præiudicium vxori, quia potest sequi virum, quod si nequeat, iustum est, vt ad tempus contineat fauore tanti boni Ecclesiæ, vt notat Sanchez *disp.*4. *num.*16. *lib.*9 *de matrimonio*, post D. Bonauent. *loco citato*. 243

An verò etiam vxor inuito viro simile votum emittere valeat. Quidam asserunt, si non adsit periculum incontinentiæ ob ætatem maximè, & si sit diues, vt auxilia possit afferre. Ità sentiunt plurimi relati à Sanchez *loco cit. num.*17.

At D.Bonauent. nil de hoc, quasi non sit par ratio, & meritò, quia impar est discrimen castitatis; impar incommodum Ecclesiæ, & necessitas assistentiæ. Ità D.Thomas *ibi*, *dist.* 32. *quæst. vnica*, *art.* 3. *ad* 1. & alij, quos sequitur Sanchez *loco citato*.

Qværas: An abstinentiæ, & alia, reddendo debito grauiter nocua, sint ipso iure irrita; an potius valida, donec irritentur. 244

Prima opinio est affirmatiua, esse ipso iure irrita. Ità Sotus *lib.*7. *de Iustitia*, *quæst.*3. *art.*1. Manuel *secundo Tom. summa*, *cap.*90. *num.*7.

Probant, quia vouent de re, de qua non habent dominium. Itaque sicut, si voueret non reddere debitum, irritum est, quia vouet de eo, quod est coniugis, ita &c.

At probabilius est, requiri, vt irritentur. Ità Sanchez *disp.* 3. *num.*8. *lib.*9. *de matrim.* allegans Tabienam *matrim.* 1. *quæst.* 3. §.4. Vincentium *in speculo*, *Tom.* 2. *lib.*9. *cap* 86. Rainerium, quem sequitur Turrecrem. *cap. sunt quædam* 17. *quæst.* 1. *num.*6. Anglem *flor.* 2. *part. quæst. vnica de voto*, *art.*7. *post* 9. *diffic. dub.*3. *concl.* 1. Nauar. *summa*, *cap.*12. *num.*61. Ludouicum Lopez 1. *part. Instruct. c.*46. Neque enim (aiunt aliqui ex his) est simile de voto non reddendi debitum, quod est contra matrimonium directè, & ideo ipso iure inualidum, quia vouetur res aliena, nempe corpus, pro vt est coniugis habentis potestatem ad debitum petendum.

Adversa Seraphicum *in* 4. *dist.* 32. *dub.* 2. hoc dubium proponere, quod ita soluit: si vouit intentione fraudandi coniugem, sic est iniquum, vsurpans alienum, & ideo ipso iure inualidum; si autem vouit amore continentiæ, votum habet aliquid temeritatis, & aliquid honestatis, nam quò ad debitum petendum est sui iuris, atque adeo votum est honestum, ac validum: At quò ad alteram partem, quam includit votum non reddendi debitum vxori, temerarium est, & est reuocandum, nisi vxor consentiat: Dum autem ait, votum esse reuocandum, videtur dicere, non esse ipso iure irritum: & oportet aduertere, catenus esse irritandum, quatenus vouens, Ze- 246 lo libertatis impulsus, nec aduertens, alienum esse, quod promittitur, vouit: Vel dic, reuocandum, idest, intentionem non reddendi retractandam, & ideo votum, quo ad materiale retractandum, cùm in ratione formali voti sit iure ipso statim irritum. Vel dic, reuocandum ea ratione, quia cùm votum sit mixtum ex parte licita, & parte illicita, illa stat; hæc verò, quia illicita, remouenda, ac separanda ab altera parte voti, atque hæc extinguitur. 245

QVÆSTIO XXIV.

An parentes, vel Tutores valeant irritare omnia Votum Filiorum impuberum.

{ D. Bonauent. in 4. dist. 38. quæst. 1.

247 NOTANDVM primò, Triplex esse votum. Aliud Personale, quod solam personam respicit, vt vota castitatis, religionis, & ieiunij. Aliud Reale putum, quod solis rebus, seu sumptibus completur, vt votum eleemosynæ. Tertium mixtum, quod opere personæ, & sumptu coniunctim completur, vt Votum peregrinationis.

NOTANDVM secundò, triplicem esse ætatis limitem. Primus est infantiæ, in quo non est rationis vsus, qui communiter vsque ad septimum annum completum durat, vt fatentur omnes cum D. Bonau. *in 4. dist. 36. ex 2. quæst. 2.* & probatur *leg. si infanti, §. vet. iuncta leg. potuis, Cod. de iure deliber.* & *leg. in sponsal. contrahendis fine, ff. de sponsal.* imponitur sponsalibus ætas, vt non sit ante annum septimum completum, quia ante non præsumitur completus vsus rationis, vt notat D. Bonauent. *quæst. 2. fundamento secundo.*

248 QVAMVIS autem vsus rationis quibusdam citiùs, & quibusdam tardiùs eueniat; attamen ius ab eo, quod vt plurimum euenit, præscribit, vt notat S. Bonauent. *loco cit. in corpore*, & ideò in dubio standum est iuris præsumptioni. Sic aduertit & Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 16. num.* 10. adducens Ioan. Andr. *cap. iuuenis de sponsal. num.* 9. vbi Anchar. *num.* 4. Næuo *num.* 19. Henricus *cap. accessit. de despons. impuber.* ex Theologis verò solum citat Lopez *2. part. Instruct. de matrim. cap. 37. fol.* 1039.

SECVNDVS quæstionis limes est impubertas, incipit ab vsu rationis vsque ad terminum, qui dicitur pubertas, quæ in fœminis est duodecimo anno completo; in masculis anno verò quarto decimò completo.

249 CVR autem fœmina citius pubescat, ait Sanchez *lib. 4. summa, cap. 35. num.* 3. eruditè doceri à Tiraquel. *lib. 6. connubiali, num.* 38. Gutiet. *authent. sacramenta puberum, num. 1. & 2. Cod. si aduersus venditionem*, Sfortia Oddone *Tract. de restit. in integr. part. 1. quæst. 2. art. 4.* eruditè id sanè tradit S. Bonau. *dist. citata 36. quæst. 1. ad vltimum.*

PRIMA ratio est, quia citius fit solutio virtuositatis ob meatus fœminæ largiores.

SECVNDA, quia difficilius est agere, quam pati.

TERTIA, quia natura imperfecta in muliere appetit virum, sicut materia appetit formam, vnde propter maiorem appetitum ex indigentia naturæ fit maior acceleratio.

ANTE hanc autem ætatem vir, & fœmina dicuntur pupilli, & dicuntur impuberes. Constat *ex lege final. Cod. quando tutor.* & *cap. Puella, 20. quæst. 2.*

250 TERTIVS limes est à pubertate vsque ad vigesimum quintum annum completum, quo dicuntur minores *leg. 1. Cod. si minor se maiorem dixerit.* Hi autem anni tam pubertatis, quàm minoritatis debent esse omnes completi de momento ad momentum, sic de ætate minori disponitur *leg. 3. §. minorem, ff. de minoribus.* Computantur autem à die natiuitatis, vt notat Couar. *4. decret. 2. part. cap.* 8. §. 2. & Mandosius de ætate minori *cap. 1. num.* 25.

PRIMA igitur opinio est Viualdi *in candelabro 3. part. cap. 14. num.* 99. Patrem posse irritare omnia vota realia filij, & filiæ impuberum, non tamen omnia personalia, sed sola sibi præiudicantia.

AT oppositum vniuersaliter tenet D. Bonauent. 251 *loco cit.* quem sequuntur Palae. *4. dist. 38. disput. 23. col.* 23. Azor. *Tom. 1. lib. 11. cap. 17. quæsito* 7. Philiarc. *Tom. 1. part. 2. lib. 3. cap.* 18. Sayrus *lib. 6. cap. 10. num.* 24. Suarez *Tom. 2. de relig. tract. de voto, lib. 6. cap. 6. num.* 4. Sanchez *lib. 4. summa, capite 35. numero* 8. Bassæus V. *Votum 5. num.* 13. & cæteri apud istos.

ASSERO cum hac sententia, quæ est communis omnium, excepto Viualdo.

PROBATVR primò *ex cap.* 30. *Numer. cap. mulier 32. quæst. 2.* & Con. Toletano 10. *cap.* 6. & refertur *cap. 1. 20. quæst. 2.* & Tributiensi *cap.* 24. & refertur 2. 20. *quæst. 2.*

PROBATVR ratione à D. Bonauent. quia im- 252 puberes subiacent, ex sui status imbecilla cognitione in regimine vitæ, parentibus, & tutoribus, ne imprudenter se regant in graui votorum negotio. Ità probatur etiam ab aliis post eum.

CONFIRMATVR à D. Bonauent. *in 3. dist. 20. quæst. 3. ad vltimum*, quia tutor potest Pupilli conditionem meliorare, vbi deesset potentia pupilli.

QVÆSTIO XXV.

An Pater, & Curator valeant irritare Vota filiorum puberum personalia.

IAM consideremus filios in secundo limite ætatis, 253 nempe à pubertate ad 25. annos.

PRIMA opinio est, omnia posse irritari, excepto voto religionis. Ità Innocentius *cap. scriptura, num.* 3. & ibi Hostiens. *num.* 7. Ioan. Andr. *num.* 4. Cardinalis *num. 6. quæst.* 12. Anchar. *num.* 8.

SECVNDA opinio est, vota sola fœminarum puberum, non masculorum, posse irritari. Ità Angles *flor. 2. part. quæst. vnica de voto, art. 7. diff. 12. dub. 5.* & hoc etiam de voto religionis asserit.

TERTIA opinio est, nulla vota personalia pu- 254 berum posse à Patre irritari. Ità D. Thom. *in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula vltima, ad 2.* D. Antonin. *2. part. tit. 11. cap. 2. §. 6.* Sotus *lib. 7. de iustitia, quæst. 3. art. 2.* Aragon. 2. 2. *quæst. 88. art. 8. in difficultate circa quartam conclusionem*, Angles *flor. 2. part. quæst. vnica de voto, art. 7. post 12. diffic. dub.* 6. Philiarc. *Tom. 1. part. 2. lib. 3. cap.* 18. Beia *in responsis, p. p. casu* 49. Toletus *lib. 4. summa, cap.* 18. Sayrus Clau. reg. *lib. 6. cap.* 5. Petrus Ledesm. 2. *sum. Tract. 10. cap. 7. dub. vlt.* Graff. *4. part. decis. lib. 2. cap.* 26. Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 6. puncto 6. quæst. vlt.* Suarez *Tom. 2. de relig. tract. de voto, lib. 6. cap. 5. num.* 4. Llamas *in methodo curat. 3. part. cap.* 4. Corradus *in responsis p. p. q.* 308. Sanchez *lib. 4 summa, c. 35. n.* 15.

IDEM asserunt infra citandi, qui excipiunt tan- 255 tùm votum personale præiudicans iuri Patris circa gubernationem familiæ; hi referuntur à Sanchez *loco cit. num.* 16. Talia censentur vota longæ peregrinationis, nimiæ abstinentiæ, nimiarum precum; plura verò talia familiæ sunt irritabilia, quæ ampliori eget assistentia. Subscribit cum aliis Bassæus V. *Votum 5. num.* 13.

ASSERO cum hac sententia, puberum personalia vota non posse à patre irritari in rebus gubernationi familiæ non præiudicantibus.

PROBATVR

256 PROBATVR à Sanchez, quia licèt iura de solo voto religionis loquantur; tamen eo vtuntur, tanquam in aliorum exemplum. Si enim id quod maximam requirit deliberationem non potest irritari, multò minus alia.

QVÆSTIO XXVI.

Quæ Vota realia, aut mixta puberum valeant à patre irritari.

257 ASSERO primò vota realia puberum ante 25. annos, posse à patre irritari. Ità omnes DD. nam ante eam ætatem carent bonorum administratione, vt constat *ex toto titulo, ff. de minoribus 25. annis.* Hanc autem esse perfectam irritationem patet ex dicta. Vide Sanchez *lib. 4. cap. 26. num. 4.*

ASSERO secundò idem dicendum de mixtis, puta peregrinationum, in quibus exiguntur expensæ. Ratio est, quia expensarum Dominus est pater. Ita plurimi cum Sanchez *cap. 33. num. 22.* & Bassæo V. *Votum 5. num. 13.*

EXCIPIVNT autem quatuor vota. Primum, si filius voueat de peculio suo castrensi, vel quasi castrensi, quia in hoc filius est sui iuris *leg. 2. ff. ad senat. Consultum macedonianum.*

258 SECVNDVM est, quando reale accedit voto personali solùm ob quandam solam consequentiam, vt si filius voueat religionem, & monasterium succedere debeat ad bona ingredientis. Ratio est, quia hic modus alienandi est concessus minori à iure.

TERTIVM votum est, eundi in subsidium terræ sanctæ *cap. ex multa de voto*, vbi, si datur licentia coniugato; ergo multò magis subdito Patri.

QVARTVM est, si minor incidat in excommunicationem, sedi Apostolicæ reseruatam, & votum emittat illuc eundi ad absolutionem *cap. relatum de sent. excommunicat.*

ADVERTE autem, etiam post vigesimum quintum annum filij, posse patrem vota eius realia irritare.

259 ITA Sanchez *lib. 6. de matrim. disp. 39* circa finem. Ratio est, quia semper Pater retinet potestatem rerum, & ipse filius est sub Patris potestate, vt habet Gloss. *leg. finali §. pupillus, V. pupillus, ff. de verb. obligat.* & ibi omnes de hoc disserentes. Vide Sanchez *loc. cit.*

QVÆRES, an possit Pater irritare vota realia filij coniugati, vel emancipati.

RESPONDETVR, ex iure communi posse quo ad coniugatum; patet ex *Leg. 1. & 2. C. de bonis, quæ liberis*, & *Leg. si vxor C. de condit. insertis.*

260 EMANCIPATVM verò non subdi ampliùs potestati patria, & nancisci administrationem bonorum, atque adeò non posse ampliùs Patrem irritare liquidò è communi praxi, & iuris dispositione patet.

QVÆSTIO XXVII.

Quibus competat facultas irritandi Vota puberum & impuberum.

261 PRIMÒ de Patre suprà ostensum est, ad eum hanc votorum irritationem pertinere.

QVÆSTIO est de Tutore, & Curatore. Differunt autem, quia Tutor datur principaliter personæ, patet ex §. *Ad certum tempus in fine, Instit. qui testamento tutores*, ibi: *Personæ, non causæ, vel rei, tutor datur.* Secundariò autem datur rebus, vt constat ex §. *Datus. Instit. de excus. tutor.* ibi: *Datus autem tutor, ad vniuersum patrimonium datus esse creditur.* At contra, Curator datur principaliter rebus, & secundariò personæ, *l. in copulandis 9. C. de Nuptiis.*

IDEÒ Tutor datur in ætate puellari, idest, vsque ad pubertatem, quâ completâ cessat statim, *Instit. Quibus modis tutela finitur*, ibi: *Pupilli, Pupillæque, cum puberes esse cœperint, à tutela liberantur.*

AT Curator datur puberibus, & durat toto minoritatis tempore, idest, vsque ad vigesimumquintum annum completum. Patet *ex Instit. de curatoribus* in principio ibi: *Masculi quidem puberes, & fœminæ viri potentes, vsque ad 25. annum completum, curatores accipiunt.* 262

EXCIPE, nisi à Principe liberentur, & transferantur ad maioritatem *leg. 1. & 2. C. de his qui veniam ætatis.*

ET quidem est quæstio: an per matrimonium finiatur officium Curatoris.

QVOAD ius commune non finitur, quod probat textus *l. 1. ff. de minoribus.* Idem probatur *leg. Nam eo minus 14. C. de Procuratore.*

ET quidem Tutorem irritare posse, certum est, vt docent communiter cum D. Bonauen. *4. dist. 38. quæst. 3. fundamento 2.* omnes apud Sanchez *lib. 4. summa, cap. 31. num. 60.*

RATIO est quia tutor fungitur iure patris, vt indicat ibi D. Bonauent. & post eum alij. 263

QVOAD Curatorem, non æquiualet Patri. Concedunt Curatori irritare vota realia, & mixta, & sicut pater non potest ea quatuor super allata irritare; ita nec Curator.

DISPARIVNT; quia Pater potest vltra vigesimum quintum annum filij; non sic Curator.

POTERIT etiam irritare vota personalia præiudicantia gubernationi domesticæ, quæ & à patre irritari posse diximus suprà.

QVOAD matrem, alij affirmant, alij negant.

PRIMA opinio negat. Ità Paludanus *4. dist. 38. quæst. 4. art. 2. num. 16.* D. Antonius *p. p. tit. 10. cap. 2. §. 6.* Syluest. *V. religio 2. quæst. 13.* Vitald. *3. part. cap. 14. num. 97.* Tapia *authentica* Ingressi *V. ingressi, cap. 7. num. 49. C. de sacrosancta Ecclesia & eodem cap. 6. num. 31.* Azorius *tom. 1. lib. 11. cap. 17. quæsit. 7.* & alij apud Sanchez *lib. 4. cap. 35.*

SECVNDA opinio concedit matri hanc facultatem. Ità videtur D. Bonauent. *in 4. dist. 38. quæst. 3. fundamento 2.* vbi filium constituit sub potestate parentum: ergo etiam matris. 264

SCIO, ibi pluraliter etiam Tutores nominare, sed ob id nomine parentum intelligit etiam solos patres, quia parentes dicuntur Pater, & Mater. Nominantur verò pluraliter Tutores, quia plures sæpè constituuntur, & singulis conceditur facultas vota irritandi subditorum, vt ait Syluester *verbo Religio 2. quæst. 13.* Suarez *tract. de voto lib. 6. cap. 6. num. vltimo.* Sanchez *cap. 35. num. 70.*

OB similem modum loquendi pro hac sententia à Sanchez *num. 75.* adducitur D. Thom. *opusc. 17. cap. 13. ad 10.* & Sotus *lib. 7. de iustitia, quæst. 3. art. 1. col. 3.* Nec obstat, quod S. Bonauent. *in corpore* solum patrem nominat; nam cùm S. Doctor velit, esse sub potestate matris naturaliter, vt vidimus *quæst. 11.* sequitur includi etiam matrem. Ob id Sanchez recenset etiam D. Thom. *2. 2. quæst. 189. art. 3.* cum hac secunda sententia, quia dixit filium naturaliter subdi Patri; potestas enim naturalis communis est etiam matri. 265

Ità Sanchez. Idem habet *leg. regia* 3. *tit.* 8. *part.*1.
Philiarc. *de off. facerd. tomo* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 4.
Margarit. Confess. *fol.*134.

Alii tamen hanc potestatem restrictam matri
concedunt, vel post mortem, aut irrecuperabilem viri
absentiam. Ità Carthus. *cap.*30. *Numer.* & in absen-
266 tia patris ad Indos, concedit Viuald. 3. *part. cap.*14.
num. 97. Sà consentit *V. votum*, si mater sit tutrix; vel
si non sit tutrix, mortuo patre concedit. Idem habet
Manuel 2.*tomo summa*, *cap.*91. *num.*10. *concl.*9. Idem
docet Stunica *de voto*, *quæst.*2. *num.*95. Vega 2. *tomo
summæ*, *cap.*129. *casu* 96. Sayrus claui regia *lib.*6. *cap.*10.
Bassæus *V. Votum* 5. *num.*13.

Assero, simpliciter matri incumbere curam
filiorum, & posse eorum vota irritare, deficiente sal-
tem Patre.

Probatur ratione deducta ex D. Bonauent.
serm. 5. *de præceptis Decalogi*, nam vt Innocentius
267 docet *cap.*2. *num.*1. *de regul.* vbi Hostiens. Ioan. An-
dreas, Antonius, Cardinalis, Abbas, Anchar. & alij;
in his spiritualibus rebus spectanda est ratio naturalis
potius, quàm ciuilis; licèt enim patri sit demandata
iure ciuili cura filiorum, §. *fœmina*, *Instit. de adopt.*
tamen iure naturali tenetur filius vtrique parenti obe-
dire, vt habetur Exodi 20. *Honora patrem, & matrem*,
& sub vtriusque cura est, & debemus vtrique obtem-
perare in exercitatione actuum studiosorum, siue sa-
lubrium, & viuere secundùm eorum consilium, & se-
cundùm eorum imperium. Adde, etiam ius ciuile
prouidisse, vt Pater simul, & mater habeant ius offe-
rendi filios impuberes religioni, vel eos reuocandi
cap. 2. *de regul.* & *cap. puella* 20. *quæst.* 2. dicitur: *Si
vnus, aut ambo parentes offerunt*, & quò ad offerendos
religioni Id asserunt Canonistæ allegati, & alij apud
Sanchez *lib.*4. *cap.*18. *num.*19. & ipse sequitur.

Addo rationem aliam naturalem; nam, licèt
268 ius ciuile ex eo, quod præsumitur, statuisset curam
soli patri, non ob id est in præiudicium filij, sed in fa-
uorem, nec detrahit iuri naturæ, quod petit filij cu-
ram, & tutelam; sæpe autem, vel ex incuria patres
non insudant educationi spirituali filiorum, vel ex
distractione in negotiis, laborantes solùm, vt diuites
relinquant filios, non vt bonos; vel quia sæpe patres
mali sunt, aut, vt plurimum, non ita boni, sicut ma-
tres, quæ spiritualia magis sapiunt, & sæpè viragines
sunt magnæ prudentiæ; cumque mariti eorum sint
minoris prudentiæ, ac iudicij, relinquerentur filij
absque cura spirituali.

Adde experimentum, plus valere educationem
matris sæpè, quàm patris, quæ non rarò obest, vt
de suo conqueritur D. August. *in lib. Confess.* eo vel
magis quòd filij impuberes simplices cum Iacob apud
matrem habitent in tabernaculis.

269 Et quidem fateor, me plurimos vidisse patres ha-
buisse mundanos, & minoris prudentiæ; matres verò
pias, & prudentissimas, aptiores spirituali regimini
filiorum, eosque in via Domini rectè instituisse, quod
patres non fecissent, qui terrena sapiebant. Sic ipse
Seraphicus Bonauentura piissimæ matris cura se è
morte ereptum, & religioni deuotum fuisse testatur in
vita B. P. Francisci. Licitum est autem filios in mo-
nasterio impuberes offerre, & apponere ad educatio-
nem à parentibus, vel tutoribus, vt habetur in Conc.
Vuormat. *cap.* 22. sicut & *cap. Addidistis* 20. *quæst.*1.
& in C. Toletano X. *cap.* 6. vti & habetur etiam
cap. 1. 20. *quæst.*2.

Hæc autem oblatio efficit, vt puer non possit
resilire, donec ad pubertatem venerit, & tunc in ar-
bitrio est libere perseuerare, vel redire ad sæculum,
sic habetur *cap. significatum*, & *cap. cum simus de regula.*

Quod si impuberes religionem absque paren- 270
tum, vel tutorum consensu ingrediantur, possunt ij
factum, irritum facere, & impuberem reuocare, nisi
anno, & die id dissimulando consenserint, quo tem-
pore transacto, reuocare nequibunt. Habetur ex-
presse *cap.* 2. *de regul.* & *leg. eo texto* dicatur: *si infra
annum non reclamauerint*; at in eo textu supplenda est
dies. Sic enim deciditur *cap. puella*, 20. *quæst.* 2. hic
autem annus incipit à die scientiæ ingressus impube-
ris habitæ per parentes, vel tutores, vt tradunt Glossa
eo cap. puella, & multi Doctores.

Neque aliquid circa hæc immutauit C. Tolet.
*sess.*25. *de regular. cap.* 17. sed solùm, quod puella
duodecim annis minor ad habitum regularem admit-
tatur. Secundò, ne aliqua profiteatur, antequam ab 271
Episcopo exploretur eius voluntas; an coacta sit, vel
seducta; & an sciat quid agat, & hoc examen bis fa-
ciendum est, primò ante habitum, secundò ante pro-
fessionem; hoc autem intelligitur, si puella ingrediens
sit maior duodecim annis.

Quod si minor duodecim annis ingrediatur
monasterium, vnicum examen subeat, nempe profes-
sionis tempore, quia ante ætatem duodenariam va-
num existimauit id examen præmitti ob tenerum
puellæ iudicium.

Nota quod Pius V. & Gregorius XIII. motï-
bus propriis interdicunt hunc impuberum puellarum
ingressum, non causa religionis suscipiendæ, sed
quando solius educationis causa. Vide Sanchez *lib.*4.
*cap.*18.

Argumenta, quibus aduersarij probant, ad
matrem non pertinere irritare vota filij, ex dictis elisa
iacent, nam esto ius ciuile id soli patri demandasset;
attamen ius naturale præcedit, demandans id etiam
matri.

Altera verò fundamenta solùm probant, res 272
puerorum soli matri demandatas, non autem perso-
nas; neque ius ciuile potest antiquiori filij obligatio-
ni præiudicare, quod patet, si tutor ratificet votum
pro eo tempore, quo mater obsequia vult à filio ex
domi necessitate, is tenetur matri irritanti obedire,
vt fatetur Sanchez *num.*78. *lib.*6. *num.*21. Licèt Idem
hanc dicat esse solam suspensionem.

Sic deficientibus parentibus, & tutoribus, etiam
aui, & auiæ possunt irritare; omnibus verò his defi-
cientibus arbitror posse succedere quoscumque, qui in
sua potestate habent filios illos, vt herus, magister, &c.
Ita Less. *lib.*2. *cap.*40. *dub.*10. *num.*78. Suarez *loc. cit.*
*num.*23. & Sayrus *lib.*6. *cap.*10. *num.*58. Licèt id non
audeat sentire Sanchez *num.* 84. alios secum sentien-
tes referens, cum Bassæo suprà.

QVÆSTIO XVIII.

Quæ Vota seruorum valeant Domini irritare.

Aliqui existimant, integrum esse Dominis ir- 273
ritare omnia seruorum vota, excepto voto casti-
tatis. Huius sententiæ videtur D. Thom. *in* 4. *d.*38.
*quæst.*1. *art.*1. *quæstiuncula vltima ad* 3. & Abul. *cap.*30.
Numer. Tabiena *V. votum* 5. Petrus de Ledesma 2. *tomo
tract.*10. *cap.*7. *dub. vltimo*, *dicto* 4. Aragon. 2. 2. *quæst.*88.
*art.*8. *fol.*1020.

Secunda sententia est, ea vota seruorum posse
irritari à Dominis, quæ iuri, ac potestati ipsorum ali-
qua ex parte officiunt, & obstant, vt votum peregri-
nationis, religionis, & similia. Ità D. Bonauent.
in

in 4. d. 38. quæst.3. in corpore, & d.32. quæst.1. fundamento vltimo, quem sequuntur D.Thom. 2.2.quæst.88. art.8.ad 2. & quæst.104. art.5. in corpore. Innocentius
274 cap. scripsimus, num. 3. de voto. Ibi Hostiens. num. 7. Ioan. Andr. num.4. Abbas num.6. Antoninus num. 4. Anchar. num. 7. Cardin. num. 5. quæst 10. Annanius num.5. Henricus num.9. Archid. cap.si quis incogattus, 17. quæst.2. num.3. ibi Bellamera num.3. Turrecremata cap. sunt quadam 17. quæst 1.num.8. Richar. 4.d.38. art.4. quæst.1. ibi. Dur. quæst.1. num.7. Palud. quæst.3. art.1.num 7.ibi suppl.Gabr.quæst.1.art.5.Abul.cap.30. Numer. quæst.87.Gregorius Lopez lib.3.V. seruo,tit.8. quæst.1. Rosella in summa V. Votum, 2.num.15. Angel. V. votum, 2. num. 7. D. Anton. 2. part. tit.11. cap.2. Syluest. V. votum 4. quæst. 2. dicto 5. Sotus lib. 7. de iustitia, quæst. 3. art. 1. ad 2. Nauarr. summ. cap. 12. num.64. Alcozer summa, cap.16. concl.6.fol.56. Margarita Confess.fol.135.Ludouicus Lopez p.p.Instruct. cap. 48. Manuel 1. Tomo cap. 91. Sayrus lib.6.cap.5. num.7. & cap.10.num.18. Azor.Tom.1.lib.11.cap.17. quæsito 9.& cap.16.quæsito 8.Less.lib.2.de iustitia,cap.40. dub.10. num. 81. Philiar. tom.1. part. 2. lib.3. cap.18. Valentia 2. 2. disp. 6. quæst. 6. puncto 6. quæst. vltim. Gomez in Bulla Cruc. clausula 10.n.74. Suarez Tract. de voto,lib. 3.cap.7.num.29.& lib.6.cap.3. Vega 1.Tomo summa,cap.129.casu 100.Sanchez hos adducens lib.4. summa cap.35.num.2. Fagundez in secundum Præceptum lib.2. cap.39.num.3. alios adducens cum Bassæo V.votum 5. num.4.

275 Asserro cum hac sententia, à Dominis irritari posse quæcumque seruorum vota, in præiudicium potestatis, & iuris, cui subjiciuntur, emissa.

Ratio D. Bonauent. loc. cit. qua cæteri nituntur, est, quia seruus subditur Domino, non quo ad interna voluntatis officia, sed in solo seruitio corporali. Ergo ea omnia vota impedient, quæ seruitium corporale impediunt; cùm autem alia præter votum castitatis seruitium impediant, ea erunt irritabilia cap. si quis seruum, 17. quæst. 4. Non sic vota orationis, ieiunij moderati, &c.

Hinc & vota realia potest Dominus irritare, quia quod habet seruus, Domini est, excepto si cum Domino conueniat, Gloss. in leg. quod attrect 3. ff. de iis iuris. Addit Bassæus posse omnia irritare, quæ seruus ex licentia sua emisit, quia adhuc ius retinet in seruum. Debet tamen adesse causa, alioqui peccatet.

276 At herus in famulum non habens Dominium, nequit irritare vota eius, sed suspendere, quæ obsequiis obstant. D. Thom. 4. d. 38. quæst. 5. art. 1. Syluest. quæst.88. art.8. Sayr. lib.6. cap. 10. num.18. Sanchez lib.4.cap.36.& 24.num.24. Filliuc. tract.26.num.226. & seq. & cum his Bassæus num. 4.

QVÆSTIO XXIX.

An sit in Ecclesia potestas Vota dispensandi.

D.Bonau. in 4. dist 38. art.2. quæst 1.

277 HVcusqua egimus de primo modo, quo vota auferuntur, qui est irritatio. Iam de secundo agendum, qui est dispensatio. Et quidem hanc potestatem esse in Ecclesia patet ex illo Matth. 16. *Quodcumque ligaueris*, quæ verba vniuersalia sunt, vt notat D. Bonauent. in 4. d. 20. quæst. 5. & post eum Sanchez lib. 4. summa, cap. 37. num. 3. vbi idem probat ex Ioan. 22. *Pasce &c.* vbi etiam D. Bonauentura.

Prænotanda est ex dictis tract. de legibus, d.5. quæst. 14. cum D.Bonauent. in corpore, & Sanch. cap.37. differentia inter dispensationem voti, & declarationem; declaratio enim nullam voti aufert obligationem; sed tantùm declarat, votum ea se eo euentu non obligare; vt si quis vouit tali die ieiunare, vel orationes aliquas facere, & prælatus declaret, hunc non teneri, quia est infirmus; is non tollit obligationem, sed solùm explicat, eam ratione impotentiæ cessare. Dispensatio autem vera est, quando existente causa iusta, tollat prælatus obligationem voti adhuc existentem; vt si quis obnoxium stimulis ardentibus concupiscentiæ liberet à voto castitatis, quod adhuc durat: Vel si legem pro bono publico habens sub se ad executionem, indicet pro tunc eam execui ni non mandandam.

Prima opinio, quam refert D. Bonauent. est, 278
posse Ecclesiam propriè dispensare. Hæc sententia admodum est celebris, quam sustinent D. Thom. 4. d.38. quæst.1. art.4. quæstiuncula prima, ibi. Richard. art.9. quæst.1. & d.17. art. 1. quæst.2. supplem. Gabr. 4. d.38. quæst.1. art.5. Hostiens. in summa, tit. de voto, num.16. & cap. Non est, num.1. eodem titulo, ibi. Abbas num.5. D.Antonin. 2. part. tit.11. cap.2. §. 9. Canus relect. de pœnit. part. 5. Medina de Pœnitentia Tract. de confess. quæstione de dispensatione super confessione reuel. ad 2. Sotus lib.1. de iustitia quæst. 7. art.3. & lib. 7. quæst. 4. art. 1. Palac. 4. d.38. d. 3. fol. 884. Suarez Tract. de voto, lib. 6. cap. 9. Toletus lib. 4. summæ à cap.18. Angles flor. 2.part. quæst. vnic. de voto, art. 8. diff.1. Aragon. 2. 2. quæst. 88. art. 10. Sayrus lib. 6. cap. 11. num. 9. Azorius Tom. 1. lib. 6. cap. 1. quæsit. 4.& lib. 11.cap.18. quæsit 5. Gi. ffius p. p. decis. lib.2.cap.31.num.18.& 10.& cap.32.num.2. Valentia 2.2. d.6. quæst.6. p.7. Lessius lib.2. de iustitia, cap 40. d. 11. num. 98. Petrus Ledesma 1. Tomo, Tract. 10. cap.8. dub.2. Henriquez lib.8. de Eucharistia, cap.13. & lib.7. de Indulg. cap. 23. Vasquez primâ 1.quæst.97. art.4. d.178. num.10. Caietanus 2.2. quæst 88. art.12. Sanchez lib. 4. summa, cap. 37. num. 5. Fagundez in 2. Pro ept. Dec. al. lib.2. cap.40. Tanner. d. 5. quæst.6. dub. 6. multos afferens. Hanc esse de fide clamat Bassæus, V. Votum 7.

Secvnda sententia negat, esse in Ecclesia po- 279
testatem ad dispensandum, sed solùm ad declarandum. Ità D. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 10. in corpore. Abul. cap.30. Numer. quæst.102. & 103. Caietanus in summa, verb. votum, cap. de dispens. Armilla verb. votum, num. 13. Gloss. cap. Non est, verbo Authoritate, de voto. Ibi Anton. num. 3. Cardin. cap. cum ad monast. num. vnico de statu monach. Couarr. de pactis 1. quæst. §. 3. num.3. Ferrar. lib.3. contra G. cap.124. & satis indicant Paludanus 4. d. 38. quæst. 4 art. 4. concl.1. num.38. D.Antonin. 2. part. tit.11.cap.2. §.9. notab.1. Syluester verb votum 4. quæst.3. d. 3.

Qvoad D. Bonauent. adducitur pro hac sen- 280
tentia loc. cit. sed oportet exponere quo sensu eam tueatur: Ipse igitur relatâ oppositâ sententiâ, hanc ponit, quàm dicit rationabiliorem, & securiorem, & quia per eam magis conscientiæ satisfit. Ea autem talis sit, vt non sit mera interpretatio legis, qualis à quocumque viro docto potest fieri, sed esse declarationem juris talem. Quia enim votum est de bono ad Dei gloriam, & voventis salutem, ac totius Ecclesiæ bonum spectans, ideò Pontifex, qui supremus est iudex, habet potestatem eligendi ex illis bonis illud quod satius esse, ac magis expedire cognouerit Diuinæ gloriæ, & Ecclesiæ bono, atque adeò, etiamsi vigeat obligatio, verbi gratia, continentiæ in Rege; si iudicat Pontifex publicæ Ecclesiæ vtilitati melius esse,

esse, vt nubat, & filios obtinere conetur ad pacem conseruandam, & hoc bonum certius sit malo, quod
281 vrget ex eo, quod Rex careat successore, potest dispensare; quod in rigore non est relaxare legem, sed est declarare, detinendo veram obligationem: Quod si bonum ea dispensatione incertum sit, non debet certam obligationem adimere, vt notat S. Bonauent. *ad* 2. Sic igitur non relaxatur lex, quæ ad maius bonum est ordinata Ecclesiæ, & hæc est sententia etiam D. Thomæ, vt ostendam.

HÆC est germana S. Bonauenturæ sententia, qui omnibus melius id definit, & euitat difficultates, vt videbimus.

ASSERO cum hac sententia primò, non posse in Ecclesia dispensari vota, legem relaxando.

282 FVNDAMENTVM D. Bonauent. est: Ea, quæ sunt iuris Diuini naturalia, non possunt ab homine dispensari: Sed votum est huiusmodi: Ergo. Maior est omnium Theologorum, & Canonistarum axioma, vt notat Azorius *lib.* 6. *quæstio citato*, & fatetur Sanchez *num.* 4. Minor probatur à S. Bonauent. *fundamento primo* ex Psal. 75. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro.* Et cum hæc lex semper fuerit, vt omnes fatentur; sequitur, esse legem naturalem, non positiuam, vt colligit *fundamento secundo.*

HAC ratione adductus est S. Bonauent. Ecclesiæ authoritati piè addictus, vt suam sententiam adaptaret. Hoc argumento male torquentur aduersarij, & in ratione reddenda huius potestatis mirificè insudant.

RESPONDENT Richardus 4. *d.* 38. *art.* 9. *quæst.* 1. Graffius *p. p. decis. lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 8. & alij apud D. Bonauenturam; quoties aliquis voto se, vel iuramento obstringit, id non absolutè præstat, sed seruatis seruandis; & quia Papa est summus Pastor, cui incumbit omnium fidelium salus, ideò semper intelligitur hæc conditio in vouente; si Pontifex ratum voluerit.

283 HÆC tamen responsio confutatur ab Azorio *loco cit.* & Sanchez *num.* 7. quia hac ratione posset Papa solo nutu votum, & iusiurandum sine causa dirimere, quod dici nequit, cùm causam ad id idoneam requirat. Hac impugnatione Azorius, & Sanchez incidunt in sententiam D. Bonauent. dum fatentur, dispensationem non esse iuris relaxationem propriam, quia requiritur causa iusta, quæ est finis legis cuiusque, & quâ manente, in dispensatione non relaxatur lex.

IMPVGNATVR verò à D. Bonauent. quia hæc conditio gratis excogitata nusquam reperit fundamentum; cùm enim ea, quæ offeruntur, vota, libentissimè offerantur, vt omnes clamant, & valeant offerre quod Deo magis placet. Et hoc sit Domini consilium absolutum, absque fundamento apponitur aliqua conditio in sui executione, vt monet etiam Bassæus *verb. Votum* 5. *num.* 2.

284 SECVNDA responsio est Couar. *cap.* 2. *in fine de testam.* Graff. *eodem num.* 18. votum quidem in genere afferre obligationem de iure Diuino naturali; non tamen peculiarem voti obligationem esse tam stricti iuris, sicut obedire legibus humanis est de iure Diuino naturali, non tamen peculiaris lex obligat eo iure.

CONTRA arguit Sanchez primò, quia si obligatio singularis esset iuris humani, non posset statui à quocunque homine priuato, qui non habet potestatem legem condendi. Imò nec, si esset princeps, qui non potest vi coactiua obligare seipsum.

SECVNDO, quia si sola esset obligatio humana, valeret dispensatio absque causa. Hæc est ad mentem D. Bonauenturæ.

TERTIA responsio est, non dispensari ius Diui- 285
num, quia non fit, vt manente ad Deum obligatione, ea non seruetur, sed tolli obligationem, ex voluntate humana resultantem, quæ est lex quædam humana; Sicuti cùm superior dispensat in suis legibus, non censetur dispensare in iure Diuino, quod superiorum legibus dictat obediendum, dum suam vim retinent, sed dispensatione aufert illi legi vim obligandi, quâ ablatâ, tollitur indirectè quadàm consequentiâ ius Diuinum, & ideò verè in sola lege humana dispensat. Ita respondet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 10. *ad* 2. & *quæst.* 89. *art.* 9. *ad* 1. Caietanus *eadem quæst.* 88. *art.* 12. Abul. *quæst.* 102. *in* 30. *Numer.* Victoria *de potestate Papæ, & Concilij, propos.* 1. *ad* 3. D. Anton. 2. *part. tit.* 11. *cap.* 2. §. 9. Sotus *lib.* 10. *de Iustitia, quæst.* 4. *art.* 1. *ad* 2. Arag. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 10. in fine. Valentia *puncto* 2. *d.* 7. *quæst.* 4. *p.* 6. & 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 6. *p.* 7. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 11. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 23. *num.* 5.

HÆC tamen responsio confutatur à Sanchez 286
num. 17. & Azorio *loco cit.* quia lex voti non est humana, sed Diuina, vt suprà ostendi; alioqui posset à vouente dispensari, & valeret dispensatio sine causa, sicut in exemplo allato Prælati dispensantis in sua lege.

FALLVNTVR autem aduersarij, quia considerant voti obligationem merè resultantem ex vouente, quasi aliunde non veniat ligamen; at vinculum venit ex præcepto naturali fidelitatis, & Diuino, prout Deo debetur ex naturali Diuino præcepto reddendi id, quod fuerit ei promissum. Est igitur sola applicatio vinculi, quod remanet in suo iure naturali, sicuti antiquitus lex circumcisionis obligabat ad totam legem Iudaicam, vt ait Apostolus, non tamen quemquam gentilem ligabat absolutè. Quod si eam liberè accepisset, non ob id iure humano tantùm tenebatur legi Mosayceæ, eò quòd voluntate humana se illi obligasset, sed iure Diuino tenebatur. Ità in proposito.

CONFIRMATVR, quia obligatio voti oritur præcipuè, & completè ex acceptatione Dei, qui testatus est, se velle quidquid ritè vouerimus.

QVARTA responsio est Vasquez *num.* 13. Lessij 287
num. 99. Suarez *num.* 15. *locis adductis*, relaxationem in voto fieri per remissionem promissionis, factam à Prælato nomine Dei ex facultate remittendi ab ipso accepta, & ideò Prælatus nomine Dei cedit iuri Diuino acquisito à Deo per votum. Lex enim Diuina naturalis exigit promissum, quamdiu ipse Deus non cedit iuri suo per se, vel per Vicarium; at hic cedit, & ideo non dispensat Papa in iure Diuino naturali, quia iam Deus cessit suo illi iuri: Sicuti si Petrus cederet prædio sibi promisso, iurato à Titio, non relaxaret ius Diuinum naturale, præscribens seruari iuramentum.

HÆC tamen responsio confutatur ab Azorio *loc. cit.* quia vndenam constat ex Diuina authoritate id Pontifici esse concessum?

CONFVTANTVR à Sanchez, quia hic modus 288
dispensandi tollendo obligationem, nempe, cedendo suo iuri, non est dispensare, sed condonare, aut cedere promissioni: Sicuti absoluens à peccatis, eaque remittens, non dicitur dispensare in debitis Deo, sed ea remittere.

RESPONDET ipse Sanchez *num.* 14. duplex esse ius Diuinum naturale: Alterum ortum ex voluntate humana, vt votum: Alterum absolutum: Et quidem non modo in priori posse Pontificem dispensare,

sare, & ità in voto, iuramento, &c. Sed etiam in aliquibus iuris Diuini naturalis absoluti, verè tollendo obligationem per veram dispensationem, vt in oblatione sub vtraque specie in regionibus remotissimis, vbi non est vinum, & aliis casibus, quos latè prosequitur *lib. 8. de matrim. disp. 6.* idem respondent Cano *relec. 5. de Pœnitentia p. 5.* Medina *loc. cit. ad 2.* Azorius *lib. 6. citato.* Petrus Ledesma *loc. cit.* & alij.

CONTRA hunc modum insurgit Suarez *cap. 9. num. 9.* ex D. Bonauent. *fundamento 4.* Quod est intrinsecè malum, est à Deo indispensabile; sed quod est contra votum, est intrinsecè malum: Ergo. Maior est certa. Minor probatur, quia quod est contra ius naturale, est intrinsecè malum, ideo indispensabile, vt mentiri.

289 RESPONDET Sanchez, non omnia, quæ sunt contra legem naturæ, esse intrinsecè mala adeò, vt nunquam liceant, sicut furari, & detinere alienum, quæ licent in necessitate.

AT in illis casibus non concurrunt circumstantiæ requisitæ, vt ius naturale obliget; at cum dispensatur in voto, illæ concurrunt, alias ante dispensationem non obligarent, & ita nulla essent iuris relaxatio. Certum est autem omnes ibi interuenire, nempè obligationem veritatis, Deo exhibendæ: Itaque sicut intrinsecè malum est mentiri, ità intrinsecè est malum promissa Deo non seruare; est enim Deo mentiri, vt ritè arguit S. Bonauent. *loco citato.*

290 RESPONDET Sanchez, non ita se habere, sicut mendacium, & in hoc stare comparationem suam, quod sicuti furari non est intrinsecè ita malum, vt non liceat aliquando; ità & votum non obseruare ex iusta aliqua causa interueniente, quæ licet non sufficiat solitariè auferre obligationem, tamen sufficere ait, vt Prælati ex authoritate à Deo acceptà dispensent.

AT rursus petit principium; tenetur enim, etiam assignare paritatem in eo, quod sicut aliquando ex circumstantiis licet furari; ita & ex causa iusta liceat non seruare Deo vota, & ità vtrinque cesset malitia; hæc enim, si tollitur ex dispensatione, sequitur, adhuc ex se esse malum contra naturam, eique incumbit onus probandi; qua ratione, ea, quæ intrinsecè mala adhuc sunt, posse dispensari, & unde hæc potestas habeatur, vt arguebat Azorius.

291 IGITVR S. Bonauent. sic optimè explicat, quod leges omnes bonum commune respiciunt, & particulares particulare, ac consequenter, & sæpè etiam directè, ac primariò bonum publicum, cui iudicio præest Pontifex, quippe totius Ecclesiæ Pastor, cuius bono ex Diuina potestate ipsi incumbit insudare, & ideò eius est iudicare, quid magis ei expediat. Cùm igitur dispensare vult, debet adesse causa talis, quæ reddat iustam dispensationem, vt etiam fatentur aduersarij, quod signum est, iustum esse de intrinseco dispensationis, atque adeò ingredi ad efficiendum, ut id, quod dispensatur, ex hoc capite sit validè factum, nempe, quia semper maiori bono prouidendum Ecclesiæ. Itaque cùm fit dispensatio, non relaxatur lex voti, quæ semper debet respicere bonum,
292 & vouentis, & Ecclesiæ. Quod si vouenti, vel Ecclesiæ satius in Domino fuerit non exequi votum ex causa graui, adducente maiorem vtilitatem spiritualem; iam non relaxabitur lex, sed iudicabitur pro tunc ex mente Dei ita se habere, vt Deus nolit id fieri, vel saltem non cogat. Quæ definitio non est simplex declaratio, qualis fieret à viro docto, vt putat Sanchez *num. 5.* sed iudicium, & definitio, non meræ scientiæ, atque prudentiæ, sed iurisdictionis, quæ viro docto cuicumque non conceditur. At si concederemus, esse actum prudentiæ, vt ait Sanchez, nos asserere, adhuc amplior esset, quàm declaratio viri docti; hæc enim ad prouidentiam Ecclesiæ spectat, & consequenter, dum fit, indicat potestatem iurisdictionis ad exequutionem; hoc enim competit Deo authoritatiuè, vt reddat omninò tutum eum, quocum dispensat.

INSTAT Sanchez *lib. 18. de matrimonio d. 6.* 293
num. 5. Sic interpretari legem, est solius Conditoris, vel eius Superioris *cap. inter de sent. excom. cap. ideo, 25. quæst. 1. cap. sicut enim 11. quæst. 3. leg. fin. ff. de legibus.*

RESPONDETVR, id competere Pontifici ex commissione Diuina; Deus enim Pontifici tradidit in Petro oues pascendas, Ioan. 21. *Pasce oues, &c.*

CONTRA ipse arguit, etiam potestatem dispensandi competere ex comissione Diuina, cùm Ecclesiæ Deus non deficiat in necessariis; sicut Episcopis in casu necessitatis datum est dispensare in legibus Pontificiis in aliquo casu necessitatis, *v. g.* quando non potest commodè adiri Pontifex, & sicut dispensatio inferiorum in lege superioris non derogat authoritati superioris, eò quòd ex eius tacita commissione fiat; ita hæc Pontificia dispensatio non derogat authoritati Dei, vt potè, quæ non propria Pontificis authoritate fit, sed ex tacita, & iure optimo, præsumptâ Dei commissione.

CONFIRMATVR, si Pontifex declarans, li- 294
cere in extrema necessitate furari, vel aggressorum occidere, vteretur verbo *dispenso*, ineptè loqueretur; ità ergo in casu nostro.

VERVM enim verò tenetur ostendere Sanchez, vbinam data sit hæc facultas votum relaxandi, neque satis præsumitur, vt benè notat Azorius. Quorsum enim Deo promissum, præsumes, non esse Deo reddendum? Neque est simile de legibus humanis, quæ non obligant tanto rigore, quanto naturales, aut Diuinæ, vt sæpe iniungit ipsemet Sanchez. Neque eadem est necessitas, cum satis prouideatur iudicio illo authoritatiuo, quo decernitur, sic conuenire tunc, tam particularem legem non implere ex alia voluntate Dei, quæ non est præsumpta, sed declarata sæpe, ac sæpius, vt perfectio intendatur singulorum, & profectus Ecclesiæ. Et quo ad dispensationes Episcoporum, non ineptè ratum habetur, quia mens Ecclesiæ, ac Pontificis est satis in suis legibus explicata, ne desit in necessitatibus. Ideò in articulo mortis quili- 295
bet absoluere valet ab omnibus reseruatis, quod liceret etiam, si in legibus, seu censuris non esset explicitum; at in casu nostro non est hoc necesse; fit enim satis iudicio illo ex causa, quam etiam aduersarij non negant necessariam, vt valida sit dispensatio. Itaque quod vltimò ait Sanchez, ineptum esse; negatur, non enim est mera declaratio, vt in casu furti, vel inculpatæ tutelæ, sed iudicium iuridicum.

IDEM cum D. Bonauent. sentit, & eodem modo definit D. Thomas. Neque benè ipse Azorius instat, hoc pacto tolli votum, non Pontificiæ indulgentiæ beneficio, sed ipsa iuris interpretatione.

RESPONDETVR enim, non satis tolli obli-
gationem ex mera declaratione, sed ex authoritatiua 296
Ecclesiæ prouidentia, quæ penes Pontificem residet, vt dixi.

OBIICIT verò adhuc Sanchez *loc. cit. summa, num. 5. ex cap. 4. de iureiurando:* At est caput 18. vbi dicitur: *Super quo diligens indagator potuisset facilè intueri, quod non tam erat absolutio iuramenti necessaria, quàm interpretatio requirenda.* Hoc textu altè nititur Sanchez, quia Pontifex apertè distinguit vtrumque

concedi

concedi posse, dicitque ineptè peti absolutionem, cùm in eo casu iuramentum non obligaret; & ideò non erat opus absolutione, sed declaratione.

Hic tamen textus nil prodest aduersariis, ibi enim Pontifex Innocentius III. requisitus erat à Rege Aragonum, vt absolueretur à iuramento, quod ediderat, conseruandi monetam deficientem à debito pondere; inde enim populus insurrexerat.

297 Respondit: *Si diligenter indagatus fuisses, sanè vidisses, te potius inquirere debuisse: an esset validum, nempe quia, cùm iurasti; vel sciebas, monetam esse falsam, vel non; si sciebas; iuramentum fuit illegitimum, & inualidum, quia iuramentum non est vinculum iniquitatis. Si verò legitimum credebas, iuramentum est seruandum, & vt obseruetur, monetam ad legitimum pondus reducas. Veruntamen si in praestatione iuramenti credebas, diminutam à pondere legitimo, & te conscientia remordet, tuum humiliter confitere peccatum.*

Non vult Pontifex, declarationem iudicialem definitiuam iuxta mentem D. Bonauent. esse distinctam ab absolutione, sed ab ea interpretatione, quæ erat mera declaratio, an esset validum, necne, quod ex multiplici cognitione circumstantiarum de-
298 pendebat, quo modo scilicet, quâ cognitione, quâ mente editum iuramentum, quod inuolutum absque debita expositione detulerat Papæ. Vult igitur dicere: Debuisti proponere factum tale, suis vestitum circumstantiis, vt scires prius, quale esset hoc tuum iuramentum: an esset validum, necne; an illud teneteris confiteri, & de eo absolui Sacramentaliter; nam prauum facere iurasti, ac peccasti, si scienter iurasti. Postquam verò cognouisses, esse validum, poteras petere absolui, quod fecissem, non quidem merè interpretando iuramentum esse validum, necne; hoc enim supponeretur; sed eximendo te ex iudicio authoritatiuo, si vidissem ità Ecclesiæ conuenire.

299 Confundit igitur Sanchez primò interpretationem facti, cum interpretatione iuris. Deinde infert, nos confundere interpretationem, quæ est mera declaratio, an sit, necne, iuramentum validum, cum absolutione; & prætereà malè etiam dicit, Pontificem respondere absolutè, non fuisse necessariam absolutionem, semper enim loquitur conditionaliter, *si*; vt patet legenti. Itaque concedo, interpretationem, prout vt est decisio facti, an sit peccatum, seu an sit iuramentum validum, differre ab absolutione, seu dispensatione; ea tamen non est dispensatio, more Seraphici intellecta; illa enim est potius definitio Theologica facti: at declaratio in S. Bonauenturæ sententia, est iuris definitio, qua, cognito, iuramentum esse validum à summo Prouisore, atque Pastore, comparata eius obseruatione cum malis inde emergentibus, & scandalis, quæ iam in populo insurrexerant, statuit suprema authoritate magis Deo placere, vt nunc ius obligans ex iure Diuino, & naturali, non requirat obseruationem, sed ex Dei mente possit dispensari.

306 Ex hac doctrina reliquæ Sanchez ratiunculæ corruunt, vt patet legenti. Omnes enim supponunt, dispensationem in nostra sententia esse meram interpretationem doctrinalem, quod est falsum; nam S. Bonauent. laxis, vt aiunt, fibris, fatetur, hanc potestatem dignitati Domini Papæ inesse, atque adeò esse iurisdictionis, quod Sanchez *Tract. de voto, lib.6. cap.*10. asserit esse de fide.

Obiicit adhuc Sanchez. Vniuersi Doctores negant Ecclesiæ potestatem dispensandi in iure naturali, quod non emanat à voluntate humana, cùm tamen id concedant circa ius naturale, originem trahens à voluntate humana, vt circa votum, & iuramentum, & est de fide; hoc autem frustra distingueretur, si dispensatio esset mera declaratio.

Respondetur ex D. Bonauent. id euenire,
quia ea, quæ sunt eo pacto naturalia, adeò necessaria 301
bona sunt, vt non admittant commutationem æqualis boni, neque vnquam Ecclesiæ vtilius sit ea non exequi. Solùm declarantur in se, vt suapte natura iacent; at vota, & iuramenta, cum aliquid habeant, non necessarium bonum, sed sponte exhibitum, quod ex nostra voluntate cùm pendeat, potest alio maiori bono, vel æquiualente compensari; ideò præter expositionem, habent, vt possint tolli authoritate Ecclesiæ; hæc autem non est simplex declaratio, vt supponit argumentum, sed potestatiua definitio.

Ex his colligitur hanc iurisdictionem primò con- 302
uenire Papæ vniuersaliter pro tota Ecclesia, vt notat S. Bonauent. Itaque in omnibus votis simplicibus potest dispensare. De solemnibus autem agam *Disputatione sequenti*, licèt quo ad votum Castitatis timidè loquatur S. Bonauent. *in corpore*, & dicat, se ignorare: an meliùs sit dicere, posse dispensare in votis Religionis, maximè verò castitatis, etiam priuato. At S. Doctor loquitur secundùm suam phrasim dispensationis, quam alij relaxationem vocant, ipse verò declarationem appellat iuridicam Epikeiæ; de qua egi latè *quæst.*1. sicuti de votis Religionis agam *disp.*2. *quæst.*4.

Hinc habes, eos solùm posse dispensare, qui habent iurisdictionem Ecclesiasticam, vt sunt Legati in sua prouincia, quorum est potestas ordinaria, vt pote officio adnexa, non personæ.

Sic & Episcopi in sua Diœcesi; & sede vacante, 303
Capitulum hanc potestatem obtinet. Similiter Abbates, & alij Prælati, habentes potestatem quasi Episcopalem. Vide Sanchez *lib.*4. *cap.*38. Suarez *cap.*10. Quò ad Archidiaconos videtur censere S. Bonau. aliquos habere hanc potestatem, sicut & excommunicandi, quia habent iurisdictionem. Ita *in* 4. *dist.* 18. *parte* 2. *quæst.* 3. Vide etiam Sanchez *lib.* 4. *cap.* 38. *num.* 20. Quibusdam tantùm Archidiaconis, non omnibus id negat cum multis DD. quos refert. De hoc Fusiùs agam *Tract. de matrim. d.*8. *quæst.*6.

Sequitur etiam, hanc dispensationem, cùm sit iurisdictionis, extendi ad solos subditos. Vide Sanchez. Et sanè Prælatos religiosorum, non modò Generales, sed Prouinciales, & locales posse dispensare in votis suorum subditorum docent communiter D. D. apud Sanchez *lib.*4. *cap.*39. Imò & cum Nouitiis. Similiter in votis religiosorum posse etiam Pontificem; clarè patet; adde Legatum Apostolicum, vel Nuncium à Latere. Ita Henriquez *lib.*6. *de Sacramento Pœnitentia*, *cap.*16. *num.*8. Sanchez *loc. cit. num.*15.

Obserua tamen, aliqua vota Papæ reseruari; 304
sunt autem quinque: Religionis, Castitatis, Peregrinationis Romæ ad limina Apostolorum, Hierosolymæ in eius loci subsidium, & Compostellanæ ad D. Iacobum. Sic colligitur ex *extrauag.* & si Dominici, *tit.*2. *de pœnit.* & *remiss.* vbi excommunicantur commutantes hæc quinque vota absque licentia Papæ.

Nota verò, hanc excommunicationem fulminari contra dispensantes ex priuilegiis, concessis ab ipso Sixto IV. qui eam extrauagantem edidit. Itaque non incurreret, qui priuilegiis aliundè acceptis dispensaret. Vide Suarez *Tom.*5. *in* 3 *part. disp.* 22. *sect.*5. *num.*28. Sanchez *lib.*4. *cap.*40. *num.*23.

Ea tamen vota ex illa Bulla supponuntur reseruata, vt notat Sanchez *numero* 6. qui dicit, non esse à iure etiam communi reseruata, sed à consuetudine tantùm. Hæc autem quinque ita sunt reseruata Papæ, vt nec Legatus à Latere in his valeat dispensare. Alij alia vota addunt, sed

verè

verè hæc sola Papæ reseruaotur, vt docet Sanchez *loco citato*.

305 ENIM verò Episcopi, seclusa reseruatione, possent ea vota dispensare, sicuti in relaxando succedunt Papæ; quia sicut Papa in toto orbe est Princeps Ecclesiæ; ita Episcopus in sua diœcesi, exceptis his, quæ tangunt vniuersale Ecclesiæ regimen, vt definire de fide, &c. Itaque totum id potest in sua diœcesi, quod Papa in orbe, nisi ei specialiter reseruetur. Est enim ordinarius in sua diœcesi, sicut Papa in orbe, vt notat D. Bonauent. *in 4. dist.20. part.2. quæst. 3. in corpore*.

DICES; etiam Parochus est in sua parochia ordinarius: Ergo potest in votis dispensare, & quidquid potest Papa in orbe.

306 RESPONDET D.Bonauent. diuersam esse rationem; nam potestas super Ecclesiam plena concessa est à Christo quodam spirituali matrimonio, per consecrationem, sponsus autem debet habere potestatem generandi filios imperfectos, & perfectos, tales sunt Episcopi, qui possunt & regenerare neophytos Baptismo, & non solùm imperfectos pœnitentia, sed ordinibus filios recreare perfectos, &c. & Confirmatione roborare, non sic Parochi. Ideò Episcopus in consecratione recipit anoulum, tanquam sponsus. Hac ratione nituntur communiter DD. apud Sanchez *lib.1. de matrimonio, disp.61. & disp. 9. Libri octaui, & lib.4. summæ, capite 40.*

EX his sequuntur plurima Corollaria. Quia enim reseruantur Papæ dispensationes castitatis, & religionis tantùm absoluiè; & lex ista odiosa est Episcopis; sequitur eam esse restringendam.

307 PRIMO igitur sequitur, posse Episcopum dispensare in voto castitatis ad tempus editum. Ità D. Thom.2.2. *quæst.88. art. 11. ad 2.* & colligitur ex D.Bonauent. *loco cit.* quos sequuntur alij apud Sanchez *lib.8. disp.9. num.6.*

SECVNDO sequitur, posse dispensare in voto castitatis coniugalis, quippe deficiat ab absoluto castitatis sicut, & à voto non ineundi matrimonium; nam votum castitatis est maius obligans ad plura. Ità communiter DD. relati à Sanchez *num.11.*

TERTIO sequitur, posse dispensare in voto ordines sacros sumendi, non enim est simpliciter castitatis, sed rei, cui est adnexum votum castitatis. Ità DD. plurimi apud Sanchez *numero* 13. Bassæum *numero* 14.

QVARTO sequitur, posse dispensare in voto disiunctiuo, quod promittit alternatiuam rei reseruatæ, vel non reseruatæ, vt religionis, vel ordinis sacri, quippe in alternatiuis electio est debentis, & sufficit, alterum impleri: *Regula de alternatiuis, de regul.iuris, in 6.* Ità Azorius *Tom. 1. lib.11. cap. 19. quæsito* 10. Sanchez *loco cit. num.14.*

308 QVINTO infertur, posse dispensare cum religioso in voto de strictiori religione, quippè non vouet substantiam religionis, sed excessum, vel si sæcularis vouet religionem arctiorem, poterit laxiorem subire. Ità multi DD. apud Sanchez *num. 17.*

SEXTO eum, qui habet votum ingrediendi religionem, posse dispensari à perseuerantia in ea, si ingressus iustis causis ducatur ad non perseuerandum. Ita Sanchez *num.18.*

SEPTIMO poterit dispensare in differenda executione sui ingressus in religionem. Ità Sanchez *num.19.*

OCTAVO poterit dispensare in materia, in quam mutatum est à Papa votum reseruatum, puta religionis. Ità multi cum Sanchez *num.20.* seorsum & hoc, etiamsi simplicibus votis vouerit singulas partes castitatis *v. g.* vno abstinere à fornicatione, altero non inire matrimonium, quæ totam materiam castitatis complectantur.

NONO, in omnibus, in quibus vouetur sola pars materiæ castitatis, vt in voto coniugis.

ASSERVNT præterea, posse Episcopos in casu necessitatis, puta maximo periculi incontinentiæ, & ardui accessus ad Papam in voto integro castitatis dispensare. Ita Sanchez *lib.2. matrim. disp. 40. & lib.8. dub.6.* referens plurimos. Ratio est, quia non est præsumendum velle Pontificem in his casibus reseruare, sibi laqueos iniiciendo. Idem de aliis legibus Pontificiis docent plurimi apud Sanchez *lib.2. citato*. Imò etiam absoluere à casu reseruato Papæ, præter mortis articulum, quando est impedimentum adeundi Pontificem. Ratio communis est, quia leges Pontificiæ ad bonum Reipublicæ Christianæ, ad salutem animarum, iuxta regulas charitatis prodeunt; esset autem contra charitatem sic alligare impotentes. At Ecclesia ad salutem, non ad perditionem vtitur censuris. Ita etiam discurrit S.Bonauent. *in 4.dist.17.part.2. quæst.1.* Idem dic de aliis votis reseruatis, si necesse sit. Vide Bassæum *num.15.* 309

OB eandem rationem plurimi dicunt, posse etiam Parochum dispensare in votis, quando ad Episcopum non est facilis aditus. Hi referuntur à Sanchez *num.27.* Nituntur, quia dispensatio in voto est instar dispensationis in lege, vt docet D. Thom.2.2. *quæst.88. art.10.* & D.Bonauent. *in 4. dist.38. quæst.3. argumento 4. primo loco*, & *argumento 2. sed contra:* vbi intermiscet, & comparat obligationem naturalis legis mendacij, & speciei conseruandæ cum voto. Eos verò sequuntur omnes, vt notat Sanchez *num.27. disputationis adducta.* Iam verò, cum res ita se habeat, possitque Parochus in lege ieiunij dispensare, quando non est facilis aditus ad Episcopum suum, vt docent plurimi, ibi citati, imò nulla vrgente necessitate, vt multi ibi asserunt; sequitur, etiam posse in aliis suprà dictis. 310

IMO progreditur Manuel *Tomo 2. quæstionum regularium, quæst. 46. art.9.* Parochum posse dispensare etiam in votis, quæ spectant ad Episcopum; non ex iure ordinario, sed ex sola præsumpta Pontificis summi voluntate, de quibus suprà, quando non est facilis aditus ad Episcopum. Probat ratione suprà allata, quia Parochus, licet ex iure Parochi non habeat potestatem dispensandi in lege ieiunij, tamen ex consuetudine dispensat, etiamsi possit Episcopus adiri, & hoc ex consuetudine, quia consuetudo dat iurisdictionem *cap. cum contingat, de foro competenti*, cum multis textibus, quos ibi congerit Glossa; id non est negandum de voto, quod cum lege æquiparatur. Aliqui aiunt, posse Episcopum dispensare in voto castitatis ex perturbatione emisso, quando vouens est iuuenis, vel suspectus, nituntur *cap. veniens, qui cleric. vel vouens:* at dispensator ibi est ipse Pontifex, non simplex Episcopus, vt patet in titulo, *Idem*, nempe Alexander III. qui suprà. 311

ADDVNT aliqui, posse Episcopum dispensare ad petendum debitum in voto castitatis, inito ante matrimonium. Addunt autem Sanchez *lib. 4. summæ, cap.40.num.63.* consuetudinem, legi æquiualere. 312

EST aliqua difficultas: an possit dispensare circa vota pœnalia. Est autem votum pœnale: voueo talem pœnam subire, vt ieiunium, si lusero; promitto religionem, si ebriatus fuero.

MVLTI dicunt, non posse, quando cadit voluntas etiam super reseruatum, v.g. religionem.

ALII asserunt, quia odia sunt restringenda: sed votum hoc est conditionale tantum: Ergo non est reseruatum Papæ, quia vota tantum absoluta reseruantur.

tur. Ità Sanchez *lib. 8. de matrimonio, disput. 10. num. 8.* & *lib. 4. summa, cap. 40. num. 91.* Suarez *Tract. de voto, lib. 6. cap. 23.* qui tamen addit, non posse quando pœna apponitur, vt medicinalis, sed solùm quando apponitur, vt vindicatiua. Similiter si apponatur pœna in gratiarum actionem beneficij futuri: vt, voueo religionem, si præseruatus fuero à tali peccato, sed hæc non admittit Sanchez cum plurimis ab eo adductis. Sed de hòc infrà.

313 Hinc habes, quid dicendum de voto conditionali de futuro (nam si præterita iam sit conditio, non valet) Suarez ait, non posse post impletam conditionem *loco cit. cap. 22.* ratio est, quia impletà conditione, obligatio insurgit, tanquam voti absoluti *leg. Potior 11. in fine principij, ff. qui in pignore potiores habentur*, & confirmatur ex aliis etiam contractibus.

At multi alij asserunt, etiam post impletam conditionem, posse dispensare. Ita Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 10. num. 13.* adducens Toletum *lib. 4. summa, cap. 18. num. 11.* Gomez *in Bulla Cruc. clausa 10. num. 99.* Ledesma 2. *part. summa, tract. 10. cap. 8* & alios. Adde etiam quos infrà addam apud Dianam, & Bassæum.

314 Probatur, quia tale votum in radice est imperfectum, & conditionale, non absolutum. Confirmatur. Si enim in votis pœnalibus valet etiam post impletam conditionem, vt fatetur Suares: Ergo & in his. Sicut enim in pœnalibus id conceditur, quia voluntas in illud obiectum est imperfecta, nec primò procedit ex affectu ad rem, ad quàm stimulat se timore pœnæ, ita in conditionali, voluntas est imperfecta, nec exit amore rei promissæ, sed conditionis: sic vouet ille religionem, si litem vicerit; vel si frater filium habuerit masculum.

Hinc soluitur præcipuum argumentum Suarez, nam vergit etiam contra votum conditionale pœnale, quod sit absolutum. Respondetur ergo, absolutam quidem fieri obligationem, conditione impleta: at radicem adhuc manere obligationis imperfectam.

315 Ex his habes, in eisdem votis posse etiam Prælatos regulares dispensare cum suis religiosis, in quibus etiam Episcopi cum suis (sine præiudicio tamen votorum religionis hoc dicatur.) Itaque possunt dispensare in voto transeundi ad strictiorem religionem, licèt non possint illud irritare: ratio disparitatis est, quia quò ad hoc votum, non subditur dominatiuæ potestati Prælatorum, & ideò non possunt irritare. Sic enim potestate coercente, cum retinerent à transitu illo: at dispensatio est ex eorum consensu. Ità DD. plurimi apud Sanchez *lib. 4. summa, cap. 42.*

316 Possa igitur dispensare in omnibus votis, quibus possent etiam Episcopi, patet ea priuilegio Martini V. quod habetur *in Compend. Priuil. societatis Iesu, verbo* Dispensatio, §. 10. quod intelligitur de his votis reseruatis, quæ deficiunt ob aliquam conditionem; non de his, quæ sont perfecta, sed dispensantur ratione necessitatis. Ità Sanchez *lib. 4. cap. 43.* Suarez *loco cit. cap. 26. num. 17. 18. & 19.* De hoc tamen frustra dubitat Bassæus V. *Votum 7. num. 10.* An per Bullam sit latum.

Itidem Confessores Mendicantium possunt dispensare in omnibus casibus, in quibus & Episcopi. Id concessere Iul. II. Congreg. D. Benedicti, & D. Bernardi; & Eug IV. Monachis, vt videre est apud Confect. *fol. 31.* Bordon. *resol. 15.* estque concessio absoluta. Quidquid limitent Casarub, & Lezana, quos refellit Bassæus *num. 10.*

Ex concess. Iulij II. potest dispensari à confessariis mendicantium, cum incestuosis ad petendum debitum, vt refert Rodriquez *Bulla 23.* & Sorb. V. *Dispensatio.* Dummodo à superiore ad eum specialiter deputentur, atque hoc fiat in Sacramento Confess. & in domibus Regularium, non extra. Vide Bassæum V. *Incestus in fine.* Hæ facultates vniuersales sunt.

Possa verò cum suis subditis, id quod Episco- 317
pi cum suis, Prælatos Prouinciales, perspicuum est, & rationi consonum; alioqui non possent Regulares ritè gubernari, cùm ad Episcopos non accedant.

Alia erant de his Priuilegia Innocentij VIII. & Pij V. viuæ vocis oraculo; sed abrogata iam ab Vrbano VIII. qui omnia viuæ vocis oracula abrogauit in Bulla *Alias fælicis. 20. Decembr. 1631.*

Possunt Confessarij iidem cum eis dispensare, qui cum voto castitatis matrimonium inierunt, ad petendum debitum, vt notant Bassæus V. *Priuil. num 8.* Bonagratia V. *Dispensatio, num. 148.* & V. *Priuilegium.*

Potestas delegans ad dispensandum in votis, debet esse specificata, personæque habili. Vide Suarez *lib. 6. cap. 12.* Filliucium *tract. 26. cap. 9.* Bassæum verb. *Votum 7. num. 9.*

Potes autem hinc multa educere corollaria.

Primo, posse Prælatos regolares cum subditis; 318
& Confessarios Mendic. cum pœnitentibus dispensare in omnibus votis, exceptis reseruatis Papæ, suprà relatis; sed aliqua circa hæc notanda sunt.

Circa votum Castitatis perpetuæ, & integræ, quæ omnem actum, etiam internum licitum carnis excludit, vrgente periculo scandali, incontinentiæ, vel damni tertiæ personæ, potest Episcopus aliquo modo dispensare, seu suspendere, vt docent Suarez *lib. 6. cap. 26.* Sanchez *lib. 4. cap. 40.* Ità confessariis suprà, vt notat Crouf. *ad cap. 7. Reg. lib. 29.* & toleratum est anno 1629. in S. Cong. & constat è Bulla Clem. VIII. data 13. Iul. 1604. apud Rodriquez, & Bassæum, & sicut Episcopus cum eo dispensare potest qui cum voto castitatis matrimonium contraxit, etsi non consummauerit, vt petat debitum ad vitandam incontinentiam & sicut potest ob idem periculum dispensare cum ambobus coniugibus super voto concordi continentiæ. Et ità consuetudo, & praxis à tempore immemorabili Episcoporum, id tulit; tametsi aliqui addant, hoc verum, si difficilis recursus pateat
ad Papam, vt vides in Diana *part. 4. tract. 4. resol. 125.* 319
Ità & Confessarij Mendicantium; & sicut potest Episcopus dispensare in voto integro castitatis, inito ex metu non graui, apud Dianam *part. 5. tract. 12. resol. 61.* Potest & in ea dispensare, si minus principaliter cum alio voto eliciatur; vt si quis voueat non ludere sub pœna seruandæ castitatis; Ità & confessores relati. Simile est de vouente sacros ordines, quibus nectitur castitas.

Circa hæc omnia vota reseruata dic: Sicut 320
Episcopus valet dispensare in voto conditionali, etsi reseruato absolutè; vt si voueres castitatem, si ex hoc periculo euaderes, modò conditio non adhuc impleta sit, imò probabiliter, etiam conditione impleta, tato periculo, vt refert Diana *part. 3. tract. 5. resol. 25.* & *part. 6. tract. 8. resol. 16.* eò quòd tale votum sit imperfectum ex affectu potius ad propriam vtilitatem. Ità possunt & in simili dispensare Confessarij, suprà.

Similiter sicut in votis alternatiuis, vt si alterum sit reseruatum, alterum non; & vouens se determinet ad non reseruatum, potest Episcopus dispensare. Ità etiam & confessarij. Et sicut probabilius est in voto reseruato pœnali posse Episcopum etiam impleta conditione, quippe non sit votum directè ob Dei cultum, sed ex detestatione sceleris; vt si voueas Religionem, vel peregrinationes reseruatas; si fornicatus fueris. Ità & Confessarij relati. Probabile

tamen

Probabile tamen est tale votum è conditione medicinali esse reseruatum. Vide Suarez *lib.6. cap. 25.* Bassæum *num.22.* Idem ergo de vtrisque die.

321 SICVT etiam vrgentissima causa Episcopo requiritur, vt dispenset in voto facto in vtilitatem tertij, postquam is promissum acceptauit; ita, &c. Vide Sanchez *lib.4. cap. 41. num.16.* Suarez *lib.6. cap.25.* & Bassæum *num.275.*

NOTA ex eodem satis esse, vt sit in opinione, an sit reseruatum, ad hoc, vt Episcopus,& Confessarij valeant dispensare. Vide v. *Votum 7. num.13.*

QVÆ dixi de castitate, integram scilicet esse debere, vt sit reseruata, idem die de Votis Religionis, de Peregrinationibus non impeditis, &c.

322 QVARE si quis vouerit paupertatem, vel partem itineris Hierusalem, vel Religionem militarem (excepta Melitensi) eùm disputetur, an sint illæ veræ Religiones, posset dispensari.

Regulares Nouitij tandem dispensentur à Prælatis Regularibus; quamuis enim non subiiciantur potestati eorum dominatiuæ œconomicæ; tamen subiiciuntur potestati Iurisdictionis, seu Politicæ spirituali. Vide Bassæum *num.25.*

QVÆSTIO XXX.

An ad dispensationem exigatur causa, & quæ.

D.Bonauent. in 4. dist. 19. dub 6.
D.Thom. quæst.88. art.12.

323 PRIMA opinio est, integrum esse Superioribus sine causa in votis dispensare; eos refert D.Thom. *ad 2.*

VERISSIMVM tamen est, dispensationem humanam in iure diuino naturali, vt in votis,& iuramentis absque causa, esse culpatam, & nullam. Ita D. Bonauent. *in 4. dist. 19. dub.6. litt.* & *dist.33. quæst.3.* & ostendi *2.2. tract. de leg. disp.5. quæst.14.* D.Thom. *loco cit.* quos sequuntur vniuersi Theologi, & Interpretes Iuris Pontificij cum Gloss. *cap. non est, v. adimplere, de voto.* Sic monet Tanner. *disput. 5. quæst.4. dub.6. cap.10.* Bassæus V. *Votum 7. num.8.* & V. *Dispensatio, num.9.* vbi alios recenset.

ASSERO cum hac sententia, ad dispensandum causam requiri.

324 PROBATVR à D. Bonauent. *loco cit. dist.19.* à D. Bernardo *lib.3. de consider. cap.23.* vbi sic Eugenium III. alloquitur: *Dispensatio sine causa, non est dispensatio, sed dissipatio.* Hoc effato nituntur alij, addentes cum eodem Bernardo id Apost.2. Corin.13. *Data est potestas in ædificationem, non in destructionem.*

QVOAD causas verò, quales esse debeant, vt ritè hæ dispensationes fiant.

SVPPONO primò non esse necessarium ad iustam dispensationem, vt causa sit ob bonum commune directè, sed sufficit, vt indirectè in ipsum redundet, pro vt bonum partis redundet in bonum totius.

325 Constat *ex cap. Requisitis, §. nisi rigor, cap. quæst.7.* Licèt enim contra bonum commune nequeat agi, ob idque in legibus non sit frequenter dispensandum quod ea frequentia vim legum eneruet, quibus commune bonum conseruatur. & quia legum violationi adaperiat, vt ait Conc. Trid. *sess.25. cap.18. De reform.* tamen non semper dispensatio debet directè ad bonum commune tendere.

PROBATVR secundò à D.Bonauent. *argumento secundo*, ex his, quæ *secundo loco*, ex vsu Ecclesiæ, quæ ob salutem etiam corporalem alicuius, redundantem tamen in bonum publicum, dispensat; atque exemplum affert Regis Ludouici. Hoc argumento nititur Sanchez *cap.45. num.13.*

SVPPONO secundò, eandem met causam exigi, & sufficere ad dispensandum in voto, & in iuramento, quando non homini est præstitum, sed in solius Dei honorem, quod huiusmodi iuramentum sit instar voti, quoad eius dispensationem, vt notat Aragon.2.2. *quæst.89. art.9.* & Sanchez *lib.8. de matrim. disp.20. & lib.4. summæ, cap.45. num. 14.* Ratio est, quia obligatio voti facta Deo, oritur ex fidelitate debita, seu veritate, vt notat S.Bonauent. *in 4. dist.38. art.2. quæst.3. in corpore*,& hoc est etiam in iuramento, vt latè prosequitur S.Doctor *in 3. dist.39.* 326

ENIM verò,cùm promissio iuramenti habeat pro obiecto hominem (quod fit vt plurimum, vt notat D.Bonauent. *in 4. dist.38. quæst.1. ad vltimum*,) maior vrget in iuramento, quia mitiùs tractamur apud Deum, quàm apud homines, vt habetur *leg. Celsus, in pandectis.*

IGITVR requiritur causa obstans executioni voti, vt docet D.Bonau. *dist.38. art.2. quæst.3. & 4.* & D.Thom.2.2. *quæst.88. art.12.* debet enim, cùm sit promissio facta Deo, redundare in Dei honorem; at, deficiente causa redundaret in contumeliam, non seruando ei promissa. In quo multi nostri temporis potentes adeò insaniunt, vt hoc in casu multas quæstiones exigendas mandare soleant, quia, vt ipsi aiunt: *Manchino di parola.* Vide de hoc plurimos apud Sanchez *lib.8. de matrimonio, disp.20. num.3.* 327

IDEM proportionaliter die, quando votum commutatur in minus, & ideo interuenit partialis dispensatio, vt notat Sotus *lib.7. de Iust. quæst.4. art.3.* Aragon.2.2. *quæst.88. art.12. col.4. vers. circa secundam conclusionem, dicto 2.* & Sanchez *loco citato, n.4.*

VBI aduerte, non posse certam regulam de causæ sufficientia dari, sed relinquenda est iudicio prudentis libranda. Quia ad talem causam tria spectare debet iuxta *cap.* Magnæ, *de voto*, nempe quid liceat secundùm æquitatem: quid deceat secundùm honestatem: & quid expediat secundùm vtilitatem.

EX triplici autem capite potest consurgere causa obstans executioni voti, atque adeo iusta ad dispensandum in illo, vt notat Sanchez *lib. 4. summa, cap.45. num.26.* Prima est ex parte vouentis: Secunda ex parte materiæ promissæ: Vltima ex causa extrinseca, quæ respicit bonum publicum, vel priuatum vouentis. 328

EX primo capite; prima causa est, quando votum non processit ex perfecta prudenti deliberatione, vt quando ex impetu alicuius passionis, non tollente deliberationem, factum est. Sic *cap.2. de voto*, habetur: *Nos autem ipsum à voto, quod in tenera ætate, facilitate potius, quam ex arbitrio discretionis promisit, absoluimus*, & tenent ibi Abbas *num.3.* & alij plurimi relati à Sanchez *lib.8. de matrimonio, disp.20. n.12.* & *lib.4. summæ, cap.45. num.27.* Vide etiam Suarez *Tract. de voto, lib.6. cap.17.*

CAVSA erit etiam metus, ortus ex naufragio, aut alia non incussa ad extorquendum votum, præbens iustam dispensandi causam. Vel si esset metus incussus, non tamen sufficiens ad irritandum; erit causa dispensandi, vt docet Clau. reg. *lib. 6. cap.12. num.10.* Similiter error circa causam impulsiuam voti. Vide Lezanam *Tom.3. qq. Reg.V. Dispensare.* 329

SECVNDVM genus causæ oritur ex materia, quando est facta inutilis, vel mala, vel impediens maius

maius bonum, & loquuntur DD. Ità D.Bonau. *in 4. dist.38.art.2.quæst.3.* D.Thom.2.2. *quæst.88.art.19. in corpore*, & *ad 3.* vbi Caietanus, & alij apud Sanchez *lib.8.de matrimonio, disp.20.num.8. & loco cit. summa, num.36.* Hoc autem intelligitur, non quando perspicuum est, materiam factam esse talem, sed quando est dubium. Ità explicant Azor *Tom.1.lib.11.c.19 q.17.* Suarez *loco cit. lib.6.cap.17. num.10.* & Sanchez *loco cit.* est etiam iusta causa, si ex dispensatione speretur maior vouentis vtilitas spiritualis; hæc enim per votum maximè intenditur, vt docet D.Bonauent. *loco cit. dist.38.* vbi Richardus *art.9. quæst.1.* Sanchez *loco cit. num.38.* & Suarez *loco cit.num.10.*

SIMILITER ex parte materiæ voti, quando potest esse causa ruinæ, siue in genere, siue respectu huius, qui vouit: Vel quandò magna superuenit ad implendum difficultas, non sufficiens ad tollendam omninò obligationem.

331 TERTIVM genus est bonum resultans in dispensatione, vt si necesse esset coniugium Regi vel ad successionem, vel pro pace regni; hæc causa sumitur *ex cap. magnæ, & cap. ex multa, de voto.* Ità D.Bonauent. *loco cit.in argumentis*, dummodo res non sit dubia moraliter, pacem, vel successionem habendam, vel sanitatem necessariam personæ admodum præcellenti. Ità etiam Caietanus 2.2.*quæst.88.art.12.* Sotus *lib.7.de Iust. quæst.4. art.3.* Suarez *loco cit. cap.17.n.13.* Clauis Regia *eodem cap.12.num.29.* Sanchez *lib.8. de matrimonio, disp.20. num.24. & loco cit. summa, n.49.* Sufficiet verò spes probabilis, aut moralis certitudo apud D.Bonauenturam.

AN verò sit causa sufficiens morbus grauis, cui periti medici iudicent venereis actibus subueniendum, multi id negant asserentes, esse sententiam D. Thom.2.2. *quæst.88. art.11.ad 3.* adducunt ibi Caieta-
332 num, Durandum *in 4.dist.38 quæst.2.*in fine, qui licèt loquantur de voto solemni; at ratio valet etiam pro voto priuato castitatis; hi enim differentiam constituunt inter abstinentiam, & continentiam, quòd cùm cibus ordinetur directè ad indiuidui sustentationem; abstinentia autem vergat in notabile damnum indiuidui, si sit indiscreta, non est actus virtutis, priuando cibo necessario; at coitus est ad solius conseruationem, & valdè per accidens continentia vergit in indiuidui periculum. Atque ideò continentia etiam cum indiuidui periculo est actus virtutis; nec ob id matrimonium medendum, præsertim cum aliis medicinis morbo illi occurri possit, vt eruditè probat Medina *lib.4. de sacrorum hominum continentia, controu.4. c.23.* & hanc non esse iustam dispensandi causam tradunt D.Antoninus *2.part.tit.11.cap.2.§ 9.*loquens de omni voto. Sotus verò *lib.7.de Iustitia,q.4.art.2.ad tertium*, id asserit de voto castitatis solemni; atque adeò videtur contrarium sentire de priuato. Hanc partem censet veriorem Sanchez *lib. 8. de matrimonio, dis-*
333 *put.20. num.26.* Addit tamen, se existimare eam in aliquod bonum partim commutandam, partim relaxandum; nec Deum prætendere subiri mortis periculum ob castitatem seruandam, licèt id sit actus virtutis; sed velle, Ecclesiam benignitate vti, partim relaxando partim commutando, quia res admodum ardua est. Nec valet dicere, posse aliis remediis subueniri, quia satis est id anceps esse, & valde difficile, ac iudicio medicorum melius esse remedium coitus, sicut etiam, cum aliquis vehementissimis luxuriæ stimulis agitur, licèt posset aliis remediis prospici, attamen quia non adeo fragilitati humanæ hæc sunt adaptata, hinc iusta habetur causa dispensandi in voto castitatis. Nec obstat testimonium D.Thomæ, & aliorum, qui loquuntur de voto solemni, quod cùm grauissimum sit eiusque dispensatio cedat in notabile status religiosi detrimentum, multò vrgentiorem causam dispensandi requiret.

AN vero ea causa debeat esse boni communis; an 334
sufficiat bonum religiosi: Richardus *in 4. dist.38.art.9. quæst.1.in corpore, & ad 5.* ait, satis esse bonum vouentis. Cui fauet Caietanus *in opusc. tom.1. tract.27. de dispensatione matrimonij in occidentali Ecclesia, quæst. vnica*, & *Tom.3.Tract.vltimo ad art.12.*

AT necessariam esse causam boni vniuersalis asserunt centum, & decem DD. cum Sanchez *lib.8. de matrimonio, disp.8. num.7.* atque doctrinam Caietani ex professo impugnant Medina *lib.5. de sacrorum hominum continentia, cap.37.* Valentia *2. 2. disp.6. q.6. puncto 7.* & Sanchez *disp. citata*, præcipuè verò Catherinus *lib.6. in Caietanum.*

QVOAD D.Bonauenturam ipse Sanchez *loco cit.* 335
num 5. adducit eum cum negantibus, posse Papam in voto solemni castitatis dispensare, & ideò neque est cur aliqua causa admittatur. De quo agemus *disput. sequenti de Castitate religiosa, quæst.vlt.*

DIVVS igitur Bonauentura *in 4. dist.38. art.2. quæst.1.corpore*, ait, communiter dici, non posse Ecclesiam in votis religiosis dispensare.

AGIT verò *quæst.3.* Ex proposito, & ponit primò opinionem asserentem, posse Ecclesiam in omnibus votis, etiam solemnibus dispensare, quia voto solemni continentiæ præfertur bonum vniuersale, vt si ex matrimonio obtineretur pax in regnu, vel Ecclesia, & hoc fieri posse ait, & factum esse aliquando ab Ecclesia. itaque supponit, non posse fieri nisi ob bonum commune, contra Caietanum.

REFERT deinde aliam opinionem dicentem, 336
posse dispensari in omnibus, præterquam in voto Continentiæ, quia, non est digna ponderatio continentis animæ, & videtur loqui adhuc de solemni, licèt ratio de priuato etiam valeat; nam isti concedunt dispensationem etiam in aliis solemnibus; & ipse S. Doctor *in responsione ad argumenta*, idem indicat, dum tribus argumentis respondet pro singulis votis solemnibus, & nulli pro priuato Castitatis. Licèt posset quis dicere, eum in argumento, &c. pro continentia vtraque concludere.

TERTIA opinio, quam refert *quæst.3. eiusdem art.2.* negat de votis solemnibus tantùm, & subdit: *Quæ istarum trium opinionum sit verior, fateor, me nescire, & satis potest qualibet sustineri, Ideò nullam assero.* O miram sapientissimi Doctoris humilitatem!

MOX verò, ne omnino infallibilem relinquat 337
primam opiniònem affirmantem, respondet argumentis eius, & præcipuè, ad dispensationem in voto castitatis, quòd professio, votum solemne est; nam in duobus sequentibus argumentis respondet instantiis quo ad alia duo vota obedientiæ scilicet, & paupertatis, iam verò dicit; non adesse certitudinem (loquitur vt plurimum) quia quoad necessitatem conseruandæ speciei, nunquam deficient homines. Non cadit ibi maior vtilitas vouentis, quia commutat meritum centesimi fructus, in meritum tricesimi (alludit autem ad parabolam seminantis, qua dicitur, terram aliquam dedisse fructum centesimum pro singulis seminum granis, & hæc dicitur terra virgo, vel casta; alia pars coniugatorum) Præterea incertum esset, quia nescitur, virum infirmus per coitum sanaretur; nescitur, vtrum ex coitu aliquis generaretur: nescitur, vtrum ex matrimonio pax reformaretur, & non est dimittendum certum pro incerto, ideò non valet. Hæc D. Bonauentura.

QVÆ cùm ita sint, concedit, quod si esset sani- 338
tas certa (intelligit alicuius Regis, afferens exemplum

in

in argumento Regis Ludouici Franciæ) adhuc non esset satis compensata continentia, quia commutaret fructum centesimum in trigesimum: at si pax publica, vel aliud bonum certò esset habendum (quod potest euenire) concedit rectè fieri commutationem. Tale bonum esset etiam Principis sanitas ad successionem.

TANDEM bonum etiam familiæ esse causam dispensandi à peregrinatione longa patremfamilias; dicunt multi cum Sanchez *lib. 4. summa, cap. 45. num.50.* & Suarez *loco cit. num.13.*

339 NOTAT verò *num.4.* non semper singulas ex dictis causis pro tali voti dispensatione sufficere, sed misericordem aliquam commutationem ex parte. Imo addit *num.19.* rarò concurrere causam ad totalem dispensationem.

QVÆSTIO XXXI.

An, & quomodo facienda sit Votorum commutatio.

{ D.Bonau. in 4. dist.38. art.2. quæst 2.

340 IAM de tertio modo dicendum est, quo vota tolluntur, nempe commutatione, non absoluendo omnino à voti obligatione, sed commutando in aliud opus bonum. Posse autem fieri commutationem patet ex perantiqua Ecclesiæ praxi. Potest autem fieri commutatio, vel in aliud opus melius, vel in æquale, vel in minus. Erit itaque quæstio: an possit fieri in omnibus his modis.

PRIMA opinio est posse fieri non solùm in melius, atque etiam in æquale, sed etiam in aliquantò minus bonum. Ità Aragon.2. 2. *quæst.*88. *art.*12. *d.*1. Alcozer *summa, cap.*19. *concl.* 3. Medina *lib.*1. *summæ, cap.*14.§.7.*regula* 3. Toletus *summa, lib.*4.*cap.*18. Sà *verbo votum, num.*10. Henriquez *lib.*7. *de Indulg. cap.*30. Leonard. *lib.* 2. *de Iustitia, cap.* 40. *disp.*1. *num.*95. Manuel *Bulla Cruc.* §.9. *num.*107. & *Tom.*2. *summæ, cap.*100. Clau. reg. *lib.*6. *cap.*12. Bassæus V. *Votum* 6. *num.*8. cum Bonagratia citando.

341 SECVNDA opinio est, posse fieri commutationem veram solùm in melius, vel æquale. Ità D.Bonau. *hic*, D.Thom.4. *dist.*38. *q.*1. *art.*4. *quæstiuncula vlt. in corpore*, Abb. *c.*1.*n.*3.*&* 5.*de voto*, Palud.4.*dist.*38.*q.*4. *art.*3. suppl. Gabr. *q.*1. *art.*5. Caiet.2.2.*q.*88. *art.*12. Rosella V. *votum*, 5. *n.*6. Syluest. *votum* 4. Couar. *de pactis*, *p.p.*§.*num.*4. Sotus *septimo de Iustitia, quæst.*4. *art.*3. Palac.4.*dist.*38.*disp.*3.*col.*28. Gregorius Lopez *lib.*5. *v. Contando, tit.*8.*p.*1. Angl. *flor.*2.*part.quæst. vnica de voto, art.*8. Ouandus 4. *disp.*38. *dist. vnica, prop.*25. Alcozer *summa, cap.*16. *concl.*2. Beta *in respons. casu* 49. Azor. *Tom.* 1. *lib* 11. *cap.*18. *quæst.*6. Clau. reg. *lib.*6. *cap.*12. Suarez *Tract. de voto, lib.*6. *cap.*12. *num.*6. & *cap.*29. *num.*7. nec renuit Bassæus, & Bonagratia infrà citandi.

ASSERO cum hac sententia, votorum commutationem solùm in melius, vel æquale, fieri posse.

342 PROBATVR argumento S. Bonau. *in corpore*, nam commutatio voti est quidam contractus, quam absque sui damnificatione init Deus per procuratorem, commutantem cum vouente. Vt autem sit rectus contractus absque damnificatione Dei, oportet reddi æquale. Sic enim in omni bono contractu fit, vt habetur 3.*Eth.* Sicut igitur iniquus esset inter nos procurator, contrahens in damnum eius, qui demandauit ipsi causam; ita & nunc.

CONFIRMATVR à D.Bonauent. ex nominè commutationis, quæ propriè redditum æqualis indicat. Itaque quauis largitate sint accipiendi fauores, non debent extra proprietatem verborum trahi.

HÆC tamen non sunt Mathematicè limitanda, 343 alioqui, cum difficile sit talem æqualitatem reperire, iam arduum fieret commutare, & hoc forsan volunt authores primæ sententiæ. vt notat Sanchez *lib.*4.*summæ, cap.*50. vbi nostram sententiam tuetur. Sic & Bonagratia V.*Votum, n.*478. Bassæus V.*Votum* 6.*num.*2.

EST autem quæstio: An commutatio fieri possit absque authoritate prælati. Potest autem esse quæstio: An commutatio in æquale, & in melius tali authoritate facienda sit.

PRIMA opinio est posse fieri commutationem 344 votorum etiam in æquale bonum, absque alia authoritate. Ita Maior *in* 4. *dist.*38. *quæst.* 3. Medina *lib.*1. *summa, cap.*14.§.7. Manuel 2. *Tom. summæ, cap.*100. Henriquez *lib.*5.*de pænit.cap.*20.*n.*5.& *lib.*7.*de Indulg. c.*30. Ioan.Benedictus *in summa de peccatis, lib.*1.*c.*9. & docent esse probabilem Aragon.2. 2. *q.*88. *art.*12. *dub.*1. *dicto* 3. Suarez *de Voto, lib.*6.*cap.*20. Alcozer *summa, c.*16. Less.2. *de Iust.c.*40. *dub.*11. *n.*91. & alij apud Sanchez *lib.*4.*cap.*49.*n.*10. & Bonagr. *n.*478.

SECVNDA sententia est, sola potestate vouentium posse in æquale commutari. Ita Angelus *verbo votum* 4. *n.*2. Caiet 2.2. *quæst.*88. *art.*12. & *summa, v. votum, c.vlt.* Sotus *lib.*7.*de Iustitia, q.*4.*art.*2. Conar. *de pactis* 1.*parte.*§.3. Alcozer *n.*10. *loco cit.* Corduba *sum.q.*149. Toletus *lib.*4.*summa, c.*18. Graff. *p.p.decis. lib.*2.*c.*30. Philiarc. *de off. sacerd.Tom.*1.*part.*2.*lib.*1. *c.*22. Petrus de Ledesma 2. *Tomo summa, tract.*10.*c.*8. Angles *flor.*2.*part. quæst.vnica de voto, art.*8.*difficultate* 4 *&* 6. Azor *Tom.*1.*lib.*11.*c.*18.*q.*2. Clau.reg.*lib.*6. *c.*12. Manuel *in Bull.Cruc.* §.9. *n.*106. Sorbus *in compend. mendic.v. votum*, Suarez *De voto, lib.*6.*cap.*19. Sanchez *lib.*4. *cap.*49. *num.*12.

HI tamen omnes etiam pro prima sententia adducti sustinent, non esse necessariam authoritatem Prælati in commutatione voti in melius. His adde Imolam *cap. peruenit el* 2. *num.*2. *de Iureiur.* Bacon *in* 4. *dist.*38.*quæst.*5.*art.*6. Armillam *voto n.*14. Abul. *q.*110. *in* 30.*Number.* Nauar. *summa, cap.*12.*num.*75. Pedrazam *in summa, præcepto* 1. §.8. Ouandum 4.*dist.*38. *disp.vnica, propositione* 27. Ludouicum Lopez *p.p.Instruct. cap.*49. Coronam confess. *part.*3.*Tract.de voto, num.* 18. Gomez *in Bulla Cruciata, clausula* 10. *num.* 112. Valentiam 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 6. *puncto* 7. Viualdum *Candel.*3.*part. cap.*14. & Sanchez *num.*4. Hanc tutiorem ait Bassæus *loco cit.* 345

AT sententia est, *loco cit.* D.Bonauent. non posse, 346 etiam in melius, fieri commutationem absque authoritate Prælati. Cum Seraphico incedunt D. Thom.4. *dist.*38.*quæst.*1. *art.*4. *quæstiuncula vltima.* Innocentius *cap. peruenit, el* 2.*num. vnico de, Iureiur.* ibi Ioannes Andreas, Hostiensis, Antonius, Baldus, Anchar, Abbas, Henricus, Bellamera, Felinus, Næuo, & Richardus *in* 4. *dist.*38. *art.*8. *quæst.*1. Supplem Gabr. *quæst.*1. *art.*5. Palacius *col.*3. *dist.*27. *fol.*875. Syluest. *votum* 4. *quæst.*7. *dicto* 2.

ASSERO cum hac sententia, non posse absque authoritate prælati mutari votum in melius.

PROBATVR à D.Bonau. primò ex Leuitici vlt. *Animal autem, quod immolari potest Domino, si quis vouerit, sanctum erit, & mutari non poterit, idest nec melius malo, nec peius bono.* Vbi Glossa ait: *absque authoritate superioris.*

RESPONDET Suarez *cap.*8. *num.*12. Sanchez *cap.*49. *num.*9. cum Oleastro, eam legem esse cæremonialem, & ideo cessasse.

347 At quis ignorat, eam animalium oblationem fuisse cæremonialem? sed tamen rationes ad moralem potius reducuntur, vt non mutare promissum Deo ad libitum, est nixum iure naturali contractus; est enim votum contractus inter Deum, & hominem; & commutatio inter Deum, & commutantem nomine Dei, vnde ex iure naturæ seruandæ sunt regulæ contractus. Vt ipse Sanchez fatetur *cap.50. n.4.* Sicut autem is, qui vendidit equum, non potest eum commutare in bouem, etiamsi maioris pretij, absque consensu Emptoris, vt habetur *leg. 2. ff. si certum petatur*; ita & in casu nostro. Neque satis respondet Sanchez *num.* 4. Disparitatem esse, quia homo vult iuxta suam vtilitatem: at Deus semper vult, quod melius est. Neque enim melius est oblatum pro libito, quàm ex licentia; sed hoc est perfectius.

Probatur secundò à D. Bonauent. ex D. Bernardo *de dispensatione*, vbi ait: *Benè ordinatus monasterijs, nullus meo consilio egredietur, desiderio actionis vitæ, sine licentia superioris.*

348 Vbi grauiter nota, exponi à D. Bonauent. tanquam merum consilium D. Bernardi, quia *cap. licet de regular.* & *cap. scripturæ extra de voto, & voti redemptione*, habetur transitus ad strictiorem religionem, & ad statum perfectiorem, etiam non obtenta Prælati licentia, & hi casus excipiuntur soli à iure, vt notat D. Bonauent. *in corpore*, & hæc regula non extenditur ad omnes, vt putat Abulensis *quæst. citata*, & Sanchez *num.4.* neque hæc afferuntur, quia certò meliora sunt, vnde liceat etiam idem facere, quoties materia, in quam votum transmutatur, erit melior, vt putat Sanchez; sed propter excellentiam huius commutationis licentiam dant iura, vt notat D. Bonauentura.

349 Hic autem esse Pontificis sensus colligitur è *cap. Licet*, nam adducens rationem, ait: *Quia vbi spiritus Dei est, ibi libertas, & qui Dei spiritu aguntur, hi sunt sub lege: Quia iusto lex non est posita.* Talis ergo præsumitur, qui totam vitæ suæ rationem transfert ad religionem, strictiorem à S. Ecclesia declaratam, vel statum totius vitæ perfectiorem; non autem quicunque in aliquid melius quodcunque votum quomodocumque commutauerit, non enim videtur ex Dei mente, vt si ei promissum sit bonum quatuor graduum, addita vna drachmula diuersi boni, velit commutari.

Et *cap. scripturæ*, sic habetur: *Qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis obseruantiam commutare, reus fracti voti aliquatenus non habetur:* Vnde ex nobilitate mutationis stans habetur hæc concedi fieri absque authoritate superioris.

350 Sicut autem à similibus non est rectum argumentum pro ampliandis priuilegiis; sic in casu nostro, eò vel minus, quia minor est ratio, & honor Dei inde resultans, quàm ex eo ibi descripto, qui visitationem sancti sepulchri in religionem commutauit; non autem si commutasset in quamcumque eleemosynam, vel aliud.

Confirmatur ex *cap. 1. de votis*, vbi habetur: *De peregrinationis votis, an eleemosynis redimi possint, vel pro necessitate in aliud commutari. Respondemus quòd ab eius, qui præsidet, pendet arbitrio, vt consideret diligentiùs qualitatem personæ, & causam commutationis.*

Respondet Sanchez *num.4. & 9.* hunc textum sibi potius fauere, quia Pontifex solùm in dubiis vult authoritatem superioris interuenire, eiusque iudicium solùm requiri in dubiis; non autem quando est clara mutatio, facta in melius.

351 At fallitur, nam cùm omnis materiæ voti ratio sit iudicio prælati à Pontifice consignata, eique demandatum iudicium; luce clarius sequitur, vouentem non posse hoc iudicium facere, eò minus, quò demandatur, vt seruentur qualitas personæ, motiua voti, infirmitas, & potentia vouentis; hoc autem iudicium demandatur iure, ac meritò alij, quia vouens in his non est iudex aptus, quippe in propria causa. Neque benè respondet Sanchez *loco cit.* hoc non esse Iudicium iurisdictionis, sed abundantiorem voti solutionem; nam quodcunque illud sit, siue Iurisdictionis, siue doctrinæ, & prudentiæ, demandatur Superiori, vt ipse Sanchez fatetur *num. 12. & 19.* Præterea Sanchez *num. 22.* fatetur, facultatem commutandi vota esse Iurisdictionis concessæ à Christo. Sicuti est etiam de potestate dispensandi, & ideo *num. 28.* ait, eos solos habere potestatem ordinariam commutandi vota, qui habent etiam ea dispensandi.

Iam verò vt ad Seraphicum reuertar; Respondet, D. Bernardum nil pro nobis asserere, sed tantùm consilium præbere quoad transitum ad vitam arctiorem. Concedit verò *in corpore*, concessum à iure *cap. Licet, & cap. scripturæ*, suprà relatis, absque licentia superioris commutare vota religionis laxioris, in vota strictioris, & hoc esse huic iam illustri mutationi concessum, vt suprà ostendi. Volens inferre, ideo tantùm non habere nos argumentum ex D. Bernardo, vt id dedocamus; multò minus de aliis inferioribus commutationibus, quia tempore D. Bernardi non adhuc erant illa iura, nam *Caput Licet de regular.* est Innocentij III. & *cap. scriptura.* Alexandri III. qui fuere post D. Bernardum; nam Alexander III. Canonizauit D. Bernardum, & quidem D. Bernardus mortuus erat ante Alexandri III. Pontificatum; nam mortuus est anno 1153. quo mortuus est etiam Eugenius III. cui successit Anastasius IV. Anastasio Adrianus III. & huic Alexander III. anno 1159. Innocentius verò III. fuit multò recentior, qui obiit anno 1216. 352

Ex corpore verò quæstionis sic colligitur argumentum, quia, si priuilegium hoc concessum est solùm pro commutatione illustrissima status totius vitæ in perfectiorem, vel arctiorem religionem; signum est, pro cæteris non concedi. 353

Nequa dicas, ante illud fuisse aliud priuilegium regularium superioribus, ne absque eorum licentia fieret ille transitus, vt habetur eo *cap. Licet.* Ergo ex tua ratione habetur, id aliis votis concessum absque licentia superiorum.

Respondetur, ex eo capite haberi causam illius prioris concessionis, quia aliqui prætextu arctioris religionis ad alia loca, etiam non religiosorum transibant, & hoc faciebant etiam aliqui Hospitalarij, & Templarij, vt ibidem dicitur. Igitur subdit; ea ratione videtur hoc illis concessum, ne quis ex temeritate, vel leuitate in iacturam, vel iniuriam sui ordinis sub prætextu maioris religionis ad alium ordinem transuolaret, sicut à multis constat frequenter esse præsumptum; non quidem, vt ei licentia denegetur, qui postulauerit verè, non vt fictè ad melioris vitæ frugem valeat transmigrare. Igitur non fuit statuta lex pro reali transitu, sed pro fictis, & ex leuitate operantibus, quod in omni commutatione cauendum est, vt notat D. Bonauent. *in corpore.*

Alii id probant, quia non seruare promissa, est fidem frangere, etiamsi aliud det; sed hæc ratio est infirma, cui respondet Sanchez *loco cit.* ex D. Bonau. *ad 3.* non esse mendacium, dum datur maius, vt habetur *cap. peruenit*, citando. Addit S. Bonau. etiam, dum datur æquiualens. 354

Obiicies primò cum Sanchez *loco cit.* ex cap. peruenit, el 2. de Iureiur. *Promissum non infringit,*

qui

qui illud in melius commutat, & cap. Scripturæ, de voto: *Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam nofcitur religionis obseruantiam commutare.* Vbi Pontifex nullum priuilegium religiosæ professioni indulget, sed huius licitæ commutationis rationem reddit, ex ipsa rei natura petitam.

355 Respondetvr cum D. Bonauent. id verum esse, quoad promissi veritatem; attamen quia promissum debet cum dato æquari, & hoc iudicium spectat ad Dei procuratorem, sequitur, id agendum eius authoritate. Ad illud de religione iam suprà respondi, esse priuilegium singulare, & ratio redditur ex mutationis excellentia.

Obiicit secundò; de consensu creditoris potest vnum pro alio rectè solui, *Instit. Quibus modis tollitur obligatio*, & Deus semper vult melius: Ergo, si datur semper, est ei gratius.

356 Respondetvr ex dictis, ad creditorem spectare, quodcumque melius offeratur, & hoc etiam Deum velle, vt dixi. Confirmatur, nam ideo Sanchez *num.* 12. *&* 19. negat, posse fieri commutationem æqualis boni, quia impossibile est attingere hanc æqualitatem, & ideò non est credibile, commissum esse cuilibet vouenti, maximè in propria causa. Sed hoc importat etiam eandem difficultatem in cognoscendo excessu, quia ad cognoscendum excessum oportet videre: An sit super æquale: Ergo hac ratione non est credendum, id iudicio vouentis esse remissum.

QVÆSTIO XXXII.

An commutatio requirat causam.

✠ D.Bonauent. loco cit.

357 Prima opinio est, semper requiri aliquam causam. Ità Innocentius *rubrica de obseruatione ieiunij*, *num.* 2. Archid. *cap. presbyter*, *d.* 82. *num.* 3. vt notat Angel. *V. votum*, 4. *num.* 10.

Respondeat Sanchez *cap.* 50. *num.* 13. eos tantùm dicere, ieiunia promissa posse redimi authoritate superioris, si vtilitas subsit; & ideò neutrum declarare, an id opus sit, quando commutatio fit in melius.

Verum cùm Innocentius teneat, semper faciendam authoritate Prælati, vt refert ipse Sanchez *cap.* 49. *num.* 2. non video qua ratione dubitet, an spectanda sit ab eo vtilitas, etiam cùm materia est vtilior: ob id enim demandatur iudicium Prælato, vt mox dicam.

358 Secvnda opinio est, nullam causam requiri ad commutationem in melius euidens. Ità Abbas *cap.* 1. *de voto*, *v.* 3. *&* 5. & *cap. magna*, *num.* 16. *de voto*. D. Bonauent. *loc. cit. in* 4. *dist.* 38. *art.* 2. *quæst.* 2. vt notat Sanchez *lib.* 4. *cap.* 30. *num.* 15. Richardus *eadem dist. art.* 8. *quæst.* 1. Rosella *verb. votum* 5. *num.* 6. & *verbo Papa*. Angelus *votum*, *num.* 10. Syluest. *votum*, 4. Caietanus 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. Sotus 7. *de Iust. quæst.* 4. *art.* 3. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 40. *dub.* 15. *num.* 96. Viualdus *Candel.* 3. *part. cap.* 14. *num.* 14. Clau. Regia *lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 25. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 18. *quæsito* 3. Beia. *in resp. p. p. casu* 49. & 2. *part. casu* 9. Suarez *Tract. de voto*, *lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 9. Sanchez *loc. cit.*

Assero cum hac sententia, non requiri aliam causam, quàm maiorem vtilitatem, quando commutatur in melius.

Probatvr à D. Bonauent. Votum est pro-
missio facta Deo, quæ debet commutari absque 359
damnificatione Dei gloriæ, ad quam ordinatur, & spiritualis vtilitatis animæ: In commutatione autem in melius reperitur maior Dei gloria, & vtilitas animæ, ad quam ordinatur commutatio Voti, & ita prudenter iudicat Procurator, agens nomine Dei, qui ideo non est infidelis, dum res Domini in alias gratiores ei commutat, & hoc est, quod dicitur, cap. 1. de voto: *Consideres diligentius personam, an recompensatio melior fuerit, & Deo magis accepta.* Ecce autem magna vtilitas, dum fit commutatio in melius. Et *cap. de voto* commutatur votum peregrinationis Hierosolymitanæ fœminarum, eâ solâ causâ, quod subsidium pecuniarum magis prosit, quam earum præsentia. Hac ratione vtitur Sanchez *num.* 15.

Assero secundò, requiri causam quando com- 360
mutatio fit in æquale. Ita D. Bonauent. quem multi sequuntur apud Sanchez *num.* 17. ex quibus plurimi sunt, qui suprà fuere relati cum D. Bonauent. quibus adde Couarr. *de pactis* 1. *part.* §. 3. *n.* 4. Angles *flor.* 2. *p. quæst. vn. art.* 8. *diff.* 6. Suarez V. suprà *cap.* 19. Bassæum *V. Votum*, 6. *num.* 3. cum adductis ab illo.

Probatvr à D. Bonauent. quia sicut votum ordinatum est ad maiorem Dei gloriam, atque animarum vtilitatem; ità etiam ipsa commutatio; at si æquale tantùm reddatur, nulla gloria Deo, nullaque resultat vtilitas animæ, nisi aliundè adsit causa: Ergo. Hac ratione vtitur Sanchez *num.* 17.

Aliam rationem addit Sanchez, quia hæc commu- 361
tatio habet non nihil dispensationis mixtum; dispensatur enim in rigore fidelitatis, soluendo in diuersa specie, ac subinde aliquâ causâ opus est. Hæc tamen ratio soluitur à D. Bonauent. *ad* 3. seruari fidelitatem, dum datur æquale.

Quæstio autem est, quæ causa exigatur ad commutationem in æquale.

Aliqvi petunt causam, obstantem executioni voti. Ita Abbas *cap.* 1. *de voto*. Rosella *votum*, 5. *num.* 6. Syluest. *votum*, 4. in fine, Angel. *votum*, 4. *num.* 10. Abul. *cap.* 30. *Numer. quæst.* 105. Ouandus 4. *d.* 38. *d. unic. propositione* 26. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 18. *quæsit.* 5. Clau. Reg. *lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 26. Viualdus suprà, & innuit Sotus 7. *Iust. quæst.* 4. *art.* 3.

Probabilivs tamen est, non requiri talem 362
causam. Ita D. Bonauent. *loc. cit.* quem sequuntur Caietanus 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. & *in summa V. votum cap. vlt.* Armilla *num.* 14. Nauarr. *lib.* 3. *consil. tit. de voto*, *consil.* 16. in priori editione; at in posteriori, 36. Aragon. 2. 2. *quæst.* 88. *num.* 12. Valentia 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 6. *puncto* 7. Corduba *summa, quæst.* 149. Henriquez *lib.* 7. *de Indulg. cap.* 3. Petrus de Ledesma 2. *tomo*, *tract.* 10. *cap.* 8. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 40. *dub.* 11. *num.* 96. Gomez *in Bulla Cruciata*, *clausula* 10. *num.* 105. Suarez *loco citato*. & Sanchez *num.* 21. *cap.* 50.

Ratio est, quia cùm in commutatione rependatur saltem ad æquale opus; non est credendum, requiri causam, quæ exigitur in dispensatione, dum dimittitur.

Quæ vota possint commutari ordinariâ Prælatorum potestate.

QVÆSTIO XXXIII.

Svppono cum Sanchez *cap.* 52. ea omnia 363
vota posse Prælatos commutare, quæ valent dis-

pensare. Quæ autem sint hæc, dixi *quæstione* 26.

VOTA verò Papæ reseruata quoad dispensationem, reseruari ipsi etiam quoad commutationem, omnes fatentur. Nam in extrauaganti: *Et si Dominici la x. de pœnitentia, & remiss.* vbi hotum vototum reseruatio supponitur, est sermo de eorum commutatione. Hæc commutationis reseruatio extenditur etiam, ne in melius commutari valeant; Ita Suarez *Tract. de voto, lib. 6. cap.* 21. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 52. Licèt oppositum alij sentiant.

IN votum tamen religionis possunt omnia commutari, vt habetur *cap. scriptura de voto.* Vide Sanchez *loc. cit.* Nisi tamen tale votum à Pontifice maxi-
364 mo, aut Episcopo sit acceptatum. Vide Dianam *part.* 3. *tract.6. miscell. resol.*65. Quare si princeps vouerit liberationem terræ sanctæ, non satis eam commutaret in votum Religionis. Vnde consulendus Summus Pontifex, vt notat Bassæus *V. Votum* 6. *num.* 4. cum D.Thom. *quæst.* 88. *artic.* 12. Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 6. *cap.* 14. Lessio *lib.* 2. *cap.* 40. *dubio* 16. Vecchio *disp.* 13. *dub.* 4.

SI tamen commutentur in melius euidenter, non est actus iurisdictionis. Ità Bonacina *Tom.* 2. *d.* 4. *quæst.* 7. *puncto* 7. §. 3. *num.* 9. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 18. Faustus *lib.* 4. *quæst.* 3. & Bassæus *cit. num.* 5.

HÆC facultas est delegabilis etiam ab habentibus priuilegium.

Confessariis autem Societ. Iesu, & per communicationem aliis Mendicantibus confessariis ab Ordinario approbatis ad audiendas sæcularium confessiones, concessit Paulus III. facultatem commutandi Vota omnia. Et Gregorius XIII. extendit etiam ad iurata,
exceptis quinque reseruatis, quod ante concesserat 365
Eugenius IV. Congregatione Sanctæ Iustinæ, anno Domini 1437. Vide Sanchez *lib.* 8. *de matr. d.* 16. Compend. Priuil. Mendic. *V. Absolutio* quoad sæculares 2. Crousers *in cap.* 7. *Reg. min. lec.* 29. & Bassæum *num.* 5.


DISPVTATIO SECVNDA.

DE STATV RELIGIONIS, *SEV DE VOTIS SOLEMNIBVS.*

INTER cætera solemnium votorum emolumenta illud præcipuè emicat, vt non minus in hoc statu plura inter se vota, quam plurium inter se vitæ consocientur; Hinc enim, vt Seraphicus edocet *tit.* 4. *Diatæ, cap.* 1. plures in vnum congregati incedunt securiùs, resistunt fortiùs, & solatiantur iucundiùs: hinc etiam *Psalmo* 49. dicitur: *Congregate illi sanctos eius*, quippe quia, *melius est duos esse simul, quàm vnum*, volucres enim seorsim volantes, aut rapaces sunt, vt accipitres; aut socij iacturam lugentes, vt turtures, nec patitur nisi par Turturum offerri in Templo Dominus, vt sciamus, signum esse, si sola sit anima, non habens cui societur, non habere etiam vinculum illud perfectionis, charitatem scilicet, quo societur; quare non in disgregatos, sed in conuocatos Discipulos descendit Spiritus Sanctus *Act.* 2. vt obseruat S.Doctor *loco citato*, vbi pluribus aliis, & præclaris similitudinibus conuentualem vitam illustrat.

DE his agit etiam in Ecclesiastica Hierarchia, & latius in multis opusculis, post expositionem Regulæ Minorum, vbi disputat contra religionum impugnatores. Quoniam verò lata est hæc disputatio, in multas Sectiones eam diuidemus; & primò de statu Religionis in communi: Deinde verò de singulis Votis agemus: In qua disputatione egregiè loquuntur, & latè Suarez, & Sanchez, Waldensis *Tom.* 1. *Doctrinalis fidei.* Bellarm. *Tom.* 2. cum Valentia *disput.* 10.

SECTIO



SECTIO I.

De votis Religiosorum in communi.



VTi antiquitus in lege Mosaïca alia erant sacrificia, quæ partim populus Deo offerre, talia verò quæ totaliter; ita in lege gratiæ Ecclesia alios partim Deo dedicat per vota simplicia; alios verò totaliter deuouet per vota solemnia; illa enim solent cadere supra rem aliquam particularem; hæc autem totum hominem sanant, tres illas ægritudines auferendo, quibus totus ferè mundus inficitur, iuxta dictum D. Ioannis, *omne quod est in mundo aut concupiscentia oculorum est, aut concupiscentia carnis, aut superbia vitæ;* non tamen ex hac solum totalitate, vel partialitate oritur votorum solemnitas, aut simplicitas, vt mox discutietur.

QVÆSTIO I.

In quo solemnia vota à simplicibus differant.

1 

CELEBRIS est quæstio ista, atque admodum necessaria, eò magis, quò noua Pontificum decreta ad eam decidendam vrgent.

PRIMA sententia est, Vota solemnia, & simplicia differre ex natura ipsorum votorum, præciso omni iure Ecclesiastico; atque solemnium votorum essentiam consistere in traditione sui, rerumque suarum in manus Dei, ac vices Dei gerentium: Adducuntur à Sanchez pro hac sententia D. Thom. *in 4. d. 38. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 3.* D. Bonauentura *eadem dist. art. 2. quæst. 1.* Durandus *ibi. quæst. 1. & 2.* Richardus *ibi art. 7.* Mayro *quæst. vnic. part. 4.* Capreolus *4. d. 33. quæst. vnic. art. 1. concl. 2. & art. 3.* Deza *ibi quæst. vnic. art. 3.* Carthus. *4. d. 3. quæst. 2.* Fortunius Garcia *cap. 1. de pactis, num. 13.* Turrecrem. *cap. presbyterus, num. 1. & 2. d. 27.* Tabiena *dispensatio quæst. 7.* Sotus *7. de Iust. quæst. 2. art. 5. & 4. d. 38. quæst. 2. art. 1.* Petrus Soto *lect. 5. de matrim.* Couarr. *4. decret. 2. part. cap. 7. § 4. num. 7.* Ledesma *2. part. 4. quæst. 55.*
2 *art. 1.* Alex. Carterius *lib. 3. de sponsal. cap. 6.* Celaria *4. d. 37. quæst. 3. & d. 38. quæst. post septimum argumentum*, Viguerz *Instit. cap. 16. § 7.* Stunica *lib. 5. recopil. tit. 1. rubr. gloss. 1.* Vega *in summa, cap. 49.* Henriquez *lib. 1. de matrim. cap. 5.* Barbosa *Rubrica, ff. soluto matrimonio 2. part. à num. 93. vsque ad 100.* Aragon. *2. 2. quæst. 88. art. 7.* Hugolinus *de Sacramentis*, vbi de matrimonio *cap. 19.* Valentia *2. 2. d. 6. quæst. 9. puncto 5. & 4. puncto d. 10. de matrimonio quæst. 5. puncto 3.* Candelabr. *p. p. num. 129.* Petrus Ledesma *de matrim. quæst. 53. art. 2.* Barthol. Ledesma *de matrim. dub. 32. & dub. 33.* Ludouicus Lopez *2. part. Instruct. de matrim. cap. 48.* Graff. *2. part. decis. lib. 2. cap. 12.* Vega *2. Tomo summæ, cap. 57. casu 21.*

3 HANC quoque differentiam inter votum solemne, & simplex agnouere quidam alij antiquiores, licet solo iure humano dirimi matrimonium subsequens per professionem asserant. Hi sunt Ioan. Andr. *cap. vnico de voto. in 6.* ibi Abb. Anchar. Dominicus Archid. qui idem habet *cap. finali, num. 3. d. 27.* Cardin. *Clementina vnica de consang. num. 19. quæst. 42.* Altisiodor. *lib. 3. summa, Tract. 28. cap. 2. quæst. 3.* & Brunellus *de sponsal. concl. 31.*

QVOAD D. Bonauent. qui pro hac adducitur, dico, eum *illa quæstione* solùm asserere, communiter dici non posse Ecclesiam dispensare in voto solemni castitatis ad matrimonium ineundum, & ideò videri falsum, eam illegitimitatem esse ab ea, quia ipsa potest in suis constitutionibus dispensare.

AT *quæstione 3.* rursus proponens: An Ecclesia possit in votis solemnibus dispensare, vt diximus *disputatione præcedenti, quæst. 29.* & relatis vtrinque opinionibus, non audet definire, & ingenuè se fatetur nescire, quæ sit verior sententia (aliam enim etiam præter has duas recenset) & subdit: *Satis potest qualibet sustineri, ideò nullam asserto.* Vt suprà etiam notaui. 4

IN Diæta verò salutis *loc. cit.* ingenuè fatetur votorum solemnitatem ab Ecclesia esse ortam, vt dicam *in argumentis.* Quæcumque ita sint, non insistit isti primæ sententiæ, vt communiter circumfertur. Sed secundam potius videtur amplecti, quam statim referam; quamuis autem vota omnia teneat esse de iure Diuino quoad obligationem, vnde in dispensatione vtatur moderatione quadam, vt vidimus, nil contra hoc; nam id commune est votis simplicibus.

Secunda igitur sententia est, Vota solemnia ex sola Ecclesiæ institutione à simplicibus esse distincta. Ita D. Bonauent. suprà relatus, quem sequuntur Scotus *in 4. d. 38. quæst. vnica*, & ibi Paludanus *quæst. 4 art. 4. concl. 11. num. 49.* Caiet. *2. 2. quæst. 88. art. 7. dub. 1.* Abul. *quæst. 100. ad 30. Numer.* Michael Medina *de sacrorum hominum continentia, lib. 4. controu. 7. cap. 22.* Guilielmus Vorrilong. *4. d. quæst. vnica, art. 2. concl. 1.* & ibi Palacios *d. 1. concl. 1. 2. 3. & 4.* Ouandus ibi *quæst. vnica prop. 16.* Azor. *lib. 12. Instit. moral. cap. 6. quæsito 1.* & ferè omnes, qui asserunt, solo iure Ecclesiastico dirimi matrimonium per religionis professionem, quos referam infra. & hanc sententiam probabilem ait Valentia *2. 2. d. quæst. 6. puncto 5.* 5

DAMVM hanc tuentur egregie Ribadeneira *in libro de Instit. Societatis Iesu, cap. 15.* Vasquez *p. 2. d. 165.* Sanchez *lib. 7. de matrimonio, d. 25. & lib. 5. summæ mor. cap. 1.* Tanner. *d. 5. quæst. 4. num. 63.* referens Canonistas omnes, D. Thomam, Aragonium *quæst. 88. art. 7.* Suarez *Tom. 2 de religione, cap. 14.* Lessium *lib. 2. cap. 40. dub. 14.* Bellarminum *lib. 1. de matrimonio, cap. 21.* Vasquez *d. 165. cap. 2.* & apud eum Abulensem, Pelag. Ledesmam, Cordubam, & alios: Sic etiam Scotistæ apud Mastrium *Tom. 4. d. 7. num. 438.* 6

ASSERO, vota solemnia à simplicibus differre ex traditione Ecclesiæ probabiliter.

PROBATVR primò à D. Bonauent. *lib. 1. Pharetra, cap. 31.* ex D. Bernardo *tract. de præcepto, & dispens.* ante medium, vbi ait: *Consideratio penes Abbatem sit, & hoc, vel illud esse in prouidentia, vel arbitrio, seu dispositione Abbatis. Vt autem pro sua voluntate aliquid mutet de regula, me ibi legisse non recolo: quinimò omnes magistram regulam sequantur, nec ab ea temerè demetur à quoquam. Ergo nec etiam ab ipso Abbate. Omnes magistram sequantur regulam, nemo ergo suam voluntatem*, & paulò post: *Super fratrum transgressiones, non super Patrum traditiones constituitur, qui Abbas eligitur, mandatorum cultor, vltor vitiorum.* Vbi Abbas obseruantiam regulæ asserit esse Patrum traditiones: Ergo Ecclesiæ. 7

PROBATVR

8 PROBATVR secundò à D. Bonauent. *in Diæta salutis, titulo 4. cap. 1.* quia licet etiam antiquis temporibus Samuel, Elias, & Elisæus Discipulos ad perfectionem congregarint, & Ioannes Baptista Discipulos educarit, vt habetur 1. *Reg.* 10. 4. *Reg.* 4. *Ioan.* 1. & Christus Discipulos, & Apostolos elegerit, vt habetur *Matth.* 4. attamen qui primi simul vitam religiosam instituère, fuerunt Apostoli *Actorum* 4. vbi nemo quidquam suum esse dicebat, sed omnia erant communia; sicut & D. Marcus Alexandriæ. Inde enim orti sunt Monachi, ex quibus tria erant genera, id est, Cœnobitarum, qui in communi viuebant, Remobath, qui bini, vel terni inhabitabant, & Anachoretæ, qui soli in deserto viuebant, quorum Princeps fuit Ioannes Baptista. Quod verò ab Apostolis inceperint Religiones, vt ait D. Bonauent. probatur ex Eusebio *lib. 2. historia, cap.* 16. Hieronymo *de viris illustribus in Philone.* Augustino *sermone 2. de vita communi clericorum.* Possidu. *in vita Augustini.* Isidoro *l. 2. de off. cap.* 15. Cassiano *collat.* 18. vt notat Bellarminus *lib. 2. de monach. cap.* 5.

9 HOC est, quod Bonifacius VIII. *cap. vnico de voto, in* 6. declarat, solemnitatem voti ex sola Ecclesiæ institutione inuentam esse.

Et GREGORIVS XIII. in sua Extrauaganti: *Ascendente Domino*, vt redarguat dicentes, emittentes vota simplicia biennij in Societate Iesu non esse religiosos, reddit rationem eorum erroris, eò quòd non considerarint, solemnitatem voti sola Ecclesiæ constitutione inuentam esse.

HÆ autem Bullæ emissæ fuerunt post D. Bonauenturæ tempora, vt liquidò patet, ideo nil mirum, si D. Bonauent. in alteram etiam sententiam propendere visus sit, quæ erat antiquior; hæc enim sententia primum habuit defensorem Scotum, qui multò post D. Bonauenturam vixit; altera verò multos antiquos, suprà relatos.

10 RESPONDANT tamen, solemnitatem votorum, quæ est ex traditione Ecclesiastica, eam esse, quæ instituta est, vt in facie Ecclesiæ professio sit manifesta, nec valeat negari; at essentialiter, prout dicit traditionem sui in manus prælati, esse ex ipso iure votorum solemnium; Sicuti solemnitas matrimonij, vt coram testibus, & Parocho fiat, est ex Ecclesiæ institutione necessaria, ita vt si desit, reddatur matrimonium irritum; at verò solemnitatem essentialem matrimonij nemo negabit iure Diuino naturali; ea enim consistit in traditione mutuæ corporum: Quæ ante ius positiuum Concilij Trident. sufficiebat ad valorem matrimonij. Hæc responsio colligitur apud D. Bonauent. *loc. cit. in corpore.*

11 SANCHEZ *loc. cit. de matrimonio, num.* 4. hanc responsionem sic refellere nititur, quia Bonifacius VIII. ex eo deducit, duo tantùm vota solemnia irritare matrimonium, quia enim ex solius Ecclesiæ institutione pendet voti solemnis natura, & Ecclesia admisit, vt solemne votum emissum in Professione, & Ordine, ideo tantùm est duplex votum solemne, quæ ratio corrueret, si intelligeretur de solemnitate tantùm accidentali; non enim ex accidentibus res illa definienda erat.

12 HÆC tamen responsio retunditur exemplo allato matrimonij; nam etiam Concil. Trident. irritat matrimonia carentia eâ solemnitate accidentali superinductâ, quia solemnitas illa apposita est, vt deinceps necessaria; & ideò non se habet ad modum accidentis. Satis ergo est, si sic deducatur: Quia sunt tantùm duo vota, iuxta decreta Ecclesiæ solemnia; ideò iuxta eadem volumus ea esse irritantia matrimonium. Imò vrgeo: Si ex vi votorum solemnium irritum esse matrimonium definiret, cuius vinculum est de iure naturæ, eò quòd vota essentialia sint Ecclesiastico iure solo, essentialiter sequeretur infirmari rationem Pontificis, & induci ex iuris Ecclesiastici mero impedimento irritationem rei, quæ est de iure naturæ. Scio, indè non prosterni rationem: nam cùm matrimonium sit etiam contractus, potest illud ad aliquas conditiones necessarias cogere, quibus deficientibus irritum fiat. Sic ex defectu Ecclesiæ solemnitatis irritatur à Concilio Tridentino nouiter, licèt antea validum esset, sicuti etiam validum est in locis, vbi Sanctum Concilium non est receptum.

13 VALIDIVS ergo Papa argues: Votum solemne est tale essentialiter ex iure Diuino naturali, & hoc est duplex: Ergo sufficiens erit ad contractum matrimonij irritandum induci.

ALIA adducit Vasquez *loc. cit. à num.* 14. vsque ad 18. vt his decretis suam sententiam immobilem reddat; at pace omnium, sit probabilis tantùm.

PROBATVR tertiò à Sanchez *lib. 5. de votis, cap. 1. num.* 6. quia licèt in votis paupertatis, & castitatis ea dominij translatio sit, & inhabilitas ad matrimonium; at in voto obedientiæ non adest; nam post votum adhuc multa potest liberè velle, & facere, & contra superioris præceptum, sic iussus ne voueat, vel pro alio factum faciat, potest adhuc validè agere. Similiter votum Minimorum de vita quadragesimali est solemne, cùm tamen in hoc non detur hæc traditio priuans dominium, etiam facultate contrarium validè faciendi.

HÆC ratio est infirma, nam Pontifex arguit (& merito) irritationem matrimonij ex voto solemni; prout est traditio dominij, implicantis cum traditione coniugali; ad hanc verò frustra venamur traditionem Minimorum, quoad cibos quadragesimales, & votum obedientiæ in quibusdam rebus: oportet autem, vt libertas adesset, etiam in aliis implicantibus cum iure matrimonij.

14 PROBATVR quartò à Sanchez. Nulla traditio naturaliter potest irritare matrimonium etiamsi maxima sit (excepto vinculo præcedentis matrimonij adhuc subsistentis.) Probatur; nam seruitus, quæ maxima omnium traditionum est, non impedit matrimonium futurum.

HÆC ratio est infirma, vt habet D. Bonauent. *in 4. d. 38. art. 1. quæst. 3. in corpore.* Nam seruitus solùm in corporis seruitio quo ad ea, quæ Domini obsequium respiciunt, consistit, nec includit voluntatem, nec cohabitationem cum vxore, si habeat ad conuiuendum: Itaque seruitus non est maxima traditio, vt fatetur ipse Sanchez *in summa, lib. 4. cap.* 35. quod probatur ab ipso, nam coniux potest vxoris vota omnia irritare (secundùm ipsum:) at non sic Dominus, serui: ratio eius est, quia potestas dominatiua, cui traditus est seruus, est minor aliis, & solùm aliqua corporis ministeria requirit, Domino debita: at votum religionis in pluribus obligat subiectioni, vt luce clariùs patet meridianâ: esto in aliquo seruitus præcedat in habendo aliquid proprij, quod religiosus non potest habere.

15 PROBATVR quintò à Sanchez, quia vovens paupertatem, non redditur ex natura sua priuatus dominio suarum facultatum, nec inhabilis ad acquirendum dominium, non enim fit donatio aliqua acceptante alio, ideò ex Ecclesiæ iure venit.

RESPONDETVR, venire ex ipso iure voti, quo Prælato, sub vitâ communi vices Dei tenenti, cedat; quocumque verò deuoluantur bona, nil refert, ideò, secluso iure Ecclesiastico, translatum est ab ipso vovente dominium, saltem ad hæredes ab intestato.

testato. Adde, accedere testamenta, quæ ex Dei consilio præcedunt: *Vade, vende, &c.*

16 PROBATVR sextò à Sanchez *loc. cit.* saltem respectu matrimonij, non reddi voventem solemniter inhabilem, quia voluntas cuiusuis personæ priuatæ reuocari potest ab eadem persona per aliam contrariam voluntatem, quia reuocata cessat inhabilitas: Ergo illa inhabilitas non venit ex iure naturæ. Confirmatur; nam iure antiquo probabile est professos habuisse aliquorum bonorum dominium, vt latè probant Ribad. Vasquez. & Azorius. At hæc multò imbecilliora sunt, nam falsum est, omnem traditionem (dempta donatione, & traditione coniugali) posse validè reuocari, sublato iure humano. Quod si verum esset, valida esset etiam dispensatio à Pontifice, lata absque causa in votis, maximè religionis; posset enim Papa tollere iuris humani irritationem, cùm Ecclesiasticis omnibus constitutionibus præsit, vt notat D. Bonauent. *loc. cit. in corpore.* Quare ergo volente ipso religioso, & Ecclesia consentiente, inualida est liberatio à votis, nisi quia, cùm dominium transferit ad Deum per vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ, non potest validè ex sola voluntate voventis reuocari, vt probat Sanchez *lib. 4. summa, cap. 45.*

17 QVÒD vero aliàs non esset omnimoda traditio dominij rerum temporalium, friuolum est, vt habetur in omnibus Patriarcharum regulis, & colligitur *ex 4. Actuum Apostolorum citato.* Imò iure antiquo nullis clericis licebat habere proprium, vt notat D. Bonauent. *ad caput 1. Regulæ, §. sine proprio.*

PROBATVR idem etiam *d. 25. septimi de matrimonio* primò *ex cap. vnico de voto*, cui respondi.

DEINDE quia Cælestinus III. *cap. rursus, qui clerici, vel vou.* ait: *Votum simplex non minus apud Deum obligare, quàm solemne.*

RESPONDETVR, eum tunc respondere casui, 18 quo quis vouerat castitatem, & postea iurauerat puellam quandam accipere vxorem: an iuramentum esset validum.

RESPONDET autem, esse malum, & imponit pœnitentiam, quia votum est promissio Deo debita, sicut & solemne, & in hoc vtrumque euacuare potest iuramentum, post emissum. Itaque illud (*non minus*) sonat comparationem velut proportionalem, ita vt naturâ suâ tamen solemne sit maius vinculum, quod probauit, nam statim subdit: *Si his ad nuptias conuolauit, dicit, valere matrimonium, quia votum simplex impedit matrimonium contrahendum, non autem dirimit contractum*: Vbi nota, eodem modo Pontificem dicere, Votum simplex obligare coram Deo, etsi postea, iuretur contrarium, sicut obligat etiam solemne, idest, natura sua, & subdere; votum simplex non irritare, sicut irritat solemne, idest, natura sua; alioquin Pontifex non solidè locutus esset.

19 PROBAT tertiò, quia ante tempora Cælestini III. *cap. Rursus citato*: & Alexandri III. *cap. insinuante & cap. meminimus, eodem tit.* non est in Ecclesia audita mentio voti simplicis, & solemnis. Nam D. Augustinus *Psal. 75.* votorum species recensens hanc non memorat. Nec Hugo *serm. 53. de Instit. Monast. & lib. 2. de Sacramentis, parte 12.* vbi solùm dicit votum in occultum, & publicum. Quod S. Theodorus Archiepiscopus Cantuariensis, qui floruit anno 690. meminit voti simplicis, vt refertur *cap. si vir, 27. dist.* videtur id additum ab aliquo, cùm id non habeatur *cap. si quis votum, 27. quæst. 1.* vbi idem caput refertur. Vnde signum est, meram Ecclesiæ institutionem id discrimen apposuisse. Confirmatur, quia antiquitus non erat hæc professionis forma, & fuit inuenta ab Ecclesia.

RESPONDETVR, nil firmum habere; nam apponitur nota voti simplicis *in cap. si vir*, vbi integer 20 canon recitatur; at *cap. si quis votum*, remittit se ad Canonem. *Si vir*, & solùm incipit: *Si quis votum virginitatis habens, &c.* remittens se ad dictum caput *si vir*, quod sit votum simplex, vt notat marginista, & Glossa, ideò nil ad rem contra primam sententiam; imò redarguo: solemnitas voti, quæ est ex institutione Ecclesiæ, apponitur à Bonifacio VIII. qui obiit anno 1303. & regnauit post S. Cælestinum V. qui obiit 1294. quare antea alia solemnitas essentialis dabatur, irritans matrimonium. Neque dicas, Bonifacium supponere iam ita esse; nusquam enim hoc reperitur.

QVOAD professionem verò, constat ex regulis Sanctorum, Benedicti, Augustini, Pachomij, Basilij, eandem essentialiter solemnitatem extitisse, esto aliquid verborum immutatum sit.

PROBAT quartò, quia posset Ecclesia decernere, vt vota solemnia non irritarent matrimonium.

RESPONDETVR, negando id, nec Sanchez 21 vel alius probat, imò id fatetur Sanchez infra *in responsione ad argumentum ex cap. Cùm ad monasterium.*

PROBAT quintò, si aliquis deceptus voueat solemniter in religione, non approbata ab Ecclesia, possit non soluere ea vota matrimonium subsequens, vt colligitur ex *cap. vnico de voto, in 6.*

RESPONDETVR, non conuincere; nam promissio debet fieri alicui nomine Dei deputato: at Prælatus non legitimus non est deputatus à Deo. neque verò se tradit in mancipium Deo, aërem verberans, vt supponit Sanchez *in confirmatione*, sed alicui vices Dei gerenti.

PROBAT sextò, quia posset aliquis se Deo tradere, transferendo dominium suæ voluntatis, & tamen non erit votum religionis.

RESPONDETVR, ad solemnitatem voti requiri fundamentum traditionis perfectæ omnium re- 22 rum, præcipuè, obedientiæ homini, quæ non fit soli Deo, cui semper tenemur.

VOVENS castitatem, & posteà fornicans, peccat; at qui vouit de futuro religionem ingredi, sacrilegio non peccat; ratio est, quia ille iam se tradidit Deo; hîc verò non adhuc: Ergo in voto simplici est traditio, & non differt in hoc à solemni.

RESPONDETVR, aliquam esse traditionem in voto castitatis, sed non adæquatam, vt infra dicam; neque vitæ totius, vnde non est ad rem; neque religio debet accipi prædita vnico voto, cùm tria sint ad eam necessaria. Præterea fit traditio sub aliquo homine, nomine Dei; obligatio tamen adhuc est iuris Diuini; non enim iure humano fit ille Dominus huius voventis. Per hoc patet ad reliqua.

IMÒ arguo ex nono argumento Sanchez, vbi probat assertionem ex eo, quod Gregorius XIII. 23 definit vota simplicia biennij in Societate Iesu constituere verum religiosum. Si ex ipso Ecclesiastico iure decernuntur nouiter ea vota, vt fatetur Papa, dicens: *Statuimus tria vota huiusmodi, etsi simplicia, ex huius sedis institutione, ac nostra etiam declaratione, & confirmatione, esse verè substantialia religionis vota, ac in dicta societate, tanquam in religione approbata per sedem eandem admissa fuisse, & esse, ac per nos admitti*; sequitur ergo ex iure Ecclesiastico nullam esse differentiam & omnia esse solemnia; nam vota simplicia Societatis Iesu eundem effectum habent: oportet ergo aliundè inuenire differentiam.

Probatur.

24 Probat 10. Traditio, & promissio sunt contraria; sed votum solemne est promissio Deo facta; ergo non est traditio.

Hoc argumentum friuolum est; dicitur enim promissio, quoad totam vitam futuram, eo obsequio ducendam; dicitur traditio, quoad præsentem donationem, quæ ideò habet adiunctam promissionem, eò quòd traditio posset esse pro nunc.

Probat vndecimò, quia traditio habet rationem generis in voto solemni; at circumstantiæ ab Ecclesia impositæ rationem differentiæ; sed res non à genere, sed à differentia habet esse: Ergo votum solemne ab Ecclesiasticis circumstantiis habet esse.

Futile sanè argumentum petens principium; hoc enim est, quod erat probandum, cùm aduersarij dicant, Ecclesiasticas solemnitates habere tantùm rationem accidentis.

Vltimò probat. Iuramentum solemne differt à simplici solùm, quia habet formulam quandam iu-
25 re præscriptam: Ergo & votum.

Respondetur negando paritatem, hoc sanè sic idem esse probaret & votum publicum, & priuatum; at solemne exhibet plura, & perfectius, quàm priuatum.

Assero secundò, non esse priorem opinionem improbandam.

Probatur à D. Bonauent. *loc. cit.* Quæcumque sunt de iure Ecclesiastico, possunt ab Ecclesia immutari, & dispensari; sed in voto solemni non potest probabiliter Ecclesia dispensare ad matrimonium, vt fatetur Sanchez *lib. 8. de matrimonio*, d. 8. *num. 5.* Ergo maior est euidens, & ab omnibus concessa.

26 Minor probatur ex *cap. cùm ad Monasterium* ad finem *de statu Monachorum*, vbi habetur: *Custodia castitatis, adeo adnexa est regula Monastica, vt contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

Respondet ibi Innocentius *num. 31.* Cardinalis *num. vltimo.* Durandus *in 4. d. 28. quæst. 2.* Pelagius *de planctu Ecclesiæ, lib. 1. art. 46.* consultò textum dicere, non posse Papam dare licentiam, & non loqui de dispensatione, quasi dicat non posse ad libitum, & absque causa iusta.

Contra, quia, vt notat Abbas ibi, licentia venit à *licet*, quod importat causam iustam, rationemque consentaneam, vt cum Bartolo *leg. aliam, num. 8. ff. de alim. & cibar.* & aliis tradunt Menochius *de arbitr. lib. 1. quæst. 8. num. 45.* Næuo *cap. 1. num. 110. de consilt.*

Respondet Abbas ibi, non ex facili causa Pontificem dispensare posse; vel non posse, commutando in aliud bonum magis Deo acceptum.

At hæc responsio non placet ipsi Sanchez. Ratio
27 esse potest, quia textus absolutus est.

Respondent Bartholomæus Socinus *consil. 92. num. 2. vol. 1.* Richardus *in 4. d. 38. art. 9. quæst. 1.* Dorandus *loc. cit.* Paludanus *quæst. 4. art. 4. concl. 11.* Caietanus *2. 2. quæst. 88. art. 11. & in opusc. tom. 1. tit. 27. quæst. vnica.* Palud. *dist. 3. quadrupl.* Azorius *lib. 12. Instit. moral. cap. 7. quæsit. 1.* Valentia *2. 2. d. 6. quæst. 6. puncto 7.* Sanchez *lib. 8. de matrim. d. 8. num. 12.* Non posse Papam dispensare in castitate Monachum in sensu composito, vt sumat vxorem; manens in statu Monachali, quia est contra status Monastici essentiam.

Addit Sanchez aliam responsionem, Papam loqui quadam hyperbole; quia enim Abbas volebat sibi integrum esse dispensare Monachum in proprietate retinenda, arguit Papa à minori ad maius; quasi dicens: Vix mihi potestas est dispensandi, atque de ea magnopere controuertitur. Qua ergo ratione eam tu tibi vsurpas?

Verum, vt Glossa aduertit *ibi*, Papa definit suam sententiam non hyperbolicè; sed seriò, & adæ- 28
quatè concludendo: Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est adnexa regulæ Monachali, vt contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere. Ratio autem Glossæ est, quæ est D. Bonauent. *in 4. d. 38. art. 2. quæst. 3. in corpore*, quia nil condignum est, in quod transmutetur status solemnis castitatis, ad quod alluditur Ecclesiast. 26. *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ*, non eò quòd non possit esse religiosus, nam non omnino constat, an omnimoda castitas sit necessaria statui religioso, vt fatetur Sanchez *cap. 1. num. 17.*

Neque casus ille refert, Abbas præsumpsisse concedere Monachis proprium; nec Pontifex cum 29
redarguit, sed multa ad obseruantiam necessaria tradit, vt patet legenti. Hæc probabiliter dixi. Probabilis igitur est sententia, quàm S. Bonauent. non audet reprobare, nempè votum solemne, quod quidem non est tale in quantum est publicum, vt aliqui voluere, nisi fortè Hugo *lib. 1.* & alij nomen publicè pro solemni adhibent, certè enim vota solemnia nouerat, vt patet legenti eius opera. Votum inquam solemne est natura sua differens à simplici; quòd solemni fit translatio dominij vouentis in manus acceptantis nomine Dei, qui acceptat illud, ita vt hinc reddatur inhabilis, vt idem dominium transferret in aliud reuocando à primo possessore legitimo per matrimonium: at in voto simplici non transfertur perfectè dominium in Deum, sed solùm quoad non vsum venereorum, ideò potest transferri validè per matrimonium.

Similiter in voto solemni homo homini, & Deo simul obligatur, sicut etiam in matrimonio, ideò 30
est par vtrobique obligatio, & par obligatio non solùm vinculum pacis obligationis, ideò obligatio voti solemnis non potest infringi per superueniens vinculum matrimonij, non sic autem simplex, quod soli Deo spondet.

Hinc videor rationem aliquam elicere, cur Cælestinus III. *cap. Rursus, qui clerici, vel vouentes*; definiens, eum, qui post votum simplex castitatis iurauerat puellæ matrimonium, non teneri seruare illud iuramentum, licèt videretur facta promissio Deo, & homini, adducat pro ratione, quod simplex votum apud Deum non minus obliget quàm solemne, quasi dicat: Votum solemne est promissio facta non solùm Deo, sed hominibus, ideò in hoc comparo 31
obligationem votorum istorum tantùm coram Deo, nam in altero votum solemne præcellit; promissio verò iuramenti, facta mulieri illi, posterior, & inferior est promissione factâ Deo; neque potuit fundamento aliquo alia legitima promissio fieri Deo per illud iuramentum; addit, imò potius iniuria, ideò non valet, nec subsistit.

Eandem differentiam votorum colligo *ex cap. meminimus, eodem titulo*, vbi Pontifex definit: *Si* 32
quisquam, qui se religioni deuouit, & habitu suscepto professionem fecit, postmodum sibi aliquam copulauerit, est cogendus ab ea recedere, & ad Ecclesiam, cui se contulit sine contradictione transire. Verùm si nec habitum suscepit, nec professionem, sed votum solummodò fecit, & se ad religionem transiturum promisit: Licet postea matrimonium contraxerit, non est co-

gendus

gendus ad religionem transire, & matrimoniale votum rescindere.

Hic Pontifex clarè dat rationem S. Bonauent. cur votum solemne, non autem votum simplex, irritet matrimonium, nempe, quia votum solemne est naturâ suâ maius vinculum, scilicet traditio hominis Deo facta, at votum simplex est promissio soli Deo. Idem innuitur *cap. insinuante, eodem titulo.*

33 Iam verò optima ratio habetur pro sententia prima, quam videtur amplecti D. Bonauent. Quandocumque duo paria sunt: alterum non agit in alterum, vt in bona Philosophia habetur, sed actio debet esse in impar inferius: at vinculum matrimonij, & religionis sunt paria, nam vtrumque tradit se Deo, & homini; at votum castitatis est impar inferius; quia est traditio soli Deo: Ergo matrimonium non potest agere ad soluendum vinculum solemnis voti religionis, & potest agere in simplex votum. Hæc dixerim, quia nullam aiunt aduersarij pro hac sententia rationem reperiri; sed solam illam doctrinam de traditione.

QVÆSTIO II.

An Vota *solemnia sint necessaria ad statum Religiosi.*

D. Bonauent. in Dieta tit. 4. cap. 1. & alijs ll.
D. Thom. 2. 2. quæst. vlt.

34 Religio communiter definitur *Status hominum, ad perfectionem, castitate, paupertate, & obedientiâ tendentium.* Colligitur ex D. Thom. 2. 2. *quæst. vltima*, & D. Bonauent. *in Dieta, tit. 4. cap. 1.* & in *expositione regula Minorum* Et refertur à Bellarmino *Tom. 2. lib. 2. de Monachis, cap. 2.*

Svppono autem, magis, quàm velim probare ex D. Bonauent. *in Dieta loc. cit.* ad religionem necessaria esse tria vota, Castitas, quâ corporis bona Deo consecrantur: Paupertas, quâ res extrinsecæ; & obedientia, per quam pretiosissimum bonum animæ, nempe voluntas, Deo consecratur. Ita habetur *cap. cum ad Monasterium* suprà relato. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst. vltima, art. 3. 4. & 5.* Bellarminus *Tomo 2. lib. 2. cap. 9. & à cap. 10.* vt ostendam *quæst. 4.*

35 Ratio D. Bonauent. *loc. cit. Dieta, & regula*, est, quia status religionis est via ad perfectionem; atque adeò ea debent amoueri, quæ maximè impediunt, nempe diuitiæ, vt habet Apostolus, prima Timot. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas.* Castitas aufert venerea, quæ maximè delectationis pruritibus titillant, ac in fœditatem demergunt, & curam adducunt familiæ, atque filiorum: & obedientia aufert voluntatem propriam, sine qua non esset infernus, vt ait D. Bernardus *serm. 3. de resurrect. Domini* ante medium. Hæc D. Bonauent. quem imitatur Sanchez *lib. 5. cap. 1. num. 16.*

Nota quoad paupertatem, satis esse, si res adeò retineantur, vt non liceat eis vti absque superioris licentia. Ita Gregorius XIII. Extrau. *Ascendente* de Biennalibus Religiosis Societatis Iesu.

Hæc autem necesse est, vt modo aliquo firmentur, vt docet D. Bonauent. *loc. cit.* ex D. Thom. 2. 2. *quæst. vltima, art. 6.* Ratio est, quia status petit immobilitatem.

36 Præterea requiritur, vt vota emittantur in Religione approbata à sancta Sede Apostolica Romana. Hoc Indicat S. Doctor initio expositionis Regulæ, & Glossa *in Clem. Cum ex eo, V. tertio, de sentent. excom.* Abbas *Rubr. de regul. num. 1.* & alij.

Tandem requiritur, vt hæc vouens constituatur sub alicuius potestate, quod vel ex Ecclesiastica institutione oritur, vel ea natura rei iuxta dicta *quæst. 1.*

Qvod hîc quærendum est, an vota solemnia sint de essentia Religionis.

Fvit opinio dicentium, vota solemnia esse de essentia Religionis. Ita visi sunt sentire D. Thom. 2. 2. *quæst. vltima, art. 2. ad 1.* Glossa *cap. 1. verb. dedicanda de relig. domib.* D. Antonin. *3. part. tit. 16. cap. 3.* Syluest. *votum 4. quæst. 5. & verb. religio* initio *& 3.* Angelus *verb. religiosus*, Armilla *religio. & ibi.* Tabiena, Caietanus 2. 2. *quæst. 188. art. 1. ad 4.* Sotus *lib. 7. de Iustitia, quæst. 5. art. 1. concl. 8.* Nauarr. *cap. non dicatis 12. quæst. 1. num. 25.*

Enim verò iam nostra ætate sanctissimus Papa Gregorius XIII. motu proprio declarauit, Biennales Societatis Iesu, votis merè simplicibus esse religiosos, non secus, ac professos cuiuscunque religionis: Ita omnes PP. Iesuitæ, & ita tenendum. 37

Attamen, quia non sunt damnandi tot sancti, & proceres Theologi, inter quos est etiam D. Bonauent. *in 4. d. 38. art. 2. quæst. 1.* qui solum votum solemne religionis agnoscunt, & à voto simplici diuersum astruunt.

Oportet adnotare cum Caietano 2. 2. *quæst. 88. art. 7. col. 2.* statum Religionis posse ab Ecclesia in voto simplici constitui, quod tamen non erit ex natura rei, sed ex priuilegio contra ius commune, vt ostendit eruditissimus Syluester *V. Priuilegium* initio Hoc vero ita probo ad hominem contra Sanchez.

Ea quæ iure antiquo non erant talia, & solùm post ius Ecclesiasticum facta sunt talia, non sunt natura sua talia ex Sanchez *disput. 25. septimi libri de matrimonio, num. 2.* & proportionaliter non sunt ex iure Eccl. siastico simpliciter, si ante, iure Ecclesiastico non erant talia: at vota simplicia ante decretum Gregorij XIII. non constituebant Religiosos, nec matrimonium dirimebant, quod soli solemni concessum erat *cap. vnico de voto in 6.* Ergo ex natura rei, vel Ecclesiastico simpliciter non sunt talia, sed ex nouo priuilegio. 38

Respondet Sanchez, nullo iure fuisse cautum, vt nullus esset Religiosus absque votis solemnibus, licet ea sola irritarent matrimonium. At hoc probatur *ex cap. minimus vbi qui Clerici, vel vou.* vbi vouens solemniter cogitur ad Monasterium; at vouens simplici voto non cogitur transire, vt certum est, id esse quia non est Religiosus.

Idem probo *cap. ex parte tua, de conuer. coniugat,* vbi habetur, quod mulier quædam, quæ à matrimonio rato recedebat, cogitur vel matrimonium consummare, vel vouere religionem; nec ad hoc satis censetur votum priuatum castitatis: Ergo votum priuatum non facit Religiosum iure antiquo. 39

Igitvr cum hoc priuilegium datum fuerit tot centurias post D. Bonauent. nam fuit datum anno 1572. signum est, hoc non esse dicendum simpliciter ius commune Ecclesiasticum; quod antea opposita praxi vsque ad hæc tempora perseuerauit.

Qvare non video quo iure terrorem incutiat Sanchez *lib. 5. summa, cap. 1. num. 26.* ne quis asserat, vota simplicia ex solo priuilegio constituere statum Religionis, cum nunquam ante tempora Gregorij XIII. id fecerit. 40

Instat Sanchez, Gregorium definire, hos esse religiosos,

religinſos, non ſecus ac alios. Bona pace fruantur: non dicit, *eodem iure*; ſed, *non ſecus*, quod ſimilitudinem indicat. Confirmatur ex Valentia 4. *parte d.*10. *quaſt.*5. *puncto* 3. vbi dicit, Biennales in Societate Ieſu eſſe quidem religioſos verè, non tamen in eo gradu perfecto ſtatus religioſi, ſicuti profeſſi ſolemnes. Idem ſentit Henriquez *lib.* 12. *de matrim. cap.* 5. *num.* 3. *iuncto commento, litt. N, & num.* 6.

41 INSTAT Sanchez *num.* 26. Per ea vota ſimplicia fieri perfectam traditionem.

RESPONDETVR, hæc eleuari ad hoc, quod ante non operabantur. Præterea deficiunt ex natura rei à perpetuitate, quia poſſunt expelli, unde non eſt accepta traditio eâ perfectione, quâ traditio ſolemnis. Adde, eos retinere bonorum dominium, quod non retinent ſolemniter profeſſi.

CONFIRMATVR, nam & Cardinales Congregationis ſanctæ Inquiſitionis, congregati vna cum Sixto V. decreuère, ſubſtantiam religionis conſiſtere regulariter in votis ſolemnibus: at poſſe Summum Pontificem aliter indulgere, ſcire, & ſtatuere, vt refert Rebadeneira *de ſuo Inſtituto, cap.* 17. *ad* 3. Ergo emittentes ea vota ex ſolo priuilegio ſunt veri religioſi, etiam in opinione dicentium, ſolemnitatem votorum
42 eſſe iuris Eccleſiaſtici. Si velis dicere, vota ſolemnia conſtituere religioſum ex natura rei; hoc verò ex Eccleſiaſtica facultate, adhuc priuilegium eſt cenſendum. Ob id Sixtus V. decernit cum Cardinalibus, poſſe Eccleſiam aliter indulgêre, ſeu ſtatuere, id eſt, priuilegium concedere, ac determinare, quod non ſimplex decretum, iuxta ius commune eſt, vt credit Sanchez *num.* 26. *in calce*, dicens, illud *indulgere* ſignificare *ſtatuere*; nam alioqui ſuperfluum erat præmittere *indulgêre*, & poſtea *ſtatuere*. Igitur duo hæc verba rectè appoſita ſunt, quorum altero Priuilegium indulgentiæ religionis conceſſum exprimeretur; altero autem firmum decretum, ſeu lex, quâ ſic ab omnibus teneretur.

CONTENTI igitur ſint hi Reuerendi Biennales, ſe verè religioſos numerari cum reliquis; at ſine præiudicio ſolemniter profeſſorum, qui, vt luce clarius elucet, perfectiori in ſtatu ſunt; & abſque Sanctorum Doctorum diſcrimine, qui ſtatum religionis in votis ſimplicibus non ſunt venerati, quia adhuc ab Eccleſia non erat indultum.

43 AN verò per vota iſta poſt biennium irritetur matrimonium ratum, probabilior eſt pars negatiua, quàm tuentur Vaſquez *d. illa* 165. *cap.* 10. Rebad. *cap.* 19. *Inſtituti Societatis*, Henriquez *lib.* 11. *de matrimonio, cap.* 8. Sanchez *lib* 2. *de matrimonio, d.* 18. nam iura de ſolis ſolemnibus loquuntur *cap. deſponſatam*, & *cap. decreta Regalia* 27. *quaſt.* 2. Extrau. Ioan. XXII. *Antiqua de voto, cap. Ex publico*, & *cap. ex parte de conuer. coniug.* & Concilium Trident. *ſeſſ.* 24. *de matrim. can.* 6. Imò nec ſolemni ſacri Ordinis voto id conceditur, vt deciditur ea Extrauag. *Antiqua*. Non tamen improbabile reor, Eccleſiam, cuius iure requiritur ſolemnitas votorum, poſſe definiſſe, vota priuata illa ſat eſſe de iure, vt docent multi.

QVÆSTIO III.

An, & quomodo hic ſtatus ſit Sanctus.

44 STATVS hîc adeò illuſtris, membrum hoc adeò viuidum, atque operoſum corporis myſtici Eccleſiæ fuit hæreticis inuiſum ab antiquis temporibus; proptereà Monachos ferro, flammis, ac omni tormentorum vi torquere, ac reſcindere tentarunt. Huius verò ſæculi infelices Sectarij adeò religioſam vitam perſequuntur, vt Libri eorum, concionéſque repletæ ſint dicteriis, contumeliiſque grauiſſimis ad omnium in eos odia commouenda; nihil aliud ferè acrius reprehendunt. Miſereor, ex ipſis enim plurimi ſancto Religionis iugo excuſſo, in omnium flagitiorum baratrum corruerunt, & fœdiſſimis thalamis etiam è Monaſteriis aſſumptis Sanctimonialibus ſacrum matrimonij Sacramentum conſpurcarunt; At Sacramentum non tetigere matrimonij; Fuere potiùs ſpurciſſimi concubinatus, quos teterrimis epithalamiis adurnauerunt. Te ex orco adiuro miſerrimè Hereſiarcha, te infæliciſſimè apoſtata à Religione, à fide, te ſanctimonialis fædiſſimum procum, in eius ſinu à dæmone ea nocte ſuffocatum, compello perditiſſime Luthere. Prodeas ad tuas ſpurcitias confitendas. Id profectò mihi pollicerer, nulla alia fore neceſſaria argumenta, quàm reprobi huius confeſſionem è loco tormentorum percipere.

PLVRIMA is in ſordidiſſimo ſuo *Epithalamio*, 45
quod *capiti* 7. *epiſtola prioris ad Cor.* contexit, attrita fronte, & manu impia exarauit. Plurima habet in aliis conflagrandis ſuis operibus, *De votis Monaſticis*, & cæteris.

PLVRIMA Infandus ille Caluinus atro Pentapolis exuſtæ carbone obſignatus, naturæ ſuſdeque peruerſor, in ſuis illis peſtiferis corruptricibus Inſtitutionibus, præcipuè *lib.* 4. *cap.* 13. exhalauit.

PLVRIMA etiam felleus Melancthon, aliique huius farinæ, non homines, ſed Lupi, euomuere. Hos vide in Bellarmino *Tom.* 1. *lib.* 2. *de Monachis.* & Bouerio *exam.* 2. *Conſ.* 18. *errore* 3.

HI igitur conclamant, Monaſticam vitam nouum 46
eſſe ſuperſtitionis inuentum, diaboli cultum, Eccleſiæ peſtem, monſtrum, nullâ authoritatis Diuinæ obſtetricante manu è Tartari Abyſſo profunda in lucem editum, ad veram religionem euertendam.

NOS autem è regione oſtendemus, eſſe antiquiſſimum Diuini cultus exquiſitum modum, ſanctum Eccleſiæ fulcimentum, è Dei ſinu prodiens, ac malleum hæreticorum. Quoniam verò plurima litterarum monumentis inuenio conſignata; ea ex more in Atena exponam, quæ Seraphicus meus Sanctus Bonauentura ſcripſit.

PRIMÒ quidem quinque nominibus à Græcis ſunt vocati homines hi religioſi, quos defendendos ſuſcepi, Diuino quippe cultui deſtinatos; hoc enim præcipuum nomen Latini retinent. Sic D. Dionyſ. *cap.* 6. *Eccleſiaſtica Hierarchia*, vbi ait, ab Apoſtolis fuiſſe Monachos vocatos. θεραπευτὰς, eò quod ipſi purè, præter cæteros, Deum colerent. Eodem nomine vtitur Philo initio *libri de contemplatiua vita*, & D. Baſilius paſſim, qui etiam ſermones ſuos de rebus Monaſticis vocat *Aſceticos*.

HI ſunt, quos Monachos vocant antiquiſſimi Patres, & Eccleſiæ pugiles, quia eorum vita eſt, iugiter in virtutum paleſtra exerceri.

DICITVR autem Monachus à *Monos*, *vnus* 47
Græcè, & *ſingularis*, vt docet D. Bonau. *lib.* 1. *Pharetra*, *cap.* 32. ex D. Iſidoro *in ethymol. lib.* 7. *cap.* 13. Concludit verò: Ergo ſi ſolitarius, vel ſingularis interpretatur vocabulum Monachi, quid facit in turba, qui ſolus eſſe debet.

EODEM ferè modo loquitur D. Hieronym. *epiſt. ad Heliodorum.* Quare non rectè Bellarminus hinc colligit *cap.* 1. nomen Monachi à D. Hieronymo aſſeri conuenire propriiſſimè Eremitis; elicit enim ſolùm ex ethymologia, Monachum ſeparatum eſſe debere à mundo, dicens: *Interpretare vocabulum Monachi, hoc eſt vnum, quid facis in turba, qui ſolus es.*

ri? Confirmatur, nam ipse D. Hieronymus *epistola ad Eustochium* nomen Monachi Cænobitis etiam ait conuenire, quod omnes veteres asserunt à tempore D.Dionysij, qui CCC. ferè annis ante primum Eremitam, qui fuit Paulus, floruit.

48 HVNC esse genuinum D. Hieronymi sensum probat S. Bonauent. *libro primo Pharetra*, *cap.* 31. ex ipso S. Doctore *epist.* 13. post medium: *Secularium consortia deuita: quid tibi necesse est ea videre sapius, quorum contemptu Monachus esse cæpisti*, & ante hortatus est, vt imitentur sanctos filios Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, qui sanè simul cohabitabant. De his ait fuisse filios Rechab *Hierem.* 35. qui sanè cohabitabant.

D. AVGVSTINVS in id Psal. 132. *Ecce quam bonum*, *&c. habitare fratres in vnum*, in sancta vnitate concordi nomen, ac vitæ Monasticæ rationem ponit.

VERISSIMA explicatio hulus nominis est apud Cassianum *coll.* 18. Dionysium *loc. cit.* Monachos appellari, quod rebus diuisibilibus relictis *Monadie*, idest, diuinitati soli placere contendunt.

49 ITAQVE Monasteria primitiua, (vt ait S. Bonauent. contra Guilhelmum, circa finem) instituta, & fabricata sunt, vt simul viuentes solitariè degerent, & vnusquisque haberet curam sui, & apud se habitaret; & ideò Monachi dicti sunt, non quia essent Eremitæ, sed quia eorum finis erat solùm Diuinæ contemplationi vacare, vt habet idem S. Bonauent. referens ad hoc probandum testimonium D. Hieronymi ad Rusticum; alioqui si fuissent Eremicolæ, non cohabitassent in Monasteriis, sed soli in eremis, eodem exemplo Pauli. Itaque iam nomen Monachi illis solis relictum est, qui soli incumbunt contemplationi: hi sunt Cassinenes, Cistercienses, Carthusiani, Camaldulenses, atque alij eiusmodi. Quod intelligentes S.Bonauentura, S.Thomas, & alij Doctores, pusteriores non vocant Monachos Dominicanos, Franciscanos, & alios, qui non soli insudant contemplationi, sed etiam actioni, iuuantes Episcopos, & Clericos concionibus, confessionibus, & Sacramentorum administrationibus, sed eos vocant *regulares*, *aut fratres*, vt notat Bellarminus *loc. cit.* & colligitur ex D. Bonauent. *loc. cit.* & in *expositione regula*, & *lib.* 1. *Pharetra*, *cap.* 27. *&* 28. Tametsi nomen etiam Monachorum eis nonnunquam adscribat, vt patet *loc. cit.* contra Guilel. & *in* 4. *d.* 19. *art.* 2. *quæst.* 2. *fin.* vbi refert decretum Leonis, vetans Monachis: *Nullus audeat prædicare, nisi Sacerdos*, & habetur 16. *quæst.* 1. *cap.* 19. *Adiicimus illud etiam*, vt notat D. Bonau.

50 DVO tantùm genera Religiosorum, qui sic dicuntur, quippe tot sunt in Dei cultu, agnouit antiquitas. Alterum Eremitarum; alterum Cænobitarum. Ita docent D. Hieronymus *epist. ad Eustochium*, *de Virginitate*. D. Augustinus *lib. de moribus Ecclesiæ*, *cap.* 31. Cassianus *collat.* 18. *cap.* 4. & D. Bonau. *loc. cit.* ex D. Benedicto *in regula* referente duo alia genera corruptorum Monachorum, qui dicebantur *Sarabita* intendentes eatni: & *Gyrouagi* vagantes, quos acriter reprehendit D. Augustinus *de opere Monachorum*, relatus à D. Bonauent. *ibi*, & D.Hieronymus *ad Rusticum*, aliique sancti Patres, quos refert S. Bonauent. *lib.* 1. *Pharetra*, *cap.*28. *& cap.*32.

51 S. HIERONYMVS addit tertium genus, vt refert S. Bonauent. *in Dieta tit.* 4. *cap.* 1. circa finem, quos vocat *Remobot*, qui bini, & trini habitabant, vt legitur *epistola* 22. *ad Eustoch.* post medium, hos autem reprobat: Laudat verò Cænobitas, qui Ægyptia lingua *Sausos*, id est, in communi viuentes; & Anachoritas, qui soli habitabant per deserta, & ab eo, quòd procul ab hominibus recesserint, nuncupantur: Sicut Eremitæ dicantur, quia loca deserta incolunt, quos inter se discernit D. Isidorus *lib.* 2. *de Diuinis off. cap.*15. qui, vt reor, seorsim non sub obedientia Prælatorum viuebant; & ideò distinguit rectè à Monachis, siue Cænobitis, qui in Cænobiis, siue de Anachoritis, qui sparsim in solitudine, sed sub obedientia alicuius Prælati, degebant. Quare non satis rationabiliter videtur Bellarminus S. Isidorum reprehendere *cap.* 5. eò quòd tria genera Monachorum distinguat.

52 NOS eum D. Bonauent. *lib. allegato contra Guilelmum*, eum D.Thom. & aliis scholasticis satius possumus ex variis finibus fratres, & ordines religionum distinguere, quia alij vitam ineunt contemplatiuam, alij actiuam, alij mixtam. Omnes tamen Religiosi dicuntur per antonomasiam, quia actus religionis singulariter, & excellenter exercent, vel, vt ait S. Bonau. *lib.* 1. *Pharetra*, *cap.*27. ex D.Isidoro *etbymol. lib.*10. quia Religiosus (ait Cicero) à *relego* est appellatus, eò quòd retractat, & tanquam relegit ea, quæ ad cultum Diuinum pertinent.

DEINDE qui vitam contemplatiuam sectantur, varij sunt: alij Cassinenses, alij Cistercienses, alij Camaldulenses: similiter qui vitam actiuam, alij sunt Equites Hierosolymitani, alij S. Ioannis, alij ægrotis curandis, alij mortuis sepeliendis distenti: ex his, qui vitam mixtam profitentur, alij sub D. Augustino, alij sub D.Francisco, alij sub sancto Domico militant.

HOS autem ordines iam multis temporibus institutos, non fuisse primos, patet, neque Monachatum cæpisse solùm post tertium sæculum, primosque authores fuisse Antonium, Macarium, & similes, vt latrant Magdeburgenses *centur.* 4. *cap.*6. *col.*464. Neque Monachatum cæpisse errore, vel casu, vt ipsi dicunt *col.*470. (Cæpit, inquiunt, Monachatus partim ex obseruatione doctrinæ de iustificatione, & veris cultibus Dei, partim ex praua æmulatione Essenorum,) euidentius ostendo. 53

PROBATVR à D. Bonau. *loc. cit. Dieta* ex scripturis, & PP. quibus nititur Bellarminus *cap.* 5.

PRIMÒ quidem Samuel congregauit cuneum Prophetarum, vt habetur 1. *Reg.* 10. hi enim simul conueniebant ad Dei cultum, & iustitiam, ac sanctitatem profitebantur. Quare admixtum cum eis Saulem, tametsi tunc adeo bonum, vt non esset eo melior, vt dicitur *cap.*9. mirabantur dicentes: *Num Saul inter Prophetas* psallens, & laudes Deo accinens, ac prædicens? Ex hoc initium religiosorum asserit magister historiarum. Vide S. Doctorem parte prima *Eccl. Hier.* 54

RVRSVS Elias habuit congregatos discipulos, ex quibus præcipuus erat Elisæus, vt habetur 4. *Reg.* 2. qui de raptu Eliæ sollicíti admodum fuerunt. Similiter *cap.*4. Elisæus congregatis discipulis conuiuebat in spiritualibus exercitiis, nec vxores, nec diuitias volebant. De his D. Hieronymus ad Rusticum, epistola 4. *Ordine filij Prophetarum* (inquit) *quos Monachos in veteri testamento legimus, adificabant sibi casulas propè fluenta Iordanis; & turbis vrbium derelictis, polentà, & herbis agrestibus victitabant.* Et epist 13. ad Paulinum, adducta à D. Bonuent. de Monachis loquens, ait: *Noster princeps Elias, nam Elisaus noster duces Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula propè fluenta Iordanis.* Adde Nazareos votis sacratos, à Deo institutos *Num.*6. *Iud.*13. vt arguit S. Doctor, parte prima *Eccl. Hier.* 55

PRÆTEREA Ioannem Baptistam Monachorum, & Eremitarum Principem conclamat S. Bonau. cum omnibus ferè Sanctis PP. Nazianzeno *oratione* in 56

8 *in Basil.* Chrysostomo *homilia prima in Marcum*, vbi clarè dixit: *Sicut Sacerdotum Principes sunt Apostoli; sic Monachorum Princeps Ioannes Baptista est.* Hieronymo ad Eustachium, epistola 2. *Huius vitæ auctor Paulus, illustrator Antonius, & vt ad superiora conscendam Princeps Ioannes Baptista.* (His verbis vtitur S. Bonauent.) Idem docet Cass. *collat.* 18. *cap.* 6. Sozomenus *lib.* 1. *hist. cap.* 12. Isid. *lib.* 2. *de off. cap.* 15. Bernard. *serm. de excell. Ioan. Baptista.*

Habemus, & *Hier.* 35. nepotes Reebab, qui austeram ducentes vitam, Religionum maximè obedientiam adumbrarunt, vt docet D. Hieron. *epist. ad Paulinum.*

VENIAMVS ad nouum testamentum, & ostendemus ante annos C C C. fuisse Monachos.

56 ACTORVM cap. 5. vbi vitam, in qua omnia erant communia, instituerunt Apostoli. Vbi non omnium Christianorum eius vitæ obligationem fuisse probatur ex reprehensione Petri, facta Ananiæ: *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* Quod autem voto ad eam perfectionem se ligarent Apostoli, asserit D. August. *lib.* 17. *de Ciuitate Dei*, *cap.* 4. dicens: *Hoc votum potentissimi vouerant.*

QVOD verò ab Apostolorum exemplo cœperint Religiones, restatur Eusebius *lib.* 2. *hist. cap.* 16. Hieronymus *de viris illustribus in Philone.* Augustinus *serm.* 2. *de vita communi Clericorum.* Possidonius *in vita Augustini.* Isidorus *lib.* 2. *de offic. cap.* 15. Cassianus, collat. 18. cap. 5. *Itaque* (ait) *Cœnobitarum disciplina à tempore prædicationis Apostolicæ sumpsit exordium.*

57 QVOD verò Magdeburgenses *Centur.* 12. aiunt, tunc non fuisse vestigium Monachorum, & adducunt S. Ioan. Chrysostomum *homil.* 25. *in epistolam ad Heb.* friuolum est; nam ibi Sanctus loquitur de Ecclesia sola Corinthi; exponit enim ea verba: *Si quis frater nominatur in vobis*, ac dicit nomine fratris, non intelligi Monachos, sed quoslibet fideles, quia tunc ne vestigium erat Monachi apud Corinthum. Quod vero in Palæstina tunc essent, & in Ægypto, asserit idem Sanctus *lib.* 4. *contra vituperatores vitæ Monasticæ*, non procul à fine, & *homil.* 11. *in Acta*, vbi ait, *Monachos sic viuere, vt olim initio Ecclesiæ viuebant fideles omnes in Hierusalem.* & homil. 17. ad populum ait: *Tanti est Philosophia à Christo introducta.*

58 QVOD verò assereret D. Bonauent. Antonium illustratorem esse, non Principem, vitæ Monasticæ. Probatur ex Athanasio *in vita D. Antonij*, vbi asserit, ante Antonium Monachos fuisse, qui in agris, ciuitatibus vicinis Monasteria sua constituebant, & Antonium ad quemdam ex eis senem accessisse, vt ab ineunte ætate Monasticam disceret disciplinam: Ex quo sequitur, multò ante B. Antonium fuisse Monachos. Fuit autem B. Antonius ante annos C C C. anno enim trecentesimo, erat annorum quadraginta, vt colligitur ex Chronico D. Hieronymi.

S. DAMASVS in vita Dionysij Papæ scribit, hunc ex Monacho ad Pontificatum fuisse assumptum. Constat autem ex Chronico Eusebij, Dionysium Romæ sedisse, anno 266.

PRÆTEREA *de velandis sacris virginibus* scribit Librum Tertullianus, & de eodem argumento scribit Beatus Cyprianus. Hi verò fuere Dionysio Papâ antiquiores.

PRÆTEREA D. Dionysius Areopagita scribit ad Demophilum Monachum. Et *lib. de Ecclesiastica Hierarchia*, *cap.* 6. prolixè explicat Monasticæ professionis formam.

59 FRVSTRA autem Centuriatores, Erasmus, Valla, Lutherus, & Caluinus negant, eum Librum esse Dionysij, Apostoli Pauli discipuli; nam ea opera, vt Dionysij Areopagitæ, allegant tres veteres Pontifices, Martinus I. *in C. Romano.* Agatho *epist. ad Constantinum IV. Imperatorem.* Et Nicolaus Papa I. *ad Michaelem Imperatorem* citat epistolam hanc ad Demophilum. Item duo Generalia Concilia, quartum, sextum, ac septimum *cap.* 2. Præterea S. Maximus, qui annotationes scripsit in Dionysium, Sophronius Patriarcha Hierosol. *in oratione*, quæ habetur *act.* 11. *sixtæ Synodi* Damascenus *lib.* 1. *de fide*, *cap.* 12. Euthymius *Panoplia*, *part.* 1. *titulo* 2. Anastasius Bibliot. *epist. ad Carolum Caluum.* Hilduin. *ep. ad Ludou. Pium*, & alij posteriores omnes. Valeant igitur Erasmus, Valla, &c.

PRÆCLARA id testatur Apostolus de voto 60
etiam castitatis addito prima Tim. 5. *Adolescentiores viduas deuita. Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem fregerunt.*

FIDAM voto præstitam fregisse declarant Conc.
Carth. IV. *can.* 140. quod fuit 214. Episcoporum. Tol.
IV. *cap.* 55. vbi 70. Episcopi, sic vt & tres Pontifices,
Clem. *lib.* 3. *const. cap.* 1. Innocent. I. *epist.* 2.
cap. 13. Gelas. I. *epist.* 1. *cap.* 23. Adde Tertull. *de
Monog.* Basil. *lib. de virg.* Hieron. *lib.* 1. *in Iouin.*
cap. 44. *Ezech.* Epiphan. *hæres.* 48. August. *lib. de* 61
sancta virg. cap. 23. & *lib. de bono vid. cap.* 8. & 9.
& *in Psal.* 75. Fulgent. *epist.* 1. & omnes huius
loci expositores, tum Græci, Chrisost. Theodoret.
Theophylac. Oecum. Tum Latini, Ambros. Primas, Beda, Haymo, Sedul. & Anselm. apud Bellarm.
cap. 24.

HIS autem Apostolus damnationem indicit, cui subscribit Concilium Chalced. *can.* 16. Concilium Turon. II. *cap.* 16. Gelas. Pap. *epist.* 1. *cap.* 22.

ADHVC autem Philo Iudæus, Dionysio anti- 62
quior *lib. de vita contemplatiua supplicum*, prolixè admodum describit vitam, & mores Monachorum, & sacrarum Virginum, quos in Ægypto instituit S. Marcus Euangelista, vbi apertè ponit professionem paupertatis, continentiæ, ieiuniorum, psalmodiæ, &c.

EVM autem de Christianis locutum, non de Essenis, vt fingunt Centuriatores, probatur: nam Eusebius *lib.* 2. *hist. cap.* 17. Epiphanius *hæresi* 29. id asserunt. Idem accinit D. Hieronymus *de viris illustribus in Philone*, vbi concludit: *Ex quo apparet, talem primam Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc Monachi esse nituntur, & cupiunt.* Præterea Cassianus *lib.* 2. *cap.* 5. *de Institutis Cœnobiorum* asserit, à Sancto Marco Ægyptios Monachos accepisse primam viuendi normam, id quod non potest Cassianus didicisse, nisi ex hoc libro Philonis. Idem asserunt disertè Beda *prolog. in Marcum*, Sozomenus *lib.* 2. *cap.* 12. Nicephor. *lib.* 2. *cap.* 15.

ASSERO primò, aliqua esse consilia Euangeli- 63
ca sancta contra hæreticos, relatos à Bellármino *lib.* 2. *cap.* 8. Primò probatur consilium Castitatis.

PRIMVS locus Scripturæ affertur à D. Bonauent. *in Diata salutis*, *titulo* 6. *cap.* 2. Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere capiat.* Hos autem esse, qui continentiam vouent in religione, asserunt S. Epiphanius *hæresi* 58. S. Hieronymus *ad hunc locum* S. Augustinus *lib. de sancta Virginitate*, *cap.* 30. S. Fulgentius *lib. de fide ad Petrum*, *cap.* 3. hìc verò non præcipi patet, quia suprà dixit, laudans matrimonium: *Quod Deus coniunxit, homo non separet* & Confirmatur ex sequentibus: *Qui potest*

test capere capiat, vt notat D. Bonauent. *serm. 6. de tempore.*

64 RESPONDET Pseudomartir *de calibatu*, & alij, illud *propter regnum calorum* significare, ob Euangelium expeditius prædicandum.

AT quidem contra sunt Sancti PP. omnes, nobiscum exponentes, Cyprianus *de habitu Virginum.* Hilarius *in hunc locum.* Chrysostomus *hic.* Hieronymus *lib. 1. in Iouinianum.* Augustinus *de sancta Virginitate, cap. 24.* Idem habent Beda, & Anselmus *hic.*

HIC alludit ad illud Isaiæ cap. 56. *Non dicat Eunuchus : Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis : Qui custodierint sabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & seruauerint fœdus meum : Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis, & filiabus : nomen æternum dabo eis, quod non peribit.*

QVOD hic agatur de continentibus voluntariis, de quibus *Matth. 19.* non de abscissis, vel sic natis, qui necessariò continent, docent Sancti, Hieronymus, & Cyrillus ad hunc locum, Augustinus *Libro de sancta Virginitate, cap. 24.* Basil. *lib. de vera virginitate.* Ambrosius *in exhortatione ad Virgines*; & Gregorius 3. *part. Pastoralis, cap. 29.* & patet ex præmio, quod eis promittitur maior gloria, quàm sit filiorum, & filiarum Dei.

65 ADDIT subtiliter S. Augustinus : *Si quis contendat, Isaiam loqui de veris Eunuchis, adhuc iuuari causam nostram; nam si Eunuchis, qui necessariò se continent, promittitur maior gloria, quàm iustis coniugatis; certè maior dabitur voluntariò continentibus.*

QVÒD VERÒ hic continentia non præcipiatur, sed suadeatur, docent prædicti Patres; Probat S. Hieronymus ex illis verbis: *Qui elegerint, quæ ego volui.* Quòd verò continentiæ votum sit sanctum, probatur; quia promittitur ei gloria æterna. Egregiè hoc votum laudat D. Augustinus *lib. de sancta Virginitate, cap. 25.* vt refertur in fine ex D. Bonauentura.

66 PROBATVR secundò à D. Bonauent. ad 3. sapientiæ : *Felix sterilis : & incoinquinata, quæ nesciuit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum : & spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauit contra Deum nequissima : Dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in Templo Dei. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidat radix sapientiæ.* Quem locum similem esse superiori docet D. Hieronymus *loco citato.*

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *in 4. d. 38. art. 2. quæst. 1. in corpore*, nam Dominus comparat Ecclesiam terræ bonæ, cuius vna pars reddebat fructum centesimum, alia sexagesimum, alia trigesimum, quem locum exponentes Cyprianus *de habitu Virginum*, Hieronymus *lib. 1. in Iouinianum.* Augustinus *de sancta Virginitate, cap. 44. & 45.* docent, ea parabola distingui meritum casti coniugij, viduitatis, & virginitatis. Ex quo patet. Virginitatem esse maius bonum, & magis meritorium, quàm sit castitas coniugalis, atque adeò esse consilium Dei.

67 PROBATVR quartò à D. Bonauent. *in expositione Missæ*, ad sanctissimæ Hostiæ fractionem, *& in serm. de Virginibus, ex prima Corinth. 7.* vbi multis modis proponitur consilium continentiæ : *Bonum est mulierem non tangere.* Item : *Bonum est homini sic esse.* Pariter : *Solutus es ab vxore? Noli quærere vxorem.* Similiter : *Dico autem innuptis, & viduis, bonum est si sic permanserint, sicut & ego.* Item : *Volo vos omnes esse, sicut meipsum.* Item : *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis.* Vbi nota, Paulum exhibere se vt ministrum Dei fidelem in hoc consilio dando. Item : *Qui matrimonio iungit Virginem suam, bene facit : & qui non iungit melius facit. Innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.* Denique de vidua : *Cui vult nubat : tantum in Domino. Beatior autem erit si sic permanserit secundùm meum consilium : puto autem, quod & ego Spiritum Dei habeam.* Vbi vides, hoc consilium attribui Spiritui Sancto.

RESPONDET Lutherus *in epithalamio*, Apo- 68
stolum quidem indicare, se inclinare ad continentiam; at eam tandem dissuadere : *Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat; & vnaquæque suum virum habeat.*

IDEM ferè respondet Caluinus *in commentario huius loci*, nempe velle dicere : Ego suaderem continentiam, sed quia est impossibilis, vnusquisque vxorem habeat; sicut si quis diceret : Bonum esset nec comedere, nec bibere; at quia sine his non potestis viuere; edite, & bibite.

AT contra, nam Apostolus dicit : *Volo : consilium* 69
do; non autem datem : Hoc verò est vnanime Sanctorum PP. commentarium. Vide Chrysostomum, & alios ad hunc locum, Ambrosium *lib. de viduis* prope finem. Hieronymum *lib. 1. in Iouinianum.* Augustinum *lib. de sancta Virginitate, cap. 13.* qui quasi præuidisset inane commentum apostatæ sui, nempe Apostolum deterrere à continentia; ipse scripsit contrarium *cap. 16.*

Hoc modo exhortatur ad virginitatem, continentiamque perpetuam, vt aliquantulum à nuptiis etiam deterreret.

PRÆTEREA, si impossibilis est continentia, 70
cur tantopere laborat Paulus in hoc consilio dando. Et patebit absurditas, si applicentur dicta Apostoli exemplo Caluini. Ridiculum sanè esset, Apostolum dicere : Bonum est non comedere. Item : Cares cibo, noli quærere cibum. Item : De non comedendo præceptum Domini non habeo; consilium autem do : vt nemo edat. Item : qui comedit, benefacit, & qui non comedit, melius facit. Item : non peccat qui comedit, beatior autem erit, si sic permanserit secundùm meum consilium; Ex ridicula Caluini doctrina hæc sequerentur absurda.

NEQVE omnes vult necessitatem habere nubendi, vt ipse Lutherus fatetur, qui excipit eos, qui habent donum continentiæ, sed monet eos, qui nolunt contineri, vt nubant, ne fornicentur : *Qui non se continet, nubat.*

RESPONDET Petrus Martyr ad hunc locum, 71
sensum esse : Contineant, qui habent donum continentiæ. *Bonum est homini mulierem non tangere*, idest, non habere vxorem; at quia nulli fere hoc donum, se habere promittere valent; accipiat Dei mandatum, siue consilium, Genes. 2. *Non est bonum hominem esse solum.*

AT inanis est responsio, nam Deus hoc dixit Adæ, qui in statu innocentiæ erat dono continentiæ ornatus, & hoc dixit ad speciem conseruandam, & bonum temporale; at Apostolus vniuersaliter loquitur ob bonum spirituale indiuidui. Quare sicut est donum Dei virginitas; ita etiam continentia coniugalis : *Vnusquisque donum suum habet ex Deo : vnus quidem sic, alius vero sic.* Itaque, sicut qui nubit, eget hoc dono, neque ob id

remouetur à nuptiis, quia potest à Deo obtinere; ita etiam hic.

72 RESPONDANT tertiò, Paulum laudare tantùm continentiam, tanquam vtilem siue ad molestias coniugij fugandas (ait Lutherus *in epithalamio*) siue ad Deo facilius seruiendum, vt aiunt Melancthon, & Petr. Martyr.

AT verò etiam ad Deo placendum valere asserit Apostolus, vt notat D. Bonauent. loco cit. *Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, vt sit sancta corpore, & spiritu.*

PROBATVR quintò ex illo Lucæ primo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* & ex prima Timor. 6. *Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Hæc loca satis exposui *disputatione præcedenti, quæst.* 10. vbi vota esse Deo grata ostendi.

73 PROBATVR etiam ex sacris Conciliis Ancyrano *can.* 18. Chalced. generali *can.* 16. Carthag. tertio *cap.* 33. & Carthag. quarto *cap. vltimo.* Toletano quarto *cap.* 55. Turon. 2. *cap.* 16. Maguntiensi *cap. vltimo*, vbi adducit Elibertinum *decreto* 13. & sextum Coloniense. Romano sub Syluestro *can.* 10. & Foroiuliense, vbi votum virginitatis solemne grauissime obseruandum iniungitur.

IDEM imponunt SS. Pontifices, Clemens *lib.* 3. *Constit. Apostolicarum, cap.* 1. Cyricius *epist. prima, cap.* 6. Innocentius I. *epist.* 2. *cap.* 12. Leo I. *epist. ad Rusticum Episcopum Narbonensem,* quæ est 90. *cap.* 13. Gelasius *epist.* 33.

ITIDEM Constantinus Magnus Imperator legem illam Romanorum abrogauit, qua priuabantur hereditaria successione steriles, vel orbati liberis. Causam autem abrogationis scribit Eusebius *lib.* 4. fuisse propter eos, qui cælibatum ex pietate vouebant, ne videretur Lex politica pietatem punire.

74 SIC & Iouinianus Imperator Legem tulit, ne quis auderet sacram Virginem in sponsam petere, neve impudicè aspicere, sicuti tempore Iuliani Apostatæ actum fuerat, & pœnam capitis imposuit. Huius pœnæ reus fuit Lutherus. Scribit hanc legem Sozomenus *lib.* 6. *cap.* 3. & extat adhuc *in C. lege si quis, de Episcopis, & Clericis.*

PROBATVR etiam à D. Bonauent. tum *in Pharetra lib.* 1. *cap.* 38. tum *in* 4. *sent. d.* 38. *quæst.* 9. ex PP. qui votum castitatis mirificè commendant, tanquam Deo gratissimum, & saluti proficuum.

75 S. GREGORIVS lib. 15. moral. cap. 12. *Carnis virginitas nequaquam iussa est, sed tantummodò laudata. Nam si illa iuberetur, nimirum iam coniugium in culpam verteretur.*

S. AVGVSTINVS lib. de virginitate sancta, cap. 12. Tom. 6. *Profectò habebunt magnum aliquid Virgines præter cæteros in illa sanctorum communi immortalitate, quoniam habent aliquid iam non carnis in carne.* Et infrà cap. 27. *Virgines sunt, & sequuntur Agnum quocunque ierit. Quò ire putamus hunc agnum? Certè quo nemo eum sequi vel audeat, vel valeat, nisi vos? Vbi credo grandia sunt gaudia, à cæterorum omnium gaudiorum in eo regno sorte distincta. Gaudia Virginum Christi sunt, de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum.* Et cap. 5. *Ille vnius sanctæ Virginis partus, omnium sanctarum Virginum est decus. Et ipsæ Virgines cum Maria Virgine Matres Christi sunt, quia patris eius voluntatem faciunt.*

76 S. CYPRIANVS de habitu, & disciplina Virginum, cap. 3. Tom. 2. *Si Christum continentia sequitur, & Virginitas regno Dei destinatur.*

D. AMBROSIVS lib. 3. de virginitate, Tom. 4. *Qui non nubunt, & vxores non ducunt, sicut Angeli in terris sunt, vt tribulationem carnis non sentiant, seruitutem ignorent, vt tanquam exuti corporis infirmitatem, non quæ hominis sunt, sed quæ Dei cogitent.*

ASSERO secundò, Votum paupertatis esse Sanctum Dei Concilium. Argumenta, authoritatesque plurimas habes in D. Bonauent. *in Apologia Pauperum, responsionis tertiæ, capite primo.*

PROBATVR à D. Bonauent. primò *loco cit.* & *in Diæta salutis, tit.* 4. *cap.* 1. circa finem, & *tit.* 6. *cap.* 2. ex illo Matth. 19. *Si vis perfectus esse: Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo.* Egregiè D. Aug. *epist.* 89. *quæst.* 4. & *in Psal.* 103. *concion.* 3. totum hunc locum refert a. professionem Monasticam.

RESPONDET Caluinus *lib.* 4. *Instit. cap.* 13. § 13. adolescentem illum mentitum, cùm ait: *Omnia hæc custodiui* (id est præcepta) *à iuuentute mea*, ideò Christum irridendo ei dixisse: *Vade, vende, &c.* Quod verò non impleuisset præcepta, probat, quia magnum præceptum est diligere Deum super omnia, & tamen ipse non diligebat Deum ex toto corde, quia audito: *Vade, vende*, pro mei amore, *omnia*, abiit tristis. 77

AT Caluinus ligone pedem ferit; si enim Christus illi iuueni imposuit illud præceptum, impossibile non minus, quàm stellas cæli numerare (vt ipse ait) qua ratione redarguitur peccati, quia abiit mœrens?

IDEM ferè Petrus Martyr cum Caluino respondet; ideò iam reprobatus vterque iacet.

VRGEO nam 10. Marci dicitur: *Christus dilexit eum.* Qua verò ratione, vel mendacem redarguunt, vel ironicè ad simpliciter impossibilia inducunt? 78

INSTAT Pseudomartyr, hoc est præceptum: *Si vis perfectus esse*, nam Matth. 5. præcipimur: *Estote perfecti, sicut & Pater vester perfectus est.*

RESPONDETVR, eam perfectionem, vt est Patris æterni, esse simpliciter impossibilem, nisi sit aliquis Deus, ideò suadetur sola imitatio in charitate, non autem omne opus præcipitur.

RESPONDAT Martyr, hoc præceptum datum soli huic iuueni.

AT hoc falsum est: Nam multi Sancti id sibi etiam dictum agnouerunt. Sic D. Antonius, vt refert S. Athanasius in eius vita, & S. P. Franciscus, vt in eius vita notat S. Bonauentura, vbi aduertit S. Doctor, hoc consilium datum sub hac conditione: *Si vis perfectus esse*, quasi dicat: Hæc est via, & scala ad perfectionem, ad quam quisquis vult ascendere, debet omnia relinquere.

EX his ruit etiam expositio Osiandri apud Alphonsum Viulesium *Phil.* 20. 79

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *in Diæta, tit.* 4. *cap.* 5. ex 4. Actorum: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Quod autem voto ita conuenirent, asserit D. Augustinus *sermone primo de communi vita clericorum.*

CONFIRMATVR, nam ideò Ananias, & Saphira morte puniti sunt, quia aliquid proprium retinuere; alioqui non fuissent tanta digni pœna.

QVòD verò iam vouisset. Probatur, nam dicitur: *Fraudauit de pretio agri*, non esset autem fraus, nisi res esset iam promissa, & ideò Apostolus ait: *Nonnè manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* Quod verò violatio illa fuerit sacrilega, testatur Apostolus: *Anania, cur tentauit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo.* 80

CONFIRMA

CONFIRMATVR ex sanctis PP. qui hanc voti fractionem agnoscunt. Ità Chrysostomus *homil.12. in Acta.* Hieronymus *epistola* 8. quæ ad Demetriadem. Augustinus *serm.27. de verbis Apostoli,* & *sermone* 10. *de diversis.* Fulgentius *epistola de debito coniugali, cap.* 8. Gregorius *lib.* 1. *epist.* 33. Arator *lib.* 1. *in Acta Apostolorum.* Oecumenius, & Beda *ad hunc locum.*

91 PROBATVR deinde à D.Bonauent. in operibus suis de Paupertate,ex Patribus, præcipuè *in Apologia, loco citato*, vbi plurimos refert *lib.* verò 1. *Pharetra, cap.* 42. affert inter alios D. Bernardum *epistola* 103. & *sermone primo sanctorum omnium*, exponentem illud Matth.5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Sic etiam exponunt sancti, Ambrosius *in 6. Luca*, Nyssenus, Hieronymus, Beda *in 5. Matth.* Leo *sermone de hoc Euangelio*, Chromatius, & Anselmus ad eum locum, Basil. *quæst.*205. Abulensis, Lyra, Caietanus, Iansenius, qui de actuali paupertate voluntaria sic exponunt: nam etiam verbum Græcum πτωχος mendicum sonat. Confirmatur, nam *Luca* 6. Pauperes, qui beati esse dicuntur, non superbis, sed diuitibus opponuntur, sic enim mox subdit: *Va vobis diuitibus*, vt notat Bellarminus *ad eum locum*, vbi consonnat nomen pauperis hoc cum illo: *Qui cùm esset diues, egenus factus est*, 2. Corinth.8. vnde deducit S.Bonauent. de voluntaria actuali paupertate loqui: & infra obseruat, opponi *væ* diuitibus,oppositum Beatitudini pauperum.

92 HINC igitur S.Bonauent. arguit, optimum esse vouere paupertatem *loco citato in Lucam.*

HINC ruit expositio Caluini, qui, per pauperes, exponit afflictos.

CONTRA enim, quia vt notat Bellarminus post D. Bonauent. *ad 6. Luca*, distinguit pauperes à lugentibus.

E professo autem id disputat S.Bonauent. *opusc. de paupertate Christi, contra Guilelmum.*

PRIMO id ostendit ex illo Matth.19. *Si vis perfectus esse: vade, vende omnia qua habes, & da pauperibus; & sequere me.*

93 SECVNDO ex illo Petri, qui promissionibus factis pauperibus, animatus ait: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; quid ergo erit nobis?* & Christus eis promittit: *Amen dico vobis: quòd vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel, & omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

OBSERVAT autem S.Bonauent. cum Glossa, non partem facultatum, sed omnes suasisse renunciandas.

TERTIO id probat ex illo *Marci* 12. vbi Christus laudauit viduam, quæ duo illa minuta sibi necessaria misit in Gazophylacium. *Hac autem de penuria sua,omnia, qua habuit, misit totum victum suum.*

94 QVARTO id probat ex illo *Luca* 12. vbi vituperato illo diuite, auido congregandi, hortatur ad omnia renuncianda, atque ad viuendum more volucrum, præcipuè coruorum, qui nil habentes, à Dei prouidentia aluntur: *Considerate coruos, qui non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos*, iuxta id Psalm.146. *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Aduertit autem S.Bonauent. ad eum locum Lucæ,apponi inter cætera volatilia coruos, tum quia sunt maximæ edacitatis, vt innuitur *Genes.* 8. de illo coruo, *qui egrediebatur, & non reuertebatur;* quia insederat cadaueribus. Tum quia pulli coruorum derelinquuntur à parentibus, & nudi, ineptique cibo quærendo, aluntur à Deo, vt habetur Iob 38. *Quis præparabit coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum?* Vnde per coruos intelligit etiam alia Volatilia, vt dicitur Matth.6. *Respicite volatilia cæli.*

HINC elicit Christus illationem: *Quantò magis vos pluris estis illis!* Enim verò, quia poterat aliquis argumentari, nobis conuenire magis sollicitari, quia pluribus egemus; redarguit Christus: *Quis autem vestrum cogitans adiicere potest ad staturam suam cubitum unum.* Sic igitur argui: Qui dat vobis incrementum corporis vsque ad capillum vltimum, dabit etiam corpori necessaria, ideò concludit: *Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis?* 95

SVBDIT etiam: *Considerate lilia, quomodo crescunt: non laborant, neque nent, &c.* Hinc verò pedetentim Christus incedit ad suadendam omnium venditionem: *Vendite, qua possidetis, & date eleemosynam*, vbi respondet illi consilio, Matth. 19. *Si vis perfectus esse, &c.* vt notat D. Bonauent. *loco cit. in Lucam*, vbi etiam PP. ad hoc refert.

QVINTO ex illo Lucæ 14. *Nisi quis renunciauerit omnibus, qua possidet, non potest meus esse discipulus*, vbi obseruat ex Glossa, discipulos Christi, qui religionem præcipuam profitentur, debere renunciare etiam effectu. Quod idem obseruat S. Bonauent. *ad* 14. *Luca* ex eadem Glossa, vbi etiam notat ex D.Bernardo *loco suprà citato declamat.* hoc pòni tanquam fundamentum ædificationis, vt dixerat Lucæ 12. *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens cogitat, si habeat sumptus ad perficiendum?* & ideò initio positam primam beatitudinem pauperibus: *Beati pauperes spiritu, &c.* 96

CONFIRMAT autem S. Bonauent. *opusculo citato*; quem sequitur Bellarminus *loco adducto*, Christum suasisse paupertatem affectu, quia ipse pauperrimus fuit, vt dicitur Matth.8. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet*, vt notat Glossa. Vnde D. Chrysostomus, homil.28. in Matth. *Quid pecunias expectas sequens me congregare? Non vides,quia deuersorium mihi, neque tantum quantum auibus?* 97

DEINDE *Matth.* 17. Christus non habuit staterem ad soluendum tributum. Vnde ait Petro: *Vade ad mare, &c.* sic obseruat Glossa.

IOANNES cap.14. *Venit Princeps mundi huius,& in me non habet quidquam*, vt notat Glossa,& secunda Corinth.8. *Propter vos egenus factus est, cùm esset diues;* In hoc consilium do. Vbi D. Bonauent. subdit Augustino in originali: *Factus est egenus in tantum, vt non haberet, quod habent Vulpes; & in hoc consilium do*, subauditur, *vt eius paupertatem imitemini.* Sic exponitur etiam à D.Hieronymo in Glossa, & Lyrano, aliisque expositoribus. 98

IAM verò sic arguit D.Bonauent. validissimè contra Guillelmum: Christus opera sua fecit sancta, dignissima imitatione, maximè in patiendo nuditatem, paupertatem, &c. vt dicitur prima Petri 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius:* Ergo vouere paupertatem, sanctum est.

HINC D.Hieronymus ad Hedibiam, epist.150. *Vis esse perfecta, & in primo stare fastigio dignitatis? fac quod fecerunt Apostoli: Vende omnia, qua habes, & da pauperibus; & sequere Saluatorem.* Idem habet *epistola* 1. *ad Heliodorum*, & *Matth.* 6. ad ea verba: *Respicite volatilia, &c.*

IN confirmat aliorum sanctorum PP. testimoniis. 99
Hi sunt Ambrosius *in Lucam lib.6. cap.9. Tom.* 3. &

lib.2. de offic. Tom.4. Augustinus *lib. de bono coniug. cap.8. in fine, Tom. 6. de eccl. dogm. cap. 71.* Gregorius *homil.20. in Ezech.* Bernardus *epist.42.* Prosper *de vita contemplatiua, lib. 2. cap. 9.* & habetur 12. *quæst.1.*

PROBAT deinde ratiooibus. Prima est: Quantò magis receditur à cupiditatis occasione, tantò magis ascenditur ad ciuitatem Dei: sed per paupertatem omoino separamur ab occasione cupiditatis: Ergo. Minor est euidens. Maior probatur, quia qoantò magis receditur ab vno opposito, tantò ad aliud oppositum acceditur: sed ciuitas Dei, & ciuitas Diaboli sunt oppositæ, quia illa habet pro fundameoto amorem æternorum; & ciuitas diaboli cupiditatem: Ergo. Alias ratiooes vide in D. Bonauentura.

100 PRÆCIPVA verò ad probandam saoctitatem paupertatis, etiam commonia excludentis, est: Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis; sed paupertas simpliciter est laudabilis: Ergo maior paupertas est magis laodabilis. Talis est hæc: Ergo.

ASSERO tertiò. Votum etiam obedientiæ est consilium sanctum Domini.

PROBATVR à D. Bonaueot. *loco cit. Diata, titulo 6. cap.2.* ex Matth.16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me*, quo ferè voico solidè nititur Bellarminus *lib.2. cap.21.*

PROBATVR secundò à D.Bonauent. *in Pharetra, lib.2. cap.43.* ex sanctis PP. quos etiam Bellarminus refert.

PRIMO D. Augustinus de operibus monachorum, cap.17. Tom. 3. *Citius exauditur vna obedientis oratio, quàm decem millia contemptorum.*

101 D. HIERONYMVS epistola 4. ad Rufinum monachum, post medium Tom.1. *Seruias fratribus, hospitum pedes laues, passus iniurias taceas, Præpositum monasterij timeas vt Dominum, diligas vt patrem, credas tibi salutare quidquid ille præceperit, nec de maioris sententia iudices, cuius officium est obedire, & implere, quæ iussa sunt.*

D. BERNARDVS de præcepto, & dispensatiooe, ante medium: *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quàm si præcipiat Deus.*

108 IDEM epistola 7. ad Adam monachum. *Hoc aduertendum, quod quædam sunt pura bona; quædam pura mala, & in his nullam deberi hominibus obedientiam: quoniam nec illa omittenda sunt, etiam cum prohibentur; nec ista, cùm iubentur committenda. Porro inter hæc sunt media quædam, quæ pro modo, loco, tempore, vel persona, & mala possunt esse & bona: & in his lex posita est obedientiæ, tanquam in ligno scientiæ boni, & mali, quod erat in medio paradisi. In his profectò fas non est nostrum sensum sententiæ præferre magistrorum: in his omnino prælatorum, nec iussio, nec prohibitio contemnenda. O Monachum obedientissimum, qui ex quibuslibet seniorum verbulis ne vnum iota prætereuolat, non attendit quale sit quod præcipitur, contentus quia præcipitur. Et hæc est obedientia sine mora.* Similia habet D.Gregorius Magnus, qui fuit Monachus *lib.35. moral. cap.10.*

103 IDEM D. Bernardus *Declamatione* super Euangelium: *Ecce nos reliquimus omnia, Age, eia age qui relinquere omnia disponis, te quoque primum inter relinquenda numerare memento, imò verò maximè, & principaliter abnega te ipsum, si deliberas sequi eum, qui exinaniuit propter te semetipsum.*

IDEM serm. 3. in Aduentu Domini: *Redde reuerentiam, & obedientiam prælato, quarum altera cordis, altera corporis est.* Alia multa refert S. Booauent. *lib.1. cap.11.*

MVLTA ex D. Bernardo protuli, quem Caluinus pium scriptorem coofitetur.

S. BENEDICTVS in Regula, cap. 5. *Obedien-* 104
tia tunc acceptabilis erit Deo, & dulcis hominibus, si quod iubetur, non tepidè, non tardè, aut cum murmure, aut responso nolentis efficiatur; quia obedientia, quæ maioribus præbetur, Deo exhibetur, & cap.7. *Obedientiæ bonum non solùm, Abbati exhibendum est ab omnibus, sed etiam sibi inuicem obediant fratres, scientes per hanc obedientiæ viam, se ituros ad Deum.*

Alia quoque horum Patrum testimonia refert S. Booauent. *lib. 1. Pharetra, cap.11.* & *duodecimo.* Tandem statum Religionis totum saoctum ostendit S.Doctor *cap.3. Resp.prima.*

ILLE est status sanctus, qoi ad Charitatem ve- 105
lociter ducit: Talis est status Religioois: Ergo. Maior patet, quia Charitas est finis perfectioois 1. *Timot.1.* & ex D. Augustino *lib. 1. solil. cap.6.* Minor probatur, nam perfectionem hanc laudauit Christus super obseruantiam ordinariam, ac necessariam *Matth. 19. & 16.* Hinc D.Chrysostomus *homil.17. ad populum* vocat eam Philosophiam Christi. Confirmatur à S.Doctore; nam iniungit opera supererogatioois, vt suprà vidimus, quæ talia asserunt SS. Cyprianus *lib. de habitu Virg.* Hieron. *lib.1. in Iouin.* Ambrosius *lib. de vid.* Gregor. *lib. 15. moral. cap.9.* Chrysostomus *homil. 8. de Pænit.* Basil. *lib. de Virg.* Nazianzenus *orat.1. in Iul.*

QVIDQVID vlulet Caluious *lib. 4. cap. 12. sect.12.* negans opera supererogationis, sed omnia dicens præcepta: Cur ergo nulla oecessaria ad salutem clamitat?

PROBATVR adhuc à S.Doctore suprà: Ille sta- 106
tus est sanctus, qui omnia remouet incentiua ad malum: Talis est Religio: Ergo.Minor Probatur, nam: Quidqoid culpæ est in mundo, *aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*, ex D. Ioan. Primum quo ad occasiones remouetur voto Castitatis. Secundum, Paupertatis. Tertium, Obedientiæ voto. In hac declinatione Euangelica coosistit perfectio, vt doceot scripturæ, Coocilia, & Patres, vt ait S.Doctor *ibi.*

SANCTA profectò Ecclesia id testata est in Conciliis Chalc. *act.15. cap.6.* Gangr. *cap.9.* Ancyr. *c.18.* Carth.I. *cap.3.* Carth.4. *cap.11.* Tol.4. & 10. Eliber. *cap.13.* Tur.2. *cap.21.* Constan. *sess.8.* Trid. *sess.25.* Actus non Religionis sunt actus Religiosorum, vt perbellè ait S.Doctor, & cum eo Valentia.

OBIICIAS primò: opera spontanea Deo Chariora 107
suot, quàm coacta: At opera ex votis sunt necessaria: Ergo. Maior constat à scripturis *Psalm. 5. prima Corinth. 7.* vbi protestatur nolle eos ad votum cogere, sed liberos esse: *Non vt laqueum vobis iniiciam*, secunda Corinth. 3. *Non ex tristitia, aut necessitate.* Idem habet ad *Philem.*

RESPONDETVR ex D.Bonau. *in 4. dist. 38. quæst.2.* præcipuè *argumento primo secundo loco*, vouentem spootaneè, se operi non debito exhibere, & voluntariè se subdere obligationi, necessitatiquè reddendi; quæ necessitas est voluntaria, nec minuit, sed auget alacritatem, quia ex amore procedit. Neque hilaritati in reddendo repugnat, quæ in propositione cordis, & vultus serenitate stat, vt docet D. Bonau. *in Diata, tit.2. cap.7.* ad finem.

ILLVD verò *prima Corinth.7.* vbi Pseudomartyr 108
clamat, Apostolum hortari ad continentiam, sed

non velle, vt voto se illaqueent : Respondet S.Bonau. *in 4. dist.31. quæst. 1. argumento 1.* è D.Augustino *lib. de bono viduitatis, cap. 5.* ex Glossa ordinaria, velle Apostolum dicere, se non cogere ad vouendam virginitatem, quasi reprobet coniugium; sed hortari ad eam vouendam, tanquam coniugio honestiorem.

VVLT autem etiam indicare, votum posse esse laqueum vi detinentem ad ruinam, si aliquis temerè voueat, vel coactus; sicuti etiam nuptiæ laquei sunt nubentibus inuitis. Adducit Bellarminus *cap. 29.* id Prouerb.20, *Ruina est homini deuotare sanctos, & post vota retractare*, vbi in Hebræo pro vocabulo *ruina* est מוקש quod propriè laqueum indicat.

109 OBIICIES secundò contra primum assertum, Apostolus *prima Corinth.7.* hortatur matrimonium: *Propter fornicationem, vnusquisque suam vxorem habeat; & vnaquaque suum virum habeat*, & prima Timot.5. *Volo, iuniores nubere, & filios procreare.*

RESPONDET S. Bonauent. *in 4. dist.31. q.1.* homines vocari ad matrimonium non ob solas tentationes, sed ob fornicationem, quia aliàs viuunt incontinentes. Ideò Apostolus prius dixit: *Si non se continent, nubant; melius enim est nubere quàm vri*, idest, quàm non continere, & ideò etiam dicit: *Bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat*, & subdit: *Iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram*. Sic ex D.Hieronymo respondet S.Bonauent. *ad 2.* & post eum Bellarminus, eodem modo explicant id *ad Tim.* quia aliquæ iuuenculæ abierant post Sathanam, vt ipse Apostolus testatur ibidem.

110 SIC autem ait S.Hieronymus *Apologia pro libris*, contra Iouinianum: *Si autem se continere non possunt, & ardorem libidinis non tam continentiâ volunt quàm fornicatione restinguere, melius est nubere quam vri, idest, melius est maritam ducere, quam fornicari.* Eodem modo exponunt SS. Clemens Alexand. *lib. 4. stromatum initio*, vbi reprehendit expositionem Basilidianorum hæreticorum, nempe melius esse nubere, quàm vri, idest, tentationibus cruciari; etiamsi non assentiamur, quod est exemplum Lutheri *in Epithalamio*, Caluini, & Petri Martyris ad hunc locum. Nouatores enim omnium errores euerrunt, vt cloacam effodiant cæteris spurciorem.

111 NOSTRA verò expositio est etiam authoris in epistolas D.Pauli, qui censetur Ambrosius, D.Augustini *lib. de sancta Virginitate, cap. 34.* & *de bono coniugali, cap.*10. Theodoreti, imo & Chrysostomi, si attentè legatur, vt notat Bellarminus.

AT esto id: *Qui non se continent, nubant. Melius est nubere, quàm vri*, intelligat quàm acribus carnis stimulis percelli, adhuc nil obtinent; non enim præcipitur matrimonium, vt vult Caluinus *lib. 4. Instit. cap.13. §.17.* sed permittitur, quod clarè ostendunt verba Apostoli, sicut enim ad remouendam vstionem, dicit; *nubant*; ità efficaciori modo, nempe in modo verborum imperatiuo ait coniugatis, vt si aliquo tempore continent: Rursus: *reuertimini in idipsum, ne tentet vos sathanas*, & subdit: *Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundum imperium.* Qua expressit coniugium esse à se merè permissum, non autem præceptum, vt notat Bellarminus *cap.30.* post D.Bonauent. *in 4. dist. 31. art. 2. quæst. 2. argumento secundo.*

112 SIC intelligitur etiam id: *Volo iuniores nubere*, nam prima Corinth.7. ait: *Volo omnes esse sicut me ipsum.* Ità Chrysostomus, Ambrosius *hic*, Hieronymus *epist.11.* Augustinus *lib. de bono viduit, cap.8.*

TANDEM hæc non habentibus votum, sed solutis dicta sunt, vt notant SS. Ambrosius *ad virg. lapsam, ca.5.* Hieronymus *lib.1. in Iouin.* Augustinus *lib.1. de adulter. coniug. cap.15.* Gregorius *in Pastorali, part.3. admonitione 28.* Chrysostomus *lib. de virginitate, cap.39.* Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & alij ad eum locum.

OBIICIES tertiò contra primum assertum. Insanum est vouere, quod non est in nostra potestate: at continentia est talis, quia est donum Dei, vt habetur Sap. 8. *Nemo potest esse continens, nisi Deus det.* Matth.19. *Qui potest capere capiat*, & prima Corinth. 7. *Sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo*; Ergo, &c. Hoc argumentum ait Bellarminus *cap.31.* esse difficillimum.

RESPONDET D.Bonauent. *in 2. dist.28. art.2. in corpore*, donum continentiæ esse quidem à Deo, ita, vt non sit continens aliquis propriis viribus; attamen Dei auxilium semper adest, & nobis volentibus integrum est eo auxilio continere, ita vt possimus etiam vouere continentiam. Hoc autem est argumentum Pelagij, quem sectarij imitantur, nempe, id, quod solis viribus arbitrij non possumus consequi, non esse in nostra potestate, quod falsissimum est, quia gratia Dei adiuuans, nunquam deest; non enim hoc est de illis donis, quæ actiones non necessarias communicant, vt prophetia; esse verò cælibatum in nostra potestate certum est, Dei gratiâ saltem adiuuante, quæ cuique volenti presto est. 113

PROBATVR primò à D.Bonauent. *in stimulo diuini amoris*, part.3. cap. 9. ex eodem, vbi ait: *Volo vos omnes esse sicut me ipsum: sed vnusquisque suum donum habet à Deo, vnus quidem sic; alius vero sic.*

PROBATVR secundò ex PP. Tertullianus *lib. de Monogamia*, prope finem, ait: *Elige quod bonum est, si non potes, est quia non vis.* Origenes in eum locum: *Qui vult capere verbum de castitate positum, petat, & accipiet.* Hieronymus ad eundem locum: *His datum est, qui petierunt, qui voluerunt.* Nazianzenus *oratione 31.* in hoc Euangelium: *Cùm Audis, quibus datum est; adde, datum esse iis, qui volunt, & assentiuntur.* Ambrosius *lib. 3. de Virginibus*, & *lib. de viduis*, vbi habet: *Hoc non omnibus imperatur; sed ab omnibus flagitatur.* Idem habet Chrysostomus ad eundem locum: *His datum est, qui sponte id eligunt; quod ideo dixit, vt ostenderet superiore nobis auxilio opus esse, quod quidem omnibus paratum est, si volumus in hac lucta superiores euadere.* Augustinus in Psal.137, *Qui te hortatur, vt voueas, ipse adiuuat vt reddas*, & lib.6. confess. cap.11. *Vtique dares nimirum continentiam, si gemitu interno pulsarem aures tuas.* Idem ex professo ostendit S. Augustinus *lib. de adulterinis coniugiis, cap.10. 13. & 20.* & D.Basilius *lib. de Virginitate*, vltra medium. 114

LOCVS verò ille *sapientiæ* 8. de continentia, in genere accipi debet. Salomon enim, qui ibi loquitur, non erat virgo, aut viduus, sed maritus, ac proinde maritalem continentiam petebat, vt notat Bellarminus post D. Bonauent. *loco cit. & in commentario sapientiæ.* 115

AD id verò Matth.19 *Non omnes capiunt, &c.* Respondetur ex D.Bonauent. *in Diata, tit.6. cap.2. in fine*, hoc esse consilium, quod in nostra est voluntate liberum, atque adeò non omnes capiunt, idest, volunt intelligere. Sic enim solet dici: Non capit consilium hoc bonum, licèt sit capax, idest, posset capere, vnde subdit: *Sunt enim Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum*, idest, multi id consilium acceperunt. Quare non denotat, aliquos esse incapaces, vt aduersarij prætendunt. Quod verò dicitur:

dicitur: *Qui potest capere capiat*, sonat: Qui ità est à passione concupiscentiæ non obcæcatus, ac à Deo illuminatos, ac potest percipere, quanta sit dignitas castitatis, intelligat. Idem enim sonat, ac *qui legit, intelligat*. Stat enim in nobis velle attendere Diuino auxilio; sicuti dicitur in Isaia *cap. 6.* è contra: *Non poterant intelligere*, nempe quia nolebant, passionibus quippè obcæcati.

Tertius vero locus *prima Corinth. 7.* indicat donum continentiæ virginalis, & maritalis, quæ in nostra potestate sunt.

516 Obiicias quartò contra primum affert. Incommoda, quæ ex cælibatu sequuntur. Primum est, quia finiretur mundus, si omnes essent cælibes. Secundum, morbi ex cælibatu oriuntur.

Respondet Bellarminus *cap. 32.* post D. Bonauent. *in 4. dist. 38. art. 2. quæst. 3. ad 2.* ex D. Hieronymo *lib. in Iouin.* non esse periculum, omnes mori, vel omnes vouere, neque morbos esse, qui aliter curari nequeant. Vt vidimus cum Medina *lib. 4. de continentia, cap. 11.* Quod si esset sanctitas certa à morbo lethali, adhuc pluris facienda est continentia, quæ est fructus centesimus, vt suprà dixi.

Alia obiiciunt hæretici, nempe voto castitatis impediri generationem hominum; minui vires Reipublicæ ad expugnandos barbaros, impediri inclinationem ad gignendum, quæ est bona, tandem meliorem esse arborem, quæ fructus reddit, quàm si flores solos. &c.

517 Respondetur, hos petulanter, & carnaliter locutos; at verò si eos perlegas, qui cælestia, veraque bona sapiunt, intelliges res alio modo se habere. His omnibus respondet S. Bonauent. *in Dieta, Tit. 4. cap. 4.* vbi castitatis habet panegyricum; præclarum esse hoc votum præ cæteris, è coniugio manantibus, ideoque in parabola fructuum terræ centum ferre; coniugium vero triginta. Vide S. Bonauenturam. Ideò D. Augustinus lib. de sancta Virginitate, cap. 8. *Nulla ergo* (ait) *carnis fœcunditas sanctæ virginitati etiam carnis comparari potest.* Idem latè ostendit D. Hieronymus *ad Demetriadem*, & *epist. 22. ad Eustochium*, & eundem D. Augustinum *loco cit. capite 10.* vbi refellit id, quod ait Erasmus *in dialogo Proci & Puellæ*, nempe ex concubitu nasci Virgines. Respondet autem, ex concubitu, non vt honestum est, nasci virgines, quæ etiam ex adulterio nascuntur. Ità fit vt virgo nascatur etiam de stupro: sacra autem virgo nec etiam de coniugio nascitur.

518 Obiicies quintò Concilia, Ancyr. *can. 19.* vbi violatores voti solemnis castitatis inter bigamos ponit: sed bigamia non est peccatum: Ergo.

Respondetur, in hoc assimilari bigamis, quod sint irregulares, & inhabiles ad sacerdotium.

Alia etiam Concilia afferunt, quæ solùm asserunt, non esse nuptias vituperandas.

Obiicies sextò PP. primò quia ex D. Ambrosio, omnes Apostoli, exceptis Paulo, & Ioanne, habuerunt vxores.

Respondetur, Apostolos post vocationem continentes fuisse. Ideò Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia*, & Christus respondet: *Omnis, qui reliquerit vxorem, &c.*

Secundo referunt Tertullianum *lib. de monogamia*, vbi tractans illud prima Tim. 6. *Volo iuniores nubere*, vbi videtur eas hortari ad nuptias, quæ primam fidem voti fregerant, vt dixi in assertione.

Respondetur, Tertullianum loqui de viduis, quæ nondum vouerunt; ait enim: *Propter quod vult, eas nubere, ne primam fidem viduitatis postea rescindant*; nam si de iam lapsis à voto loqueretur, quomodo posset cauere, ne primam fidem rescindant, cum iam rescissa fuerit? Cautior igitur factus à lapsu aliarum, vult alias nubere, quæ non se volunt continere.

519 Tertio opponunt D. Cyprianum *lib. 1. epist. 11.* vbi scribit de quibusdam virginibus, quæ postquam se Deo dicauerunt, cum masculis cubare repertæ sunt: *Quod si ex fide se Christo dicauerunt publicè; & castè sine vlla fabula, perseuerent ita fortes, & stabiles, præmium virginitatis expectent; si autem perseuerare nolunt, vel non possunt, melius est vt nubant, quàm in ignem delictis suis cadant.* Hunc locum vrgent Petrus Martyr, Caluinus, Brentius, & alij.

Respondet Bellarminus, vrgere in ea epistola, vt quæ lapsæ erant separarentur à procis, alioqui minatur excommunicationem; eas igitur hortatur vt nubant, quæ nondum vouerunt, ne, sicut priores, labantur.

520 Ego quidem faciliorem responsionem exhibeo, vt non loquatur S. Cyprianus de iis, quæ vouerunt Christo, &c. Videtur enim de eisdem loqui, quæ se dicauerunt, & quæ nubere possent. Itaque eas cum Apostolo ad votum edendum hortatur, quod si nolint, vel non possint, idest existiment, se non posse, nubant. Est enim modus dicendi, siue nolis, siue non possis continere.

Vrget Martyr Hilarium *in cap. 19. Matth.* vbi ait: *Christus circa Eunuchos, si possimus, admonet*, vbi obiicit, non dixit: *si velimus*.

Respondetur nil addere Hilarium Euangelio, sed monere, vt consideremus vires voluntatis nostræ, an Diuino auxilio capiat hoc consilium.

Alios etiam plures obiiciunt, qui vel solum nuptias laudant, vt Ignatius ad Philadelphios, Nazianzenus, Chrysostomus, &c.

Vel exagitant contra eas, quæ votum habent, & non seruant, atque clamant non quidem melius esse, sed futurum fuisse, vt nuptæ essent, vt Basilius *lib. de Virginitate*, Epiphanius *hæresi 61.*

Vel continentiam, vel prodesse extra Ecclesiam, vt Hilarius *in Psalm. 64.*

Reliquos verò Papistas fracidos, insanos, & deceptos conclamant.

521 Instat Petrus Martyr, quia D. Augustinus licèt deceptus asserat, peccare nubentes, post votum, tamen validè nubere.

Respondetur cum D. Bonauent. D. Augustinum de voto simplici locutum, non de solemni, quod iure Diuino naturali inualidat matrimonium.

Obiicit contra secundum assertum, quia eleemosynis absorbendis fiunt monachi, quod est contra Apostolum *Ephes. 4. prima Thessal. 4.* & *secunda Thessal. 3.* & D. Augustinum *lib. de opere Monach. cap. 17.*

Respondet Bellarminus *cap. 41.* ex D. Bonauent. *in quæstionibus circa regulam S. Francisci, q. 15.* & *in lib. Apologetico contra quendam innominatum*, circa finem & *de paupertate Christi, contra Guillelmum, art. 2. ad 9.* & *in Apologia Pauperum*, & D. Thom. *opusc. 19. & 22. quæst. 187. art. 3.* ad victum manuum labore quærendum non teneri religiosos, vt dicitur Actorum 6. *Non est bonum nos relinquere verbum, & ministrare mensis.* Apostolos verò scribit sæcularibus quibusdam otiosis, vt patet legenti. Hortatur (esto) etiam religiosos, sicut hortatur suos S. Franciscus ad aliquid operandum pro fugiendo otio, ita tamen, vt non infringat spiritum orationis, & deuotionis. Idem dic ad D. Augustinum, qui solùm obligat eos, qui antequam religiosi fierent, ex labore manuum viuebant, & nunc idem facere possunt absque impedimento

mento maioris boni, & tamen ex otio, & pigritia
122 nolunt. Nam *cap. 21.* excipit religiosos, qui Ecclesiastica ministeria exercent, quales sunt hoc tempore omnes mendicantes. Sic enim ait: *Si Euangelistæ sunt, si ministri Altaris, si dispensatores Sacramentorum, benè sibi istam non arrogant, sed planè vendicant potestatem, nimirum viuendi ex facultatibus populi.* Ità S. Bonauent. qui addit etiam D. Hieronymum *prologo in Iob.*

OBIICIT secundò Brentius in confess. Vuirtemberg. Vel vouens paupertatem est pauper, & tunc non habet quid relinquat; vel diues, & tunc vel ponit omnia in commune, & certius sibi prouidet; vel dat pauperibus, & sic se reddit molestum sua mendicatione proximi, atque adeo contra Charitatem.

123 RESPONDET Bellarminus *cap.10.* Etiam pauperem relinquere, quod acquirere potest ex D. Augustino *epistola 89. quæst.4.* Quod si Diues, ponendo in communi relinquit dominium exemplo Apostolorum *Actorum 4.* Neque est contra Charitatem, quia ansam diuitibus dant emendi cælum, alioqui Christus laudaret rem contra Charitatem. Ità etiam D. Bonau. *locis adductis.*

QVÆSTIO IV.

An tria Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ vota, sint Religione essentialia.

124 ASSERO primò, hæc requiri ad statum religionis.

PROBATVR à D. Bonauent. *in Apol. Pauperum, cap.3. prima responsionis*, quia ad perfectionem requiritur vt homo abstrahatur ab his, quæ grauiter impediunt Charitatem, & abstrahunt ad noxia: sed hæc tria sunt Concupiscentia carnis, Concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ maximè abstrahunt à Deo ad noxia; & hæc reciduntur votis: primum quidem voto Castitatis, secundum Paupertatis, Tertium Obedientiæ: Ergo. Hoc argumentum vide *quæst. præcedenti.*

CONFIRMATVR, nam his votis omnia bona nostra Deo offeruntur, quæ sunt exteriora corporis, & animæ, vt docet Aristoteles *1. Eth. cap.8.* & *lib.17. cap.13.* Hinc D. Gregorius *homil. 20. super Ezech.* vocat hoc *Holocaustum.*

125 QVOD verò hæc per vota debeant firmari probatur, nam ad statum exigitur immobilitas, & vt non facilè quis retro aspiciat, vt dicitur *Lucæ 9.* sed hoc firmatur per vota: Ergo. Ità etiam D.Thom. hic & Valentia *disp.10.quæst.4.puncto 2.* Vide & Alphonsum Rodriquez *de Votis.*

ASSERO secundò: inter hæc, Votum obedientiæ est præcipuum.

PROBATVR à D. Bonauent. *loco citato*, & *in cap.1. regulæ*, & D.Thom. *art.8.* quia offerimus Deo præstantius bonum, scilicet voluntatem, quæ præcedit bonis corporis, & fortunæ.

126 OBSERVAT autem S. Doctor etiam clericos promittere Episcopo obedientiam, vt dicitur *12. quæst.1. cap. Non dicatis*; attamen sublimiorem esse obedientiam Monachorum, vt dicitur *extra. de officio ordinarij, cap. 5.* Ratio est, quia clerici promittunt obedire, salua stabilitate loci, & non in omnibus, sed in quibusdam spiritualibus. At Religiosi se exponunt obedientiæ, vt quaqua voluerit prælatus eos mittat, & in omnibus subiiciuntur, quæ ad regulam spectant.

ASSERO tertiò, hæc tria vota satis esse ad constituendum in statu religionis.

RATIO D. Bonauent. est, quia per hæc satis dedicamur immobiliter Deo.

NOTA verò, emissionem votorum simplicium in Societate Iesu, post Nouitiatum, constituere eos religiosos. Sic declarant Paulus III. Iulius III. Gregorius XIII. qui pœnas excommunicationis latæ sententiæ, & inhabilitatis ad omnia officia, & beneficia, eo ipso absque declaratione, incurrenda indixit contradicentibus. Vide Valentiam. Hoc priuilegium confirmatum est illis à sancto Concilio Trident. *sess. 26.cap.16. de reform.* 127

ASSERO quartò, Votum ordinariæ paupertatis religiosæ duo imponere; alterum non habere aliquid proprium: alterum non habere superflua.

PRIOREM partem docent omnes cum D. Th. *art.3.* & patet ex *cap. cum ad monasterium de statu monachorum.* Posterior pars patet ex Clement. *1. de statu monach.* & traditur à Nauarro *cap. Non dicatis, num.27.* Syluester *verb. Religio, 6.quæst.7.* Lessio *lib.2. cap.41. dub.9.* Valentia *disp. 10.quæst.4. puncto 3.* Tannero *disp.6. quæst.3. dub.4.* & aliis. 128

NOTANDVM tamen hæc sufficere iis, qui Paupertatem tantùm vouent particularem, habent tamen in communi, quales sunt omnes religiosi, exceptis Capucinis, & de obseruantia, vt declarat Concil. Tridentinum *sess. 25. cap.3.*

ALIQVA obiiciuntur nullius ponderis.

CVM omnes ordines in essentia votis nixa conueniant, sequitur, eos non distingui essentialiter; sed solum quo ad fines cuiusque, vt dixi *quæst. 2.* & vt docent D.Bonauent. *loco cit.* D. Thom. *quæst. 188. 189.* Syluester *ibi*, Lessius *lib.2.cap 41.dub.2.* Laym. *lib.4. tract 5. cap.3.* Faust. *in thes. lib.5.quæst.17.* Bassæus V. *Religio 1. num.10.* 129

QVÆSTIO V.

An PONTIFEX *valeat in Votis solemnibus dispensare.*

D.Bonauent. in 4. dist. 38. art. 2. quæst. 1.
D.Thom. 2.2. quæst. 88. art. 11.

SVPPOSITIS his, quæ definiui *disp.1.quæst.28.* facilè hæc quæstio soluitur, admittendo iuridicam declarationem. 130

PRÆCIPVA controuersia est de voto solemni castitatis.

PRIMA, eaque celebris opinio est, posse Pontificem in voto solemni castitatis dispensare, atque idem de votis cæteris solemnibus asserunt. Ità centum ac decem Doctores relati à Sanchez *libro 8. de matrimonio, disput. 8.* Solus ex his, quem viderim Nauar. *commentar. 2. de regularibus, num. 17.* excipit votum paupertatis. Alios etiam refert Tannerus *disput.5. quæst.4. num. 122.* Platus *de bono status Relig. libro 2. capite 16. & 27.* Vasquez *prima secunda, disput.165.* Adde Bassæum V. *Votum 7. num. 28.* qui ait esse communem Canonistarum, & ferè Theologorum.

SECVNDA sententia negat, Pontificem valere in votis solemnibus dispensare. Ità D. Thom. 2. 2. *quæst.88. art.11.* cum aliis viginti duobus, quos refert Sanchez *loco citato, num. 5.* vbi pro hac adducit D. Bonauenturam, qui, vt diximus *quæstione prima*, hanc 131

sententiam

sententiam non audet reprobare: eam verò oppositæ præferre non præsumit, sed ait, se nescire vtra sit melior.

Assero primò probabilem esse hanc secundam sententiam. Ità fatetur Sanchez citatis innumeris ferè Doctoribus pro opposita sententia.

132 Probatvr primò ex *cap. cùm ad monasterium*, vbi dicitur: *Custodia castitatis adeò est adnexa regulæ monasticæ, vt contra eam, nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

Vide responsiones recitatas *quæst. prima*. Est autem Innocentij III. hoc decretum. Hunc textum grauiter vrgent Thomistæ, præsertim verò Petrus Labata *Tom.7. tract.3. disp.6. dub.8.*

Respondet otc omnium Mastrius *in 4. disp.7. num.512.* sensum esse, Pontificem non posse dispensare in sensu composito, ità vt à votis exemptus maneat adhuc Religiosus; vota enim sunt de essentia Religionis. Ità respondent etiam gemini de sacramento matrimonij eximij scriptores, Sanchez, & Pontius.

133 Instat Labata, nam ibi Pontifex infert, non posse Abbatem dispensare subditos in voto castitatis, quia nec Ipse summus Pontifex id valet: at si iuxta prædictam responsionem posset summus Pontifex dispensare extrahendo monachum à statu Religioso, non satisfieret quæstioni.

Respondet Mastrius, hunc authotem nullo fundamento inferre, quod si Pontifex valeret Monachum à statu Religioso auocare, posset aliquis deducere, idipsum valere etiam Abbatem.

134 Evm tamen non rectè visus est retundere Mastrius; non enim est hoc, in quo Labata vim facit, nec id inferre prætendit, sed ita arguit: Absit, vt Abbas existimet, se posse in votis solemnibus cum Religiosis suis dispensare, quia vota sunt Religioni adeò intrinseca, vt contra ea nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. Iam verò respondere Pontificem posse dispensare auocando à Religione, videtur ludicrum, quia Pontifex supponit in sua ratione contrarium; nempè non posse dispensari in votis Religiosis, quia Religioni irreuocabili sunt intrinseca; seu quia non potest à promissis in Religione & ab ipsa Religione retrocedere, & Religioni sunt vota intrinseca. Itaque miror, hoc responsum à tot viris amplexam, Socino, Richardo, Durando, Paludano Caietano, Palacio, Azorio. & Valentia apud Sanchez *lib.8. disp.8. num.7. & 12.*

135 Vrget adhuc pro Labata; nam ratio Pontificis videtur ius illud Diuinum supponere, Lucæ 9. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei*, vt indicat S. P. Franciscus *c.2. Regulæ*, & ibi D. Bonauentura, & id Leuit. vlt. *Animal, quod Deo deuouit, sanctum erit, nec mutari poterit.* Hoc autem supposito fundamento inferre. Cùm irreuocabilis sit legitimè à statu Religioso, & Religio essentialiter includat hæc vota, sequitur, nedum ab Abbate posse dispensari, sed absurdum esse hoc dicere; cum neque Papa id facere queat.

136 Mihi videtur sensus obuius esse exprobrantis Abbati existimanti, sibi integrum esse dare licentiam, seu licitam concessionem retinendi aliquid proprium, cùm & de ipso Pontifice plurimi negent probabiliter; etsi grauissima de causa id aliquando concessum est, debuisse Pontificem adhibere supremam authoritatem, & plenitudinem potestatis, qua fungitur in toto orbe ad status mutationem ob bonum vniuersale, qua potestate, & superintelligentia Abbas non gaudet. Ità verò ius diuinum in illis casibus permisisse. Multoties verò eusum euenisse referunt Caietanus *tract.1. opusc. tit.17.* & alij apud Sanchez. Ità Alexander III. dispensauit cum Nicolao Iustiniano Monacho, instante Serenissimo Duce, ne Iustiniana præclarissima soboles periret: Hic sumpsit Annam, ex qua sex filiis masculis acceptis, & tribus fœmellis, ambo religionem adiere, ac claruere miraculis. Ità refertur à Surio in vita B. Laurentij Iustiniani, & apud Axor *lib.11. Instit. cap.7.*

Ramirvs Aragoniorum Rex, Monachus factus, cùm eius Pater sine prole obiisset, dispensatum est cum eo à Pontifice; & vxorem duxit, atque filiam genuit. 137

Casimirvs huius nominis primus, Poloniæ Rex & Monachus, dispensatus filios genuit. Constantia Rogerij filia Monachali professione dispensata Henrico VI. nupsit. Alios etiam referunt.

Observat autem Azotius, hos fuisse professos. Quod ex historiis rectè ostendit, atque redarguit Soti, & Syluestri responsa. 138

Hanc verò praxim damnare nefas est, vt monet Petrus à S. Ioseph Fuliensis *lib.4. de Relig. cap.4.*

Probatvr secundò à D. Bonauent. quia vt valida sit dispensatio, necessaria est causa præponderans; at nulla talis causa potest esse ad dispensandum in voto castitatis, quia *Omnis ponderatio non est digna animæ continentis*, vt dicitur *Ecclesiastici 26.* Ergo.

Respondet Sanchez *num.7.* & alij ferè omnes, posse dare bonum præponderans, puta totius regni pacem, vitam Regis, quæ maximè sit regno conseruando necessaria, aliaque huius ponderis, quæ sanè cum bono spirituali vnius monachi librata præponderant. Hæc responsio sumpta est ex D. Bonau. *loco cit.* qui tamen aduertit, ne decipiantur, ponendo has causas, nisi sint certæ moraliter effectum consecutuæ; tunc verò S. Doctor dat dexteram. 139

Addit Sanchez rationem illam bonitatis continentiæ incompensabilis etiam voto simplici adaptari posse, & tamen certum esse in hoc posse Pontificem dispensare.

At D. Bonauent. cum aliis eum locum afferunt pro voto solemni, quod tradit perfectè animam simul cum corpore Diuino mancipio, atque ob id arbitror, Spiritum Sanctum dixisse: *non est ponderatio animæ continentis*, loco suprà cit.

Hinc sumitur alia ratio à D. Bonauent. Id quod est penitus Deo traditum, non potest ab eo auferri à quoquam inferiori: Sed per vota solemnia fit omnimoda traditio hominis Deo, atque adeo iure Diuino remanet omnino Deo deuotus, vt ostendi *quæst.1.* Ergo. 140

Respondet Sanchez *num.120.* ca D. Bonauent. *loco cit.* gratiâ communis boni posse rem Deo traditam auferri, quia Deus cùm velit semper, quod melius est, satis compensatum se existimat. De hoc *quæst.1. disp.1.*

Probatvr quartò à D. Bonauent. *dist. citata, art.2. quæst.1.* Id, quod est iuris Diuini naturalis est indispensabile ab Ecclesia: Sed votum solemne castitatis est iuris Diuini naturalis, hoc pacto irritans matrimonium: Ergo. Maior est axioma omnium, vt dixi *quæst.1.* Minor ibi probata est quò ad priorem partem. Quod verò iure Diuino naturali irritet matrimonium. Probatur ex Syricio Papa *epistola 1. cap.6.* & refertur *cap. si quis sacro, §. si quis sacra, §. velata, 27. quæst.1.* vbi ait: *contrahentes post votum solemne separandos esse verbo Domini, & authoritate Canonica.* Ergo non solo iure Ecclesiastico, sed etiam Diuino illud matrimonium irritum est. 141

Confirmatvr à D. Bonauent. *quæst.3.* Res vni tradita, inualidè traditur alij ex iure naturæ.

Nemo

Nemo enim transferre valet in alium id, quod non habet, ex regula *cap. Quod autem de iure patron.* At per votum solemne Religionis transfertur dominium personæ in Deum, ità vt non habeat ampliùs vsum sui corporis ad actus matrimonij: Ergo. Confirmatur, nam ob hanc rationem coniux non potest alteri nubere, & licet Ecclesia vt acceptans consensum assistat, non tamen solo iure Ecclesiastico coniux vni coniugi tenetur, & alteri non nubere, sed iure naturæ.

142 RESPONDET Sanchez *loco citato*, ex dictis *disput.* 6. *num.* 2. posse dispensari super iure Diuino naturali, quod à voluntate humana ortum agnouit, qualia sunt vota, & iuramenta, licèt non semper in iure Diuino naturali absoluto; quamuis aliqui, inter quos est D.Bonauent. *in* 4. *dist.* 38. *art.* 2. *quæst.* 3. negent fieri relaxationem, sed tantùm declarationem in illo priori iure, modo explicito *disput.* 1. *quæst.* 1.

143 HÆC itaque non sunt adeo firma, vt non iaceant elisa *disputatione præcedenti*, *quæst.* 1. & hic *quæst.* 1. quod si in omni iure pendente à nostra voluntate potest dispensari, licebit etiam dispensari in polygamia; obligatio enim coniugum est talis.

TANDEM probatur, quia, vt refert Abdias, S.Matthæus noluit dispensare, vt Iphigenia monachalis nuberet Regi, qui se, totumque regnum Baptismo sacrandum offerebat.

RESPONDET Sanchez ex Caietano, id factum, quia non decebat initio nascentis Ecclesiæ religionem propagari, relaxatis iis, quæ ad eandem valdè pertinent, & tam apparenti religionis despectu.

144 AT (pace eorum) quis ignorat, initio aliqua tolerata, ne scandalum incremento religionis apponeretur? sic etiam D. Gregorius Papa scripsit S. Augustino in Angliam. Sic annalia Ecclesiastica testantur, multa tunc temporum tolerata; quæ postea roboratis Ecclesiæ viribus sunt restricta.

ASSERO secundò; Probabile etiam est, integrum esse Pontifici in votis solemnibus dispensare suppono *Tract. de matrim. disput.* 7. *quæst.* 6. probabile esse Votorum solemnitatem esse è Iure Ecclesiastico.

PROBATVR primò à D. Bonauent. Nihil authoritati Pontificiæ denegandum, quod gubernationi Ecclesiæ conuenit, nisi sequatur aliquod implicans, vel inconueniens: at dispensatio in votis solemnibus est proficua Ecclesiæ, vt si ad pacem regni alicuius, vel salutem Regis, Ecclesiæ proficui, conueniret; Neque sequitur implicantia: Ergo.

145 PROBATVR verò extrema pars Minoris. Vel repugnat, quia sit de iure Diuino; & hoc non, quia dubio omni procul dispensatur in voto simplici, quod est de iure Diuino. Vel repugnat ex materia continentiæ, cui nullum bonum æquari valeat; & hoc neque; vt vidimus, quia bonum regni integri præponderat: Vel repugnat ex solemnitate; & hoc neque; nam in solemnitate non est posita ratio voti. Vel tandem repugnat ex parte traditionis; & neque hoc, quia ob bonum publicum potest iustè traditum reuocari.

HÆC tamen ratio ex dictis infirmari potest, negando Minorem ob rationes allatas *quæst.* 1. & *disputatione præcedenti*, *quæstione* 1. cum D.Bonauentura. Eam tamen plurimi acclamant apud Mastrium *num.* 510.

146 PROBATVR secundò ratione allata à D. Bonauent. *initio corporis.* Voluntas hominis quatenus politici, & ad commune Reipublicæ bonum ordinati, subordinatur capiti in iis, quæ ad bonum commune politicum spectant: Ergo in voluntate religiosi, vinculo se voti astringentis, includitur conditio, nisi Caput communitatis, idest, Pontifex communis boni gratia relaxet hæc vincula. Et confirmatur, nam si ob œconomiam conceditur Patri irritare vota filiorum, & marito vxoris, cur id negetur summò omnium Parenti, & Principi ob publicam totius Ecclesiæ vtilitatem?

HÆC tamen ratio, quam Sanchez principalem iactat, non admodum Seraphico probatur, quia cùm vota hæc sint Deo gratissima, eiusque consilia, non videtur probabile ea esse facienda sub conditione, cum non omnino probatum remaneat bonum aliquod præualere.

VLTIMA ratio D.Bonauent. quæ habetur *dist. citata*, *art.* 2. *quæst.* 5. quam magni facio, quaque nititur Sanchez, ea est. In dubio pro Pontificis gestis præsumendum est, quippè à Spiritu Sancto in gubernatione Ecclesiæ speciali ratione dirigitur; at constat ex historiis relatis à Caietano *Tom.* 1. *opusc. Tit.* 27. de dispensatione matrimonij, in occidentali Ecclesia *quæst. vnica*, & aliis. Hæc sanè ratio cæteris præualet, eaque Seraphicum ab opposita sententia deterruit. Adde Pontifices verè sæpè dispensasse refert Sanchez: Indignum vero responsum Syluestri V. *Votum* explodit Petrus Mastrius & iustè. 147

HINC verò sequitur, idem dicendum etiam de aliis votis: est enim par ratio, vt iudicat Sanchez *lib.* 5. *Decal. cap.* 2. *num.* 9. eò magis, quia non potest coniugatus paupertatem religiosam seruare. Ità Rebaden. *de Instituto Societatis Iesu*, *cap.* 18. Azor, *lib.* 12. *Instit. moral. cap.* 7. *quæsito* 2. Vasquez *prima secunda*, *disp.* 165. *cap.* 9. *num.* 104.

IDEM etiam de voto obedientiæ argumentum viget, debet enim coniugatus esse caput dominans. 148

HINC verò sequitur multò magis posse Papam dispensare in voto adnexo sacris ordinibus; non est enim adeo solemne, nec per se; sed adnexum sacris, & ita de hoc est minima controuersia, cùm hoc sit ex iure Ecclesiastico adnexum.

QVÆSTIO VI.

Qui recipiendi sint ad Religionem.

SVPPONO, Ordines singulos habere aliqua de hoc statuta peculiaria. Cùm autem quatuor sint Regulæ præcipuæ, scil. Basilij, Augustini, Benedicti, & Francisci, tamen & singuli Ordines statutis differunt, multò magis alieni, vt Carthusiani, & Iesuitæ. 149

DICAM verò in hac re, quæ ferè communia sunt, & cuique obuiant.

PRIMO, Episcopi iureiurando Papæ sanctissimo adstricti, nequeunt absque eius licentia recipi. Ità D Thom. *quæst.* 189. *art.* 7. ex *cap. Nisi cum pridem de renunc.*

SECVNDO, nec coniuges matrimonio consummato *cap. Quidam*, & *cap. Placet de conuers. coniugat.* Possunt tamen mutuo consensu *cap. Cùm sis*, *cap. Vxoratus*, *cap. Ad Apost. de conuers. coniugat.* mulier verò, si iuuenis, vel talis sit vt timeri de eius incontinentia possit, si maneat in 150

ſæculo, tenerur monaſterium ingredi, marito intrante. Aliter verò ſat eſt, ſi voueat continentiam in manu Epiſcopi.

Erit autem iudicandum è perſonæ ſtatu, valetudine, vita anteacta, vt ait Poncins *de matrim. lib.9. cap.*12. An verò periculum ſit, Epiſcopus iudicabit *cap. ſi vir. & vxor*, 27. *quæſt.* 2. *cap. Quia Agatho, cap. ſcripſit nobis*, 27. *quæſt.*2. vt obſeruat S Bonauent. *ad cap.*2.*Regula*, vbi S.Pater Franciſcus id prouidit.

151 Notat verò S.Doctor, ætatem ad hoc debitam, vt vxor poſſit manere in ſæculo abſque ſuſpicione, intrante viro Religionem, menſurandam magis ſtabilitate virtutis, quàm tractu annorum; nam dicitur Sap 4. *Cani ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Conſentit Poncius *loco citato*, Baſſæus V. *Religio* 2. *num.* 2. Ideò non determinat, vt ſit quinquagenaria, vt vellent Sanchez *de matrim. lib.*7. *diſp.*32. *num.*15. Guttierez *de matrim. cap.* 95. Bonacina *quæſt.*3. *puncto* 3.*num.* 12. Filliucius *tract.*10. *part.* 2. *num.* 133. Neque ſtatuit, vt ſit ſexagenaria cum Fauſto *in theſ. relig. lib.*5.*quæſt* 53. Azor *tract.*1. *lib.*12. *cap.*1. *quæſito* 6.

152 In matrimonio tamen rato, poteſt inuito coniuge religionem ingredi, *cap. verum, cap. ex publico, de conuerſ. coniug.* Vel ſi intra bimeſtre vi conſummauerit vir, Diana *de ſacr. reſol.* 242. *part.*3. Vel ſi alter adulteret *cap. Agathoſa* 27. *quæſt.*2. *cap.* Porrò *de diuort.* non tamen ſi condonauit. Vel ſi coniux incidat in hæreſim *diſt.*32. *quæſt.*1. *cap.*1.

Tertio, quia virginem ſub ſpe matrimonij deflorauit. Vide Dianam *part.* 3. *de ſacrament. Reſol.*203.

Qvarto, ſeruus inuito domino *cap. ſi quis* 17. *quæſt.*2.

Qvinto, qui eſt debitor; ità D.Thom.2.2. *q.vlt. art.*6. debitor inquam è contractu, vel delicto, vt dixi *de Reſt.* Erit tamen valida profeſſio, etſi illicita *ex Clement.*8. *In ſuprema*, vbi moderatur Bullam Sixti V.

Sexto, reddendis ratiociniis obligati ex Sixto V. *Cum de omnibus.*

Septimo, filij, quorum parentes in graui iacent egeſtate: vel è contra.

Octavo, impuberes abſque licentia parentum, vel tutorum, D.Thom. 2. 2. *quæſt.*88. *art.*9. & *q.*101. *art.*4. & *quæſt. vlt. art.*5.

153 Nono, illegitimus, cuius Pater ſuperſtes in ea religione profeſſus ſit. Propriis verò ſtatutis aliqui ordines excludunt homicidas, infames, & natos è Iudæis, Saracenis, vel hæreticis.

Vndecimo vitiati corpore; nam hi ab altari arcentur. *c. De corp. vitiato*, & *cap.*2. *de cler. ægrot.*

Dvodecimo, Infames. Adde è *Conſt. Sixti V.* criminoſos. Hi ſunt, qui facinora turpia patrarunt, & hæc ſunt nota. Item grauiter ſuſpectos exclude.

Dvodecimo, Bigami nequeunt eſſe Clerici.

154 Tenetvr verò Prælatus informari; & ſi eius culpâ recipiatur criminoſus, ratiociniis obligatus, &c. incurrit pœnas priuationis vocis, inhabilitatis ad omnia officia, honores, &c. Vide Tamburinum *tract.* 3. *de iure Abbat. diſp.*6. *quæſt.*4. Portel. *dub. Reg.v. Nouitij informat.* Rodriquez *tract.*3. *qq. regul. quæſt.*10. Mirandam *tract.* 1. *quæſt.*17. 18. 19. Peyrinum *tract.*2. *de Prælat. quæſt.* 3. *cap.* 1. §.1. Vecch. *in prax. diſp.*6. *dub.*7. Baſſæum V. *Religio* 2. qui monet, teneri recipiendum pandere ſuum impedimentum graue.

Recipiendi ſunt igitur, qui apti ſint Religioni inſeruire. Quare lethali culpa damnantur recipientes damnoſos, vel ineptos.

QVÆSTIO VII.

De Novitiis.

Specvlvm apponit D.Bonauent. terſum, in quo adamuſſim Nouitij ſuos mores componant, & Patres admonendis ad profeſſionem deſtinati, nouitiorum vitam anatomicè examinent. Opuſculum quidem cæleſte. 155

Alivd opus ſimile apponit. De Inſtitutione Nouitiorum; opus ſanè aureum. Omnia verò latius diſſerta colligit in Regula Nouitiorum.

Rurſus, Opuſculum aliud apponit pro monialibus de perfectione vitæ.

Decernit ſanctum Trident. Concil. *ſeſſ.*25. *cap.*15. non eſſe validam profeſſionem, ſi nouitius 16. annos non compleuit, & integrum annum probationis non peregit, & hoc in noſtra Regula obſeruat S.Bonau. *ad cap.*2.

Annvs debet politicè ad morem impleri, vt ſi biſſextus ſit, duo dies vnum conſtituant. 156

Si è priuilegio moriturus nouitius ad profeſſionem admittatur, ſuccedunt parentes ab inteſtato, quidquid dicat cum aliis Diana *part.* 3 *de dub.reg. reſol.*17. & *part.*5. *tract.*5. *reſol.* 139. Ratio eſt, quia in ſolum ſpiritoale ſolatium conceditur, ideò nequit in foro externo præiudicare legitimis heredibus, & deuoluere hereditatem ad monaſterium, vbi nullum ius eſt; nullum pariter debitum.

Debet annus integer continuatus eſſe, non interpolatus; Rodriquez *tomo* 2. *cap.*8. & *tomo* 3. *qq. quæſt.*15. *art.*8. Sa V. *Relig.num.*9. Azor *tract.*1.*lib.*12. *cap.*2. *quæſito* 8. Bonacina *de clauſ. quæſt.*2. *puncto* 10. *diff.* 2. Nauar. *de reg. conſil.* 32. & 33. Henriquez *lib.*13. *de excomm. cap.* 40. Syluester V. *religio* 3. *q.*4. D.Anton.3. *part. tit.*16. *cap.*3.§.2. Fauſt. *in theſ.lib.*5. *quæſt.*163. & 164. Sanchez *lib.*5. *cap.* 4. Baſſæus V. *Religio* 3. *num.*5.

Si nouitius aufugiat ad duas horas cum habitu, & redeat, interruptus eſt annus, iuxta deciſionem Cardinalium apud Barboſam *de iur. can. lib.*1. *c.*42. *n.*139. Vecch. *diſp.*11. *dub.*3. *num.*6. & 15. 157

Debet annus compleri cum habitu Religionis, vt docent Syluester V. *Religio* 5. *quæſt.* 5. Angel. V. *nouitius*, Vecchius *diſp.*11. *dub.*7. & alij apud Baſſæum *num.*7.

Si nouitiatus fuit irritus, eſt iterandus, quia non eſt cauſa, nec ad præteritum eſt potentia. Ità Nauar. & Rodriquez apud Baſſæum *num.*9.

Recipientes ad profeſſionem inter Mendicantes, ante annum completum, excommunicantur, & ſuſpenduntur ipſo facto à facultate admittendi ad profeſſionem *cap. Non ſolum de reg. in* 6. eadem cenſura nodantur, qui toto illo anno impediunt, ne liberè tranſeat nouitius ad alium ordinem, niſi maior 16. annis profeſſionem emiſerit. In aliis autem Ordinibus grauiter peccant contra præceptum Concilij Trident. *ſeſſ.*25. *de regul. cap.*15.

Possvnt ſuperiores ex cauſa prolongare profeſſionem, ex iure veteri, cui in hoc Tridentina Synodus non derogat. Conceditur verò à Pio V. apud Rodriquez *loco citato*, & Baſſæum *num.*10. dummodò intra ſex menſes ille ſperetur futurus habilis. 158

Novitii

Novitii non tenentur statutis Religionis cum non adhuc sint membra. Vide Bassæum *n.* 11. *&* 13.

Gaudent priuilegio Canonis, & Fori, Sanchez *lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 17. *&* *lib.* 6. *cap.* 10. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 4. Diana *de dub. regular. Resol.* 73.

159 Rediens ad sæculum non reincidit in censuras, aut irregularitates, à quibus in Religione fuit absolutus vigore priuilegiorum, quæ adducit Vecch. *disp.* 9. *dub.* 25. Vide Suarez *tract.* 5. *in* 3. *part. disp.* 7. *sect.* 5. *num.* 35. Dianam *cit. resol.* 44. Bonacina *de leg. disp.* 4. *quæst.* 2. *puncto* 7. §. 4. *num.* 28. Id probabilius ait Bassæus *num.* 16.

QVÆSTIO VIII.

Quæ requirantur ad professionem in Religione.

160 Professio hæc alia est expressa, alia tacita. Expressa editur expressè verbis, scripto, vel nutibus: Tacita verò præsumitur facta, primò si peracto probationis anno, habitum professorum, distinctum quidem à nouitiorum habitu, triduo gestes *cap. ad Nostram de regul.* Secundò in tali suscepto habitu facias etiam ante triduum aliquid proprium professorum, puta præbere suffragium *in comitiis.* Tertiò, si anno integro habitum professorum gestes, transacto anno præsumeris professus. *Clement. eos, de Regul.* Vide Manuelem *tract.* 2. *sum. cap.* 8. *num.* 13. Azor. *lib.* 12. *cap.* 4. *quæsito* 2. Sanchez *lib.* 5. *cap.* 3. Mirandam *tract.* 1. *quæst.* 24. *art.* 1. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 5. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 57. Vecch. *disp.* 13. *dub.* 8. Bassæum V. *Religio* 4. *num.* 1. Ità vno ex his modis eris tacitè professus.

161 Notant verò Tridentinum Concil. id non immutasse, aut abstulisse hos modos, sed solùm addere, vt completus sit annus probationis, & ætatis annorum 16. integre ad punctum. Susceptio etiam Sacrorum Ordinum ab huiusmodi inducit professionem, vt declarauit Sacra Congreg. 1619. apud Tamburin. *de iure*, Abb. *dist.* 6. *quæst.* 13. *num.* 12.

Nota etiam, professionem è *constitut. cap. fin. quæst.* 5. esse scripto à profitente, si scribere norit, consignandam.

Præter conditiones relatas è Concilio Tridentino necessarias, vbi Concilium receptum est, aliæ requiruntur.

Prima, vt in monasterio sui sexus fiat. Ità hermaphroditus æque vtriusque sexus nullibi profitetur. Portel. V. *Professio*, qui ait, fœminam professam, si in marem erumpat, teneri ad religionem virorum transire. Sed non placet; nam præcisè eius professio est Monialium. Vide Dianam *part.* 5. *tract.* 14. *Resol.* 49.

162 Secunda conditio est, vt recipiatur à potestatem habente. Hi sunt Generalis, Prouincialis, & immediatus loci cum familia Prælatus; sine consensu enim maioris partis familiæ nequeunt Prælati vllum admittere, nec familia, renitente Prælato; Rodriquez *tract.* 3. *qq.* 17. *art.* 7. Vecch. *disp.* 12. *dub.* 5. & Sanchez *lib.* 5. 14. *à num.* 62. cum Bassæo *num.* 3. Prouidè autem receptio Prælatis, vt prudentioribus commendatur, & additur prudentum fratrum consensus ad receptionem, vt ait S. Doctor ad *cap.* 2. Regulæ Minorum. Quare potest Generalis, seu Prouincialis præcipere superiori Nouitiatus, ne aliquem absque sua licentia admittat sub declaratione nullitatis, Nauar. *lib.* 2. *cons. reg.* 62. Rodriquez *tract.* 3. *qq. quæst.* 17. *art.* 7. nam eius potestas est eminentior in Prælato maiori.

163 Tenentur verò omnes, idoneum non excludere, Suarez *tract.* 3. *de relig. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 7. Vecch. *disp.* 12. *dub.* 1. Portel. V. *Nouitius*, *num.* 55. & *in addit. num.* 17. Mirand *tract.* 1. *quæst.* 25. *art.* 1. & 2. Diana *part.* 7. *tract.* 11. *resol.* 26. Bassæus V. *Religio*, 4. *num.* 3. Et indicat S. Doctor *ad cap.* 2. *Reg. minorum.*

Ratio est, quia malum grande infertur illi, dum tanto priuatur bono; sicuti malum graue Religioni infertur, siue idonei pellantur, siue noxij, & inepti admittantur. Ideò enim eis demandatur, vt arte prædiri piscatoria, bonos in vasa mittant, malis non idoneis foras missis, vt disserit S. Doctor.

164 Quod si, etiam datis votis, aliquod graue in nouitio offendant, vel detegant, possunt adhuc Patres conuentus eum eiicere: Annus enim datur in approbationem *cap. ad Apostolicam.* Et sicut licet in matrimonio rato; ità in spirituali *cap. Inter corporalia, de transl. Episcop.* Ita Bassæus *num.* 3. Vecch. *disp.* 12. *dub.* 7. qui *disp.* 5. ait priuatos voce, non posse suffragium dare.

Tertio exigitur animus profitentis liber à vi, metu graui, vel importunis precibus, & offensione parentum, &c. *cap. Perlatum de his, quæ vi.* Sanchez *de matrim. lib.* 4. *disp.* 6. *num.* 18. & *disp.* 7. *num.* 7. Coninch. *disp.* 28. *dub.* 2. *num.* 35. Lessius *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 35. Vecch. *disp.* 13. *dub.* 12. Bassæus *num.* 5. In dubio autem: an metus fuerit grauis, iudicandum pro ipsa professione, quæ possidet, ità Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 3. Bonacina *de leg. disp.* 4. *quæst.* 2. *puncto* 3. §. 1. *num.* 11.

Professio irrita potest ratificari, nisi facta sit in Religione non approbata. Vide Bassæum.

165 Concilium Trident. *sess.* 25. *de reg. cap.* 19. concedit, vt qui præsumit inualidè se professum, reclamare possit solùm intra quinquennium, nisi tamen intra fuerit impeditus. Adducat verò causas reclamandi coram superiore suo.

Nota verò, si irrita fuit professio, non ratificari elapso quinquennio, quia non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit; ita Diana *part.* 6. *tract.* 4. *Resol.* 56.

Causas reclamandi vide cum reliquis in Bonacina *de claus. quæst.* 2. *puncto* 10. Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disp.* 37. Suarez *de relig. tract.* 3. *lib.* 7. *cap.* 3.

Effectus obligationis recensebo, cùm de singulis votis agam.

166 Multa verò bona affert. Primum bonum, quod circumfertur, est Restitutio Baptismalis innocentiæ: Ità D. Thom. *q.* 189. *art.* 5. Nauar. *tract.* 2. *de reg. num.* 60. Peyrin. *tract.* 2. *de prælat. quæst.* 3. *cap.* 1. *num.* 154. Sà V. *religio*, *num.* 17. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 10. Villalobos *tom.* 2. *tract.* 35. *diff.* 26.

Aliqui addunt eum, qui in professione obicem posuerit, si resipiscat, recipere innocentiam; Sed non video, vnde id probent ex opere operato, vbi hæc promissio reperiatur, vt notat Caietanus *ad locum citatum D. Thom. art.* 3. *ad* 3. Azor *tract.* 1. *lib.* 12. *cap.* 5. *quæsito* 51. Nauarr. *de indulg. not.* 20. *num.* 17.

167 Deinde professio tollit Irregularitatem, quæ ex defectu natalium ad ordines, & beneficia simplicia *cap.* 1. *de filiis Presbyt.*

Maculas quò ad actus temporales ex *Auth. de monach. collat.* 1.

Insuper à patria liberatur potestate quò ad grauamina. Vide Sanchez *numero* 19. Tandem professio emissa ante parentis mortem, abolet ingrati notam;

ob quam exhæredari poterat. Vide Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 10.

MVLTAS rationes recenset S. Doctor *quæst.* 10. *in Reg.* cur non sint omnes ad Religionem recipiendi.

PLVRIMA congerit motiua, ob quæ recipiendi sint ad religionem idonei *quæst.* 15. *in Regulam*, Illas autem rationes, sicut & hæc motiua, cum ex communi praxi per se pateant, hic prætermitto.

QVÆSTIO IX.

An, & qualiter teneantur Religiosi ad perfectionem.

D. Bonauent. variis in locis.
D. Thom 2. 2. quæst. 184. art. 5. ad 2. & quæst. 186 art. 2. & 9.

168 RELIGIOSVM teneri ad perfectionem non quidem actu habendam, sed procurandam, communiter concedunt Doctores cum D. Bonauent. *lib.* 1. *de profectu religiosi*, *cap.* 1. & *in qq. super Regulam*, *quæst.* 16. & *p p. de Eccl. Hierarch. cap.* 2. 3. & 4. & *part.* 4. *cap.* 4. Ità D. Thom. 2. 2. *quæst.* 184. *art.* 5. *ad* 2. & *quæst.* 186. *art.* 2. & 9. & ibi Caietanus, Abul. *quæst.* 144. *in cap.* 9. *Matthæi*: Astensis *sum.* 2. *part. tit.* 47. *art.* 1. *quæst.* 3. Carthus. *de reform. claustr. lib.* 1. *art.* 1. D. Antonin. 3. *part. tit.* 16. *cap.* 1. §. 1. Angelus *verb. Religiosus*, *num.* 27. Syluester *ibi* 1. *quæst.* 3. Armilla *n.* 3. Tabiena *quæst.* 4. Nauar. *com.* 1. *de Regular. num.* 10. *dicto* 10. Corduba *in reg. S. Francisci*, *cap.* 1. *quæst.* 3. *dicto* 2. Viguer. *lib. Instit. cap.* 7. §. 1. Azor *lib.* 11. *tract.* 1. *Instit. cap. vlt. quæsito* 11. Valentia *disp.* 10. *quæst.* 4. *puncto* 4. Bannes *primâ secunda*, *quæst.* 33. *art.* 3. *dub.* 3. Manuel *qq. regul. tract.* 3. *quæst.* 48. *art.* 1. Beltram. *tract. de voto paupert. cap.* 3. Sanchez *in Decal. Tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 5. Ratio D. Bonauent. est, quia hæc est Schola virtutum. Ideò Christus ait, Matth. 19. *Si vis*, *&c.* Hæc sententia multis Religiosis est terribilis, vt ait Bassæus V. *obed. num.* 17. cum Nauar. *com.* 1. *de Reg. num.* 10.

169 NON tamen ad omnem perfectionem sectandam tenentur cuncti, sed iuxta regulæ suæ conditionem. Ità D. Bonauent. *in epistola ad Prouinciales*, *& Custodes*, & *locis allatis*, & D. Thom. *quæst.* 186. *art.* 2. & reliqui cum SS. DD.

RATIO D. Bonauenturæ *locis adductis*, est, quia religiones ex Institutoris mente, & sedis Apostolicæ confirmatione institutæ sunt, sicut acies ordinatæ ad finem aliquem assequendum adhibitis certis mediis: Ergo illis tantùm insistendum; alioqui non erit vnquam alicuius religiosi firmum exercitium virtutum.

EST autem difficultas: An hoc sit peculiari præcepto nobis iniunctum.

170 ASSERO, non esse peculiare præceptum. Est sententia D. Bonauent. qui *locis citatis*, & vbique perfectionem per obseruantiam regulæ iniungit, atque declarat. Ideò & Caietanus *quæst.* 186. *art.* 6. Corduba *cap.* 1. *Regula*, *quæst.* 3. *dict.* 3. qui videntur asserere, esse peculiare præceptum, concludunt, contemptum regulæ, & huius obligationis tendendi ad perfectionem, esse inseparabiles.

PROBATVR primò à D. Bonau. *de profect. relig. cap.* 1. nam *Apoc.* 2. Christus increpans illum Prælatum, qui tepidor iam factus erat, ait: *Habeo aduersus te pauca: quia charitatem primam reliquisti. quapropter pœnitentiam age, & prima opera fac.*

Ibi nil aliud iniungitur, nisi vt prima opera virtutum, præcipuè charitatis, resumat, & viam interruptam per auia recalcet: Ergo sufficit ea opera charitatis ad finem facere. Sic enim & Eccles. 9. dicitur: *Quodcunque potest manus tua, instanter operare*; & hoc dicitur etiam sæcularibus, quibus tamen nullus dicet, iniunctam esse distincto præcepto perfectionem: Alioqui oporteret omnia peccata mortalia esse duplicata, quod nullus etiam timoratus dicet. Sic etiam religiosus quoties vota, aut præcepta violat, gemina mortalia patraret, quod est inauditum, neque sunt peccata adeo multiplicanda sine causa, vt monet Sanchez *num* 5. 171

Quæstio autem est, quandonam peccetur contra hanc obligationem?

D. THOMAS *quæst.* 186. *art.* 2. & 9. & Caietanus *eo art.* 2. & 9. D. Antoninus, Angelus, Armilla, Valentia, adducti *num.* 1. dicunt, tunc contrauenire, quando est contemptus consiliorum, quibus peruenitur ad perfectionem, & Valentia *disp.* 10. *quæst.* 4 *puncto* 5. *col. penult.* cum Caietano explicant, hunc contemptum esse, quando Religiosus ideò regulas transgreditur, quod nolit illis subiici. Loquitur autem Caietanus de religiosis, & sæcularibus, vt notat Azor *tract.* 1. *lib.* 11. *cap. vlt. quæsito* 11. 172

AT Syluester *verb. religio* 1. *quæst.* 3. Tabien. *quæst.* 4. Corduba *in Reg. cap.* 1. *quæst.* 3. *dicto* 3. dicunt, contemnere, esse non æstimare, itaque eum religiosum contemnere perfectionem, qui non habet intentionem tendendi ad illam; Etsi talis non peccet ex contemptu, sed ex negligentia, vel cupiditate. Eodem modo loquuntur D. Antoninus, Angel. & Syluest. *n.* 1. allegati cum D. Thom. *quæst.* 184. *art.* 5. *ad* 2. religiosos esse mendaces, quoties à perfectione, quam profitentur, animum renouant. Vbi Caietanus in fine, & Nauar. *Commentar.* 1. *de regular. num.* 10. censent, D. Thomam *hoc in loco*, sentire, hoc esse peccatum mortale; alioqui nullum esset discrimen inter religiosos, & sæculares; nam & hi peccant mortaliter contemnentes consilia, & ita inanis esset quæstio de obligatione Religiosi, ratione sui status, qui est schola perfectionis. 173

D. BONAVENTVRA *in Compend. Theol. verit. lib.* 5. *cap.* 6. ait, Religiosum teneri ad perfectionem, qua omnia renunciantur: sæculares verò ad præcepta, sine quibus non habetur Charitas. Eadem ferè habet *in Apolog. Paup. cap.* 3. *resp. prima*, vbi ait, perfectionem religiosi esse in obseruantia consiliorum Euangelij. Hanc autem sic explicat, vt sicuti perfectio, omnibus necessaria, est obseruatio mandatorum; ità perfectio Euangelica religiosi sit euitare etiam ea, quæ sunt occasiones peccatorum, quæ numerantur à D. Ioanne epist. 1. cap. 2. *Quidquid est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Vitantur autem incentiua concupiscentiæ carnis Voto castitatis, Matth. 19. *Sunt Eunuchi*, *&c.* Incentiua concupiscentiæ oculorum, consilio Christi, Matth. 19. *Si vis perfectus esse*, *&c.* Vitæ superbia, consilio eiusdem Christi, Matth. 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*, *&c.* Voto obedientiæ, quod non extenditur ad omnia voluntatis obiecta, vt latè ostendi cum D. Bonau. *Tract. de voto, disp.* 2. *sect.* 2. *quæst.* 2. & in hac triplici declinatione à malo, & origine eius, primam partem Euangelicæ perfectionis consistere, & Sacra Scriptura insinuat & SS. Patres Religionum Institutores affirmant. 174

IGITVR in his declinationibus à malo, & occasionibus eius primam partem Euangelicæ perfectionis collocat. 175

SECVNDA verò stat in prosecutione boni supererogatiua per vitam actiuam, & contemplatiuam ad Deum,

Deum, per vehementem charitatem ad proximum, per grandem beneficientiam erga inimicos, de qua Matth.5. *Benefacite his, qui oderunt vos. Estote perfecti, &c.*

Tertia in supererogatiua perpessione aduersitatum, ex læto animo eas tolerando, vt dicitur Iacobi 1. *Omne gaudium existimate, cùm in varias tentationes incideritis.*

Illa quidem prima tria cadere sub voto ait. Ideò S.P. Franciscus regulam tradit: *Regula fratrum minorum hæc est, sanctum Domini nostri Euangelium obseruare, viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate,*

176 Alia verò tria ponit admonitoriè desideranda, commendans: *Attendant fratres, quòd super omnia desiderare debent habere spiritum Domini, & sanctam eius operationem, orare semper ad Deum puro corde, & habere humilitatem, & patientiam in infirmitate, & tribulatione, & diligere eos, qui nos persequuntur.*

Svbinfert verò, ad perfectionem obligari ex voto religiosos, & aliquos ratione status, idest Episcopos, qui ad perfectionis actus est astrictus.

Hanc autem perfectionem in votorum, & præceptorum regulæ obseruantia ponit, concluditque: Ex his omnibus apertè clarescit, quod religionis votum in statu perfectionis collocat.

Ex his deduco duo illa asserta, quæ sequuntur.

177 Primvm assero, perfectionem, Christianis sufficientem, esse seruare Præcepta.

Probatvr à S. Doctore, 1. ex Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Hanc esse scalam ait S.Doctor *ad Graduale Missæ.*

Deinde id probat *loco cit.* ex D. Prospero de vita contemplatiua, lib. 3. cap. 15. *Perfecti sunt, qui volendo, quod Deus vult, nullis peccatis, quod Deus offenditur, acquiescunt.*

Idem testimonium affert *de septem Itineribus, itinere 4. dist.4. art.3.*

Addit illud Deuter. 18. *Perfectus eris, & absque macula coram Domino tuo*, vbi Glossa *absque macula criminali.*

Si tamen proponat, non exequi consilia, solùm esse veniale asserunt Sanchez *lib.6. cap.5. num.* 8. cum Caietano *quæst.* 186. *art.* 2. Corduba *ad Reg. cap.* 1. *quæst.3. diff. vlt.* Valentia *disp.* 10. *quæst.* 4. *puncto* 4. Azor *lib.* 11. *Instit. cap. vlt. quæsito* 11.

Quoad Religiosos.

178 Svppono ex D. Bonauent. *lib. 5. Compend. Theol. verit. cap.69. & 70.* Perfectionem hanc addere obseruantiam consiliorum, quæ à præceptis differunt ex natura sua, quia consilium est persuasio melioris boni supererogationis.

Dvodecim autem Consilia in Euangelio S. Doctor reperit.

Primvm est paupertatis, Matth. 19. *Si vis perfectus esse, &c.* Lucæ 14. *Qui non renunciat omnibus, &c.*

Secvndvm obedientiæ, Matth. 23. *Super cathedram moysi, &c. omnia, quæ dixerint, &c.*

Tertivm castitatis, Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castrauerunt.*

Qvartvm beneficentiæ in inimicos extra necessitatem, Matth. 5. *Benefacite, &c.*

Qvintvm mansuetudinis Matth. 5. *Si quis te percusserit in maxilla vna, præbe illi & alteram: & qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam noli prohibere.*

Sextvm est misericordiæ supererogationis, Lucæ 6. *Omni petenti te, tribue.*

179 Septimvm, simplicitas verborum, Matth. 5. *Sit sermo vester, est, est: non, non.*

Octavvm vitandi occasiones remotas peccati, Matth. 5. & 18. *Si oculus tuus, &c.*

Nonvm. finis perfecta intentio, Matth. 5. *Luceat lux vestra, &c.*

Decimvm, conformitas perfecta ad doctrinam, Matth. 23. *Alligant enim onera.*

Vndecimvm vitandæ sollicitudinis 1. Cor. 7. *Rom.* 12. *Luca* 10.

Dvodecimvm corripiendi etiam de venialibus, nam quò ad mortalia est præcepta correctio, & modò eius. Ex his consiliis aliqua sunt promissa votis; alia admonitionibus suadentur. 180

Assero ergo, Religioso necessariam perfectionem esse eam, quæ in votis, & præceptis regulæ, ac superiorum Constitutionibus consistit: Consilia verò, & admonitiones reliquas omittere volentem Religiosum, non illicò peccare mortaliter dicerem; Ita & Bassæus V. *obed.* 17. Sanchez *lib. 6. cap.5.* & Azor *tract.1. lib.* 1. *cap.* 11. *quæsito* 11.

Probatvr ratione ducta è D.Bonauent. *locis citatis.* Status perfectionis necessariæ est ille, qui in regula necessarius exprimitur; cæteræ verò, cùm simplices sint admonitiones, non inducunt mortale: *Non enim noui peccatum, nisi per legem.* Itaque solùm erit mortale ex graui contemptu, vt colligit Caietanus *ad art.2. quæst.* 186. ex D.Thom. Et idem censent Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *cap. vlt. quæsito* 11. Sanchez *lib.6. cap.5. num.9.* Itaque si contemptus sit leuis; culpa tantùm venialis erit.

Addo tamen cum Sanchez *lib.6. cap.4. num.*18. 1
& *cap.5. num.9.* ex D.Bonauent. in epistola ad quemdam Prouincialem, & in altera ad ministros, & Custodes, fore mortiferum illud propositum ob periculum transgrediendi etiam præcepta, & vota, & ob scandala, quæ inducet molestias, inquietudines, quas inuehent, *exempli gratia*, si nolit orationes, silentium, & solitudinem seruare, aliaque regulæ monita sancta. Subscribit Bassæus cit.

Addit Sanchez *num.*10. peccare lethaliter religiosum contra hoc præceptum, si seruans regulam, & vota, intendat non attingere perfectionem vitæ religiosæ, neque finem per illam intentum.

Probatvr quia habet intentum contrarium 182
attingendi finem promissum, & hoc voluit S.Doctor, dicens, ad perfectionem supererogationis necessarium esse saltem habere desiderium, scilicet, vt non habeatur ad minus contraria intentio. Idem censet Corduba *in cap.* 1. *Regula, quæst.*3.

QVÆSTIO X.

Vnde sumenda sit maior Religionis perfectio.

{ D.Thom. quæst.188. art.6.

Ex doctrina D. Dionysij communiter recepta 183
cap.7. de diu. nom. quam refert, & sequitur D. Thom. Paludanus 4. *dist.*38. *quæst.*3. *art.*1. D. Antonin.3. *part. tit.*16. *cap.*4. §.4. latissimè aliis citatis Manuel *qq. regul. tom.3. quæst.* 48. *art.* 1. Tanner. *disp.6. quæst.3. dub.*2. *num.*34. Valentia *disp.*16. *quæst.6. puncto* 2. qui proinde docent præstantiam maiorem Religionis præ aliis esse eam, quæ vel meliorem finem, vel plures è melioribus prosequitur, quoad media, quæ non ab austeritatibus, seu ex quantitate operum, sed ex proportione mediorum ad finem laudatur.

184 SVPPONO primò cum D. Bonauent. *in Apol. cap.3. resp. prima*, & *quæst.* 18. *ad Regulam S. Francisci*, religiones in multis conuenire. Primò enim conueniunt in fine Charitatis, quem sibi præstituunt non modò præcepta seruando, quibus peccata contra Charitatem remouentur, sed etiam arcentur occasiones ad malum, & impedimenta ad bonum. Talia sunt vota; per obseruantiam enim legis arcetur quidquid est in mundo, siue concupiscentia carnis, siue concupiscentia oculorum; siue superbia vitæ, quæ sunt tria capita peccatorum maxima, vnde alia dimanantur. Per vota autem separantur etiam ab his, quæ ansam præbent peccatis. Sic per votum Castitatis remouetur quidquid fouet concupiscentiam carnis: Per votum paupertatis, Quidquid fouet concupiscentiam oculorum: & per votum obedientiæ, id quod fouet superbiam vitæ.

185 DEINDE conueniunt, quia omnes Religiones sibi constituunt peculiare opus aliquod Charitatis, vel etiam aliqua tanquam finem immediatum, per quem demum ad finem Charitatis perueniant, & addunt insuper peculiaria exercitia, & obseruantias, quo facilius vota seruent, & immediatum, atque vltimum finem consequantur, tales sunt vigiliæ, pœnitentiæ, &c.

DEBENT etiam omnes ab Apostolica sede esse approbatæ. Hæc habet etiam Valentia *puncta* 1. & alij.

186 OBSERVAT deinde S. Doctor *serm.* 22. *Hexaëmer.* & *locis adductis*, ad Ecclesiæ ornamentum facere religionum varietatem, quibus induta Ecclesia fulget, *in vestitu deaurato circumdata varietate.* Psalm. 44. Aliquæ enim soli contemplationi vacant, quos comparat S. D. Thronis. Tales ait esse Monachos, Alij intendunt contemplationi, & erudiendæ etiam plebi, edocendæque concionibus, & ad salutem ducendis populis; & tales ait Prædicatores, quos comparat Cherubim. Alij maximè insistunt Diuino amori separatione omnimoda à rebus mundanis, sequestrari à mundo, perfectissima paupertate etiam communem possessionem excludente; & alia commoda abiiciente: Perfectissima castitate cauente etiam à consortiis, & aliis fouentibus amorem. Per altissimam obedientiam, obediendo in omnibus, vbi non est Dei offensa, & hanc dicit esse religionem Seraphicam, quæ Seraphim continet; dum etiam aliis purgandis, illuminandis, & perficiendis destinatur, vt latè prosequitur etiam *p.p. Ecclesiastica Hierarchia.*

187 ITAQVE sistendo in assumpto, Dico illam religionem esse meliorem, quæ magis finem attingit, & ea media meliora, quæ sunt magis ad lineam ordinata; ad finem enim Charitatis sumenda est nobilitas, & præcellentia religionum, & ex austeritatibus, quatenus ordinant ad maiorem separationem à mundo, & accessum ad Deum; quantò enim ab vno extremo receditur, tantò ad aliud oppositum acceditur.

IN hoc autem nonnulli Recentiores assumunt falsum, dicentes, non esse sumendam aliquam perfectionem religionis maiorem ex chori frequentatione, eò quòd potest esse, vt non conducat ad finem intentum Charitatis, imò impediat maiora bona, nempe exercitia docendi, concionandi, & si quando in ordine huiusmodi Chorus inuectus est, eum destinatum esse solis ineptis ad spiritualia exercitia salutis animarum. Vnde concludunt, esse posse religiones perfectissimas, nullatenus Choro vtentes, eò magis, quò tenentur ineptos ad suum institutum concionandi, & docendi excludere.

188 PROFECTO verò Chorus à SS. Patribus acclamatur vtilissimum ad finem eleuationis in Deum, ac vitæ contemplatiuæ, quæ actiuæ præualet. Neque verò aliquis actiuam rectè prosequitur solam, sed debet cum Christo à turbis ascendere ad montem contemplationis, & sic vitam mixtam perfectissimam inibunt. De sanctissimo Chori instituto vide Bnuerium nostrum *Tomo primo Annalium.*

MVLTA signa tradit S. Doctor *quæst.* 18. *circa regulam S. Francisci*, è quibus maior religionis perfectio colligitur.

189 PRIMVM est studium feruentius virtutum, maximè separationis à rebus mundanis, & vnionis cum Deo per Charitatem.

SECVNDVM est, si omnia vitia extirpare, & virtutes serere, occasiones amputare malorum, & munditiem zelentur maiorem.

TERTIVM, si iustos diligant, prauos odio habeant, soli recti assumantur ad regimen animarum, & ab his regitur ordo, & modicæ etiam corruptelæ eliminentur: *Qui enim spernit modica, paulatim decidet*, Eccl. 19.

QVARTVM, si à secularium frequentia se subtrahant, honores fugiant, diuitias non ambiant, & conformari huic sæculo erubescant.

QVINTVM, si iniurias, & persecutiones libenter patiantur: *Patientia enim opus perfectum habet*, vt latè etiam prosequitur *in Apologia loco citato.*

190 EX dictis colligit S. Doctor *quæst.* 12. *super regulam S. P. Francisci*, posse ex qualibet religione fieri transitum ad Religionem Minorum, tanquam ad perfectiorem, nisi ob scandala vitanda, & perturbationes aliter à sancta Sede sit dispositum.

RATIO D. Bonauent. est, quia in ea religione vota regularia sunt eminentiora, vt suprà ostendi, esto aliquæ religiones in abstinentia à carnibus, silentio, & officio Ecclesiastico eminentiores sint: hæc enim spirituali obseruantia votorum perfectiori, in quibus essentia religionis posita est, compensantur, sicuti modico auro magnum pondus argenti.

QVÆSTIO XI.

De transitu ad aliam Religionem.

191 TRANSITVS hic non debet absque grandi causa fieri, sed standum est iuxta Apostoli Consilium 1. Corinth. 7. *Quisque in vocatione, qua vocatus est, permaneat.*

QVATVOR conditiones requiruntur ad hunc transitum: Prima, vt non sit eis vetitus: Secunda, ne fiat ex temeritate, &c. sed solo melioris vitæ studio. Tertia, vt transitus fiat ad meliorem religionem. Quarta, vt petatur facultas à Prælato, licèt non obtineatur. Habetur *cap. statuimus*, & *cap. mandamus* 19. *quæst.* 3. *cap.* non est, *cap.* saoè, *cap. significatum*, præcipuè *cap.* licet, *de regular.* Neque hoc derogatum est motu Pij V. anni 1569. incipiente: *Quæcunque sacrarum*; ibi enim solùm abrogat facultates quasdam particulares circa hunc transitum, iure Diuino naturali licitum esse, vt in melius vota, & vita mutentur. Ita Caietanus *quæst.* 88. *art.* 12. Sanchez *lib.* 6. *cap.* 7.

192 OMNIBVS autem religiosis hoc esse licitum, habetur 20. *quæst.* 4. *cap.* 1. & *cap. vnic. in princip. verb.* perpetua, *de statu regular. in* 6. & ibi Canonistæ, ac Sanchez *num.* 6. vbi ostendit non esse reuocatum pro monialibus. Subscribunt Faust. *lib.* 5. *quæst.* 327. Rodriquez *tract.* 3. *qq. quæst.* 52. *art.* 6.

QVOAD intentionem, ne temerè, vel ex leuitate fiat, sed studio perfectionis, insuper ne fiat cum

iactura

factura religionis, à qua receditur, vt deciditur, *cap. licet de regular.*

ITAQVE si graue damnum obueniret derelictæ religioni, posset ea repetere, vt notant Canonistæ *in cap. licet*, dummodo peruersi mores illius religionis non essent in causa, quia tunc sibi debet malum adscribere. Ità Sanchez *à num.* 21.

EST autem quæstio circa tertiam conditionem: an transitus debeat fieri ad perfectiorem; an verò ad austeriorem.

193 PRIMA opinio censet concedi transitum ratione perfectionis maioris. Ità D. Thomas *quæst.* 189. *art.* 8. Paludanus 4. *dist.* 38. *quæst.* 2. *& quæst.* 3. *art.* 1. Turrecremata *cap.* 1. *num.* 1. *versu* 1. Quidem 19. *quæst.* 3. D. Antonin. 3. *part. tit.* 16. *cap.* 4. Rosella *verb. religio*, 4. Syluester 4. *quæst.* 1. Tabiena 3. *quæst.* 23. Nauar. *com.* 4. *de regular. num.* 2. & 3. Cucus *tract.* 3. *Instit. moral. tit.* 1. *num.* 136. eamque probabilem ait Sanchez *lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 20.

194 SECVNDA sententia est, attendi: an sit arctior. ita Ioan. Andreas *cap.* sane, *num.* 8. *de regular.* & ibi Antoninus, Anchar. Abbas, Cardinalis, Henricus, Rosella, *verb. religio*, 4. Angel. *verb. Religiosus*, *num.* 34. Passarellus *in priuil. minim. cap.* 39. Lessius *de Iustitia*, *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 13. Azor *Tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 14. *quæsito* 2. Manuel *qq. regul. tract.* 3. *quæst.* 52. *art.* 4. & hanc sententiam amplectitur lex regia 9. & 10. *tit.* 7. *part.* 1. ibi: *A otra orden mas aspera*, & ibidem, *mas estrecha vida*, vt ibi aduertit Gregorius Lopez ad eam legem 9. & Bassæus V. *Religio* 5.

195 SENTENTIA D. Bonauent. *quæst.* 12. *in regulam*, est, hanc perfectionem sequendam desumi ex eo, quod religio sit altior, & strictior, & hoc est ad litteram id, quod habet textus, *cap licet*, vbi habetur: *Liberè potest sanctioris vitæ propositum adimplere*, & in fine concluditur: *quæ melior censeatur*, *dicens*, *vt apud eos vitam duceret arctiorem.* Itaque hæc maior perfectio mensuratur ex arctiori viuendi instituto, ex quo profectò maior etiam perfectio in religione colligitur, si sit in obseruantia votorum.

HIC quisque suam religionem in apice tueri conabitur, sic Paludanus *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 3. *art.* 1. D. Antonin. 3. *part. tit.* 16. *cap.* 4. §. Syluester *verb. religio* 4. *quæst.* 6. asserunt à Religione fratrum Prædicatorum ad nullam concedi transitum; benè tamen omnibus ad illam.

196 PASSARELLVS *in Priuil. minim.* idem asserit de sua religione, quia ea est strictissima ob ieiunium perpetuum Quadragesimale, vt dicit Iulius II.

D. BONAVENTVRA *quæst.* 12. & 13. *in Regulam*, Corduba *cap.* 2. *quæst.* 17. *in reg.* asserunt idem de religione nostra Minorum; addit tamen S. Doctor, nisi specialiter interdictum sit, & hoc modo interdictum obseruat ad euitandas seditiones, tumultus, &c. Sic in extrauag. *Viam de regular.* expressè vetitum est sub pœna excommun. latæ sententiæ, Summo Pontifici reseruatæ, quam incurrunt tam recipientes, quam recepti, ne transitus fiat à quauis religione mendicanti ad quamcunque aliam, præterquam ad Carthusianos, à qua posse transire ad mendicantes, vbi regula obseruatur, docent Syluester *verb. religio*, 4. *quæst.* 6. Nauar. *tit. de regular. consil.* 88. Tannerus *disp.* 6. *quæst.* 3. *num.* 164.

197 ET quidem quoad recipientes restricta est pœna ad quosdam Ordines ibi numeratos, vt notat Suarez *Tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 22. *sect.* 5. *num.* 7. Quoad societatem verò, extenditur ad omnes Religiones.

EX dictis habes, non rectè Sanchez *n.* 29. adscribere Seraphico, dixisse absolutè, posse transire à quacunque religione ad nostram, quasi nulla extet prohibitio: Loquitur S. Doctor ex natura perfectionis, sed addit extare prohibitiones aliquas, & idem intelligit *quæst.* 13. dum ait non posse à religione S. Francisci ad alias transire ex vi perfectionis essentialium votorum, quæ altiora sunt apud nos.

QVOAD quartam conditionem petenda est licentia, & si iniustè negetur à Prælato, potest Religiosus transire dummodò constent aliæ duæ conditiones, quod religio sit arctior & religiosus zelo tantùm maioris perfectionis transeat. Vide Sanchez à *num.* 32. 198

NEQVE tamen illicò petitâ licentiâ licet transire, sed debet tempus expectare iuxta regulam, *cap. cùm in veteri ad finem*, *de elect.*

NON sunt autem dimittendi absque dimissoriis Prælati religionis *cap. statuimus* 19. *quæst.* 3.

PRÆLATVS verò immediatus potest concedere, positis illis quatuor conditionibus, licentiam, vt notat Sanchez *num* 59. Azor *lib.* 12. *cap.* 14. *quæsito* 7. & alij apud Sanchez.

QVAMVIS autem ius commune *cap. licet*, *de regul.* negatâ licentiâ concedat transitum; tamen ex decreto S. Congregat. iussu Vrbani VIII. 1624. die 21. Sempt. debet expectari, donec superior certior factus sit, eam religionem paratam esse illum recipere, & hoc præcipuè constat de monialibus, quæ & dotem exhibeant, & transeat honestis comitantibus matronis, neque vllibi pernoctent, nisi causa hospitij, & apud honestas personas, & recta via ad monasterium tendant absque spe redeundi ad primum. Licentia verò petenda est à superiore, qui potest incorporare ipsi religionis. Hic verò apud minores est Prouincialis, vel Generalis; in religionibus verò, in quibus etiam Locales superiores valent recipere, ad eosdem spectat dare licentiam, Vecch. *disp.* 15. *dub.* 2. Mirandus *tract.* 19. 31. *art* 5. Bassæus V. *Relig.* 5 *n.* 2. 199

REGVLARES possunt ex causa transire ad laxiorem, obtenta tamen licentia. Sanè cum votorum aliqua fiat relaxatio, necessaria est causa etiam Papæ dispensanti. Hanc facultatem dare potest Episcopus in Monasteriis sibi subiectis; at in exemptis Prælatus habens iurisdictionem, quasi Episcopalem in suos, cum consensu tamen Capituli, quia hoc est vnum è maioribus negotiis, in quibus, vt procedatur iuxta Canones, requiritur, Nauar. *cons.* 56. *de regular.* Azor *tract.* 1. *lib.* 12. *cap.* 15. *quæsito* 1. Mirand. *tract.* 1. *quæst.* 31. *art.* 6. Syluester V. vel 4. *quæst.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 15. *num.* 103. Sanchez *lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 70. Diana *part.* 3. *de dub. reg. Resol.* 43. Vecch. *disp.* 15. *dub.* 5. Faust. *quæst.* 345. Bassæus V. *Relig.* 5. *num.* 3. Hunc transitum sine grauissima causa factum, carpit S. Doctor *ad cap.* 2. *Regula.* 200

MENDICANTES iure communi ad non mendicantes nequeunt transire, præterquam ad Carthusianos, absque Papæ licentiâ, ex Extrau. *In viam ambitiosæ*, *de regular.* ex priuilegio tamen aliqui Generales possunt id concedere. 201

RELIGIOSI Iesuitæ neque ad Carthusianos transire valent absque sui Generalis licentiâ, Bonacina *de claus. quæst.* 2. *p.* 9. §. 5. *diff.* 2. nam Societas ex indulto Pij V. gaudent priuilegiis Carmelit. his autem concessum est à Paulo V. die 3. April. 1610. ne ad Carthusianos transire valeant sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. Idem concessum est ab Vrbano VIII. Capucinis 9. August. 1628. vbi prohibet, ne vllus nostri ordinis ad laxiorem transeat absque sedis Apostolicæ licentiâ; ad Carthusiam verò, seu quemquam alium ordinem, nisi de ministri Generalis

pro tempore existentis licientiâ in scriptis, sub Apostasiæ, & infamiæ perpetua oota, ac excommunicatioois, priuationisque vocis ipso facto valeat transmigrare.

202 Non licet Capucinis recipere Fratres Minores de obseruantiâ, absque licentia sedis Apostolicæ, in scriptis obtenta, sub pœna excommunicationis, & inhabilitatis ad quæcumque officia. Ità statuit Paulus III. Vide Sorbum *Verbo Recipere.* Id confirmauit Iulius III. & Sixtus V.

203 Pivs V. in Bulla *Sedis Apostolicæ.* 1567. prohibet ne Capucini ad Minimos, vel è contra migrent. Id confirmauit Greg. XIII. vt refert Passarellus *in compend. Priuil.* vbi etiam refert S. Congregationem iussu Greg. XIII. statuisse, hos transgredientes, priuationem vocis, & omnium officiorum incurrere. Vecch. *disp.* 15. & Bassæus *n.* 4. quem vide.

QVÆSTIO XII.

De Religiosis ejiciendis.

204 POSSVNT Prælati ob causas expellere nonnullos è Religionè: Sic habetur *in Reg. S. Benedicti, cap.* 29. *&* 30. & D. August. *cap.* 20. & *cap. vlt. de regular.* & *cap. cùm ad Monasterium, de stat. Monach.* & *c. resecanda*, 24. *quæst.* 3. & grauiter differunt Canonistæ, & Theologi cum D. Bonauent. *ad Regulam quæst.* 14. *& seq.* Vide Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 9. Azor. *lib.* 12. *cap.* 16. *quæsit.* 2. Laym. *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 13. Mirand. *tom.* 1. *quæst.* 52. *art.* 1. Tannerum *d.* 6. *quæst.* 3. *dub.* 5. *num.* 165. Bassæum *V. Religio*, 6.

Ivre communi incorrigibiles sunt expellendi *cap. vlt. de regular.* Is autem talis censetur, qui sæpe admonitus in eisdem sceleribus durat, sine spe emendationis. Nunc decreto S. Congreg. iussu Sanctissimi Vrbani VIII. 21. *Sept.* 1624. non satis probatur adhuc incorrigibilis, sed requiritur, vt probetur carcere vno anno in ieiunio; & si postea non resipuerit,
205 expellatur. Decretum hoc refert Bassæus. Hæc verba libet apponere: *Sacra Congregatio Religionum superiores per Iesu Christi viscera obtestatur, vt memores paternæ charitatis, & mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, vt lucrentur animas fratrum suorum, ferè in profundum malorum delapsas, antequam extremum expulsionis remedium experiantur. Idque eo magis, quod subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus noster Iesus Christus in supremo Dei iudicio de eorundem Prælatorum manibus sit requisiturus.*

O quàm eximiè hæc pensitans mellifluus Generalis S. Bonauentura suorum animas custodiuit! Percurrite allatas quæstiones, eius vitam, & opuscula perlegite, & inde exhaurietis documenta aurea.

206 Potest expelli etiam ob tectum graue impedimentum, vt si epylepsia, aut Venereâ lue scateat. Ità D. Bonauent. *loc. cit.* Nauarr. *lib.* 1. *consil.* 25. *de regul.* Sà *V. Religio*, *num.* 34. Rodr. *tom.* 2. *summa cap.* 6. Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 106. Bassæus *num.* 5. Vecchius *d.* 13. *dub.* 15. Suar. *de relig. tomo* 4. *tract.* 10. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 28. & *cap.* 3. *num.* 5. Diana *p.* 4. *tract.* 4. *resolut.* 188. Syluius *in suis resolut. Verbo Professio Monast.* 5.

Vs relati decreti expelle, respectat ad solum Generalem cum consilio sex Patrum grauiorum, instructo processu, & benè probatis causis expulsionis ad sacrorum Canonum præscriptum.

Hi electi tenentur corrigere mores, ac suam receptionem promouère: Ità Sayr. *lib.* 10. *cap.* 9. *n.* 25. Reginaldus *lib.* 18. *num.* 417. Less. *num.* 185. cum D. Bonauent. *quæst.* 14. *in Regulam.* 207

Etsi oppositum doceant Diana *part.* 3. *de dub. reg. res.* 60. Rodr. 2. *part. cap.* 97. *num.* 11. Sà *V. Religio*, *num.* 40. Azor. *cit. cap.* 17. *quæsito* 1.

Probatvr à Bassæo *num.* 7. argumentis D. Bonauent. Tum quia per illum stat, vt in sæculo inter pericula salutis mergatur. Tum quia sic libertatem è sua iniquitate acquirens, commodum è culpa reportaret.

Dominivm bonorum, quæ eiectus acquirit, sunt Ecclesiæ, si Monasterium non est capax; vel saltim commodo, si est capax Monasterium, fruitur. Ità Molina *d.* 140. Less. *cit. num.* 112. Bass. *num.* 8.

Eiectvs tenetur votis, ne commodum è culpa trahat.

Non teneri ieiuniis, & aliis obseruationibus censent multi cum Diana *de dub. reg. Resol.* 216. Bassæo, *num.* 9. 208

Alii tamen censent teneri, vt Nauarr. *cap.* 7. *n.* 20. Sà *V. Religio*, *num.* 40. Miran. *quæst.* 52. *art.* 5. Rodr. *tom.* 1. *quæst.* 30. *num.* 20. Portel. *V. eijcere ab ordine*, *num.* 5.

Hæc est D. Bonauent. sententia *quæst.* 14. *in Regulam*, vbi ideò infert, eos esse in malo statu vitam sæcularem ducentes, atque teneri religionem aliquam intrare, si propriam non valeant. Ratio S. Doctoris, qua cæteri nituntur, est, quia hi vitam promisere Monasticam, & per eos stat ne aliis conuiuant, neque commodum è culpis debent haurire. 209

Qvare non verè Rodriguez *quæst.* 30. *art.* 22. Sanchez *lib.* 6. *cap.* 9. Lessius *cap.* 41. *num.* 111. negant teneri aliam religionem intrare, neque cogi posse etiam à Pontifice, ait Rodriq. *art.* 23. Sanch. *num.* 42. Bass. *num.* 10. Ratio eorum est vana; quòd sicuti nequit aliquis cogi ad matrimonium, ita nec ad religionem. Dispar enim est ratio de hoc, qui iam vouit. Vnde retorqueo. Sicuti, qui matrimonium contraxit tenetur iura, & fidem matrimonij seruare, etsi suâ culpâ separatus; ita & hic, qui religionem vouit.

Bene tamen Sanchez *cap.* 9. *num.* 55. Bonacina *de claus. quæst.* 3. *part.* 12. §. dicunt teneri eiectum ad habitum religionis portandum, nisi spoliatus fuerit, vt plerumque accidit.

Talis eiectus, est suspensus ab exercitio Sacrorum ordinum, & promotione ad vlteriores, & eos si exerceat, fit irregularis. Huius autem suspensionis absolutio Papæ reseruatur; nisi forte aliam intret religionem, vel in sua recipiatur.

Nota in eo decreto, vbi pœna hæc ponitur suspensionis, præcipi etiam vt quotannis fugitiui quærantur à Prælatis. Sed praxi hoc non seruatur.

Notat Bassæus, non esse censendum fugitiuum, qui iniquæ superioris immediati se subtrahit vexationi (cum alio modo nequeat) pergens ad Prælatum maiorem: Est enim ius naturæ, cui noluit derogare Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 4. Neque Ordinarius posset hunc detinere, si id ei probaretur. Vide Dianam *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 56. *&* 113. Bordonum *consil. regul. resol.* 41. *num.* 15. Sanctarell. *de apost. cap.* 3. *disp.* 1. 211

Excipe si scandalum, & ingens perturbatio religioni indè obueniret, vt ait Rodriquez *tract.* 1. *sum. cap.* 43. Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 8. *num.* 17. Tamburin. *tract.* 3. *de iure Abbat. disp.* 8. *quæst.* 2. & Bassæus in calce.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XIII.

An quilibet Religiosus teneatur ad omnia consilia.

{ D. Thom. quæst. 86. art. 2.

212 ASSERO non teneri. Ità D. Thom. hîc, & D. Bonauent. *ad cap. 1. Regulæ Minorum.*

PROBATVR à SS. DD. Religiosus profitetur singulare institutum, & in eo non præcipiuntur omnia consilia, sed tria, quæ sub votis cadunt, & aliqua alia, quæ in aliquibus singularibus institutis inueniuntur: Non tenetur autem nisi ex vi legis, sine qua *non esset peccatum.* Hoc argumento vtuntur Valentia *disp. 10. quæst. 4. punct. 4.* Caiet. ad D. Thom. Syluest. *verb. Relig. 1. num. 3.*

HINC deducit D. Bonau. Religiosos minores non teneri ad omnia Euangelij consilia, tametsi Regula ita incipiat: *Regula Fratrum Minorum hæc est, sanctum Domini nostri Iesu Christi Euangelium obseruare*; nam illico restringitur, & determinatur ad quid
213 Euangelij obliget, dicens: *Viuendo in obedientia, sine proprio, & castitate.* Confirmat S. Doctor, nam in progressu regulæ multa ponit S. P. Franciscus, quæ profitetur atque declarat iniungere non præcipiendo, sed hortando, vt omnes expositores aduertunt, & decernunt, Nicolaus III. & Clem. V. in suis declarationibus.

QVÆSTIO XIV.

An Religiosi debeant docere prædicare, &c.

{ D. Bonau. quæst. 87. art. 1.
D. Bonau. quæst. 2. & 3. in Regulam, & opusculo cit. infra.

214 DIFFVNDITVR S. Doctor opusculo integro, post quæstionis in Regulam posito, ad probandum non includi sanè in essentia religionis docere, prædicare; &c. Sic habetur in Conciliis, & Patribus apud Gratianum 7. q. 1. *c. Hoc nequaquam*, & 16. *quæst. 1. cap. Monachus*: *& cap. Adiicimus, & cap. Nemo potest, & cap. Placuit*, & *cap. Ex authoritate.*

ENIM vero institutas à Deo ad hunc finem Religiones ostendit *quæst. 1. in Reg.* & *in opusculo cit.* vt cùm messis sit multa, operarij autem essent pauci, adderentur vinitores, & agricolæ, quos sancta Sedes Apostolica ad hæc opera destinauit; idque ex decretis Ecclesiis, probat Syricius P. *epist. 1. cap. 13.* è Conc. Agath. *cap. 27.* Chalced. *act. 15. cap. 3.* & è multis decretis 16. *quæst. 1.* præsertim *cap. Moderamine*, & *cap. Nonnulli*, Idem ostendit D. Thom. *opusc. 19. capit. 23.* Valentia *quæst. 1. punct. 1.* Vide S. Doctorem & *in Apologetico.*

215 VT autem concionari queant licitè, requiritur primò superiorum facultas, vt notat S. Doctor *ad cap. 9. Regulæ*, & præcipit nobis Regula: omnibus verò Concilium Trident. *sess. 5. cap. 2. de Reform.* & *sess. 24. cap. 4.* & Concil. Later. sub Innoc. III. *cap. 3.* vbi excommunicantur concionantes absque facultate.

SECVNDO vt extra templa sui ordinis concionentur, necessaria est facultas ab Episcopo, ex Concilio Trident. suprà, & docet D. Bonau. *quæst. 2. & opusc. citato*, & vt colligitur è Clementina *Dudum de sepult.* requiritur & licentia Parochi, nec tenuit S. Doctor, tametsi post eius mortem edita sit.

TERTIÒ in Ecclesiis nullibi prædicare possunt Episcopo renitente, ex Concilio Trident. *sess. 24. cap. 4.*

HINC pergit S. Doctor *citato opusc.* ostendere, 216
quàm rectè etiam ad confessiones excipiendas Religiosi destinentur. Ad hoc verò debent ab Episcopo iudicari idonei, & ad hoc potest eos examinare, vt docet Concil. Tridentinum.

HINC S. Doctor *quæst. 3.* ostendit hac de causâ debere eos studiis incumbere.

QVÆSTIO XV.

An debeant Religiosi laborare manibus.

{ D. Bonauent quæst. 11. in Regul. & opusc. ad Magistr. innomin. & quæst. 2. cont. Guilielmum.
D. Thom art. 3.

GEMINI, sed extremi, fuere in hoc errores. 217
PRIOR fuit Psallianorum, seu Messallianorum, de quibus Historia tripart. *lib. 7. cap. 10.* D. August. de *hæres. 57.* qui negarunt licere Monachis laborare.

ALTER fuit Guillelmi, contra quem scripsit D. Bonau. *opusculum de paupertate Christi*, præcipuè *q. 2.* vbi dicebat teneri religiosos laborare. Illum secuti sunt Vvicleph, damnatus in Conc. Const. *sess. 8.* & *in Bulla Martini V.* Idem asserunt sectarij, eos excipientes, qui concionantur, vide Castrum *V. Labor.* Vuald. *l. 3. doctrin. fidei, cap. 12.* D. Thom. *opusc. 19. cap. 5.*

ASSERO, primò non teneri Religiosos, labori incumbere.

PROBATVR à D. Bonauent. *contr. Guil. quæst. 2.* 218
primò ex illo *Lucæ 10.* vbi Christus ait: *Martha sollicita es*, eam carpens: Ergo rem præceptam non agebat. Vrget laudans Mariam non laborantem, sed vitæ æternam contemplatiuæ, quippe meliori.

DEINDE probat, quia Discipulos misit ad prædicandum, inde victum spondens ea ratione: *Dignus est enim operarius mercede sua.* Hinc & Apostoli dixere Act. 6. *Non est bonum, nos relinquere verbum, & ministrare mensis.* & Paulus *prima Cor. 9.* testatur, se potuisse absque manuali labore victum è prædicatione expectare, quod tamen se non fecisse ait; ob alienas causas, vt ait ex D. Thom. *ad 5.* Addit ibi Apostolus rationem, cur id facere posset: *Qui in sacrario operantur; quæ de sacrario sunt, edunt; & qui altari seruiunt, de altari viuunt.* Hac ratione vtitur D. Augustinus *l. citando.*

PROBAT tertiò è D. August. *l. de oper. Monach.* ab eò contexto ad hunc errorem etiam ascendum, nedum ad alterum extremum euellendum.

CONFIRMAT Glossis Patrum, & exemplis 219
sanctorum Institutorum Religionum, qui non laborabant, vt Benedictus, Dominicus, Augustinus, qui nec id præceperunt; Imò nec S.P. Franciscus, qui solùm admonet, vt qui velint laborare, non adeò applicentur, vt spritualia negligant. D. autem Bernardus

dus Apologiam contexuit vrgens argumentum D. Bonaueni. è casu Marthæ suprà allato, & *primà Timoth.* vbi laborem corporalem parum valere ait.

Asssero secundò, aliquos rectè laborare.

Io ex professo probandum assumpsit D. August. *de opir. Monach.*

220 Apostolvs sanè laborabat vt Pseudoapostolis exemplum daret, qui ob sola temporalia prædicabant 2. *Cor.* 11. Deinde ne grauaret aliquos, quibus prædicabat 2.*Cor.* 12. Tertiò, vt daret exẽplum otiosis, 2. *Thessal.* 3. Hoc tamen aliis in locis non faciebat, vt ait D. Thom. *ad* 5. cum D. August. *loc. cit.* Ibi verò hortatur omnes Christianos, etiam religiosos, & eos, qui aliundè victum habere nequeunt, iubet laborare, dicens: *Qui non laborat, nec manducet*, vt exponunt SS. Doctores. Addentes iniungere laborem ad victum, ne ad turpia lucra conuertantur, ideò ad

585 alias mali occasiones vitandas hortatus, pura concupiscentiæ, macerando corpus 2. Cor. 6. *In laboribus, & in castitate.* Ad furti ansam fugiendam, Ephes. 4. *Qui furabatur, iam non furetur: Magis autem laboret.* Ad declinandam alieni cupiditatem, prima Thessal. 4. *Vt honestè ambuletis ad eos, qui foris sunt*: Ad vitanda turpia negotia 2. Thessal. 3. *Cum essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis: Quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Audiuimus enim quosdam inter vos ambulare inquietè, nihil operantes; sed curiosè agentes.*

x25 Confirmatvr, nam & D. Hier. ad Rusticum Monachum, & D. Benedictus, ac S. P. Franciscus, & D. Augustinus hortantur. Adde aliquos ad ministeria esse necessarios, vt laici, seu conuersi. Et ad communitatem multa opera requiri, vide SS. Doctores.

Obiiciunt contra primum assertum id Genes. 2. *Posuit eum in Paradiso voluptatis, vt operaretur.* Et cap. 3. *In sudore vultus tui, vesceris pane tuo.* Hæc autem pro omnibus dicuntur.

222 Respondet S. Doctor, Adæ insonti datum opus ad solatium, & non laboris opus ibi referri, sed opus bonum, vt benè operando, se in Paradiso seruaret incolumem. In pœnam verò datum Adæ post suũ lapsum, non omnibus; alioqui Reges sancti agros colerent. Datur etiam ad victum operosè habendum cum sollicitudine, quod omnibus conuenit. Hinc capies, quid velit Zach. cap. 13. *Homo agricola ego sum: quia Adam exemplum meum*, &c.

Reliqva Guilellmi obiecta, sumpta ex Apostolo, & Patribus liquent; nam Apostolus non omnibus labores iniunxit, sed quibusdam otiosis vagantibus, & cæteros hortabatur, vt aliquando ad vitandas occasiones idem præstarent, vt dixi. Vide S. Doctorem *ad argumenta*, in quorum solutione latiùs effunditur.

223 Vide D. Augustinum opere illo, vbi hæc, veluti in speculo, intueberis: Primis sanè temporibus erupere Sarabitæ, Gyrovagi, Otiosi, circumeuntes, quibus, vt forent alij censores, non verò imitatores, Iniungebatur occupatio. Alij opera communitatis sub colore orandi spernebant. Hos reprehendunt Hieronymus, Augustinus, Bernardus, Perlege *resp. quarta, cap.* 3. *D. Bonau.* vbi eximia inuenies.

QVÆSTIO XVI.

An liceat Religiosis negotia sæcularia tractare.

D. Bonau opusc. 25. memorial. D. Thom. quæst. 87. art. 2.

Religiosos, sæcularibus negotiis irretitos, anxiè deplorat S. Doctor *epistolis ad Prouinciales.*

Assero, malum esse negotia huiusmodi agere, nisi ex charitate ea quis suscipiat. 224

Probatvr à D. Bonauent. *opusc.* 25. *memorialium*, & à D. Thom. *hic* ex illo 2. Timot. 2. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.*

Idem habetur *cap. Sunt nonnulli*, 26. *quæst.* 1.

Licere autem ex charitate probant SS. DD. quia status Religionis est ad charitatem ordinatus. Sic Apostolus *Rom. vlt.* Pheben commendat: *Vt assistatis ei in quocumque negotio indiguerit.* Idem habetur *in decr. dist.* 88. *cap.* 2. *Decreui*, & 4. *Reg.* 4. Elisæus dixit mulieri: *Nunquid habes negotium, & vis vt loquar Regi, vel principi militiæ?*

Admonet tamen S. Doctor *lib.* 1. & D. Thom. xx5 *opusc.* 19. *cap.* 15. & Caiet. *hic ad* 3. ac Valent. *quæst.* 5. *puncto* 1. hæc negotia esse debere sine tumultu, inquietudine, vel strepitu, idest, religiosè agenda.



DISPVTATIO III.

De Obedientiæ Voto.



Obedientiam sub duplici titulo, vt Saluatoris scholam, & salutis scalam, eximiè illustrat Seraphicus Doctor *in Diata salut. tit.* 3. *cap.* 2. vbi cælicæ huius virtutis; quæ obtemperando imperium obtinet, documenta, & gradus assignat; eam enim docuit Saluator, siue in mundum veniens, Ioan. 6. *Descendi de cælo, non vt facerem voluntatem meam*: Siue in mundo manens, *factus obediens vsque ad mortem*, Phil. 2. Siue denique inde exiens, *Non sicut Ego volo, sed sicut Tu*, Matth. 26. Obedientiæ gradus, ibidem è S. Bernardo aggregat; qui sunt, vt sit Libens, non recalcitrans, ad exemplum Pauli *Act.* 9. Simplex, non simulans, ad instar iumenti *Psal.* 72. Hilaris, non murmurans, qualis erat Simonis Cyrenæi *Matth.* 27. Velox, non recrastinans, qualem habuere Petrus, & Andræas, qui subitò relictis retibus secuti sunt Christum *Matth.* 4. Virilis, non diiudicans, vti erat obedientia Petri, parati cum Christo carcerari, mortemque subire *Luca* 22. Humilis, non elata, vt docet Dominus

nus Lucæ 17. *Dicite, quia serui inutiles, &c.* Sit denique Perseuerans; non discontinuans, vsque ad mortem; vt per hos septem gradus, tanquam per scalam Iacob Cælum attingatur. Ex his ferè resoluitur sequens quæstio.

QVÆSTIO I.

An votum obedientiæ sit præcipuum inter vota Religiosa.

D. Bonauent. ad cap. 1. Reg. nostræ
D. Thom. 2. 2. quæst. 18. art. 8.

ASSERO, inter vota præcellere Obedientiam in Religione.

1 PROBATVR à D. Bonauent. *ad cap. 1. Regulæ Min.* Illud est præstantissimum inter vota, quo offertur præstantissimum: Sed hoc in homine est voluntas; cùm Voto castitatis corpus; Voto verò paupertatis bona externa offerantur: Ergo. Confirmatur nam Voto obedientiæ crematur totus homo in holocaustum; sub eo enim Castitas, & Paupertas includuntur. Hinc aliquæ Religiones professionem emittunt, promittendo obedientiam. Est argumentum Ioan. XXII. Extrauag. *Quorundam, de verb. signif.* quo vsi sunt Patres apud B. Bonauent. *lib. 2. Phar. cap. 45.* ac D. Thomam hîc: Præterea præstantius est id, quo quis se, quàm quo sua offert; sed homo se offert obediendo: Ergo.

HOC tamen votum, quò cæteris præstantius, eò diriùs omni tempore Hæreticorum dictetis divexabatur; & ante omnes Lamperiani à primis ferè
2 seculis, nefarium somniabant, hominem in Dei cultum, ad alterius nutum, propriam abdicare voluntatem; promittere tamen quodcumque votum ob aliam moralem finem extra cultum Dei, non adeò malum arbitrabantur: Ità in tenebris ambulantes præposterè iudicans, vt quod in Dei fit obseqium, sceleris arguatur; quod verò in alium finem destinatur, ab ipsis honestetur: Hunc errorem sectati sunt VValdenses, sicut & Begardæ, & Beguinæ, vt habes Castro, *verb. obedientia*; tandem cæteri nouatores gregatim, duce Luthero, in eandem hæresim iusarunt. Eos Bellarminus *lib. 2. de Monachis, cap. 8.* Suarez *lib. 10. de vota obedientia*, aliique veritatis defensores confutarunt: Nec vllum saoè sui erroris fundamentum valent objicere, quin ea ratione vniuersali facilè ruat: nam quicquid in se bonum, & honestum est, proculdubio melius, & honestius euadit, dum in statu firmiori, securiori, & immobili locatur; ideò enim,
3 actus ex diuturno habitu elicitus perfectior, & melior est, quàm actus ex leui quadam dispositione, quia fit immobili, & stabili quadam voluntate, intensiùs, & firmiùs in suum actum prodeunte; tale autem est, quod ex voto procedit, cùm sit status, ipso etiam habitu stabilior. Obedientiam autem in se, etiam homini præstitam in Dei obsequium, esse bonam, & honestam quis inficiabitur, cùm propter Deum Christus factus sit obediens vsque ad mortem, & fuerit subditus parentibus suis, ita vt ad eorum nutum, Doctorum etiam cætum dereliqueret.

QVÆSTIO II.

Quæ obedientia in Religione sit promissa.

D. Bonauent. loc. cit. & alijs ll.
D Thom. 2. 2. quæst. 104. art. 2. ad 2.

NOTA è D. Bonauent. *ad cap. 1. Regulæ Min.* & *l. 2. de profectu Religiosi, cap. 39.* quem imitantur omnes Theologi cum D. Thom. *2. 2. quæst. 104. art. 2. ad 1.* Obedientiam, & inobedientiam esse duplicem. Alia dicitur materialis, vel generalis. Illa est executio cuiuscunque virtutis præceptæ. Hæc omissio, seu transgressio cuiusque præcepti, neque aliud peccatum inducit; sicuti nec illa aliam virtutem. Alia dicitur formalis specialis, inclinans subditum ad exequenda præcepta superiorum hominum, vt præcepta sunt, & est virtus specialis; sicuti opposita inobedientia est speciale vitium, & peccatum. 4

ITAQVE ea sola, quæ præcepta, sunt huius virtutis obiectum, vt monet D. Bonaueotura *lib. 2. Profec. cap. 41. & lib. 2. Pharetra; cap. 43.* è SS. PP. D. Thom. *quæst. 186. art. 9. & quæst. 104. art. 2.* Valentia *d. 7. quæst. 8. puncto 1.* Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 13. quæsito 1.* Less. *de iust. lib. 2. cap. 46. d. 4.* Sanchez *tom. 2. lib. 6. cap. 1.*

INFERT etiam D. Bonauent. *prima part. Centil. sect. 18. & opusc. Declaratio term. Theol.* Inobedientiam formalem esse, nolle obedire præcepto, vt est præceptum, & in hoc esse contemptuo: Sic & D. Thom. *loc. cit. ad 1.*

ASSERO sub voto obedientiæ à Religiosis emisso, includi sula præcepta superiorum. Ità D. Bonauent. *lib. 2. de profec. Relig. cap. 41.* D. Thom. *quæst. 186. art. 9.* quos reliqui sequuntur.

PROBATVR à SS. DD. quia hoc voto subjicimur Prælato ad finem regiminis Religiosi: Itaque id solùm, quod ex Prælato iubente exponitur ad hunc finem, est obiectum religiosæ obedientiæ. Sic Less. *lib. 2. cap. 46. d. 4. num. 23.* Valent. *quæst. 3. puncto 1.* & Bass. *V. Obed. 2.*

INTER Prælatos supremus est Romanus Pontifex, Religionum Pater, cui obedire tenemur, maximè nos FF. Minores, quia S. Franciscus *cap. 1. Regulæ* id profitetur. 5

NON tenemur autem obedire ex motiuo formali, quia præceptum sit; nam est actus virtutis etiam ex motiuo Religionis; neque Prælatus hunc actum internum præcipere valet. Ita Sylu. *p. 2. quæsito 100. art. 9.* Vasquez *ibi, num. 5.* Lessius *citatus d. 6. num. 42.* Sanch. *lib. 1. mor. cap. 13.*

ALIQVAS conditiones numerant, vt Obedientia sit Deo grata. Prima, est vt sit prompta, vt ait D. Bernardus *lib. de prec.* &c.

SECVNDA, vt fiat sine querela, vt ait D. Bernardus, vbi supra.

TERTIA, vt Hilaris sit ex eodem D. Bernardo *ad Fratres de monte Dei* apud Tambur. *tom. 2. d. 21. quæst. 4.* Bass. *num. 7.*

QVARTA, vt perseueret, è D. Benard. *ad milites templi. cap. 13.* vide alias suprà tactas.

HAS recenset D. Bonauent. *in octo collationib. coll. 3.* dicens, vt Religiosi obedientia sit Deo acceptabilis, debet esse prompta sine dilatione, deuota sine dedignatione, voluntaria sine contradictione, simplex sine discussione, perseuerans sine cessatione, ordinata sine 6

sine deuiatione, iucunda sine turbatione, strenua sine pusillanimitate, & vniuersalis sine exceptione. Vide S. Doctorem *loc. cit. & 1. part. speculi disciplinæ ad nouitios, cap. 4. & 1. part. de Instit. nouit. cap.* 2. vbi obedientiæ anatomen agit per singula, & in *Regula nouitiorum, cap.* 13. vbi obedientiæ laudes, & meritum eleganter intexit; & de profectu Religiosi *cap.* 39. *& seq.* vbi obedientias omnes discriminat. veræ obedientiæ gradus scandit, *In Bibliis pauperum*, vbi obedientiæ exempla è scriptura congerit; & *in Pharetra, lib. 2. cap.* 43. vbi è Patribus eam describit. Et *in Diæta salutis, tit. 3. c.* 2. vbi egregia perleges, maxi-
7 mè præconia, & quæ ad obediendum animant. & *in formula aurea, cap.* 1. vbi obedientiæ gradus: Et *part. 3. stimuli diuini amoris, cap.* 11. vbi mira. Et *serm. 3. Dom. inf. oct. Epiph.* & serm. 3. *Epiph.* vbi obedientiæ conditiones; & ad *cap. 4. Eccles.* Non ea traduco, vt curratis quisque ad Fontem.

QVÆSTIO III.

An Religiosi teneantur obedire Prælatis in omnibus.

D. Bonau. in 2. d. 44. art. 3 quæst. 2.
D. Thom. ibi quæst. 2. art. 3. arg. vlt. sed contrà.

NOTA è D. Bonau. *in corp.* Religiosos voto obedientiæ addere nouam sibi obligationem Prælatis obediendi, qui ad hoc habent ius coactiuum ad ea, quæ promisimus, vt ait Vasq. *prim. 2. disp.* 154. *cap.* 4. Tenentur sanè religiosi in his, quæ secundum regulam sunt, siue directè, siue indirectè, vt ait S. Doctor *ad cap. 1. Reg.* Iam quæstio est: an etiam in reliquis teneantur.

8 PRIMA opinio est, teneri obedire etiam in his, quæ extra, & supra regulam sunt: Sic Archidiac. *cap. Qui iustus.* 11. *quæst.* 3. Abb. *cap. super eo de Regular.* Præp. *c. ad nostram, num. 9. de appell.* Huc trahit Sanchez *lib. 6. cap. 2. num.* 14. doctrinam Seraphici *ad cap. 1. Reg.* Sed S. Doctor loquitur de nobis non ratione voti, sed præcepti additi obediendi in omnibus, quæ non sunt peccata.

9 SECVNDA sententia negat, subditum, ratione voti, teneri his, quæ sunt extra, vel supra regulam. Ita D. Thom. *2. 2. quæst. 104. art. 5. ad 3. & quodlib. 10. art.* 10. & alij 35. Doctores, quibus subscribit Sanch. *lib. 6. cap.* 2. adducens D. Bonau. *hic* fassus, eum non benè pro priori sententia allegari. Addo Bassæum *V. Obedientia, num.* 1.

ASSERO, votum Obedientiæ restringi intra Regulam.

PROBATVR à S. Doctore primò è D. Bernard.
10 *de præcepto, cap.* 8. vbi ait: *Is, qui profitetur, spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam, sed determinatè, secundùm Regulam; nec aliam, quam S. Benedicti, vt oporteat, eum, qui præest, non fræna sua laxare voluntati super subditos, sed præfixam ex Regula sibi scire mensuram; & sic demum sua imperia moderari circa id solum, quod rectum esse constiterit, nec quodlibet rectum, sed id tantùm quod prædictus Pater instituit, aut certè quod sit secundum quod instituit.*

HINC D. Bonauent. rationem *in corpore* elicit. Prælatus habet iurisdictionem in subditum, adæquatam correlatiuè sponsioni editæ in professione: At subditus non promisit omne bonum, nec omnem Regulam, sed Regulam hanc, vel illam, atque adeò bonum, quod est in ea; alioqui posset cogi à Superiore ad seruandas omnes alias regulas strictiores, & altiores, vt arguit D. Bernar- 11
dus. Hac ratione vtitur Sanchez cum Valentia *quæst. 4. puncto* 3. Ideò D. Bernardus ait: *Non præcipiat mihi Prælatus, quod non promisi.*

OBIICIES primò, *Matth.* 24. dicit Iesus: *Omnia quæcunque dixerint vobis, seruate.* Neque id solùm de præceptis intelligit Diuinis, nam *Lucæ* 9. ait: *Qui vos audit, me audit.*

RESPONDET S. Doctor, ea intelligi de his quæ ad Cathedram spectant, & de præceptis. In altero loqui de his, quæ Apostoli è Christi mandato præcipiunt, vel ipsi ad necessariam institutionem imponunt: In reliquis ait, non contemnendas eorum sententias.

OBIICIES secundò, Coloss. 3. *Filij obedite parentibus vestris per omnia.*

RESPONDET S. Doctor, obediendum ex præ-
cepto his, quæ sunt iuxta præcepta diuina, & Eccle- 12
siæ, quæ filius tenetur grauiter exequi, nouâ patris iussione, maximè quæ ad quartum præceptum pertinent, ad ea ex pietate tenentur. In reliquis verò est monitio.

OBIICIES tertiò, ex D. Benedicto *in Regulâ.* Si præcipit Prælatus impossibile, tentandum est facere. Itidem è D. Hieron. ad Rust. *Præpositum Monastery timeas vt Dominum; diligas vt patrem; credas quidquid dixerit salutare; nec maioris iudicet sententiam, cuius officium est obedire, & iussa implere, dicente Moyse: Audi Israel, & tace*, Numer. 6. Et ex Hug. *in sent. de Obed.* Obedientia est virtus, quæ omnia amplectitur iniuncta, necessariò implenda, nisi obstiterit Imperantis authoritas.

RESPONDET eos loqui de perfectione, non de necessitate obedientiæ. Sic & D. Ignatius *in Constitut. Soc. part. 3. cap. 1. §. 23. & part. 6. cap.* 1. ait, Obediendum in omnibus, vbi manifestum peccatum non cernitur.

OBIICIES quartò. Vota sunt æqualis iuris:
At paupertas vetat omnem rei externæ proprietatem. 13
Castitas omnem delectationem carnis: Ergo & Obedientia omnem propriam volitionem.

RESPONDET S. Doctor. non esse par; nam obiectum voluntatis est nimis amplum, quod ad bonum transcendens expanditur; debet igitur stringi ad institutum, quod suscipio.

HINC habes, varia esse Obedientiæ obiecta pro 14
Institutorum varietate. Ità ordo Minorum voto habet adiunctum *cap. 10. Regulæ*, præceptum obediendi in omnibus, quæ non sunt contra Deum, animam, vel regulam, vt communiter aduertunt Expositores, & ex aliis exteris, Lessius *lib. 2. de inst. cap. 41. d. 9. num.* 77. qui idem ait de Regula Societ. relata. Tametsi teneat Sanchez *num.* 16. dicens tale institutum, sic expositum, esse impossibile. Quare & Corduba, *cap. 10. quæst.* 2. Sanchez *lib. 6. cap. 2. num.* 16. Layman. *lib. 4. cap.* 9. deducere conantur vtramque ad commune præceptum.

FALLVNTVR verò, nam in Regula Minorum est apertum præceptum, vt declarant Pontifices, & Sanctes, Politius, Corilianus, & cæteri. Debent sanè præcepta esse discretione condita in ordine ad Euangelicam perfectionem, quam in Regula vouimus. Itaque esse debent præcepta iuri naturali diuino, & humano consentanea, eaque discretè cogentia, vt sint valida ad mentem sancti Institutoris.

Hinc

15 HINC nequit Prælatus, & Generalis, leges ferre, arctiorem vitam præcipientes; debent enim recipi à singulis ad quos spectat, iuxta reg. *Quod omnes, de reg. iuris in 6.* Neque verò subditi omnem volitionem in Prælatum transtulere, vt notat D.Bonauent. *in corp. & ad vltimum*, nam indiscretio est contra animam, & contra regulam, quæ non intendit supra vires onerare, vt monet D. Bonauent. ad Prouinciales in fine.

16 MVLTI verò aiunt, Pontificem id posse ex *cap. vnic. in principio, de regular. in 6.* vbi Bonifacius VIII. vniuersis Monialibus clausuram indixit.

ALII tamen negant, quia præceptum obediendi Papæ oritur è professione, quæ huic præcisè obligat religioni. Ità Sanchez *lib. 6. cap. 12. numero* 22. cum Oldrado *consil.* 96. Syluester V. *Religio, quæsito* 6. Corduba *in Regular. cap. 15. quæst.* 2. Lessius *lib. 2. de Iustitia, cap. 41. dub.* 9. Tale attamen decretum ligaret eos, qui postea profiterentur.

SI Regula in essentialibus votis non seruetur, tenentur ad obseruantiam redire; nam sine votis nequit consistere, vt notat Sanchez *numero* 26.

17 QVOAD alias verò obseruantias præceptas, ait Sanchez, eas consuetudine præscribi. Allegat D.Thomam 4. *dist. 38. q. 1. art. 4. quæstiunc. 1. ad* 5. Carthus. *quæst.* 2. Aaon *tract. 1. cap. 11. quæsito* 15. Manuelem 2. *tract. cap.* 95. & alios.

VARIOR tamen sententia negat, has inobseruantias è præscriptione aliqua induci posse. Sic Maior *dist.* 38. *quæst.* 10. Cordub. *in reg. cap. 10. quæst.* 15. Anton. *cap. Cum causam de elect. numero* 14. Est D. Bonauent. *in epist. ad Prouinciales*, vbi grauiter expositis laxationibus in ædificiis, familiaritatibus, expensis sumptuosis, vagationibus, otiosa vita aliquorum, & improuida officio-
18 rum dispensatione, subdit: *Licèt autem plurimi reperiantur, qui non sunt culpabiles in aliquo prædictorum, tamen omnes inuoluit hæc maledictio, nisi à non facientibus his, qui faciunt, resistatur; cùm luce clarius omnia supra dicta in maximum, & nullo modo dissimulandum, vergant nostri ordinis detrimentum, licet tepidis, & indeuotis, & secundùm carnem sapientibus, considerantibus consuetudinem, & allegantibus multitudinem quasi facilia, & excusabilia, etiam irremediabilia videantur*: Hæc sanctus Generalis; vbi non è consuetudine, vt dicit habitum, ait colligi excusari, sed è consuetudine præscripta, vt eruditi, & sapientes secundùm carnem astruunt.

19 RATIO D. Bonauent. est, quia præcepta obligant è professione, seu promissione Deo facta, quæ cùm iure diuino obliget, non patitur præscriptionem.

RESPONDET Sanchez *numero* 26. hæc præcepta reduci ad vota, tanquam leges adiunctas. Quare obligant solùm quamdiu vim obtinent legis, hanc autem vim præscripta consuetudine perdunt.

AT petit principium; nam cùm ad ius diuinum pertinere ostenderim; iam constat non præscribi.

CONFIRMATVR, nam Religiones egent suis præceptis obseruationibus ad finem, & sine eis fiunt scandalo, & ludibrio.

INSTAT, fieri dispensationes.

20 DICO non esse generales, easque tantùm fieri ob graues causas ad finem Religionum tunc ingruentes.

INSTAT, hos spopondisse seruare regulam in tali statu.

CONTRA, nam sciens hæc esse præcepta, si fictè non spondet, dum vouet regulam obseruare, hæc etiam spondet. Si verò ignorat, tenetur scire, & sciens postea, debet regulam aliam adire, vbi impunè hæc ita seruantur, vt ait Angel. V. *relig. n.* 32. Corduba *in Regul. cap. 2. quæst.* 16.

ORITVR verò dubium, an Generalis cum Ca- 21
pitulo valeant regulam elapsam reformare, & teneantur subditi assentiri.

OMISSIS variis sententiis apud Sanchez à *num* 31. verior est sententia asserens, estque D. Bonauent. *epist. ad ministros, & Custodes*, quibus reformationem ordinis indicit, protestans se renitentibus non assensurum. Eum sequuntur viginti Doctores cum Sanchez *numero* 35. Ratio S. Doctoris, qua vtuntur alij, est, quam in fine epistolæ affert. Qui enim vouerunt religionem, vtique media ad perfectionem eius instituti promisere: Hæc autem sunt præcepta.

EXCVSARETVR tamen subditus, si adeò infirmus esset, vt talem rigorem non valeret sustinere.

HINC ritè Bonifacius VIII. *cap. vnic. in prin-* 22
cip. de statu regul. perpetuam indicit clausuram Monialibus, etiamsi multæ non essent eam professæ. Hoc decretum innouat Concil. Tridentinum *sess. 25. cap. 5.* quia non indicit nouam austeritatem, sed medium ad pristinam sartamtectam seruandam. Ità docent viginti tres Doctores *ad cap. cit.* Estque de fide posse id à Papa fieri.

QVÆSTIO IV.

Vtrum dubitans, an res præcepta sit licita, teneatur Prælato obedire.

PRIMA opinio astruit non teneri, nec posse obe- 23
dire. Ità Adrian. *quodlib. 2. part.* 2. Vasquez *p. 2. disp. 66. cap.* 9. Rodriquez *p.p. cap.* 9.

OPPOSITA sententia est Sanchez *lib. 6. cap.* 3. adducens quadragintatres Doctores, præsertim D. Bonauent. 2. *dist. 39. quæst. 3. ad vlt.* Adde Bassæum V. *Obed. num.* 12. Eam asserui *p. 2. tract. 1. disp. 27. quæst. 14. &* 22.

DIANA *part. 4. tract. 3. resol.* 9. ait priorem sententiam sibi probari in casu, quo subditus timeret sibi, vel alij ex obedientia damnum graue. Subscribit Aragon. 2. 2. *quæst. 69. art.* 2. Medina *prima* 2. *quæst. 19. art.* 6. Henriquez *lib. 14. cap. 3. in gloss. lit. X.* Lessius *lib. 2. cap. 4. dub. 9. num. 77. cont.* Sancium *in select. disp. 43. num.* 21.

QVOD si & ipse Prælatus dubitet non tenetur subditus id sciens. Ità Castro Palao *tract. 1. disp. 3. part.* 13. Sanchez *lib. 6. cap.* 3. Salas 2. 2. *quæst. 21. tract. 8, disp. vnic. sect. 26. num.* 275. Bassæus *num.* 13.

ASSERO cum secunda sententia, teneri sob- 24
ditum in dubiis stare præcepto prælati. Hanc opinionem astruit S.Doctor etiam *part. 1 speculi ad Nouit. cap.* 4.

PROBATVR à S. Doctore primò *parte 2. de eccl. Hier.* Et *in confessionali, cap. 1. partic. 5.* è Scrip-

tura, *Deuter.* 17. 2. *Paral.* 19. & *Ezech.* 34. vbi sancitur, vt subditi in arduis, & ambiguis stent iudicio Sacerdotis Prælati.

25 PROBATVR secundò à D. Bonauent. *in 2. loco cit.* & *in speculo*, ratione, qua nituntur omnes. In dubio melior est conditio possidentis, vt habetur in regulis iuris; sed in hoc casu possessio stat pro Prælato, cui subditus spopondit obedientiam: Ergo. Confirmatur Minor. Ille est in possessione, pro quo est præsumptio iuris, contra quem defertur onus probandæ exemptionis: at in dubio præsumitur superior iustus, cui subditus promisit tanquam Dei vices agenti, *cap. quid culpatur in fine* 23. *quæst.* 1. & docet ibi definiri Bassæus, Couar. *reg. Peccatum, p. p. num.* 5. cum aliis. Ità statuit Leo X. apud Mirandam *tract.* 1. *manual. quæst.* 26. *art.* 9.

CONFIRMATVR à S. Doctore *part.* 3. *Eccl. Hier.* multis scripturis *Heb. vlt. Eccles.* 4. vbi hortatur Spiritus Sanctus, vt simplici nos obedientia Prælatorum iussis demandemus: ipsi enim rationem de his reddituri statuuntur animarum fideiussores, quæ est magna subditorum consolatio.

26 OBIICIAS cum Vasquez, ad rectam operationem requiritur determinatum iudicium practicum conscientiæ: at quamdiu manes dubius, non vales iudicare eam rem licitam, nec probabiliter adhæres, sed anceps adhuc temerè operaris, exponens te culpæ discrimini. Neque superior est in possessione iurisdictionis, nisi ratione voti, quod sanè sola respicit bona licita. Et sicut non teneor implere votum, quod dubito an emiserim, vt communiter asserunt Doctores cum Diana *tom.* 1. *tract.* 3. *resol.* 10. ità neque teneor ad præceptum hominis. Confirmatur, quia maius est præceptum non exponendi etiam periculo culpæ mortalis.

27 RESPONDET S. Doctor, rem primò speculatiue dubiam, accedente præcepto superioris, de quo benè præsumitur, quòd ad iustitiam, prudentiam, &c. acquirere practicam probabilitatem ad executionem, neque ampliùs est dubium practicum, cùm possessio stet pro authoritate præcipientis, à Deo constituti ad dubia sedanda. Quare possum, & debeo iudicium determinare, atque ità probabiliter non temerè operabor. Non est autem idem in dubio voti, in quo anceps non inuenio nouum quid præponderans. Hæc autem ità se habere definit *cap. Quid culpatur in fine*, 23. *quæst.* 1. vbi legitur: *Vir iustus, si fortè etiam sub Rege, & homine sacrilego militet, rectè potest, illo iubente, bellare, si quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est; vel verum sit, certum non est: ità vt fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi: innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi.* Ità exponunt Innocent. Hostiens. Ioan. Andreas, Bald. Abb. Nauar. & Toletus.

28 EX quo reatu definitur etiam casus, quo milites dubij sunt de iustitia belli. De quo satis egi *disp. cit. prima secunda.* Ibi tamen declaraui, subditum, dubium de iurisdictione præcipientis, non teneri obedire, quia possessio tunc est pro libertate. Vide Doctores in Sanchez *lib.* 6. *cap.* 3.

QVÆSTIO V.

An omnia Religionum statuta sub culpa obligent.

NOTA varias esse Regulas: Aliquæ enim, præter vota, addunt alia præcepta; & quidem aliqua alioqui iuris diuini, & naturalis, & hæc non reor distincta lege diuersa iniungi, nisi Sanctus Institutor se declaret: sed solùm confirmasse; tunc igitur non erit duplex peccatum, vt docent Caietanus *quæst.* 186. *art.* 9. etsi Valentia *disp.* 10. *quæst.* 4. *puncto* 3. Sanchez *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 7. duas malitias esse dicant, quatenus transgressio esset contra votum obedientiæ. 29

ALIQVÆ apponunt noua præcepta, vt Regula Minorum. Ex his multa apud alios imponuntur non præcepto, vt Ieiunia Aduentus, abstinentia à carnibus, assistentia Choro, & similia. Obseruanda verò est Regulæ formula. Singulæ verò habent obseruantias supererogationis. 30

IAM igitur non omnia Regularum statuta cogunt sub reatu culpæ, etiamsi promittamus Regulam obseruare, vt nos præcipuè Minores; debet enim intelligi promissio ad sensum Regulæ, & ad mentem Patriarchæ. Ità de nobis declarant Nicol. III. Clem. *Exiit de verb. signific. in* 6. §. *in primis*, & Clem. *Exiui* §. *Cum igitur in primis, de verb. signific.* & aduertit D. Bonauent. *ad cap.* 1. *Regulæ*, D. Thom. 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 9. Syluester V. *Relig.* 1. *quæst.* 8. *dict.* 1. & *quæst.* 13. *dict.* 5. Vasquez *prima* 2. *disp.* 162. *cap.* 4. Faustus *in thes. lib.* 6. *quæst.* 121. Angel. V. *relig. n.* 28. Syluius *ad locum cit. D. Thom.* Bassæus V. *Obed. num.* 14. Sanchez *lib.* 6. *in præc. cap.* 4. Hoc declarat S. Doctor ad ea verba Reg. cap. 1. *Regula fratrum minorum hæc est, sanctum Domini Nostri Iesu Christi Euangelium obseruare*, dicens, Promitti Regulam sicuti est, certum est autem (ait) aliqua esse præceptoriè, alia tantùm admonitoriè iniuncta. 31

Sic & in Regula Patrum Prædicatorum dicitur: *Nolumus obligare ad culpam.* Idem in Regul. Minim. refert Passarell. *cap.* 25. Idem *in Constit. Societatis*, 6. *part. cap.* 5.

CONTEMPTVS quidem esset graue piaculum, vt aduertit D. Bonauent. *in speculo animæ*, & *in Reg.* ac D. Thom. *art.* 9. & alij. 32

INPART Sanchez *num.* 10. esse mortale, nolle regulas obseruare, nisi quæ sub mortali cogunt; subscribit Bassæus *num.* 16. quia est in graue Religionis præiudicium, & ipse esset cæteris scandalo, & in se subiret periculum grauis casus.

EST autem arduum inuenire quando, & vnde regulæ obligent sub mortali. Hoc discussi *Tract. de Legibus*, *disp.* 5. *quæst.* 2.

ADVERTVNT omnes, vsu iam esse inuectum, vt obedientia ad mortale non cogat, nisi præcipiatur in virtute sanctæ obedientiæ, vel Spiritus Sancti, vt monet Suarez *Tom.* 3. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 4.

ENIM verò si materia sit grauia, & præcipiatur sub pœna diuinæ indignationis, vel excommunicationis, iam Prælatus exprimit præcipi sub lethali, vt concedunt communiter. 33

SI autem materia sit leuis, non coget sub mortali, etsi adiungatur præceptum. Ità Sanchez *lib.* 2. *cap.* 4. Suarez *lib.* 51. *de leg. cap.* 25. Azor *tract.* 1. *lib.* 5. *cap.* 6. *quæsito* 5. & alij apud istos.

ALIQVA

34 Aliqva tamen ex se leuia possunt fieri è damno sequenti, vel aliâ circumstantiâ grauia, ac præcipi sub anathemate, &c. ità Valentia *disp.7. quæst.5. puncto 6.* dicens, posse ob id præcipi silentium.

35 Arduum existimat Caietanus V. *Præceptum*, è sola grauitate, vel leuitate apparente, de his iudicare, cùm sæpe aliqua sint Prælatorum iudicio grauia, quæ subditis videntur leuia, vt vidit Suarez *Tomo 3. de Relig. lib.10. cap.4. num. 9.* Ideò *part. 9. constit. societ. l.fin, cap.3. §.10.* declaratur posse præcipi omnia, quæ ad propositum Societatis finem perfectionis faciunt.

E regione potest esse, vt Prælatus præcipiat res graues sub veniali, vt vidit Sanchez *lib.6.cap.4.* & *lib.1. de matrim. disp.9. num.6.* Castro *de lege pœn. cap.5. docum.4.* Valentia *loco cit.* Nauar. *cap.23. n.49.* Diana *part.3.tract.6. resol.91.* & alij apud istos. Hæc latè prosequitur Pelizarius.

36 Ex dictis habes, Inobedientiam formalem esse peccatum grauissimum, vt ait D.Bernardus *serm.46. in Cant.*

Nota verò, inobedientiam formalem, quæ est nolle obedire, quia præceptum, includere contemptum exprimendum in confessione. Ità Suarez *de Relig. lib.3. cap.28. num.25.* Sanchez *lib.6. cap.4 num.8. & 11.* Valentia *1. 2. disp.7. quæst. 3. puncto 6.* Layman *lib.1.tract.5.cap.7.* Crouser *ad cap. 10. Regul. min. lect. 3.* Caspensis *tract. 12. disp. 3.sect.5.* Eligius Bassæus V. *Obedientia*, & V. *Contemptus*, in calce.

37 Imo addit Suares talem inobedientiam duplicem importare malitiam. Prima est contra religionem, & est sacrilegium; secunda est contra Iustitiam, prælato in personam subditi acquisitam; & hæc acquiritur duplici titulo; nam deriuatur in omnes Religionis prælatos Iurisdictio spiritualis & dominatiua, à summo Pontifice; virtute cuius possunt præcipere, & statuta condere, cum sint suorum subditorum Pastores ordinarij; præterea considerandum est subiectum, in quo inobedientia committitur; nam si speciali virtuti opponatur, speciale erit peccatum; sic qui prælato, Ieiunium ob iustum finem iniungenti, non obtemperat, contra temperantiam etiam peccabit. Non tamen mos est huiusmodi varias species inter confitendum exponere, sufficitque exprimere, præcipienti Prælato non obtemperasse, quamuis votum id iniunxerit. Necesse tamen est, si pœnitens
38 Confessario notus non sit, vt naturam voti solemnis, vel simplicis exponat. Hoc dico propter illos, qui in sæculo faciunt votum simplex obediendi suis directoribus, seu etiam aliquando Dominis; quod votum specialem habet obligationem, quam expendit Suares toto Capite 3. Nam licèt ille, cui hoc votum obstringit, possit eius vsum in vouentem obtinere; propriè tamen non est eius superior; ac proinde qui in casu dubio ambigeret, num ei esset obediendum, posset non obedire; quia pro ipso tunc stat illa possessio, quæ aliàs pro prælato staret, si vouens esset Religiosus, qui non solùm virtute voti, sed etiam subiectionis Ecclesiasticæ tene-
39 tur: Et si quidem casus daretur, in quo prælatus careret hac iurisdictione Ecclesiastica, non tamen subinde eius conditio æquipararetur illi, qui imperare posset virtute voti simplicis; quia in hoc voto fit tantùm promissio absque actuali traditione sui, & suorum sub dominium alicuius; quæ semper interuenit in emissione voti solemnis.



DISPVTATIO IV.

De Voto Paupertatis.



CVM cæli pretium, à Christo taxatum, sit spiritus paupertas: *Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, nullus, qui tantus thesauros velit emere, valet ab hac paupertate se eximere; Verùm altior vox perfectorum auribus insonat: *Si vis perfectus esse, vade, & vende, &c.* hanc vocem exhorrent auari, diuitiis incrassati; immundi, deliciis impinguati; & superbi, honoribus dilatati, vt habet Sanctus Doctor *tit.3. diata salut. cap. 3.* afferens illud Deuteronomij 32. *Incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum*, nec libenter consilium istud excipiunt, etiam qui mandatorum obseruantiam exactiorem prætendunt, qualis erat Iuuenis ille, qui postquam, *Matthæi 29.* dixerat: *omnia hæc custodiui à iuuentute mea*, audito: *Vade, & vende, & da*, ad horum verborum sonitum obmutuit, *& abiit tristis, erat enim habens possessiones multas*; nec mirum, non enim omnes capiunt verbum istud, cùm paupertas posita sit in signum, cui contradicitur, vt habet Seraphicus *loco citat.* Huius itaque votiuæ virtutis essentiam, præstantiam, & decentiam hic breuiter discutiendam suscipimus.

QVÆSTIO I.

De essentia huius Voti.

SANCTITATEM huius Voti, eiusque antiquitatem vidimus *disp.2.quæst.3.* 1

Pavpertas Religiosa est vltronea abdicatio bonorum temporalium, quò ad dominium saltem, & proprietatem independentem à voluntate superiorum. Ità Suarez *tract.3. de Rel. lib.8. cap.7.* & Valentia *disp.10. quæst.4. puncto 9.*

Oportet autem bene percipere, quid spondeas hoc voto, vt inde scias quo pacto violari queat.

Dominvs, seu proprietarius primò habet liberam facultatem vsurpandi rem arbitratu suo absque alterius iniuria, quæ sit contra iustitiam commutatiuam, & per hanc facultatem constituitur aliquis dominus, quasi in actu primo, vt patet ex definitione dominij tradita, *Tract. de Iust. disp.27. quæst.1.*

Secvndo vtitur re independenter à voluntate alterius, quo est rei dominus, veluti in actu secundo. Iam verò Religiosi vtroque se abdicant voto Paupertatis: Pollicentur enim se neque habituros, neque recepturos liberam illam facultatem circa rem aliquam, neque etiam vsurpaturos quicquam inde- 2

Tt 3 pendentes

pendenter à voluntate superioris. Ità Valentia *loco cit.* & Syluester V. *Religio 6. num.2.*

3 Hinc diiudicabitur facilè in quibus casibus violetur Paupertas, de quibus agam. Prohibetur enim religiosus habere dominum directum, vel vtile, aut possessionem in pecunia, seu re pecunia æstimabili, tam mobili, quàm immobili, aut vsum independentem. Rodriquez *tract.3. qq. quæst.29. art.3. & 4.* Lessius *lib.2. cap.41. num.78.* Sanchez *lib.7. moral. cap.18. num.25.* Miranda *tract.1. quæst.28. art.1.* Faust. *in thesauro lib.8. quæst.12.* Bassæus V. *Pauper. num.1.* addens interim religiosum retinere dominium, seu ius honoris, famæ, ius eligendi, præsentandi, & conferendi; item regulare beneficium, atque spiritualem iurisdictionem habendi, atque ad talia iura acquirenda, retinenda, recuperanda suo nomine agere posse.

QVÆSTIO II.

Quæ Paupertas sit præstantior.

D. Bonauent. de Pauper. Christi, art.1.
D. Thom. 2.2. quæst.188. art.7.

5 Omnes (vt vulgato fertur sermone,) riuos aquarum ad suum deriuant molendinum. Dicunt igitur. D. Thom. *quæst.188. art.7.* cum discipulis sui ordinis præclari, & Patres Societatis, inter quos Suarez *tomo 3. de Relig. lib.8. cap.9.* Valentia *disp.10. quæst.6. puncto 2.* & alij relati à Bassæo, V. *Religio 1. num.13.* suam paupertatem cæteris præcellere.

Svpponvnt autem eam Religionem esse perfectiorem, quæ ad finem meliorem est ordinata. Quoniam verò vita contemplatiua est ad finem altiorem, quippe ad Dei vnionem eleuatur; quàm actiua, quæ ad proximorum auxilia destinatur, vt definit Christus, Lucæ 10. *Martha sollicita es, & turbaris erga plurima: Maria optimam partem elegit, &c.* Vtraque verò melior est illa, quæ & Deo attendit contemplatione, & proximo, adiutorio maximè spirituali; quippe hi vitam Christi, & Apostolorum mixtum propiùs imitentur, atque non modo luceant virtute, sed illuminent etiam, vt differit D.Thom. *quæst.188. art.6.* Syluios cum Caiet. *ibi* Syluest. V. *Religio, 1.* Lessius *lib.2. cap.41. dub.2.* Layman *lib.4 tract.5. cap.1.*

6 Svpponvnt deinde, Paupertatem, ieiunia, &c. non esse ipsum perfectionis obiectum formale, sed esse mera instrumenta, quo fit, vt eorum bonitas, & perfectio desumenda non sit è perfectione absoluta, sed ea instrumentali; atque adeo non erit perfectior paupertas, quæ strictius expropriet; sed quæ melius deseruiat religionis fini. Hinc progrediuntur, quòd cùm ad vitam mixtam requirantur aliqua externa bona, non imminuitur religionis perfectio, si deponantur aliqua bona in communi, sanè vt singuli absque sollicitudine religionis fini intendant. Hæc doctrina multo plausu recepta acclamatur. Hoc saltem in aliquibus Religionibus astruit Suarez *num.5.* post Viguer. *sum. cap.17. §.1.* Ferrar. *3. cont. G. cap.133.* & alios. Id probat cum Valentia, quia Sanctissimum Tridentinum Consil. *sess.25. cap.3. de regul.* concedit bona immobilia Religionibus mendicantibus, solis exceptis FF. de Obseruantia, & Capucinis.

Plura ad id probandum insumit Pellizarius.

Sententia D. Bonauent. *ad cap.6. Regula,* 7
atque expositorum *ibi*, nec non Bartoli *in minorica, cap.1.* est, Paupertatem Minorum esse longè cæteris perfectiorem: Ideò vocari à S.P. Francisco *cap.6.* & à summis Pontificibus, præsertim Nicolao III. *cap. Exiit.* Et Clem.V. *cap. Exiui, in 6.* & aliis apud Ioan. Fenestrem *in tract. de Pauper.* Altissimam. Et addit: *Hæc est illa celsitudo Altissima Paupertatis.*

Probatvr à S. Doctore primò, aduersariorum fundamento. Ea est Paupertas sublimior, quæ ducit melius ad finem perfectionis, qui est Charitas Dei, & proximi, quam eximiè profitetur Religio, vitam profitens mixtam, quæ est perfectissima: Talis est Paupertas Minorum: Ergo. Maior est aduersantium. Minor probatur, nam Paupertas Minorum dicit omnem expropriationem, etiam in communi, quæ omnes alias excedit, & maximè separat à curis rerum externarum, quarum cupiditas radix omnium malorum dicitur, apud Apostolum, & idolatria.
Tunc sic: Quanto ab vno extremo receditur, tanto 8
acceditur ad alterum; sed nostra Paupertas maximè auellit à mondo: ergo maximè eleuat ad Dei amorem. Hinc *cap.6. Regula*, à S.P. Francisco iure, ac meritò Altissima vocatur, eique acclamatur in abstracto: *Hæc est illa celsitudo Altissima Paupertatis, quæ vos charissimos fratres meos, hæredes, & reges regni cælorum instituit, Pauperes rebus fecit, & virtutibus sublimauit.* En virtutum apicem, qui in charitate consistit. Alludit ad Christi promissum de præsenti: *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum*, vt adnotat ibi D. Bonauent. quippè Reges illius regni ob altissimum statum, & meritum stabiles in throno acclamantur, si in vocatione perseuerauerint. Probatur adhuc minor; nam quod amo- 9
re Dei, & proximi maximè repugnat, est amor proprius immoderatus, qui facit, vt deiecti ad struendam diaboli Babylonem infernam descendamus ad centrum, vt ait D. August. 14. *de ciu. cap. vlt.* & *lib.11. de Gen. ad litt. cap.15.* & illud Mevm, & Tvvm, vt ait D. Gregor. *homil. in Breuiar. de vno Martyre.* Igitur, qui magis abstrahit ab hoc amore, maximè eleuatur ad ciuitatem Dei, quæ Charitate extruitur, vt ait D. August. *loco cit. de ciuit.*

Confirmatvr; nam hæc paupertas in- 10
iungitur à Christo volenti perfectionem: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, vt exponit D. Hieronym. *epist.8.* ad Demetriadem: *Apostolici est fastigij, perfectæque virtutis, omnia vendere, & pauperibus distribuere, & sic leuem, & expeditum cum Christo ad cælestia subuolare.* Totum argumentum est D. Bonauent. etiam *opusculo de Christi paupertate, art.1.* & *Apol. paup. cap.3. resp. prima.*

Respondent omnes è D. Thom. agentes 11
vitam actiuam opibus indigere multis, quia ad actiones multa sunt necessaria, vt ait Aristoteles 10. *Eth. cap.8.* at degentes in contemplatione, vt Monachi, minus egent externis, vt ait Philosophus suprà; sunt enim magis spiritui attenti, vnde moderatis prouentibus sunt contenti. Qui tandem vitam trahunt mixtam communicando contemplationem cum actione, cùm sollicitudinem geminatam spiritualium subeant, ideò minimam sollicitudinem adeunt, ac patiuntur; minima autem sollicitudo est aliqua reseruare pro necessitatibus. Sic enim & Christus magister pauperum, loculos suos Iudæ ad expensas tradiderat, & his emebantur necessaria, vt colligitur ex Ioan. *cap.4. 12. & 13.*

Hæc

12 HÆC non probantur Seraphico, qui opusculum contexuit de Christi paupertate, contra Guilelmum. Fatetur quidem, Christum tempore persecutionis loculos habuisse, etiam infirmis compatientem; at mittens discipulos, iussit: *Nihil tuleritis, non peram, &c.* dans eis formam vitæ Euangelicæ. Addit, eum loculus habuisse, vt summum Prælatum Ecclesiæ ad pauperum necessitates subleuandas. Ideò nec denarium pro se ad tributum soluendum habuit *Matth.*17. vt ait Glossa.

FALSVM etiam esse ostendit, minimam sollicitudinem, à Christu traditam, esse loculos habere.

13 PRIMO patet è scripturis Matth. 19. *Vade, vende omnia, & da pauperibus.* Hoc iniunxit, vt formam daret perfectionis religiosæ, nihil sibi penitus reseruando, vel in particulari, vel in communi, vt Glossæ exponunt, & Patres, Matth. 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum, nec pecuniam, &c.*

MARCI 12. laudat viduam, quia de penuria sua dederat totum victum suum.

LVCÆ 12. *Respicite coruos, &c.* vbi sanctos alloquitur ad perfectionem, vt ait Glossa, ne quid habeant.

MATTHÆI 8. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet,* vbi Chrisustom. homil. 28. *Quid pecunias expectas, sequens me congregare? Non vides quia diuersorium mihi, neque tantum quantum auibus?* Ita Glossa etiam ibi.

SECVNDA *Cor.* 8. Christus egenus dicitur, & inops. Alias scripturas vide in S. Doctore locis cit. vt Act. 3. *Argentum & aurum non est mihi.*

MVLTA SS. Patrum addit testimonia *opusculis adductis*, & *quæst.4. in Regulam.*

14 D. AMBROSIVS lib. 6. in Lucam, cap. 9. *Qualis debeat esse, qui euangelizat regnum Dei, præceptis euangelicis designatur, vt sine virga, sine pera, sine calceamento, sine pane, sine pecunia, hoc est, subsidy secularis adminicula non requirens, fideque tutus putet sibi quominus ea requirat, magis posse suppetere.* Hinc discipulorum missio, *Luca* 10. erat sine rerum temporalium adminiculo.

15 D. HIERONYMVS epist. ad Heliodor. *Nolo, pristinarum necessitatum recorderis, nudos amat eremus: nolo, te antiqua peregrinationis terreat difficultas. Qui in Christum credis, & eius crede sermonibus.* Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. *Non pera tibi sumenda est, non virga, diues est, qui cum Christo pauper est.* Hic tursus iniungit consilium Christi, Matth. 6. *Respicite volatilia cæli, non laborant, neque nent, & Deus pascit illa. Nolite ergo solliciti esse.* Addit ad hoc Glossam D. Hier. ipsius, & D. Augustini.

D. GREGORIVS homil. 20. in Exech. *Cùm quis aliquid suum vouet, sacrificium est: cùm vero omne quod habet, omne quod viuit, holocaustum est.*

16 D. BERNARDVS epist. 42. *Fœlix, qui nihil sibi retinet ex omnibus, non habet foueam vt vulpes, nec tanquam volucres cæli nidum, non loculos, quomodo Iudas, &c.*

Multas etiam rationes apponit. Ipsum vide.

ADDIT Regulam nostram à Christo dictatam in monte Palumbo, vt habet in vita S.P. Francisci eam à S. Ecclesia confirmatam, vt habetur *cap. Nimis praua de excess. Prælat.* & Pontifex Honorius III. hæc confirmationis à se apposita violanti diuinam protestatur indignationem. Quod si & sanctum Concil. Trident. verat Capucinis, & Minoribus de Obseru. bona in communi, sanè ad perfectionem facit, vt tam graue decretum otiosum non sit, sed concernens bono Ecclesiæ.

OBIICIVNT præcipuè, non esse Deum tentandum, sic autem tentatur Deus abiiciendo necessaria.

CITO respondeo cum D. Bonauentura non tentari Deum, qui *Matth.*6. promisit prouidere; & aliis locis consilium de hoc dat. Imo tentat Deum, qui de eius promissis exhibitis ambigit: *Respicite volatilia cæli, &c.* Vnde ait D. Hieronym. ibi: *Qui igitur de hoc dubitat, sicut filij Israel, Deum tentat, qui dicebant: Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? His autem non debent viri perfecti conformari, sed potiùs Apostolis, de quibus dicitur* 2. Cor. 4. *Aporiamur, sed non destituimur.* Vide S. Doctorem, qui addit *in apol.* Bedam, Chrysostom. Ambros. & Augustinum. 17

OBIICIVNT secundò. Virtus non est in extremis, sed prodigalitas est in extremo dare omnia.

RESPONDET S. Doctor Liberalitatem in medio esse: prodigalitatem verò malè consumentem in extremo: at relinquere omnia pro amore Christi est perfectionis medium, quo exonerati ad Deum expeditiùs eamus. 18

NEQVE timeamus; nam 6. *Matth.* spondet: *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia* (idest victus, & vestitus) *adiicientur vobis.* Vide S. Doctorem egregiè differentem in vtroque opere.

OBIICIVNT, Religiones, quæ hanc summam sequuntur paupertatem, citò laxatas defecisse; alias verò constanter permansisse. Vrgent quoque inde induci proprietates.

VRGET Pellizarius id sensisse D. Bonauent. *epistolis ad ministres*, & Concilium Tridentinum concessisse aliis Ordinibus bona in communi. 19

HÆC nihil valent; nam perfectio virtutis est in arduo; quid ergo mirum altissimam Paupertatem tempestatibus esse impetitam? feriunt summos fulmina montes, & si Ordo iste laxationes passus est, etiam reformationes Deus prouidet. Neque S. Bonauent. eo sensu loquitur, quo accipit Pellizar. sed hortatur ministros, vt laxationes, & praua exempla amoueant,
ob quæ mundani eleemosynas denegant. Quod verò 20
ait de Concilio Trident. esto perfectionis sit existimatum, concedere bona in communi. Ergonè dices ad imperfectionem ea minoribus denegasse? absit. Imò compatientes prudentissimi Patres deprauato sæculo, & infirmitati religiosorum ea bona concedunt, iuxta eorum instituta, quæ difficile sine illis sua munia peragerent.

QVÆSTIO III.

An Religiosam Paupertatem deceat mendicitas.

D. Bonauent. de Paup. Christi, art. 2. & apol.
D. Thom. quæst 87. art. 5. & opusc. 19.

VVICLEPHVS ideò damnatus in Concilio Constantiæ *sess.*8. & in Bulla Martini V. & Lutherus apud Roffensem, *art.*41. *contra eum*, mendicitatem de medio tollendam clamabant. Eam verò approbat Nicolaus III. *cap. exiit de verb. significat. in* 6. Eamque probant Vualdensis *lib. 4. doctrina fidei, cap. 3. & 4.* Caietanus *ad art. D. Thom;* 21

Bellarm. *tom.2.contron. lib.2.cap.45.* Valentia *disp.*10. *quæst.* 5, *puncto* 4. Inter omnes egregie hic contr. Gyraldum, & aliis opusculis contra Guillelmum de S.amore, & D Thom. *opusc.*19. contra eundem.

Assero, mendicitatem religiosis honestam esse.

22 Probatvr à D.Bonauent. primò ex Regula assumpta à D. Francisco, ex 10. Matth. *Nolite possidere aurum, vel argentum, neque pecuniam in zonis vestris, neque peram in via, neque duas tunicas, nec calceamenta.* Idem præcipitur *Marci* 6. *& Lucæ* 9. *&* 10. Ibi autem non ex labore, sed ex liberalitate eorum, quibus prædicabant, viuere cernuntur. Idem legitur 1. *Cor.*9. & reddit rationem: *Quis militat suis stipendiis vnquam?* Et Christus ait: *Dignus est enim operarius mercede sua.* Ad id hortatur Apostolus 2. *Cor.*8.

23 Probatvr secundò à D. Bonauent. exemplo Christi, qui se mendicantem asserit, Psalm. 39. *Ego autem mendicus sum, & pauper*, & Psalm. 108: *Et persecutus est hominem inopem, & mendicum*: vbi obseruat Bellarminus bis locis esse vocem אביון quæ habetur *Deuter.*15. vbi dicitur: *Non erit in te mendicus.* Sed obserua in nullo significare mendicum, sed *in Deuter.* inopem, & *in Psalmis*, egenum, vt notat Pagn. etiamsi in Bibliis Latinis translatum è Pagnino legatur *mendicus*. Sed & LXX.legunt *egenus*, cum Paraphr. Chaldæo. Habetur autem in originali *Psalm.* 39. עני ואביון *afflictus, & egenus.* Idem habes *Psalm.* 108. at apud Hebræos 109. 17. Hæc obseruauit, vt reor, S. Doctor, qui hunc locum non obiicit sibi, cum *num.* 15. sibi opponat *Cod. de mendic. validis, lib.*11.*cap.*25. vbi inhibetur validis mendicare de domo in domum publicè.

24 Christo vterque Psalmos applicatur, & quidem prior à Paulo, *Heb.* 9. & posterior à Petro *Act.* 1. & 2. Cor. 8. *Propter vos egenus factus est*, vbi Græcus habet ἐπτώχευσε *mendicum* significans ingenuum, qui prandium confidenter alicubi postulat, vt innuit Homerus *Odiss.*17. Iam verò Christus talis mendicus fuit ingenuus, quales Italicè vocamus *Pouere vergognosi.* Quærebat sanè, sed reseruatè, nunc apud Martham *Lucæ* 10 nunc apud Zacchæum *c.*19. modò apud Simonem Leprosum *Matth.* 26. *Marci* 14. nunc in domo Petri *Lucæ* 4. nunc in domo Matthæi *cap.*9. & Marci 11. *Circumspectis omnibus exiit in Bethaniam*, videns, nullum ipsum inuitasse.

25 In Deuteronomio autem nullum penitus mendicum, vel egenum futurum dixit, non prohibens, sed prædicens ex benedictione prouentuum, si tamen legem obseruassent; alioqui minatus est eodem cap. *Non deerunt pauperes inter vos.* Vnde multi in Iudæa tempore Christi erant mendici *Lucæ* 16. Lazarus *Lucæ* 18.Cæcus mendicans *Ioan.*9. alios cæcus *Act.*3. claudus ille. Igitur promiserat Deus, nullum fore mendicum, aut ingenuum, aut publicè euntem ostiatim, quia inopiam arceret obseruantibus Diuinam legem: Christus verò in Vulgata dicitur *mendicus*, & huic standum etiamsi in Hebræo non legitur, nisi *egenus*, & *inops*, non *mendicus*; forsan quia non erat è quæstuantibus in valuis templi, & per vias. Aliam solutionem è D.Bonauent. afferam *ad* 6.

26 Hæc dixi, vt Armacano satisfaciam dicenti, non legi, Christum fuisse mendicum. Quæ verò addit de Christi necessaria paupertate, satis à Bellarmino explosa iacent.

Hinc etiam ruit id quod addit, vitam mendicandi religiosam non esse à Christo institutam; hoc enim est contra declarationem Nicolai P. III. *cap. Exiit*, eamque, vt Apostolicam, approbarunt Innocent.III. teste D.Bonauent. Honorius III. qui regulam confirmauit. Gregor.IX. Innoc.IV. Alexand.IV. vt refert Ioan. XXII. in Extrau. *Quia quorundam, de verb. significat.* nec non Concil. Generale Lugdun. vt refert Nicolaus P. *cap. Exiit*, & Constantiense *sess.*8.

Neqve vnquam reuocauit hoc institutum 27
Christus, sed pro tempore persecutionis atrocis dispensauit *Lucæ* 22. Vnde & 1. *Cor.*9. Apostolus argumento Christi, suprà allato id docet, nempe, vt qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuant.

Probatvr adhuc à D.Bonauent. *ex* 11. *Heb.* vbi SS. dicuntur: *Circuierunt in melotis, egentes.* Sic Elias 3. *Regum*, 17. Elisæus, & alij.

Probat etiam exemplis sanctorum noui testamenti, qui & miracula patrarunt in eleemosynis accipiendis. Addit authoritates SS. Patrum, præsertim D.Gregor. *lib.*8. *moral. cap.* 5. D.Hieron. *ad Iulian. epist.*34.

Probat etiam rationibus: Tum quia paupe- 28
rum status est egentium, & non modò vetitum est religiosis mendicare, imò declaratur sanctum, & meritorium, quia humiliat, & contemptibilem exhibet. Imo æquum est, vt spiritualis operarius saltem alatur, dum vitam impendit pro eis, vt aiunt Christus, & Apostolos.

Qvoniam verò alia est mendicitas religiosa ad perfectionem Euangelicam, eamque honestam probaui, & iterum confirmat S.Doctor *in corpore*, authoritate, & ratione, vt quisque potest perlegere. Alia est necessitatis, quam ostendit meritoriam, si patienter agatur, vt ostenditur de Lazaro *Lucæ* 16. Alia ex cupiditate. Hanc reprehendunt SS. Doctores cum D.Ambros. *lib.*2. *de offic. cap.* 16. D.August. *de oper. monach. cap.*21.*& seqq.*

Obiiciunt aduersarij primò è Scriptura, 29
quæ detestatur mendicitatem, vt causam multorum malorum, Prouerb. 30. *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi: tantùm tribue victui meo necessaria: ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei*, Eccles. 17. *Propter inopiam multi deliquerunt.*

Respondet D Bonauent. *art.*1. *de paupertate Christi*, loqui Spiritum Sanctum de paupertate in- 30
uoluntaria, quæ cupido est ansa ad malum; non de voluntaria, qua sumus *tanquam nihil habentes, & omnia possidentes* 2.Cor.6. Hæc enim cælum suspicit, imo in eo sedet. Affert D. Chrysostomum *homil.*47. *in Matth.*

Respondet secundò, loqui de veteris testamenti statu, vbi homines, vt plurimum imperfecti, maximas benedictiones æstimabant in terra fluente lacte, & melle, vt ait Chrysost. *homil.*18. *in epist. ad Heb.* & Ambros. *serm.*8. *in Psalm.*118.

Obiicivnt secundò: mendicitas indicitur solùm in pœnam culparum, Psalm. 108. *Nutantes transferantur filij eius, & mendicent*, & Psalm. 36. *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem*, Psalm.33. *Non est inopia timentibus eum*, Eccles.40. *Melius est mori, quam indigere.*

Respondet S. Doctor inopiam bonorum 31
spiritualium, & inuoluntariam, esse pœnam.

Ad secundum locum ait è Glossa, iustos non egere spiritualibus ferculis, sanè multi iusti mendicarunt. Elias 3. *Reg.* 17. Dauid 1. *Reg.* 21. Lazarus, *Lucæ* 16. Itaque de spirituali id refectione explicant Hieronymus, & Augustinus.

Respondet secundò Bellarminus, *cap.* 46. Titelmanum allegans, illud (*derelictum*) referri etiam

ad

ad semen quærens panem. Ità sensus est: Non vidi iustum, neque filios eius, quærentes etiam panem, à Deo derelictos. Satius erat ei dicere eam responsionem esse D. Bonauenturæ, è quo omnia alia excerpsit, vt patet legenti.

32 Addit S.Doctor, id verum esse de anxia sollicitudine audi, quæ iustis non conuenit. Vnde in Hebræo est verbum *in Piel.* בקש ם quod significat sollicitè quæritare.

AD tertium dicit, loqui de egestate spirituali, de qua subdit: *Diuites eguerunt, & esurierunt.*

AD quartum respondet è Glossa, intelligi de egentibus bonorum spiritualium, qualis erat ille Apocalypsis.

OBIICIVNT tertiò: opes moderatæ ad vitam conferunt perfectam, Eccli.7. *Vtilior est sapientia cum diuitiis.*

33 RESPONDET, nil melius esse pauperi sapienti quàm ea, quæ sunt æternæ vitæ; diuitem verò insipientem sexcentis obnoxium esse malis, ideò meliorem esse diuitem cum sapientia iuncta diuitiis; sic enim non hæret illis, sed fit spiritu pauper. Ità sensus est; *vtilior est sapientia*, id est, si cùm diuitiis coniungitur, potiùs quàm si eâ careat: Vel vtilior, quatenus docet eas expendere in salutem. Ità D.Bonauent. *respons.4.cap.3. in Apologia.*

QVOD verò exponit Bellarminus ex Hebræo: *Bona est sapientia cum diuitiis*, quia sine ea malæ sunt, non quia sine illis ipsa sit mala; & ita demit comparatiuum, parum facit.

OBIICIVNT quartò. Act.20. *Beatius est dare, quam accipere.* Vnde Aristoteles 1. *Eth. cap. 8.* ait, opes esse necessarias ad fœlicitatem.

34 RESPONDET S. Doctor, beatius esse dare eleemosynam, quàm accipere ex necessitate: at beatius est accipere mendicando amore Dei, quàm dare: illud enim addit statum perfectionis. Ità exponit cum D. August. *de Eccl. dogm. cap. 71.* seu Gennad. apud D. August. qui id docet *lib. de bono coniug. cap. 8.* Aristoteles verò loquitur de humana fœlicitate.

OBIICIVNT quintò, Lucæ 11. *Vendite quæ possidetis, &c.* vbi ait Glossa: *Vt labore viuatis.*

RESPONDET S. Doctor esse consilium, & sanè alternatiuum, vnde subdit: *Vel faciatis eleemosynam.* Porrò laborem suadet non occupatis in maiori opere.

OBIICIVNT sextò: Vrbanus Papa 12.*quæst.*1. *cap.Videntes*, iubet Episcopos prouidere agentibus vitam communem, vt nemo egenus sit.

35 RESPONDET S. Bonauent. decretum non esse ad egenos, sed ad Episcopos. Vnde sicut lex Deuter.15. *Non erit omninò indigens, & mendicus inter vos*, non est data contra mendicitatem pauperum, sed contra diuitum tenacitatem, vt patet, nam *eo cap.* subditur: *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: Idcircò ego præcipio tibi, vt aperias manum &c.* ita & in casu isto. Hæc expositio à Bellarmino adscribitur D. Thomæ.

ADDIT ibi iubei Clericos, ne proprium possideant: & adiungitur, vt adiuuentur; esto habere valeant in communi; attamen & professionem nil habendi in communi docet approbatam esse à Summis Pontificibus, Innoc. Honorio, & Gregorio *cap.Nimis praua de excessibus prel.* Vtramque verò laudat Nicol. III. *cap. Exiit.*

36 OBIICIVNT septimò prohiberi *in Cod.* mendicationes.

RESPONDET S. Doctor legem loqui de quibusdam sanis, validis, & otiosis, inutilibus Reipubl. non pauperibus Euangelicis, qui non otiosè, sed ad bonum Reipublicæ, & Ecclesiæ operantur.

OBIICIVNT octauò, esse vitium Giezitarum accipere corporalia pro spiritualibus.

RESPONDET S. Doctor, hos non dare spiritualia pro victu, sed postulare victum, vt valeant vitam insumere ad aliorum salutem.

OBIICIVNT nonò: Sancti Patriarchæ veteres, Basilius, Benedictus, Augustinus, Hieronymus, & alij, habebant bona in communi, nec mendicasse leguntur. 37

RESPONDET amplè S. Doctor *ad* 10. magnâ Deum prouidentiâ hoc tempore misisse B. Franciscum ad Ecclesiam, vitâ Apostolicâ ædificandam, cùm homines iam in charitate frigescentes, à semitis Christi declinarent: Ideò visum vestigia Christi renouantem, vt legitur in Chronicis. Veneratur, & meritò, reliquos Patriarchas. Sic *quæst. 4. in Regulam.*

NEQVE pauet negantes, Christum fuisse mendicum, atque dicentes, petiisse ex vrbanitate; neque etiam ad imitationem hæc peregisse. Hæc enim ostendit exhibuisse imitanda, eumque seriò emendicasse. Vide S. Doctorem. 38

EX his deducit posse Religiosos viuere ex eleemosynis; nam illæ debentur Religiosis ex legantium voluntate, ex necessitate pro Christo assumpta, & ministeriis pro populo susceptis, vt ait etiam D.Thom. *quæst.*186. *art.*4.

PER accidens verò eis essent eleemosynæ illicitæ, si à suo debito aberrarent. & hoc esse lethale ait Caietan. si ex contemptu beneficij eleemosynarum abstinerent à suo officio. Vide etiam Valentiam *quæst.5. puncto 3.* Hos vocabat S. P. Franciscus fures. 39

ADDIT D. Thom. *in corpore* cum D. Bonau. *in argumentis*; si licet recipere possessiones, amplat multò magis posse necessaria ad victum. Cur autem ampliùs nunc quæratur, Vide S.Doctorem *quæst.14.cont. hostes Religionis; & quæst.8.in Regulam.*

QVÆSTIO IV.

An Religiosi, ob Paupertatem, vilibus indui debeant.

{D.Thom. quæst.187. art.7. & opusc.19.

ASSERO, licere vti habitu rudi, imò id conuenire. Ità D.Bonau. *in cap.2. Reg.* & *p.p. speculi discipl. ad nouitias, cap.25.* Hoc sanè ad paupertatem, humilitatem, pœnitentiam, & rerum mundanarum contemptum confert. Hæc latè prosequitur Vuald. *lib.3.doctr.fidei, cap.27.* Habitum sanè singuli ordines obtinent peculiarem ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, & traditione, vt constat è D.Dionys. *cap.6.Eccl. Hier.* è Conciliis, Gangr. ad calcem, Aurel.V.*cap.19.* Carth.IV. *cap.11. & 104.* Tolet.VI. *cap.6.* Tol. X. *cap.4.5.6.* Sexta Synod. Genet. *cap.42.* & imponitur excommunicatio temerè habitum dimittenti, *cap. vt periculosa, tit. Ne Clerici, vel Monach. lib. 6.* Vide Caiet. *V.Excom. cap.63.* Valentiam *d.10.quæst.5. puncto 4.* 40

ASSERO, vilitatem habitus conuenire Religiosis. 41

PROBATVR à D. Bonauent. primò. Habitus indicat statum personæ, Eccli. 19. *Amictus hominis annunciat de eo*, debet autem Religiosus discerni à sæcularibus delicatis. Sanè *qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt.* Matth.11.

Compositionam habitus disce in S. Doctore.

Inivngit porrò, ne habitu absque necessitate, etiam ad modicum tempus exuamur.

Vetitvm est sub excommunicatione ipso facto, habitum deponere temerè *cap. Vt periculosa, cit.*

42 Advertà eam incurri è temeritate, si absque causa deponitur, & alius assumitur ad apostasiam, vel alterum adhibendo intra ordinem, tempore tanto, vt possit dici deposuisse. Vide Politium *in cap.* 2. *Reg.* vbi addit non incurri excom. ab eo, qui ad fornicandum exueret, nisi alium indueret, vt abiret incognitus. Sic,& Nauar. *Man. cap.* 27. *num.* 131. Syluest. *V. Excom.* 9. *num.* 24. is tamen lethaliter peccatet. Debet habitus extrà gestari pareos, ex Trident. *sess.*25. *cap.*11. Rodrig. *tom.*1. *qq. quæst.*30. *art.*2. Debet etiam noctè gestari *cap. Sanctimon. d.*23. Vide & Sanctem. *ad cap.* 2. *Regulæ.*

43 D. Bonaventvra opusculum aliud edidit de sandaliis, vbi ostendit, hæc à temporibus nascentis Ecclesiæ gestata fuisse etiam ab ipsis Apostulis. Eum perlege.

QVÆSTIO V.

An Religiosa victûs austeritas debeatur Paupertati.

44 Diserte Religiosas abstinentias, & austeritates edisserit S. Doctor *c.*2.*&* 3. *Responsionis secunda in Apologia Pauperum.* Eas calumniis, & dicteriis insectantur sectarij.

Assero, austeritatem Religiosos decète.

Probatvr à S. Doctore primò, ex *Luca* 1. vbi, Ioannes prænunciatur inde magnus : *Erit enim magnus ; vinum , & siceram non bibet.* Et edebat locustas, vestitus cilicio.

Deinde ex 1. *Cor.* 9. vbi Paulus : *Castigo corpus meum , &c. Omnis qui in agone contendit , ab omnibus se abstinet.*

45 Tertiò ex austeritatibus Sanctorum veterum. Vide ibi præclara.

QVÆSTIO VI.

Quomodo violetur Paupertas.

Innvmeri casus sunt hîc definiendi, ideò latius de hac quæstione differendum.

46 Nota primò, ex dictis *quæst.* 1. ex obligatione voto inducta colligi, quibus modis violetur. Votum igitur Paupertatis expoliat omni dominio, & vsu independenti à libera voluntate Superioris. Quare omnitò dominium aliquod vsurpans, vel vsum independenter à voluntate Superioris, erit Paupertatis temeratæ reus.

Nota secundò, duobus modis voluntatem superioris concedere alicuius rei dispositionem, primò expressè, secundò tacitè, seu interpretatiuè, vt do-

47 cet D. Bonauent. *in Apologia Pauperum , cap.*3. *quarta responsionis.* Voluntas expressa est, cùm Superior expressè dat facultatem verbo, scripto, vel nutibus. Voluntas tacita interpretatiua, seu præsumpta est, qua superior sciens, & potens obstare, liberè permittit aliquid, idque ideò possumus agere, interpretantes Superioris voluntatem, quam moraliter præsumimus non renitentem, & si sciret hoc agi, non teneret, aut prætenderet expressam postulari facultatem. Idque è consuetudine potissimum inuectum est, hæc agendi absque petita facultate, vt notat D. Bonau. *in opusculis allatis*, & Bassæus *V. Paupertas , num.*3. Colligitur etiam è circumstantiis superioris, si sit disertus, si lenis, si amicus. E circumstantiis etiam subditi, si probus, & grauis sit : Ex rebus ipsis, si studiosæ, si vtiles sint Religioni, &c.

Observat autem Faustus *in thesauro , lib.* 8. 48 *quæst.* 162. ac Bassæus *loc. cit.* & Rodrig. *part.*3. *de Voto Paupertatis*, oculatè obseruandam Religionem, in qua hæc fiunt; quod enim in hac erit veniale, aut à culpa immune ; in alia erit lethale. Obseruandæ sunt autem consuetudines : An sint à timoratis inuectæ, & seruatæ ; an potius sint corruptelæ, & abusus è laxiorum moribus in Religionem serpentes, quas tulerent Prælati pro bono pacis, ne seditiones conciteniur. Non sanè hæ facultates habent rationem priuilegij *ad instar*, vt per communicationem omnibus dentur, ac diffundantur ; quamuis enim omnes Paupertatem voueant, alij tamen vouent aliis arctiorem, vt ostendi *q.*2. & vbi est æqualis sponsio, non est æqualis obseruantia.

Igitvr contra votum Paupertatis peccat Re- 49 ligiosus, si rem quampiam, seu Religionis, seu extra aduenientem absque superioris consensu tacito, vel expresso accipiat, retineat, absumat, permutet, aut donet : Azor. *tom.*1. *lib.*12. *cap.*12. Valent. *d.*10. *quæst.* 4. *puncto* 3. Sanchez *lib.*7. *moral. cap.*19. Less. *lib.* 2. *cap.*1. *num.* 78. Bassæus *num.* 2. Arag. cum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 35. *art.*8. Diana *de Pauper. resol.* 31. *part.*1. Laym. *lib.* 4. *tract.*5. *cap.*7. Sanchez *lib.*7. *moral. cap.*18.

Probatvr è *primo notando*, quia promisit oppositum.

Deinde inter res consumptibiles sunt etiam 50 esculenta in graue damnum Religionis, quæ si extra accipiuntur, est contra Paupertatem ; si verò de Monasterio, erit & furtum. Hæ tamen non adeò subtili lance sunt accipienda, vt si quis, etiam cum sodali, de his frequenter edendo absumat, fit lethale (excipe si graue damnum inferretur.) Ita Suarez *Tom.* 3. *de Relig. lib.*8. *cap.*11. *num.*41. Addit Tannerus 2. 2. *d.*7. *quæst.* 3. *d.* 4. *num.* 106. Nulla etiam Prælati seueritas eiusmodi acceptiones, quò ad substantiam rei accepta, iniquas reddere potest. Subscribit Caramuel *d.*60. *num.*888.

Restringa tamen, si Religio esset pauper, vt 51 ait Bathol. à S. Fausto *in thes. lib.*8. *quæst.*150. Saytus *lib.*9. *cap.*16. *num.*10. Bassæus *num.* 3.

Quæ quantitas verò ad lethale requiratur, non determinat Diana *prima part. de Pauper. resol.*30. nec Faustus, nec Saytus, neque etiam Bassæus.

Prætereà sunt pensitanda multa, vt qualitas rerum, penuria, vel abundantia, vt notat Bassæus cum Caramuele.

Qværes : an detur in proprietate paruitas materiæ, pura uboli.

Aliqvi visi sunt negare, & adducuntur DD. Benedictus, Hieronymus, Bonauentura, Antonius, & Cassianos, apud Faustum *in thesauro, lib.*8. *quæst.*187.

Male adducitur S. Doctor ; nam ad *cap.*6. *Re-* 52 *gula* in ea verba : *Fratres nihil sibi approprient* ; è quibus aliqui deducunt, prohiberi sub pœna proprietatis, ne minimam quamque rem supra nihil sibi adsciscant, vt refert Sanctes, inter quos ponunt D. Bonauenturam ; ostendit autem S. Doctor hanc expositionem falsam esse, quia subditur : *Neque domum , neque locum , nec aliam rem* , infe-

rens excludi non modò pecuniam, de qua suprà; sed etiam alia rerum genera sub graui reatu, non singula vsque ad nihil generum. Neque Sancti Patres aliud volunt, aut appropriationem rei minutæ esse proprietatem, sed ex paruitate materiæ leuem sciebant prudentis viri non esse altius præceptum hoc præcepto naturali non furandi, in quo paruitas materiæ admittitur.

53 SVMMAM igitur grauem exigunt ad mortale, eamque determinari, quæ ad constituendum furtum filiorum graue ostendi, *disput. de furto.*

DE hac re Diana *part. 1. de Pauper. resol.* 36. vbi ait, quot capita, tot esse sententias, Rodr. *tom.* 4. *cap.* 118. ponit duos aureos; eam docuit Soto *de iust. lib.* 4. *quæst.* 3. *ad* 3. & probabilem censuit Aragon. 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 6.

CANADO *de Paupertate Relig. dub.* 25. cum Ledesm. *additione ad sum. tom.* 2. *cap.* 4. ponit *ocho o nueue reales* 6. *valor delles.*

54 MANDOAA *quæst.* 8. *de Pauper.* duos ponit argenteos, qui sunt octo reales.

IOANNES DE LA CRVZ *de stat. Relig. lib.* 1. *cap.* 3. *d.* 5. & Sanchez *sum. tom* 3. *lib.* 7. *cap.* 20. ponunt quatuor argenteos, nempe 16. Reales. Sic & Faustus *in thes. lib.* 8. *quæst.* 193. qui addit in Religionibus ditissimis tres argenteos; in mediocribus duos; in pauperculis vnum; subscribit Diana.

MIRANDA in Man. *tom.* 1. *quæst.* 28. *art.* 17. docet hoc mensurandum pro religionis, personarum, loci, & temporis varietate, iudicio prudentis viri. Subscribit Bassæus *V. furtum* 2. *num.* 6. Hæc mihi probatur.

HÆC est sententia D. Bonauent. *in speculo animæ, cap.* 2. §. *Circa furtum*, vbi quantitatem non vult determinare, sed è circumstantiis variam eam esse ostendit

55 MONET tamen Bassæus *V. Paupertas* 3. posse esse furti materiam grauem ex damno, puta instrumenti ad lucrum, *verbi gratia*, acus, nec tamen fore grauem in ratione proprietatis; sicut potest esse proprietas grauis, puta aurei, non tamen in genere furti erit grauis, puta, si Regi sit ablatum.

QVANDO autem plura furtula faciant vnum graue, satis docui *disput. de furto.*

EX primò fundamento babes etiam non posse religiosum pecuniam sibi ad vnum vsum præcisè à superiore destinatam, ad alium vsum vsurpare, Less. *lib.* 2. *cap.* 41. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 7. Sanch. *lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 115. Faust. *lib.* 8. *quæst.* 101. Rodrig. *tom.* 3. *qq. reg. quæst.* 29. *art.* 10. Bassæus *num.* 5.

56 HABES etiam violari paupertatem, si accipiat, vel retineat ea, quæ extra sunt data, *cap. ad Monasterium, de statu Monach.* Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *d.* 140. Quidquid enim acquirit Religiosus, Monasterio acquirit, si capax sit. Et si Religiosus è contractu, vel delicto, Monasterium non inducat ad obligationem *cap. Quod quibusdam de fideiusso.* Excipe, si compromiserit, vel commodum hauserit.

VIOLAAIT paupertatem etiam abscondens à Prælato rem aliquam, etiam si à præcedenti Prælato licentiam haberet. Item, qui murmurat voluntate renitens, si res à Prælato auferatur, ità Less. *cit. num.* 79. Sanchez *cit. cap.* 19. *num.* 60. Syluest. *V. Relig.* 6. *quæsit.* 7. Layman. *cit. cap.* 7. *n.* 8. Faust. *lib.* 8. *quæst.* 126. Rodrig. *cit. art.* 10. *&* 12. Petr. Nauarr. *lib.* 3. *de rest. cap.* 1. *num.* 174. *&* 179. Bassæus *num.* 7.

57 VIOLAAIT eam etiam Oeconomus dispertiens contra suam ministrationem. Ità D.Thom. *quæst.* 32. *art.* 8. Molin. *tom.* 2. *d.* 276. Syluest. ad D. Thomam.

SIMILITER Prælatus res Monasterij malè 58 dispertiens, *cap. Fraternitatem de donat.* Sanchez *cit. cap.* 19. *num.* 30. Graff. *part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 133. Bass. *num.* 8. qui varios tamen casus numerat, quibus licet Religioso dare eleemosynam, superiore inconsulto. Eo autem inuito, potest eam largiri in extrema necessitate. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 8. *ad* 1.

DVBITATIO I.

An Prælati possint Religiosis concedere annuum peculium.

IRREVOCABILEM sanè rerum vsum nequit 59 superior concedere, vt monent DD. apud Bassæum *num.* 19.

IVRE quidem antiquo erat concessum ex causa reuocabiliter ad determinatas necessitates, ità verò, vt in manu Officialis conuentus sit, cui indiuiduam necessitatem exponat, accipiatque moderatè, sitque peculium illud incorporatum bonis Monasterij; Rodrig. *tom.* 2. *cap.* 33. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 9. *quæsito* 1. Sanch. *lib.* 7. *cap.* 19. etsi alij apud illum è regione stent; non enim is aliquid sibi appropriat.

NEQVE id reuocat Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 2. 60 sed solùm declarat ius antiquum, vt patet legenti, & docent plurimi cum Sanchez *lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 11. Diana *part.* 1. *tract. de pauper. resol.* 32. Tametsi alij oppositum doceant apud relatos, & Bassæum *num.* 10. inter quos Rodrig. *tom.* 3. *qq. quæst.* 27. *art.* 10. Less. *lib.* 2. *cap.* 4 *num.* 30. Molin. *tom.* 2. *d.* 276. Valent. *d.* 10. *quæst.* 4 *puncto.* 3.

NON video sanè remanente peculio cum allatis cautionibus, qua scateat proprietatis labe, manente vsu facti ad singulares necessitates subleuandas in manu officialis. Vide etiam Faustum *in thes. l.* 8. *quæst.* 30.

CAVEANT verò Religiosi ne peculium ad in- 61 digentias apprimè concessum, in actibus turpibus dilapident: hi enim contra paupertatem agunt, & restitutioni sunt obnoxij: tametsi Diana multos trahens, pauens tamen, laxè concedat *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 65. & *part.* 2. *tract.* 15. *resol.* 54. Nec rectius docet Bordonus *in cons. reg. resol.* 53. *quæst.* 17. licentiam expressam insumendi pecuniam in vsus illicitos excusare à proprietate, & restitutione.

DVBITATIO II.

An Religiosus superioris licentiâ habens superflua, sit proprietarius.

{ D.Bonau. ad cap. 2. Reg. & alios ll.

CERTVM est, & superiorem concedentem, & 62 Religiosum habentem, lethalis esse reos, ex Conc. Trid. *sess.* 25. *cap.* 2. & sacra Congr. apud Quarant. *V. Casus reseruatus*, & Clementina apud Nauarr. *Com.* 4. *de Regul. num.* 27.

AN verò proprietarius sit contra Paupertatem; Arbitror hunc reum, non enim video cuius criminis alius reus sit, nisi proprietatis, cùm vtatur superfluis, contra voluntatem Pontificis, summi Patris, vt habetur in Conc. Trid. *loc. cit.* Ita Maior *in* 4. *d.* 38. *q.* 9. Petr. Nauar. *lib.* 3. *de Restit. cap.* 1. *d.* 2. *n.* 168. Graff. 2. *p. lib.* 5. *cap.* 19. Bassæus

Bassæus *num.*12. vbi rerum superfluitatem exponit cum D. Bernardo *in Apel. ad Gulielm.* & *in ep. ad fratres de monte Dei* & *serm.*4. *Aduentus.*

63 Optimè disserit S. Bonauent. *ad c.*2.*Reg.*in ea verba: *Vestimentis vilibus induantur.*

Superfluitatem in rebus, maximè pompam in ædificijs, damnat S.Doctor *q* 6.*in Regulam*, vbi hos contra paupertatem grauiter agere ait. Insuper, eos scandali, & aliorum peccatorum reos clamat.

In *Apol. pauperum, responsionis* 2. *c.*2. & 3. reprehendit grauiter superfluitatem victus; Pressius *c.* 3.*respons.*3. Grauiter verò *cap.*2.*respons.*3. Eluit, quæ aduersarius quidam opponit è diuitiis antiquorum Leuitarum, è templi Salomonis Augusti pompa, vt paupertatem Euangelicam euertat. Et *cap.*3. penuriosam approbat paupertatem. Eadem confirmat, *c.*4. & in Epistolis ad Ministros.

64 Hæc oporteret transcribere nullo mutato iota. Sed obsecro affluentem S. Doctoris sapientiam percurrite, & ebibite. Sanè admiror Bassæum ad S. Bonauenturam, non remittere; imo neque ipsum nominare.

Prælatus è regione non ministrans necessaria subditis, cùm possit, & peculiis ansam exhibet, peccat grauiter. Ex D.Antonin. 3.*part.tit.*16.*c.*1.§.11. Siluest. V *Relig.*6.*q.*7. Sanchez *l.*7.*c.*21.*n.*26.Less.*l.*2.*c.*41.*dub.*5.Val.*disp.*10.*q.*4 *puncto* 2. Bass. *n.*13 Peccat etiam plures recipiens, quàm redditibus, vel eleëmosynis valeant sustentari, ut habes in Concilio Tridentino *sess.*25. *cap.*3. & *in Decrete de celebrat. Missa* sub Vrbano VIII.

5 Ea verò, quæ vitæ Religiosæ sunt necessaria, debent esse in communi. Vide S. Doctorem *opusculis adductis* cum D.Basil. *in Constit. Monach. c.*9. Chrysost. *homil.*58.*ad popul. Antiochenum.*

An Religiosus peccet accipiendo pro aliis eleemosynas.

Dvbitatio. III.

66 Dico, accipientem eleëmosynas pro pauperibus, siue consanguineis, siue alienis absque licentiâ, non peccare, Sanch. *de Matrimonio sess.*6. *disp.*4.*n.*7. & *lib.*7.*moral.c.*30.*num.*4.Layman *l.*4.*tr.*5.*c.*7.*num.*16. Caramuel *num.*887. *l.*8. Diana *p.*9. *de Pauper.resol.*8. & 29. Fagund.*prae.*1. *l.*8. *c.*6.*n.*18. Suarez *tract.*3 *de Relig.l.*8. *c.*11. *num.*45. Bassæus *num.*14. dummodo donationem, vel ius aliquod in se non assumat. Ità verò se habebit, vt intercessor, nil Paupertatem suam lędendo.

67 Talis potest in deposito, latè sumpto, absque obligatione seruandi, aliquas res recipere, & si moriatur, non illicò priuandus est sepultura. Vide Portel. V *sepult. num.*11. Hieron.Rodriguez *in comp. resolut.*138. *num.*20.

Excipit Bassæus minoritam, nisi circumstantiæ in contrarium occurrerent.

Si verò receperit in se pecuniæ ius, etiam in alios transferendam, peccat. Ità Turrianus 2.2. *disput.*84. *dub.*3. Layman *lib.*4.*tract.*5. *cap.*7. *num.*16. Faust. *in thes.l.*8.*quæst.*117.

Dvbitatio IV.

An stet Legatum Religioso, vt ad eum precisè pertineat.

Dico Testatoris intentionem benignè explicandam, & accipiendam, vt intelligat dispensari illud legatum modo licito *leg. Plenum,* §. *equity, ff. de vsu, & habitatione.* Et oportet dispositiones interpretari potius vt valeant, quàm vt pereant, vt monent DD.in Leg. *In contrahenda.ff.de reg.iuris.*Et Verborum perplexitas interpretanda est ex præsumpta disponentis voluntate *Leg.qui quadringenta.ff.ad leg.Falcidiam.* Vide Dianam *parte* 3. *tract.* 2. *resol.* 34. Bassæum *num.*19. 68

Potest ideò Legatum acquirere ad solos vsus Religioso concessos, ex licentia. Si tamen exprimat testator nolle Legatum nisi sub conditione, vt sit sub dominio Religiosi corruet; quia tunc primum locum voluntas obtinet. Vide Bassæum. 69

Qvæstio VII.

De Pœnis, & signis Proprietarij.

Primo, proprietarius in morte priuatur sacra sepultura, *cap. Monachi de statu Monach.* sepeliendus ergo est in sterquilinio cum pecunia. Quod si iam in loco sacro iacet, extrahendus. Secundò, *cap. cum ad Monasterium, de stat Monach.* decernitur, vt Proprietarius expellatur: Sed hoc non est in vsu; at carceri mancipatur ad Pœnitentiam. Tertia ex Conc.Trident. *sess.*25. priuetur biennio voce tam actiua, quàm passiua. Vide Sanch. *l.*7.*c.*20. Faust.*l.*8.*q.*158. 70

Primum autem, ac præcipuum proprietatis signum notatur *cap. Monachi*, si inueniatur Religiosus peculium possidere proprio nomine, vbi indicatur pro pœna, vt donec resipiscat, ab Altaris communione remoueatur, quippe reus, & sacrilegij contra votum, & furti, retinendo alienum.

Secvndvm signum, est rei occultatio; nam etiamsi ab initio cum præsumpta venia superioris res auferatur, si tamen posteà occultetur animo retinendi, & non cedendi eam prælato petenti, proprietatis vitium incurritur. Et hoc quidem verum est etiamsi cum expressa licentia res fuerit in particularem vsum alicuius Religiosi ascita; nam talis venia præsumitur concessa, ea tacita conditione, vt semper sit sub Dominio prælati; si talis sit Religio, vt possit possidere in communi. 71

Hinc nonnulli magnum proprietaris indicium indeeliciunt, quod quis rem aliquam claui obseratam habeat absque superioris licentia, etiamsi rem ipsam cum hac licentia nactus sit; qui modus hic arguit mentis, & affectus tenacitatem ad rem non suam; præterea in proprietariæ possessionis signum in lege ciuili solet tradi clauis *leg. clauibus ff. de contrahend. empt.* propter has rationes huic sententiæ ortum, & originem dedisse censentur Aluarus Pelag. *lib.* 2. *de planctu Ecclesiæ*, *cap.*67. Corduba *in expositione Regulæ*, *cap.*6. *quæst.* 9. & Serena Conscientia *quæst.*81. Et sanè antiquis patribus planè perosum erat rem aliquam claui obserare, vt habet Cassianus *lib.*4.*c.*15.*de instit.*

Verùm certum est, in se clauem non proprietatis, 72

sed

sed custodiæ signum esse, vt benè notat Suarez *lib.8. de paupertate, cap.* 12. vndè in tantùm proprietatem indicat, in quantum rem aliquam communi vsui absque superioris licentia, præsumptâ vel expressa, subtrahit, & occultat, ita vt de ea nequeat superior disponere, vt varij arguunt Authores apud Suarez *loco citato*, qui mouet religionis consuetudini in hac re standum, sicut & superiorum permissionibus, qui id possunt vel inhibere, vel concedere;

73 An autem proprietatem arguat, rem aliquam obtinere cum irrationabili, seu iniusta superioris licentia; negat Suarez cum aliis, quos allegat; quia licèt talis venia malè concessa sit, cùm tamen non sit paupertatis dispensatio, sed concessio circa materiam paupertatis remotam, potest subditus licitè ea vti, & eò potiori iure, quod mentem semper paratam habeat rem talem ad nutum, & libitum superioris remittere.



DISPVTATIO V.

De Voto Castitatis.



INCORRVPTIBILE Castitatis Lilium, simul & puritatis odore fragrans, & cælestium ardore flagrans habes apud Seraphicum *in Dieta, tit.* 4. *cap.* 4. vbi spectatissimi huius floris niuea folia, & accensum crocum, aureis granis inter splendentem, incorporis pudicitiam, & mentis munditiam refundit; nisi enim diuino ardore mens intus succensa munderur, frustra foris in corpore pudicitia iactatur: Propter duplicem hanc puritatem cordis, & carnis, Castitas horto concluso, ac fonti signato *in Canticis* comparatur, vt *loco citato*, norat S. Doctor; nam sicut in hortum benè clausum nihil, nisi de alto intrat, ita in castam animam non nisi desuper è Cælo patet ingressus: Hæc autem animæ clausura claustrali Castitate præcipuè obtinetur, Agam igitur hic de hac præstantissima cælicæ sponsæ dote, quatenus Voto consecratur; inferius verò, vbi de temperantia, eam, vt virtutem, voluptatis circa tactum moderatiuam, expendam. Hic etiam quædam de obseruantia Claustri, quæ Castitatis est custodia, adiungam.

QVÆSTIO I.

Quæ differentia sit inter castitatem Claustralem, & Clericalem.

{ D. Bonau. dist 37. art. 1. quæst 2.

PRIMA sententia est quorundam Theologorum, & omnium ferè Canonistarum, quos refert Suarez *lib. 9. de voto castit.* cum Sancio *lib. 7. disp.* 27. eam esse differentiam inter castitatem, quam profitentur Clerici, & Religiosi; vt horum obligatio sit ex vi voti, illorum verò ex virtute sola statuti Ecclesiastici. 1

SECVNDA sententia est D. Bonauenturæ, & quotquot *in 37. dist. sententiarum* scripserunt Ecclesiasticorum Castitatem in eo differre ab ea, quæ solemniter in Claustris vouetur, quod prior sit simul ratione statuti, & voti impliciti; posterior verò oriatur ex voto solùm explicito: Huic sententiæ subscribit Suarez *loco citato*, Azor. *tom* 1. *lib.* 7. *cap.* 12. *quæstio* 6. Vasquez *tom.* 3. *in* 3. *partem*, *disp.* 246. *cap.* 3. Sanclus *loc. cit.* quibus adijce alios, apud hos passim relatos.

ASSERO cum hac sententia, in eo differre Religiosam castitatem ab Ecclesiastica, quod hæc habuit ortum ex Ecclesiæ statuto, sed iam obligationem contrahit, & ex voto, & ex Ecclesiæ præcepto: Religiosa verò Castitas ex solemni, & expressa professione ortum quoque & profectum habet. 2

PROBATVR à Sancto Doctore hîc *in corpore, & in dubiis litt.* ratione efficaci, quam cæteri huius sententiæ proferunt: Qui suscipit Religionis habitum absque vlteriori promissione expressa, implicitè vouet castitatem, quæ tali habitui est annexa; ergo qui suscipit ordinem Clericalem, cui ex præcepto annexa est perpetua continentia, implicitè eam vouet.

PROBATVR secundò à S. Bonauent. vbi interuenit spontanea promissio, & superioris præceptum, ibi inuenitur duplex obligatio voti, & statuti; Sed in continentia clericorum est spontanea promissio, & præceptum. Minor probatur à D. Bonauent. *fundam.* 3. vbi refert è Gregorio, vt habetur in littera: *Nullum Subdiaconum facere præsumant Episcopi, nisi qui promisit se castè victurum*: Ergo infert S. Doctor, qui se promittit in manu Episcopi, continentiam vouet: Hinc antiquitus non promouebantur ad sacros Ordines, nisi qui interrogati de seruanda castitate, eam promitterent, vt patet è Concilio Arelatensi 11. *cap.* 2. Toletano 11. *cap.* 1. Arausicano I. *can.* 22. 4

PRÆTEREA in Clerico, violatio Castitatis habet sacrilegij malitiam, non præcisè ratione Ordinis; aliàs Præsbyteri Ecclesiæ Orientalis toties essent sacrilegi, quoties ad vxores accederent, quod improbat S. Bonauent hîc *in corpore*; cùm licitè eis vtantur; non etiam præcisè ratione præcepti, quia sic committitur tantùm inobedientia: Ergo hæc malitia est ratione Voti.

ADDE, multos Canones loqui de solemnizatione voti per susceptionem Ordinis, vt post S. Doctorem *in corpore* notat Suarez *loco citato*, *cap.* 17. *num.* 4. vt patet *ex cap. vnico de voto, in* 6. vbi duplex votum solemne recensetur, scilicet vnum Ordinis; aliud Professionis. 4

HINC habes in re nullam esse differentiam inter Castitatem Clericorum, & Religiosorum, nisi quod illi

illi eam voueant implicitè, & ex annexione; hi verò expressè, & principali quadam intentione.

5 Est tamen vna notabilis differentia, quòd à principio Ecclesiæ, Castitatis religiosæ votum non solùm matrimonium contrahendum impediit, sed contractum diremit; non sic Castitas Ordini sacro annexa, vt probat Bellarminus *loco cit.* cum Suarez citando.

Item quod tantæ sit virtutis Religiosa Castitas, vt dum vouetur, ratùm matrimonium dissoluat; non sic Castitas Ordinis sacri, nec etiam ipsius Episcopatus; vt patet in *Extrauag. vnica, de voto* apud Ioan. XXII. vt etiam habent omnes Theologi cum D. Bonauent. *in 4. dist.* 27. Ratio huius differentiæ principaliter elucet ex voluntate Ecclesiæ, quæ vti vnum, ita & alterum potuit determinare, & eo potiori iure, quod status Clericalis, saltem in Episcopatu, perfectior sit professione Monachali.

Svnt tamen plures congruentiæ cur Castitas, quam quis vouet in sacris Ordinibus, non sit tantæ efficaciæ, vt est in Religione, ad dissoluendum matrimonium ratum, & non consummatum. Prima sumitur ex repugnantia status Religiosi cum vsu matrimonij; quippe qui mortuum sæculo facit sui professorem: Non sic status Ecclesiasticus.

6 Secvnda sumitur ex perpetua tendentia Religiosi ad perfectionem, quæ nimis retardaretur vsu vxoris. Ordo autem, licèt ob reuerentiam sibi debitam exigat separationem ab actibus carnalibus, non ponit tamen per se hominem in vià, & tendentia ad perfectionis statum; ideò non decuit, vt vinculum rati matrimonij solueret, & licèt Episcopatus sit in ipso culmine perfectionis exercenda, & aquisitæ, cum tamen ex se non præscribat media ad perfectionem acquirendam, sed solùm exercendam; hinc est vt virtutem non habeat in præiudicium rati connubij castitatem vouere; adde quod in Episcopali, seu Sacerdotali ordinatione mors nulla ciuilis per abdicationem propriæ voluntatis interuenit.

Svnt & aliæ plures differentiæ accidentales in modis, & mediis, quibus vtriusque status Castitas intemerata conseruatur, quæ praxi patent.

QVÆSTIO II.

A quo tempore cæpit votum Castitatis solemne, subsequens matrimonium dirimere.

7 Qvi inhabilitatem ad matrimonium contrahendum deducunt ex ipsa natura voti solemnis, quo totus homo ità alienatur à se ipso, & diuinis obsequiis deuouetur, vt nihil possit circa matrimonium, ostendunt parem esse antiquitatem huius dirimentis impedimenti, ac ipsius status Religiosi. Ità Sotus *de Iustitia, lib.7.quæst.2. art.3.* vbi sentit non esse verè Religiosum, cuius Castitatis dispensanda ratio stet penes Summum Pontificem; ita vt ab hoc statu excludat Milites S. Ioannis, obseruantes quippe Cælibatum ex speciali Pontificis Constitutione, non ex vi voti.

Vervm quicquid sit de hac opinione, quam suprà, vbi de dispensatione voti, discussimus.

8 Altera sententia est à tempore tantùm Innocentiæ II. qui Pontificatum obtinuit anno 1140. hoc votum constanter matrimonium diremisse, ante verò solùm contrahendum impediuisse; ita refert Suarez *cap.21.* vbi varios patres, & conciliorum affert decreta, in speciem huic adstipulantia.

Assero tamen à tempore immemorabili, ac proinde ab ipsius Ecclesiæ principio votum hoc habuisse vim matrimonium subsequens dirimendi.

Probatvr è variis Conciliis, & Patribus, quos referam *tomo 7. tract. vlt. disp. 7. quæst. 7.* qui quidem Patres, & Concilia extiterunt ante Innocentium II. & signatim Innocentius primus, qui *cap.12. & 13. epist. 2.* memorat, solemnis professionis voto matrimonium subsequens irritum iri.

Probatvr secundò, quia non aliunde colligitur aduersa sententia, quam ex textu quodam In- 9
nocentij II. qui sic legitur: *Huiusmodi autem copulationem, quam contra Ecclesiasticam Regulam constat esse contractam, matrimonia non esse censemus.* Sed ex hoc textu malè colligitur: Ergo. Minor probatur. Quia vbi in aliqua lege adhibetur verbum declaratiuum, non censetur noua aliqua constitutio, sed veteris vel declaratio, vel renouatio: Sed in illo textu adhibetur tantùm verbum declaratiuum; verbi gratia, *Censemus* ergo.

Nec impedit, quod vox *Censeo* apud Glossam *in Clement. 1. dec conceß. preb.* nouum ius insinuet; & etiam *lege censere ff. de verborum signif.* idem indicat ac *præcipio.* Nam in priori loco non vrget instantia; quia significat quidem nouum ius, quod supponit vetus extinctum; & sic potest declarare illud denuò reuiuiscere, ac proinde de nouo constituere.

Qvod autem in lege ciuili *Censeo* significet 10
idem ac *præcipio*; non potest vlla consequentia trahi ad ius canonicum, in quo proprietas & simplicitas verborum magis obseruatur: Propriè autem *Censeo* apud Ciceronem, & alios Latinæ linguæ peritos, denotat *arbitrari*, vel *indicare*: Præterea vrgeo validam illam D. Augustini Authoritatem: *Quod vniuersa tenet Ecclesia nec vllo Concilio habetur institutum, ab Apostolica traditione deriuatum creditur*; Ita habetur *lib.4. de Baptismo, cap.24.* sed nec vestigium quidem habetur in vllo Concilio, in quo primò hæc Castitas dirimat matrimonium ex institutione Ecclesiastica; ergo credendum est id ab ipsis Apostolis deriuatum esse: Quod autem semper hoc Ecclesia crediderit, & tenuerit patet è Concilio Trident. *sess. 24. can. 9.* de hoc dicente, quod *semper retentum est.*

Nec credibile est, Patres, qui tanta seueritate 11
castitatem coluerant, vsque ad Innocentium II. potuisse inditemptum matrimonium votis obstrictos celebrare, aut tantam eius excellentiam ignorasse: Confirmatur è D. Basilio *lib. de vera virgine*, vbi adulteria, & stupra improperat fœminis, post professionem Virginitatis nubentibus. Item è Chrysostomo *epistola 6. ad Theodorum*, vbi sic loquitur, *nam si mulier proprij corporis non habet potestatem, sed vir; multò magis, qui Christo tutius, quàm sibi viuunt, conditionem corporis sui habere non possunt*, quæ verba præclarè
ostendunt ante Chrysostomi tempora fuisse in vsu, 12
vt Castitatis professio nullam matrimonio viam relinqueret; & insuper quod ab ipso exordio status Religiosi id consuetum esset: nec dissentire huic vltimæ sententiæ mihi videtur S. Doctor, qui *dist. 37. art.1. quæst.2.* docet, sacrum Ordinem habere virtutem dirimendi matrimonium subsequens, tàm ratione voti, quàm obligatione status Ecclesiastici; vt quæstione præcedenti vidimus, quam differentiam non ita expressè indicasset, nisi intrinsecum esse voto indicasset, vt ab ipso instanti, quo solemniter emittitur omnimodam inhabilitatem ad matrimonium secum virtute propriâ trahat: oppositum tamen probabiliter ex ipsius mente indicabo *tomo 7. tract. vlt.* vbi de impedimentis matrimonij.

Nec objici potest, quod præfati Patres intellexerint

rint de voto simplici Castitatis, cuius violatio etiam in matrimonio valido potest appellari adulterium; quatenus fidem Christo datam alienat. Non inquam hoc opponi potest: Nam, vt aduertit Suarez, citatatos supra, D. Ambrosius, qui locutus est ad aliorum Patrum mentem, signanter, de voto solemni virginum intelligitur *cap. 5. ad virginem lapsam*, vbi sic habet: *Quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali coniuncta est viro*, vbi *sanctum velamen* denotat solemnem, & Religiosam Castitatem; non enim in voto simplici velamen interuenit; vt omnibus notum est.

Et quamuis nonnulli Patres, & Concilia, etiam antiqua, loquantur de matrimonio sacratum Virginum tantùm, tanquam illicito, non vt irrito, vt videre est in Conciliis, Toletano I. Arelatensi II. & 14 aliis apud Suarez *loco cit.* inde tamen nihil concluditur contra antiquitatem huius Castitatis, cùm illorum authoritates sint tantùm negatiuæ, non positiuæ: Præterea fieri potuit, vt primis sæculis, vigente, & luxuriante paganorum principum potestate, talia matrimonia tolerata sint; quod autem approbata sint; nusquam inuenitur.

QVÆSTIO III.

An solemniter vouens Castitatem, dissoluat matrimonium vel consummmatum, vel ratum, & quo iure, & tempore id fieri cœperit.

15 HÆRATICI, qui in extremis semper versantur, vtrinque solent Ecclesiam, virtutis medium tenentem, infestare: fuere enim nonnulli referente Bellarmino *lib. 2. de Monach. cap. 38.* qui & ratum matrimonium religiosæ castitatis voto non solui, & consummatum solui posse impertinenter somniarunt. Immeritò autem cum posteriorem errorem profitentibus inuoluitur Iustinianus *leg. vlt. Cod. de Episcop. & Clericis*, cum ea lex possit intelligi vel de sponsis de futuro, aut de matrimonio tantùm rato; nec ibi aliquid sonat, quod ad matrimonium consummatum legitimâ vllâ consequentiâ trahi queat.

CÆTERVM, cùm tota ferè hæc quæstio ad tractatum de Matrimonium pertineat, Priorem eius partem eò *quæst. 16.* remittam, vbi consummatum matrimonium omnimodè insolubile probabo: Alteram etiam partem *quæstione 15. ibidem* tractabo, vbi iure naturali, & diuino Castitatis Religiosæ professionem dirimere, seu potius ratum matrimonium soluere ostendam.

16 RESTAT itaque vnum hic examinandum, à quo scilicet tempore vsitatum sit in Ecclesia, vt votum Castitatis solemnis, & Religiosæ, tantæ sit virtutis, vt ratum soluat matrimonium. Hoc autem solùm constare potest, vel aliquo antiquitatis exemplo, vel alicuius Pontificis Decreto. Exempla plura habes apud Suarez *cap. 24.* sed ad rem parum deseruientia: Nam quòd D. Ioannes fuerit sponsus in nuptiis Galileæ, easque iam ratas repudiauerit, vt Christum sequeretur, non est credibile, cum tantùm leuibus coniecturis nitatur; & inde sequeretur, Christum eo iuisse potius ad nuptias damnandas, quàm suâ præsentiâ honestandas: Quod toti patrum catalogo, contra hæreticos disputantium, repugnat. Esto pro hoc D. Bonau. referat S. Hieronym. *4. dist. 27. art. 3. quæst. 2.* non enim assertiuè, sed disputatiuè loquitur.

NEC similiter vrgent exempla Iphigeniæ ab amplexibus Hittaci desciscentis, cùm non fuerit 17 matrimonium secutum, sed votum antecedens, quod sequendas nuptias impediuerat. Idem dic de D. Cecilia, voto simplici Castitatis obstrictâ; Diuino enim afflatu præuidit, matrimonium, cum Valeriano ineundum, profuturum solùm ad ipsius conuersionem, non autem proruptururum in carnalem aliquem actum: De Macario verò, & Alexio dici potest, quòd perfectioris vitæ studio, in Cælibatu, aut eremo, non in religione amplectendo, sponsas reliquerint: Non enim vsquam de ipsis legitur, quod vitam Religiosam sint professi.

NON tamen hinc absurdè colligitur, horum exempla posteros induxisse, vt rato matrimono nuncium remitterent, seque altioris perfectionis votis consecrarent; licet simpliciter ob maiorem perfectionem nequiat vnusquisque ad libitum ratis nuptiis valedicere; aliàs id liceret etiam propter studium simplicis cælibatus; cum tamen non liceat propter Episcopatum, qui in perfectionis apice cæteris supereminet.

SOLVM igitur ex rescripto Eusebij Pontificis habemus hunc morem esse antiquissimum, ita vt speciale tempus, quo cœperit, nullius memoriæ occurrat: Ait enim dictus Pontifex apud Gratianum cap. desponsatam, 27. quæst. 2. *Desponsatam puellam non licet parentibus alij viro tradere, licèt tamen sibi Monasterium eligere.* Hic autem Papa sedit ante annos 1300. quo tamen antiquiorem esse hanc consuetudinem, patet ex ipsius verbis: Non enim loquitur, vt de nouo statuens, sed iam prius statutum declarans, aliàs non diceret: *Licèt*, sed potius, *liceat*, vt subtiliter aduertit Suarez *cap. 24.* 18

ALIQVA suboriri potest difficultas, eò quod dicitur *desponsata*, quæ particula intelligi potest de sponsalibus pro futuro, non de matrimonio pro præsenti: Hoc tamen non vrget, si aduertatur ibi Pontificem, vnicum remedium à matrimonio desciscendi præscribere, vt puella Monasterium ingrediatur; quod si desponsata esset per verba de futuro, non esset tam arduum negotium, vt supremi Tribunalis iudicium exigeret, cum soluendis sponsalibus, aliis multis modis ex iusta causa subuentum sit.

ADDE, quòd perpetuo Doctorum consensu, & 19 longa consuetudine, quæ legum optimè interpretatur, ille textus de matrimonio rato explicetur, vt notat Suarez *num. 2.* vnde concludendum est iuxta regulam D. Augustini, notatam quæstione præcedenti, ab Apostolica traditione hanc ratum matrimonium dirimendi consuetudinem, votis Religionis annexam, ad nostra vsque tempora deriuatam esse.

QVÆSTIO IV.

Quo iure, & tempore cœperit Castitas Religiosa clausurâ obsignari.

HANC quæstionem pro parte discutit Caramuel 20 *in sua Theologia moral. epist. 34. art. 8.* Non est autem difficultas de perpetuam clausuram pro quarto voto promittentibus; pro illis enim militat quicquid de iure, quo vota obligent, supra diximus: Verum etiam pro Castitatem vouentibus, vbi clausura ex consuetudine obseruatur, idem ius proferri posse videtur; nam cum eadem lege præcipiantur media, & finis, & ex præcepto naturali, & diuino teneatur

quis suo voto stare, & cum clausura sit medium efficacissimum conseruandæ Castitatis, sequitur, clausuram pari iure obligare.

Qvod autem clausura sit valde efficax medium ad intemeratæ Castitatis votum profitendum, demonstrat optimè Seraphicus Doctor *de profectu Relig. lib.* 1. *cap.* 39. *& lib.* 2. *cap.* 54. Nam Alienatio, & separatio fœminarum à viris; & contubernalis castorum societas, quorum exemplo ad puritatem manuducitur, est remedium præsentissimum contra luxuriantis carnis illecebras: Hoc autem præstatur per clausuram, in qua nec tangendi, nec videndi occasio vlla obuiat, quibus præcipuè modis castitas temeratur; nam vt eximiè notat S. Doctor *lib.* 2. *citato*, Carbo, qui videtur extinctus, modica fauilla opertus, si tangatur, vrit, si verò solitarius relinquatur, tandem extinguitur, verùm si alteri adiungitur, ambo accenduntur.

21 Præterea ratio naturalis ita omnibus gentibus semper suasit, vt puellarum diuagationes coerceantur, vt securiùs intus, quàm foris versentur; nec ipsi Ethinci, aut Hæretici qui cætera naturæ iura impugnarunt; sæcularium etiam virginum castus, & excursus laudarunt; nec ipsi nostri temporis sectarij, qui omnium sæculorum scelera in suarum hæresum impietatem congessere, in clausuram, quatenus Castitatis est signaculum, inuehuntur; licèt in ipsam, quatenus omnem futuri connubij spem abjicit, vt votum conseruet, conuitia nonnulla eiaculentur.

Asserò tamen seclusò proximi scandalo, & lapsus periculo, clausuram iure tantum Ecclesiastico esse in præcepto; patet ex Conciliis, & Patribus infrà citandis.

Probatvr, quia præter voti solemnitatem, quæ ad Ecclesiam spectat, par est obligatio eorum Deo in voto simplici, ac solemni: Sed ad votum simplex clausura non requiritur. Ergo. Confirmatur, quia licet clausura sit medium ad hoc conducens, non tamen tenemur omne medium adhibere.

Probatvr secundò ex variis, & frequentibus dispensationibus huius clausuræ, quibus moniales indulgentur vt integris mensibus, & annis ob congruas tantùm causas in patentum ædibus commorentur; imò & nonnullæ toto vitæ tempore pietatis operibus impensæ, in Zenodochiis, & aliis locis deseruiunt.

22 Qvantvm ad tempus, quo Monachorum conobitui adiuncta sit clausura, licèt antiquissimum sit, vt patet è Regulis D. Basilij, D. Augustini, S. Benedicti, & veterum Patrum; vt vidimus *d. t. q.* 2. tamen non videtur esse præceptum alterius legis, quàm institiæ legalis, quâ subditus tenetur stare sui Superiotis mandatis; ita enim Regulæ omnes longâ consuetudine interpretantur. Habentur tamen nonnulla Conciliorum decreta, quæ de hac re strictius loquuntur, vt Concilij Chalcedon. *cap.* 4. vbi Monachis præcipit, vt *in locis, quibus se Deo dedicauerunt, remaneant*, quibus verbis infra subiungit: *Prætereuntem verò hæc, decreuimus extra communionem esse, ne nomen Domini blasphemetur.* His consonat Decretum Alexand. II. citatum apud Suarez *tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 6. in quo sic legitur: *Iuxta Chalcedonensis tenorem eptimi Concilij, Monachis, quamuis Religiosis, ad normam S. Benedicti intra claustrum morari præcipimus, vices, Castella, ciuitates peragrare prohibemus.*

23 Hæc tamen quamuis ità se habeant, nullus diaerit, Religiosum iure communi, in quo nequit Prælatus eius dispensare, ad clausuram perpetuam teneri: Hoc patet, si paulò diligentius finem, & motiua illorum decretorum inspexerimus: Nam cùm ab initio Monachi ad vitam tantùm contemplatiuam perpetuò in cellulis agendam ordinati essent, nullisque essent Ecclesiasticis ministeriis mancipati, eùm, vt plurimum Sacerdotes non essent, cœperunt nonnulli ab illa se disciplina paulatim subtrahere, vitamque actiuam loeti causa in vicis, & pagis liberiùs agitare in ruinam potius quàm ædificationem populi, eò quòd Ecclesiastica ministeria vsurparent, nulla vel characteris, vel missionis authoritate ad ea destinati: Vnde Eugenius Papa *cap. placuit*, 2. 16. *quæst.* 2. sic rescripsit: *Placuit communi nostro Concilio, vt nullus Monachorum pro lucro terreno de Monasterio exire, nefandissimo ausu præsumat*, vbi illicita illius temporis Monachis ministeria tanguntur in prauo fine, lucro scilicet terreno, & nefando motiuo, seu medio, ministerium quippe Ecclesiasticum sibi arrogando: Quod si simpliciter prohibitos esset è claustris exitus, simpliciter etiam absque finis, vel medij specificatione insinuaretur.

Confirmatvr efficaciter ex eodem capite, vbi subiungitur, vt Fratres non sepeliant, nisi illum, qui ipsis in eodem conuentu conuiaerit, etiamsi alium fratrem, qui eo aduenerit, ibi mori contingat; quod supponit, fratres aduentandi, sicut & peregrinandi facultatem habuisse. Quod si etiam concedentem illam clausuram, seu claustri obseruantiam Iuris esse communis, ac proinde indispensabilem à proprio superiore; quis tot sæculorum præscriptionem contra tale ius non admittat, cùm ius etiam commune simili consuetudine, titè introductâ, proscriptum iaceat: Hæc obiter dicta sint de hac re, quam plures dicteriis, pauci vero argumentis impugnant.

De tempore autem, quo clausura Monialium cœperit, idem statuendum est, ac de voto solemni Castitatis, prout matrimonium, vel antecedens ratum, vel subsequens etiam consummatum dirimit, vt in duabus præcedentibus quæstionibus dictum est, laudabilis enim hæc consuetudo ipsos Apostolos institutores habere videtur, nam in Concilio Carthaginensi I. anno 340 iuxta Baronium, vel 330. iuxta alios, declaratum est, cap. 3. *Qui nolunt nubere, & pudicitia meliorem eligere partem, hæc vitare debent, & non solum non habitare simul, sed neque ad se habere aliquem accessum*, hic autem pee particulam, *debent*, declaratur, quod prius videtur statutum; ante autem hoc concilium, non extat aliud, quod de hac re ita expressè loquatur, vide quæ dicta sunt de origine huius voti, *disput.* 2. *quæst.* 3. 24

Seqvitvr Concilium Carthaginense III. in quo statuitur, vt Episcopus curam gerat earum virginum, quæ Castitatem vouerint, easque in Monasterio contineat, ne eatià diuagantes Ecclesiæ sint in scandalum.

Id ipsum deinceps renouarunt plures Pontifices, vt Leo III. in Concilio Foroioliensi, seu Adrianus III. vt nonnulli volunt. Item Bonifacius *in cap. periculo de statu regular.* Monialium Castitati strictam clausuram iniungit his verbis: *Periculoso, & detestabili quarumdam Monialium statui prouidere cupientes, præsenti constitutione perpetuè irrefragabiliter valitura sancimus, vniuersas, & singulas Moniales, præsentes, atque futuras, cuiuscumque Religionis sint, vel ordinis, in quibuslibet mundi partibus existentes sub perpetuâ in suis Monasteriis debere manere clausura*, &c. quibus postremis verbis indicat eas tantum hoc præcepto teneri, quæ in Monasteriis, vbi clausura tenetur, vota emiserunt. 25

Quicquid

Quicquid autem Concilia, & antiqui Pontifices de hoc statutum reliquère, strictè renouatum est denuò in Concilio Trident. *sess. 25. cap. 5. de regular.* & strictiùs in quodam Diplomate Pij V. dato Calend. Iunij, anno 1566. quod incipit: *Circa Pastoralis officij*, vbi iniungit, vt Clausuram rigidam obseruare teneantur, licet ex vi emissæ promissionis ad tantam obseruantiam non fuerint obligatæ, vbi his verbis: *Licèt ex vi emissæ*, &c. ostendit hanc clausuram iuris esse Ecclesiastici, & posse à voto separari; vt in viris Religiosis reuerâ separatur.

26 Hoc autem præceptum eo rigore iam obseruatur, vt nec Monialibus egredi absque graui causa cum superiorum licentia liceat, sed nec aliis ad ipsos ingredi pari iure permittitur; vnde extat apud Chrysostom. Henriquez *num. 35. pag. 321.* decretum Mendicantibus concessum 17. Calend. Septemb. 1567. vbi grauiter reprehenduntur Episcopi, qui hanc licentiam frequenter solent concedere, vel eam sibi indebitè arripiunt, cum ad alios superiores pertinet; & hæc vltima verba dicta sunt propter Monasteria S. Claræ, quæ Regularibus sunt subdita; Ipsius autem Decreti tenor sic describitur apud Caramuelem loco cit. *Episcopi, seu eorum Vicarij audent ad eorum libitum dare licentiam quibuscumque quacumque Monasteria Monialium etiam S. Claræ ingredi, etiamsi Regularium curæ subdita sint*, paulò infrà verba inhibitionis sic sequuntur: *Cùm inhonestum sit quemlibet in alienam messem falcem inijcere, cumque Monialium Monasteria non nisi de Episcopi, vel Superioris licentia, & in casibus necessariis aliquis ingredi præsumat*, in sess. 25. can. 5. (*Supple Tridentini*,) prohibetur, *hoc tamùm in illis Monasteriis locum habere volumus, quæ Ordinariis ipsis pleno iure subsunt, in quibus in casibus necessariis ipsi dare licentiam possint, & non in aliis Monasteriis, &c.*

27 Et hoc quidem licèt in obsequium, & custodiam Castitatis ita statuta sint, alia tamen emolumenta è clausura Monialibus prouenire ostendit S. Bonauent. *in libello Apolog. quæst. 18.* Melius enim, & faciliùs in vnum societate Christi sponsæ gubernantur, & ad virtutis exercitia mutuis exemplis excitantur; quòque diutiùs à seculi fruitione elongantur, tantò ardentiùs in pia desideria accenduntur.

QVÆSTIO V.

Quibus modis clausura violatur.

28 HÆc quæstio tam Monachos, quàm Moniales tangit, cùm vtrisque in gratiam Castitatis indicta sit clausura, licèt strictiori iure fœminis ob maiorem periculi instantiam præcepta sit, & notat Suarez *tom. 4. de Religione, tract. 9. lib. 1. cap. 12. num. 3.* Potest autem difficultas pro vtroque sexu bipartiri, eò quòd non solùm egressu claustra incolentium, sed ingressu aliorum, quibus prohibitum sit, clausura violetur. Et primò quidem de Religiosorum egressu dicam; Postea verò aliqua tangam de ingressu mulierum ad virorum claustra; similia etiam discutiam, quoad egressum, & ingressum ad Moniales.

SVBQVÆSTIO I.

Quibus modis egrediendo violet Religiosus Claustrum.

SVPPONO primò grauem esse obligationem in his, qui vitam agunt cœnobiticam sub alicuius Prælati regimine, vt absque eius licentia non egrediantur, patet ex communi omnium religiosorum praxi, & consuetudine; & insuper confirmatur è Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 4.* vbi sic habetur: *Non liceat regularibus à suis conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eis missi, vel vocati fuerint.* Hinc ait Suarez *loco citato* suprà, supposita huius consuetudinis, & Religiosæ vitæ institutione, hanc obligationem se non subducendi custodiæ Prælati, non esse merè positiuam, sed videri naturalem, & diuinam, licèt nulla praua intentio, seu apostasiæ, seu alterius periculi occasio inde proueniat; & exemplificat in puella, quæ iure plusquam positiuo tenetur, secluso etiam periculo, se patris, vel matris custodiæ non subtrahere; & concludit Castitatem Religiosam, & eius decentiam non esse minùs seruandam. Prætereà, vt ait S. Bonauent. *lib. 2. Pharet. cap. 32.* è D. Bernardo, *Nihil turpius, quam Monachus per vrbes, & castella discurrens, nisi cùm hoc charitas cogat.* 29

Hinc mihi non placet determinatio Nauarri, quæ etiam Suarez displicet, apud quem *loco citato*, citatur, exitum è claustro venialem tantùm culpam habere naturâ suâ, & solum per accidens fieri mortalem ratione scandali, vel alterius similis nocumenti; nam Concilium Tridentinum sub præcepto loquitur: *Non liceat*, & quamuis specificetur ibi: *Etiam prætextu ad Superiores suos accedendi*, illa tamen particula *etiam* à fortiori denotat, alios modos, seu prætextus egrediendi minùs licere. 30

SVPPONO secundò posse in hac materia dari leuitatem materiæ, qua exitus Religiosi absque licentia Prælati ad culpam venialem reducatur, vt si fiat ad modicum tempus cum animo cito reuertendi; & hoc à potiori verum est, quandò de Superioris benignitate, facilè veniam concedente, constat, vel si inconcessam scire soleat, & non improbet: rationem huius rei affert Suarez *num. 10.* quia non est grauis substractio à voluntate Prælati; his suppositis.

ASSERO, Religiosum è Monasterio publicè, vel furtiuè, ad fugam, vel apostasiam, absque culpa mortali egredi non posse. 31

PATET ex se, ibi enim grauis obseruantia infringitur, grauisque iniuria Prælato infertur; sicut & enorme scandalum cæteris minatur; quare inter casus à Clem. VIII. supremo Pontifici reseruatos, tertius ponitur: *Nocturna, ac furtiua è Monasterio egressio, etiam non animo apostatandi facta*, vbi autem est casus reseruatus, ibi supponitur lethalis culpæ commissio: Hunc autem casum extendit Suarez *num. 7.* etiam ad diurnam egressionem, factam animo foris pernoctandi; quia in illo Pontificia decreto non exeundi modus furtiuus, sed extra furtiuè existendi ratio reseruatur.

Hinc habes non peccare Religiosum egredientem absque licentia ex præpropera aliqua occasione subueniendi proximo, grauem patienti necessitatem spiritualem, vel temporalem, quia in hoc casu 32

licentia rectè præsumitur; licèt peti debeat, si tempus suppetat, saltem si longiùs abire, & abesse necesse sit, quia tunc potest imminere cæteris fratribus scandalum.

In his tamen casibus præponeranda est cuiusque Religionis consuetudo: Nam apud Fratres Minores ob frequentem mendicandi necessitatem, sicut & proximo seruiendi, non adeò strictè clausura obseruatur; quin sæpè ad libitum nonnulli ad similia officia destinati egrediantur, habita generali ad hoc licentia.

Verum strictior ratio habenda est de Carthusianis, Chamaldulensibus, & similibus, Deo, & sibi solùm seruientibus: His enim iuxta regulas, & constitutiones standum est.

SVBQVÆSTIO II.

Quibus modis clausura Religiosorum violetur exterorum ingressu.

33 TVNC ait D. Bonauent. *lib. 4. Pharet. cap. 18.* bonus honor est in Ecclesia, si à consortio Clericorum longè sint fœminæ, vt monet D. Hieronymus apud S. Doctoré ibi: *Hospitiolum tuum aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terant.* Ante autem Pontificatus Pij V. & Gregorij XIII. potuere diuersæ fœminæ diuersorum etiam statuum ingredi claustra virorum, vel vi facultatum priorum Pontificum, vel virtute Constitutionum quorundam Conuentuum: Verùm cùm hinc scandalorum occasiones facilè enascerentur, præfati Pontifices Motus proprios edidere, (cùm in iure de hac re nihil expressum sit) quibus omnibus fœminis, ingressum cuiuscumque facultatis prætextu præsumentibus, interdicitur sub pœna excommunicationis latæ, & reseruatæ, vt amplius, seu Mendicantium, seu Carthusiensium, vel aliorum quorumcumque Regularium Domos, vi nullius facultatis ingredi tentent: Motus Pij V. habetur *in Bullario Roman. Constit. 22.* & incipit: *Regularium personarum*, anno 1566. in quo insuper Prælatis localibus strictè prohibetur sub pœnis suspensionis à Diuinis, officiorum priuationis, & inhabilitatis ad illa, vt dictas fœminas non recipiant: Motus verò proprius Gregorij XIII. habetur *Constitut. 36.* incipiente: *Vbi gratiæ.*

34 Grave verò dubium fuit post lata illa decreta, an etiam fœminæ, virorum Monasteria, non vi alicuius facultatis, ingredientes, censuras incurrerent; cùm dicat Gregorius XIII. *Inhibentes eisdem, qui illas obtinuerunt.* Quibus verbis alia non absimilia protulit Pius V. *Prohibentes mulieribus prædictas facultates, & licentias prætendentibus*, &c. Ob quæ verba censuit Suarez, censuras tantùm respicere fœminas ibi notatas, non alias: Verùm Dubium hoc excussit Decretum aliud, ab eodem Pio V. editum, vbi dictas illas fœminas, & alias quascumque se comprehendere sub censuris declarat; quare hoc viso Suarez, prioris opinionis palinodiam cecinit, vt notat P. Elizeus noster *in methodo rerum Criminal. tract. 10. quæst. 23.* vbi docet, Decretum incipere, *Decet Romanum.*

35 Hinc assertio certa est, Prælatum, & à fortiori alium quemcumque Religiosum, fœminas dictis Decretis comprehensas introducendo in domos interiores, vel in ipsa claustra, peccare. Patet ex pœnis ibi indictis, quæ graue supponunt peccatum, & è Concilio Trident. dante facultatem absoluendi ab illis censuris, quando sunt occultæ *sess. 24. de reform. cap. 6.* Ergo supponit per censuras peccatum.

Qvamvis autem specificentur in præfatis motibus propriis fœminæ cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, & quacumque dignitate, ac præeminentia præditæ, siue sint Comitissæ, Marchionissæ, vel Ducissæ; non tamen inde colligitur prohibitum esse, Reginas, & harum filias, seu neptes, seu etiam Cœnobiorum fundatrices admittere. Et hoc eo vsque verum est, licèt dicat Gregor. XIII. *Quibusuis etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, & aliis cuiuscumque status*, vbi particula, *aliis*, ridiculè interpretatur descendendo, sed rectè intelligitur ad altiores gradus ascendendo, iuxta iuris rigorem, vt aduertit Suarez *lib. 1. tract. 9. de Relig. cap. 7. num. 5.* Nam cum vterque Pontifex eodem ferè modo loquatur, signum est parem esse vtriusque intentionem, quantum ad personarum specificationem: Ex Pio autem V. nullo modo colligitur eum fundatrices comprehendisse, multo minùs Reginas, aut harum filias, seu neptes; cùm ibi speciales personas nominauerit, de quibus se intelligi intenderit. Prætereà Gregorius XIII. infrà materiam tractando, quæ ad Reges, & Reginas spectabat, ipsos nominat. Insuper Iuris regula est, in generali clausula non comprehendi ea, quæ specialem rationem exigunt, præsertim cùm alia inferioris notæ in eadem clausula specificantur.

Qvod autem Reginæ, & Fundatrices specialem habeant causam, patet imprimis ex consuetudine, quæ consuetudo his Monasteria aperit. 36

Deinde, vt refert Suarez iuxta mentem modernorum, postquam Religiosi Ordinis Minimorum Summum Pontificem, & S. Cardinalium Congregationem consuluerint, num præfata Decreta excluderent Reginas, & fundatrices, responsum accepere, non esse derogatum priuilegiis, quibus gaudebant Reginæ, & fundatrices.

Ratio etiam his priuilegiis fauet quoad fundatrices, (quoad Reginas enim nullibi controuertitur.) Nam cùm sint quodammodo Dominæ, & Patronæ Monasteriorum, quæ ipsæ extruxerint, & cum Ius patronatus pluribus in iure gaudeat priuilegiis, decens erat, vt pari cum aliis fœminis prohibitione non inuoluerentur: Hoc autem magis vrget apud Minores, cùm loca pro ipsis extructa sint sub Dominio illorum, qui illa extrui curauerant, nisi speciali mentione tale dominium abdicetur, & sic transeat in res, quarum proprietas ad Pontificem pertinet; solus verò vsus ad ipsos Fratres attinet.

Et licèt Monasteria sint in dominio illorum Fratrum, qui verè in communi ea possidere possunt, 37
non sunt tamen leges ita interpretandæ, vt velint benefactores retrahi à benefaciendo, aut ipsos Fratres tantam ingratitudinis notam incurrere.

Hinc concludere licet, fœminas, præciso dolo, malitia, præsumptione, vel temeritate, intrantes, non violare ius clausuræ; quia Pontifex in dictis Decretis vtitur particula *præsumentes*, quare si ex ignorantia etiam culpabili intrent, non censentur peccare, ac proinde nullam censuram subire, vt optimè notat Pater Elizæus *loco citato, numero 2.* idem à fortiori dic, si ingrediantur ob infirmitatem alicuius Religiosi, cui subuenire possunt, vel ad Missas, conciones, & similia: tenentur tamen recto tramite ire, & redire, vt habet Elizæus citatus dicens, etiam ingressum puellarum impuberum hoc ius non violare, cum in ipsis cesset finis legis, & occasio impudicitiæ, ad quam arcendam hæc statuta sunt.

Consvetv

38 Consvetvdine autem receptum est, vt claustris dirutis, vel fractura graui patentibus, iste rigor non obseruetur; quamuis consultum sit, vt maiori qua fieri potest diligentia, omnis aditus ob decentiam status Religiosi sæcularibus præcludatur. Quæ etiam decentia obligare potest Prælatos, vt etiam viros status temporibus in interiores domos non admittant; licèt nullum speciale præceptum de hoc detur.

SVBQVÆSTIO III.

Quomodo Monialium clausura egressu violetur.

39 Svpposito rigidum præceptum datum Monialibus, vt semel professæ, intra claustra se contineant, vt probatum est *quæst.* 4. tam ex antiquis Ecclesiæ Constitutionibus, quàm è Concilio Tridentino quod sic præcipit: *Nemini autem Sanctimonialium liceat post professionem exire è Monasterio, etiam per breue tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbanda, indultis, & priuilegiis quibuscumque non obstantibus*: Hinc habes solas Moniales, quæ tria vota emiserunt, non Tertiarias, aut etiam Nouitias, hoc decreto comprehendi, vt latè ostendit Suarez suprà; licèt circa Moniales Tertiarias seruanda sit Pij V. Constitutio, incipiens: *Circa pastoralis officij*, vt scilicet moneantur à Prælatis ad essentialia Religionis vota emittenda, & subinde ad clausuram obseruandam; quod si præstare noluerint, interdicantur, amplius aliquas in suam Congregationem adsciscere.

40 Habes etiam, Sorores conuersas, ritè professas, eo decreto includi; cùm veræ sint Moniales a cæteris tantùm quoad quædam ministeria seruilia, & Veli carentiam differentes.

Pivs tamen V. dicta Constitutione, circa has quædam limitabat, vt scilicet in locis vbi cæteræ Moniales fidelium eleemosynis sustentari indigeant, quædam è conuersis deputentur ad eas eleemosynas colligendas, ac proinde valeant exire, & in domo quadam contigua habitare, quatuor conditionibus seruatis. Prima est, vt agant, ad minus, annum quadragesimum. Secunda, vt locus, in quo degant, sit valdè cæteris monialibus vicinus. Tertia, vt non ingrediantur Claustrum Monialium, (quas *Choristas* ad Conuersarum differentiam solent vocare) nisi casibus in illa constitutione nominatis. Vltima est, vt non exeant è suis domicilijs, nisi cum Superiorum licentia.

41 Qvod si aliter, quàm eleemosynarum collectione sustentari valeant religiosæ, cessat hæc exeundi facultas: quare Gregorius XIII. in sua Constitutione, incipiente: *Deo sacris*, iniungit Episcopis, seu Ordinariis, vt quantum possint, Monialium sustentationi aliter prouideant: nam vt refert S. Bonauent. *lib.* 1 *phar. cap.* 37. è D. Cypriano, non est computanda Virgo Christi, quæ sic viuit, & vadit, vt ab hominibus possit amari.

Ex his conclusum habes, Monialem egredientem contra tenorem Decreti Tridentini, & limitationes Pij V. grauissimè peccare; & hoc verum esse etiamsi sit Ordinis militantium, vt notat P. Elizæus *tract.* 10. *de pœnis, & delictis, cap.* 23 è Rodriguez *tom.* 1. *quæst.* 49. *art. vlt.* & Lezana *tom.* 1. *cap.* 25. *num.* 19. nam Virgo Christum quærens (ait D. Bonau. infrà cit. è D. Ambrosio) non debet esse vulgaris, non debet esse in foro, non in plateis.

Cavsæ autem egrediendi specificantur à Pio V. in Constitutione 100. *Decori*, & reducuntur ad magnum incendium, & infirmitatem, quæ ibi *Epidemia* dicitur, cuius nomine intelligit Suarez non solam illam ægritudinem, quæ sua contagione, vt plurimum, alios inficit, & interimit, sed aliam quamcumque, quæ potest esse communitati scandalo, vel periculo. Item nomine incendij possunt venire alia huic cognata pericula, vt bellum imminens, inundatio repentina, & similia, quibus aliter, quam egressu, vix occurritur. 42

Observat autem P. Elizæus noster *loco citato*, è Gregorio XIII. professam, vtroque pede, & corpore extra Ianuam egressam, violare clausuram, licèt sit ad modicum tempus; talem tamen excusat Diana, si tantùm per duos, aut tres palmos sit egressa, vt habet *tract.* 5. *part.* 5. *resol.* 22.

Cæterum præfatæ Constitutiones obseruandæ 43
sunt, iuxta doctrinam à me traditam *tract. de legibus, tomo* 4. non enim vbique locorum recipiuntur, cum pluribus in Prouinciis ob leues etiam causas monialium egressus, & habitatio in parentum ædibus longo tempore, nescio qua consuetudine ab Ordinariis toleretur: Et legibus id innatum videtur, vt faciliùs serrentur, quam seruari curentur, cùm tamen, vt habet D. Bonauent. citato loco, Religiosum non deceat, non expediat, non oporteat parentum suorum obligationibus implicari, aut extraneorum perniciosa familiaritate constringi.

SVBQVÆSTIO IV.

De ingressu in claustra Monialium.

Cvm pudicitia non solùm egressu Monialium, 44
sed & aliorum ad illas ingressu periclitetur. Ideò vtrumque pari legum rigore prohibetur; vnde in Concilio Matisconensi 1. *cap.* 2. Arelatensi IV. *cap.* 7. Septima Synodo *sess.* 7. *can.* 20. & prius in Concilio Agathensi *cap.* 28. sub variis limitationibus statutum est, vt Monasteria Monialium à virorum accessu, & alloquio custodirentur; vt à Monasteriis Monachorum longiùs locarentur, & ab accessu, & ingressu, nisi paterna, vel germana vrgente necessitudine, omnes arcerentur. Bonifacius verò VIII. *cap. vnico de statu regularium in* 6. vniuersalius, & strictius de hac re præceptum tulit, his verbis: *Nulli aliquatenus inhonestæ personæ, neque etiam honestæ, nisi rationabilis, & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia ingressus, vel accessus pateat ad easdem*: verum cùm hæc lex tandem consuetudine deficeret, renouata habetur in Concilio Tridentino *sess.* 25. *cap.* 5. vbi sic dicitur: *Ingredi* 45
autem intra septa Monasterij nemini liceat, cuiuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint. Licèt autem Concilium initio dicti capitis dicat: *Bonifacij VIII. Constitutionem renouans sancta Synodus*, posteà tamen ostendit, in quo renouat, scilicet quoad egressum, & ingressum; non autem quoad accessum, vt notat Suarez *loco citato, numero* 16. vbi etiam ostendit alias Constitutiones similem loquendi modum obseruantes, nihil de accessu renouare, vel insinuare. Multo minus vi regulæ ab accedendo arcentur Minores, cùm regula tantùm dicat: *Non ingrediantur Monasteria, &c.* Consilium tamen optimum est D. Bernardi apud S. Doctorem *cap.* 38. *loco citato* ad virginem spectare, vt caueat timenda, etiam tuta pertimescere.

Solùm itaque ingredi septa Monialium dicto De- 46

cteto prohibetur. Verum exiit Decretum S. Congregat. anno 1590. non solum ingressum, sed & accessum loquendi causa prohibens omnibus Regularibus sub pœna priuationis officiorum, & vocis actiuæ, simul & passiuæ, ipso facto incurrenda; quæ prohibitio extenditur etiam ad omnes regulares, volentes alloqui alias quascumque fœminas intra monasterij septa degentes: Eandem ipsam prohibitionem sub pæna peccati mortalis obligare etiam ad modicum tempus declarauit iterum sacra Congregatio 11. Maij, anno 1669. approbante supremo Pontifice Clemente IX.

Poro licèt dicat Concilium, *cuiuscumque ætatis*, non tamen credendum est, pueros adhuc infantes ibi comprehendi, cùm sint incapaces præcepti; sed ea verba videntur adhibita propter alios, qui ratione senectutis, vel prouectioris ætatis nullum sibi, vel aliis periculum imminere putabant: Fatui verò licèt peccandi libertatem non habeant, possunt tamen sub legis finem, & motiuum cedere, quare eos admittentes, vel introducentes, à peccato, sicut nec à censura, non excusantur, præsertim si grandioris sint ætatis, eum scurriliter & iocosè se gerendo contra debitam honestatem, & decentiam agere queant.

Præceptvm autem illud etiam prælatos ipsarum monialium; sicut & aliorum regularium inuoluit, vt non intrent nisi debitis conditionibus; quare prælati monachatum indebito modo intrantes, etiamsi pontificiali vigeant dignitate, prima vice ab ecclesia interdicuntur; pro secundâ suspenduntur, pro tertia verò excommunicantur: Regularium verò prælati omnibus priuantur officiis, ac excommunicantur, iuxta Bullam Gregorij XIII. anno 1581. quæ incipit: *Dubiis, quæ emergunt*: vide Lezanam citatum *cap.16.num.27.* cum Elixeo *cit. num.5.*

47 Qvamvis autem strictè fratribus Minoribus per regulam inhibeatur, vt non ingrediantur monasteria Monachatum; ipsis tamen concessit Leo X. vt dummodò à visitatoribus monialium inuitarentur, possent cum superiorum licentia illuc ingredi; quod priuilegium adhuc valere ostendit P. Elizæus non obstantes omni viuæ vocis oraculi reuocatione, facta ab Vrbano VIII. 2. decembris 1627. eò quòd Paulus V. 1569. & Clemens VIII. 1597. variis Bullis ita Capucinorum priuilegia confirmarunt, vt amplius non reputentur inter viuæ vocis oracula.

Præterea ibidem refert P. Elizæus, Dictum Vrbanum VIII. coram tunc nostri ordinis Generali Ioan Maria à Noto, declarasse, se nihil quoad priuilegia nobis indulta innouare voluisse.

48 Observandvm denique est, illum, vel illam, qui ingrediendo, vel egrediendo attentaret muros claustrales superare, quamuis grauiter peccaret, non tamen censuras incurrere, donec attingeret locum, in quo verè diceretur esse intra claustrum; quia tunc tantùm illud peccatum censetur consummatum: locus autem ille censetur omne spatium clausuræ deputatum, in quo moniales libere se sistere possunt, & extra quod absque violatione clausuræ nequeunt stare. Ità Bonacina *tract. de Clausura, q.4.* cum aliis communiter.

Hinc habes siue viridarium, siue alia loca etiam remotissima à cœnobio monialium, non posse adiri, si sint intra monasterij septa, & clausuræ deputata; Dico *clausuræ deputata*, quia si Monasterium tantùm construitur, vel communes aditus pateant, & patiantur, non censentur talia loca clausuræ deputari.

49 Licet autem cesset finis legis quodammodo in fœminis volentibus intrare monialium monasteria non tamen ab hac lege excluduntur, etiamsi sub habitu religioso ingredi velint; cum dictum sit: *nulli aliquatenus inhonesta persona, vel etiam honesta ingressus pateat*, & hoc extenditur ad aliorum etiam ordinum moniales, ita vt non aliud claustrum, quàm suum ingredi possint. Ratio est, quia sunt extraneæ tali conuentui, & contra ipsas par ratio militat, quæ cæteras fœminas excludit; vt meliùs scilicet cuiusque conuentus disciplina absque suspicione, aut scandalo inter eiusdem ordinis personas conseruetur; quare si sit monialis non alterius ordinis, eam posse licitè ingredi, & recipi à Priorissa, seu Abbatissa, absque alia superioris facultate, censet Bonacina loco cit. *prop. 2. num. 3.*

QVÆSTIO VI.

Vtrum in castitatem Religiosam cadere possit dispensatio, & quis in clausura dispensare potest.

Prior pars huius quæstionis facilè resoluitur ex dictis *disp. præcedenti, quæst. 30.* vbi abundè 50
Seraphici mentem super hac materiam elucidauimus, qui licèt Castitati religiosæ fuerit addictissimus, non tamen ea tenacitate eius indispensabilitatem tuetur, vt supremæ Pontificis potestati, maioris emolumenti interueniente causâ, eam soluendam neget; vide etiam quæ eadem disputatione dixerim de natura dispensationis; vtrum iuris sit relaxatio, num vero declaratio; ex his enim facile colligere licet, an grauis aliqua causa debeat præcedere dispensationem, vt licitè, & validè fiat.

Hanc difficultatem eodem modo soluit etiam Suarez, remittendo ad ea, quæ dixerat de votorum solemnitate, vt sic valida consequentia liceret argumentari à genere ad speciem; si enim Pontifex valet dispensare in professione solemni, quæ sub se continet tria vota, nemini dubium erit, quin & in illis votis valeat quoque dispensare.

Vervm circa maioris difficultatis cardinem versatur ibi Suarez *cap. 26.* vtrum scilicet manentibus 51
cæteris votis, valeat castitas Religiosa in vno, aut altero actu dispensari, qui quidem nodus solutu difficilis est, & quam ideò forsan nullus ferè Doctorum attigit, vt *num. 7.* innuit Suarez; Enim verò ipse præmissis sententiæ negatiuæ fundamentis, quæ nos pro votorum solemnium indispensatione, locis iam citatis libauimus, pro affirmatiua concludit, eamque suadet exemplo religionis militaris, cuius solemnis castitas virginalis in coniugalem commutata est.

Varvm illud exemplum, vt ipse Suarez ibidem fatetur, militat pro professis post illam institutionem, non autem pro dispensatione eorum, qui prius solemniter castitatem religiosam, & integram vouerant, vt patet ex Bullis Pauli III. & Gregorij XIII.

Qvicqvid quidem sit de hac sententia, 52
quam meliori iudicio dissentiendam remitto, difficilè suaderi potest rationibus illis, quas amplè congerit Suarez, qui duo admittit, quæ ipsam fortiter impugnant, scilicet tria vota solemnia esse de essentia status religiosi, inter quæ nullus postremum locum cedet Castitati, nullusque castitatem coniugalem inter ea vota computabit; deinde fatetur hanc partialem voti solemnis solutionem, non mediocrem pati status religiosi diminutionem; vnde sic poterit

poterit aliquis argumentari: Quacumque additione, vel detractione eorum, quia ad eſſentiam alicuius rei ſpectant, ipſa totalis eſſentia deperditur, vt conſtans eſt Ariſtotelis regula, qui ideò eſſentiam ait eſſe ad inſtar numeri, qui quacumque vnitate addita, vel detracta, totus tranſit in aliam ſpeciem, vt ex ſe patet; ſed non modicè detrahitur de eſſentia ſtatus Religioſi, dum præcipuum, & puriſſimum eius votum, vno, vel altero actu, non ſolùm mutilatur, ſed totum mutatur in aliam ſpeciem: nam ſicut qui matrimonium licitè conſummat, licet omni pudicitia polleat, non tamen amplius præſtat virginali caſtitate; quia ſunt duæ ſpecies, quarum vna alterius acceſſu deperditur. Ità, &c.

Qvod ſi Pontifex ſimile quid decerneret, quod adhuc decretum non aduertimus, eſſet potius ſtatus totius pro modico tempore diſpenſatio, & eius poſtea redintegratio; vnde incunueniens nullum ſequeretur.

53 Qvoad alteram quæſtionis partem, reſoluitur ex illis Bonifacij VIII. verbis, indicantibus, vt clauſura ſeruetur, niſi graui interueniente cauſa, *ac illius ad quem pertinuerit, ſpeciali licentia.* Sunt enim quædam monialium monaſteria immediatè ipſi Pontifici ſubiecta, qui ſolus tam in his, quam in cæteris abſolutè, & in perpetuum poteſt diſpenſare; Epiſcopi verò pro tempore, & rationabilem ob cauſam diſpenſare poſſunt in clauſuris ſibi ſubiectis, vt imponit Concilium Trident. *ſeſſ.25. de regularibus, cap.5.* illis verbis, *ſine Epiſcopi, vel ſuperioris licentia, in ſcriptis obtenta:* & paucis interiectis: *dare autem tantum Epiſcopus vel ſuperior licentiam debet in caſibus neceſſariis, neque alius vllo modo poſſit, &c.* dicit autem, *Epiſcopus, vel ſuperior*, quia tam Epiſcopis, quàm prælatis etiam regularibus, quædam monaſteria ſubiiciuntur; nomine autem Epiſcopi comprehenditur eius Vicarius generalis, dummodo tamen mandatum ſpeciale ad hoc habeat, vt declarat, & modificat Congregatio Cardin. apud Suarez *cap.10. num.11. tom.4. de relig. lib. 1. de obligationibus religioſ.* vnde patet, poteſtatem hanc eſſe delegabilem ac proinde ordinariam eſſe in Epiſcopo, ſub cuius nomine venit etiam Capitulum ſede vacante, ſicut & Abbates ſæculares, poteſtatem quaſi Epiſcopalem in monaſteriis ſibi ſubditis obtinentes.

54 De Prælatis regularibus, quorum directioni quædam moniales exemptæ demandantur, idipſum certum eſt, cùm ſint verè illarum ſuperiores, cùmque dicat Concilium *Epiſcopus, vt ſuperior*, ad veritatem enim orationis disiunctiuæ ſufficit vtriuſvis partis verificatio; vnde ſi neceſſaria ſit licentia ad ingrediendum, ſola ſufficit prælati regularis approbatio; verùm ſi requiratur ad egrediendum, cauſa approbanda eſt ab Epiſcopo; cum egreſſus grauiorem cauſam poſtulet, & aliquando redundet in publicum ſcandalum, quod tenetur Epiſcopus auertere; vide Suarez *num.11.*

55 Porro licèt vtatur Concilium particula disiunctiua *vel*, non inde tamen ſequitur poſſe Epiſcopum diſpenſare, vel licentiam concedere ad ingrediendum, ſeu egrediendum monaſteriis, quorum curam habent Regulares; alias etiam hi poſſint viciſſim ſimilem ipſis vicem rependere; vnde ſequerentur non pauca, nec parua incommoda; vt benè animaduertit Suarez *num.15.* Intelligenda itaque eſt particula *vel*, iuxta diuiſionem accomodam, vt cuique pateatur, patiaturque ſuam poteſtatem; ſi tamen aliter conſuetudine ſit ſtatutum, obſeruetur; cùm in declaratione quadam Cardinalium apud Suarez cit. ita prouiſum ſit.

Nomine autem prælati regularis magis propriè venit Prouincialis, cum hic habeat poteſtatem tanquam Epiſcopalem; ſi tamen alij ex vi regulæ, conſtitutionis, vel conſuetudinis, curam, & iuriſdictionem habeant ſuper Moniales, erunt proinde ſuperiores, & iuxta mentem Concilij diſpenſare poterunt.

Alia nonnulla reſtant dicenda de clauſura, de qua integrum tractatum ſcripſit Bonacina, ſicut & Suarez diffuſè de eadem agit materia: Verùm cùm hæc tanti non ſint ponderis, & facilè ex iam dictis deducantur; lectorem ad præfatos Authores, & ad alios ab ipſis citatos remitto: Quæ verò de Caſtitate remanent diſcutienda, infrà, vbi de Temperantia, aptiùs expendam. 56

DISPVTATIO VI.

De Iuramento.

Hominem, modicæ ſuæ fidei conſcium, adeò natura edocuit; vt, quo minus ei diffidatur, mox diuinam veritatem, infallibilis quippe teſtimonij, iuramento compellet: Quod ſi hunc naturæ ductum ea fidelitate ſequeretur homo, vt effectu compleret, quod iurato verbo promittit, nec ea leuitate pro quantulacumque re Creatorem ſuum in teſtem adduceret, non tam alienæ diffidentiæ, quàm propriæ fiduciæ grauiſſimum præſtaret argumentum: verùm ſicut cætera rationalis creaturæ dictamina in auia diſtrahit fæda illa peccati curuitas, quæ mentem à rectâ in Deum tendentia in nimiam ſui dilectionem deflectit, ita Diuini nominis ad teſtandum inuocatio (quam non modò licitam eſſe, ſed & in Deo habere exemplum infra probabo) propter peccati prauitatem variis errorum labyrinthis implicatur: eam igitur, quatenus Iuramenti naturam induit, tota hac diſputatione per plures quæſtiones extricare conabimur.

QVÆSTIO I.

Quid ſit Ivramentvm, *& quotuplex.*

D. Bonauent. in 3. diſt.39. dub. litt. & aliis ll.
D. Thom. 2.2. quæſt.89. art.1.

Ivramentvm dicitur à iure, quia inſtar iuris eſt habendum, vnde Iuſiurandum dicitur. 1

Ivrare eſt Deum in teſtem adhibere, vt docet D. Bonauent. *in 3. diſt. 39. dub. litt. & in opuſc. prima parte Centil. ſect. 12.* D. Thom. 2. 2. *loco cit.* eoſque cæteri ſequuntur. Iuramentum igitur eſt inuocatio Diuini nominis in teſtimonium, hæc autem inuocatio in eo conſiſtit, vt iurans, quantum eſt in

Vu 4 ſe,

ſe, velit, Deum manifeſtare id, quod iuramento confirmat, tanquam id, quod eſt ab ipſo Deo ſcitum, ac verum, & hoc vel in hac, vel in altera vita, vt aduertunt Valentia 2. 2. *diſp. 6. quæſt. 7. puncto* 1. Sanchez *lib. 3. in Decal. cap.* 1. & hoc innuit D. Bonauent. *loco cit. Centil.* definiens, iurare eſſe inuocare Deum in teſtem ſuæ locutionis; & clarius *in 3. diſt. 39. art. 2. quæſt. 1. in fundamentis.*

2 DICITVR Inuocatio Dei, quia ſiue nominemus Deum, ſiue creaturas, ſemper adducitur Deus in teſtem, ſaltem indirectè, quatenus eſt author creaturæ. Non enim iurans per creaturam, eam adducit in teſtem, quippè id eſſet blaſphemum, attribuendo creaturæ eſſe primam infallibilem veritatem, firmamentum omnium veritatum, ac inuiolabilem teſtem, vt docet D. Bonauent. *in 3. diſt. 39. art. 2. quæſt. 2.* D. Thom. 2. 2. *quæſt. 89. art. 6.* quos reliqui ſequuntur apud Baſſæum 1. *num. 5.*

3 DICITVR *Inuocatio Dei in teſtem*, ad differentiam orationis, quæ eſt inuocatio Dei ad aliquid impetrandum. Hæc autem inuocatio iuramenti non eſt neceſſe, exprimatur verbis, vt coram Deo liget. Ità D. Bonauent. *in 3. diſt. 39. art. 3. quæſt.* 1. quem alij ſequuntur in foro animæ externo. Aliqui tamen negant, neceſſaria eſſe verba. Ità Sanchez *lib. 2. de matrimonio, diſp. 31. num. 5.* & *lib. 3. Decal. cap.* 1. *n. 2.* adducens Couar. *de pactis, p. p. initio, num. 4.* Azor *Tom. 1. lib. 11. cap. 44.* Suarez *Tom. 2. de Religione, lib. 1. de Iuramento, cap. 11.* Clauis Regia *lib. 5. cap. 1.* Baſſæus *num* 4.

ALII aſſerunt, neceſſaria eſſe verba, ſaltem in loquentibus. Authores referuntur à Couar. *loco cit.* & Zauallo *quæſt.* 406.

QVOAD D. Bonauent. videtur quidem cum his ſentire *in 3.* loco mox indicato *ad tertium, & quartum*: at ſi attentè legatur, vult, ea ſigna ſufficere, quibus certitudo contractus in foro externo eluceat.

4 AN verò requiratur alicuius rei ſacræ contactus, puta Euangelij, S. Bonau. *in 3. diſt. 39. art. 2. q. 2. in corpore*, concedit quidem, conſuetum eſſe per Euangelia iurare frequentius; tanquam ea, in quibus Diuina veritas maximè elucet; at non admittit neceſſarium contactum: Eum ſequuntur Couar. *de pactis 1. part. §. primo.* Zauallus *quæſt.* 407. Sanchez *loco citato, num. 3.*

5 EX his habes, Iuramentum formaliter eſſe vnicum, quia eſt adductio Dei in teſtem, & ob hoc habet rationem iuramenti, vt notat Caietanus *ad art. 1. D. Thomæ*, & Valentia *diſp. 6. quæſt. 7. puncto 2.* poſt D. Bonauent. *loco citato Centil.* vbi id probat; nam periurium eſt mendacium adducto Deo in teſtem firmatum. Igitur & Iuramentum ſecundùm eſſentiam eſt veritas Diuina in teſtimonium adducta, quæ in omnibus reperitur iuramentis, vt notat Sanchez *num. 9. aliis citatis*, & idem in confeſſione non eſt diſtinguendum.

MATERIALITER verò diuidi poteſt tum ex parte veritatis, ſiue enunciationis, ad quam confirmandam adhibetur: tum etiam ex parte modi ſignificandi illam interiorem inuocationem Diuini teſtimonij.

EX parte inuocationis diuiditur Iuramentum in Promiſſorium, & Aſſertorium. Ità D. Bonauent. *loco cit. Centil. & ſermone 3. in Decalogum, & in 3. diſt. 39.*

6 TVNC eſt Aſſertorium, quando Diuinum teſtimonium inuocatur ad confirmandam enunciationem de præſenti, aut præterito. Quando verò inuocatur ad confirmandam enunciationem de futuro, dicitur Promiſſorium. Hinc D. Gregorius Nyſſenus *homil. 4. in Cant.* ait duplicem eſſe operationem iuramenti; aut enim facit fidem veritatis, aut confirmat fidem promiſſi, ſicut in Pſalm. 131. dicitur: *Iurauit Dominus Dauid Veritatem, & non fruſtrabitur eam.*

OBSERVA hic, votum promiſſorium dici, quia licèt vel proponamus, vel promittamus aliquid facere, plerumque tamen promiſſionem habet adiunctam. Vel dic, etiam propoſitum faciendi habere aliquid ſponſionis, quod à voto differt, quia adducit eius propoſiti Deum teſtem, & hic ſenſus videtur magis ad mentem D. Bonauenturæ, qui promiſſorium iuramentum ait eſſe, quo aliquid promittimus.

EX parte verò modi S. Bonauent. *in 3. diſt. 39. dub. litt.* diuidit in Iuramentum per ſimplicem conteſtationem, quæ modula, vel adducit Deum in teſtimonium, quatenus habet rationem principij, vt Iuro per Deum; vel vt habet rationem principij, & cognoſcentis; vt Teſtis eſt mihi Deus, vel ſit: Et in iuramentum, quod inuocat Deum in teſtem, vt retribuentem, aut bona, vt Teſtis mihi Deus, qui vitam tribuit, vel vt retribuentem pœnas in vltionem, vt: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat: ſic ſuam voluntatem, vel ſe ipſum exhibet Diuinæ vltioni, ſi falsò inuocatur, & hoc dicitur Iuramentum exſecratorium, quod aliquando poteſt eſſe mixtum, vt fuit illud Apoſtoli 2. Corinth. 1. *Teſtem Deum inuoca in animam meam.* Vnde periurium exſecratorium non includit duas culpas, alteram periurij; alteram inuocatæ maledictionis; quia maledictionem iuſtè periuros imprecatur ſibi, vt notat Valentia *loco citato*, licèt oppoſitum cenſeat Tannerus *diſput. 5. quæſt. 5. num.* 4 Hoc autem genus iuramenti frequens erat temporibus legis veteris; quia tunc erat *Deus vltionum*, & quia lex erat timoris, vt notat D. Bonauent. *loco citato.* 7

ADVERTE autem, ipſum communiter diuidi in ſimplex, & exſecratorium, quia illa formula, qua inuocatur Deus, vt retribuens bona ad ſimplicem formam iuramenti reuocatur, niſi ita proferatur, vt includat contrariam maledictionem: Vt: Ità me Deus adiuuet: Ità Deus mihi benefaciat, det gloriam, &c. Hac enim formula ſubintelligitur: His me Deus bonis priuet, ſi hoc non eſt verum; Ità Caietanus *loco citato*, Syluester V. *Iuramentum*, 1. *quæſt.* 1. Sotus *lib. 8. de iuſtitia, quæſt. 1. art. 1.* Nauar. *ſumma, cap. 12.* Alcozer *cap. 15.* Leſſius *lib. 2. de Iuſtitia, cap. 42. dub. 2.* Sayrus *lib. 5. cap. 2.* Sanchez *lib. 3. ſummæ, cap. 2. num. 36.* Itaque hoc iuramentum erit exſecratorium; Si verò omnis exſecratio amoueatur, neque Deus adducatur in teſtem, non erit iuramentum, vt ſi dicam: Tot aureos haberem, quot ſunt iſta, quæ dico. Ità Sanchez *num. 39.* 8

TANDEM aliud eſt iuramentum ſimplex, aliud ſolemne; aliud iudiciale, aliud extra iudicium. Ità D. Bonauentura *in 3. diſt. 39. art. 1. part. 3. in reſolutione.* 9

CIRCA modos, & formulas iurandi oportet aliqua adnotare.

PRIMO reſpicienda eſt intentio, an fuerit iurandi illis verbis, ſeu ſignis. Ità D. Bonauent. *in 3. diſt. 39. art. 3. quæſt. 1. in fundamentis, & reſp. ad vltimum*, aduertit, obſeruandum eſſe vſum communem illius patriæ, an ea verba ſignificent iuramentum. Hanc regulam ſequitur Valentia 2. 2. *diſp. 6. quæſt. 7. puncto 2. col. 1.* Sanchez *lib 3. cap. 2.* Suarez *lib. 1. de iuramento, cap. 12.* Baſſæus V. *Iuramentum*, 1. 10

SECVNDO, non eſſe neceſſarium verbum *Iuro* ad iuramentum, ſed ſatis eſſe verbum, aut ſignum vocantis Deum in teſtem, vt *Per Deum, &c.* Ità S. Bonauent. *in 3. diſt. 39. in dub. litt.* & *in quæſtionibus, paſſim,*

passim, ac in opusculis *locis adductis*, quem sequitur Abbas *cap. etsi Christus, num. 3. de iureiurando*, Syluest. *verbo iuramentum*, 1. Couarr. *de pactis 1. part. num. 7.* Sanchez *eodem lib. 1. cap. 13.* Saytus *lib. 5. cap. 1.* Sanchez *loc. cit. num. 1.*

51 TERTIÒ, non esse necessarium ad verum iuramentum, vt res adducta in testem sit verè sacra, sed satis est, vt sit talis in iurantis æstimatione; atque adeò ethnici iurantes per Deos, verè iurant, quia putant, verum Deum in testem adducere, etsi materialiter errent. Ita D. Bonauent *in 3. d. 39. art. 2. quæst. 3.* vbi id etiam probat ex iuramentis, quæ describuntur in scriptura, factis ab ethnicis, *Genes. 31.* à Laban Iacobo. *primo Machab. 8.* à Romanis Iudæ.

DEINDE id probat ex D. Augustino *epist. 154.* & refertur *cap. Mouet, 22. quæst. 1.* sequuntur Glossa *cap. mouet V. societ.* Syluest. *V. iuram. 4. quæst. 4.* Couarr. *de pactis 1. part. §. 1. num. 10.* Aragon. 2. 2. *quæst. 89. art. 1.* Seraphinus de priuilegio iuramenti *priui. 30.* Azor. *T. 2. lib. 11. cap. 2. quæsita 1. & cap. 11. quæsita 11.* Petrus Ledesma *Tom. 2. summa, tract. 11. cap. 1. d. 1.* Philiarc. *de offic. Sacerd. Tom. 1. quæst. x. lib. 3. cap. 13.* contra multos, quos sequitur Sanchex, atque adducit *lib. 3. cap. 2. num 5.* vbi non respondet Scripturis adductis à D. Bonauentura.

52 OBIICIT verò, iuramentum adducere Deum verum in testem.

RESPONDETVR, sufficere si intendatur adducere verum Deum. Sic intendunt gentiles, licèt aberrent, sicuti si quis iuret super librum prophanum, putans esse Euangelium, verè iurat.

RESPONDET Sanchez, non esse simile, quia hic intendit iurare per vera Euangelia, nec ei libro aliquid sacrum adscribit.

AT non est ad rem, quod cultus latriæ illi non adhibeatur; tunc est enim inuocatio in testem, licèt subordinata, res tamen est diuersa, vt notat D. Bonau. *loc. cit.* quia sufficit ethnicum existimare, & intendere in verum Deum.

IDEÒ si Christianus per falsos Deos iuraret, non teneretur iuramenti religione, quia ex notitia, & intentione adducitur creatura in testem. Vnde miror, aliquos apud Sanchez *numero 6.* hoc dixisse. Iurare ergo per BACCHVM falsò, non est periurium; seriò autem, est blasphemia.

53 QVARTÒ notandum, nil referre in iuramento, siue res in testem adducta inuocetur per propositionem *In*, siue per propositionem *Per*; vt iuro in Deo, vel per Deum. Ita D. Bonauent. *in 3. d. 39. dubia litt. num. 5.* in fine, quem sequuntur Syluest. *V. Iuram. 1. quæst. 5.* Aragon. 2. 2. *quæst. 89. art. 1.* Petrus Ledesma *2. Tomo, tract. 1. cap. 1.* Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 7. puncta 2.* Azor. *Tom. 1. lib. 11. cap. 3. quæsita 1.* Manuel *1. Tomo summa. cap. 19.* Suarez *lib. 1. de Iuram. cap. 13. num. 14.* Clauis Reg. *lib. 5. cap. 1. num. 13.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 42. dub. 1.* Sanchex, aliis adductis *loc. cit. num. 8.* Sic Matth. 5. dicitur: *Non iurare omnino, neque per cælum, neque per terram.*

54 QVINTÒ aduerte ex D. Bonauent. *in ea dist. art. 2. quæst. 2. in corpore, & ad argumenta*; iuramentum per creaturas, eas asserendo veritatis testes infallibiles, esse blasphemiam, & speciem Idolatriæ consequenter; at verò iurare per creaturas, vt sunt effectus Creatoris, quem in testem inducimus, est iuramentum, de quo agemus *quæst. 3.* Ità omnes.

OBSERVAT autem Sanchex *num. 10.* eas solas creaturas adductas in testes iuramentum formare, in quibus specialiter relucet Dei maiestas, vt homo, cælum, &c. Nisi cæteris addatur Deus, vt *per aerem Dei*: Adducit pro se Syluestrum. *V. Iuram. 3. quæst. 4.* Nauar. *in summa, cap. 12.* Suarez *lib. 1. cap. 13. num. 13.* & alios.

15 AT D. Bonauent. loco adducto *ad vltimum* etiam per lapidem ait iurari, quod probat primò ex *Matth. 5.* vbi prohibetur iurare per terram, quæ tamen est infima substantia corporea, in qua non elucet speciali ratione Diuina bonitas. Idem enim erit ac iurare per lapides, &c.

DEINDE idipsum probat *ex dist. 2. 2. quæst. 1.* quem vide.

EX his sequuntur multarum difficultatum solutiones, quas refert Sanchez à *num. 13.*

PRIMÒ sequitur ex quarto Notando, idem iuramentum esse, si dicas: Per Deum ita est; & in Deo ita est; hoc enim secundo modo iurandi vsus est Paulus, Rom. 9. *Veritatem dico in Christo, non mentior.* Ità D. Bonauent. & alij ibi adducti.

16 SECVNDÒ deduco ex primo Notando, tametsi hæc verba: Voueo Deo votum, resonent, tamen ex vsu esse censenda iuramentum. Idem dicendum de his: Promitto Deo, licèt in se spectata sint votum, non iuramentum, quod sanè libenter concedo Valasco *consil. 99. num. 14.* Idem dic de his: sicut habeo fidem Christianam, tum ex vsu; tum quia in sententia D. Bonau. & aliorum, certus sum veritate fidei, me habere fidem veram: Aliter videtur de his: sicut baptizatus sum, religiosus, probus, quia videtur solùm adduci in testem fidelitas, ac veritas, quam Christianus, Religiosus, vel vir probus profiteri tenetur. Hæc autem: *Scit Deus: Videt Deus, ita esse*, aliqui dicunt esse iuramenta, vt D. Augustinus *epist. 89. & serm. 28. de verbis Apostoli.* Et refertur *cap. si peccatum. 22. quæst. 1.* & D. Thom. *loc. cit. ad 3.*

17 AT D. Bonauent. *dist. cit. in dub. litt.* vult, necessariò inuocandum esse in testem Deum, vt scientem, vt sit iuramentum. Quare si simpliciter enuncietur. Non erit iuramentum, vt notat Sanchez *num. 20.* & hoc vult D. Augustinus. Ita docent etiam Caietanus *ad 3.* Tabiena *verbo iurare, quæst. 32.* Sotus *lib. 8. de Iust. quæst. 1. art. 1.* Suarez *lib. 1. de voto, cap 13. num. 7* Less. *lib. 2. de Iust. cap. 2. d. 2.* Clauis Regia *lib. 5. cap. 1.* Pedraza *summa, præcepto x. § 1.* Aragon. 2. 2. *quæst. 89. art. 1.* Manuel *1. Tomo summa, cap. 191.* Valentia *d. 6. quæst. 7. puncta x.* Sà *V. Iuram.* Petrus Ledesma *2. tom. tract. 11. cap. 1.* quos adducit, & sequitur Sanchez *num. 20.* Itaque hæc verba: *Deus scit, videt*, possunt esse simplices enunciationes; hoc verò ex vsu, intentionéque iurantis dimetiendum est. Hæc autem: Testis est mihi Deus, asserit S. Bonauent. *loc. cit.* esse iuramentum. Ita etiam D. Thom. Sotus, Aragon, Manuel, proximè citati, Syluest. *V. iuramentum* contra Sanchex *num. 21.* & Azorium *loca citata*, qui dicunt esse verba æquiuoca, sicut priora: *Scit Deus*, & ita posse & inuocatiuè, & enunciatiuè proferri.

18 ENIM verò fatetur Sanchex, ea maiorem iuramenti effigiem habere, & ex vsu esse iuramenta. Ità etiam Suarez *eo cap. 13. num. 7.* At inter iuramenta ponunt Saytus *lib. 5. cap. 2.* Less. *cap. 42. dub. 2. num. 8.* hæc verba: Testis mihi sit Deus. Deum testor, testificor, quæ S. Bonauentura ait idem esse cum superioribus: Testis est mihi Deus; nam cum testis esse debeat vocatus, vt legitimus sit, eo ipso, quod Deus dicitur: *Testis est*, inuocatur.

HÆC autem: *Viuit Deus*, ponuntur vt iuramentum à D. Bonauent. *loc. cit.* quem sequuntur Syluester *V. iuramentum*, Sotus *de iuramentorum abusu, cap. 4. & lib. 8. de iust. quæst. 1. art. 1. col. 6.* Azor. *Tom. 1. lib. 11. cap 3. quæsito 5.* Suarez *eo cap. 13. n. 6.* contra Petr. de Ledesma *loc. cit. n. 20.* qui ea ponit inter verba ambigua, sicuti ponit ea etiam: Deus est veritas, quòd ita res est, cui in hoc fauet Suarez *loco citato.*

DEDVCITVR

19 DADVCITVR etiam, esse iuramenta per vitam Dei, vel Sanctorum, per quæuis Christi, vel Sanctorum membra. Ità S. Bonau. *loc. cit.* & *art.* 2. *quæst.* 2. At iurare per membra aliqua Dei simpliciter, blasphemum proclamatur à D. Bonau. *ad* 2. quod probat ea Pij Papæ decreto, quod habetur 22. *quæst.* 1. vbi dicitur: *Si quis per capillum Dei, vel caput iurauerit, &c. si in Ecclesiastico ordine est, deponatur; si laicus, anathematizetur.* Sunt autem blasphemiæ, vt notat D. Bonauent. *loco citato*, si credatur verè in Deo membra esse; vel per membra Christi diuidenda, vt v. g. per caput Christi, per vitam Christi; hoc enim est execratorium, quasi dicat: Possit Deus, seu Christus, amittere vitam, si non est ità.

SIMILITER iurare per pudenda Christi, vel Sanctorum, est blasphemia, quia licèt ea membra habuerint, non tamen ad contumeliam, tanquam vituperabilia, & hoc indicat etiam S. Bonauent. *loco citato*, quocum in omnibus sunt Doctores plurimi, adducti à Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 32. *à num.* 25. *ad* 30.

20 SIMILITER iurare per vitam, vel salutem, aut animam nostram, vel proximorum conuiuentium, est verum iuramentum, vt notat S. Bonauent. 3. *dist.* 39. *art.* 2. *quæst.* 2. *in corpore.* Sic Ioseph iurauit per vitam, & salutem Pharaonis *Genes.* 42. Ratio est, quia adducitur Deus author vitæ, animæ, &c. quæ sunt res nobiles, in quibus elucet Diuina maiestas: id patet in opinione etiam aduersariorum, quos retuli *notando quinto.* Ità docent Syluester V. *Iuram.* 1. *quæst.* 5. Sotus *lib.* 8. *de Iust. quæst.* 1. Pedraza *summa, præcepto* 2. §. 1. Azorius *tract.* 1. *lib.* 11. *c.* 3. *quæst.* 1. Petrus Ledesma 2. *Tom. tract.* 11. *cap.* 1. *dub.* 1. Suarez *eo cap.* 13. *num.* 22. contra alios, quos refert Sanchez *num.* 29. qui tamen contra Ledesmam ait, non esse execratorium. Idem erit autem, vt suprà dixi: *In anima mea*, nisi fortè velis solùm dicere: assero id, quod habeo intus; tunc enim non erit iuramentum, vt notat Sanchez.

21 SIMILITER erit iuramentum: Viuit anima mea, vel tua, vt notat D. Bonauent. *eo dub. litt.* quia adducitur Deus, vt author vitæ. Ità Sanchez *num.* 29. Syluester V. *Iurament.* 1. *quæst.* 1. Azor *loco cit.* Hæc autem verba per meam conscientiam, vel in mea conscientia; multi asserunt esse iuramentum, quos refert Sanchez *num.* 30. At potius videtur solùm recitatiuè dici: assero, quod in conscientia sentio. Ità Sanchez, Sotus *de Iuramentorum abusu, cap.* 41. Petrus Ledesm. 2. *Tom. tract.* 11. *cap.* 1. *dub.* 1. Suarez *eo cap.* 13. *num.* 22. Sayrus *eo cap.* 1. *num.* 13. Lessius *eo dubio citato.* Idem erit: Testis est mihi mea conscientia; nam conscientia ex se naturaliter testificatur, vt notat D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 39. *quæst.* 1. *ad vltimum*, & ita signatur. Hoc mihi dictat conscientia.

22 VERBA autem illa: In fide mea: *A fe da quel che son*; puto, non esse iuramentum cum Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 79. *num.* 28. seclusa peculiari dicentis intentione, qui per ea verba fidem Diuinam intelligeret; sensus enim est: Per meam fidelitatem, veritatem humanam, qua verba humana fundantur in modo ordinario loquendi, vt notat Caietanus, & ita neque erit iuramentum: *In veritate ità est.* Ita multi cum Sanchez *num.* 34.

Sunt autem rudes, confitentes se iurasse, interrogandi, Quid dixerint, vt monet Bassæus.

QVÆSTIO II.

An liceat per DEVM *iurare.*

D. Bonauent. in 3. dist. 39. art. 2. quæst. 1.
D. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 2.

HÆRETICI plurimi omninò negant, Iuramentum licitum esse. Inter hos sunt Manichæi, 23
quos refert D. Bonau. hîc, & Apostolici apud D. Bernardum *homil.* 66. *in Cant.* & Cathari, teste Guidone, & Pauperes de Lugduno apud eundem, & Fraticelli, teste Turrecremata *lib.* 4. summæ de Ecclesia *part.* 1. *cap.* 37. Vuiclephus *errore* 43. ex damnatis in Concilio Constantiensi *sess.* 8. qui dixit, non esse iurandum ad firmandos humanos contractus; ita & Anabaptistæ apud Coclæum contra eosdem, & Erasmus *ad* 5. *Matthæi.*

ASSERO tamen, licitum esse Iuramentum.

PROBATVR à D. Bonau. primò ex 5. Matth. 24
Reddes autem Domino iuramenta tua. Idem habetur Deuter 6. *Dominum Deum tuum timebis, & per nomen illius iurabis*, & cap. 21. vbi præcipitur Magnatibus viciniorıbus loco, in quo homo occisus fuisset repertus, vt iuramento se expurgent, & Psalm. 62. *Laudabuntur omnes, qui iurant in eo*, & Heb. 6. vbi dicitur: *Omnis controuersiæ finis est iuramentum*, vt ritè aduertit S. Bonauent. *serm.* 3. *Decalogi.* & *loco cit.* post D. Augustinum *serm.* 28. *de verbis Apostoli.*

PROBATVR secundò à D. Bonauent. Id, quod habet Deum, & sanctos exemplares, non est peccatum: At iuramentum editum est à Deo, & sanctis: Ergo. Minor probatur, Genes. 22. *Per memetipsum iuraui, dicit Dominus.* Psalm. 119. *Iurauit Dominus*, Heb. 6. *Per semetipsum iurauit.* Præterea quoties in veteri testamento dixit: *Viuo ego*, & in nouo: *Amen, amen*, (quod frequens est) Deus iurauit, vt ritè aduertit etiam D. Hieronymus *ad* 16. *Ezech.* Chrysostomus *homil.* 11. *in epistolam ad Heb.* Oecumenius *in cap.* 3. *ad Heb.* & habetur *cap. Etsi Christus, extra de iureiur.*

SIMILITER etiam Sancti iurarunt: sic Abra- 25
ham *Genes.* 21. Iacob Laban *Genes.* 31. Moyses Iethro *Exodi* 2. Dauid 1. *Reg.* 20. *secundo, Reg.* 3. Apostolus *Rom.* 1. *secunda, Cor.* 1. *Philip.* 1. & aliis locis, vt refert S. Bonauent. *serm.* 3. *Decal.* & *in* 3. *dist.* 39. passim & *in Bibliis Pauperum, cap.* 18. Ergo. Est argumentum D. Augustini *loco cit.* & *lib.* 19. *cap.* 23. *contra Faustum*, & aliorum Patrum.

PROBATVR tertiò. Id, quo exhibetur Deo honor, est licitum: tale est iuramentum: Ergo. Minor probatur à D. Bonauent. ex Glossa *in* 5. *Matth.* quia dum adducimus Deum in testem veritatis, fatemur Deum esse primam veritatem infallibilem, cui innitimur, in quem speramus veritatem pandendam, quem timemus, quem diligimus, & ideò nos totos in eum remittimus. Quæ latè prosequitur Suarez *lib.* 2. *de religione, Tract. de iuramento, lib.* 2. *cap.* 4. & 7.

PROBATVR quartò à D. Bonauent. Quod ha- 26
bet obiectum, & finem sanctum, est licitum; tale est iuramentum, quod habet obiectum Diuinam inuocationem ad pandendam veritatem, ad promouendum bonum, ad conseruandam fidelitatem, ad pacem promouendam, ad compescendam malitiam, ad sedandas controuersias, ad ritè expurgandas infamias, vt habetur *Heb.* 6. *Deuter.* 21. suprà allatis: Ergo. Vide

D. Bonauent.

D.Bonauent. etiam *serm.* 3. *Decal.* & *loco cit. Centil.* His argumentis nituntur Suarez *loco cit.* Valentia 2. 2. *disp.*6. *quæst.*7. *puncto* 3. Castro *lib.*8. *contra hæreses*, *V. Iuram.* Azor *Tom.*1. *lib.*11. *cap.*2.

Obiicies primò *Matth.*5. Christus ait: *Ego autem dico vobis non iurare omnino.*

27 Respondet D. Bonauent. *ad primum*, & *serm.*3. *in Decalogum*, Christum non prohibuisse vniuersaliter iuramentum, sed solùm prohibuisse, ne in omni negotio facilè iuraremus. Propterea enim non dixit: *Ego dico vobis non iurare omnino*, quod vniuersalem negatiuam redderet: sed ait: *Dico vobis non iurare omnino*, idest, non semper, & ita facilè. Negatio enim posita ante signum vniuersalitatis æquipollet particulari negatiuæ. Sic: Non omnis homo currit, est particularis negatiua: At postposita negatio facit eam vniuersaliter veram, vt: Omnis homo non currit. Hanc responsionem accipit Azor *Tom.*1. *lib.*11. *cap.*3. *quæsito* 5.

Valentia *loco citato*, post Gabrielem *in* 3. *dist.*39. *quæst.*1. hanc responsionem respuit, quia sententiæ Sacræ scripturæ non sunt metiendæ regulis Dialecticorum, & constat sub eadem loquendi forma enarrare in Scriptura prohibitionem vniuersalem, vt Exodi 20. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem.*

28 At quid oberat hæc Seraphici arguta obseruatio, vt eam funditus euertere nulla ratione conarentur isti? Eam porrò solidam ostendo: Nam sæpe, ac sæpius Scriptura his explicatur regulis, vt passim videre est in SS. PP. præcipuè Augustino; Regulæ enim Dialecticæ ad propositionum veritatem inueniendam traditæ sunt; & in hoc casu traductus est textus de verbo ad verbum ex Græco, quod ità omninò sonat, vt in textu legitur. Scimus autem, Græcos his regulis Aristotelicis vti. Sic & figuris, & Tropis sæpissime videmus vti sacram scripturam.

Exemplum verò adductum à Valentia est pro nobis: Ibi enim non prohibentur vniuersaliter omnes imagines, nam & ipse Deus Cherubinos texendos, alios sculpendos iubet; sed illæ dumtaxat, quibus honor latriæ impendatur, vel per quas aliis creaturis impendatur, vt fatetur ipse Valentia 2.2. *disp.*6. *quæst.*11. *puncto* 6. *col* 1461. vbi hunc dicit esse omnium Catholicorum irrefragabilem sensum. Quare illa est propositio negatiua particularis.

29 Reiectis igitur aliis etiam responsionibus, respondet Valentia ex D.Thom. *art.*2. *ad* 1. & D.Augustino *lib.*19. *contra Faustum*, *cap.*23. & *lib. de mendacio*, *cap.*15. Christum Dominum prohibuisse facilitatem, atque adeò temeritatem in iurando, qua Pharisæi scatebant. Hunc autem fuisse Christi Scopum probat ex initio sermonis: *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.*

30 Cæterum pro hac expositione poterat adducere etiam S. Bonauenturam *loco cit. ad secundum*, & *in corpore.* Ratio vero, quam de suo penu addit Valentia, friuolum est inuentum; satis enim Christus assignauit abundantiorem necessariam iustitiam, quoad hoc retundens eorum vsum peierandi per creaturas, hoc prætextu, non esse iuramentum per eas. Quod verò potius prohibuerit facilitatem nimiam in iurando, vnde iuramentum posset carere etiam veritate ex inconsideratione; aut prohibuerit, ne in omni re leui absque necessitate iurarent, vt ait S. Bonauent. in priori expositione, ne verbolo quidem colligitur. Adde etiam in priori expositione D. Bonauenturæ contineri hanc secundam, nempe, prohiberi, ne tertio quoque verbulo è quauis occasiuncula, leuique caussula præcipites inconsideranter iuremus.

Obiicies secundò, Iacobi 5. *Ante omnia autem fratres mei nolite iurare.*

Respondet S.Bonauent. *in corpore*, & *ad* 2. ex D.Augustino *ad Publicolam*, vetare facilitatem iuramenti ob periurij periculum ex inconsideratione veritatis. Ità respondet etiam Valentia *loco cit.* Idem responsum ex D. Bonauent. *ad secundum*, dat Patribus, qui contra iurantes frequenter inuehuntur.

Addit S.Bonauent. Diuum Iacobum intendere etiam remouere affectum nimium ad iuramenta; ideò ait: *Nolite*, propter periculum, quod ex affectu sequitur frequentandi absque debitis conditionibus iuramentum; nimia enim frequentia mala est. Ex quo tamen non sequitur, absolutè malum esse iuramentum: Sicuti consuetudo ridendi, & ludendi est mala; at aliquando moderatè ludere, & ridere est virtus Eutrapelyæ. Vnde redarguit S. Bonauent illud argumentum: Omnis actus, cuius consuetudo est mala, & ipse malus est; at consuetudo iurandi est mala: Ergo & actus simpliciter. Addit ergo propterea, Iuramentum non esse ex bonis per se appetendis, sed eo in sola necessitate vti licere, quod probat ex D.Augustino *de serm. Domini in monte*, *lib.*1.*cap.*30. & refertur, *cap. Ita ergo*, 22. *quæst.*1. & D.Thom. *art.*5. Idem habet. 31

Obiicies tertiò, peruersum est inuocare Deum testem rerum prophanarum, & humanarum in tanquam licitum.

Respondet S. Bonauent. *serm.* 3 *Decal.* ex Apostolo *Heb.*6. Id à Deo rectum existimari; nam pax est grauissimum bonum, necessarium ad salutem; sedatis autem controuersiis, conseruatur pax. Itaque inuocatio Dei non ordinatur, tanquam ad vltimum finem ad prophana negotia, sed finis controuersiarum est pax, quæ in Deum reuertitur, ac terminatur. Eodem modo respondet Valentia *loco cit.* & Azor *Tom.*1. *lib.*11. *cap.*3. *quæsito* 5. & Iurisconsult. *leg.*1. *ff. de Iureiurando.* 32

QVÆSTIO III.

An liceat iurare per creaturas.

D Bonauent. in 3. dist 39. art.2. quæst.2.
D. Thom 2.2. quæst.89. art.2.

Fvit opinio D. Hieronymi *in* 5. *Matthæi*, vetitum à Christo fuisse iurare per creaturas. Eum secutus est Alphonsus de Castro, V. *Iuram. hæresi* 1. & videtur Innocent. III. *cap. etsi Christus*, *de Iureiurando.* 33

Vera tamen sententia est, licere per creaturas iurare. Ità D.Bonauent. hîc, D. Thom. *ad primum*, quos omnes alij sequuntur, vt ait Azorius *Tom.*1. *lib.*11. *cap.*3. *quæsito* 5.

Notat autem Azorius ex D. Bonauent. *in corpore*, dupliciter iurari posse per creaturas; primò per eas, tanquam testes veritatis inuocatas, quasi diuinas, quo pacto ethnici iurabant *Ædepol*, *Mehercule*, & hoc continet blasphemiam, nimirum quia id adscribitur creaturis, quod est proprium Dei, esse veritatis authorem infallibilem, & hoc ideò prohibetur *cap. Clericum*, 22.*quæst.*1. à Concilio Carthaginensi IV. & *cap. si quis per creaturas.*

Altero modo iuratur per creaturas, non ipsis sistendo,

stendo, sed Deum inuocando, qui in creaturis opifex elucet, vt author omnis veritatis, & bonitatis; in creaturis etiam hoc est licitum, vt infrà ostendam.

Asserro, licitum esse per creaturas iurare.

34 Probatvr à D. Bonauent. primò. Ioseph *Genes.*42. Iurauit per salutem Pharaonis, & Paulus prima *Corinth.*15. per gloriam Corinthiorum: *Quotidie morior per gloriam vestram.* Ità sentit D.Augustinus *serm.* 28. *de verbis Apostoli in Glossa ordinaria.* Alij tamen legunt: *morior propter*, &c. At textus Græcus habet, *Per.* Sic legit S.Bonau. etiam *in Biblijs pauperum*, *cap.*18.

Probatvr secundò à D. Bonau. quia communiter ab Ecclesia exhibetur iuramentum per Euangelia; at Euangelium est creatum.

Obijcias primò *Matth.*5. ait Christus: *Nolite iurare per cælum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum pedum eius*, & Glossa ait, esse superstitiosum.

Respondet S.Bonauent. vetari iuramentum per creaturas priori modo, attribuendo eis aliquid Diuinum; at iurare posteriori modo licere, debito moderamine, vt suprà.

Obijcies secundò. Pius Papa vetat iurare per capillum Dei 22. *quæst.*1.

35 Respondet S.Bonauent. damnare illos, qui Deo membra adscribunt; & qui per membra Christi contumeliosè iurant.

QVÆSTIO IV.

Quænam requirantur ad Iuramentum.

D.Bonauent. quæst. 1.

36 QVæstio est de requisitis ex iure Diuino naturali ad modum licitum iurandi. Constans autem est Theologorum sententia, tres, veluti comites, requiri, ex 4. Hieremiæ, *Iurabis: viuit Dominus in veritate, & in Iudicio, & in iustitia.* Ita exponit D. Hieronymus, & refertur *cauſ.*22. *quæst.*2. & *cap. vltimo* 22. *quæst.* 4. Id habet D.Thom. 2. 2. *quæst.*89. *art.*3. D.Bonauent. *in* 3. *dist.* 39. *quæst.*1. & *in dub. lit.* vbi aduertit, Iuramentum ad tria comparari, videlicet ad iurantem, à quo procedit: ad rem, seu materiam iuramenti, de qua iuratur: & ad causam, de qua, seu per quam iuratur. In eo, qui iurat (ait) requiritur iudicium, idest discretio, & prudentia quædam necessaria omni iuranti. Hæc autem tria re-
37 quirit, ait Valentia. Primum est, vt quod iuramento affirmamus, non possit absque iuramento sufficienter probari, tunc enim esset abusus iuramenti; nam iurandi institutum referri debet ad sola facta contingentia, & occulta, quæ egeant probatione Diuini testimonij, cuius oculis omnia sunt nuda, & aperta. Secundum est, vt adsit aliqua pia causa iurandi. Tertium est, vt qui iuraturus est, diligenter prævideat, verumne sit, an falsum id, quod iuraturus est: At secunda conditio ad iustitiam videtur reduci à D.Bonauent. Sed non ità esse reor, vt infra dicam.

38 In ordine autem ad rem, de qua iuratur, requiritur veritas saltem secundum rationabile iudicium iurantis. Diuersimodè tamen requiritur Veritas in iuramento Assertorio, & in Promissorio; nam In Promissorio requiritur duplex veritas; altera consistit in concordantia promissoriæ dictionis, & interioris intentionis faciendi suo tempore, quod spondetur: Altera veritas est concordia etiam effectus, seu rei promissæ cum promissione, & hæc est propriè veritas iuramenti promissorij. Veritas autem in Assertorio iuramento est vnio, idest, concordia assertionis cum mente discreta, vt dixi.

In ordine ad causam, per quam, seu de qua iuratur, necessaria est iustitia, vt scilicet actus iurandi sit iustus, idest, non contra leges, & iusta de causa fiat. Et quidem in Iuramento promissorio requiritur iustitia, non modò in actu; vt videlicet non noceat proximo, sed etiam in materia iuramenti; vt videlicet sit opus iustum, reductum ad aliquam virtutem, esto in se indifferens, vt dicam *quæst.*13. In Assertorio autem non requiritur iustitia ex parte materiæ; sæpè enim deregitur licitè per iuramentum proximi crimen; sed iustitia requiritur in solo actu iurandi, né videlicet alicui noceat. Hoc indicat S.Bonauent. dum ait, requiri iustitiam, vt pro iusta causa fiat, non ob iustam causam, quod ad iudicium discretionis pertinet, & ideò prudenter etiam ait, iustitiam requiri in causa, *de qua*, idest, in materia iuramenti, pro vt formaliter habet rationem causæ iurandi in Promissorio; & in actu, pro vt est productiuus iuramenti in Assertorio.

Ex defectu igitur cuiuscumque harum circum- 39
stantiarum redditur iuramentum illicitum; nam si deest iustitia, efficit iurans, quantum in se est, Deum cooperatorem mali, & dicitur Iuramentum iniquum, siue iniustum. Si deest veritas, efficitur Deus vel ignorans, vel improbus; alterutrum enim necesse est esse eum, qui est testis falsitatis, & dicitur tunc iuramentum falsum, siue periurium propriè loquendo. Si denique iudicium deest, irrogatur Deo irreuerentia, quippe sine causa trahitur in testimonium, & dicitur iuramentum incautum, & temerarium. Vide D.Bonauent. præcipuè *sermone* 3. *in Decalogum.*

Ex his resoluitur prima quæstio D.Bonauent. an scilicet in omni periurio sit mendacium.

Potest enim esse periurium, quia temerè pro- 40
latum est; non tamen mendacium, quippe iurans putauit ex inconsideratione, esse verum. Id probat S.Bonauent. *in corpore*, ex D.Augustino *serm.*23. *de verbis Apostoli.* Itaque ex defectu iudicij discretionis fit periurium, quod non est mendacium formaliter.

Deinde potest defectus iuramenti venire ex Iniustitia, vt si aliquis iuret homicidium, stuprum, vel aliud facinus animo adimplendi; non erit mendacium, & tamen erit periurium late; Erit tamen mendacium, si iuret non animo implendi promissum. Ità D. Bonauent. *loco cit.* propriè enim periurium est, quod propriè aduersatur fini iuramenti, qui est veritatem stabilire. Itaque, si desit tantùm iustitia, erit lato modo periurium, vt notat Sanchez *cap.*8. *num.*5.

Ratio igitur mendacij stat in defectu Verita- 41
tis, si falsitas voce prolata intendatur, quod si intendas dicere verum, & dicas falsum ex inconsiderantia, erit temeritas, vt dixi; mendacium enim formaliter debet esse voluntarium directè; attamen etiam dictum falsum ex temeritate, est aliquo modo mendacium, latè saltem.

Ex his habes, sumpto mendacio latè, in omni periurio, opposito iuramento assertorio, esse mendacium; at si propriè, ac strictè sumatur mendacium, non reperitur in omni iuramento promissorio; neque in omni assertorio. Vide Valentiam *quæst.*14. *puncto* 1. Tanner. *disp.*5. *quæst.*8. *dub.* 1. Fagundez *in* 2. *Præc. lib.*2. *cap.*51. Clarum *lib.*5.

Concludit igitur S. Doctor ex testimonio Hieremiæ, & Hieronymi allegato, propriè esse mendacium ex violatione solius secundæ conditionis, idest, Veritatis, non autem ex violatione Iudicij, vel Iustitiæ;

Iustitiæ;

Iustitiæ; ex singulis tamen fieri, vt peccetur contra legem iuramenti, quæ tres illas exigit conditiones. Sic & *in opusc. declaratorio termin. Theol.*

QVÆSTIO V.

An, & quomodo sit Peccatum iurare absque Veritate.

D. Bonauent. in 3. dist. 39. quæst. 2. & 3.
D. Thom. 2. 2. quæst 98. art. 2

43 ASSERO primò iuramentum assertorium in quauis materia, etiam paruula, est peccatum mortale, si sit falsum, solumque potest excusari à mortali ex defectu plenæ deliberationis. Ita D. Bonau. *quæst. 3. in corpore*, & *ad tertium*, quem sequuntur Caietanus *summa. V. Periur. cap. 1.* Sotus *lib. 8. de Iust. quæst. 2. art. 3.* Toletus *lib. 4. summæ, cap. 21.* Couar. *cap. variarum, cap. 1. n. 2.* & *de pactis 1. p. §. 1.* Suarez *Tom. 2. de relig. lib. 3. de Iur. cap. 4.* Saytus *lib. 5. cap. 4. num. 15. & 16.* Azor *Tom. 1. lib. 11. cap. 4. quæst. 1.* Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 7. puncto 3.* Sanchez *in summa, lib. 3. cap. 4. num. 6.* qui dicit omnes alios sequi. Nec excusat quicunque finis sanctus, aut timor, vt docent Suarez, Saytus, Sotus, Toletus *loco cit.* Nauar. *summa, cap. 12.* Sanchez *loco cit.* post D. Thom. *art. 3. ad 1.* D. Bonauent. *quæst. 2. ad vltimum*, quod probat, tum ex canone *in Decr. lib. 2. tit. 24. cap. 15.* de Iureiur. *Quod si quis periurat pro vita corporis seruanda, quia magis dilexit corpus, quàm animam, ieiunet tres quadragesimas*; Tum quia peierare est intrinsecè malum, vt nunquam valeat honestari. Ita arguit Sanchez *num. 7.* cum aliis.

PRIMA pars assertionis probatur à D. Bonauent. *quæst. 3.* ex D. Augustino *serm. 28. & 30. de verbis Apostoli.*

44 SECVNDO probatur à D. Bonau. *argumento 3.* quo vtuntur Valentia, Sanchez, & cæteri: quia Deum afferre in testem falsum, est magnus Diuinæ veritatis contemptus. Sic enim efficitur Deus, vel ignorans, vel improbus, vt vrget etiam Bassæus V. *Iuram. 2. num. 3.*

HINC sequitur primò, non benè Iotistas, quos refert Angelus V. *Periurium*, docens, eorum sententiam esse probabilem, dixisse, iuramentum falsum ex ioco esse veniale. Imò est maius peccatum, quia est maior contemptus, vt docet D. Bonauent. *ad 3.* D. Thom. *quæst. 98. art. 3. ad secundum*, quos alij sequuntur, adducti à Sanchez *num. 7.*

ADDVNT tamen S. Bonauent. & S. Thom. posse à mortali excusari, si iuretur ex ioco, qui tollit deliberationem; tunc enim iocus non est grauis contemptus Diuinæ veritatis.

SEQVITVR secundò, eum pariter mortaliter labi, si rem sibi dubiam, & incertam iuret, quia periculo exponitur falsum dicendi, ac periurandi, imò periurat asserens certò rem dubiam, vt arguit Sanchez *num. 8.* ex D. Bonauent. *quæst. 1. ad 1.* Deinde quia vt ait S. Bonauent. *quæst. 2. ad 1.* Diuina veritas temerè adducitur, & contemnitur, dum vocatur in testem certum rei incertæ.

ADDIT aliam rationem S. Bonauent. *loco citato, quæst. 1. ad 3.* quia illud iuratur ex conscientia culpabiliter erronea, quæ in moribus non excusat factum iniquum. Vide Bassæum *3. num. 3.*

45 AD veritatem autem iuramenti assertorij non est necesse, vt res ita sit, sed sufficit, ac necessarium est, rem prudenter consideratam ita firmiter æstimari. Ita S. Bonau. *quæst. citata*, quem sequuntur Azorius *Tom. 1. lib. 11. cap. 2. quæst. 5.* Valentia *disp. 6. q. 7. punct. 3. col. 5.* Suarez eodem *lib. 3. cap. 5. num. 3.* Lessius *lib. 2. de Iust. cap. 42. dub. 4. num. 17.* Sanchez *loco cit. num. 10.* Hinc infert cum Valentia *col. 11.* ac D. Bonauent. *q. cit. ad argumenta*, non excusari à periurio existimantem leuiter, id esse verum, quod iurat, quandoquidem non sufficienter prouidet, vt verum iuret, & per accidens sequitur verum. Itaque, etiamsi verum sit, non excusatur à mortali, si negligentia grauis fuit in veritate indaganda; si autem leuis fuit; erit & culpa leuis, quia talis est effectus, qualis est causa, vt innuit S. Bonauent. *quæst. 3. ad argumenta*, & asserunt multi cum Sanchez *num. 14.* & Bassæo *loco cit.*

ALTERA verò pars assertionis, scilicet excusari 46 periurium assertorium à mortali ex indeliberatione. Probatur à D. Bonau. *quæst. 3. in corpore*, quia lubricitas linguæ magna est, quæ sæpe potest ex lapsu non sequi imperium voluntatis, & reddere actum non humanum, aut imperfectè talem; qua ratione vtitur Sanchez *num. 15.* Ità sentiunt etiam D. Thom. *art. 3. citato, ad 2.* Caietanus ibi, Syluester V. *Iurament. 2. quæst. 6.* Nauar. *summa, cap. 12.* Valentia, Suarez, aliique suprà citati.

ASSERO secundò, Iuramentum promissorium ex defectu concordantiæ voluntatis exequendi cum promissione prolata, quæ dicitur *veritas de præsenti*, esse prauum. Ita D. Bonau. *quæst. 3. corpore*, & *ad tertium*, quem sequuntur Syluester V. *Iuram. quæst. 1.* Armilla *ibi*, Caietanus 2. 2. *quæst. 89. art. 7. ad 1.* & *q. 98. art. 2. & 3.* & *in summa, verbo Periurium, c. 2. & 3.* Sotus 8. *de Iust. q. 1. art. 7.* & *quæst. 2. art. 1. & 3.* Nauar. *in summa, cap. 12.* Valentia *loco cit. puncto 3. concl. 2.* Azor *Tom. 1. lib. 11. c. 4. q. 1.* Suarez *lib. 3. citato, c. 15.* Clauis Regia *lib. 5. cap. 4. n. 27.* Lessius *lib. 2. de Iust. c. 42. dub. 4. num. 18.* Sanchez *loco citato, num. 16.* Bassæus *n. 2.*

PROBATVR à D. Bonau. *argumento 3. quæst. 3.* & *quæst. prima ad 1.* quia sic adducitur Summa Veritas in testimonium falsi cogniti, & ita grauissima infertur Deo iniuria iurando mendacium.

HINC sequitur, peccare mortaliter etiam iurantem dare rem, quam dubius est, an possit implere: 47 Similiter promittere animo dubio implendi, vel promittendo rem, quam credit, se implere non posse. Probatur à D. Bonauent. *quæst. 1. ad 1.* quia iurat certè rem incertam, & ideò mentitur, vt dixi suprà cum Sanchez in iuramento Assertorio.

MAIOR difficultas est quando deficit veritas de futuro, nempe, non dando promissam rem, quam animo dandi iurauit. Et quidem, quando materia est grauis, omnes sustinent esse mortale. Quæstio est quando est leuis, quam refricabo *disp. de Periurio, q. 3.*

PRIMA opinio est semper esse mortale. Ità Valentia *disp. 6 q. 7. puncto 3. concl. 3.* Gabriel *in 3. dist. 39. q. 2. art. 2. concl. 4.* Caietanus *sum. v. Periurium, cap. 2.* Lessius *lib. 2. de Iust. cap. 42. dub. 5. num. 23.* Bassæus *4. num. 3.* Lessius *lib. 2. cap. 24.* Reg. *lib. 18. num. 9.*

SECVNDA sententia distinguit; si materia exigua 48 sit totalis, esse mortale: at verò si partialis, esse tantum veniale. Ita Caietanus 2. 2. *q. 87. art. 7. dub. 1.* Nauar. *summa, c. 12. n. 10. & c. 18. n. 4.* Couar. *lib. 1. variarum lect. c. 1.* Philiarc. *Tom. 1. p. 2. lib. 3. c. 3.* Cordoba *summa, q. 188.* videtur Tabiena V. *iurare, q. 10. n. 11.* Armilla V. *Iuram. n. 12.* Pedraza *præcepto 2. §. 5.* Saytus verò *lib. 5. cap. 4.* expressè cum Sylvio *q. 89. art. 3.* Vide Dianam *part. 4. tract. 4. resol. 70.* & *part. 5. tract. 5. resol. 4.*

TERTIA opinio est, esse solùm culpam venialem, etiamsi materia illa sit totalis. Ità Sanchez *lib. 3.*

lib. 3. *summa*, *cap.* 4. *num.* 23. D. Antoninus 2. *part. tit.* 10. *cap.* 4. Angelus V. *Iuramentum*, 5. *num.* 41. Syluester V. *iuramentum*, 4. *quæst.* 1. Sotos *lib.* 8. *de Iust. quæst.* 1. *art.* 7. *dub.* 1. Nauar. *in summa*, *cap.* 12. & *cap.* 18. Aragon. 2. 1. *quæst.* 89. *art.* 3. *fol.* 1061. Azor *Tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 27. *quæsito* 2. & *lib.* 11. *c.* 5. *quæsito* 3. Enriquez *lib.* 5. *de pænitentia*, *cap.* 20. *num* 4. Manuel 1. *Tomo summa*, *c.* 192. Petrus Ledesma 2. *Tom. tract.* 11. *c.* 3. *dub.* 1. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 21. Diana *part.* 2. *tract.* 15. *resol.* 25. multos secum trahens, oppositam seueriorem dicentes. Sà V. *iuram. num.* 7. Suarez *de Iurament. lib.* 3. *cap.* 16. *à num.* 9. eamque probabilem dicunt Azorez *summa*, *cap.* 15. *fol.* 52. Corduba *summa*, *q.* 188. in fine: Tanner. verò *disp.* 5. *quæst.* 5. *dub.* 1. ait, si res parua sit minima quædam pars promissi, seruatum censeri iuramentum; at si sit tota res, esse mortale, quia vocatur Deus in testem falsum. Tandem ait probabilius, esse tantùm veniale. Bassæus *loco cit.* omnes probabiles dicit.

49 D. Bonaventura mihi videtur esse cum prima sententia. Primò quia *art.* 1. *quæst.* 3. in eo ponit rationem mortalis in periurio, quia Diuina veritas temerè, vel falsò adducitur in testem, & excusat solùm ex indeliberatione. Deinde *serm.* 3. *in Decalogum*, finem iuramenti promissorij ponit veritatem, licèt ordinatam ad pacem, &c. Et *in speculo animæ*, vniuersaliter asserit, in iuramento promissorio obligationem adimplendi; alioqui transgressorem præcepti absolutè vocat, non autem id diceret, si tantùm venialiter peccaret, quia ipse sustinet, veniale non esse contra præceptum.

Præterea *prima parte Centil. sect.* 12. opposita diuisione iuramenti in Assertorium, & Promissorium definit, Periurium esse mendacium, iuramento firmatum. Vel: *Periurium est falsa, vel peruersa iuratio.* Vocat autem peruersum ex defectu iustitiæ, falsum ex defectu veritatis. Quare periurus erit, qui promissum iuratum non exhibet.

50 Azoro, iuramentum Promissorium, deficiente quacunque leuis materiæ iuratæ exhibitione, esse mortale.

Probatur primò argumento D. Bonauent. *quæst.* 3. Quod causa est, vt Deus adducatur in testem falsitatis, grauem iniuriam Deo irrogat: Sed defectus redditionis rei, etiam paruulæ iuratæ, est causa, vt Deus adductus sit in testem falsitatis: Ergo. Maior probatur ex D. Bonauent. *locis adductis*, quia hoc grauiter obstat fini iuramenti, quod est adducere fidem diuino testimonio, quod autem grauiter repugnat fini iuramenti, mortale est, vt disputat Caietanus 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 2. & 3.

51 Confirmatur. Nam esse causam, vt Deus testatus sit falsum, perinde est, ac facere vt Deus censeatur testari falsum: At esse causam, vt Deus testetur falsum, certò est grauis iniuria: Ergo. Hinc sapienter D. Bonauent. vtrunque eodem modo condemnat absque distinctione ex hoc capite solo, quòd veritas Diuina contemnatur. Minor probatur, quia cùm homo induxerit in testimonium Dominum ad firmandum se promissis constituturum; iam quantum ex se est, reddit testimonium Dei falsum, nedum inane.

Confirmatur à Valentia ex D. Bonau. quia Periurium est contra religionem iuramenti, cuius essentia est assumere Deum in testem veritatis: Ergo violata veritate, læditur grauiter iuramentum, etiamsi materia iuramento promissa paruula sit; nil enim refert ad rationem formalem veritatis Diuinæ, siue adducatur in testem falsum huius, vel illius rei magnæ, vel paruæ. Alioqui si materia spectanda est, idem erit in iuramento assertorio.

Confirmatur secundò; nam tunc tantùm grauitas, & leuitas materiæ pertinet ad grauitatem peccati, quando est immediatum obiectum eius transgressionis, vt patet in furto, imò & in voto, in quo quia eius ratio stat in exhibitione illius materiæ, factæ Deo; ideò ex ea sumitur grauitas, vel leuitas transgressionis, quæ stat in negando Deo rem illam esse translatam in eius obsequium; at in iuramento materia illa promissa homini, non est materia actus religionis, quando iuramentum adimpletur: Ergo neque est obiectum transgressionis. Probatur consequentia, quia circa idem obiectum versatur virtus, & peccatum, veritati contrarium. Antecedens probatur à Valentia ex D. Thom. 52

At ego id probo ex D. Bonau. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 1. in calce, nam iuramentum promissorium habet pro obiecto suæ promissionis rem homini promissam, vnde illa res promissa non spectat ad religionem: At votum respicit pro obiecto id, vt sacrum Deo, & ideò ab eo specificatur actus, vel à posteriori dignoscitur specificatus. Similiter finis iuramenti est astruere, & firmare veritatem Diuino testimonio: at finis voti est augere bonitatem per nouam boni operis exhibitionem. Tandem etiam medium est diuersum, quia iuratur per Deum; at vouetur per promissionem; Vnde si quis, dum promissum iuratum adimplet, vellet abstrahere à circumstantia gloriæ diuinæ, quæ redundat ex obseruatione iuramenti, & tantùm vellet exequi opus promissum, vt tale opus est, procul dubio satisfaceret iuramento; si quidem efficeret verum, quod iurauit: Ergo res promissa, seu actus promissus non spectat ad virtutem religionis: Ergo neque opposita deformitas erit contra religionem, quatenus est exhibitionis rei negatio, sed solùm quatenus Deus in testem falsum adductus est. 53

Sanchez *n.* 23. conatur hæc argumenta euertere. Supponit autem, non esse propriè mendacium deesse promisso, sed infidelitatem; quia qui promittit aliquid, si habet animum faciendi, quod promittit, non mentitur, quia non loquitur contra id, quod gerit in mente. Deinde, quia mentiri est intrinsecè malum, ita vt nunquam liceat: at non implere promissum, aliquando licet. 54

Præterea licèt is reddat falsum promissum, attamen non mentitur, atque adeò neque adducit Deum in testem falsi, sed est infidelis sub Diuina authoritate. Licèt igitur defectus primariæ veritatis, quando promittit, sed menti non consonat, sit mendacium; at defectus impletionis non est mendacium; & ità licèt in priori nequeat dari paruitas materiæ, potest tamen dari in isto.

Confirmatur, quia dum homo adducitur in testem promissionis, solùm interuenit, vt testis contractus præsentis: at respectu executionis non adducitur in testem, sed vt præstet authoritatem per modum fideiussionis: Ergo idem dicendum de Deo. Tandem quia in quauis materia grauiter mala iurata desiit prima iuramenti veritas, semper est mortale, vt si iures homicidium absque intentione; at verò deesse promissioni rei, etiam venialiter malæ, nulla est culpa: Ergo hæc veritas non est spectanda independenter à materia promissa, sicut fit in priori veritate, sed sicut quando materia est mala, nullum est peccatum; ita erit solùm veniale, quando materia est licita, sed leuis. 55

Hæ tamen rationes friuolæ sunt; non enim dico, eum mentitum in primam veritatem, si habuit animum promittendi; sed dico, eum mentiri, dum adhuc virtualiter stat promissum iuratum, & intus intendit non implere, & huius concordantiæ adduxit Deum 56

in

In testem; non enim adduxit Deum in testem, se tunc mente dicere id, quod loquitur, sed se facto seu exhibitione rei concordaturum cum promisso, & ideò adduxit Deum in testem, se conseruaturum illam conformitatem mentis, & promissionem vsque ad exhibitionem rei, & ideò mendax est, quoties mente discordat à promisso, & ideò semper durat etiam malitia illa, que nunquam erit licita. Neque verò sumenda est præcisa à mendacio, vt perperam accipit Sanchez, allegans diuersitatem, quia mendacium nunquam licet; at deesse promisso sæpe licet: debet enim sumere illum defectum executionis, vt nixum mendacio periurio, & sic nunquam licebit, sicuti neque licet ipsum mendacium.

57 QVOD verò ait de homine, qui assistit, vt testis, contractui, & fideiussor executionis, non est ad rem, nam Deus vtpotè supremus Dominus, scrutator cordium adducitur in testem illius veritatis, quæ in consonantia mentis cum voce durantia est vsque ad exhibitionem, & ideò alius hac securitate contrahit, neque Deus subintrat, tanquam is, ex quo creditor possit sibi satisfacere, casu, quo debitor fallat, sed solùm vt sit testis; est enim promissorium verè iuramentum, vt omnes fatentur. Definitur autem ab omnibus *Vocatio Dei in testem*, vt Sanchez fatetur *lib.3. cap.1.*

58 AT, esto Deus assistat, vt fideiussor suâ authoritate, adhuc iniuria est grauis, quia quæcunque authoritas in veritate minima, etiam materialiter opposita fidelitati, Deo adimatur, adimitur ratio Deitatis, & redditur falsus.

QVOD verò dicit de materia grauiter mala, quæ si dolosè promittitur, facit periurium; At quæuis leuis materia mala in enunciatione, si non adimpletur, non sit peccatum, non est ad rem; debuit comparare vtrunque sub eadem ratione; & tunc dico; sicut non est peccatum non adimplere actum venialiter malum iuratum; ita multò minus adimplere actum grauem.

59 NEQVE debet transire ab actu malo ad actum bonum, ideò non est peccatum deesse promissioni rei malæ venialiter, quia hæc non est materia legitima iuramenti, & ideò initio non obligauit; imò illata est Deo iniuria eo iuramento, quia deest iustitia, vt dicam *quæst.6.* At res bona, quam nunc habemus præ manibus, est materia legitima iuramenti, & ideò sicuti ex veritate in promissione est debita, & ità & in exhibitione, cùm duret illa obligatio concordantiæ intentionis cum promissione, vsque ad rei exhibitionem. Itaque, etiamsi pœniteat, Deum inuocasse in testem, adhuc est reus, quia perseuerat inuocatio iam præterita, quæ non potest, non fuisse.

60 PRÆTEREA non ob id nostræ rationes concutiuntur, quia tenebatur probare, exhibitionem illam materiæ, non modò vt dicit actum, sed vt respicit illam materiam, esse religionis obiectum, vt inde coargueret leuitatem, vel grauitatem materiæ augere, vel minuere culpam violatæ promissionis. Obserua tamen, aliquas res minutulas iurari, quæ excusant, vt cùm Pater iurat punire filium; hæc enim iurantur ad terrorem, vel ex inordinato affectu vindictæ. Vide Valentiam.

Ex his igitur etiam deducitur, eum, qui iurat plurima minima quotidie facere hominibus, quotidie peccare mortaliter violando promissum; at verò non sic, qui minima quotidie vouit, quia votum respicit materiam illam, vt obiectum religionis. Illa ergo paruula materia faciet paruum defectum contra religionem.

QVÆSTIO VI.

An, & quod peccatum sit IVRAMENTVM, *absque iustitia factum.*

ASSERO primò, si res promissa sit grauiter mala, ac lethalis, erit iuramentum mortale contra religionem ex iustitiæ defectu, contra secundum Decalogi præceptum, præter peccatum mortale propositi fornicandi, occidendi, & similium. Ità docent D.Bonauent. *in 3. dist.39. quæst.1. argumento secundo fundamenti*, quem sequuntur communiter apud Sanchez *cap. 4. num.26.* Valentiam *puncto 3. citato*, Sanchez *lib. 3. cap.19. à num.9.* est enim grauis Deo iniuria, Eum testem inuocare sceleris patrandi, contra eius legem; est enim contemptus magnus Diuinæ maiestatis, ac periurium ex defectu iustitiæ, vt ait S.Bonauent. *loco citato*, & post eum reliqui. 61

ERIT autem mortale, etsi non adsit intentio adimplendi, quia adducitur Deus in testem falsi; erit tamen vnicum peccatum: at quando adest animus implendi, erit duplex, nempe, periurium ex iniustitia, & propositum peccandi. Ità Nauar. *summa, cap.12. num.13.* 62

ASSERO secundò. Iurans committere culpam venialem, animo implendi, peccat mortaliter ex defectu iustitiæ, & ita erit duplex peccatum; ita Suarez *lib. 3. cap. 4.* Sanchez *num.33.* contra Bassæum 3. *num.3.* & alios *ibi.*

PROBATVR, quia ideò Iurans peccare mortaliter, peccat lethaliter, quia efficit, vt in se est, Deum cooperatorem illius rei lethalis; at facere etiam reum culpæ venialis Deum, est grauis offensa pugnans cum Deitate: Ergo. 63

OBIICIT Sanchez *num.28.* quia non est grauis irreuerentia Deo.

RESPONDETVR ex argumento nostro, esse grauem offensam, facere Deum cooperari culpæ veniali, hoc enim implicat Deitati; nec posset Deus venialiter peccare, nisi amittendo Deitatem, quæ dicit perfectionem bonitatis infinitam. Ità probabile æstimat Valentia.

HINC etiam mortale erit implere ratione iuramenti rem venialiter culpabilem. Ratio est eadem, quia asseritur Deus ratum habere, ac iustum iuramentum. Ità tenent Hugo apud Angelum V. *Iuram.5.* qui arridet cum Soto *lib. 8. de Iustitia, quæst.1. articulo 7.*

ASSERO tertiò. Si quis iuret, non seruare aliquod consilium, v.g. intrare religionem, esse probabiliter tantùm veniale. Ita Sanchez *cap.4.num.30.* Valentia *loco cit.* & alij. Licèt alij dicant, esse mortale, inter quos est Syluester *loco cit. q.7.* quem miror asseruisse, obseruare iuratum veniale esse tantùm veniale: at iurare committere peccatum veniale, esse solùm veniale. Ità V. *Iuram. 4. q.1.* est enim peius iurare peccatum veniale, & ex iuramento obseruare, cùm hæc reddant, quantum in se est, Deum malo cooperantem. 64

ASSERO quartò, iurare rem indifferentem esse veniale, defecto iustitiæ, quia non est apta iuramenti materia. Ità communiter cum Sanchez *num.31.*

ASSERO quintò, defectum iustitiæ esse etiam in iuramento assertorio, vt si quis detegat, ac iuramento firmet peccatum alicuius indebitè, vel iactando se de aliquo mortali. Ità Sotus *lib. 8. de Iustitia, quæst.1. art. 3.* Aragon. *2. 2. quæst.89. art.3.* Petrus Ledesma *Tomo 2. summa, Tract. 11. cap.2.* 65

*dub.*4. Toletus *lib.*4. *summa*, *cap.*20. *num.* 10. & videtur D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 39. *dub.* 1. vbi, Iustitiam in omni iuramento grauiter exigit, vt pro iusta causa fiat, quod fatentur etiam D.Thom.2.2.*quæst.*89. *art.*3. *ad* 2. & ibi Caietanus, Valentia *puncto* 3.*col.*5. Suarez *lib.* 1. *de Iurament. cap.* 3. *num* 6. & *lib.* 3. *cap.*2. *num.*5. & *cap.* 12. *num.* 7. Sanchez *loco citato*, *num.*33. Hi tamen duo vltimi ponunt, defectum iustitiæ in iuramento assertorio esse tantùm venialem, quia non opponitur fini iuramenti, nec facit Deum testem mendacij, sed rei prauæ, quod per se non est grauis iniuria. Item quia accidentarium est testificationi veritatis, in qua sita est ratio iuramenti, narrare veritatem peccando, vel non peccando. Quare concludunt, tunc tantùm esse mortale iuramentum, cùm assumitur, vt instrumentum illius peccati, puta, vt probabilior fiat infamia proximi, eo iuramento asserta; Quia est grauis iniuria facta Deo.

66 At quis non videt, ea omnia iuramento firmari, vt certiora reddantur? Quorsum enim aliquis iurat, se id facinus patrasse, puta cum ea muliere; illum id crimen commisisse, nisi vt id persuadeat? Cùm igitur hic sit finis ordinarius talia iurantium, damnandi sunt.

67 At concedamus, ideò tantùm iurari, vt asserantur simpliciter ea crimina iuramento, cùm Deus inuocetur testis rei grauiter malæ, nunquid non erit grauis Deo iniuria? Si enim adducere Deum in testem rei faciendæ contra eius legem est mortale, vt fatetur Sanchez *num.*26. cur non erit mortale adducere Deum in testem rei mortalis patratæ, cùm interueniat & hic grauis Dei offensa? Neque satis respondet Sanchez, per accidens esse illud iuramentum facinori, contra enim est primo, quia & iuramento promissorio per accidens est, potest enim iurare absque intentione non faciendi, & tamen siue adsit animus implendi, siue non, erit mortale iuramentum, vt docet Sanchez *num.* 34.

Præterea. Ità iuramentum assertorium cadit super scelus præteritum, sicut promissorium super futurum.

QVÆSTIO VII.

An, & quod peccatum sit Ivramentvm, *Iudicio carens.*

68 Assero primò Iuramentum carens iudicio quoad causam necessariam iurandi, & reuerentiam, censeri veniale. Ità Valentia 2.2. *disp.*6. *quæst.* 7. *puncto* 3. Suarez *lib.*3.*cap.*12. Sayrus *eodem cap. n* 32. Lessius *lib.* 2. *de Iust.cap.*42. *dub.*3. *num.*17. D.Antonin.2.*part.tit.*10. *cap.*7. §.1. Angel.V. *iuram.*3.*num.*7. Syluester 2.*quæst.*8. *eodem titulo*, Nauar. *sum cap.*12. Sanchez *cap.*4. *num.* 35. post D.Bonauent. *art.*1. *q.*3. Non enim videtur grauis iniuria.

Assero secundò, si desit iudicium debitæ inquisitionis grauiter omissum, est mortale. Ità S.Bonauent. *loco cit.* Sanchez, & Valentia, ac cæteri *locis adductis*.

Probatvr à Valentia *loco cit.* & Sanchez *num.* 14. è D. Bonauent. *dist.*39. *quæst.*1. *ad argumenta*, & *quæst.*3. *ad vltimum*, quia is exponit se discrimini adducendi Deum in testimonium falsitatis.

Aduertit autem Sanchez *num.* 36. non esse periuria in confessione necessario distinguenda siue mentitus sit, siue dubius iurauerit, siue non implere intendens, satis enim est dicere: Iuraui falsum toties.

69 Notat etiam *num.* 38. Peius esse iurare verum per falsos Deos, quàm mendaciter per verum Deum, quia illud pertinet ad Idolatriam; & blasphemiam, quod peius est periurio, teste D.Thom. *prima secunda, quæst.*13.*art.*3.*ad* 2. Ità tenet Sotus *lib.*8.*de Iust.quæst.*2. *art.*3.*concl.* 1. Couar. *de pactis*, *p. p.* §. 1. *num.*10. Suarez *cap.*3. *num.*6. Sayrus *lib.*5. *cap.*3.*num.*18. Azor *tract.*1.*lib.*11. *c.*12.*quæsito* 12. Quare D.Augustinus *epist.*154. & refertur *cap. monet*, 22. *quæst.*1. significans oppositum intelligi, vt benè explicat Azor *loco citat. quæsito* 12. quando Christianus iurat per falsos Deos, qui eos falsos existimat solo decipiendi animo; is enim, si fidem non seruet, decipit quidem, sed non est periurus: at iurans falsum, est periurus, & sic grauiter peccat. Vel vt ait Sotus, dic, esse grauius in ratione periurij; nam iurare falsum per verum Deum, est propriè periurium, dicitur enim falsum; at per falsos Deos, est secundum quid, dum dicitur verum, teste D.Thom. 2. 2. *quæst* 98. *art.* 1. *ad* 2. Hæc Sanchez habet ex D.Bonauent. *in* 3. *dist.* 39. *dub. lit. num.*6. & *lib.*3. *Phar. cap.* 3. in fine, vbi refert testimonium D. August. *epist.* 154. *ad Public. Tom.* 2. & reddit rationem.

QVÆSTIO VIII.

An, & quomodo Consuetudo iurandi sit mala.

70 Consvetvdo iurandi non est per se peccatum distinctum ab ipsis actibus iurandi frequentibus. Est enim ipsemet actus frequentatus, vt docet Aristoteles 2. *Eth.* effectus verò actuum, qui est quidam habitus iurandi, ex frequentatis actibus resultans, ad malum inclinat, atque adeò est vitiosus; non tamen potest esse peccatum, quod in actibus reperiri debet. Ità Sotus *lib.*8.*de Iustitia*, *quæst.*2.*art.*3.*concl.*7. Suarez *lib.*3. *cap.*6. Sanchez *lib.* 3. *cap.*5. *num.*4. potest tamen ea consuetudo iurandi esse occasio proxima ad mortalia, & propter hoc in statu mortali constituere. Quæstio igitur est, quandonam id eueniat.

Prima opinio est, quamcumque iurandi consuetudinem, etiamsi non sit mentiendi iuramento, reddere mortaliter reum. Ità Sotus *de cauendo iuramentorum abusu*, *cap.*12. Sayrus *lib.*5. *cap.*9. *num.* 8. vbi ait, hos non esse absoluendos, nisi proponant euellere consuetudinem.

71 Secvnda opinio est, consuetudinem iurandi, iunctam consuetudini mentiendi absque iuramento, in hac constitui ob periculum, atque adeò mortaliter saucium esse. Ità Gregorius de Valentia 2. 2. *disp.*6 *quæst.*7. *puncto* 3. Petrus Ledesma 2. *Tomo summæ*, *tract.*11.*cap.*5. *dub.*5. *dicto* 2.

Tertia sententia est, talem esse huiusmodi consuetudinem, quando est iurandi, aduertendo ad iuramentum, non tamen ad veritatem, vel falsitatem rei iuratæ; secus autem quando ad neutrum aduertitur, sed emissio iuramenti plenam rationis aduertentiam præcurrit. Ità Azorius *Tom.*1.*lib.*11. *cap.*3. *quæsito* 3. & Bassæus V. *Iuramentum* 4.

72 Qvarta sententia est Sanchez *lib.*3. *cap.*5. *à num.* 9. vbi quinque dicit: Primum est, consuetudinem iurandi cum aduertentia debita ad rei iuratæ veritatem, non constituere in statu peccati mortalis, & in hac parte habet assertores Scotum 3. *dist.*39. *quæst. vnic. art.*1. Gabrielem *quæst.*2. *art.*1. *notab.* 2. Sayrum *lib.* 5. *cap.* 5. Medinam *lib.* 1. *summa*, *cap.* 14. §.4. Lopez *p. p. Instruct. cap.* 25. & *cap.* 42. Suarez

de

de Iuramento, *lib.3. cap.6.* Petrum Ledesm. 2. *Tom. summæ*, *tract.11. cap.2. dub.1.* Vegam 2. *Tomo summæ*, *cap.16. casu 14.*

SECVNDO dicit, neque consuetudinem mentiendi, iunctam consuetudini iurandi verum, esse mortalem. Pro qua adducit etiam Suarez *loco citato*, *num.6.*

TERTIO ait, consuetudinem iurandi indifferenter, siue verum, siue falsum, esse mortalem. Adducit etiam Suarez *cap.6.num.6. & 8.* Petrus Ledesm. 2. *Tomo, tract.11. cap.5. dub.4.* Valentia *loco cit.* Vegam *loco citato.*

QVARTO dicit, quando est consuetudo iurandi inaduertentes circa rei iuratæ veritatem, esse mortalem. Adducis etiam Aragonem 2.2. *quæst.89. art.3. dub. vltimo*, Suarez *loco cit. num. 9.* Petrus Ledesm. *cap.5. dub.4.* Azotium *Tom.1. lib.11. cap.3. quæsito 3.*

QVINTO, idem dicendum, quando consuetudo est iurandi absque aduertentia; an iuretus, necne, contra tertiam sententiam, & adducit etiam Suarez *num.8.*

73 QVOAD D. Bonauenturam, dicam in sequentibus assertionibus, quid de hac re senserit.

ASSERO primò, sunc esse lethalem consuetudinem iurandi, quando est occasio proxima casui mortali, nempe, iurando falsum, vel temerarium, iuxta dicta *quæst. præcedenti.*

PROBATVR à D. Bonau. *in 3. dist.39. quæst.3.* in fine, & *serm. 3. in Dial.* ex illo Ecclesiastici 23. *Iurationi non assuescat os tuum, sunt enim multi casus in illa. Vir multum iurans, replebitur iniquitate.*

HINC fit, talem non esse consuetudinem quamcunque iurandi, puta verum ex modica necessitate, vel parua reuerentia. Hæ enim sunt consuetudines venialiter malæ. Probatur à Scoto. Habitus enim totam suam malitiam ex actibus hauris, ex quibus generatur; atque adeò nequit esse peior ipsis actibus. Si igitur actus sunt veniales, talis erit etiam habitus.

74 ASSERO deinde, consuetudinem iurandi ex inaduertentia rem cognitam falsam, ita vt deliberet tantùm mendacium simplex, sed elabatur etiam iuramentum, esse mortalem, quia illa inaduertentia cognita, & præuisa, redditur voluntaria in quocunque actu; atque adeò periurium mortale. Et hoc est quod ait S. Bonauent. *quæst.3. in corpore*, si deliberat de dicto tantùm, non tamen de iuramento superaddito, potest esse veniale, sed multum appropinquat ad mortale, idest, si deliberat tantùm dicere mendacium in suo dicto, non aduertens, se illud firmare iuramento, posse esse veniale, nempe simplex mendacium; tamen posse fieri mortale, si ille lapsus iuramenti incautus in consuetudinem cognitam abeat, vel sit præuisum.

75 PROBATVR, quia inaduertentia, siue circa iuramentum, siue circa veritatem, est defectus grauis iudicij, vt diximus *quæst.7.* & se discrimini periurandi exponit, quod secundùm D. Bonauent. locò ibi adducto, & alios, est grauis iniuria, Deo facta.

ITAQVE si consuetudo periculum afferat lapsus graues contra iuramentum, iuxta dicta *quæstionibus, quinta, & sequentibus*, erit & consuetudo grauiter mala. Quia talis ea est, quales sunt actus ab ea producti: quod si actus producti, seu resultantes ab ea sint veniales ex defectu alicuius reuerentiæ, erit & ipsa leuiter mala, vt indicat S. Bonauent. *quæst. 3. ad 3.*

76 HINC fit, teneri eum euellere consuetudinem, quæ est causa periurij, alioqui peccato omissionis peccat. Itaque neganda est ei absolutio, si non proponit eam grauiter malam consuetudinem exstirpare; Non sic ille, qui leui consuetudine scatet, qui impropriè fit periurius, deficiente comite iudicio, vel iustitia leuiter.

QVÆSTIO IX.

Quandonam incautè iurans ex consuetudine mortaliter peccet.

QVÆRITVR hic, an iuramenta incauta absque plena veritatis indagatione ex consuetudine emissa, sint mortalia. 77

SVPPONO autem, iuramenta huiusmodi oriri ex consuetudine, quæ non sit retractata; nam si habeas propositum, eam euellendi, non censentur iuramenta formaliter ex consuetudine manere; sed tantùm materialiter, ac inuoluntariè, atque adeò nil refert ad culpam. Ità aduertit Sanchez *lib.3. cap.5.* Suarez *lib.3. de Iuram. cap.6. num.8.* Manuel *primo Tomo summæ*, *cap.191. n.12.* & alij cum Bassæo V. *Iur.4.*

PRIMA opinio ais, ea iuramenta esse lethalia, quia, si falsa sunt, sunt ex se periuria, quod si vera sunt, adhuc id per accidens est; & quantum est ex parte iurantis, fuere probata cum periculo falsitatis. Ita Franciscus, & Didacus Victoria, in quibusdam regulis confraternitatis nominis Iesu, Alcozer *cap.15. fol. 50.* Medina *lib. 1. summæ*, *cap.14. §. 4.* Manuel *primo Tomo summæ*, *cap. 192. num.11.* Petrus Ledesma 2. *Tomo*, *tract.11. cap. 5. dub. 4. dicto 2.* Lopez, allegans Ioannem de Penna *p.p. Instruct. cap.42.* Raphael de Turri 2. 2. *quæst.88. art.3. dub. 3.* Tannerus *hic*, *num. 10.* & *disput. 1. quæst. 8. dub.7.* Azotius *tract.1. lib. 11. cap.3. quæst. 3.* & alij apud Dianam; Caietanus 2. 2. *quæst.89. art.3.* Nauar. *summa*, *cap.12. num.6.* Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst.7. puncto 3.* Sayrus *lib.5. cap.5. num.10.* Armilla V. *Periurium*, vbi & Caietanus, & Angles *flor. 2. part. quæst. vnica de voto*, *art. 1. diffic. 3.* 78

SECVNDA sententia est, iuramenta huiusmodi ex vi consuetudinis non esse mortalia. Ita Maior 3. *dist.39. quæst.4.* Scotus ibi *quæst. vnic. art.1.* Pitigianus *ibi art. 7.* Angel. V. *Iuram.3.* Syluest. V. *blas. quæst.4.* Antonin. *p.p. tract. 10.* Sotus *de abusu iuram. cap.12.* Suarez *lib.3. cap.7. de Iuram.* Reginald. *tract.2. lib.18. cap.6. sect.3. num.85.* Sanchez *sum. Tom. 1. lib.3. cap.5. num.28.* Ioan. Sancius *select. dub.20.* qui adducunt D. Thom. *quæst.98. art.3. ad 2.* Durandum 3. *dist.39. q.5.* Richardus ibi *art.3. quæst.2.* Paludanus *quæst.2. art.1.* Rubionem *quæst.2. art.2.* & alios, quos aggerat Diana *part.3. tract.5. miscell. resol.62.* vbi ait, graue onus, non modò pœnitentibus, sed etiam confessariis ex opposita sententia aduenire. Idem omninò asserunt etiam de blasphemante ex consuetudine. Equidem id non tenerem, si aliqua saltem displicentia præcessisses, cum Layman *lib.5. tract.2. cap.3.* Tanneso *loco citato*, & Bassæo supià. 79

QVOAD D. Bonauent. primò Ità loquitur *loco* 80
cit. Iuratio quædam est non deliberata, sicut quando quis iurat in communi sermone, non attendens quem inuocat, & ad quid, sed ex quadam consuetudine; sic non est peccatum mortale, sed veniale, propter hoc, quod lingua in lubrico posita est. Hæc S. Doctor *in corpore illius quæstionis.* In responsione verò *ad tertium*, vbi signatur *numerus 24.* ais: Quando aliquis iurat ex quadam consuetudine, vel ioco, non deliberans de excellentia veritatis in testimonium inuocatæ, propriè non contemnit, quia potius est ibi debita honoris omissio, & quædam negligentia, quàm illatio contumeliæ.

81 QVARE illod tantùm videtur intendere D. Bonauent. tunc excusari à mortali, ratione consuetudinis, quando ex lubricitate partim naturali, partim contracta, eaque tali, quæ moraliter retineri non possit, iuratur. Sic videtur intelligere etiam *dist.* 28. *quæst.* 3. *in corpore*, vbi lubricitatem linguæ explicat eo dicto D. Iacobi 3. *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir.* Sic videtur etiam D. Thom. qui ait: *Ille, qui ex lapsu linguæ falsum iurat, si non aduertat, non videtur habere intentionem iurandi, & ideò à crimine periurij excusatur.* Ità vterque videtur pro prima sententia.

ASSERO igitur cum priori sententia, ea iuramenta esse mortalia.

82 PROBATVR primò à D.Bonauent. *lib.* 3. *Pharetra, cap.* 3. in fine ex D. Augustino *lib. contra mendacium, cap.* 15. vbi ait: *Dico vobis non iurare omnino, ne scilicet iurando semel, ad facilitatem iurandi veniatur, ex facilitate ad consuetudinem, & ex consuetudine in periurium decidatur.*

SIMILIA habent D. Chrysostomus *homil.* 54. *ad populum*, vbi ait: *apertum esse, vt necessario multum iurans incidat in periurium*, D.Isidorus *lib.* 10. *Synon, cap.* 10. vbi ait: *Assiduitas iurandi periurium facit*, & lib. 2. de summo bono, cap. 31. *Dum vsum iurandi facimus, periurij crimen incurrimus.* D. Bernardus Libro de modo bene viuendi *serm.* 32. vbi ait: *Vsus iurandi ducit hominem ad periurium.*

TANDEM D. Bonau. in fine citatæ quæstionis, apponit illud Ecclesiastici 23. *Iurationi non assuescat os tuum, sunt enim multi casus in illa.*

83 PROBATVR secundò. Ea peccata, quæ sunt in causa volita, sunt infecta suâ malitiâ naturali, si præuisa sint, vel debuerint præuideri: & augetur eorum malitia etiam ex sequentibus malis; vt de peccatis commissis in ebrietate ostendi *primo secunda, Tract.* 3. *disput.* 1. *quæst. vltima*: at periuria volita sunt in consuetudine, quam non vult iurator euellere: Ergo habent suam malitiam periurij, quod est peccatum ex genere mortale. Minor probatur, quia voluntariè priuat debita discretione, & necessario examine, ac scrutinio veritatis, atque adeo discrimini exponit periurij, ac proinde, etiamsi verum dicat; adhuc reus est periurij, iuxta regulas traditas cum Sanchez *quæst.* 7.

84 SANCHEZ *num.* 28. respondet nostro argumento, & suam inde erigit rationem, nam hæc iuramenta incauta, non sunt directè voluntaria, vt patet, quia illa inaduertentia fuit inuincibilis; nam si esset vincibilis, minimè excusaret etiam eum, qui iurat non ex consuetudine, quod est falsum; Neque sunt voluntaria indirectè, nam indirectè volitum petit, vt quis possit, & teneatur vitare: At eo tempore, quo quis inaduertenter iurat, non potest euitare.

DEINDE peccata ex ignorantia initio culpabili consurgentia, & præuisa in sua causa, sicut contingit in peccatis ebriorum præuisis, nulla noua malitia afficiuntur, sed sola denominatione extrinseca denominantur mala ex causa sua. Sic etiam hæc iuramenta inconsiderata, in sola sua causa habent malitiam.

85 AT hæc non soluunt, nam illa inaduertentia in consueto iurare est vincibilis, quippe præuisa, & remoueri potest simul cum ipsa consuetudine, atque adeò ex illa hausit nouam malitiam, sicut de peccatis ebriorum diximus, atque latè probauimus *prima secunda, loco adducto.* Igitur consuetus sic iurare, nec curans euellere eam consuetudinem iurandi inaduertenter, vult eam inaduertentiam; & periurium, quod inde sequitur; sicut ebrius vult amissionem vsus rationis, & fornicationem, blasphemias, aliaque in ea inconsideratè patrata, quæ cùm vel præuisa fuerint, vel debuerint præuideri, addunt nouam ebrietati malitiam, vt dixi *loco citato.* Itaque 86
sequitur, mortale esse peccatum, si consuetudo volita iurandi sit tota causa, vel grauiter influens, dum aduertens consuetudinem non conatur euellere, non dolet, non proponit abstinere. Enim verò oppositam sententiam ad quietem conscientiæ admittam *disput. de Periurio, quæst.* 3.

QVÆSTIO X.

Quodnam peccatum sit iurare dolosè.

NOTAT primò è D. Bonauent. *in corpore*, & 87
fine quæstionis, dupliciter iurari dolosè. Primò, cùm animus verbis iuramenti non concordat. Secundò, cùm non concordant voluntati eius, cui præstatur iuramentum, eò quòd amphibologiis, aut verborum anfractibus eludimus, licèt inter se concordent verba, & mens iurantis.

NOTA secundò, tribus modis deesse animum. Primò, si iures animo iurandi, & non dandi, atque adeo etiam non promittendi; nam si habes animum promittendi, habes etiam animum dandi, vt colligitur ex D. Bonauent. qui vnicum defectum ex his duobus constituit. Et notat Valentia *disput.* 6. *quæst.* 7. *puncto* 4. *col.* 1415. contra Sotum *lib.* 8. *de Iustitia, quæst.* 1. *art.* 7. Caietanum 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. Sanchez *lib* 3. *cap.* 6. *num.* 5. & *cap.* 10. *num.* 2.
qui distinguunt hæc duo: habere animum promit- 88
tendi, sed non implendi; & animum promittendi, & implendi. Et quidem Sanchez *cap.* 10. *num.* 5. ponit hanc distinctionem etiam ex mente D. Bonauent. *art.* 3. *quæst.* 2. quia ait, Ecclesiam non cogere ad iuramenta, metu extorta, quia præsumit ea emissa ex animo euadendi periculum, non implendi iuramentum. At Sanchez non ob id hoc ostendit, quia S. Doctor subintelligit, absque animo etiam se obligandi; attamen hunc modum possibilem reor, quod idem est iuxta tradita *quæstione præcedenti.*

SECVNDVS modus est; si abest animus iurandi. 89
Tertius si abest animus obligandi se; etiamsi velis iurare; hic tamen modus, qui ponitur à Sanchez aliquam patitur difficultatem; nam qui vult iuramentum subire, & serió vult, sciens eius vinculum, videtur necessariò etiam velle consequens vinculum obligationis. Hunc sanè non iurare docent Azor *p.p. lib.* 15. *cap.* 4. *quæsito* 2. Sanchez *lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 8. Syluius *quæst.* 89. *art.* 7. *quæsito* 3. *cap.* 1. Syluester V. *Iuram.* 4. *quæsito* 50. Bonacina *de Iuram. puncto* 7. nec renuit Bassæus V. *Iuram.* 5. *num.* 2.

QVARTVM modum adducit Valentia, quando iurans nec habet animum iurandi, nec se obligandi ex iuramento. Verùm & hic modus superfluus est, nam eo ipso, quòd non iurat, neque ex iuramento se obligat; voluntas enim excludens iurare, excludit etiam se obligare, qui est effectus iuramenti.

PRIMVS quidem modus omnium consensu periurium facit mortale. Ità D. Bonauent. *in corpore*, & alij apud Sanchez *cap.* 4. *num.* 16. is enim verè mendaciter adducit Deum testem.

QVOAD secundum modum aliqui censent, esse mortale. Ità Caietanus 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. Armilla *V. Periurium, num.* 3. Couar. *de pactis* 1. *part.* §. 5.

SECVNDA sententia est proferre verba sonantia 90
iuramentum,

iuramentum, animo non iurandi, tunc esse mortale, quando id iuramentum est circa materiam falsam, siue de præsenti, siue de futuro: Deinde, si est circa materiam veram, iuramentum legitimè exigitur siue à Iudice, siue à contrahente; at verò si sit circa materiam veram; sed non legitimè exigatur, non esse, ait, mortalem, sed simplex mendacium. Ità Sotus *lib.* 8. *de Iustitia, quæst.* 1. *art.* 7. *ad* 4. Aragon. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. *ad* 4. *concl.* 6. Petrus Ledesma 2. *Tom. tract.* 11. *cap.* 3. *dub.* 6. Lessius *lib.* 2. *de Iustitia, cap.* 42. & 43. Suarez *tom.* 2. *de religione Tract. de iuram. lib.* 3. *cap.* 17. & quamuis Sotus loquatur de coacto ad iurandum, eius tamen ratio probat de omni non obligato ad iurandum.

91 TERTIA opinio est Valentiæ 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 7. *puncto* 4. circa finem; vbi in casu, quo quis non obligatur ad iurandum, sed irrationabiliter extorquetur iuramentum, sic distinguit: Si iurans dicit verum, tunc peccat solùm venialiter, quando vult significare se habere iurandi animum; quia est mendacium non perniciosum, vt dicunt etiam Authores secundæ sententiæ; secus si id significare nolit, sed quoddam aliud disparatum; tunc enim nulla est culpa. Si autem iurat falsum, velitque illa externa iuramenti verba referri ad materiam falsam ratificandam, est mortale. Id docent Authores primæ sententiæ; si autem ea verba non refert ad materiam falsam, nec potest aliquis id putare, atque inde scandalum accipere; sed tantùm vtitur iure suo, vsurpans ea verba ad significandum aliquid in mente verum; vel vsurpat ea tantùm materialiter, nil per ea volens confirmare; erit solùm veniale. Imò Sanchez *num.* 10. Valentiam sequens, addit, neque esse veniale, quod sentit etiam Soto, quando iniustè coactus vsurparet ea verba materialiter.

92 QVOAD D. Bonauent. videtur *in quæst.* 1. *art.* 3. loqui solùm de verè iurante, absque animo se obligandi; attamen etiam de hoc videtur consequenter inferre, non esse quidem verum iuramentum, attamen esse lethale; nam eo ipso, quod est animus non se obligandi, adest etiam animus non verè, sed ore tenus etiam iurandi, vt notat Sanchez *num.* 7. *cap.* 4. Ideò de vtroque idem videtur dicendum. Et *quæst.* 2. id videtur inferre etiam de eo, qui est coactus iurare: *Distinctione vero* 38. *quæst.* 3. *in corpore* docet, etiam mendacium simplex, ex scandalo, posse fieri mortale; multò magis si iuramento appareat firmatum. Tandem *d.* 39. *quæst.* 3. proferentem iuramenta ex sola incautione inuincibili excusat de falsitate.

SIC igitur, si iurans verum dicit, erit solùm veniale, nisi iustè exigatur, tunc enim tenetur iurare, atque verum iurare, vt docet D. Bonauent. *loc. cit. in corpore*, ita vt sola prolatio externa falsa coram iudice reddat infamem, vt habet 6. *quæst.* 1. *cap. infames*, & refert etiam D. Thom. *quæst.* 98. *art.* 3. *argumento* 3. Idem in legitimis contractibus dicendum. Si verò falsum iuraret, erit mortale. Et ita D. Bonau. videtur accedere ad secundam sententiam, & aliqualiter ad vltimam opinionem.

93 ASSERO primò, verba sonantia iuramentum, absque animo iurandi prolata, si vera sunt (nec iustè exiguntur) esse culpam venialem.

PROBATVR ex D. Bonauent. *loc. cit. quæst.* 3. *argumento vltimo*, quia est tantùm inuocatio superflua Diuini nominis, quod non est ex se mortale. Neque est Diuini testimonij contemptus, cùm eum honorem non exigat Deus pro tunc. Sic enim esset mortale, si occasionem dicere fingerem supererogationis, vt notat Sanchez *num.* 9. Neque aliquod damnum fini iuramenti affertur, vt clamant authores primæ sententiæ, quia seruatur obligatio pro temporibus debitis ad humanos contractus, ad lites, & ad decreta, vt dixi.

ASSERO secundò, talia verba esse mortalia, quando exigitur legitimè iuramentum.

PROBATVR à D. Bonauent. *in corpore*, quia tunc grauiter læditur iustitia, & ponitur offendiculum fini iuramenti.

ASSERO tertiò, si super materiam falsam cadant verba iuratiua, nec æquiuocatione saluari queant, esse mortalia, cum ordinantur ad eam falsitatem confirmandam. 94

CONFIRMATVR à Doctoribus primæ sententiæ: Nam externus ille cultus latriæ, qui iuramentum sonat, exhibetur materiæ indebitæ, nempe falsæ rei. Itaque est mortale, sicuti Idolis cultum externum latriæ exhibere.

IDEM probatur etiam de coacto iurare; nam, vt docet D. Bonauent. *art.* 3. *quæst.* 2. *ad* 3. Ea, quæ sunt ex se mala, non possunt ex metu fieri. Nam quoad hæc ait S. Doctor seruandum Diuinum præceptum: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Sed potius timete eum, qui potest corpus, & animam mittere in gehennam.*

QVOAD tertium verò modum, quo quis iurat, sed dolosè, absque animo se obligandi. Primò, Abbas *cap. si verò*, *num.* 10. tenet, quando iuramentum iniquè extorquetur, forsan in viro perfecto esse venialem culpam; in imperfectis autem nullam. De iurante autem ex se, nil dicit. Alij verò tunc excusant coactum, cùm aliquam conditionem apponit, qua iuramentum sit verum, vt iurans latroni, se daturum pecunias (intelligens) si debuerit. 95

COMMVNIS sententia est in omni euentu esse mortale. Ita Caietanus 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. *ad* 4. D. Antonin. 2 *part. tit.* 10. *cap.* 6. *casu* 5. Armilla *verb. Iuram. num.* 14. & *V. Periurium, num.* 5. Tabiena *V. Iurare*, *quæst.* 11. *num.* 12. Scotus *in* 3. *d.* 39. *quæst. vnica, art.* 3. Nauarr. *summa, cap.* 12. Couarr. *de pactis*, *p. p.* §. 5. *num.* 3. & 4. Decret. 2. *part. cap.* 3. §. 5. *num.* 3. Alcozia *sum. cap.* 15. *fol.* 51. Salzedo *additione ad regulam, num.* 384. Bernardi Diaz, Aragon. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. Less. *lib.* 2. *de Iustitia, cap.* 42. *dub.* 8. *num.* 42. Suarez *de relig. Tract. de Iuramento*, *lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 10. 96

ALII sic distinguunt: Si rationabiliter exigatur iuramentum, est venialis; at si irrationabiliter, & iurans non intendit significare alteri se obligare velle eo iuramento, nullum peccatum esse; at si velit significare, esse veniale. Ità Valentia 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 7. *puncto* 4.

ADDIT Sanchez *num.* 6. debere necessariò eum intelligi, quando in eo iuramento adest animus adimplendæ rei, iuramento promissæ (licèt ipse non explicet) quippe si is animus deesset, debet necessariò dicere esse mortale periurium, cùm ipse sentiat, esse verum iuramentum, & tanquam tale obligare. 97

AT non vidit Sanchez, Valentiam *d.* 6. *quæst.* 7. *puncto* 4. *col.* 1415. & *quæst.* 6. *puncto* 1. *col.* 1330. asserere hæc ità connecti, vt si desit animus faciendi, etiam desit animus promittendi; Et è contra sequitur. Si habet animum non promittendi, & se obligandi iuramento, eum non habere animum vi illius iuramenti rem adimplendi. Quod verò aliquis diceret: Iuro, sed licèt nolim obligari hoc iuramento, id dabo; per accidens ad iuramentum est talis restrictio.

NOS igitur cum D. Bonauent. idem asserere tenemur, quod de eo, qui iurat absque animo iurandi asseruimus, nempe, esse mortale in iuramento iustè exacto, seruatis dictis *quæstione præcedenti* proportionaliter.

98 ASSERO primò, iurantem absque animo se obligandi, mortaliter peccare, si iuramentum instè exigatur. Ita suprà citati, & alij, quibus subscribit ferè Bassæus *loc. cit.*

PROBATVR à D. Bonauent. *quæstione prima articuli tertij in corpore*, quia is iniquè decipit in re graui proximum, & ad hoc vtitur, tanquam instrumento iuramenti, exteriori actu (nam verè non est iuramentum, vt dicam *quæstione* 13.) inuocat igitur externè nomen Dei ad modum iuramenti, atque adeò grauiter abutitur medio nominandi Deum vanè sub formula iuramenti, illudendo Deo ipsi, ac in perniciem humani generis, ad cuius pacem seruandam instituta sunt iuramenta; eneruatque fidem debitam iuramento. Hac ratione vtuntur plurimi; inter quos censentur relati *quæst. præcedenti* pro prima sententia.

99 ASSERO secundò, iurantem absque animo se obligandi (si irrationaliter extorqueiut iuramentum) solùm venialiter peccare, si non applicat verba falso promisso confirmando.

PROBATVR fundamento D. Bonauent. quia hoc non est iuramentum, sed tantùm mendacium simplex, vt dicam *quæstione* 4. & idem dictum est *quæstione præcedenti*, *assertione prima*, & tunc vtitur iure suo, æquiuocis vtendo. Ità Sanchez *numero* 10.

ADVERTIT autem Sanchez, posse aliquem vti ex causa iusta verbis amphibologicis, non modò quando plures sensus admittunt ex se, sed etiam ex circumstantia aliqua, loci, temporis, &c. imò quan-
100 do verum sensum reddunt ex mente proferentis; vt si quis neget se fecisse aliquid, quod fecit (intelligens reuelandum.) Idem sentiunt Syluest *V. Iuram.* 4. *quæsit.* 7. Nauarr. *cap. Humanæ aures* 12. *quæst.* 5. *in quæst.* 2. *num.* 12. Valentia 2. 2. *d.* 5. *quæst.* 13. *puncto vltimo.* Salon. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 2. *controu.* 11. *in quarta ratione*, Tolet. *lib.* 4. *summæ*, *cap.* 21. *num.* 9. Manuel de ordine iudicario *cap.* 10. *num.* 4. & *primo tomo summæ*, *cap.* 191. *num.* 7. Philiarch. *Tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 14. Suarez *de Iuram. lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 6. Lessius *lib.* 2. *de Iustitia*, *cap.* 42. *dub.* 9. *num.* 48. Sà *verbo Iuram. num* 6. Sanchez *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 15. D. Bonauent. passim. Vide Dianam *part.* 2. *t.* 15. *res.* 25. & *part.* 3. *tract.* 6. *miscell. resol.* 30. Tametsi Caietanus 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. Sotus *lib.* 5. *quæst.* 6. *art.* 2. *cap.* 7. Malder. *opusc. de restrict. ment. cap.* 4. & 10. Syluius 2. 2 *quæst.* 89 *art.* 7. *quæsito* 3. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 4. *quæsito* 5. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 19. Layman. *lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 13. Coninch. *de act. supern. lib.* 1. *d.* 10. *dub.* 3. Aragon. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. & *quæst.* 89. *art.* 7. dicant, esse peritium; nisi verba amphibologica eum sensum amphibologicum à se ipsis obtineant; quibus hæret Bassæus *V. Iuramentum* 3. *num.* 10. vt securius incedat, tametsi oppositam probabilem fateatur, quam sequor.

101 PROBATVRQVE à S. Doctore *ad cap.* 7. *Ioan.* vbi Christus ait: *Ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam*, & tamen ascendit. Fuit autem illud effatum completè verum in mente Iesu. Non ascendam manifestè, & ad solemnitatem celebrandam, aut ad passionem, sed vt aliquos seorsim egentes instruam.

SIC notant multi ex D. Chrysostomo *homil.* 47. *in Ioannem* post medium *Tom.* 3.

PROBATVR secundò, à D. Bonauent. *in* 3. *d.* 38. *dub.* 1. vbi ex D. Hieronymo laudatur amphibologia obstetricum Hebræarum, quod ob id Deus dicitur ædificasse domos; spiritualesque eas dicit S. Doctor maximus.

102 TERTIO probatur à D. Bonauent. ex *Genes.* 27. ibidem *num.* 6. ex facto Iacob, qui finxit se Esau, & talem, atque talem se dixit, & fecisse, quæ præceperat Pater; & tamen à Sanctis PP. Ambrosio, Augustino, & aliis, excusatur, quos refert D. Bonau. *loc. cit.* & post eum Pererius *ibi disp.* 5.

SIMILITER Abraham *Genes.* 22. immolaturus filium ascendens montem, dixit, se reuersurum cum puero. Et *Genes.* 26. de vxore sua ait, esse sororem. Et *cap.* 42. & 44. Ioseph ait, se augurem esse. Et *Iudic.* 9. Ierunt ligna. Et 4. *Reg.* 10. Iehu dixit, se velle colere Baal, quæ exempla refert S. Doctor *in* 3. *d.* 38. *quæst.* 2.

PROBATVR quartò à D. Bonauent. *in* 3. *d.* 39. *art.* 2. *quæst.* 1. cui concordat etiam D. Gregorium ibi *lib.* 26. *moral. cit.* & refertur *cap. Humanæ aures* 22. quæst 5. ibi: *Humanæ aures verba nostra talia iudicant, qualia foris sonant. Diuina verò iudicia, talia esse audiunt, qualia ex intimis proferuntur:* Ergo ex proferentis intentione veritatem verborum intrinseco loco metiri vult, non ex verbis externis tantùm. Quod idem expressit D. Hilarius *lib.* 4. *de Trinitate cap.* 5. & refertur cap. *Intelligentia*, de verborum significatione ibi, *Intelligentia verborum ex causis est assumenda dicendi: Quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus.*

PROBATVR quintò à D. Bonauent. *in* 3. *d.* 38. 103
in dub. litt. num. 4. & 5. & *quæst.* 1. *in corpore*, & *quæst.* 2. *ad argumenta.* Mentiri, est contra mentem ire, & ità in habitudine verborum ad mentem stat ratio mendacij. Ergo siue vera, siue falsa in se sint, per accidens se habet, sed consideranda sunt ad mentem proferentis, & in deformitate verborum ad ipsam stat ratio formalis mendacij. Ita etiam Sanchez *num.* 15. qui id rursus confirmat ex D. Bonauent. *quæst.* 2. *citata*, *argumento* 6. cum Bassæo *num.* 10.

IN eo stat mendacium, vt verba dicantur contra institutionem sui finis; at verba instituta sunt ad hoc, vt homo exprimat, quod mente gerit.

EXTRA necessitatem verò non licèt vti amphi- 104
bologiis, quod probatur ex D. Bonauent. *in* 3. *d.* 38. *quæst.* 2. *ad tertium argumentum*, quia homo conditus est, vt cum aliis contrahat, & conuiuat œconomicè, atque politicè; ad hoc autem necessarium fuit, vt mutuò communicarent modo humano proprias intentiones, & voluntates, hoc autem fit sermonibus. Quare in contractibus, & conuictibus legitimis debemus vti sermonibus eo fine institutis ad significandum proximis candidè nostros conceptus. Hac ratione multi apud Sanchez *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 12. conantur probare, id semper esse verum, vt nunquam liceat amphibologiis vti, alioqui pateret aditus dolis, tollerentur commercia, sermonum assecuratio, &c.

ENIM verò cùm in statu corrupto cogamur con- 105
uiuere, & sæpe ab iniquis tentemur interrogationibus, & sermonibus malignis, potius aditus pateret malis permoltis, quàm interrogantis sincerè, animo parolo satisfieret. Ideò opus est cauta prudentia. Sic enim & Christus non semper insidiatoribus Iudæis ad nutum oracula reddebat, sed parabolis subobscuris, quæ pluribus modis poterat responsa multiplicare.

EX his patet, ac colligit rectè Sanchez *num.* 10. posse casum euenire, quo non modò sollicitati, sed etiam sponte vti rectè possimus amphibologicis dictis, præueniendo malum aliquod, vel ad placandum proximum, ad restituendam famam iniustè ablatam, &c. Idem ait Philiarchus *de off. Sacerd. tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 14.

IDEM erit in casu, quo reus socios criminis iniustè 106
detexit, aut testis iniustè crimen Rei occultum coram iudice prodidit, posse se offerre ad iurandum, eos non esse reos, intelligendo, vt pandi debeant:

Ità

Ità sentiunt Medina *lib. 1. summæ*, *cap. 14. §. 33.* Nauarr. *lib. 2. de restit. cap. 4. part. 3. dub. 5. num. 142.* Henriquez *lib. 5. de Pœnitentia, cap. 12.* Manuel *primo Tomo summæ, cap. vltimo.* Bannes 22. *quæst. 62. art. 2. dub. 8.* & ibi Salonius *controu. 15.* dicens Melchiorem Canum, Mantium, & alios eruditissimos, idem tenere in *suis relectionibus.* Leonardus *lib. 2. de Iustitia, cap. 11. dub. 20. num. 110.* Sayrus *lib. 11. cap. 4. num. 27.* Petrus Ledesma 2. *Tomo, tract. 2. cap. 7. concl. 3.* cum Sanchez *lib. 3. cap. 6. num. 28.*

107 QVARE non video, quomodo ex allegatis Doctoribus, Nauarr. *in summa, cap. 12. num. 8.* Sayrus *lib. 5. cap. 4. num. 21.* Leonardus *lib. 2. de iustitia, cap. 42. d. 9. num. 46.* asserant non licere, se ad iurandum offerre, vtendo his amphibologiis; sed his tantùm licere vti, requisitis.

EX his multa resoluuntur, nempe licere vti æquiuocis, si interrogemur, etiam in iudicio, de re occulta, vel à iudice non competente, & negare, intelligendo, vt teneatur; vel si interrogatus, an veniat è tali loco, falsò pestis denunciato, posset negare custodibus ciuitatis, se ex eo loco venire, intelligendo infecto. Vide Sanchez, qui *num. 4.* affert etiam casum illum, quem S. P. Francisco adscribunt, vt in via interrogatus à satellitibus, an illuc transisset quidam reus, responderit non transisse huc, intelligendo per
108 manichas suas, in quibus manus tenebat. Itidem hoc licèt ad seruandam vitam, famam, opes, ad aduersa repellenda, ad hostem in bello iusto eludendum, ad insidias vitandas, ad opus vtile, &c.

ASSERO tandem, si verba illa referat ad falsum roborandum, peccat. Vide assertum tertium quæstionis præcedentis, de qua est eadem ratio.

EST autem Periurium peccatum, grauius homicidio, quia est contra Dei honorem, vt dicam *quæst. vlt.*

QVÆSTIO XI.

An liceat Iuramentum à peieraturo exigere.

D. Bonauent. in 3. d. 39. in dub. 5. Litt. n. 7. & art. 2. q. 3. corpore.
D. Thom. 2. 2. q. 98. art. 4. & 3. d. 39. q. vn. art. 5. quæstiuncula 2.

109 CERTVM est non licere exigere iuramentum, in quo defuturi sint duo comites; iustitia scilicet, aut iudicium; cùm enim nulla euenire possit causa exigendi talia iuramenta, peccabit exigens peccato iurantis, mortali, aut veniali.

DIFFICVLTAS autem erit, si defutura sit Veritas.

DE tribus autem personarum generibus potest dubitari, an sint legitimi exactores iuramenti à peieraturo, & sunt, Iudices, Actores, & Priuatæ personæ.

QVOAD Iudicem, Assero, eum posse exigere iuramentum, seruato iuris ordine, ab eo, quem scit peieraturum. Ità docent Alensis 3. *part. quæst. 31. m. 2. art. 6. quæst. 1.* & Sanctus vterque Doctor hic adducti, quos sequuntur Richard. *in 3. d. 39. art. 3. quæst. 3.* Paludanus *quæst. 2.* Maior. *quæst. 3.* Gabr. *quæst. 2. art. 3. dub. 11.* Archid. *cap. Ille, num. 2. 22. quæst. 5.* ibi, Bellamera, & Turrecrem. Socinus *regul. 210.* Abulensis *quæst. 298. ad 5. Matth.* D. Antonin. 2. *part. tit. 10. cap. 7. §. 10. & §. 3.* Angel. *V. Iuram. 3. num. 11.* Syluest. *ibi 2. quæst. 9.* Armilla *vers. 33.* Tabien. *ibi quæst. 33. num. 34.* & *V. Periur. quæst. 3.* Sotus *lib. 8. de Iustitia, quæst. 2. art. 4.* Nauarr. *summa, cap. 12.* Couarr. *de pactis, p. p. §. 6. num. 2.* Pedraza *Summa, secundo præcepto, §. 7.* Alcozer *summa, cap. 15.* Toletus *lib. 4. summa, cap. 21. num. 10.* Sayrus *lib. 5. cap. 5.* Petrus de Ledesma 2. *Tomo, tract. 11. cap. 5. dubio 6.* Azor. *Tom. 1. lib. 11. cap. 11.* Graff. 2. *part. decis. lib. 2. cap. 4. num. 5.* Suarez *de Iuram. lib. 3. cap. 14. num. 13. & 17.* Lessius *lib. 2. de iustitia, cap. 42. d. 10. num. 49.* Philiarc. *Tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 16.* Manuel *primo Tomo summa, cap. 91.* quos adducit, & sequitur Sanchez *lib. 3. summæ, capite 8. numero 2.*

ALIQVI restringunt, id non posse Iudicem sponte; sed solùm ad instantiam partis. Ità videntur sentire D. Thom. Richardus, Paludanus, Gabr. Socinus, Abul. D. Antonin. Angel. Syluest. Tabiena, Nauar. Sotus, Sayrus, Petr. Ledesma, Pedraza, Manuel citati: Clarius autem Archid. Bellamera, Azorius, Maior, & Graffius. 110

AT exponendi sunt, quando nullo iure coactus id faceret, sed sponte ad suam conscientiam merè instruendam; secus verò, quando iudex ex officio tenetur inquirere, vt in causis criminalibus, quando ex officio procedit, vt potest videri in Iulio Claro *lib. 5. receptarum in prac. crimin, quæst. 6. num. penult.* Sic Durandus 3. *d. 39. quæst. 5. ad 2.* & ibi Paludanus *quæst. 2. art. vlt. ad 2.* Turrecremata *cap. Quemuis, num. 2. in solut. ad 3. 22. quæst. 1.* Alens. *loc. cit.* Leonard. & Philiar. citati, post D. Bonauent. *quæst. 3. corpore*, vbi ait, si iudex est, quantum ex ordine iuris, conuenire ex officio inquirere. Itaque, si hoc non cogitur, non debet tale iuramentum exigere. Vide Dianam *part. 5. tract. 7. resol. 9.* Bassæum *V. Iuram. 3. num. 9.*

PROBATVR igitur assertio à D. Bonauent. *citatis locis*, quia iudex vtitur iure suo ex ratione officij legitimam exigendi causam habet, deseruitque id iuramentum scientiæ, quam iudex sequi tenetur, & vt legitimus sit processus; Et si pars instet, multò magis tenetur. 111

QVOAD Actorem, multi eum damnant, quotquot suprà iudici ad instantiam solummodo partis dicunt id licere, quia non ipse, sed pars censeatur exigere. Quare partem ipsam videntur damnare, eò vel maximè, quod ibi absolutè damnant priuatam personam, id iuramentum petentem, qualis communiter solet esse Actor. Cum his videtur loqui etiam D. Bonauent. *locis adductis.* Ratio est, quia nulla videtur necessitate impulsus ad exactionem talis iuramenti: Alij verò videntur excusare, ex quibus est 112
D. Bonauent. *in dubio citato litt.* vbi priuatam personam solùm excludit, quando id facit ex mera sua voluntate absque necessitate: & *in quæstione citata* asserit, posse, ad veritatem stabiliendam, priuatam personam tale iuramentum exigere. Licèt autem de idolatria loquatur, & neget de Christiano peierante, prout in solo periurio sistitur, atque, vt periurium, est priuatum absque testibus, vnde non possumus eo vti ad veritatem, sed ad subuersionem; attamen ex D. Bonauenturæ doctrina idem sequitur licitum exigere publicè à peierante, si casus eueniat, vt possimus eo Iuramento vti ad veritatem publicè confirmandam, siue per se, siue per accidens, quatenus ex falsitate illius eruatur veritas, vt ostendam etiam circa tertiam assertionem.

POTEST autem talis necessitas esse, si aliquis alterius causam agat publicè, & infidelitatis, aut negligentis procurationis sugillatetur; si egeat ad aduersarij fraudes detegendas, famam diminuendam, atque adeò calumnias prosternendas. Ad firmandum contractum, 113

tractum, & cogendum iurantem coram iudice, qui cùm iudicet de externis, coget iuramentum implere. Itaque D. Bonauenturam sequuntur Lessius *lib. 7. de Iustitia, cap.42. d.10. num.47.* Suarez *Tract. de Iuramento, lib. 3. cap. 14. num. 16.* Sanchez *loco citato, numero quarto.* Bassæus, Diana, & alij suprà.

Asserο, posse Actorem exigere iuramentum à peieraturo, ad ius suum tuendum.

114 Probatvr à D. Bonauent. *quæst. cit.* Quia sic vtitur iure suo ad firmandum id, quod ab altero sibi debetur, nec tenetur iuri suo cedere ad vitandum periurium, ex malitia alterius proueniens, neque enim periurium, sed iuramentum exigit. Ità etiam Sanchez.

Dicas, etiam Iudici solùm ex necessitate id licet: Ergo nulla est differentia, quam ponit S. Bonauent. & alij inter Iudicem, seu aliam personam publicam, & priuatam, quòd illi liceat; huic non.

Respondet Suarez *eo cap. 14. num.17.* & Sanchez *num.7.* ex D. Bonauent. *quæstione citata*, diuersitatem esse in hoc, quòd iudici ex officio eius conuenit, ita vt quoties occurrat iuridica ratio vtendi in hoc suo officio, liceat; at personæ priuatæ non sic, ita vt ratio non modò pro sua voluntate non liceat ordinariè, sed solùm in aliquo casu firmandæ veritatis ad ius suum conducentis grauiter, quod rarò euenit.

115 Qvoad personam omnem priuatam extra iudicium, communiter damnant mortali. Ita D. Augustinus *serm.10. de Sanctis,* & refertur *cap. ille, 22. quæst. 1.* & *serm.28 de verbis Domini,* & refertur *cap. qui exigit 22. quæst. 5.* quem D. Bonauent. adducit, & sequitur, & concordant authores primæ assertionis.

Obiicit autem sibi S. Bonauent. quia licet exigere iuramentum à Pagano, qui iurat blasphemè per idola, & grauius peccat, quàm, si per verum Deum peieraret, vt *dixi quæst.7.*

116 Respondet S. Doctor ex D. Augustino *epist. 154.* ad Publicolam, disparem esse rationem, nam exigens iuramentum ab Idolatra, intendit iuramentum illud ad firmandum contractum, & veritatem stabiliendam. Licitum est autem ex necessitate exigere ab aliquo id, quod potest facere absque peccato, attamen facturus est peccando: è contra verò exigens à peieraturo, nullam hinc sibi vtilitatem acquirit, sed solam causat veritatis subuersionem, & ità finis iuramenti peruertitur, & nulla bona intentione saluatur; sicuti saluatur in ordine ad idolatram iurantem; tum quia, vt dixi, ordinatur ad veritatem stabiliendam; tum etiam, quia Idolatræ reputant se obligatos ad iuramenta facta per suos Deos seruanda; sicut Christiani per Deum verum iurantes.

117 Hæc doctrina, si rectè perpendatur, non est satis intellecta à Sanchez *num.* 4. Non enim vult S Bonauent. semper esse peccatum alicui, qui non sit iudex, excipere iuramentum à peieraturo, sed negat tantùm extra publicam actionem, vel iudicium euenire posse necessitatem exigendi; nam in iudicio, vel publica actione firmantur fœdera contractus, & inseruiunt periuria per accidens, vt cogantur publicè, qui iurarunt ea obseruare, & ad alios fines suprà relatos. Quod si S. Bonauent. vellet, data pari causa, licere exigere iuramentum à Pagano, quem scimus iuraturum per idola (licet non intendamus excurere, vt iuret per ea, quod nullo pacto licet:) At non licere exigere iuramentum à fideli, quem scimus iuraturum falsum per Deum; rursus rediret argumentum oppositum; quomodo scilicet id, quod grauius, est licet? Sensus igitur D. Bonauent. est, licere in iudicio, vel actis publicis exigere iuramentum ab idolatra, etiam si sciamus iuraturum per idola, quia tale iuramentum in illis actis inseruit ad fœdera, pacta, & veritatem stabiliendam, vt notat idem S. Bonauent. *ad primum* ante *secundum*, in quo hanc doctrinam diuersi- 118
tatis tradit; non licere autem secretò priuatim ad libitum (vt ait S. Bonauent. in dub. litt.) exigere à peieraturo, cùm nulla inde vtilitas consurgat, nec vllus finis rectus possit intendi, & sola resultet veritatis euersio. Itaque in actibus solemnibus contractuum, & fœderum, multóque magis in iudicio fungentem officio actoris posse id facere; & tales sunt casus, quos retuli suprà ex Sanchez *num. 4. & 7.* nam si inter te, & ipsum solum iurantem agas, is tibi certè negabit, se iurasse, quoties volueris eum conuenire ad executionem. Et hoc modo intelligere videtur etiam D. Thom. *quæst. 8. art. 4. ad 4.* vbi comparat vtrumque in solo actu iurandi, in quo malitiosus magis videtur peierans per Deum, quàm iurans verum per Idolum; attamen quoad causam, si adsit, docent, posse nos malo vti ad bonum illius causæ, alioqui non satis argumentum solueret, quia idolatra, vt suppono, iurat colens idolum, & non est inuincibiliter omnino ignorans, & ideò peius facit. Idem arbitror sentire Sotum *lib. 8. de Iustitia quæst. 1. art. 4.* Aragon. 2. 2. *quæst. 89. art. 6. d. 2. ad 1.* Clauim Reg. *lib. 5. cap. 3. num. 20. & cap. 5. num. 2.*

Asserο, non licere priuatim à peieraturo ex- 119
torquere iuramentum.

Probatvr à D. Bonauent. quem suprà allegati sequuntur, atque ipse Sanchez *num.5.* ex D. Augustino dicente, eo *Sermone 11. de Sanctis*, hunc exactorem iuramenti necare animam suam, & animam etiam peierantis.

Probatvr secundò à D. Bonauent. quia ad tale periurium absque necessitate trahitur, neque vllus bonus finis interuenit, vt ostendi, sed sola veritatis euersio, & Dei contemptus, quod est mortale. Ex his deduco, non benè Suarez *eo cap. 14. num. 17.* & Sanchez *num. 7.* diuersitatem suprà relatam assignare, cur liceat exigere iuramentum à iuraturo per idola, & non liceat à peieraturo per Deum, nempe quia vtilitas, ac causa moraliter ordinariè reperitur in casu iuramenti, à Pagano exacti; non in isto, in quo regulariter deest causa. Contra enim est, quia vterque plures casus affert, in quibus adest causa exigendi iuramentum. Etiam à peieraturo: Ergo nulla differentia est. Confirmatur, nam infideles, vt plurimum, barbari sunt, & fidelitati desunt.

Igitvr in actibus priuatis, carentibus testi- 120
monio, sunt pares, ità vt non liceat exigere iuramentum ab alterutro, imò minus ab idolatra. Per accidens verò est, Idolatram posse esse moraliter fidelem, ideo exigi, si probabiliter sciam, eum confirmaturum, si oportuerit, & ratificaturum publicè iuramentum: Quod difficilius potest promitti, atque præsumi de peierante, qui est malæ fidei, atque peioris, quàm Barbarus moraliter fidelis, seu homo fidei humanæ.

Nota, *in cap. Clericos, de cohabitatione clericorum* vetari, ne petatur à clericis iuramentum dimittendi concubinas, ob transgressionis periculum: Itaque quando probabiliter scitur, non impleturum, non licet exigere iuramentum.

Vel dic, comparari Paganum, & Peierantem in ratione iuramenti, sic vt peierans exigatur absque eo, quod possit eius iuramentum inseruire, sicuti inseruiret iuramentum Pagani.

Hæc enim comparatio fit non ex professo; sic 121
enim deberet vterque considerari in eadem conditio-

ne;

ne, ac circumstantia; sed solùm in hoc, quòd, cùm definiatur, non posse exigi iuramentum à peieraturo.

Obiicitur si exigi potest ab Idolatra, qui grauius peccat, cur non etiam ab illo?

Respondetur autem, huic, de quo agitur, prout est in priuato, non autem in genere, non posse, quia ad nil inseruit: Sicut inseruit iuramentum per Deos eo modo, quo à Paganis exigitur ad firmanda fœdera; sic enim inseruit, quia probari potest, & sustineri ad ius nostrum conseruandum.

QVÆSTIO XII.

An & quando liceat Iuramentum ab Idolatra exigere.

D. Bonau in 3.d.39. art.2 quæst 3.
D. Thom. quæst.98. art.4. ad 4.

122 Asserendum est primò, licitum esse tale exigere iuramentum ab ethnico, quem scit iuraturum per Idola, si necessitas ingruat. Ità S. Bonauent. post D. Augustinum *epist.* 154. *ad Publicolam.*

Probatur primò à D. Bonauent. ex scriptura *Genes.* 31. Iacob exegit iuramentum a Laban, qui erat Idolatra, qui propterea conquestus est, erepta sibi à Iacob esse idola.

Secundò probatur à D. Bonauent. *primo Machab.* 8. Iudas exigit à Romanis iuramentum fœderis, qui idola colebant. Hi autem non reprehenduntur.

Tertiò ex D. Augustino *loco suprà adducto.*

Quartò quia licet cum infidelibus contractus, fœdera, & pacta inire; hæc autem iuramentis firmantur.

123 Quintò tandem probatur à D. Bonauent. quia hoc non est cooperari peccato illius, sed iusta ex causa illo vti in propriam vtilitatem; petitur enim iuramentum, quod licitè præstare posset per verum Deum; quare illi offertur materia licita, qua gratis ipse abutitur, vnde petenti non est imputandum. Hac ratione vtuntur D. Thom. *loc. cit.* Sanchez *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 21. & alij. Affert S. Bonauent. exemplum: Potest pauper petere eleemosynam à diuite, quem scit daturum cum murmure etiam graui; quia pauper petit in necessitate, quod bonum est; ille vero diues gratis abutitur obmurmurando: Quod autem ille mala voluntate det, non obstat, quin rectè possit iste recipere.

Difficultas autem est, quæ necessitas requiratur, ne exigenti iuramentum culpa adscribatur.

124 Primò quidem aliqui volunt, requiri bonum publicum. Ità Alens. 3. *part. quæst.* 31. *m.* 2. *art.* 6. Maior *in* 3. *d.* 39. *quæst.* 3. Citatur à Sanchez *num.* 21. etiam D. Bonauent. *in corpore*, vbi licèt dixerit, prius licere ob bonum, maximè commune, vbi indicat, licere etiam pro bono priuato; At paulò infra concludit: Vnde quamuis illicitum sit iurare per idolum, quia forma illa est prohibita, tamen vbi necessitas, vel communis vtilitas hoc requirit, licitum est, recipere iuramentum formale, vbi non ait, id licere quando necessitas, vel vtilitas communia id requirit, vt refert Sanchez, sed quando necessitas, idest, particularis, vel communis vtilitas exigit, quia vt bonum priuatum faciat sufficientem causam, requiritur, vt sit necessitas; at verò bonum commune, etiamsi solam afferat vtilitatem, sufficit. Hoc autem ità Seraphicum sentire probatur. In responsione enim *ad primum* expressis verbis, ait: *Qui recipit iuramentum per*
idolum, non ob id illi consensit venerationi Idoli, sed 125
veritatis confirmationi, vt firmum sit verbum, & solidum maneat pactum: Et quantum ad hoc, non est ibi peccatum, quia recipit quod suum est: Quòd verò ibi malum est, detestatur: Sicut pauper recipit eleemosynam datam cum murmure, neque peccat, quia sic placet sibi eleemosyna datio, vt displiceat adnexa murmuratio. Idem indicat ad alia argumenta, quibus vult sufficiens esse bonum priuatum. Et ita tenent Gabriel 3. *d.* 39. *art.* 3. *dub.* 1. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 19. Suarez *tomo* 3. *in tertiam partem, quæst.* 65. *art.* 4. *disp.* 18. *sect.* 1. *corol.* 2. & *Tom.* 2. *de Religione, tract. de Iuramento, lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 8. Less. *lib.* 2. *de Iustitia, cap.* 42. *dub.* 10. Graff.
1. *part. decis. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 13. Driedo *lib.* 1. *de* 126
libertate Christiana, cap. 9. Sanchez *num.* 21. hos allegans, quia dicunt, licere ob firmandam pacem, aut fœdera, quæ ad bonum commune, & ad priuatum spectare potest, quod idem debuit de S. Bonauent. asserere, qui idem habet *fundamento* 4. & 5. Requirit ergo S. Bonauent. necessitatem aliquam, quam non esse extremam, nec propriam necessitatem asserit, sed moralem, ordinatam ad mercaturas, treugas, & alios graues contractus ineundos, qui absque his iuramentis nequeant firmari, & in hoc stat necessitas.

Huius autem quæstionis solutio ex alia colligitur, quam tractat S. Bonauent. *in* 3. *d.* 37. *dub. litt. num.* 15. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 4. vbi Thomistæ, & alij mox citandi quærunt: An petens mutuum ab eo, quem scit vsurariè mutuaturum, peccet.

Respondent autem SS. DD. In necessitate 127
sic exigentem non peccare; necessitatem autem dicunt esse non extremam, sed conuenientiam status iuris alicuius, aut simile, ad quod illa pecunia est necessaria, nec aliunde facilè haberi potest: Quia præceptum charitatis vitandæ occasionis ruinæ illius proximi non adeò stringit, vt teneatur quispiam ob id statum suum negligere. Ità sequuntur Durandus 3. *d.* 37. *quæst.* 4. Ibi Paludanus *quæst.* 2. *art.* 1. D. Antonin. 1. *part. tit.* 1. *cap.* 9. §. *vltimo* Caietanus 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 4. Syluest. *V. vsura* 7. *quæst.* 1. Sotus *lib.* 6. *de Iustitia, quæst.* 1. *art.* 5. *dub.* 1. Molina *de Iustitia, Tom.* 2. *disp.* 335. Valentia 2. 2. *disp.* 5. *quæst.* 21. *puncto* 4. Bannes 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 4. *dub.* 3. Aragon. *dub.* 1. *concl.* 2. & ibi Salon. *controu.* 3. Petr. Ledesma 2. *Tomo, tract.* 8. *cap.* 33. post *concl.* 29. Hinc sequitur, rarò admodum euenire, vt talis peccet, quia saluatur status decentiæ.

Idem autem dicendum de solutione vsuræ, quod de petitione mutui, vt notat Valentia *disp.* 5. *quæst.* 21. *puncto* 4. §. *Iam de secundo.*

Assero primò: Petere absque causa iuramen- 128
tum ab idolatra, iuraturo per Idola, est peccatum mortale.

Hanc difficultatem ait Sanchez *num.* 23. à Doctoribus non enodari, sed in simili de vsura: At eam ex professo enodauit S. Doctor, & grauiter probauit.

Probatur primò à D. Bonauent. ex illo Rom. 1. *Non solùm qui talia agunt, digni sunt morte, sed etiam qui consentiunt facientibus*, (nempe peierantibus, vel iurantibus per idola, de quibus mox loquebatur;) At qui nulla necessitate, nullavè causâ exigit iuramentum ab idolatra, nil aliud potest velle, quàm illud lethale iusiurandum ab eo emitti: Ergo.

Secundò, quia ex D. Augustino, Serm. 11. de 129

Sanctis

Sanctis : *Is necat animam suam, & iurantis.*

Tertiò, quia generale charitatis proximi præceptum obligat quemlibet sub mortali ad vitandum lethale alterius peccatum, quando commodè, & absque suo, vel saltem communi detrimento potest; ratio est, quia bonum spirituale animæ debet temporali præferri, quantum in nobis stat.

Hoc argumentum fortiter vrgere, ait Sanchez *num.*23. vbi addit, probabile esse, etiam culpam solam venialem committi, nisi aliqua finis mortalis circumstantia adiungatur, vt si mutuum ab vsurario peteret dilapidandum cùm meretricibus, vel iuramentum à Pagano exigeret ad insidias moliendas.

Esse verò ex se veniale asserunt multi apud Sanchez *num.*25.

130 Nota verò, Seraphicum respondere argumento, quatenùs probare nitebantur, nunquam licere ob temporalem necessitatem exigere iuramentum à Pagano, qui mortaliter peccat iurando per idola; eò quòd bonum spirituale salutis præponendum est omni bono temporali; respondere inquam, saltem ob bonum commune posse omitti salutem particularis. Non vult dicere, præcisè ad hoc necessarium esse directè instare necessitatem comunis boni, sed sufficere, indirectè ad bonum commune eam causam reduci. Hoc autem modo etiam contractus, pacta, paces singulares ad bonum commune reducuntur, ad quæ seruanda necessaria sunt iuramenta, sæpe cum ethnicis huiusmodi; si enim tollerentur iuramenta huiusmodi, perirent contractus necessariarum mercaturarum, quibus Pagani potiuntur; periret securitas necessaria promissorum, pacisque singularis, vel fœderis, & ita magno Christianorum detrimento non possemus cum eis contractus inire.

131 Aliam addit S. Doctor responsionem, non postponi salutem Pagani iurantis commodo temporali, quia Paganus ille est alioqui idolorum cultor internus; ideò non læditur grauiter eius salus contra charitatem. Quod si ille non esset paratus iurare per idola, quia vellet sanctam Religionem Christianam suscipere, tunc nullatenus esset tale iuramentum ab eo exigendum. Hæc S. Bonauent. *ad tertium.*

His verò clarè demonstrat, non licere tale iuramentum ob tẽporale commodum exigere à non exposito, quippe aliàs non iuraturo per Deos, contra Sanchez *num.*7. *&* 19. & alios apud eum. Hoc tamen sic intelligerem, non licere, dum est in procinctu sumendi Baptismum, ac fidem; sed expectandum vt baptizetur, & postea petatur iuramentum, tunc enim iu-
132 rabit per Deum verum; alioqui verò, si esset in infidelitate durus, etiamsi non esset paratus iurare per idola, posset exigi iuramentum vt sic, & ita posset iurare per verum Deum (de quo necesse est, vt habeat aliquam cognitionem) & si sciremus, eum per Deos iuraturum, quia illa petitio non est per se inductiua ad peccatum, sed exigit quod sui iuris est, malitiæ soli iurantis est adscribendum, si iuret per Deos, vt suprà dixi. Et sic responsio concordat toti doctrinæ Seraphici suprà allatæ.

Saltem verò necessariam esse maiorem causam in non parato iurare, quàm in parato, omnes fatentur.

QVÆSTIO XIII.

De obligatione Iuramenti promissorij secundùm se.

D. Bonauent. d. 39. quæst. 1.

Svppono è *quæst.*10. quandonam promittatur tale iuramentum.

Iuramentum est, veluti priuata lex, quam homo sibi promissione imponit, vt notat Sanchez *lib.*3. *cap.*9. *num.*1. & in hoc assimilatur voto. Ità tamen, vt iuramenti assertorij sit maior, & strictior lex, quia obligatio veritatis iurandæ, spectat ad præceptum negatiuum: *Non assumes nomen Dei in vanum*, obligans ad non irrogandam grauissimam iniuriam, negando illi, esse primam veritatem; at lex voti est affirmatiua: *Redde Domino vota tua*, & obligat ad seruandum Deo promissum; hoc autem violare minus est. Ita Suarez *Tom.*2. *de relig. Tract. de iuramento*, *lib.* 2. *cap.* 3. Less. *de Iustitia*, *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.*11. *num.*53. 133

Rursus si contineat promissionem Deo factam; altior est, quia continet obligationem voti, & iuramenti. Si verò spectetur iuramentum promissorium, vt sic solitarium absque Diuina attestatione, & cum voto comparetur; maior est voti obligatio, tum quia maior obligandi vis sumenda est ex eo, cui promittitur: Iam verò Voto promittimus Deo ex intrinseco voti; at Iuramento promissorio hominibus, quod minus est. At verò si includat etiam adductum Deum in testimonium, hoc maius est, vt dixi, & rursus dicam *quæst.*16. 134

Hæc ex parte colligere licet ex D. Bonauent. *in* 4. *d.* 38. *quæst.* 1. in fine, D. Thom. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 8. Suarez *citato cap.*3. *à num.*7. Sanchez *num.*4. *cap.* 9.

Quæstio autem est, quæ materia voti sit necessaria, vt iuramentum obliget. Hanc quæstionem agit S. Doctor, quærens: an iuramentum promissorium incautum obliget. 135

Certum est autem, iuramentum promissorium debere includere aliquid in obsequium Dei, vel hominum vtilitatem. Et quidem, dum spondetur aliquid Deo, induit rationem voti, & materia illius debet esse materia voti, de qua actum est *disp. de Voto quæst.*6. *& seqq.* Similiter dic de materia contra consilia, vt non intrandi Religionem.

Probatur à D. Bonau. Illud Iuramentum non habet iustitiam debitam, quod impugnat directè perfectionem; tale est illud contra consilia. Ità D. Thom. *quæst.* 89. *art.*7. *ad septimum*, & alij communiter apud Sanchez *lib.*3. *cap.* 9. *num.*11. qui addit, esse peccatum illud obseruare, non quidem, si materialiter obseruetur, id est, non ex vi iuramenti, nam vt ait S. Bonauent. *in corpore*, & S. Thom. *ad* 2. peccat hic Iurando, non tamen implendo. Secundo modo seruare ex vi iuramenti non intrando Religionem est peccatum, quia operatur ex vi rei illicitæ. Iuramentum igitur de materia mala est inualidum, licet declarandum sit tale, vt habetur *cap. finali, verb. Confirmauit* 22. *quæst.* 4. & *cap. Venerabilem, de elect.* vt exponit Suarez *lib.* 2. *cap.* 25. *num.*8. Sanchez *loco citato, num.*13. Probatur à D. Bonauent. *argumentis secundo loco*, tum ex D. Isidoro; tum quia iuramentum non est vinculum iniquitatis. 136

Ex

137 Ex dictis elicere licebit, iuramenta parentum, herorum, & similium, quibus iurant punire filios, seruos, &c. communiter non obligare, qui ordinariè ex ira veniunt, non ex aliqua virtute. Idem dic de iuramentis puerorum accusandi alios pueros coram magistro, &c.

MATERIA verò iuramenti, quod fit in hominum vtilitatem, debet omni culpa carere, vt obliget. Itaque si aliqua culpa etiam veniali scateat, non obligat, vt habetur *cap. Quamuis pactum, de pactis in 6.* & *cap. cum contingat de iureiurando*, vbi regula generalis traditur; iuramentum homini præstitum, quod absque salutis æternæ dispendio seruari potest, esse necessariò seruandum. Nomine autem dispendij intelligitur etiam veniale peccatum, quippe disponit ad perdendam vitam æternam. Ideò hanc regulam generalem tradunt Abbas *eo cap. Cùm contingat, num.* 7. Sanchez *lib.* 1. *de matrimonio, d.* 12. & *lib.* 3. *sum. cap.* 9. Tañer *num.* 25. cum Couarru. *de pact.* 3. *part.* Molin. *Tom.* 1. *d.* 149. & *tom.* 2. *d.* 271. Lessius *lib.* 2. *cap.* 17. *d.* 7. cum D. Bonauent. *in resol. & ad argumenta.*

138 AT licet in promissis Deo requiratur, vt res sit de meliori; tamen in materia homini iurata sufficiet, si sit indifferens, vt docet Suarez *lib.* 3. *cap.* 16. & 21. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 5. Lessius *lib.* 2. *de Iustitia, cap.* 42. *d.* 4. *num.* 20. Ratio diuersitatis est, quia Deus vult meliora; at homo etiam indifferentia, dummodo sibi sint vtilia, exigit, quæ licet in se indifferens materia sit, tamen vt præstita per iuramentum, ad virtutem reducitur, vt dixi *quæst.* 4. & notat Sanchez *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 3. cum Lessio *lib.* 2. *de Iustitia, cap.* 42. *dub.* 6. *num.* 26. Suarez *Tomo* 2. *de relig. Tract. de iuram. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 4. & quidem necessarium esse, vt sit alicuius virtutis actus, ait Vasquez *primâ.* 2. *d.* 174. *num.* 35. esse omnium sensum. Potest tamen aliquid in promissione esse materia illicita; at licita in exhibitione, vt patet de mercede meretricis, vt notat Valentia *d.* 5. *quæst.* 6. *puncto* 5. Sanchez *loc. cit. num.* 27.

139 Ex his habes regulam: *Non est obligatorium; de regulis iuris in* 6. vbi dicitur: *Iuramentum contra bonos mores non obligare.* Vbi Sanchez glossat: Si sit contra bonos mores naturalibus legibus diuinis, canonicisve præceptos; quia hæ leges ad animos componendos tendunt; non verò loquitur de moribus lege ciuili ordinatis, quia lex ciuilis ad politicam compositionem ordinatur; neque semper materiam sub peccato ordinatam continet.

ASSERO igitur primò, iuramentum promissorium emissum debere obligare.

140 PROBATVR à D. Bonauent. *in* 3. *d.* 39. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corpore*, & *in fundamentis* ex Matth. 5. *Reddes Domino Iuramenta tua.* Id confirmat ex D. Augustino *serm.* 28. *de verbis Apostoli.*

PROBATVR secundò à D. Bonauent. ibi & *sermone* 3. *Decal.* Quia transgressio iuramenti vetatur secundo præcepto: *Non assumes nomen Dei in vanum*, vt omnes PP. asserunt, & Theologi. Et est magna Deo iniuria, qua vel falsitatis, vel improbitatis, aut ignorantiæ notâ, quantum ex iurante est, sigillatur, vt dixi *quæst.* 4. & *tribus sequentibus*, vbi tres comites iuramenti necessarios apposui.

ASSERO secundò. Iuramentum incautum, quod vergit in malum, vel salutis dispendium, non est validum.

141 PATET ex dictis, & exponetur *quæst.* 18.

ALIQVÆ verò aliæ conditiones iure positiuo adduntur. Prima est, vt iurans sit ieiunus, vt notat S. Doctor *d.* 39. *in litt. num.* 8. & habetur *cap. Honestum* 22. *quæst.* 5. & *cap.* 1. *de testibus, & attest.* & hæc conditio est consilij solùm, vt habetur eo *cap. Honestum*; Concil. Aurelian. decreuit ità fieri, excepto in tractatibus pacis, qui cùm in longum protrahantur, & non sint interrumpendi, etiam à non ieiunis firmari valent, vt refert S. Bonauent. *loc. cit.* Ex parte temporis requiritur, ne fiat ab Aduentu ad Epiphaniam, & in Litaniis Maij, & Rogationum, & Quatuor Temporibus; & à Septuagesima ad Octauam Paschæ, vt habetur *cap. Decreuit*, 22. *quæst.* 5. Sed hæc conditio in desuetudinem abiit, vt docet Glossa ibi cum Valentia *d.* 6. *quæst.* 7. *puncto* 3. Sanchez *lib.* 3. *Decal. cap.* 3. *num.* 4.

PRÆTEREA quibusdam personis interdicitur iusiurandum. In primis Periuri excluduntur à iuramento iudiciali *cap. Paruuli* 22. *quæst.* 1. quia ex quo semel peierarunt, præsumuntur semper peieraturi; sunt enim infames, vt notat D. Bonauent. *d.* 39. *quæst.* 3. *in corpore*, & D. Thom. *quæst.* 98. *art.* 3. *ad* 2. Excludi tamen eos solùm, postquam huius criminis iudicialiter conuicti, & damnati fuerint, docet Archid. quem refert, & sequitur Syluest. *V. Periur. quæst.* 5. Sotus *lib.* 8. *de Iust. quæst.* 1. *art.* 10. Aragon. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 10. Sanchez *loc. cit. num.* 5. 142

PRÆTEREA interdicitur pueris ante pubertatem iurare in iudicio *cap. Paruulis*, & *cap. Pueri*, 22. *quæst.* 1.

TERTIÒ Sacerdotibus vetatur iurare ex leui causa in iudicio *cap. si quis Presbyter* 2. *quæst.* 5. Reddit rationem D. Thomas *quæst.* 89. *art.* 10.

IN tribus autem casibus nequeunt clerici in manu laïci iurare, absque sui Episcopi licentia. Primus est, quando iurant coram laico, tanquam superiore ab ipso coacti. Secundus, quando iurant de calumnia. Tertius in actu testificandi. Vide Sanchez *lib.* 3. *num.* 8. 143

QVÆSTIO XIV.

Vtrum Iuramenta dolosa obligent.

{ D. Bonauent in 3. d. 39. art 3. quæst. 1.

IAM quæstione decima vidimus malitias iuramenti dolosi, & doli genera, quæ ibi vide.

QVONIAM verò vel consistit in hoc, vt mens non respondeat verbis iurantis; vel in eo, quod, licet inter se, consonent, tamen verbis æquiuocis fallit recipientem, & non respondet sensui audientis. Tripliciter autem potest discordare vox à sensu. Primò si animus non intendat iurare. Secundò, quando non vult dare, atque adeò nec promittere. Tertiò, quando adest animus iurandi, sed non se obligandi, vt dixi ibi. 144

ET primò quidem quando deest intentio iurandi, concedunt omnes allegandi, non esse iuramentum, & ideò sub hac ratione non obligare. Ratio D. Bonauent. *in fundamentis* est, quia cùm interior intentio sit quasi verborum anima, dans illis esse; (verba enim ad mentem explicandam suapte natura sunt ordinata) si desit interior intentio iurandi; iuramentum erit fictum. Confirmatur à D. Bonauent. quia obligatio iuramenti est lex quædam, quam quisque sibi imponit; at nullus censetur sibi legem imponere, nisi velit; cùm ergo non vult iurare, neque volet obligare. Dat exemplum Sanchez *num.* 4. ex D. Bonauent. sicut enim matrimonium

nium exterius absque interiori consensu, est fictum, & nullam obligationem inducit. Ita nec iuramentum.

QVANDO verò deest animus implendi, cùm neque adsit animus se obligandi, vel promittendi;
145 idem dicendum erit, ac de iurante absque animo se obligandi.

PRIMA igitur de hoc sententia est, tale iuramentum obligare. Ità Angel. *V. iuram.* 4. Syluest. 3. *quæst.* 2. Caiet. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. *ad* 4. Sotus *lib.* 8. *de Iustitia*, *art.* 7. *quæst.* 1. *ad* 4. Couarr. *de pactis*, 1. *part.* §. 5. Gutierz *quæstionibus Canonicis*, *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 31. Lud. Lopez *p. p. instructorij*, *cap.* 42. Manuel *primo Tomo*, *cap.* 192. *num.* 7. Aragon. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. *fol.* 108. Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 13. Suarez *lib.* 2. *de Iuram. à num.* 11. Valentia 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 7. *puncto* 4. Lessius *lib.* 2. *de Iustitia*, *cap.* 42. *d.* 8. *num.* 38. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 8. & dicit esse tutiorem; Tabiena *V. iurare*, *quæst.* 11. Addunt valere etiam in conscientia adiectum contractibus inualidis; Ità Diana *part.* 4. *Tract.* 4. *Miscel.*
146 *resol.* 25. & alij apud eum, aliique cum Bassæo citati *quæst.* 10.

SECVNDA sententia est, tunc iuramentum non obligare; ita D. Bonauent. hîc, quem sequuntur Gabriel *eadem dist.* 39. *tertij*, *quæst.* 1. *art.* 2. *concl.* 5. Almain. *ibi quæst. vnica.* Richard. *ibi*, *art.* 2. *quæst.* 1. & 2. Antonius *cap. si verò*, *num.* 5. *de iure iurando* & ibi Abbas in fine, Neuo *num.* 37. Imola in fine. Fortunius *de vltimo fine*, *illatione* 22. *num.* 477. D. Antoninus 2. *part. tit.* 10. *cap.* 6. Rosella *V. iurare*, *num.* 19. Angelus *verbo Iuram.* 5. *num.* 8. & 10. & 32. Syluest. *qq.* 9. 7. 17. & 19. Armilla *num.* 14. Felinus *eo cap. Si verò num.* 8. Ioan. à Medina *Tract. de Confess. quæst. de dispens. à reuelanda confess. ad* 7. Palac. 4. *d.* 29. *d.* 1. *fol.* 665. Nauarr. *ad cap. Humanæ aures*, *quæst.* 3. *num.* 6. Philiarc. *de off. Sacerd. Tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 16. Seraphinus *de priuil. iur. priuil.* 110. *num.* 16. Gutierz *de Iuram. p. p. cap.* 57. *num.* 20. eamque probabilem asserit Azorius *Tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 3. *quæsito* 2. eamque etiam communem ait Lessius *loc. cit.* suprà *num.* 37. & Tabiena ibi: fauet D. Thomas 3. *d.* 39. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiuncula* 3. Selua *de iureiurando* 3. *part. quæst.* 1. *num.* 34. & 37. Sanchez *lib.* 3. *summæ*, *cap.* 10. *num.* 8. eandem tenet Hostiensis *cap. Ad audientiam*, & ibi Ioannes Andr. *num.* 4. citatis pro opposita, quem Imola *ibi num.* 5. ait intelligendum solùm in foro Ecclesiæ, non in foro conscientiæ obligare. Idem vult Hostiensis, vt
147 patet legenti, & idem sentiunt alij post D. Bonauent. qui in foro Ecclesiæ idem asserit *in corpore*.

ASSERO, iuramentum editum absque animo se obligandi in conscientia, non obligare.

PROBATVR à D. Bonauent. primò ex D. Gregorio 28. *moral. cap.* 7. & habetur cap. Humanæ aures 22. quæst. 5. *Verba deseruiunt intentioni, & Deus talia verba indicat, qualia ex intimis proferuntur:* Ergo si homo non se intendit obligare, quantumuis exteriùs loquatur, Deus non reputat eum obligatum.

SECVNDÒ quia *primo Reg.* 16. dicitur: *Homo iudicat ea, quæ patent: Deus autem intuetur cor:* Ergo Deus obligationem iuramenti pensitat ad mensuram intentionis.

TERTIÒ. Ea, quæ voluntariam dicunt obligationem, & legem sponte præscribunt, pendent ad præscribendum à voluntate præscribentis: Sed iuramentum est lex particularis, quam sibi homo li-
148 berè imponit: Ergo dependet ex voluntate imponentis.

RESPONDET Valentia *loc. cit. col. penultima*, *num.* 1417. cum Caietano, & Soto, obligationem, ratione iuramenti, non niti voluntate iurantis; sed iure naturali esse per se adnexam iuramento; vnde non est in potestate iurantis eam separare à iuramento.

AT fallitur Valentia, quia iuramentum promissorium duo intrinseçè habet diuersa: Alterum est inuocatio Diuini testimonij: Alterum est promissio; & in hac differt à iuramento assertorio, & sine ea non potest consistere, ita vt ea ablata, tollatur essentia, aut (esto) passio intrinseca eius. Igitur si quis iurat, inuocans Deum, non statim manet obligatus, si intendit non se obligare, nam apponit implicantiam, quâ destruitur ratio iuramenti; siquidem aufert id, sine quo non potest consistere ratio iuramenti promissorij, vt fatentur etiam aduersarij. Id verò ex natura rei non sequitur, vt sic iuramento solitariè inuento, prout est inuocatio Dei in testem meæ intentionis. Sicuti non sequitur in assertorio, verum esse id, de quo Deus adducitur in testem. 149

HINC eruit S. Doctor fundamentum vltimum, quia iuramentum obligatorium sequitur veritatem obligationis, quæ est comes indiuisibilis promissorij iuramenti; non enim vult dicere, iuramentum, carens veritate, simpliciter esse inualidum.

PROBATVR quartò à D. Bonauent. *in corpore*, argumento, quo maximè nitiitur Sanchez, 150
& alij. Ea externa, quæ pendent ex interno, non habent absque illo suum esse: At iuramentum est actus externus obligans, dependens ab interno: Ergo. Maior probatur à S. Bonauent. *in corpore*. Matrimonium, etsi verbo tenus ineatur; si tamen absit voluntas non obligandi se ad vitam illam cum suis consequentibus proprietatibus necessariis, est irritum; sic etiam votum, nisi adsit intentio se obligandi, non valet. Idem in contractibus notat S. Doctor *argumento tertio*. Similiter proferens hæresim, si intus rectè in fide sentiat, non est hæreticus, quia hæc pendent ab interno. Similiter, ergo iurans iuramento promissorio, non intendens promittere, non iurat; apponit enim conditionem implicantem destructiuam, qualis est, nolle promittere, & obligari, & sic destruit rationem iuramenti, prout dicit inuocationem Dei in testem meæ promissionis. Ex duabus enim rebus, altera positiua, altera destructiuâ, æqualiter concurrentibus, destructiua est potentior ad destruendum, quàm positiua ad ponendum, quia bonum fit ex integra causa; malum verò ex quocumque defectu, vt sæpè D. Bonauentura dicere solet, addens, negationem esse ignem vorantem, & omnia absumentem. 151

RESPONDENT aduersarij, verè iurantem eo ipso vocare Deum in testem promissionis, & veritatis futuræ implendæ, atque adeò promissionis, alioqui non est periurus, non habens animum implendi: Neque potest separari obligatio à vero iuramento promissorio, sed implicat, aliquem intentionem habere iurandi iuramento promissorio, & non promittendi, ac se obligandi.

NEQVE exempla sunt ad rem, quia in actibus, quorum substantia consistit in obligatione, animus se obligandi destruit eorum substantiam, vt contingit in voto, in matrimonio, & contractibus; at verò quando substantia actus non consistit in obligatione; sed hæc est effectus sequens, tunc velit nolit, exercens actum, manet obligatus. Vt interficiens hominem, velit nolit, subjicitur pœnæ æternæ, & temporali per leges statutæ. 152

CVM igitur talis sit substantia iuramenti promissorij,

missorij, vt noo consistat in obligatione, sed hæc sit effectus sequens, quia ratio iuramenti stat in adducendo Deum in testem; sequitur verè iurantem subiici obligationi consequenti adimplendi, velit nolit, nec posse sua voluntate hunc effectum impedire. Confirmatur, nam hæc comparatio iurantis cum peccatore est D. Bonau. *in 3. dist.39. art.3. quest.2. fundamento 3.* sicut enim (ait) peccans necessariò destinatur pœnâ æternâ; ita etiam verè iurans promissoriè obligatur necessariò ad veritatem seruandam, nec potest à voluntate pendere.

153 Hæc tamen nostris fundamentis eliduntur, vt norat Sanchez *num.* 8. nam iuramentum promissorium in hoc differt ab assertorio, vt hoc feratur in veritatem præsentem: at verò promissorium in veritatem futuram; de vtraque verò adduci debet Deus in testem. Sicut ergo destruens veritatem præsentem iurando, sed nolendo se obligare ad dicendam veritatem, non verè iuraret; quia apponeret conditionem incompossibilem; ità in iuramento promissorio apponens condiiionem non se obligandi, destruit rationem iuramenti obligatorij; nec est ad rem exemplum de occidente, quia non pendet ex intentione occidentis, quæ sic se haberet: *nollem effectum illum*; at verò in casu nostro, etiamsi demus, obligationem exequendi esse effectum iuramenti, seu passionem eius, pendet ab intentione; & ità omnes concedunt, posse esse nullum, si desit intentio iurandi: Ergo similiter quando non vult iurare absolutè, sed cum conditione incompatibili, qualis est non contrahendi obligationem; quamuis enim, si edatur iuramentum absolutè iurandi, sequatur effectus obligandi; attamen, si in actu iurandi apponatur conditio contraria naturæ ipsius iuramenti, vt obligatorium est rei futuræ implendæ, non erit verum, sed fictum iuramentum, vt tale est.

Ad id qood obiicitur ex D. Bonauent. respondetur, sumptum esse argomentum ex S. Doctore ab aduersariis, sed non ad rem: Nam S. Bonauent. comparat peccantem cum verè iurante, eò quòd intendit se obligare ex metu. Ità ruunt argomenta aduersariorum.

Assero secundò, in foro Ecclesiæ, hunc manere obligatum.

154 Probatvr à D.Bonauent. primò ex D.Isidoro *lib. 2. sent.* relato à Magistro *in 3. dist.39.* cap. *Quacunque arte verborum quis iuret, Deus sic accipit, sicut is, cui iuratur intelligit, idest, vult accipi ab Ecclesia.*

Secvndò, qoia fraus, & dolus nemini debet patrocinari; alioqui tollerentur humana commercia, contractus, assecurationes fidelitatis, &c. Cùm enim mentem aliorum nequeam penetrare, oportet, vt modo humano securus sim in contractibus ineundis.

Idem habet *in 4. d. 38. quæstione prima ad penultimum.*

Oritvr verò aliqua quæstio circa alterum modom doli, cùm iurans concordans suæ menti verba, ea profert amphibologicè, vt audientem eludat: Huius naturam discussi *quæst.*10.

155 Et qoidem, si iurans bona fide absque dolo, sed prudenti æquiuocatione, nullam irrogat iniuriam; communiter sentiunt DD. præcipuè allegandi, iuramentum non obligare in sensu, quem percipit audiens, sed quem iurans intendit. Tunc enim non obligatur ex iustitia, cum dolo caruerit, nullamque iniuriam irrogauerit. Nec etiam ex Religione iuramenti: Et hoc est quod ait D. Gregorius adductus à D. Bonauent. *fundamento primo*; & *habetur can.* Humanæ aures, 22. quæst. 5. ibi: *Humanæ aures verba nostra talia iudicant, qualia foris sonant: Diuina verò iudicia, talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur*: At in foro externo cum intentio lateat; si verba aliquid magis significant, standum est illi; si verò æque plura significent, standum illi sensui, quem prudentes iudicent. Cæterùm proprius semper sensus est præferendus, vt notat D. Booauent. in fine quæstionis, & habetur *cap. ex litteris de sponsal. l. librorum §. Quod tamen Cassius, ff. de legat. 3.* & docet Couar. *de pactis 1.part. §.5.* Sanchez *lib.3.cap.10. num.11.*

Qvod si dolosè iurauit ad decipiendum alium virom bonæ fidei.

Alqvi dicunt, iuramentum in conscientia ob- 156
ligare iuxta sensum, quem recipiens intellexit. Ità D. Thom 2. 2. *quæst.89. art.7. ad* 4. D. Antonin. 2. *part. tit.10. cap.7. §. 3.* Angelus V. *iuramentum* 4. Syluester *ibi 3. quæst.2.* Tabiena *ibi quæst.13. num.14.* Armilla *num.16.* Nauar. *summa, cap.12. num.13.* Hostiensis, & alij, quos refert, & sequitur Couar. *de pactis 1.part. §.5.* Parladorus de rebus quotidianis *lib.1. cap. finali, 1. part. §.4. num.15.*

Secvnda opinio est, iuramentum huiusmodi 157
non obligare ex religione iuramenti vltra dolosi iurantis intentionem, sed ratione scandali, quod ex eius iuramenti transgressione orietur. Ità D. Thom. *in 3. dist 39. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula* 3. Lessius *lib. 2. de iustitia, cap. 42. dub. 9. num. 45.* Suarez *Tom. 1. de religione, Tract. de iuramento, lib. 2. cap. 7.* Sanchez *num. 13.* & in simili de iuramento doloso præstito absque iurandi animo, nempe obligare ratione scandali docent Caietanus 2.2. *quæst.89. art.7.* Sotus *lib. 8. de Iustitia, quæst. 1. art. 7.* Azor *Tom.1. Instit. lib. 15. cap. 4. quæsito 2.* Valentia 2. 2. *disp.6. quæst.7. puncto 4. col. vltima*, Petrus Ledesma 1. *Tomo, tract.11. cap.3. dub.5, dicto* 2. Couar. Less. & Suarez *loco cit.*

Qvoad D.Bonauent. opinatur, hoc iuramen- 158
tum ex natura sua non esse validum; esse tamen peccatum doli etiam in foro Dei: at in foro Ecclesiæ obligari iurantem. Ità *ad primum, & in fine quæstionis.* Indicat verò *fundamento vltimo*, ratione scandali eum obligari.

Assero ergo, tale iuramentum ex Religione non obligare.

Ratio D.Bonauent. *in corpore*, est, quia iuramentum ex lege sua noo obligat vltra iurantis intentionem, vt dixi suprà; idem habetur *cap. Humanæ aures citato*, suprà.

Assero secundò, hunc obligari ratione scandali. Probatur à D. Bonau. *fundamento vltimo*, quia sic tollerentur contractus, commercia, securitas fidelitatis, & sexcentis iniuriis aditus pateret.

Assero tertiò, in foro etiam Ecclesiæ obli- 159
gare hoc iuramentum.

Probatvr à S. Doctore argumentis suprà allatis pro secundò asserto quæstionis principalis.

Occvrrit dubium è dictis soluendum: An quis ioco falsum iurans peccet æqoiuoco illo, puta dicens, Episcopum esse in domo sua, intelligens pictum.

Vniversi ferè hunc culpæ lethalis damnant; sic Angel. Tabien. Armil. Nauar. Toletus, Sayrus, Philiarc. Lopez, & alij apud Sanchez *Tom.1, lib.3. cap.6.* & videtur D. Bonauent. *quæst.3. ad 3.* vbi iocum è sola indeliberatione excusat.

Oppositvm docet ipse Sanchez, alios ad-

ducens, quibus adde Bonacinam *Tract. de leg. d.4. quæst.1. puncto 12.* Filliuccium *tom.2. tract.25.cap.11. num 331.* Dianam *part.2 tract.13. resol.25.* & est expresse D. Bonauent. hîc *quæst.3. fund.1.*

RATIO eius est, Periurium fit cum adducitur Deus in testem falsum; hoc autem debet subintelligi seriò. At hic non adducit Deum in falsum, sed ad mentem suam verum. Confirmatur à S. Doctore; non enim omnis inuocatio Dei vana, est grauis, vt omnes fatentur. Hæc sanè nominatio est absque necessitate, & aliqualis irreuerentia.

160 AD locum D. Bonauent. dico, cum excusare iocum è sola indeliberatione, vt non sit iocosum verbum, quia non vult homo iocari deliberatè: At si aduertat iuramentum non extrahi è statu veniali, & trahi ad mortale, nisi verbum cesset esse iocosum, quia non est formalis Dei in testem aduocatio, si non est seria, quippe non vocatur verè.

DICES frustrari finem rei sacræ grauis, qua abuteris.

DICO finem Iuramenti esse aduocare Deum in testem, cum necesse fuerit veritati, at verò hic non occurrit necessitas veritatis; ideò superfluè adhibetur; non tamen contra essentiam finis principalis iuramenti.

161 OBIICIES primò contra primum, D. Isidor. *lib. 2. sent. cap. 31.* & refertur can. Quacumque arte 22. quæst. 5. ibi: *Quacumque arte verborum quisque iuret, Deus tamen, qui conscientia testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui iuratur, intelligit.*

RESPONDAT D. Bonauent. *ad 1.* quem sequitur Sanchez *num.13.* Deum reputare hunc ad pœnam ratione culpæ, & doli, quia is tenetur ex iustitia non decipere, & ex veritate non mentiri. Ideò hoc modo Deus accipit dolum, ita vt, quia alter deceptus intelligit suo damno, dolosum pœnâ æternâ puniat.

RESPONDAT secundò, Deum accipere intelligendo causaliter velle ab Ecclesia suo nomine in foro externo accipere, vt velit in foro externo sic obligari, etiamsi iuramentum ex natura sua non obliget, quia est nullum.

EODEM sensu id præcipit lex Regia *l. finali tit. 11. p. 3.* nempe teneri in foro externo in pœnam fraudis.

162 OBIICIES secundò. Sequeretur, hunc ex fraude commodum reportare.

RESPONDAT Sanchez *num.13.* ex D. Bonau. *ad 3.* hunc non reportare commodum ex fraude, quia cùm lethaliter peccet, punitur pœnâ æterna; & in foro externo cogitur stare promissis.

QVÆSTIO XV.

An Iuramentum per iniuriam extorsum, vt soluendi vsuras, obliget.

163 CERTISSIMVM est apud omnes, huiusmodi iuramentum obligare. Sic enim definitur. lib.2. Decret. cap. *Debitores ad soluendas vsuras, in quibus se obligauerant cogi non debent; si verò de ipsarum solutione iurauerint: Cogendi sunt Domino reddere iuramentum.*

RATIO D. Thom. 2. 2. *quæst.89. art.7. ad 3.* est, quia, licèt non consurgat obligatio homini, quia per iniuriam non acquirit ius; attamen acquiritur Deo in testem adducto, quatenus tenetur reddere Deum testem veracem suæ promissionis, siculi inuocatus est, si promissio potest absque peccato impleri. Quæ ratio generalis est etiam D. Bonauent. *in 3. d. 39. quæstione vltima in argumentis, & corpore,* & clariùs *eodem art. 3. quæst. 2. in corpore.* Talis autem est solutio vsurarum, & si ab vsurariis peccet recipiendo, non peccat iurans soluendo.

ENIM verò hæc ratio non videtur sufficiens, nam ex communi consensu Theologorum, materia iurati debet esse alicuius virtutis, ad hoc vt obliget iuramentum promissorium, vt dixi *quæst.13.* at nulla virtus inuenitur in hoc actu: Ergo nullo modo obligabit.

CAIETANVS 2.2. *quæst. 8-. art.7.* quem sequuntur Sotus *lib. 8. de Iustitia, quæst. 1. art. 7.* Aragon. 2. 2. *quæst.89. art.7. ad 7. conclus.2.* Valentia *d. 6. quæst. 7. puncto 4. num. 1413.* dicunt, esse actum charitatis erga seipsum, nam soluens redimit illatam vexationem, sicuti etiam, qui promittit latroni vrgenti, & soluit pecunias promissas, redimit illatam vexationem. & licèt solutionis tempore sit in tuto; attamen adhuc finitur redimi vexatio, cœpta tempore promissionis. 164

HÆC tamen ratio in casu nostro non videtur solida; nam vexatio est agitatio iniusta; at vsurarius nolens dare mutuum, non est iniustus. Solùm enim in casu necessitatis tenetur dare; & hoc neque ex iustitia, sed ex charitate. Itaque promissio soluendi vsuras non est redimere vexationem, cum nulla extet. 165

RESPONDET igitur Sanchez, eam solutionem esse actum virtutis magnæ veracitatis, & fidelitatis, etiam quando promissio ex se aliter non obligabat: Est etiam actus conseruandi propriam existimationem, & honorem, stando promissis etiam in extorsionibus iniquis. Hæc autem sufficiunt ad solutionem iuratam cohonestandam, licèt non sufficiant ad obligandam absque iuramento.

ALIA obiectio contra rationem D. Thom. & D. Bonauent. videtur, quia *in cap. Debitores* definitur, cogendos esse ad solutionem eos, qui vsuras iurauerint. Et ita multi tenent apud Sanchez *num.7.* acquiri ius ab vsurario, & ideo posse iure actionis compellere iurantem, ut stet promissis. 166

ENIM verò ipse textus declarat obligationem contrahi apud Deum, non apud homines, ait enim: *Cogendi sunt Domino,* idest, *Deo reddere iuramentum.* Et ità Iudex ex officio debet inducere eum, qui iurauit, vt apud Deum contractam obligationem impleat, non autem ad instantiam partis ius actionis intentantis. Ità Sanchez *num.8.* alios referens.

SATISFACIT autem obligationi huius iuramenti momentanea solutione, ac statim absque aliqua iuramentu relaxatione potest solutum repeti, habetur *cap. Ad audientiam,* de his quæ vi, ibi; *Non Obstante iuramento prædicto, quo non ad repetendum, sed ad resignandum solummodò tenebatur.* Ità notat Glossa ibi, Hostiensis, Ioannes Andreas, Antonius Anchar, Abbas, & alij Canonistæ, Suarez *eo lib. 2. cap. 9. numero 16.* Lessius *lib. 2. de iustitia, cap. 17. d. 7. numero 51. & cap. 42. dub. 6. numero 57.*

OBIICIES primò, contra principale assertum, nempe obligari soluere iuratas vsuras. Si Principalis obligatio non subsistit, corruit etiam accessoria, *Regula cum principalis, ff. de regulis iuris;* & iuramentum accedit promissioni soluendi vsuras; promissio autem non obligat, vt omnes fatentur: Ergo. 167

RESPONDE

RESPONDETVR cum Canonistis *ad cap. Debitores*, quando causa irritans principale concurrit in accessorio, corruere accessorium cum principali, secus quando non concurrit; tunc enim corruit principale stante accessorio, quod hîc contingit; principalis enim promissio est irrita ob extorquentis turpitudinem, quæ non inuenitur in ordine ad Deum, respectu cuius solius iuramentum obligat.

RESPONDET secundò, Couarruuias *de pactis*, 2. *part*. §. 3. id iuramentum non esse accessorium promissioni, nec ad eam confirmandam adduci, sed esse principale, & per se stans, obligans ad implendum, ne Deus sit testis falsus illius promissionis.

OBIICIES secundò. Si id iuramentum obligat sub mortali: Ergo simplex promissio obligabit sub veniali contra veritatem; nam iuramentum eam supponit, non inducit.

RESPONDETVR, vtramque promissionem requirere veritatem de præsenti, idest, vt cum iuratur, adsit animus implendi; at quo ad veritatem de futuro, non semper est malus defectus veritatis, imò sæpè est bonus, vt cùm promittitur res mala.

168 OBIICIES tertiò. Quando aliqua coniunguntur aliquo medio, ablato medio tollitur vnio extremorum; at iuramentum, & eius obligatio vniuntur mediante promissione, quæ est irrita: Ergo.

169 RESPONDET Sanchez, negando Minorem, nam coniunguntur mediis illis, siue obligent, siue non. Hæc responsio videtur non soluere.

RESPONDETVR ergo, negando Minorem, quia seipsis iunguntur, cum promissio non afferat vinculum.

QVÆSTIO XVI.

An Iuramentum, metu extortum obliget.

D. Bonauent. in 3. d. 39. artic. 3. quæst. 2.
D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3. & quæst. 98. art. 3. ad primum.

170 FVERE aliqui, quos refert S. Bonauent. putantes, tametsi iuramentum assertorium vi extortum, atque iniustè, sit validum, & obliget; attamen promissorium non obligare. Eos etiam refert Glossa *cap. 2. verb. esse, de iureiurando*.

CERTISSIMVM tamen est, huiusmodi iuramenta obligare. Ità D. Bonauent. hîc, & D. Thom. quos omnes Theologi sequuntur, ac Iurisperiti *ad cap. si vero: & cap. Verum, de iure; & cap. Ad audientiam, de his, quæ vi*, vbi id expressè definitur.

PROBATVR à D. Bonauent. primò: Omne iuramentum, quod habet suos comites, Iustitiam, Veritatem, & Iudicium, est validum, & obligatorium; tale est hoc: Ergo.

171 SECVNDÒ, quia voluntas coacta, est voluntas verè modo humano operans ex D. Augustino: Sed talis est voluntas, cui metus infertur ad iuramentum: Ergo.

TERTIÒ: Peccatum ex coactione patratum obligat pœnæ æternæ: Sed iuramentum sic ordinat ad veritatem seruandam: Ergo.

VBI aduerte, hoc argumentum *quæst*. 14. allalatum fuisse ab aduersariis contra nos, ibique expositum.

QVARTÒ probatur ex casu proposito D. Augustini: Quidam enim ex metu coactus est iuramento sibi desponsare meretricem, & dicit S. Augustinus, ex consilio B. Ambrosij, validam fuisse illam promissionem iuratam.

PROBATVR quintò *in corpore*, argumento allato pro quæstione præcedenti, quia duplex obligatio ex iuramento oriri potest: Altera homini ratione promissionis illi factæ, & ex hac parte iuramentum iniustè coactum non obligat; homo enim per iniuriam nullum ius acquirit, neque ex sua iniquitate commodum debet reportare: Altera, vero Deo in testem adducto, & ex hac parte obligat iurantem reddere Deum testem veracem, 172
implendo promissionem, testimonio sui nominis confirmatam. Ea enim, licèt metu incusso coacta, tamen fuit voluntaria, quia nullo metu potest voluntas ita cogi, vt violetur libertas arbitrij. 119

ID autem esse materiam virtutis patet, quia est ad redimendam grauem vexationem, quod sufficere asserunt Doctores adducti à Sanchez *cap*. 11. *num*. 3. & à nobis *quæst*. 15. & meritò; est enim actus charitatis in seipsum.

DEINDE interueniunt etiam actus fidelitatis, zelus honoris conseruandi, &c. Hac ratione nituntur Sanchez *num*. 14.

OBIICIVNT præcipuè. Votum coactum, & similiter matrimonium coactum non sunt valida: Ergo nec iuramenta. 173

RESPONDET Sanchez *num*. 15. in opinione sua esse facilem responsionem; nam illa duo priora sunt irrita iure Ecclesiastico: At iuramento non irritantur ob reuerentiam, nomini Dei debitam, & ideò negatur consequentia, quia sunt inæqualis iuris.

ADDIT verò, in opinione dicentium, Vota, & matrimonia coacta, esse iure naturali irrita, difficile posse huic argumento satisfieri, & hoc argumentum vrgere ad probandum, hæc esse irrita solo iure Ecclesiastico.

IGITVR D. Bonauent. qui docet, hæc scilicet 174
Vota, & matrimonia iure naturæ esse irrita, vt vidimus *disput. de voto, quæst*. 5. & aliis locis, vbi de obligationibus variis agitur. Respondet facilè huic argumento, disparem esse rationem, & quoad votum, aduertit consistere in formali exhibitione boni alicuius singularis supra debitum, in obsequium Diuinæ Maiestatis. Deus autem vult sacrificia voluntaria perfectè, cum & perfectionis sit sacrificium. Si tamen aliquis metu mortis voueat Domino sponte, videtur spontanea oblatio, esto aliqualiter imperfecta, & ideò admittitur probabiliter.

QVOAD matrimonium respondet, disparem 175
esse rationem, quia matrimonium ex significatione habet, vt sit deditio voluntaria, atque amoris coniunctio, imitans coniunctionem Christi cum anima, & Ecclesia; ideò ait Apostolus, Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*, atque ideò liberalem exhibitionem exigit, non sic iuramentum.

DICAS. Si quis iuret matrimonium cum Thecla, tenetur, etiamsi coactè iurauerit, nisi causa superueniente relaxetur, vt docet D. Bonauent. *ad vltimum*, quem sequuntur alij apud Sanchez *lib*. 4. *de matrimonio*, *d*. 20. *num*. 54. & *d*. 21. *num*. 2. & hîc

176 hîc *num.* 25. contra ipsum Sanchez, & alios ibi, qui tamen fatentur opinionem S. Bonauent. Ergo præter illam significationem spontaneæ coniunctionis est validum matrimonium: Ergo nulla disparitas inter Iuramentum, & Matrimonium.

RESPONDET, Iuramentum additum, solùm habere rationem obligantis, quod patet, quia absque eo non obligaret, quo fit, vt cùm arctius sit vinculum obligationis non detrahendi grauiter Diuinæ veritati, quàm repræsentandi Diuinam coniunctionem cum Ecclesia, hoc illi cedat.

177 NVLLVM autem esse per se vinculum matrimonij probatur; quia si is contrahat cum alia, tenet matrimonium, licèt ob periurium teneatur pœnitentiam agere. Hæc S. Bonauent. sed de hoc *tertia parte* cùm de matrimonio agam.

ASSERO secundò, ea, quæ sunt in foro Ecclesiæ contracta ex metu, firmata iuramento, irrita iudicantur. Probatur à D. Bonauent. ex illo Tullij effato, & Prætoris: *Quæ metu fiunt, rata non habeo.*

SECVNDÒ, quia malitia non debet cuique in commodum resultare, vt dicitur.

OBIICIT sibi S. Doctor contra primum assertum. Metus cadens in virum constantem excusat humanos contractus.

178 RESPONDET, Iuramentum esse inuocationem Dei in testem, atque adeò vt iustitia, & Religione cogere, non auferre ab ipso honorem veridici, ac Veritatis, esseque malum secundùm se id facere, ideò non timendum, subire etiam potius mortem, vt dicitur Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Quare arctius est etiam vinculum, quàm Votum, & matrimonium; nam illud iuramenti spectat ad præceptum negatiuum, non auferendi à Deo honorem, nominando testem in vanum; at Votum ad affirmatiuum pertinet, vt dixi *quæst.* 13. ex ipso Sanchez, qui *lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 4. de iuramento assertorio id ostendit; & immeritò negat de promissorio; nam etiam promissorium est inuocatio Diuini nominis ad veritatem testandam, non modò præsentem, mentis se obligandi, ac promittendi, sed etiam futuram adimplendi promissa. Quod verò ait, maius malum esse infidelitatem, quæ incurritur fractione voti, quàm irreuerentiam Deo debitam, quæ violatur in periurio, reddendo eum falsum, probatur, non subsistere ex dictis ab eo suprà: Nam spectata sola iuramenti promissorij obligatione, de qua est controuersia, includit testimonium Dei, vt assertoris veritatis illius promissionis externæ, quoad concordantiam vocis cum
179 animo, & cum effectu futuro. Igitur hæc in præcepto negatiuo continetur, non assumendi nomen Dei in vanum, & maior est, ex ipso Sanchez, quàm obligatio positiua voti, quæ fidelitatem præcepit. Ratio est, quia peius est iniuriam passiuam directam alicui irrogare, quàm deficere à data fide; licèt enim hoc etiam irreuerentiam quandam includat, non tamen æqualem cum ea, quæ Deum vt falsum reddit; alioqui si talis irreuerentia, addita infidelitati fractionis voti, vincit irreuerentiam, reddendi falsum Deum, vt ait Sanchez, debebat grauiorem culpam etiam fractionem voti, in qua sunt hæc duo crimina, facere atrociorem periurio assertiuo, in quo est sola irreuerentia falsi in Deum redundantis, & tamen oppositum dixerat eodemmet numero. Quare cum Medina *lib.* 5. *de sacrorum hominum continentia*, *à cap.* 22. & aliis, quos probabiliter opinatos fatetur Sanchez, vinculum iuramenti esse maius vinculo voti.

IMÒ ex fundamentis Sanchez arguo sic: Per 180
te *numero* 4. maior est obligatio iuramenti assertorij, quàm voti; eò quòd reddere Deum falsum præponderat fidelitati promissæ Deo: Ergo cum fractio voti promissorij, præter eam culpam reddendi Deum falsum, addat aliam infidelitatis, & sæpe etiam iniustitiæ, & defectus charitatis proximo, erit multò magis augens malitiam super peccatum fractionis voti, & hoc est, quod ait S. Bonauent. iuramentum obligatorium esse vinculum cum Deo, & hominibus.

DE matrimonio autem Sanct. Bonauent. notat 181
in 4. *dist.* 38. *ad* 1. esse inferius matrimonium voto, quia hoc est promissio Deo de meliori bono; at matrimonium de bono inferiori esse promissionem factam homini; & ideò sequitur, esse maius vinculum iuramentum ipso matrimonio, quia est maius etiam voto, quod & matrimonium superat. Licèt autem dicat Sanct. Bonauent. *eadem dist.* matrimonium esse promissionem Deo, & hominibus, attamen propriè est promissio homini: Deo autem, quatenus ex virtute veritatis à Deo præcepta, tenemur obedire.

SATISEST verò his iuramentis coactis momentanea solutione, & statim est integrum iuramenti repetere.

OBSERVA autem, hæc iuramenta obligare ad culpam mortalem, vt indicat Sanct. Bonauent. *ad* 3. Diu. Thom. *ad* 5. & alij 21. Doctores, quos refert Sanchez *numero* 58. contra Angelum, *verbo iuram*, 5. *numero* 10. Id probat S. Doctor ex illo Matth. 10. *Eum potius timete, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.*

DICES *cap. Verum de iureiurand.* præcipitur, 182
ne hi puniantur, tamquam rei culpæ mortalis.

RESPONDETVR, ibi loqui de pœna, quæ maior esse debet, ratione iniuriæ repertæ in eo iuramento.

ALIQVI excipiunt, nisi adjiciatur contractibus, iure reprobatis; quales sunt alienatio fundi dotalis, renunciatio futuræ successionis, contractus minorum absque solemnitate, iure præscripta; his enim addictum dicunt, non obligare. Ità plurimi probabiliter apud Sanchez *num.* 19.

ALII verò dicunt, adhuc esse inualidum. Ità alij plures cum Sanchez *numero* 20. Ratio est allata suprà *quæstione* 15. quia hos contractus implere, est actus virtutis, scilicet à vexatione redemptionis, & veritatis, nec obligatio iuramenti acquiritur ei, qui fecit iniuriam; sed Deo, qui nullam intulit. Prætereà, quia iure naturali hæc iuramenta non sunt irrita; neque etiam iure ciuili, vt ostendit Sanchez *num.* 20.

ALII extendunt, vt si iuramentum addatur voto, metu graui extorto, obliget.

ALII verò negant apud Sanchez *num.* 14.

HINC ferè deciditur quæstio: An solutus è car- 183
cere, iuramento præstito de redeundo, teneatur redire. Et quæstio est, quando carcer, & pœna inferenda, sunt iniusta; nam si iusta sint, proculdubio tenetur.

PRIMA opinio est, hunc teneri redire ad carcerem, quantumuis iniuriosum, etiamsi mors immineat. Ità Romanus *leg. stipulationes*, *numero* 78. *ff. de verb. obligat.* Caietanus 2. 2. *quæstione* 89. *art.* 7. Angelus V. *Iuram.* 5. *num.* 37. Syluester *ibi*, *num.* 4. *quæst.* 26. Tabiena *ibi*, *quæst.* 10. *num.* 11. Armilla *num.* 53. Toletus *lib.* 4. *summa*, *cap.* 22. Suarez

Tract.

Tract. de iuramento, lib. 2. cap. 10. num. 14. Lessius *lib. 2. de Iustitia, cap. 42. dub. 6. num. 28.* Sanchez *lib. 3. cap. 12.*

184 SECVNDA opinio est, nunquam teneri. Ità Abbas *cap. si vero, num 4. de Iureiur.* Sylua nuptialis *lib. 3. num. 44.* Angelus V. *carcer. num. 4.* Syluester V. *accusatio, quæst. vltima*, vbi Tabiena *quæst. 10. n. 14.* & *verb. carcer, quæst. 1.* Gutterez *de iuramento, p. p. cap. 57. à num. 24.* Sà V. *Iuram. num. 11.* & dicit probabilem Sayrus *lib. 12. cap. 18. num. 27.*

TERTIA sententia limitat, quando imminet mors iniusta. Ità Glossa *Clem. Pastoralis V. violentiam, de sent. & re iudic.* Et ibi Anchar. *num. 12.* Imola *num. 60.* Cardinal. *ibi v. Notorium, notab. 4.* Abb. *cap. inter alios in fine, de immunitate Ecclesiast.* Euerardus *in suis Topicis*, loco à *vi, energia, seu efficacia iuramenti, num. 62.* Præpositus *cap. Ius Gentium, num. 10. dub. 1.* Iason *leg. si duo patroni, § finali, num. 4. ff. de Iureiur.* Hippolytus *singulari 177.*

185 *malitiis hominum*, Curtius iunior *repetit. leg. Admonendi, num. 69. ff. de Iureiur.* Ioan. de Selua *de Iuretiur. 3. part. quæst. 1. num. 31.* Boetius *decis. 215. num. 30.* Maior *in 4. dist. 15. quæst. 22. ad 2.* D. Antonin. *2. part. tit. 10. cap. 6. casu 2.* Rosella V. *accusatus*, Bacerias *Tract. de virtute iuram. effectu 60. num. 112.* Couar. *lib. 1. variarum, cap. 2. num. 7.* Octauianus Osascus *in decisione Pedamontana, 66. num. 12.* Plaza *de delictis, lib. 1. cap. 22. num. 6.* Seraphinus *de priuil. iuramenti, priuil. 152.* Iulius Clarus *lib. 5. receptarum, in pract. crimin. quæst. 21. num. 27.* Duennas, *regula 395. limit. 4.* Farinacius *in sua pract. criminali, part. 1. tom. 2. tit. de carceribus, quæst. 3. à num. 124.* vbi alios refert, Gomez de Almescua *Tract. de potestate in seipsum, lib. 2. cap. 10. num. 1.*

QVARTA sententia extendit iuramentum hoc non obligare, quando timetur non solùm mors, sed etiam iniustum quodlibet personæ periculum, non tamen, si rerum tantùm familiarium fiot. Ita Abb. *cap. sicut ex l 3. num. 4. de iureiurando.*

186 QVINTA sententia extendit, vt non obliget hoc iuramentum, etiam quando timetur sententia iniusta in fama, aut rei familiaris detrimento. Ità Vasquez *prima secunda, disp. 174. cap. 5.* Qui tamen *num. 38.* limitat, quando custos carceris est particeps iniquitatis iudicis; nam si custos ille in bona fide dimitteret, & ei imminerer periculum, non redeunte ergasto, tunc esset actus virtutis redire cum periculo, ad salutem innocentis non perdendam.

IN tanta Doctorum varietate ponam quid ex D. Bonauentura eliciatur.

PRIMO S. Doctor *in corporis fine*, asserit, tantùm teneri aliquem iuramento coacto, quando est de re licita. Deinde, si iuramentum sit grauiter coactum, posse queri relaxationem, & dari ab Ecclesia. Quoad iuramentum verò licitum, ait subeundam potius mortem, quàm illud frangendum. Ità *ad 3.*

187 QVÆRERE igitur oportet: an in doctrina D. Bonauent. sit res iusta prostituere vitam, suaque omnia, & quidem quoad rem familiarem, & famam, non multum facescit negotij, solùm ergo premot: an possit vitam iniquæ morti tradere.

HOC quidem non potest erui ex illo argumento tertio, secundo loco, vbi arguit: Metus cadens in constantem virum excusat. Respondet autem, in materia iustitiæ non excusare, & ita potius mortem appetendam, quam iustum iuramentum violandum. In causa verò nostra quæstio est: an sit iustum.

PROBABILITER mihi sanè videtur asserendum cum tertia sententia, quæ est doctrina Baldi *lib. de vita, & honestate clericorum, num. 6.*

RATIO est, quia materia huius iuramenti non 188 est licita, sed temeraria, & ille reditus est occisio iniqua sui, offerendo se morti iniustæ. Igitur non est actus patientiæ, sed temeritatis; neque actus fidelitatis tyranno fidem extorqueuti ad iniustam occisionem. Neque est redimere vexationem, imò potius redire ad vexationem grauissimam, cùm ad homicidium sui redeat, & hic videtur sensus D. Bonau. qui *in 3. dist. 37. num. 10. in dub litt.* asserit, eodem modo aliquem peccare occidendo seipsum, & proximum; at proximum occidi, etiam cùm possumus eum à morte eruere, & nolumus, ait *in Compend. Theol. lib. 6. cap. 64.* Hæc video non arguere eam esse opinionem D. Bonauenturæ, clarius igitur sequenti quæstione elucidabitur.

QVÆSTIO XVII.

An Iuramentum alicuius, dolo, vel errore, aut ignorantiâ sit irritum.

SVPPONO, Ignorantiam meram dicere priuationem cognitionis, aut positiuam rei falsæ assertionem, quæ dicitur error, Dolus verò dicit deceptionem iniuriosam à petente iuramentum. 189

DVPLEX est autem dolus, vel ignorantia, & error; quidam antecedens, qui scilicet inducit ad actum faciendum, ac ipsi causam præbet, quam Iurisperiti vocant dantem causam contractui *leg. & eleganter, ff. de dolo*, nempe quia, si is dolus, vel error non adesset, iam contractus non sequeretur; alter verò est concomitans actum, qui scilicet non inducit ad volendum actum, sed ita comitatur actum, vt etiamsi non adesset, adhuc actus sequeretur: & hoc vocatur à Iuristis, *Incidens in contractum*, seu contingens, ad differentiam prioris, qui dicitur *ex proposito.*

ASSERO primò, dolum, vel errorem, aut ignorantiam antecedentem reddere iuramentum irritum. Est sententia communis cum D. Bonauent. *in 4. dist. 30. quæst. 1.* qui aduertunt, debere esse circa substantiam rei. 190

PROBATVR à D. Bonauent. ibi, quia errantis non est consensus *leg. si per errorem, ff. de iurisdict. omnium iudic. leg. cum testamentum & leg. Non idcirco, Cod. de iuris, & facti ignorantia.* Ideò irritum est matrimonium initum cum Berta, quæ creditur Thecla. Exemplum refert Sanchez. Si quis iuret dare alicui rem, quàm potat vitrum, & postea inueniat esse gemmam: & S. Bonauent. si quis putans emere aurum, & explicans se velle aurum, reciperet antichalcum, nam si non se explicaret, teneret contractus, quia emptio est contractus fundatus in externo; at in contractu, qui requirit consensum internum circa rem, non sufficeret, vt in matrimonio.

ASSERO secundò, probabile non est, errorem concomitantem reddere inualidum, si adsit talis intentio: Vellem, etiamsi esset ille. 191

PROBATVR, quia non deficit consensus ex cognitione. Vide Sanchez *lib. 7. de matrimonio, disp. 18.* vbi plures pro hac sententia sunt contra ipsum Sanchez. Obserua, ibi, an sit D. Bonauentura.

ASSERO tertiò, errorem circa qualitates tantùm non reddere iuramentum inualidum.

PROBATVR, quia hic non tollit consensum.

Contra primum assertum videtur id, quod ait S. Doctor, Iosue deceptum esse à Gabaonitis ad fœdus ineundum, quem obligatum se existimasse, ex D. Ambrosio *lib. de officiis*, ostendit.

192 Respondet S. Doctor ibi *in 3. dist. 29. quæst. vltima, ad 1.* Iosue melius existimasse eia pateere, non quia teneretur in facie Dei, sed ne scandalum excitaret. Ideò ait D. Ambrosius Iosue pacem, quam dederat, reuocandam non censuit, quia firmata erat Sacramenti religione, ne, dum alienam perfidiam redargueret, suam fidem solueret. Hoc igitur seruauit credens, neque Deo displicere, recipere pœnitentes, licèt præcipisset, ne cum illis obstinatis fœdera coniungerent.

QVÆSTIO XVIII.

An Iuramentum incautum promissorium obliget.

{D. Bonauent. dist 39. quæst. vltima.

193 IAm quæstione 13. vidimus; quæ materia necessaria sit, vt iuramentum obliget. Cùm igitur iuramentum incautum sit de materia vergente in malum, vel in minus bonum, iudicare est ex ibi dictis. Dicitur autem incautum, quia ex defectu iudicij, seu disquisitionis promittitur.

Assero primò; Iuramentum de re vegente in malum, idest, peccatum, est inualidum.

Probatvr à D. Bonauent. quia iuramentum non est vinculum contra iustitiam, sed iustitiæ.

Assero secondò, Iuramentum incautè emissum, promittens rem contra consilia, esse inualidum.

Probatvr à D. Bonauent. quia quod est contra consilia, deficit iudicio, & iustitia necessaria in votis, quæ sunt de meliori, sicuti autem consilia sunt à Deo, votumque de consiliis est Deo factum; Ità è contra Iuramentum promittens, non obseruare consilia, est contra rationem suam voti, quam induit. Aduertit verò S. Doctor tale esse iurare non intraturum religionem; at si iuret quis, nunquam perfectionem attingere, peccaret grauiter, quia sic impugnatur perfectio (vt suppono) Christiani.

194 Assero tertiò, id quod vergit promiscuè in bonum, vel malum, vt iurare non acceptare prælaturas, etiam promiscuè, est bonum, vel malum pro conditionibus personæ; nam si sit persona apta, & vtilis, malè iurat; si vero sit Pastor, & tamen idolum (vt cum D. Bonau. loquar, *ad vltimum Ioannis*) benè facit, non acceptans.

Memento autem, ea quæ dixi *questione* 13. promissum iuratum, etiam homini, debere ad aliquam virtutem pertinere, saltem supposita promissione, atque iuramento.

195 Obiicies primò: Iosue *cit. cap.* seruauit iuramentum incautum fœderis Gabaonitis, contra Dei præceptum, non ineundi fœdus cum Idolatris.

Respondet S. Doctor, Iuramentum illud rectè seruatum. Primò, quia ex Diuinæ mentis interpretatione melius erat accipere Gabaonitas in seruitutem, quàm occidere, maximè cum prompti essent fideliter seruire, & Deus acceptat ad pœnitentiam; fœdus autem vetitum erat cum incorrigibilibus.

Obiicies secondò. Meretrix seruans fidem suo locatori, peior est seruando fidem, quàm non seruando, ex D. Augustino *lib. de bono coniugij, cap. 4.* sed iuramentum illud habet malum exitum: Ergo.

196 Respondet S. Doctor, in iuramento illo esse duo. Alterum, quod meretrix iurat, se consensuram suo proco: Alteram, quòd iurat, se fidem alteri non daturam. Et primum quidem est illicitum, & ad illud non tenetur. Secundum verò est licitum & ad hoc tenetur, & quoad hoc dicit, quod peior est non seruando, quàm si iuramentum seruaret.

Obiicies tertiò, potest aliquis iurare matrimonium contrahere: Ergo etiam non intrare religionem.

Respondet S. Doctor, negando consequentiam: nam iurans matrimonium, iurat aliquod bonum; at iurans præcisè, non intrare religionem, nil boni iurat. Deinde qui iurat matrimonium, potest siue ex consensu mulieris, siue post eius obitum aggredi perfectionem; qui verò iurat, non intrare religionem, reddit se inhabilem in sempiternum.

Dicas. Quod licet facere, licet etiam iurare, 197
se facturum; sed licet non intrare religionem: Ergo.

Respondet S. Doctor, negati Maiorem; nam nolle intrare religionem, est imperfectionis; at iurare, se non intraturum, est obstinatio, & impugnatio gratiæ Spiritus Sancti.

QVÆSTIO XIX.

An Iuramentum confirmet contractus, qui aliter possent irritari.

QVæstio agit: An iuramentum vltra vim 198
obligandi ad rem iuratam implendam, habeat quoque vim confirmandi illos contractus, quibus adiicitur.

Dupliciter autem potest intelligi, contractum firmari iuramento.

Primo quando contractus, secluso iuramento, erat ex se, & iure validus; sed reuocari poterat, & fas erat contra illum in iudicio reclamare, atque virtute iuramenti efficitur irreuocabilis, vt sunt contractus à minoribus initi, decreto Iudicis, & Curatoris consensu.

Secvndo, quando contractus erat ipso iure inualidus; at virtute iuramenti adiecti fit validus, aut saltem omnes effectus habet, ac si validus esset, vt sunt contractus initi à minore absque Curatoris consensu, & constat ex *leg. si Curatorem, cod. de integra, restit.*

Nota etiam, iuramentum ex natura sua non 199
habere vim confirmandi contractus, nam ex se institutum est solùm ad assertam veritatem confirmandam. Ideò nobis quæstio est: An hanc obtineat vim ab aliquo iure positiuo Canonico, vel Ciuili.

Prima igitur opinio est, nullam vim iure aliquo inesse iuramento. Ita Iason *Auth. sacram puber. num. 5. & 36. & 37.* Igneus *in repet. eiusdem Auth. num. 15.* Portius, §. *Extraneis, num. 11. Instit. de hered. qualitate.*

Vera tamen sententia est, Iuramentum ali- 200
quando habere vim ad confirmandos contractus, quibus adiicitur, Iure ciuili, vel canonico irritos. Sic alienatio fundi dotalis; renunciatio futuræ successionis, & contractus minorum absque sui Curatoris authoritate, & decreto iudicis facti, quando sunt circa res immobiles, sunt irriti, & tamen, si fulciantur iuramento, valent per *cap. Quamuis pactum, in 6. & cap. 2. de iureiur. & cap. cum contingat, eodem titulo, & Auth. Sacramenta puberum, Cod. si aduersus, vendit.* Hanc sententiam esse communissimam refert Sanchez *Tom. 1. Decal. lib. 3. c. 12.* recensens *n. 11.* sexaginta Doctores, quibus adde Fagundez *in secundum præceptum, lib. 2. c. 17.* & alios apud eum

Fallitvr

201 FALLITVR verò Azorius *Tom.1. lib.11. c.7. quæsito 1.* dicens, iuramentum confirmare contractus quidem iure Ciuili irritos, non verò Canonico. Contra enim est, quia donatio inter coniuges est iure Canonico irrita, *cap. finali de donat. inter virum, & uxorem*; & tamen confirmatur iuramento, vt cum frequentissima sententia docet Sanchez *lib.6. de matrimonio, disput. 11.* & fatetur idemmet Azorius.

OBIICIVNT. Vulgare iurisperitorum axioma; Iuramentum regulandum iuxta naturam actus, cui apponitur *leg. finali, Cod. de non numerata pecunia.* Vnde multi Doctores docent, Iuramentum non augere obligationem rei, cui apponitur, sed actui solùm addere vinculum Religionis: Ergo iuramentum non confirmat contractus, sed eos in eorum statu relinquit.

PLVRIBVS respondet Fagundez. At ego dico ex D. Bonauent. *in 4. dist. 28. dubiis litt.* verum esse axioma quoad ea, quæ iure naturæ, Diuino, vel Gentium, talia sunt, nempe, inualida hæc non nouo immutantur iuramento, sed in pristino relinquuntur; non autem valere in contractibus, iure humano nullis.

202 REGVLA autem firmissima ad cognoscendum, quando iuramento firmetur contractus, est ex D. Bonauent. *loco cit.* & Fagundez *num.* 114. Quoties iuramentum in contractibus appositum absque peccato seruari potest, nec turpitudo inuenitur in eo, in cuius fauorem præstatur, & non solam promissionem faciendi rem promissam continet, sed etiam talem promissionem, quæ saltem æquipollens est promissioni non reuocandi contractus, tunc iuramentum firmat illum contractum. Hanc regulam tradit Sanchez *Tom.1. lib.3. Decal. cap.12. num 42.*

AD primam conditionem, qua præcipitur, vt iuramentum possit absque peccato seruari; aliqui reducunt aliam, vt iuramentum non fiat cum præiudicio alterius, sed id idem est, ac non posse seruari absque peccato *cap. cum contingat de iureiurando*, & *cap. Quamuis pactum de pactis, in 6.*

203 CIRCA secundam conditionem, vt non detur turpitudo ex parte recipientis iuramentum, hoc est ex parte illius, in cuius fauorem præstatur, quæruntq; qualis debeat esse hæc turpitudo.

RESPONDETVR cum Sanchez *Tom.1. lib.3. cap.15. num.53.* & Fagundez *num.17.* contingere turpitudinem, non modò quando recipiens iniquè accipit, & tenetur; sed etiam quando peccat in acceptione rei, sibi promissæ iuramento, quamuis eam non teneatur restituere, nec retinendo peccet.

EX prima conditione sequitur, non firmari iuramento contractus contra ius Naturæ, Diuinum, vel Gentium; imò contra ius Ciuile, & Canonicum, quod immediatè ordinatur ad bonum publicum, vt latè probat Fagundez. Ratio est, quia hi contractus omnes sunt peccata mortalia, vel venialia, secundùm grauitatem materiæ.

E contra verò, si hæc sit lata ob fauorem priuatum, non obligat ad culpam; ideò iuramentum confirmat tales contractus contra has leges, quæ priuato fauent.

204 QVÆRES: an in dubio, num iuraueris, tenearis.

DICO, his casibus fauorem stare pro libertate vt dixi *de voto, disput. 1.* quod si promisisti aliquid, restringere; vt si iurasti non ludere; restringe ad illicita, *cap. 1. de Iureiur. in 6.* Sanchez *lib.3. cap.17. & 18.* Nauar. *cap. 12. num. 11.* Rodriquez *p. p. quæst. 188. num.10.* Reginaldus *lib.18. num.34.* Bassæus *V. Iurament. 4. num.6.*

QVÆSTIO XX.

De modis tollendi obligationem Iuramenti.

PRIMO hanc obligationem tolli dicunt aliqui ne inducatur, vt cum Lex id irritum declarat: Sed hoc non tollit obligationem, quæ non fuit, sed præpedit, nè sit. Sic Concil. Trident. *sess.25. cap.16.* renunciationem bonorum, etiam iuratam, ante duos menses professionis, irritam declarat, & nullam. 205

TOLLITVR verò obligatio, è iuramento oriens, primò si nequit exequi sine peccato; nam Iuramentum non est vinculum iniquitatis.

DEINDE tollitur condonatione eius, in cuius fauorem est emissum.

TERTIO aufertur superiorum irritatione. Vide quæ dixi *disp. de Voto, à quæst. 22. & seqq.* excipe tamen Curatores, qui nequeunt iuramenta minorum irritare, etsi possint vota, *leg. 1. & 2. Cod. si aduersus vendit.* Aufertur etiam Commutatione, vt dixi *disp.1. de Votis, quæst.30.* Tollitur etiam dispensatione, modo dicto *loco cit. quæst.28. & 29.*

SED non reseruantur ea quinque, ibi relata, si inde sint iurata, non vota; ea enim sola reseruantur iuramenta, quæ sunt in damnum tertij. Ita Nauar. *lib.2. consil. de iur. cons.3.* Tabien. *V. Iur. quæst.50.* Petr. Ledesm. *tomo 2. tract.11. cap.4. dub.2.* 206

ENIM verò communiter sunt cum voto, quæ ideò reseruata sunt: vt monet Bassæus *V. Iur.5. num.7.* cum Sanchez *lib.8. matrim. disp.13.* & *lib. 3. moral. cap.19. num 6.*

DISPENSATIO autem debet esse ex causa, vt dixi *disp.1. de Voto, quæst. 37.* sic & commutatio, vt dixi ibi *quæst.29.*

CAVSÆ dispensandi iuramentum esse possunt, si metu, vel fraude sit extortum: Si iniustitia intercessit, vt cùm vsurarius exigit iuramentum de soluendis vsuris. Vel cum in contractu grauiter læsus est, & coactus est eum iurare; vel non aduertens læsionem, iuramento confirmauit sponte. Vel in pœnam ei, in cuius fauorem est præstitum, si delictum patrauit, vnde meretur bonis spoliari, si Ecclesiæ sic perduellis. Tandem si id bonum commune postulet, Lessius *lib.2. cap.42. dub.12. num.65.* Bonacina *de Iur. puncto 17.* Bassæus *in calce.* 207

QVÆSTIO XXI.

De Pœnis Periuriis impositis.

VT Periurij malitiam percipias, accipe pœnas à legibus ei impositas; quibus iustè cognitis, agnosces malitiam eius. Ideò libet resumere quæstiones D. Bonauenturæ 3. *dist.*39. quas adamussim non triturauí propriis titulis, quia quoad eos, faciles quidem videntur, sed plurimas quæstiones, titulis decoras alienis, quas disserui, includunt: Ex his aliqua libabo ex omissis, ne quid in S. Doctore intactum dimittam. 208

PRIMA quæstione ostendit, Periurium esse aliqua semper infectum falsitate: Mox semper esse peccatum contra Dei honorem; & tandem ex genere mortiferum. Vide S. Doctorem.

EXINDE grauius esse homicidio, quia hoc in vitam hominis; illud verò in Dei vergit honorem, 209

docent

docent S. Thomas *quodl.* 1. *quæst.* 9. *art.* 2. Sotus *lib.* 3. *de Iust. quæst.* 2. *art.* 5. Azor *tract.* 1. *lib.* 11. *cap.* 12. *quæstio* 6. Syluester V. *Periur. quæst.* 2. Tab. *quæst.* 4.

OPPOSITVM fateor probari à Richardo 3. *dist.* 39. *art.* 4. *quæst.* 1. Gabriele *quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 4. Maiore, Angelo V. *Periur.* Selua *de benefic.* 3. *part. quæst.* 2. *art.* 3. Rebuf. *de pacific. poss. num.* 234. sic: Quod grauius punitur, est grauius crimen: Homicidium in omni ritè ordinato regimine grauiùs punitur periurio: Ergo. Maior habetur *cap. vlt. de vita, & honest. cleric. cap. fœlicis*, §. *Illud*, vbi communiter Doctores *de pœnis*, *lib.* 6. *cap. Nisi de offic. deleg. leg. Leuia*, vbi Doctores *ff. de accus. leg. Respiciendum*, *ff. de pœnis*, Minor patet, si comparentur pœnæ homicidij, relatæ *Tract. de Iustitia*, *disp. de Hom.* cum iis, quas Periuriis assignatas recenseo, de quibus Fagundez *in* 2. *præcept. cap.* 51.

210 PRIMA est infamia Iuris periurio solemni probato in iudicio, Ità Suarez *tract.* 2. *de Relig. lib.* 3. *de Iur. cap.* 19. Clarus *lib.* 5. *sent.* §. *Periurium*, Iure quidem ciuili. Infamia Canonica habetur, 6. quæst. 1. can. *Si quis conuictus fuerit, alios ad falsa testimonia, vel ad periuria attraxisse, vel quacunque corruptione sollicitasse, ipse quidem vsque ad exitum vitæ non communicet: Hi vero, qui ei in periurio consensisse probantur, postea ab omni testimonio sunt remouendi: & secundùm legem infamia notabuntur.* Additur apud quosdam: *post pœnitentiam priuatam*, 6. *quæst.* 1. apud D. Bonauent. *in confessionali*, *cap.* 3. *particula* 33. Loquitur autem de frangente iuramentum promissorium, nimirum quia in eius potestate remanet, vt det ipsi iuramento veritatem, quod non contingit in assertorio. Vide Tannerum *quæst.* 8. *dub.* 1.

211 MVLTAS à sacris canonibus pœnitentias impositas periurio, refert S. Doctor *loco cit. particula* 32. Sic 22. quæst. 5. can. *Si quis periurat pro vita corporis seruanda, quia magis dilexit corpus, quàm animam, ieiunet tres quadragesimas.* Rursus Pius Papa ibi: *Qui compulsus à Domino, sciens periurat, vtrique periuri, & miles, & dominus, dominus quia præcipit; miles, quia plus dominum, quàm animam dilexit, si liber est, quadraginta dies in pane, & aqua pœniteat, & septem sequentes annos: si seruus eiusdem, tres quadragesimas & legitimas ferias pœniteat*, & ibidem: *Qui periurat in manu Episcopi, vel in Cruce consecrata, tres annos pœniteat. Qui autem coactus fuerit, & ignorans se periurauerit, & postea cognoscit, tres quadragesimas pœniteat.* Sic refert S. Bonauent. *loco cit. partic.* 31.

HINC habes ex D. Bonauent. *quæst.* 2. *ad* 4. non excusari à toto, qui metu adactus peierat.

212 NEQVE vlla necessitas afferatur, quia periurium semper est malum, nec est simile de re aliena in necessitate auferenda, quia tunc ea incipit esse communis.

HÆC infamia canonica contrahitur, si periurium non sit occultum, sed publicum euidens, vt notat Suarez *tract.* 2. *de Relig. lib.* 3. *de Iurament. cap.* 19. *num.* 13. Vide etiam Sanchez *lib.* 3. *decal. cap.* 3. At iure ciuili probabilius sanè est requiri etiam, vt iuramentum sit solemne; & vt is in iudicio de hoc damnetur. Sic Archid. quem sequitur Syluester V. *Periurium*, *quæst.* 5. Tab. V. *Iur. quæst.* 21. Sotus *lib.* 8. *de Iust. quæst.* 1. *art.* 10. Aragon. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 10. Inclinat D. Anton. 2. *part. tit.* 10. magis autem Sanchez *loco citato*, id astruit.

213 SED obserua, infamiam canonicam purgari, & deleri pœnitentiâ; ciuilem verò indelebilem esse, & sola habilitatione Principis tolli.

SECVNDO repelluntur à testificando, non tamen repelluntur ipso facto, sed iura dicunt, *repellantur*, vt refert S. Doctor suprà 22. *quæst.* 5. *cap. Paruuli*, vbi etiam à iuramento purgationis sui ipsius repellendus est periurus: at iuramenta, quæ potius sunt oneris, præstabit.

TERTIO punitur assertorium pœnâ stellionatus *leg. vlt ff. de crim. stellion.* ideo ad tempus exulat. Promissorium verò etiam soluit pœnam contractus, & omnem actionem, omneque conuentionis commodum amittit.

PRÆTEREA periurium simplex priuato homini iniuriam, & præiudicium irrogans, iure Pontificio pœnâ depositionis ab ordine punitur, si sit clericus *cap. cum non ab homine, de iudic.* At *cap. si Episcop. d.* 50. decernitur, vt si sit in iudicio falsus, vlterius tradatur in monasterium. 214

SI Laicus sit periurus, in crimine capitali, puniendus est eadem pœnâ, qua puniretur reus conuictus de tali crimine. Si verò crimen non sit capitale, deportatio, & bonorum omnium publicatio, si liber sit, infertur: In seruo autem, vltimum supplicium.

QVARTO periurus priuandus est beneficio, & collatio beneficij facta illi reo periurij, est ipso iure nulla, quia periurus est infamis. Vide Sayrum *lib.* 5. *cap.* 9. Syluester V. *Periur. num* 5. Sotus *lib.* 8. *quæst.* 1. *art.* 3. *concl.* 6. Caietanus *quæst.* 89. *art.* 2. Filliucius *tract.* 25. *num.* 12. Bassæum V. *Iuram.* 5. *num.* 1. 215

NON priuatur tamen ipso facto beneficio, quod possidet. Vide Fagundez *cap.* 51. *num.* 15. Ratio est, quia iura non dicunt: *ipso facto.* At verò ad repellendum à nouo beneficio, sufficit infamia canonica, si delictum sit notorium, & nulla tergiuersatione possit negari, nullove iuris remedio occultari.



DISPVTATIO VI.

De Adiuratione.

DVM insufficientiam nostram agnoscimus ad inducendos alios, vt graue aliquid agant, vel proferant, solemus nonnihil Diuinum precibus, vel præceptis admiscere, cuius reuerentia expeditiùs hominum mentes moueat, cùm illis à naturâ inditum sit procliue in res superas obsequium; hinc ortus est adiurandi vsus, cuius non pauca habes in sacris litteris exempla; vt ex dicendis patebit.

QVÆSTIO I.

Quid sit ADIVRATIO, *& quibus modis fiat.*

D. Bonauent. in 4. dist. 39. quæst. 1.
D. Thom. quæst. 90.

ADIVRARE est aliquem impellere ad aliquid dicendum, vel faciendum Diuini nominis, & honoris causa. Ex quo, Adiuratio est actus virtutis Religionis. 1

DVOBVS modis fit adiuratio: Primò præcipiendo.

piendo. Secundò deprecando: potest autem insuper exigi iuramentum.

2 Omnes istæ adiurationes in Scriptura reperiuntur. Et in primis præcipiendo, & exigendo simul iuramentum adiurauit Abraham seruum suum, vt non nisi de gente sua quæreret vxorem filio suo Isaac, Genes. 24. *Pone manum tuam subter femur meum, vt adiurem te per Dominum Deum cæli, & terræ, vt non accipias vxorem filio meo Isaac de filiabus Chanaan*; vt obseruat Gregorius de Valentia *disput.* 6. *quæst.* 8. *puncto* 1. & D.Bonauent. *in* 4. *dist.* 29. *quæst.* 3. indicauit. Eodem modo Iacob adiurauit filium Ioseph, vt sepeliret ipsum in sepulchro patrum suorum, vt patet ex *cap.* 47. & 50. *Genes.* fuit enim mos antiquis, supponere manum femori alicuius è Patriarchis Messiæ, & ita per Messiam iurare, qui ex eorum semine erat nasciturus, vt exponit S. Hieronymus *lib.* 1. *in Iouin. cap.* 5.

3 Deprecando autem, & exigendo iuramentum Rahab adiurauit exploratores, vt patet ex illis verbis eorum: *Innoxy erimus à iuramento hoc, quo adiurasti nos.* Iosue 2.

Præcipiendo autem, non exigendo iuramentum, Princeps sacerdotum adiurauit Dominum Iesvm Christvm, *Matth.* 26. & Exorcistæ adiurant dæmones, *Marci vltimo.*

4 Obsecrando autem tantùm videtur Paulus adiurasse eos, ad quos scribebat, vt Rom. 12. *Obsecro vos per misericordiam Dei.*

Sic & egeni adiurare videntur eos, à quibus eleemosynam postulant.

QVÆSTIO II.

Quænam liceat adiurare.

D.Bonauent. in exposit. miss. cap. 2.
D.Thom art. 1. 2. & 3.

5 Assero primò, licitum esse adiurare Deum solum deprecando per aliqua sacra, puta per passionem Christi. Ità D.Thom. *art.* 1. *in corpore*, & *ad* 3. D.Bonauent. *in expositione Missæ, cap.* 2. & obseruat Tannerus *disp.* 5. *quæst.* 5. *dub.* 1. Oramus autem, & adiuramus Deum per merita Christi, non vt mutetur eius voluntas immutabilis, sed vt medium, diuina voluntate, vt creditur, assumptum, vt notat Tannerus *num.* 40. post D. Bonauent. *in* 1. *dist.* 48. *quæst. vltima.* Est enim actus religionis.

6 Assero secundò, etiam homines posse adiurari. Superiores quidem deprecatione; inferiores verò etiam imperio per inuocationem rei sacræ, vel Diuini nominis; & quoad inferiores pater in Abraham, adiurante seruum, vt dixi *quæstione prima.*

Pravvm est autem adiurare non subditum. Sic peccauit Caiphas adiurando Christum, volens eum cogere ad dicendum: an esset Christus, vt notat S. Bonauent. *in meditationibus Passionis Christi, cap.* 75. & cum eo Tanner. *num.* 41.

7 Assero tertiò, posse dæmones adiurationibus cogi ad obsequium Deo præstandum. Sic *Marci vltimo*, dicitur: *In nomine meo dæmonia eiicient.* Ità D.Thom. *art.* 2. Et Lucæ 10. *Ecce dedi vobis omnem potestatem supra omnem virtutem inimici.* Quæ S. Doctor exposuit ad hunc Lucæ locum, vbi edisserit, ad quæ sint adiurandi dæmones.

8 Non licèt tamen dæmones adiurare ad aliquid ab eis discendum, aut obtinendum, aut societatem cum eis contrahendam, vt monet Apostolus, prima Corinth. 10. *Nolite vos socios fieri dæmoniorum*, & notat D.Thom. *art.* 2. & disserit S.Bonauent. *serm.* 2. *in decem præcepta.*

Neqve sunt dæmones precatione adiurandi, 9
aut aliqua postulatione innocandi, vt notat D.Bonauent. *in* 4. *dist.* 34. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad argumenta.* Est enim exorcismus institutus ad cogendos dæmones exire, & relinquere homines liberos à suis infestationibus, vt notat S.Doctor *in Compendio Theologiæ, lib.* 6. *cap.* 10. Estque actus Religionis. Ità Valentia *disput.* 6. *quæst.* 8. *puncto* 2. Suarez *tract.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. Bassæus *num.* 1.

Assero quartò adiurari posse creaturas irra- 10
tionales, non quidem adiuratione ad eas simpliciter directa, id enim esset vanum: sed vel ad Deum inuocatum, vel ad pellendos ab eis dæmones, qui ad nocendum nobis vtuntur irrationabilibus, & hoc pacto vtuntur Exorcistæ, vt notat D. Bonauent. suprà, & cum eo Tannerus *num.* 44. ac D. Thom. *quæst.* 90. *art.* 3. Syluius ibi, Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 42. *num.* 37. Lessius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 13. *num.* 72. Reginaldus *lib.* 18. *cap.* 9. *num.* 112. Nauar. *lib.* 5. *consil. de excom. conf.* 5. Tabiena, & Syluester V. *Adiuratio*, Layman *lib.* 5. *tract.* 9. *cap.* 14. Petrus Ledesm. *tract.* 11. *cap.* 6. Viguer. *cap.* 5. §. 5. Bassæus, & alij multi.

DISPVTATIO VII.

De Diuinis Laudibus.

Hic est totius Creaturæ scopus, vt Deum laudet, non solùm ore, sed & opere; ad hanc autem laudem multiplici è capite potest excitari, vt habet Seraphicus *de profectu Religiosi, lib.* 2. *cap.* 64. siue enim Diuinæ bonitatis admiremur diffusionem, siue sapientiæ eius consideremus profunditatem; siue denique potentiæ Altitudinem, & maiestatis immensitatem stupeamus, in amplissimo Diuinarum laudum campo spatiamur; sed cùm nobis propositum sit, harum naturam tantùm, & qualitatem breuiter describere, vnica me quæstione expediam.

QVÆSTIO VNICA.

De Natura, & qualitate Diuinarum laudum.

D.Bonauent in præf. Psalt.
D Thom. quæst. 91.

Devm non modò exorandum, sed etiam deuotè laudandum, tanquam perfectissimum Ens, 1
& summum Bonum, docent D.Thom. *art.* 1. & D. Bonauent. *præfatione in psalterium*, quod fieri solebat instrumentis etiam musicis resonantibus, inter quæ erat Psalterium.

Tria

2 Tria autem nomina ideo librum illum in Ecclesia sortitum obseruat S. Doctor, Psalterium, quod erat Instrumentum decem chordarum ad alliciendos modulis suauibus homines ad legem, alioqui asperam, Moysis obseruandam. Hoc nomine vocatur Græcè in Paralipomenon; Latinè *Liber hymnorum*, vel *solliloquiorum*, sunt enim psalmi carminibus Deum alloquentibus contexti. Hebraicè dicitur *Nablum*, vel *Sepher Theillim* quod est *Liber Hymnorum*. Adhibebantur autem hi cantus cum instrumentis nablis, seu psalteriis, tubis, Cytharisque ad Dei laudes, maximè ante Arcam, & in Iubilæo.

3 Hoc eodem psalterio vtitur noua Ecclesia in hoc mundo peregrina ad solatium, & mæstitias ob sponsi absentiam leuiendas, vt ait Vrbanus VIII. *in præfatione ad Hymnos*, & prosequitur S. Doctor *loco adducto*.

Contexuit Dauid Cantica noua, vt sæpe repetit, nouæ Ecclesiæ tradenda ad Deum laudandum ob nouitates mirabilium, & beneficiorum Incarnationis, Hierem. 31. *Nouum faciet Dominus*. In mandatis, Ioan. 13. *mandatum nouum do vobis*. In miraculis, Ioan. 15. *Si non fecissem opera in eis, quæ nemo alius fecit, &c.* quæ noua exigunt cantica, vt notat S. Doctor *ad Psalm. 32*.

4 Ob beneficia etiam continua laudes perpetuas nobis iniungit, Psaml. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, &c.* vt notat S. Doctor ibi. Atque vt beneficia consequamur, & Dei laudes dignè cantemus, præmittit præparationem instrumenti psalterij decem chordarum, nempe legis Diuinæ obseruantiam; non enim dignè Deum laudat, qui operibus eum temnit, vt latè prosequitur S. Doctor *in præfatione adducta*, & *ad Psalm. 32*.

5 Dei laudes solitam esse Ecclesiam decantare testatur frequenter Dauid *in Psalmis*, & cum eo S. Doctor *in commentariis*. Ideò Psalm. 62. *Labia mea laudabunt te*, ex corde, vt ait Apostolus, Ephes. 5. *Psallentes in cordibus vestris Domino*, & definit Concilium Agath. *cap.* 21. Tolet. IV. *cap.* 12. non vt populus ille, de quo Matth. 15. *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me*, sed labiis discretionis, Psalm. 65. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Labiis cordi consonantibus, Plas. 150. *In cymbalis bene sonantibus.* Labiis affectuosæ iubilationis, Psalm. 118. *Eructabunt labia mea hymnum.* Labiis confessionis, Psal. 50. *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Labiis contritionis, Habacuc: *A voce tua contrimuerunt labia mea.* Hæc prosequitur S. Doctor *ad Psalm. 62*.

6 Observat autem S. Bonauent. *ad Psalm. 95*. Canticis nouis Deum semper laudandum, quippe excellentissimum bonum, & ideò dicitur: *Deus magnus, & laudabilis nimis*, idest, nunquam satis laudabilis, quin potiùs perpetuâ admiratione mirabilia eius sunt prosequenda: Hominem propterea Adam quatuor litteris Græcis notat scribi: αδαμ quæ litteræ quatuor partes mundi significant: Orientem scilicet, Occidentem, Aquilonem, & Meridiem; & exprimit Christi crucem: Ideò dicitur: *Dicite in gentibus quia Dominus regnauit*, subintelligitur *à ligno*, quod Iudæi abraserunt, vt notant expositores Psalterij apud Lorinum. Debentur sanè noua Cantica Deo, qui pretiosa redemptione in cruce hominem à quatuor mundi partibus reuocauit ad Paradisum, qui ad orientem erectus est, vt aduertit S. Doctor *in præfat. & ad Psalm. citatum*.

7 Ideo canticum nouum rursus excitat Psalm. 97. *Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius. Notum fecit Dominus salutare suum, &c.* Ideò in cithara Deum laudandum ait; est enim instrumentum, quo duobus in lignis chordæ clauis trahuntur, significant autem Christum, qui in cruce attractus adeo dulces melos edidit, vt traxerit ad se omnes creaturas, etiam stolidas, & insensatas, sponsamque ab inferis reuocauit, ac viuos lapides ad supernam ciuitatem ædificandam complanauit, & concinnauit. Ità S. Doctor *ad psalmum citatum*, & *in serm. de Resurrectione*.

8 Igitur excessus bonitatis, & diffusionis iubilo potius prosequendos inexplicabiles, ait: *Omnes gentes plaudite manibus; iubilate Deo in voce exultationis. Quoniam Dominus excelsus, &c.* & Psalm. 47. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis. Quoniam Ecce Reges terræ congregati sunt*, iuxta id Psalm. 2. *Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* En iterum excessus Passionis Christi laudabiles nimis, vt nunquam satis laudentur.

9 Hinc percipies Aristotelis effatum *primo Eth. cap. penult.* Optimorum non esse laudem, sed maius aliquid, & melius, non quia Deus non sit laudandus, sed quia nunquam bonitas eius, & beneficia laudibus valent exæquari; quia, vt dicitur Ecclesiastici 43. *Maior est omni laude*.

Observa adhuc, non laudari Deum, vt nostræ ei laudes, & conceptus, quem de eius eminentia formamus, pandantur; est enim scrutator cordium, sed vt eius præstantiam, & eximias excellentias audientes erigamur in Dei admirationem, vt notat S. Bonauent. suprà, & D. Thom. *art.* 1. ac Tannerus *num* 47.

10 Igitur laus Dei prodest ipsi laudanti, vt dicitur, Psalm. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me; & illic iter quo ostendam illi salutare Dei.*

Offeruntur enim laudes Deo, vt debitæ ex iustitia, *Sacrificium iustitiæ*, Psalm. 4. & quia accendunt ad pœnitentiam, & reuersionem in Deum Psalm. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, &c.* Accenditur cor ad Dei encomia; sacrificium laudis ad mortificationem, &c. Vide D. Bonauent. *ad Psal. 49*. quem imitatur Tannerus 47. post Boetium *in prologo musica*.

Ideo laudes cantibus efferontur; vt ait etiam D. Thom. *art.* 2. nam iuxta diuersos melodiæ sonos animi hominum diuersè disponuntur, vt ait Aristoteles 8. *Polit. cap. 5. 6. & 7.*

11 Quamvis autem cantus ex delectatione cohibitus abstrahat à consideratione, tamen si attentè, ac deuotè Diuinæ canantur laudes, eleuant, accendunt in Dei amorem, & deuotionem, vt ait D. Augustinus *lib. 11. confess. cap. 33*.

Moderata verò, & deuotè, si quæ adduntur, musica instrumenta sunt adhibenda; vulgatum est enim Aristotelis effatum, 8. *Polit. cap.* 6. Neque fistulas ad disciplinam adducendas, neque aliquod aliud artificiale organum, puta Cytharam. Huiusmodi enim musicæ magis mouent ad delectationem. Adhibebantur frequentius in Synagoga populo illi duræ ceruicis, ad eos quoquomodo ad Diuina capescenda emolliendos.

12 In Ecclesia etiam conceduntur, sed neque vana, neque ad modulos concinna lasciuos; hoc enim graue esset piaculum, vt monet Caietanus *ad art.* 2.

Graviter ideò monet Concilium Tridentinum *sess.* 22. decreto de obseruandis in missa: *Ab Ecclesiis musicas eas, vbi siue organo, siue cantu lasciuum, aut impurum aliquid miscetur, arceant*, &c.


Adhibeantur cantus musici, læti quidem ad lætitiam spiritualem augendam; & mœsti ad sanctam

etiam pœnitentiæ tristitiam; est enim musicæ hæc natura, vt quem lætum offenderit, lætiorem reddat, & quem mæstum, augeat in eo genere mærorem, vt notat S. Doctor *in Threnos Hieronymi*, initio.

ITAQVE Valentia *quæst.* 9. docet, apponere vana, & aliena in diuino officio formaliter ex intentione, vt vana sunt, tanquam partem Diuini officij, esse peccatum graue superstitionis; obstat enim hoc fini cultus diuini. Si verò materialiter tantùm fiat, non ex intentione, sed applicando solùm consonantiam ad Diuina verba, potest esse per accidens mortale, si ad malum grauiter prouocem, vel ratione scandali per se, vt ait cum Caietano *art.* 2. & *in summa, verbo Organorum vsus*, astruit non esse peccatum. Quod si inserantur turpia delectationis genera, erit peccatum mortale, ratione prouocationis ad malum; & ex alio capite religionis aliud mortale addere, docet cum Caietano; neque in hoc posse esse ignorantiam vincibilem, aut inuincibilem, quæ excuset à mortali.

14 DICES. Ignorantia vincibilis nonnunquam à mortali excusat.

RESPONDET Valentia excusare aliquando, si non adeò sit facile discere, aut quia ex materia subiecta, ignorantia vincibilis extrahit à mortali.



DISPVTATIO VIII.

De Obseruatione Dierum Festorum.

VT Deus immensus, ita quibusdam locis, nempe templis, suum alligauit cultum, vt absque piaculo non liceat in his profanum quidpiam operari; sic etiam, licèt Æternus sit, sibi nonnullis diebus præcepit vacandum, & ab omni seruili opere fæbriandum. Verùm sicut alia plurima ita in lege gratiæ Deus ordinauit, vt ea pro loco, & tempore Ecclesiæ suæ exequenda reliquerit; sic festi Diei sanctificatio, estò Diuinam habeat originem, ecclesiasticam tamen habet temporis determinationem, vt è proximè sequentibus patebit.

QVÆSTIO I.

De origine FESTORVM *dierum.*

1 FESTORVM obseruantiam iniungit tertium Decalogi præceptum. Et quidem, quatenus Sabbati diem assignat, est præceptum cæremoniale, quod ad Iudæos pertinuit, non ad nos; at verò quatenus assignat diem aliquem, seu tempus, quo sit vacandum sacris, est morale, spectans etiam ad Christianos. Ità D. Thom. *prima secunda*, *quæst.* 100. *art.* 3. *ad* 3. & 2.2. *quæst.* 122. *art.* 4. Tannerus *Tom.* 2. *disp.* 5. q. 5. *dub.* 2. & *Tom.* 3. *disp.* 5. q. 5. *dub.* 1. & alij post D. Bonau. *serm.* 4. *in decem præcepta*, & *in* 3. *dist.* 37. *dub.* 3. vbi addit quodam mixtum ex morali, & cæremoniali.

PRIMO enim sanctificationem aliquo tempore præcipit, atque adeò, vt eo tempore vacemus ab operibus seruilibus; Sanctificare enim Dominum, morale est, de quo prima Petri 3. *Dominum sanctificate in cordibus vestris*: Cessate verò ab operibus illo tempore, est morale, quatenus vacatur ab iis operibus obstantibus cultui Dei; sed est etiam figuratiuum, quatenus nobis insinuatur abstinendum ab omni peccato, quod est opus seruile sordidum. 2

CÆTERVM seruare Sabbathi diem, fuit cæremoniale ad significandam quietem Dei ab operibus sex dierum, & futuram Christi quietem in sepulchro ad homines à morte reuocandos. Vide S. Doctorem.

HINC facilè erues, quo iure facta sit institutio diei Dominicæ ad Deum sanctificandum.

FVERE, qui dicerent, esse iure Diuino inductam. Ità Author supplementi *ad summam Pisanam, v. Dominica*, Syluester ibi *quæst.* 1. vbi addit etiam Natiuitatem Domini, Pascha, Pentecostem, Ascensionem, Epiphaniam, Assumptionem Beatissimæ Virginis, & alias, Abbas *in cap. Licet de feriis*, & ferè Angelus V. *feria*. Quo fit, vt nulla eam consuetudine auferri posse deducant. 3

VERA tamen sententia est, non modò cætera festa, sed etiam Dominicam, esse Iure Ecclesiastico inducta. Ità D. Bonauent. *serm.* 4. *in decem præcepta*, & *in* 3. *dist.* 37. *circa litteram*, D. Thom. 2.2. *quæst.* 122. *art.* 4. *ad* 4. Caietanus ibi, Antonin. 2. *part. tract.* 9. *cap.* 7. Sotus *lib.* 2. *de Iustitia*, *quæst.* 4. & alij apud Bassæum hic, & apud Fagundez *de præceptis Ecclesiæ, lib.* 1. *cap.* 2. Suarez *Tom. primo de Relig. lib.* 2. *cap.* 4. Tannetus *loco citato*. Sic etiam D. Augustinus *serm.* 151. *de tempore*, & Catech. Rom. *in tertium Decalogi præceptum*. 4

ASSERO cum hac sententia, festorum dierum institutionem esse iuris ecclesiastici.

PROBATVR à D. Bonauent. quia de hoc sola Ecclesiastica institutio habetur. Cætera enim præter Sacramenta, & Sacrificium, ac fidem, relicta sunt Pastorum dispositioni, vt notat etiam Fagundez *n.* 3. & communiter sentitur. Videtur sanè ab Apostolis tradita, vt multi Patres docent, & posteà confirmata iure Canonico, cap. *Primo*, c. *Sabbatho de consecr. dist.* 3. *cap. Quoniam*, & *cap. licet*, & *cap. conquestus de feriis*; & Imperatores eam confirmarunt, vt constat *titulo de feriis*, præsertim *l.* 2. & *l. omnes dies*. 5

EVSEBIVS etiam *lib.* 4. *de vita Constantini, cap.* 18. & 19. refert Constantinum magnum; Apostolicam traditionem amplectentem, diem hunc religiosè obseruasse, & obseruandum præcepisse.

D. IGNATIVS epist. 3. ad Magnesianos: *Pro Sabbatizatione diem festum celebret omnis Christianus Dominicam Resurrectionis Regalem, & eminentissimam omnium dierum.* Et D. Clemens libro 7. Const. cap. 71. ait: *Die resurrectionis, quem Dominicum dicimus, conuenite sine vlla conuentus intermissione ad agendas Deo gratias, & profitenda beneficia, quibus nos Deus per Christum affecit.* Hæc indicant ius humanum. 6

OBIICIES. Sequeretur, eam posse mutari ab Ecclesia; sed hactenus nunquam mutata est, quod esse indicium iuris Diuini docent communiter DD. *ad cap. licet*, & *ad cap. conquestus, de feriis*.

RESPONDETVR, posse eam à summo Pontifice mutari; attamen non fuisse mutatam, quia ratio non affuit, & alioqui adeo est antiqua, & perpetua in hoc obseruantia, vt eis esset etiam negandum, iure Diuino Sabbathum esse institutum, tanquam morale præceptum; tunc enim esset ab Ecclesia immutabile. Sed dic, quoad tempus iam relinqui 7

Ecclesiæ, cùm significario extemonialis adimplets sit. Vide Suarez. & Fagundez.

8 Hvsvs perpetuæ, & tam firmæ diei Dominicæ obseruantiæ rationes multas habes iu D. Bonauent. *in 3. dist. 37. art. 3.* & *serm. 4. de decem praceptis*, & *serm. 2. Sabbati sancti*, Suarez *Tom. 1. lib. 2. cap. 4.* Azotio *Tom. 2. Institut. moral. lib. 1. cap. 2. quast. 4.* Sayro *lib. 7. cap. 1.* Fagundez *loco citato, num. 8.* eas verò egregiè comprehendit Synodus sexta Constantinopol. *cap 8.* & reducuntur ad septem. Prima, quia in ea Deus lucem condidit. Secunda, quia in ea populo Hebræo manna pluit in deserto. Tertia, quia iu ea Christus natus, adoratus à magis, baptizatus à Ioanne, in ea resurrexit, & eadem die spiritus sanctus missus est super Apostolos; Ideò sancta
9 Synodus concludit: *Tanta ergo debet esse diei Dominica obseruantia, vt prater orationes, & missarum solemnia, & ea, qua ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat.* Has fecè rationes inuenies in D. Leone *epist. 81.* S. Augustino *serm. 54. de tempore.* Addit S. Doctor, cultum vero Deo intentum, qui exhibebatur sola hac prima die, illi sacrata à Paganis. Quod si dies festus Dominicæ est iuris humani, multò magis exteri, vt docent DD. citati suprà.

QVÆSTIO II.

Cuius sit FESTA *instituere sub mortali seruanda.*

10 Assero primò, spectare ad summum Pontificem instituere festa in toto orbe.

Ratio est, quia is est summus Pastor vniuersalis, cui traditæ sunt oues omnes: Ioan. 22. vt ostendi *prima prima, Tract. 1. Disp. de summo Pontifice*, Est communis doctrina, vt monet Fagundez *lib. 1. de praceptis Ecclesia, cap. 3. num. 2.* Bassæus V. *Festum 1. num. 3.*

11 Assero secundò, posse Episcopos iu suis diœcesibus tantùm, instituere festa sanctorum iam Canonizatorum, vel Beatificatorum, & quoad Canonizatos, docent communiter apud Fagundez *num. 3.* Suarez verò *lib. 2. cap. 21.* etiam beatificatis extendit, qui addit cum Fagundez, non esse opus confirmatione Papæ, & quoad Beatificatos subscribunt Bellarminus *lib. 1. de beatitudine sanctorum, cap. 7.* Fagundez *num. 15.*

12 Neqvevnt tamen talia festa indicere de iure absque cleri, & populi consensu, *cap. conquestus, de feriis*, & *cap. Pronunciandum, de consecr. dist. 3.* Ità Azor *Tom. 2. Instit. cap. 26. quasito 3.* Suarez *num. 8.* Fagundez *num. 8.* qui tamen addit, posse ex consuetudine saltem pro aliqua vice. Consuetudine autem inuectum est, vt solo Cleri consensu id fiat. Suarez *de Relig. lib. 2. cap. 11.* Sa V. *fest.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 43.* Azor *part. 2. lib. 1. cap. 26. quasito 4.* Diana *4. part. tract. 4. resol. 178.*

13 Assero tertiò, non posse Principem sæcularem instituere festa obseruanda, & si Reges hoc faciunt absque consensu, & authoritate Ecclesiastica, nil valet, & quoad culpam, & quoad pœnam. Ità Suarez *Tom. 1. de religione, cap. 12.* Azorius *2. part. Instit. moral. lib. 1. cap. 26. quasito 5.* Fagundez *cap. 5. num. 2.* Nec possunt punire laborantes cum licentiâ Episcopi. Sic statuit S. Congreg. apud Dianam *part. 4. tract. 1. resol. 94.*

Assero quartò, consuetudine posse festa abrogari. Vide Fagundez *cap. 6.* debet tamen consensus, saltem tacitus Episcopi accedere. Ità Fagundez *num. 7.* Ad introductionem diei festi igitur sufficit consuetudo decem annorum; ad abrogandum verò 40. annorum.

Assero quintò, tempus, quo durant festa, pendet è consuetudine loci, prouinciæ, &c. nempè vt sit à vespera ad vesperam, vel à media nocte ad mediam noctem. Ità communiter apud Fagundez *cap. 6. num. 2.* more quidem Romano quoad seruilia incipit à media nocte, ad mediam noctem *leg. more Romano, ff. de feriis.* 14

QVÆSTIO III.

Vtrum peccata mortalia in Festo sint hoc pracepto vetita.

D. Bonauent. dist. 37. dub 3. litt.
D. Thom 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 3.

Observantia diei festi dicitur sanctificatio illius temporis ad honorem, & cultum Dei, & sanctorum venerationem. Sic *Exodi* 20. loquitur scriptura: *Memento vt diem Sabbathi sanctifices.* Ideò subdit: *non facies opus in eo*, quia hæc dedicatio fit per cessationem à seruilibus. Ità S. Bonauent. *3. dist. 37. dub. 3. litt.* & *in serm. 4. de decem praceptis*, D. Thom. *2. 2. quast. 122. art. 4. ad 3.* Suarez *Tom. 1. de Relig. lib. 2. de diebus festis, cap. 2.* Azor *Tom. 2. cap. 1.* Fagundez *lib. 1. cap. 3.* Cùm igitur dies festus ordinetur ad Dei cultum, & sanctificationem, oritur quæstio: an prohibeatur hoc præcepto peccatum mortale, ita, vt eo die peccare lethaliter, sit diei festi transgressio. 15

Prima opinio est assertiua. Ità expressè D. Thom. *loco cit.* Alens. *3. part. quast. 32. memb. 3. art. 2. ad vlt.* & *memb. 5. art. 2.* Albertus *memb. 3. dist. 37.* D. Antonin. *3. part. tit. 9. cap. 7. §. 3. & 3. part. tit. 14. cap. 19. §. 7.* & *tit. 17. cap. 17. §. 4.* & *5.* vbi Lyranus *cap. 20. Exodi*, vbi idem docent Abulensis *quast. 11. & 12.* Medina *Cod. de oratione, quast. 10. & 19.* Maior *4. dist. 14. quast. 4.* Angelus V. *feria, num. 36.* & V. *Interrogationes circa tertium praceptum*, & V. *Praceptum*, Rosella V. *confessio, 2. num. 7.* Cathetinus *lib. 5. contra Caietanum*, Corduba *lib. 1. quast. 6.* qui ait oppositam non esse tutam, & multos adducit. 16

Idem tenent Scotus, & Gabriel. *3. dist. 15.* & idem Gabriel *in 4. dist. 17. quast. 1. conclusione 4.* Angestus *in moral. cap. 8.* Nider *in 3. pracepto, cap. 1. & cap. 9.* Idem videtur sentire D. Ambrosius *Luca 13.* apud D. Thom. D. Augustinus *epist. 119.* & *lib. de decem chordis, cap. 3.* & *cap. consideret.* initio *de pænit. dist. 15. v. In tempore*, & V. *orationi constituto.* Et videtur sententia approbata in Concilio Coloniæ coacto, anno Domini 1536. *Tractatu de exteriori pænitentia, fol. 180.* vbi docet, quod bis peccat, qui diem Dominicum scortis, & rixis, pugnis, & obscænis agit. Eam probabilem ait Fagundez *lib. 1. cap. 9.* adducens etiam D. Bonauenturam *in 3. dist. 37. dub. 3. litt.* & *in speculo anima, cap. 1.* Adde & *serm. 4. de decem praceptis.* Itaque si ad eam Seraphicum ducant, Doctores omnes antiquos insignesque Theologos habent patronos. 17

Secvnda sententia è regione negat, præceptum obseruantiæ diei festi specialiter omnia prohibere mortalia. Ità Suarez *Tom. 1. de relig. lib. 2. de diebus festis, cap. 18.* Azor *tom. 2. cap. 28. quasito 10.* Caietanus *prima secunda, quast. 7. art. 1.* & *2. 2. quast. 122. art. 4.* & 18

& *in summa*, *v. festorum violatio*, & *in opusc. quæst.* 27. *quodl.* 10. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 4. *lib.* 2. *de Iustitia*, *quæst.* 4. *art.* 4. Victoria *in summa*, *de sacram. tit. de consecr. num.* 195. Almainus *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 1. Syluester V. *Dominica*, *quæst.* 8. *dict.* 4. & in Rosa aurea *casu* 63. vbi ait viros doctissimos sui ordinis ita communiter sentire. Nauarrus *in cap. consideret*, *num.* 22. & Manuali Lat. *cap.* 6. *num.* 9. Fumus V. *Feria*, *num.* 12. Tabiena *ibi*, *num.* 47. Angles *in floribus*, *quæst.* 9. *de confess. pag.* 288. Couar. *in cap. Alma mater*, *part.* 1. §. 5. *num.* 3. & *lib.* 3. *var. cap.* 19. Guttierr. *lib.* 1. *can. qq. cap.* 31. Fagundez *num.* 2, qui adducit etiam D.Thom. 4. *dist.* 32. *art.* 5. *quæst.* 1. & *in* 3. *dist.* 37. *art.* 5. *quæst.* 2. *ad* 2. Bonacina *puncto* 2. Bassæus 2. *num.* 3.

19 QVOAD D. Bonauent. videtur sanè pro priori sententia. Enim verò si penitius consideretur, asserit quidem, huius Præcepti finem esse sanctificationem animæ per opera bona, vt propterea à seruilibus, & mundanis laboribus velit abstineri, vt Dei seruitio in quiete vacemus, atque adeo contra finem à Deo intentum agere, qui non laborat quidem seruilibus operibus physicis, sed tantùm operibus peccatorum, quæ sanè metaphoricè sunt seruilia, incumbunt, & ideò ait, peius facere, qui peccatis intendunt, theatra, luxua, ebrietates frequentando, quàm qui laborant in festo, quia huiusmodi, etsi medium vnum assumant à Deo vacandi ab operibus seruilibus distrahentibus, tamen alia operantur media contraria fini, & magis è diametro Diuinæ legi opposita, vt pote finem euertentia, &
20 ideò *locis adductis*, & *serm.* 2. *Sabbathi sancti*, conqueritur cum D. Augustino, sic non obseruari Sabbathum ad finem à Deo intentum, sed tamen non videtur imponere, nisi vt vacemus à seruilibus physicis, & sic allegat præceptum Diuinæ legis *Exodi* 20. & 35. & *Leuit.* 23. & *in* 3. *dist.* 37. dicit, cessationem à seruilibus imponi, & signare abstinendum à peccati operibus seruilibus, & vt tale, fuisse signatiuum, nedum morale, & facere ad aliorum moralium integram impletionem. Et ait, præcipuè hoc præcepto inhiberi opera seruilia, ea maximè, quibus intenditur lucris. Nec tantùm hæc, sed imò magis & diligentiùs opera carnalia, ebrietates, luxus, &c. & subdit testimonium
21 D. Augustini dicentis: *Non seruare diem festum ad mentem Dei, quo more Iudæorum obseruant carnali otio; obseruare enim volunt ad nugas, & luxurias suas; & ideò minus malum fore in festis, si laborarem, quàm tota die in neomeniis impudicè saltarent.* Et explicans testimonium D. Augustini, ait: Hoc autem dicit, non quia sit cessandum in diebus sulemnibus à negotiis actuum exteriorum; sed quia Prælati Ecclesiæ, quorum est hæc festa indicere, & determinare quomodo, & qualiter sit cessandum ab exteriori opere, magis debent reuocare ab his, quæ maiorem peccandi præbent occasionem. Vnde propter vitandum otium, vel ineptum solarium dicit Augustinus, quod exercere magis se debent in operibus pietatis, quàm negotiis inordinatis, & lasciuis intendere: Propter quod in diebus illis debent Ecclesias frequentare, Missas audire, &c.

22 HINC satis probè colligo, præceptum illud sanctificandi festum abstinendo à peccatis, esse quidem non finem præcepti, sed solùm medium imponere abstinendi à seruilibus, & incumbendi alicui operi Religionis, quod deputatur in Missa; Cæterum Prælatis incumbere magis populos reuocare à peccatis.

HANC sanè perfectam esse vocationem ait, 23
serm. 4. *adducto*, quæ habet adiunctam bonam operationem, & prohibitam seruilem. Vbi videtur perfectionem quidem vacationis festi intentam, non verò essentiam in operibus bonis, & peccatorum declinatione constituere. Itaque non adeo clarè est pro prima sententia. Quod amplius in tertio argumento verbis illius ostendam, quibus secundam amplecti mihi videtur.

ASSERO primò, posse probabiliter priorem sententiam defendi, scilicet peccata mortalia in festo addere circumstantiam malitiæ.

PROBATVR authoritatibus pro ea adductis. 24
Primò quidem à D.Bonau. ex D. Augustino *epist.* 119. & lib. de decem chordis: *Melius faceret Iudæus in Sabbatho in agro suo aliquid vtile, quam si in theatro seditiosus existeret. Et melius fœmina eorum in die Sabbathi lanam facerent, quàm si tota die neomeniis impudicè saltarent.*

POTEST tamen responderi id solùm intendi à S.Patre, magis contra finem à Deo intentum in sanctificatione festorum esse opera peccati mortalis contra legem naturæ, quàm labores seruiles contra præceptum diei festi humanum.

PROBATVR secundò ex *cap. Consideret*. initio 25
de pœnit. dist. 15. *verbo. In tempore*, & *verbo*, *orationi constituto*, vbi præcipitur, vt confiteamur circumstantiam temporis Festi in peccato mortali.

POTEST tamen responderi cum Nauarro ibi *num.* 32. Guttierr. *lib.* 1. *de qq. can. cap.* 31. Suarez *loco cit. num.* 17. Fagundez *n.* 7. hoc esse consilium, non decretum præcipiens, vt patet ex verborum tenore.

AFFERTVR etiam Coloniense Concilium suprà, sed illud Prouinciale fuit, nec confirmatum à sede Apostolica, & in materia etiam iustificationis aberrans, vt notat Fagundez *num.* 12. cum Guttierr. *num.* 36.

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *serm.* 2. *de* 26
Sabbatho sancto, & aliis locis ex Leuit. cap. 16. *Sabbathum requietionis est, & affligetis animas vestras, & à peccatis vestris omnibus mundabimini*, & cap. 23. *Affligetis animas vestras, &c. Omne opus seruile non facietis in die hac; omnis anima, quæ afflicta non fuerit, die hac, peribit de populo, vt propitietur vobis Dominus.*

RESPONDENT Guttierr. *num.* 33. Cano, & Couarruuias, quibus subscribit Fagundez *num.* 12. ex D.Bonauent. *sermone* 4. *adducto*, vbi ait: Quod si intelligamus, sicut Iudæi, qui dicunt, quod debet fieri vniuersalis cessatio ab omni opere seruili, sic insinuatur Christiano, quod debet abstinere ab omni peccato, & sic est Figurale. Si intelligamus, quòd ab aliquibus debemus abstinere, sic est morale, non sicut in præcepto, & sicut in benè esse, & remansit sicut in Ecclesiastica institutione est præceptum: Di- 27
co opera seruilia, opera mœchanica, &c. Hæc S.Bonauent. quibus ostendit, ibi sermonem fuisse de propitiatione, seu sanctificatione cæremoniali; abstinere autem à peccato signari quidem præcepto vacationis à seruilibus, non præcipi: Est enim peccatum seruitus tantum metaphoricè, vt notat Suarez *num.* 7. Fagundez *num.* 3.

DE cætero illud opus seruile, quod hoc præcepto prohibetur, est mœchanicum, vt ait D. Bonau. hîc, D.Thom. & alij apud Fagundez. Ex quo habes, Seraphicum videri pro prima sententia.

PROBATVR quartò à S.Doctore *locis adductis*, 28
& D.Thom. *loco cit.* argumento, quo cæteri vtuntur, finis legis est anima legis: At finis legis sanctificandi festum, est applicatio hominis Dei seruitio. Huic autem magis repugnant peccata mortalia, quàm

opera manualia mœchanica. Si igitur per hæc violatur dies festus, multò magis violatur peccatis mortalibus.

RESPONDETVR, non modò hoc præcepto, non præcipi finem legis, qui est Charitas, sed neque omne medium; sed illud solùm, quod propriè exprimitur, quod est vacare à seruili labore, quo distrahimur; peccata verò satis vetita sunt semper singulis præceptis. Quòd si hoc præcepto prohiberentur omnia impedimenta, iam teneremur tota die vacare orationi, & aliis operibus piis; euitare deambulationes, confabulationes, &c.

ASSERO secundò, probabiliorem esse secundam sententiam negantem.

29 PROBATVR primò ex D. Bonauent. *sermone citato, verbis adductis*, ratione, quæ est præcipuum fundamentum, vt ait Fagundez *num.* 2. nam præceptum illud prohibet tantùm opera verè seruilia, nam *Exodi* 20. sic habetur: *Memento vt diem Sabbathi sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum. Septima vero die non facies omne opus tuum, tu, & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena, qui est intra portas tuas, sex enim diebus fecit Deus cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, & septima die requieuit, Ideò benedixit, & sanctificauit illum.* Similia habet Scriptura *cap.* 12. 16. & 23. vbi nomine operis seruilis opera mœchanica explicantur.

30 EX his verbis deducit S. Doctor, opus prohibitum hoc præcepto esse illud, quod fit medio labore septem diebus hebdomadæ, auxilio seruorum, ancillarum, aut iumentorum; hoc autem non est peccatum, sed sunt opera mœchanica, quæ septem recenset, & referentur *quæst. sequenti.*

CONFIRMATVR; nam requies illa est ad memorandum opus fabricæ mundi. Quare S. Doctor ex lege ipsa id aliè conuincit.

31 DICVEIT insuper S. Doctor in fine, teneri abstinere à seruilibus, non modo Dominum ipsum, sed efficere, vt abstineant etiam, qui sub sua sunt potestate, vt filij, vxor, ancillæ, serui, & iumenta. Aliqua verò Mystica intermiscet egregia, quæ ibi vide.

Confirmatur, quia opus peccati, vt peccatum, non est opus seruile, vt ostendi.

PROBATVR secondò ex D. Bonauent. *locis adductis.* Finis extrinsecus præcepti non est præceptus, sed solùm media expressa, vt docent communiter cum D. Thom. 1. 2. *quæst.* 100 *art.* 9. & 2. 2. *q.* 44. *art.* 1.

32 CONFIRMATVR, nam neque Iudæis hoc præcepto vnquam intellectum fuit prohiberi peccata omnia, cùm satis suis prohibeantur præceptis: Ergo multò minus Ecclesiæ, nam huic multa conceduntur, quæ non licebant Iudæis, vt ambulare, &c. vt notat D. Bonauent. *in* 3. *loco cit.*

HÆC fundamenta solidissima conatur euertere Corduba.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Opus licitum liberale reddatur seruile, eò quòd ob lucrum fiat.

33 PRIMA opinio est, finem extrinsecum operantis opera liberalia, reddere ea seruilia, & esse vetita die festo. Ità multi Iuris Canonici, & ciuilis Interpretes *ad cap.* 1. *de Feriis*, & ad *leg. omnes Iudices, Cod. de Feriis*, & alij, vt Angel. & Rosella, Tabiena V. *Feria*, Richardus 3. *dist.* 37. *art.* 2. *quæst.* 4. Syluester *verbo Dominica, quæst.* 4.

SECVNDA sententia est, nullum opus liberale directum ad lucrum, fieri ob id seruile. Ità plurimi, Caietanus 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 4. & *in summa, v. Festorum violatio*, Sotus *lib.* 2. *de Iustitia, quæst.* 4. *art.* 4. Nauar *in manuali lat. cap.* 13. Tolet. *lib.* 4. *summæ, cap.* 24. Saytus *lib.* 7. *cap.* 2. Philiarchus *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 13. Fum. V. *fest. num.* 23. Medin. Instruct. *lib.* 1. *cap.* 14. *quæst.* 1. Lopez Instit. *p. p. cap.* 52. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 5 *quæst vnic. puncto* 2. *num.* 25. Laym. *lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 3. P. Eligius Bassæus V. *festum*, 2. *num.* 8. Azor 2. *part. Inst. lib.* 1. *cap.* 28. *quæstio* 1. Suarez *tract.* 1. *de Rel. lib.* 2. *de festis, cap.* 19. Fagundez *in primum Ecclesiæ præceptum, lib.* 1. *cap* 10. Est sententia D. Bonauent. *sermone* 4. *in decem præcepta*, circa medium, vbi addit aliqua etiam mœchanica ad iucunditatem esse licita, & nullum opus seruile esse vetitum, si aliàs occurrat necessitas, vel causa iusta excusans: huic subscribit Suarez. 34

ASSERO cum hac sententia, opus liberale ob lucrum superadditum, non ideo fieri seruile.

PROBATVR ex D. Bonauent. *loco cit.* & *in* 3. *dist.* 37. *dub.* 3. & *in serm.* 2. *Sabbathi sancti*: Nam Deus profitetur prohibere tantùm opus seruile intrinsecè ex natura sua: sed finis extrinsecus non facit seruile id, quod intrinsecè non est tale, alioqui omnes scientiæ, & artes liberales illicò fierent mœchanicæ ex fine scientis, vel discentis, quod est à Philosophis explosum. Ratio enim liberalis sumitur à fine artis, non à fine artificis extraneo. 35

ARGVMENTA in contrarium ruunt, negando, ea opera fieri seruilia ex fine extrinseco mœchanici lucri. Vide Fagundez.

QVÆSTIO V.

Quæ sint opera seruilia, vetita die Festo.

OPVS seruile sic potest describi è S. Bonauent. *serm.* 4. *in decem præcepta*, & in 3. *dist.* 37. *dub.* 3. *litt.* D. Thom. ibidem *art.* 5. *quæst.* 2. *ad* 2. quos sequuntur Suarez *Tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de diebus festis, cap.* 20. Fagundez *in primum Eccl. præceptum*, lib. 1. cap. 10. num. 6. *Opera seruilia sunt illa, ad quorum exercitium artes mœchanica dirigunt, distincta à liberalibus.* Addunt alij, præter D. Bonauent. *etiam seruos adhibere, & deputare solemus.* 36

ITAQVE non omnia opera corporalia sunt seruilia, sed solùm quæ mœchanicis artibus exercentur, & quæ per seruos factitantur, secundùm aliquos; sed de hoc dicam infrà. 37

EGREGIE verò S. Doctor artes mœchanicas recenset, eorumque sufficientem enumerationem, *Opusculo, Reductio artium ad Theologiam*, & *serm.* 4. *in decem præcepta*, cum Hugone de S. Victore *lib.* 2. *Didasc. cap.* 22.

SEPTEM igitur numerantur, Lanificium, Armatura, Agricultura, Venatio, Nauigatio, Theatrica, Medicina.

HARVM sufficientiam sic promit: Omnis Ars mœchanica, aut est ad solatium, siue sit ad excludendam tristitiam, siue indigentiam; aut est ad commodum, siue illud prodest, aut delectat. Si est ad solatium, & delectationem, sic est Theatrica, quæ est Ars ludorum, omne ludorum genus continens, siue sit in cantibus, siue in organis, siue in figmentis, siue in gesticulatione corporis. 38

Si

Si verò ordinatur ad commodum, siue profectum secundùm exteriorem hominem, hoc potest esse, aut quantum ad operimentum, aut quantum ad alimentum, aut quantum ad vtrunque adminiculum. Si est quantum ad operimentum; aut illud est de materia molli, & leui, sic est lanificium, & linificium, ac olosericum; aut est de materia forti, & sic est armatura, seu ars fabrilis armorum omnium ad defensionem, & offensionem, siue sint è metallo, siue ligno, siue lapide, vt propugnacula, Tur-
39 res, &c. muri, arces, domus. Si verò iuuant quoad alimentum, hoc potest esse dupliciter, quia cibamur vegetabilibus, & sensibilibus. Si quoad vegetabilia, est agricultura. Si quoad sensibilia, sic est Venatio, Piscatio, Aucupium. Vel alio modo: Quia iuuare quoad cibum potest esse dupliciter, vel quoad ciborum genituram, & multiplicationem, & sic est agrorum cultura, aut quo ad ciborum præparationem, & sic est Venatio, aucupium, piscatio, & omnis ars præparatoria ciborum; quales sunt pisto-
40 rum, cocorum, cauponum. Hæc omnia nomine venationis includuntur, ob eius præcipuam excellentiam in exquisitis præparandis, & copia. Si autem ad vtriusque adminiculum, hoc est dupliciter, aut defectum supplendo, & sic est nauigatio, sub qua continetur omnis mercatio, siue pertinentium ad operimenta, siue ad alimenta, aut remouendo impedimenta, vt nocumenta; & sic est medicina, siue quæ consistit in confectione electuariorum, potionum, vnguentorum à pharmacopolis (qui etiam aromata, & similia præparant ad condimenta salubria ciborum;) sic etiam Chirurgia ordinatur ad vulnerum curam, rescissionem, &c. Theatrica autem est vnica. Hæc S. Bonauentura opusculo adducto.

41 Ex quo deducit S.Doctor, non ea sola esse mœchanica, quæ per seruos solemus exercere, sed etiam aliqua alia, vt venari, piscari, aucupari, quæ etiam à nobilibus exercentur, quibus adde vti musicis instrumentis, cibos præparare, &c. vt concedit etiam Fagundez *cap.* 11. *num.* 1. Quare non rectè *cap.* 10. in definitione operis mœchanici ponit, *exerceri per seruos.* Melius dicuntur, omnia ferè mæchanica seruilia, quia ad ea, saltem quoad aliqua, adhibentur serui. Sic in Venatione tendere retia, &c. & potius dicuntur mixta, & communia. Sunt etiam aliqua alia, quæ ad opera animæ reducuntur, vt legere, scribere, studere, & transcribere: Sunt & alia, etsi non seruilia, vetita tamen ab Ecclesia, scilicet Mercatus, & Fori exercitia.

De quibus omnibus hîc breuiter disseram.

Asserit ergo primò S. Doctor *serm.* 4. *citato*, merè seruilia esse vetita, seclusa necessitate.

42 Probatur ex 20. *Exodi*, *Leuit.* 23. & aliis locis adductis, *quæst.* 4. Sequuntur D. Thom. 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 4. *ad* 3. D.Antonin. 2. *part. tit.* 9. *cap.* 7. §. *Quantum ad tertium*, Alens. 3. *part. quæst.* 32. *memb.* 4. *art.* 4. Richardus 3. *dist.* 37. *art.* 2. *quæst.* 5. Angel. & Tabien. V. *Feria*, Syluester V. *Dominicu*, *quæst.* 3. Toletus *lib.* 4. *cap.* 24. Clauis Reg. *lib.* 7. *cap.* 2. Suarez *Tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de diebus Festis*, *cap.* 20. Fagundea *lib.* 1. *cap.* 11. & communiter cæteri, apud Bassæum V. *Festum* 2.

43 Asserit secundò, aliqua seruilia esse, quæ ob necessitatem ordinariam conceduntur in die Festo, vt cibos coquere, præparare, &c. Quamuis tot labores in ciborum condimentis, & præparationibus non essent antiquitus in vsu; tamen iam consuetudine permissi sunt, vt notat Suarez *cap.* 21. Fagundea *cap.* 10. in fine, & *cap.* 11. *à num.* 19. Ratio D. Bonauent. est, quia necessitas non cogitur legibus; hæc autem opera naturalia sunt, non seruilia simpliciter, & ad viuendum necessaria.

Eodem passu, & altiùs incedunt opera necessaria in arte medica.

Nec minus vrgent alia naturæ opera, vt comedere, bibere, vestire, se cauere, lauare se, &c. Ità etiam Suarez *num.* 2. Fagundea *num.* 9. *cap.* 11. Bassæus *loco cit.* & alij apud istos. 44

Similiter iter facere est necessarium, non seruile, siue peditando, siue equitando. Ita Angel. V. *Feria*, *num.* 15. Rosella *num.* 26. Azor infra, Suarez *loco cit. num.* 27. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *miscel. resol.* 22. Per accidens tamen potest esse vetitum, si fiat magno labore parandi equi, rheda, &c. Ità Azor *Tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 27. *quæsito* 8. Suarez *loco cit.* & alij; & Caietanus *quæst.* 221. *art.* 4. Sà *in Aphoris. V. Festum*, dicunt, hæc seruilia esse; at consuetudine permitti; & addit Sà, etiam comitari mulis supellectile; Fagundea vero *num.* 9. id intelligi ait, cum iter facit Princeps, vel Prælatus. Addit autem Diana *p.* 5. *tract.* 15. *resol.* 36. & *part.* 2. *tract.* 1. *miscellaneor. resol.* 36. & 4. *part. tract.* 4. *resol.* 222. posse agasones, & similes absque mortali, audita Missa, ducere iumenta onusta, imò onerare. Attamen si impendat onerando tempus notabile, quod debet excedere duas horas, mortale peccatum erit. Sic & alij cum Bassæo *num.* 10.

Verrere autem totam domum per multas horas, vetitum, ait Fagundea.

Asserit tertiò S.Doctor, aliqua mœchanica ad meram iucunditatem instituta, esse licita in festo. Ea verò appellat Theatrica moderata, vt cantus, & musica instrumenta. Ratio est, quia Ecclesia ob nostram infirmitatem ea permittit. Ità etiam Fagundez *cap.* 10. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 24. Tannerus *disp.* 5. *quæst.* 6. *num.* 7. & alij apud eos, ac Bonacina *punct.* 2. *num.* 25. Bessæus 2. *num.* 10. 45

Dubitatur: An liceat his diebus piscatio, venatio, aucupium, & similia.

Prima sententia est, talia opera esse liberalia, si ob recreationem diebus festiuis fiant. Ità Angelus V. *Feria*, *num.* 16. Syluester V. *Dominica*, *numero* 7. Sotus *lib.* 2. *de Institia*, *quæst.* 4. *art.* 4. Rosella V. *Feria*, *num.* 15. & alij apud Azorium *part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 27. *quæsito* 7. At Granado 2. 2. *tract.* 12. *disp.* 14. *sect.* 7. *num.* 65. ex Medina, Nauarro, & Lopea addit, neque ob lucrum factam venationem, &c. esse opus seruile, & illam solam piscationem esse seruilem ait, quæ fit deferendo retia, remigando, & similem laborem exercendo. Filliucius verò docet *tom.* 2. *tract.* 27. *cap.* 9. *num.* 172. venationem, & piscationem ex officio, quæ tota est in corporis fatigatione, esse seruilem, non eam, quæ ad recreationem in industria posita est. Subscribunt Azor *loco cit.* omnes refert Diana *part.* 4. *Tract.* 4. *miscell. resol.* 222. & pugnantes attendit. Subscribit ferè Bassæus *num.* 12. 46

Secunda sententia omnino censet, venationem, &c. esse opus seruile. Ità Suarez *cap.* 28. Fagundea *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 16. licere tamen ratione consuetudinis venari, non tamen piscari, nisi ob vrgentem necessitatem. Toletus verò *lib.* 1. *cap.* 14. Caietanus *art.* 4. *quæst.* 122. Sotus suprà, consuetudine licere omnes aiunt. 47

Media omnibus S. Doctor *serm. citato*, ait, venationem, &c. esse quidem opus seruile, & vetitum, sed tamen quoad ea, quæ ad victum ordinantur, licere, puta ea die capere Leporem.

Quod sint opera seruilia, probatur ex Dialectica, vbi inter artes mœchanicas computantur etiam

seruiles. Confirmatur, quia in magno labore consistunt. Quod etiam illicita sint, probatur ex *cap. licet, de ferus.*

Qvod verò ad victum liceat, probatur, quia sicuti licent præparationes condiendo, ità parando condienda. Sunt enim opera naturalia, quoad hoc necessaria.

Dvbitatvr secundò: An liceat in festis barbitonsoribus radere barbas.

48 Respondet Diana *p. p. Tract. 15. miscell. resol.* 34. ratione paruitatis materiæ eos non peccare, si vnius, vel alterius barbam radant, & refert Giassium *decis. part. 1. lib. 2. cap. 23.* Nauar. *cap. 13.* Vegam *Tom. 1. cap. 114. casu* 2. Rodriguez *tract. 1. c. 22.* Sayrum *lib. 7. cap.* 2. Moisesium *Tom. 1. tract. 11. cap. 17. num.* 68. Azor *lib. 1. cap. 28. quæsito 5. Tom. 2.* Addit, si omnes radant, qui occurrunt ratione consuetudinis, si adsit, excusari; nam cum prohibita in die festo; sint inuecta humana consuetudine, nil obstat, ea tolli per contrariam consuetudinem, toleratam à prælatis, vt notant Sotus, & Caietanus apud Reginaldum *tom. 2. lib.* 19. *cap. 3.* & alij apud Clauim Re-
49 giam *lib. 7. cap.* 2. Addit Fernandez *in exam. part. 1. cap. 7.* alia etiam de causa excusari ob lucrum cessans, quia ob occupationes diebus ferialibus non veniunt ad tonsionem, & nititur *cap. licet*, vbi Pontifex concedit in festis piscationem halecum, ob hanc causam: Sed dico cum Reginaldo *Tom. 2. lib. 19. cap. cit. num.* 51. Suarez *cap.* 33. Diana suprà, disparem esse rationem; nam expiscatio illa ideò conceditur, quia statuto anni tempore occurrit, & præterit; sed non est idem de quotidiana tonsione; alioqui omnia ferè seruilia licebit frequentare.

Enim verò Fagundez *lib. 1. cap.* 14. cum aliis dicit, vnam horam fore leuem, si vno, vel altero festo tondeant; at si continuent singulis festis, fore lethale, ratione continuationis materiæ. Sed hoc mihi non probatur, non enim continuatur tempus vnius horæ huius diei Dominici cum hora futuræ Dominicæ.

Dvbitatvr tertiò: An liceat die festo pingere.

Asservnt Ludouicus Lopez *p. p. Instit. cap.* 25. Medina *Instruct. lib. 1. cap.* 14. id licere etiam ex lucro.

50 Alii negant, licere ob lucrum, sed solùm absque lucro. Ità Azor *Tom. 2. lib. 2. cap. 27. quæsito 6.* Syluester V. *Dominica, quæst.* 5. Armill. V. *Festum*, Angelus, Roseila, Tabiena *verbo feriæ*, Sayrus *lib. 7. cap. 2. num.* 16. & alij apud Pasqualig. *decis.* 142.

Pingendi autem mœchanicam esse censent, & omnino vetitam Suarez *cap.* 26. Caietanus *art.* 4. Fagundez *cap. 11. num.* 10. qui *num.* 13. eam omnino prohibitam clamat, etiam gratis. Itaque hanc licentiam reprehendunt: nam pictura ars est mœchanica in se, neque mutat naturam ex fine extrinseco liberali, vt dixi suprà, & notat Fagundez *loco citato*, ac Bassæus *num.* 7.

Neqve iuuat, si aliqui nobiles eam aliquando exerceant; hoc enim per accidens est.

Qværes quartò: An bellari sit vetitum die festo.

51 Respondetvr, esse opus mœchanicum, Ità Suarez *cap.* 28. Fagundez *num.* 22. cum D. Bonauent. *serm. 4. citato*, & *Opusc. Reductio artium ad Theol.* Ars enim militaris est mœchanica, vt constat ex Dialectica. Videtur tamen consuetudine inductum, vt ars digladiandi diebus festis licitè discatur.

Licere tamen potest actus bellandi ob necessitatem, vt patet ex *cap. Quod non licet, de reg. iuris, in 6.* vbi inter ea, quæ non licent in die festo, ponitur militare, nisi ob necessitatem. Vide DD. in Bassæo *num.* 13.

Bellvm sanè defensiuum licet, de quo intelligitur *leg. omnes Iudices, Cod. de feriis*, & *leg. Diuus, ff. de feriis.* Aggressiuum verò non licet ordinariè, nisi per Epikeiam in bello iusto adsit occasio victoriæ.

Qværes quintò: An transcribere sit vetitum in festo.

Respondetvr, transcribere non esse opus 51
seruile, etiamsi fiat ob lucrum. Ità Suarez *cap.* 25. Medina *Instruct. lib. 1. cap. 14. § 8.* Ludouicus Lopez *p. p. cap.* 52. Sà V. *Festum*, Sayrus *lib. 7. cap. 2. num.* 14. Fagundez *lib. 1. cap. 11. num.* 7. Diana *p. p. Tract. 15. resol.* 35. adducens alios cum Bassæo 2. *num.* 8.

Probatvr, quia hæc actio per se est libera- 53
lis, & mentalis; Ergo ex fine lucri extrinseco non fit mœchanica. Alij tamen seruile opus id censent, non autem liberale. Sicut & typographo characteres ordinare. Vide Bassæum *loco cit.* contra Dianam *par. 4. tract. 4. resol.* 62.

Dvbitatio Vnica.

Quæ opera iure Canonico sint vetita in festo.

Opera multa non seruilia, imo & opera plu- 54
rima animæ, alioqui licita, vetantur hoc iure.

Prioris generis duo sunt huiusmodi opera, Mercatus, & Fori, *cap. 1. & vltimo de feriis*, vt notant Suarez *cap.* 29. Fagundez *cap.* 12. sic & in Concilio Matisconensi II. *cap.* 1. actiones iudiciales prohibentur; & in Concilio Turon. *cap.* 40. Mercatus, & Placitum interdicuntur.

Consonat hæc prohibitio Iuri ciuili antiquo, nam *leg. vlt. ff. de feriis*, dicitur, ferias dare vacationes à negotiis forensibus. Sic prohibentur, & iure nouiori *Cod. de feriis, leg. 1. 2. 3. & vlt.*

Ratio est, quia ob iurgia, & contentiones distrahuntur homines à Dei seruitio, & quia strepitus illi trahunt ad peccatum, vt notauit Suarez *cap.* 29. cum Panormitano *cap. vlt. de feriis.*

Primvm ergo opus vetitum, est mercatus, & 55
nomine hoc, iure intelliguntur contractus emptionum, locationum, &c. qui validi quidem, sed illiciti sunt in festo; actus verò iudiciales, & illiciti sunt, & inualidi, si in Festo fiunt facti.

Hos tamen contractus consuetudo iam reddit licitos; non sic actus iudiciales. Ita Suarez *cap.* 30. Fagundez *cap. 12. num.* 3. & alij apud hos.

Primo igitur prohibentur Nundinæ publicæ, quæ semel, vel bis in anno celebrantur: eas tamen consuetudine licitas docent Nauar. *man. lat. cap.* 13. Toletus *summa, lib. 4. cap.* 24. Suarez *Tom. 1. de relig. lib. 2. de diebus fest. cap.* 29. Caietanus *quæst.* 122. *art.* 4. Fagundez *lib. 1. cap. 12. num.* 4. & alij cum Bassæo *num.* 15. Potest enim consuetudo, ea, quæ sunt iuris humani, abrogare, vt communiter docent Doctores.

Non potest tamen consuetudo, manente festo, tollere obligationem Missæ, vt notat Fagundez *num.* 6. Suarez *cap.* 29. Nauarrus, Toletus suprà, & alij.

Svnt etiam alij mercatus sæpè celebrati, & sunt iure illiciti; possunt tamen consuetudine rationabili tolli. Monet autem Bassæus, nè ad hæc extendatur consuetudo, priuata authoritate repens.

Ad

56 Ad tertium genus mercatus spectant contractus quotidiani, apertis officinis, quæ interdicuntur iure Canonico, quod est in viridi obseruantia. Ità Nauar. *loco cit.* Fagundez 8. Syluester V. *Dominica*. Alij tamen rusticorum contractus in die festo non damnant, quibus subscribit Diana *p. p. Tract.* 15. *resol.* 34. Bass. *loco cit.* si diebus aliis difficilè fieri possint.

Nvnqvam tamen fuit, aut est vetitum emere necessaria ad victum illius diei. Ità Caietanus *art.* 4. Suarez *loc. cit.* Fagundez *num.* 8. cum S. Bonauent. *serm.* 4. *in Decal.* Bassæus *num.* 15. Imò nec vendere calceos esse peccatum aiunt. Ità Suarez, & Fagundez. In omnibus tamen allatis monet S. Doctor *in speculo animæ*, *cap.* 2. obseruandum: An vniuersali consuetudine vnumquodque illorum ab Ecclesia permittatur.

57 Alterum genus operum, quæ prohibentur in festo, est opus placitum, seu iudicium forense. Significantur enim in iure canonico nomine operis placiti omnes actiones constituentes forense iudicium, vt notat Suarez *cap.* 19. Fagundez *num.* 9. Propriè enim placitum significat electionem voluntatis. Vnde etiam obiectum, voluntati applicitum, dicitur placitum, Genes. 24. *A Domino egressus est sermo: Non possumus extra placitum eius quidquam aliud loqui.* Significat etiam mentis decretum. Sic Philosophorum, & Medicorum sententiæ Placita vocantur. Et hoc modo ea, quæ à Deo, vel Principe decreta sunt, Placita vocantur, Prou. 10. *Labia iusta considerant placita.* Et Ioan. 8. *Quæ placita sunt ei facio*, vt obseruat S. Doctor *ibi*. Terminus etiam constitutus ad definiendum, Placitum dicitur 2. Reg. 20. *Moratus est extra placitum, quod ei constituerat Rex.* Quia igitur in forensi iudicio iuxta voluntatem, & arbitrium iudicis legibus regulatum, vel terminus dictum ad comparendum constituitur, vel decreta, & sententiæ proferuntur, ideò tota cognitio forensis causæ placitum dicitur *cap.* 1. *de feriis*, 15. *quæst.* 4. & *cap. vltimo*.

58 In iudicio multæ personæ interueniunt, quæ festa seruare tenentur, quoad actiones forenses.

Partes iudicij sunt, inchoatio causæ, quæ à citatione incipit, formatio processus, & terminus Iudicij, seu prolatio sententiæ. Et hæc omnia irritantur ipso facto in diebus festis *cap. vltimo de feriis*. Ita docent communiter DD. Suarez *cap.* 30. Fagundez *cap.* 12. *num.* 12. & alij apud istos.

Valent tamen actus iudiciales facti de consensu partium in feriis ruralibus introductis propter collectionem fructuum, vt notant Suarez, Fagundez *loc. cit.* & Maranata *part.* 4. *ord. ind. dist.* 16. *num.* 83. non verò in feriis dierum festorum in honorem Dei.

Si tamen fiant actus iudiciales pro pace publica, pro pietate, pro necessitate vrgente, valent etiam in feriis Dei. Vide Fagundez *num.* 12. Bassæum *num.* 16. vbi admittit in intribus licere, vbi alias non conuenirent.

59 Valent etiam actus voluntariæ iurisdictionis, vt emancipare, adoptare, liberare seruos, tutores constituere, testamenta conficere, & instrumenta libertatis. Ita Syluest. *V. Dominica*. Maranata 6. *part. ord. ind.* & alij apud Fagundez *num.* 14. Bassæum *num.* 14.

Primò igitur inualida est citatio, facta die feriato ad honorem Dei, imò etiam secundùm aliquos, si pro die festo citentur: alij tamen dicunt teneri comparere die sequenti. Vide Fagundez *cap.* 13.

60 Secundò, nec possunt lites promoueri, examinari testes, &c. Et quidem certum est, non posse in die festo iuridicum exigi iuramentum. An verò possint testes examinari die festo, dummodò die non festo iurauerint; videtur pars negatiua certior. Vide Fagundez *cap.* 13. Suarez *cap.* 30. Bassæum *num.* 20. Limitant aliqui in causa spirituali, vt matrimonij. Ità Caietanus, adducens D. Thomam 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 10.

Limitant etiam alij, hanc prohibitionem non procedere in oblatione libelli contra partem iam citatam. Ità Maranata *part.* 6. *titulo isto*. Sed oppositum tenent Baldus, & multi Canonistæ apud Fagundez *num.* 20. qui tamen in priorem sententiam inclinat.

Tertiò, sententia lata die festo, illicita, & inualida est *cap. vltimo de feriis*, vbi habetur: *Nec processus habitus teneat, nec sententia*; & confirmatur l. vlt. C. de feriis. 61

Similiter prohibetur executio die festo, vt docent Felin. *in cap. vltimo de Iud.* Suarez *cap.* 30. Ratio est, nam *cap.* 1. *de feriis*, & *l. vlt. C. de feriis, citatis*, vetantur omnia spectantia ad forum contentiosum. Attidet Fagundez *cap.* 13. *num.* 23.

Potest tamen insinuari appellatio. Ità indubitanter tenendum, ait Fagundez *num.* 24. plurimos allegans. Imò eam absolute licitam ait Bassæus *num.* 18. è communiori sententia.

Grave dubium est: An sententia arbitri sit valida die festo. 62

Differunt Arbiter, & Arbitrator, nam hic est amicabilis compositor, compromissor, & mediator pacis, vt ait Suarez *cap.* 30. & hic potest die festo decernere. Arbiter autem est, qui de partium consensu eligitur in iudicem, vt seruato iuris ordine, & facto processu ferat sententiam, & in quem sub pœnæ stipulatione compromittuntur partes, vt notat Fagundez *num.* 26. cum Maranata 4. *parte, tit. Iudicium arbitrarium*, & Suarez *loc. cit.* & hic tenetur seruare iudicij ordinem, & ideò, licèt possit die festo fieri compromissum, quia est contractus, tamen non potest die festo ferre sententiam.

Est etiam alius Iudex, qui dicitur *Arbiter iuris*, 63 qui eligitur ex necessitate iuris, v.g. quando iudex allegatur suspectus, & hic tenetur prouidere, seruato iuris ordine, & non potest in die festo sententiam ferre.

Inqvisitores fidei possunt contra hæreticos sententiam ferre die festo, iustè, & validè. Ità Fagundez *num.* 28. alios citans.

Ego cum D. Bonauent. *in speculo animæ*, *cap.* 2. 64 concludo, In omnibus supradictis attendendam consuetudinem vniuersalem, & Ecclesiæ permissionem; nam à mente Legislatoris pendet. Quod si adhuc Ecclesia prohibeat grauiter, iam abstinendum concludit à vacationibus, mercatis, &c. Adde à supputationibus annuis sine necessitate. Vide Bassæum *num.* 23. Pasqualig. *decis.* 150. sed approbant. Syluester, Tabiena, Medina, & alij.

QVÆSTIO VI.

Quod tempus laboris seruilis inducat grauem Festi transgressionem.

Partem notabilem diei, ad mortale, dicunt 65 esse vnam horam. Ità Azorius *part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 28. *quæsito* 5. Bonacina *Tract. de legibus, d.* 5. *quæst.* *vnica*, *puncto* 3. Reginaldus *Tom.* 2. *lib.* 16. *cap.* 3. *num.* 53. Fagundez verò, vt auaritia crepet, addit quadrantem *lib.* 1. *de primo præcepto Ecclesiæ*, *cap.* 14. citans Azorium;

rium, quasi vnam horam non sufficere existimet materiam grauem, sed falsò adducitur.

SVAREZ quidem ait *Tom. 1. de Relig. lib. 2. de diebus festis, cap. 31.* nimis arctum esse tempus vnius horæ: sicuti nimis laxa, è contra, est sententia aliquorum Iuristarum, qui temporis quantitatem non in se, sed in comparatione ad diem integrum sumendam dicunt, & ideò tertiam partem diei non esse materiam grauem. Eos explodit Fagundez *num. 2.*

66 EODEM fundamento Diana *part. 1. Tract. 15. primo Miscell. resol. 36.* ait, duas horas esse partem leuem. Ità etiam Philiarch. *Tomo 2. tract. 27. cap. 11. num. 205.* Deinde *p. 2. loco citando*, addit etiam Granadum *controu. 6. tract. 5. d. 2. sect. 6. num. 54.* Sed Marchant. *cap. 3. q. 2.* etiam tres horas ait, esse leuem materiam.

ALIQVI etiam continuari dicunt materiam laboris singulis festis, & ita, si quis omnibus festis media hora laboraret seruilibus, peccaret mortaliter; Ità Toletus *lib. 4. cap. 25.* Fagundez *lib. 1. cap. 14. num. 3.* Sed iure alij irrideot cum Bassæo *3. num. 4. §. Nota.*

67 FATEOR, me non percipere hanc materiæ continuationem in festis disiunctis, Imò & in contiguis. Continuum est enim, quorum extrema sunt vnum: At vbinam hîc vnitas temporis?

HINC arguo ad hominem. Fagundez ponit, horam, & quadrantem esse materiam grauem *num. 2.* deinde *num. 3.* Si duobus festis, vel tribus laborent tres horas, singulis singulas, excusat. Si continuantur, iam sunt materia grauis. Quare arbitror cum Diana *part. 2. tract. 5. resol. 8.* sententiam illam esse nimis rigidam, & sine fundamento.

CONCLVDIT, singulis festis duas horas laborare non esse tempus lethale, quia debet tempus mensurari comparatum ad totam diem vigintiquatuor horarum: At geminæ horæ sunt pars exigua.

68 HINC infert Diana, eum, qui plures ad laborem vnius, vel duarum horarum inuitat, non peccare mortaliter, quia singulorum labor est modicus. Ità & Bonacina *de legibus, d. 5. quæst. vnica, punct. 3.* Bassæus *loc. cit. §. sed petes.*

EXCVSANT puellam laborantem acu die festo ad otium vitandum, Sà *V. festum*, Ioan. de la Cruz *part. 1. precep. 3. art. 1. d. 1.* Villaloh. *Manuali confessar. cap. 22. num. 99. & in summa, tomo 2. tract. 32. d. 4. num. 10.* Alij citant pro hac sententia S. Antoninum, Angelum, & Syluestrum. Sed non est probabilis, vt ipse Diana tenet.

69 QVÆRITVR hic: An qui templorum parietes tapetibus, & aulæis ornant, possint hæc exercere diebus festis.

NEGATIVA respondet Conradus *in resp. part. 2. quæst. 533.* & alij.

ASSERVNT tamen Diana hîc cum Bonacina *d. 5. quæst. vnica, punct. 3. de legibus* citante Caietanum, Suarez, & Toletum, quibus addit Fagundez *precepto 1. lib. 1. cap. 14. num. 1.*

QVÆSTIO VII.

De causis excusantibus à FESTI *violatione.*

70 INITIO excusant à peccato aliqua opera ob Dei cultum. Hæc autem sunt in triplici differentia. Primum est immediatum, vt pulsare organa, campanas, portare Cruces, & hæc pari passu illæsa cum Diuino cultu incedunt. Ità Suarez *Tom. 1. lib. 2, cap. 21.* & alij.

SVNT verò aliqua, quæ possent die præcedente præparari, vt coquere hostias, ornare altaria, & hæc non adhuc lethali damnant Toletus *lib. 4. cap. 25.* Suarez *num. 11.* Azorius *Tom. 2. lib. 1. cap. 28. quæsito 5.* Caietanus *quæst. 122. art. 4. & in summa, V. festorum violatio.*

SIMILITER alia opera ex his sunt non tam vicina cultui Dei, vt templa scopis verrere, parietes tapetibus, & aulæis adornare, vias publicas præparare ad processiones; neque hæc mortali damnant Suarez, Azorius, Toletus, Caietanus suprà, & Fagundez *lib. 1. cap. 14. num. 4.*

71 IN secundo genere sunt alia opera seruilia, magis à cultu Dei remota, vt tabulas portare, tabulatum conficere, scalas ad Theatrum Sanctissimi, vel sanctæ Reliquiæ erigendum, quæ si non possunt diebus præcedentibus fieri, excusantur à mortali; secus si potuerint, vt ait Fagundez cum cæteris allegatis, quibuscum ait licere etiam Theatrum erigere ad publicos ludos, & ob recreationem publicam.

72 IN tertio genere operum ad Dei cultum sunt colere agros Ecclesiæ, ædificare domos eius, &c. quæ adhuc remota sunt, & hæc mortalia sunt, nisi sint alicuius Ecclesiæ pauperis, cui aliter vix nequeat subueniri. Ità allegati apud Fagundez *num. 4.* vbi alios superaddit.

SECVNDVM caput excusans opera seruilia in festis, est necessitas, vt monet D. Bonauent. *serm. 4. de Decalogo.* Hæc autem potest esse vel propria, vel proximi alicuius, vel publici, & quocumque modo sit, legem non habet, vt monet S. Doctor *in speculo animæ, cap. 2.*

73 NECESSITAS propria est pauperum, qui aliter nequeunt se, suamque sustentare familiam. Ità Toletus *lib. 4. cap. 25.* Azor. *loc. cit. quæsito 4.* Suarez *cap. 32.* Rosella, Syluester, Tabiena *V. feria*, Fagundez *num. 7.* alios referens, & habetur cap. vlt. de ferijs ibi: *Nisi Necessitas vrgeat, vel pietas.* Monent verò Suarez, & Fagundez, vt hæc necessitas iudicio prudentis confessarij exponatur. Talis est etiam coactionis necessitas, dum metu graui incutiuntur, vel periculo. Sic Machabæi *lib. 1. cap. 5.* pugnarunt die Sabbathi. Ità licet seruis laborare coactis à Dominis, dummodò non cogantur in fidei contemptum; tunc enim mors potius est subeunda. Ità allegati apud Fagundez *num. 9.* Baff. *3. num. 2.*

SIC excusantur milites die festo aggeres extruendo, tormenta portando bellica, &c. Ità Suarez *cap. 32.* Fagundez *num. 10.* Toletus *cap. 25.* Baff. *3. num. 2.* & apud hos alij.

74 EXCVSANTVR agricolæ, qui frumenta ob pluuias, vel tempestates ingruentes colligunt, metunt, asportant, excutiunt, vindemiant, & seminant, cùm timetur tempus importunum. Ità, allegati apud Fagundez *num. 15.* Sic etiam molentes, maximè si id faciant sine magno labore; Ita Bassæus *1. num. 4.* & alij.

75 EXCVSANTVR etiam piscatores quorundam piscium, quorum capiscatio certis anni temporibus solùm aduenit, vt sunt thunni, haleces, & sardæ. Ità Fagundez *num. 13.* alios adducens. Quamuis enim *cap. licet de ferijs.* loquatur solùm de halecibus, seu aringhis; tamen idem de cæteris similibus valet. Excipiuntur tamen aliquæ insignes solemnitates Domini. Hi verò piscatores debent ideò aliquam eleemosynam Ecclesiæ impendere, non tamen ibi præcipitur.

EXCVSANTVR ea hoc capite à Caietano, Suarez suprà, Fagundez, *numero 13.* & Soto apud hos, coquentes lateres, tegulas, calcem, ollas, vitrum, ferrum, & alia similia, quorum decoctio

coctio intermitti non potest absque magno detrimento.

E secundo capite necessitatum proximi excusantur, qui laborant, vt à periculis ruinæ, incendij, inundationis domus, & similibus præseruentur imminentibus. Sic & qui vestes pauperi consuunt, &c. Toletus
76 *cap* 25. Suarez *cap*.32. Nauarr. *Man. Lat. cap*.13. D. Antonin. *part*.2.*tit*.9.*cap*.7.§.5. Fagundez *num*.16. Probant ea *cap. Conquestus de feriis*, vbi dicitur: *Nisi necessitas vrgeat, vel pietas*. Excusant etiam pietatis opera ad subleuandos ingruentes Pauperes, & Peregrinos, similiter ægrotos, vt pharmaca componendo, &c. Sic & molendo grana. Notat tamen Bass. 5. *num*.11.*cap. Conquestus*, loqui de placitis, non de seruilibus.

Excusantur etiam Laniores in macellis excoriantes boues, &c. Ità DD. apud Fagundez *num* 22.

E tertio capite boni publici excusantur laborantes in reficiendis pontibus, viis, fontibus publicis, &c. quando non potest sine magno incommodo differri.
77 Neque enim Ecclesia vult obligare ad quietem cum damno publico, vt habetur *cap. Licet*. Imò Suarez *loc. cit*. & Fagundez *num*. 23. excusant laborantes in seruilibus ad publicam lætitiam, vel iocunditatem, puta ob Regis aduentum, coronationem, natale Principis, &c.

Videtur subscribere in his, & similibus S. Doctor *serm. citato*, vbi ea, quæ ad publicam, nedum etiam ad priuatam iucunditatem fiunt, excusat.

78 Excusantur etiam laborantes in erectione Ecclesiæ, Monasterij inopis, modò Missa sit audita, ità Tabiena *V. feriæ*, Fagundez *num*.25.

Admoneo, causas excusantes valere etiam sine licentia Superiorum, dummodò indubitatæ sint, adeo vt, si Episcopus excommunicationem laborantibus indiceret, ea non valeret. Ità Tabiena *V. Feria*, *num*.44. Nauarr. *Manu. Lat. cap*.13. Syluest. *V. Dominica, quæst*.7. Rosella *V. feriæ, num*.27. Azor. *Tom*.2. *lib*. 2. *cap*. 28. *quæst*. 6. Suarez *lib*. 4. *Decal. Tom*. 2. *cap*.45. *num*.10. Fagundez *num* 26.

79 Possunt etiam ex causa dispensare Episcopi, vel ordinarij locorum, inter quos veniunt Prouinciales, & superiores locales Religionum, vt explicat Glossa *in cap. Quemquam, de vsuris in 6. V. loci ordinario*; & docent Azorius *quæstio* 5. Fagundez *num*. 28. Bass. 3 *num*. 7. addens posse sine causa in festis, à se institutis. In dubio verò remittit ad sapientis consilium.

QVÆSTIO VIII.

An audito tantùm SACRO *tota die Festi otiari sit vetitum.*

80 ASSERVNT Alens. 3.*part.quæst*.32.*m*.5.*art*.2. *ad* 4. Sotus *in* 3. *d*.27. §. *Quantum ad* 2. Angel. *V. feria, num*. 36. & *V. Interrogationis, num*. 6. & *V. Præceptum, num*. 5. Rosella *V. Confessio*, 2. *num*. 7. D. Antonin. 2.*part. tit*.9. *cap*.7. §.3. & 2.*part. in* 13. *cap*. 1. §. 1. Lyra *Exodi* 20. & videtur D. Thomæ 2. 2. *quæst*.122. *art*. 4. *ad* 3. & D. Bonauent. *in* 2. 3. *d*.37. *dub*.3. *litt*. & *serm*.4. *in Decal*. sic refertur à Fagundez *in primum præcept. Eccl. cap*. 4. *num*. 29. sed iam *quæst*.3. sensum D. Bonauent. explicui.

81 NEGATIVAM sententiam secuti sunt quotquot *quæst*.3. negant, esse speciale peccatum, nedum otiari, sed lethalia patrare.

PROBABILIOREM iudico hanc sententiam, quæ videtur magis mihi ad mentem S. Doctoris nostri. Eos refert iterum Fagundez *cap*.14. *num*.30.

PROBATVR, quia festorum præceptum solùm iniungit vacationem à seruilibus, & auditionem Missæ: Ergo ad nihil aliud obligat, etiamsi intentio legislatoris dirigat ad finem vacandi Deo. Probatur consequentia, quia in legem non impingitur, etiamsi finis legislatoris non attingatur, dummodò substantia legis seruetur, vt docet D. Thom. *prima secunda*, 82
quæst.100. *art*.9. *ad* 2.

ARGVMENTA hinc inde examinata sunt *quæstione* 3.

DE Præcepto audiendi sacrum, differam 3. *parte Tractatu de Missa, disp*.12.



DISPVTATIO IX.

De Superstitione.



AGAM iam de peccatis, & vitiis Religioni oppositis, quæ quidem in extremis vtrinque versantur, siue per excessum, siue per defectum; in excessu primum locum occupat Superstitio: Cum enim, iuxta dictum Tertulliani, Dæmon se exhibeat Simiam Diuini cultus, id maximè molitur, vt homines Sacratissimis nominibus, ritibus, & mysteriis, sub pietatis specie in ipsius cultum abutantur; vndè veræ Religionis sensus in pessimas sæpè abominationes degenerabit, omnesque creaturas in nequitiæ ministerium assumere conatur: Hinc ortum habent plures superstitionum species, quas infrà, ordine percurram.

QVÆSTIO I.

Quid SVPERSTITIO, *& quotuplex.*

{ D. Bonau. in 4. d. 13. dub. 4. D. Thom. quæst. 95.

SVPERSTITIO definitur à D. Bonauent. *in* 4. *d*.13. *dub*. 4. & D. Thom. 2. 2. *quæst*. 92. *art*. 1. 1
Falsa religio, seu vitiosus cultus, & superflua institutio cultus veri, vel falsi numinis, sic & Lessius *lib*.2. *de Iustitia, cap*. 43. *d*.1. Sanchez *Tom*.1. *Decal. lib*. 2. *cap*. 37. Fagundez *in primum præceptum Decal. lib*.1. *cap*.34. Tanner *d*.5. *de Religione, quæst*.7. *d*.1.

HVIVS tres sunt species: Idolatria, Superstitio diuinatoria, & Superstitio vanarum obseruationum.

DE Idolatria satis egi *de fide, disput*. 2. *quæst*. 1. *& seqq*.

QVOAD diuinationem, *est superstitiosa prænunciatio futurorum*, seu est inuestigatio, vel manifestatio occultorum per media, Religioni aduersa. Ita definiunt D. Bonauent. *p. p. Centil. sect*.29. & *in* 2. *d*.7. *part*.2. *quæst*. 3. *in resolutione*, D. Thom. hîc *art*. 1. Sanchez 2

chez *Tom.*1. *Decal.lib.*2.*cap.*38. Lessius *Tom.*1.*lib.*2. *cap.*53. *dub.*5.*num.*23. qui aliis verbis sic eam definit cum D. Bonauent. in 2. loc. cit. *est pranunciatio, qua quis ope, vel disciplina Dæmonis de aliquo occulto, quod humano modo cognoscere non potest, pranunciat.*

3 Est autem peccatum graue, quod grauiter reprehenditur *Isa.* 8. *&* 47. & *Leuit.* 28. pœnâ mortis damnantur, qui hos magos consulunt, vt monet S.Doctor *in* 2. *d.*7. *part.*2. *art.*2. *quæst.*3.

Dvpliciter autem fit, inuocatione expressa, vel tacita Dæmonis.

Peccat sanè grauiter, qui habet expressum cum Dæmone pactum, vt docet D. Bonauent. supra *in Centil.* quia obsequium Dei, hosti, contra veritum, exhibet, postulans ab eo, quod Dei proprium est, scilicet futura nunciare contingentia. Similiter qui implicitum habet pactum, ob eandem rationem. Hos insectatur D. Augustinus *lib.*2 *de Doctrina Christiana*, *cap.* 22. *&* 23. & D. Thom. hic *art.* 2. *&* 5. Sanchez *Tom.*1. *Decal. lib.*2. *cap.*38. *num.*3. Fagundez *in primum præceptum Decal. lib.*1. *cap.*35. vbi animaduertit cum D. Bonauent. *in* 2. *loc. cit.* ex D. Augustino *de diuinat. dæmonum*, *cap.* 3. *&* 6. & *lib.* 2. *de* 4 *Genes. ad litt. cap.* 17. & si Dæmones nequeant certò præscire, quæ à causis contingentibus libero arbitrio maximè futura pendent, tamen posse conjicere. Primò enim causas naturales optimè norunt: Deinde cum eis ipsi se intermiscent excitandu tempestates, &c. Callent etiam hominum temperies, inclinationes, & affectus. Vident etiam longè causas motas, v.g. ex India solutas naues. Præterea nonnulla possunt ab Angelis Dei accipere, Deo volente, &c. Ità etiam Less. *Tom.*1. *lib.*2. *cap.*43. *d.*5. *num.* 23. Hæc Dæmones inuocati prædicunt, & pandunt.

Invocatvr autem Dæmon expressè, vel 5 actionibus, quibus scitur Dæmon interuenire, vel verbis. Tacitè autem inuocatur, quando quis effectum, soli Deo reseruatum, mediis ex se inualidis, & indebitis procurat. Ità communiter DD.

Animadvertvnt autem Less. *Tom.*1.*lib.*2. *cap.*43. *d.* 5. *num.*28. Tolet. *lib.* 4. *summa*, *cap.* 16. Sanchez *Tom.*1. *Decal. lib.*2. *cap.*38. *num.*26. Suarez *Tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de superst. cap.* 8. *à num.* 22. 6 Fagundez *cap.* 35. *citato* cum D. Bonauent. *in Centil. loc. cit.* omnem inuocationem Dæmonis esse maledictum, quia ibi vel exhibetur diabolo cultus Deo debitus, vel requiritur, id quod est Dei, & sæpè coniunctum est cum hæresi, & apostasia à fide, vt iterum monet S. Doctor *in* 4. *d.* 13. *dub.*4. Ideò monentur confessarij à S. Doctore *sermone* 2. *in Decal.* & *in confessionali*, *cap.* 2. *particula* 9. & *cap.* 3. *particula* 37. *&* 38. & allegatis Doctoribus, vt attendant, quod pactum, & qua formula inierit; an adoratio ex corde interuenerit, vel tantùm extrinseca: An adhibuerit res sacras, vel Sacramentum, item damnum, quod inferunt personis, bestiis, campis, &c.

7 Similiter in pacto implicito, quo prætenditur ea cognitio, quæ soli Deo est propria, atque adeo semper est mortale. Ità Valentia *d.* 6. *quæst.*12. *puncto* 4. Delrius *lib.*4. *disq. mag. cap.* 2. *quæst.* 4. Sanchez *tom.*1.*decal. lib.*2. *cap.*38. *num.*18. Potest tamen ignorantia excusare. Ità Caietanus *quæst.*5. *art.*2. Valentia, & Delrius *loc. cit.* Sanchez *num.* 10; & alij apud hos.

Signa autem pacti impliciti cum Dæmone erunt, si aliqua conditio vana sacris verbis apponatur, vt Euangelium scriptum sit in lamina. Secundò quando verbis immiscentur falsa, vel adhibentur characteres incogniti, quando effectus sunt vani, vel transcendentes, vt notat Tannerus *dubio* 2. & alij.

Si tamen hæc ioci causa fiant, *v.g.* astrolabi, &c. 8 non ad scienda futura, non erit superstitio; si verò fiant seriò ad occulta indaganda, puta furtum; grauis pœnitentia imponitur ab Alexandro III. *extra. de sortil.* & priuatur Sacerdos ex iure Altaris ministerio, & Episcopus procedet contra eum 26. *quæst.* 5. *cap. Non oportet, si quis Episcopus*, vt tradit S.Doctor *in confessionali*, *cap.*3. *particula* 38. Addit Bassæus *V. Magia*, non dari paruitatem materiæ in hoc genere peccati.

Svnt verò aliquæ orationes, quæ circumferuntur, vt reddentes tutos à morte illata ab ense, ferro, 9 &c. possunt autem ferri, si nil superstitiosum contineant; neque secura promissio teneatur. Ità Sanchez *Tom.*1. *lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 20. & alij apud Fagundez *num.*16.

Notat etiam *num.*17. cum Criuelo, vanas esse orationes illas, in quarum titulis decernitur numerus dierum, quibus sunt recitandæ ad obtinendam gratiam; non enim potest terminus Deo præfigi.

Oritvr sanè superstitio ex inordinato desiderio aliquod bonum consequendi, aut malum euitandi; & hoc magis fœminis est connaturale. Ita S.Doctor *ll. cc.* & cum eo Fagund. *num.*4.

Iam verò Diuinatio, in qua est expressa Dæmonis 10 inuocatio, habet quinque species, iuxta D.Bonauent. *in Centil. loc. cit.* Mantiam, Sortilegium, Augurium, Maleficium, & Præstigium.

Qvoad praxim tamen tres solas species distinctè explicandas in confessione ponunt Valentia *d.*6. *quæst.*12. *puncto* 2. in calce, Tannerus *d.*5.*quæst.*7. *dub.* 1. Azorius *lib.* 9. *cap.* 12. *quæsito* 3. Prima est, quæ habet pactum expressum cum Dæmone. Secunda est, qua quæritur cognitio ex dispositione, quam habent corpora, quæ corporali nomine potest dici Augurium. Tertia est, qua quæritur cognitio ex quibusdam consultò factis, & in vtraque est inuocatio Dæmonis implicita.

Mantia dicta est à Mante, insigni apud Athe- 11 nienses Diuinatore, & hæc habet alias species: Prima est Necromantia, diuinans per apparentes imagines mortuorum à *Necron*, quod est mortuus, & *Mantia*, quæ significat diuinationem. Secunda, Geomantia per signa apparentia in corporibus terrestribus à *Gea*, quod est terra, vt in circulo. Tertia est Hydromantia per signa apparentia, in aqua ad *Hydros* aqua. Quarta est Aeromantia, per signa in aëre. Quinta, Pyromantia à *Pyros*, ignis, per signa in igne.

Aliæ etiam species minus principales diuinationis numerantur à S. Doctore *loc. cit. Centil.* & aliis 12 locis. Prima est Diuinatio, quæ prædicit è fatis, & constellationibus; diciturque *Mathesis*, & Astronomantia. Secunda per Auræ inspectionem, dies, & horas custodiens in agendis, & dicitur *Aruspicium*. Tertia, quæ exta, vel intestina pecudum inspicit, & dicitur *Estipex*. Quarta, quæ in aris Idolorum responsa à Dæmonibus accipit, dicitur autem Ariolus, diuinator in aris. Quinta, quæ somnia obseruat, 13 & dicitur *Oniyrocritica*; dicitur autem obseruator somniorum *Coniecturator*. Sexta ex vocibus, vel factis hominum fortuitis, & dicitur *Omen*, septima est Phytonia, per spiritum malignum loquens, & hic dicitur *Phyto*, vel *Phytius* à Phytio, idest, Apolline dictus, aut ventriloquus. Octaua est Genethliaca obseruans puncta natiuitatum, & hæc superstitio dicitur *Constellatio*. Sic & Horoscopia, quæ Horas natiuitatis obseruat, cum præcedenti conuenit. Nona est *Saliatio*, vnde Saliator, qui, quæcunque pars membrorum salierit, diuinat, quidvè prosperum, vel funestum. Decima Physionomia, quæ ex signis humani

mani corporis augutatur. Vndecima *Spatulamantia* quæ ex signis in spatulis alicuius animalis conjicit. Duodecima *Metoscopia*, quæ ex fronte. Tertiadecima, est ea lignis manuum, & dicitur *Chiromantia*.

14 SPECIAS maleficij, quæ dicitur Magia, est subalterna, quæ subdiuiditur 10 alias; nam diuinatur vel è præcordiis, & adipe infantium, vel sanguine abortuum, vel occisione alicius viri, aut mulieris, mediis laminis, &c.

SORTILAGIVM per sortes iactas, vel in aqua, vel in chartis, vel in libris fit multipliciter.

AVGVRIVM ex garritu auium, vocibusque variis animalium, varium est; ad quod reducitur etiam Auspicium ex volatu auium, & motu aliorum animalium sumptum.

15 SIMILITER Præstigium per varias ipsius diaboli apparitiones, seu veras, seu phantasticas fit, & multis modis accidit, vt videre est apud Valentiam *quæst.*12. *puncto* 2. Primò enim solet Dæmon obiicere vera corpora, aliunde translata, vel à se facta celeriter per applicationem actiuorum passiuis. Quo pacto dicuntur veri serpentes, quos magi Pharaonis *Exodi* 7. confecerunt, vt sentit D. Augustinus *lib.*3. *de Trinitate*, *cap.* 7. & 8. & *lib.* 83. *qq. quæstione* 79. D. Thom. *quæst.*7. *de potentia, art.* 5. *ad* 8. & D. Bonauent. *in* 2. *d.*7. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. Secundò solet Dæmon obiicere corpora apparentia. Hoc pacto dicit Augustinus 18. *de ciuit. cap.* 18. intelligi quod de sociis Vlyssis in bestias mutatis enarratur, Et quod de Arcadibus perhibetur, dum stagnum traiicerent eos versos fuisse in Lupos. Sic idem D. Augustinus *lib.*2. *ad simpl. quæst.*3. ait, melius intelligi, quod dicitur 1. *Reg.* 28. de Samuele, qui dicitur apparuisse Sauli.

16 TERTIÒ illudit Dæmon alterando sensus, confundendo species, perturbando organum, vt veluti phrænetici videantur videre mirabilia.

QVARTÒ illudendo, sensibus internis perturbatis, phantasia confusa, vt videantur aliqui visiones habere. Vide Valentiam cum D. Bonauent. *locis adductis*, *Tract. de Angelis*, *disp.* 11. vbi de potentia Angelorum.

QVÆSTIO II.

De Diuinatione per Astra,

D. Bonauent in 2. d. 14. quæst. vltima.
D. Thom p. p. quæst. 115. art. 4 & 2. 2. quæst. 95. art. 5.

17 SVPPONO hìc, Astrologiam, quæ ex Astrorum motu, & influxibus variis, argumentatur effectus eiusdem generis puris naturalibus esse veram scientiam, & licitam; Naturale enim est è causis effectus deducere. Ideò sanctissimus Sixtus V. in Bulla, qua Iudiciarios damnat, coniicientes è motibus astrorum effectus liberos, ait: *Exceptis dumtaxat futuris euentibus ex naturalibus causis necessariis, vel frequenter prouenientibus, quæ ad diuinationem non pertinent.*

18 EA verò Astronomantia, quæ ex naturalibus causis prædicit effectus liberos, non est scientia, sed fabella superstitiosa, vt notant Doctores. Cùm enim astra nequeant producere effectus superioris ordinis, nempe liberi arbitrij, vt ostendi *Tract. de cælo disp.*2. *quæst.*17. neque potest aliquis illos inde diuinare. Hæc enim in Dei arcanis latent. Hinc admonet S. Doctor, *ad* 8. *Eccl.* vt dum tempus habemus, operemur bonum, quia homo futura nullo potest scire nuncio, vt dicitur ibi, & subaduertit etiam Fagundez *lib.*1. in primum præceptum Decalogi, *cap.*38.

ASSERO igitur, naturalem Astrologiam licitam esse solam vero iudiciariam illicitam. Ita D. Bonau. & D. Thom. hìc, Less. *Tom.*1. *lib.*2. *cap.*43. *d.*6. circulo de superstit. 2. *part. cap.* 3. & 4. Suarez *Tom.* 1. *de Relig. lib.*2. *de superstit. cap.*11. Sanchez *Tomo primo Decal. lib.* 2. *cap.* 38. *à num.* 17. Fagundez *lib.* 1. *cap.*38. 19

PRIOR pars probatur à Sanctis Doctoribus, quia qualis causa, talis effectus; sed astra condita sunt, vt causæ sublunarium naturalium, vt dicitur *Genes.*1. *Deuter.*4. Ergo ex his possunt coniici.

MODERATE tamen & hæc debent prædici, quia cùm pendeant à multis causis, quæ possunt impediri, sæpè fallunt. Quæ verò casualia sunt, magis fallunt, vt quod transeuntem fulgur percutiat, &c.

ASSERO secundò, diuinare ex astris euentus voluntarios superstitiosum esse.

PROBATVR à S. Doctore primò. Id, quod alterj subiicitur, non prædominatur; sed astra, & aliæ causæ naturales factæ sunt in ministerium hominis, vt dicitur *Deuter.*4. Ergo non prædominantur liberis eorum voluntatibus. 20

PROBATVR secundò. Quisquis vtitur lumine intellectus ad opera libera, non pendet à determinatione extrinseca naturalium, sed seipsum determinat; talis est homo, maximè Sapiens. Ideò dicit Ptolemæus:

Sapiens dominabitur astris:

PROBATVR tertiò, quia, quod est rectè ordinatum, tendit semper in bonum: Ergo vel omnes bonum semper agent, vel non mouebunt arbitrium.

PROBATVR quartò. Si varietas morum causaretur à motibus, & influxibus astrorum, sequeretur, nos omnia moralia operari necessariò, & omninò tolli libertatem: consequens est Manichæum: Ergo, Probatur sequela; omnis causa producit secundùm quod est actu, & non super ordinem suum; sed astra sunt causæ naturales, determinatæ ad effectus: Ergo necessariò operabantur omnes effectus arbitrij: Ergo auferetur libertas, auferentur consilia, tollerentur merita, non erit opus dignum laude, aut vituperatione, quæ sunt absona. 21

PROBATVR quintò *in corpore* à S. Doctore, quia opera bona multa sunt nobis præcepta, multa consilio suasa, multa prohibita: His intimantur pœnæ æternæ: illis promittuntur præmia gloriæ, vt constat è Scripturis Sanctis: Sed hæc omnia tolluntur, si astra in nobis causant hæc opera determinata: sic enim cùm sint necessaria, nec legem habent, nec consilium; nec præmium, nec pœnam mereri valent. Sic tolletur etiam gratia adiuuans nostras operationes, tolletur & gloria. Sic iustitia Dei perit, dum opera nostra bona, & mala in astra refunduntur; & inuehitur honor, & veneratio syderibus, & sic ad Idolatriam rapiuntur homines. 22

PROBATVR sextò experimento. Nam Esau, & Iacob nati sunt eodem partu sub eodem Horoscopo, &c. & tamen adeò moribus erant in vita, & morte diuersi. Nascitur etiam eadem sub constellatione Rustici, & Regis filius; nascitur homo, & asinus.

CONFIRMATVR contra quasdam obseruationes Astronomantium, puta, vt qui sub Aquario nascuntur, piscatores sint, & qui sub signo Libræ, sint Trapesitæ; & tamen in Getulia sub signo Aquarij, non sunt piscatores, & in Regnis sub Libra, nulli Trapesitæ inueniuntur. 23

PROBATVR septimò. Id, quod inferius est, non prædominatur superiori; sed corpus est inferius

ferius spiritu : Ergo spiritus non subiicitur astris.

Probatvr octauò ex inconuenienti, quod inducunt, Astra propterea esse veneranda. Vel enim Astra necessariò inducunt homini suos effectus ineuitabiliter, aut non. Si non, cur sunt veneranda, aut metuenda? Si necessariò; quodnam eis debitum, aut quæ supplicationes?

24 Probatvr nonò. Constellationes obseruandæ sunt ex ortu, vel non. Si ex ortu, vt Genethliaci: Ergo & sequentibus temporibus. Cur ergo Horoscopum in natiuitate obseruant? cur domum regiam? cur domus Anaphoras, Cataphoras? Si in prima Constellatione non sunt obseruandæ. Ergo neque in sequentibus. Imò in conceptione magis viderentur obseruandæ, vbi est fœtus efformatio: Natiuitas enim sæpe acceleratur, retardatur, &c. Conceptionis verò punctum in animatione quis nouit?

Hæc argumenta deducit S. Doctor. ex D. Augustino *locis adductis*, D. Gregorio *homil. 10. in Euang.* Damasceno *lib. 2. de fide, cap. 7.* Itaque concludit, hinc hæreses inferri.

25 Tandem vrget S. Doctor ex fide *Isaia 47.* dicitur: *Stent, & saluent te augures cæli, qui contemplantur sidera, vt ex eis annunciarent ventura tibi.* Est enim quædam imprecatio. Vbi loco *Augurum*, habent LXX. *Astrologi.* Et D. Hieronymus, *qui vocantur Mathematici, & Astrorum cursu, lapsuque res humanas regi arbitrantur.*

Hierem. 10. *Iuxta vias gentium nolite discere: Et à signis Cæli nolite metuere, quæ timent Gentes: Quia leges populorum vana sunt.*

Prohibentvr hæc etiam in Concilio Tolet. primo *in assert. fidei*, &c. *Non liceat*, 26. *quæst. 5.* & tandem Sixti V. motu proprio 21. qui incipit *Moderator cæli, & terræ.* Vide Suarez *Tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstit. cap. 12.* Delrium *lib. 4. disquis. mag. cap. 3. quæst. 1.* Fagundez *cap. 38.*

26 Addvnt Suares *num. 31.* Sanchez *Tom. 1. Decal. lib. 1. cap. 38. num. 33.* Less. *lib. 2. de Iust. cap. 43. dub. 6. num. 42.* Fagundez *num. 8.* etiamsi Astrologus credat interius, iudicium illud ex Astris non esse certum, sed tantùm probabile, superstitiosum esse. Ratio D. Bonauent. qua vtuntur, est, quia ex Astris non potest talis causa haberi, quæ faciat iudicium probabile, sed tantùm quæ remotissima, & dubia, incertaque iudicia præbeat.

27 Assero tertiò, non esse vetitum è Constellationibus coniicere temperamentum, & aliqualiter inclinationem. Ratio D. Bonauent. est, quia causæ naturales communicant temperiem inclinantem. Vnde cholerici sunt iracundi; sanguinei sunt benigni, melancholici liuidi, flegmatici pigri; hoc tamen non necessariò; anima enim dominatur affectibus, maximè adiuta gratiâ. Multos enim vidimus cholericos mansuetos, &c. Itaque, tametsi à causis naturalibus organizatio, & mixtio corporis sit talis, vt inclinet, non tamen adeò, vt vel etiam probabiliter diuinare possis; Ideò ait S. Augustinus *lib. 5. de Ciuit. cap. 2.* apud D. Bonauent. casum quemdam referens duorum fratrum, qui simul infirmabantur, & simul curabantur, laudat magis responsum Medici, qui dicebat hoc euenire ex complexionum Simmetria; quàm Astronomi, qui aiebat hoc euenire ex eadem Constellatione.

Neqve sic coniicere prohibetur à Sixto V. motu allegato, vt notat Fagund. *num. 10.* Hæc tamen coniectura, quia à longinquo venit, non potest aliquid probabiliter asserere, vt ait Fagund. cum D. Bonauent. *in corpore.*

28 Obiicies primò ex Boëtio *lib. 4.* de consol. in prosa 6. *Fatum est rebus mobilibus inhærens dispositio, per quam Diuina Prouidentia suis quæque nectit ordinibus*: Fatum autem ex D. Augustino *5. de Ciuit. cap. 1.* est vis positionis syderum, qua existente, quando quis concipitur, vel nascitur, cognoscitur qualis futurus sit. Si ergo fatum verè est, & consistit in influxibus stellarum, & in hoc consistit totum regimen vitæ: Ergo diuersitas morum ex his dependet.

Respondet S. Doctor, Boëtium accipere fa- 29
tum, vt verè est dispositio diuinæ prouidentiæ, sinentis omnia genera causarum agere secundùm proprios ordines; at D. Augustinus accipit fatum ad æstimationem Philosophorum, & ostendit, nil esse. Vnde addit: *Si quis fatum vocat ordinem causarum, quem Deus instituit, cùm hoc sit; veram sententiam teneat, & linguam corrigat.* Itaque non licet inferre ex fato vero, quod consistit in suaui, firma tamen, Dei prouidentia, illud consistere in vi stellarum, & ab his regimen vitæ pendere.

Obiicies secundò è constellationibus variis 30
varij sunt effectus producti in hominibus liberi. Sic refert Aristoteles *lib. de propriet. elem.* & 5. Polit. cap. 7. *Regna vacua facta sunt, & terra depopulata ad coniunctionem duarum magnarum stellarum, Iouis scilicet, & Saturni.* Huc spectat id, quod dicunt Astronomi, transitum Saturni ab vno signo ad aliud, semper extrauagans aliquid causare, maximè in coniunctione, quam Magnam vocant, cum Ioue, quæ cum facta esset vigesima-prima Octobris 1663. prædixere Piscator Claræuallensis, & alij, futurum Cometem anno sequenti, qui apparuit eodem mense Decembri, quo tempore Saturnus ab igneo signo Sagittarij ad terreum Capricorni transibat, de quo sanè Comete multa scripsere multi, maximè verò in regnis, quibus esset verticalis, eum varios produxisse influxus, nempe sub Virgine, Leone, Gemini, Cancro, & Ariete. Ad hoc autem 31
comprobandum multa adducunt exempla euentuum regionibus illis, quibus aut Cometæ, aut stellæ aliquæ violentæ factæ sunt verticales.

In Europa adnotant plurimos casus. Sic stella secundæ magnitudinis in armo Aurigæ dextro, Symbola Mercurio, & Marti facta verticali, horrendum illud contagium Mediolano, ac finitimis vrbibus notant aduenisse, maximè autem Brixiæ vbi è 45. Millibus, soli quater, & decies mille superstites fuerunt, præter innumeros in territorio vastissimo prostratos, & Bergomi eadem fere clades fuit. Sic stellam in capite medusæ, Symbolam Saturno, & Ioui tertiæ magnitudinis, factam Polyssipone verticalem, anno 1640. magnam illam dicunt excitasse reuolutionem, qua Regis Philippi IV. sceptrum deserentes, Ioannem Bragantiæ Ducem in Regem acclamarunt. Borealis 32
stella in vrsa maiori, Marti assimilis tertiæ magnitudinis in Venetiarum regia Zenit, anno 1643. innumera nostræ serenissimæ (faxit Deus æuiternæ,) mala à Turcarum Tyranno dicitur aduexisse; sic deformis stella in Helice, Marti non absimilis, secundæ magnitudinis, regiæ Parthenopes, quæ est Neapolis in Zenit, seditiones atras, Duce Thoma Agniello (qui & dicitur Massaniellus) fertur excitasse: Lucida autem stella in capite Draconis, Saturninâ Ioui, ac Marti simmetrâ, dum Regiæ Londini Angliæ verticee incubuit, anno 1648. veluti à Diris Alecto excitatam rebellem suo Regi clementissimo, Carolo Stuarto, gentem illam dicitur malignè in horribile patricidium inflammasse, vt inaudito à seculis exemplo, à sedentibus è tribunali sordidæ plebis iudicibus, agente Fairfaix, Rex ipse iniquissimè capitis damnatus, in ampla vrbis platea, è sublimi prostenio, caput

ad

ad carnificis pedes detruncatum deponeret. Et Mo-
narchia illa in turbidam Democratiæ, & Aristocra-
tiæ tyrranidem, filiis regni hæredibus ad internecio-
nem conquisitis, volueretur. Item stella in dextero
33 Persei latere Saturni, & Iouis amica mundo illi re-
gio Parisiorum in Zenit, altè constituta, anno 1650.
truculentas illas tempestates in adolescentem Re-
gem Ludouicum Magnum XIV. inuictissimi Ludo-
uici XIII. Iusti Primogenitum, nunc fæliciter
regnantem, sanguineis vorticibus despumantes ad vs-
que sydera cruentanda creditur immisisse.

INNVMERA alia ferunt, quæ syderibus, vel
Cometis factis verticalibus, aut Horizontem gradien-
tibus, acciderunt.

HIS, aliisque responder S. Doctor, Philoso-
34 phum tribuere constellationibus, &c. tantùm dispo-
sitiones quasdam è temperie ortas, quæ sanè ab anima
repelli possunt, attamen quia plurimi eas insequuntur,
ideò sæpè astronimi vera prædicunt, maximè circa
homines animalium more viuentes, de hominibus ra-
tione verò vtentibus pauca admodum valent dicere
vera.

OBIICIES tertiò è scriptura. Magi nascente stel-
35 la Dominum adorandum cognouerunt. *Matth.* 2. &
Christus Ioan. 8. *Nondum venit hora mea*: Ergo si
Christus ab Horoscopis, & astris pendebat; multo
magis cæteri.

RESPONDET S. Doctor, stellam illam creatam
fuisse in signum nati Messiæ, quem agnouere, tan-
quam è natiuitatis signo, diuina eis irradiante reuela-
tione, neque Christum pependisse ab astris, sed ex-
pectasse tempus prædestinatum ad figuras implendas,
& orbem redimendum.

OBIICIES quartò: Apparent sæpe in morte Re-
36 gum Stellæ Cometæ, multáque Astronomi ex eis
diuinant vera, eaque insignia bellorum, reuolutio-
num, &c. vt dixi *Tract. de cælis, disp. 2. quæst. 9.* vbi plu-
rimos Cometes variis sæculis cum grauissimis casibus,
etiam excidiis Principum, descripsi; & nouissimè, an-
no 1664. mense Decembri apparuit Cometes insignis,
qui solis radiis à tergo ex Oriente erat percussus,
iique refracti, (non secus ac in Sphæra chrystallina
refracti ad partem vltimam oppositam eiaculantur)
barbatum occidentem versus ostendebant, eaque ra-
diosa coma perseuerauit, quamdiu Cometes inter pe-
nultimam flexionem Hydræ, sub Vase vsque ad Ar-
gonauis arborem, indeque super proram ad Canem,
non longè ab Orionis cingulo Solem præcedens, vi-
brante sole ferebatur ab Oriente; voluebantur au-
tem radij ad Tropicum Æstiuum, quippe Sole, iuxta
Tropicum oppositum hyemalem, perambulante ad
37 Antarcticum. Cùm autem ad cingulum Orionis ac-
cresceret, vbi aliquot dies stationarius visus est, ante-
quam æquinoctialem pertransiret, excomatus, & con-
fus visus est. Cùm enim Soli è diametro opponere-
tur, radios sursum eiaculabatur; cùm autem e cingu-
lo Orionis recedens, sub Tauri oculo aufugiens, &
super altum Cete caput ad Piscium colligationem at-
tolleret, permeauit inter æquinoctialem, & Eclypti-
cam, vbi etiam stationem posuit; ab occidente radios
solis ebibens ad Orientem effundebat, & paulatim de-
periit ad Zodiacum perueniens, vbi diu Cometæ
permanere nequeunt, nimis quippè Soli accedentes.
38 ITAQVE etiam post Paschalia festa à me visus
est. Semper autem obseruaui, cum inspicillo maio-
rem via apparere, quàm sine illo, cum tamen Luna
eodem perspicillo maior longè videretur. Ex quo de-
duxi, iuxta regulas Perspectiuæ, Cometem supra Lu-
nam extitisse longè ab ea altiorem, vt pyramidem
acutiorem emittens, valdè tenuior proportione, quàm

Luna videretur. Est autem his temporibus florentis-
sima Thiconis-Brahe opinio, Cometes non in aëre,
sed in Sphæris Cælorum peregrinari. Neque verò
hic è terrestribus exhalationibus conflatus esse po-
tuit, cum ad 22. gradus longitudinis extenderetur in
orbe, qui sunt 1980. milliaria, quæ translata in re-
gionem aëris supremam globum constituent cor-
respondentem, toto terræ globo valdè ampliorem.
Hic conflatus videtur ex magna coniunctione Io- 39
uis, atque Saturni præcedente; proprius verò à
coniunctione vniuersali ferè omnium Planetarum,
qui hoc tempore, quo primò Cometes apparuit,
sub Capricorni signo commeabat, ipseque Sa-
turnus post maximam cum Ioue copulationem,
Marti primò, deinde Veneri, Soli, ac denique
Mercurio copulatus est; ex P. Cabeo *in meteoris*.
Itaque inter Lunæ, atque Mercurij ambitum vol-
uebatur, atque amborum Planetarum, suique pa-
rentis Saturni cognatam accepisset organizationem,
malignos ex eo partus auspicati sunt; colore quo-
que Saturno similis, plumbeo vario aliquo, & sub-
albo intermixto, Geminis aliis indicatis Planetis,
simillimus partus visus est. Quare malignas infir-
mitates, mortes repentinas, caibia, & angustias omi-
nabantur. Cumque contra signorum ordinem cur-
reret, iuxta doctrinam Cardani, argumentati sunt,
Legum, ac Regnorum mutationem, Tyrannidem,
& iuxta Origani dicta, eorum Principum mortem,
quorum status subiecti sunt signis, quos Cometes
perambulat: Et in casu nostro sub Virgine, Leo- 40
ne, Cancro, Geminis, Tauro, Ariete, maximè
vero sub Leone, Geminis, & Ariete, vbi statio-
nem posuit; Cauda autem equina oblonga se-
ditiones diuturnas indicat ex *textu 54. in secundum
Librum quadripartitum Ptolemæi.* non autem om-
nibus, sed quibus aut verticalis erat, aut quorum rase-
sit horizontem, alioqui cum is Cometes maiorem
signorum Zodiaci perlustrauerit aream, vel ratione
signorum, vel ratione Trigoni respondentis, vniuer-
sus ferè orbis concuteretur.

HINC pedetentim deduxere, Cometem hunc
qui, 16. Decembris, trans Tropicum Capri gra-
dibus septem, & 18. super nostrum Horizontem,
tandem 58. gradus super Horizontem nostrum ele-
uatus est, factum iam verticalem multis regnis,
vt sub Tropico Capricorni Tibiquirl insulæ S. Lau- 41
rentij, multisque aliis Æthyopici maris, & inter
Tropicum Capri, & Æquinoctialem Regnis Perua-
nis, Brasiliæ, Cephalæ, Madagascar, Mozambi-
que, Quiloæ, Maniccigni, Caphatæ, Quaræ, Da-
mus, Cemæ, Melindæ, Vanguæ, Iauæ maiori,
& minori, Guineæque nouæ. Super Æquinoctialem
per gradus 12. Regni Tangar, Madagazo Mechæ
Diafar, &c. Bexin, Mesgeræ, Giuper Mapan cum
tota Guinea, Zocotore, Calecut, Cochino, Ono-
ri, Marsingæ, Goæ, Zelandæ, Malacæ, Samonæ,
Siam, Balean, Borneo, Moluchi, Mindanao;
fuit etiam Horizontalis Regnis Sueciæ, Noruegiæ,
Finmarchiæ, Lapræ, Scriphiniæ, Bodiæ, Finlandiæ,
Nouægardiæ, Volgdiæ, Bermiæ, Coreilæ, Braimiæ,
Sarmatiæ, Condoræ, Islandiæ, Grotlandiæ, vsque
ad Zenit poli arctici, cui Æquinoctialis est Horizon.
Ità habet editus Liber Mediolani, anno 1664.

HÆC narrationum Catasta vanitatem detegit Astro- 42
logorum quoad liberas operationes. Itaque respon-
det S. Doctor, cometes à Deo produci, atque mo-
ueri ab Angelis ad homines à vitiis deterrendos, non
autem eos, vt inficiant tantùm, quibus fuerint verti-
cales, aut horizontales. Hoc autem docet hîc, & nunc
experimentum; hoc enim anno è regione nulla è re-

eltatis noui aliquid venit ; at è contra in regionibus Europæ mortui sunt Principes Austriæ, ægrurauit ad mortem Imperaiot, imo & Summus Pontifex Alexander VII. mortuus est, sicut & Dux Mantuæ Carolus II. Quieuit in pace etiam Regina virago, Regis
43 Galliæ Ludouiei XIV. Mater dignissima: Rex Hispaniarum occubuit. Item eodem tempore occidit P. Marc. Antonius Galitios, nostræ Religionis Minister Generalis, Romæ Oraculom, & Summo Pontifici iugiter à consiliis. Itaque immissus Cometea mundo hæc damna minabatur Christiano, non autem Regnis Madagascar, & Fintlandiæ, neque operationes vllas libero arbitrio intentaturus erat.

44 Obiicies vltimò: Regimen Dei optimum dirigit inferiota per superiora, & per cælestia, terrena, vt ait S. Dionysius *de cæl. Hier.* quod autem regitur debet perfectè regenti subdi.

Respondetur, Deum regere inferiora corpora per superiora; non autem spiritus per corpora; quamuis enim spiritus terram incolant, longè sunt corporibus altiores. Igitur inseruiunt his corpora Cælestia in ministerium, non in dominium.

QVÆSTIO III.

De Diuinatione per Elementa; & cætera Mixta.

45 Mille nocendi modos excogitauit Dæmon, vt homines creatnris, ad vsum sibi conditis, abutantur. Neque modò astra, veluti Militiam Cæli armauit, vt contra Deum pugnantes, honorem creatrici Maiestati debitum, insensatis luminibus prostituerent, sed elementa constipauit ad nostrum exterminium. Sic autem magos instruxit, vt luminaribus Cæli sacros haberent honores. Primus autem Sazoba Zoroastes Rex Solem colere cœpit, vt refert Porphirius de Nympharum antro. Eum imitati sunt subditi Persæ, & inter Assyros Nemrod, Solis nomine adoratus, vt refert Salianus, anno mundi 1931. Ægyptij etiam, Phœnices, & Græci militiam cæli inuocare cœperunt, vt referunt multi apud Serlogum *anteloq. 5. sectione 5.*

Eodem ferè tempore apud Persas, atque Assyrios ignis est inuocatus. Hinc referunt Abrahamum in ignem coniectum, quem noluisset colere, vt narrat D. Hyeronymus *de traditionibus Hebræis*, vbi hanc fabellam ridet. Cæteris creaturis cultum exhibitum lege in Serlogo.

46 Igitur homines docuit Dæmon Geomantiam, vt certa signa, puncta, & figuras in terra, puluere, lapidibus, papyris, vel aliis terrestribus corporibus, imprimentes, inde futura diuinandi vim assequerentur. Sic etiam Hydromantiam docuit, vt aquæ aliquem infunderent motum in pelui, perpenderentque ad ominandom: In aëre flatus ventorom, & flabellationum sonitua varios, seu acutos, seu reboantea ad musicos tonos Steromanticos creanit insanos. Pyromantiam posuit in ignis obseruationibus; an scilicet fumosus esset, vel claros, &c. vt inde futura prædicerent, quasi verò non viridantia ligna à natura obscurum, turbidum, & sanguineum ignem; arida verò clarum, pyramidis in formam, in campum liberum non exhalent.

47 Docuit in hominibus molta naturalia considerare, ad diuinandum in manibus signa, lineas, vitalem, &c. Montes Veneris, Iouis, &c. Chimæricè conficttos, vt inde argumententur, an fœlicem sint sortituri vitam, vxorem fidelem, amicos infidos, pericula, ferri, ignis, & similia deliramenta. Sanè in linear entia Patres gignunt filios assimiles, & in euentibus omnino dissimiles. Hæc proinde lineamenta dissoluuntur pinguedine, macie, laboribus, &c.

Graue etiam est, quod his temporibus permittitur manus Cingaris porrigere, vt fortunam nobis ominentur, vt docent Nauar. *summa, cap. 11. num. 31.* Alcozer *summa, cap. 14. fol. 46.* Ludouicus Lopez *p. p. Instruct. cap. 41.* Sanchez *Tom. 1. Decal. lib. 2. cap. 38. num. 47.* Fagundez *lib. 1. cap. 39. num. 4. in primum præceptum Decal.* si tamen risus, & ioci gratiâ id fiat, non erit lethale, nisi ex dignitate personæ scandalum erumpat.

Physionomia tamen illa, quæ est pars naturalis Philosophiæ, quæ ex corporis dispositione, membrorum habitudine, proportioneque, probabiliter coniicit animi affectus, & bonam, vel malam indolem, acutum ingenium, corporis temperiem, firmam, vel infirmam valetudinem, est licita, quia ex his possunt probabiliter cognosci; secus, si certò hæc prædicatur; non enim possunt certò aliquid exhibere, vt latè probat Delrius *lib. 4. disq. cap. 3. quæst. 4.* Azorius *Tom. 1. lib. 9. cap. 16.* Less. *lib. 2. cap. 43. d. 7. num. 45.* Sanchez *tom. 1. Decal. lib. 2. cap. 38. num. 44.* post D. Bonauent. *in compend. Theol. veritatis, lib. 2. cap. 58.* vbi pro probabili ex his fermè coniectura, allegat Aristotelem, Auicennam, Constantium, Philemonem, Loecum, Palemorium, & egregiè disserit: Eiusque liber cum aliis iussu Sixti V. editus est, qui Motum proprium contra inanem diuinationem edidit, & hic liber Clementi VIII. dedicatus est. Ipsum videre præclarè disserentem, inde voluptatem non modicam accepturi. Videte etiam disputationem vltimam tomi 3. vbi latè de phisionomia ad mentem S. Doctoris disserui. 48

Physionomia tamen, quæ ex aspectis humani corporis partibus, prosperos, & aduersos hominis euentus prædicit, superstitiosa, & damnata est à Sixto V. vt referunt allati Doctores, eamque S. Bonau. *loc. cit.* & alibi passim, detestatur. 49

Ex motibus humani corporis nulla, aut valde infirma coniectura capi potest ad futura diuinanda; pendent enim sæpè à libera voluntate. Vnde superstitio est. Ità Sanchez *num. 44.* Valentia *d. 6. quæst. 12. puncto 3.* Fagundez *num. 6.*

Similiter è casibus fortuitis diuinare, est superstitiosum, puta ex bino occursu eiusdem personæ in eodem itinere; è fractione corrigiæ, effusione salis, &c. Ità Sanchez *num. 42.* Azorius *Tom. 1. lib. 5. cap. 22. quæsito vnico*, Fagundez *num. 7.* 50

Sic ex hominum vocibus diuinare contingentia, vanum est, ac superstitiosum, vt notat Valentia *puncto 3.* Azorius *Tom. 1. lib. 9. cap. 12.* nisi tamen inde Deus reueler aliqua, sicuti Gedeon *Iudic. 7.* enarrato sibi somnio, prædixit victoriam.

E motibus, volatu, & cantu auium, superstitiosè diuinantur liberi euentus; hæc enim naturalia determi-
nata sunt ad vnum: Habent sanè phantasiam, ab Astris 51
directam ad proprios actus, pastum, somnum, & prædam, vnde spiritus eorum animales excitantur aëris mutatione, eorum cerebrum afficitur, vt aufugiant, clament, &c. vt docent D. Bonauent. suprà, D. Thom. *quæst. 95. art. 7.* Caietanus ibi, Azorius *tom. 1. lib. 9. cap. 15.* in fine Less. *lib. 2. cap. 43. d. 7. num. 45.*

Hæc sanè indicant intemperies aliquas in aëre, & aliis Elementis, quatenus dispositiones in sanguine, & cholera excitare solent; vnde rixas, bella, & seditiones coniicias, sed remotissimè, & incertè, vt
ait S. Doctor, & cum eo Fagundez *num. 9.* Sanchez 52
num. 30. Valentia *puncto 3. col. 2.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

De Diuinatione è Somniis.

QVOAD somnia notandum è D. Bonauent. *3. part. Centil. sect. 23.* & *opusculo, Declaratio terminorum Theologiæ*, & *in 2. d. 7. part. 2. quæst. 3. ad argumenta*, & *d. 23. art. 2. quæst. 2. ad argumenta*, multis è causis ea euenire. Primò è singulari Dei Pro-
52 uidentia, qualia fuere somnia Ioseph. Secundò ex constellatione cæli, & impressione aëris. Tertiò ex affectione, & dispositione corporis humani. Quartò è sollicitudinibus præuiis. Quintò astu dæmonum.

53 A Deo quidem veniuot somnia ad voluntatem Diuinam pandendam; Tale fuit somnium Ioseph de Virgine non deserenda, de fuga in Ægyptum, de reditu; Magis etiam de via declinanda, *Matth. 1. & 2.* & hæc bona sunt, cùm à Deo sint.

De his habes *Numer. 12. Iob 33. Genes. 40. & 41. Danielis 2. 4. & 7. Iudicum 7. 3. Regum 3. Esther 10. & 11. 2. Machab. 15.* & alibi monitiones, & exempla. Si tamen non sit probabilitas, somnia illa esse à Deo, non licebit eis fidem præstare, non enim aliundè potest haberi futurorum contingentium notitia. Ideò prohibentur *Deuter. 13.* vbi eos morte puniendos decernit. *Ecclesiastici 34.* vbi dicitur: *Somnia extollunt imprudentes: Nisi ab Altissimo fuerit visitatio, ne dederis in illis cor tuum: Multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.* Ità probatur à S. Doctore *in 2. d. 7. loc. cit.* Potest tamen esse culpa venialis, si ex leuitate credantur, vel non firmiter.

54 MORTALE est etiam aliqua inania ægrotorum lectulis supponere, v. g. cornua, litteras, vt somnum captent: Hæc enim ex implicito saltem pacto cum diabolo effectus habent.

INTERNOSCVNTVR autem; an somnia à Deo sint, vel à diabolo illis signis, quibus & reuelationes, vt notat Delrius *lib. 4. disq. mag. cap. 3. quæst. 6.* Peretius *lib. 1. in Danielem, quæst. 3.* & *lib. 2. de magia quæst. 3.* Suarez *Tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstit. cap. 13.* Fagundez *lib. 1. in primum præceptum, cap. 39.*

DVO autem præcipua sunt signa. Primum est ab effectu, ad quem mouent: Si enim ad bonum opus excitant, bona sunt. Secundò ex affectibus, quos causant, nempe si alacritatem, deuotionem veram, signum est bona esse. In his tamen cautè, & humiliter incedendum, cum sui etiam prudentis confessarij iudicio.

55 SI somnia sint ex impressione aliqua, & influxu causarum secundarum, puta æstu, aut aëre humidissimo, turbido, nil protendere valent, solent enim humores vehementer commouère, vndè plerumquè somnia oriuntur indicantia humores prædominantes in nobis. Sic enim biliosi incendia videntur intueri, sanguinei vulnera, melancholici atra, puta fumantes globos, aut caliginem densam, funera, & mortuos. Pituitosi verò albicantia, puta niues: si se per aërem volantem putat, signum est temperatæ simetriæ, si videntur esse in niue, signum est frigidi humoris, si thesauros inuenire putet, signum est desiderij haben-
56 di. Tandem S. Doctor concludit, hæc esse signa infirmitatis ex humore aliquo prædominante. Hæc autem obseruare ad medicos spectat, vt docent Ciruelo *de superstit. 2. p. cap. 6.* Peret. suprà *de magia, quæst. 7.* Azor. *tom. 1. lib. 9. cap. 17.* Less. *lib. 2. cap. 43. d. 8.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstit. cap. 13.* Fagundez *num. 20.* Tanner. *d. 5. quæst. 7. d. 1.*

AD hæc somnia ex abundantia humoris dominantis spectat illud somnium, quo aliquis spectrum in se irruere, & se opprimere de nocte videt, ac sentit, quem *Incubum* vocant Medici, & *Ephialtes* dicitur 57
vt ait S. Doctor *loc. cit. Centil.* prouenit enim à crasso, terroquè humore, in cerebrum irruente, & vias spirituum animalium intercipiente, vt docet S. Doctor cum Galeno *lib. 3. de locis male affectis, cap. 4.* & hoc est signum crassi, & melancholici sanguinis, & est periculum Epylepsiæ, si quis crebro illud patiatur, & hoc dicitur etiam *phantasma*, à Cicerone Visum: Agit de his latè Macrobius *lib. 1. in somnium Scipionis.*

SOLENT & somnia è curis, & sollicitudinibus 58
ingruere, quæ sola causas præteritas indicant, & nihil futurum diuinandum proponunt.

QVÆSTIO V.

De Sortilegiis.

SORTILAGIVM est diuinatio per sortes, qua 59
vsi sunt antiquitus, & quidem aliqui Sancti, vt Apostoli, *Actorum 1.* cùm dederunt sortem ad electionem successoris Iudæ in Apostolatu, antequam plenitudinem Spiritus Sancti reciperent, vt obseruat S. Doctore *p. p. Centiloquij, sect. 29.* & quia sortes aliquæ sunt iustæ; aliquæ condemnatæ, quippe superstitiosæ, ideò diuersitas harum est explicanda, vt sortilegia superstitiosa refellamus, quæ recenset S. Doctor *in speculo animæ, cap. 1.*

TRIA sunt genera Sortium: Diuisoria, Consulto- 60
ria, & Diuinatoria. Diuisoriæ sortes sunt, quando per iactum sortium expectatur quod cuique partiendum, puta ex duobus fratribus, cui contingat hoc prædium, &c. Consultoriæ sunt, quando iactu sortium inquiritur in rebus dubiis diuinum consilium, quid agendum. Diuinatoriæ sunt, quando è sortibus inquiruntur futura; & quidem possunt hæc expectari vel à Deo, vel à Dæmone, vel à casu.

DIVISORIÆ in aliquibus licitæ sunt, & conceduntur *l. si duob. C. si communia de legatis*, quando duo-
bus hæredibus, vel legatariis datur æqua potestas eli- 61
gendi, & inter se contendunt; datur facultas totam rem decidendi sortibus.

LICENT sanè in rebus sæcularibus, quæ aliter commodè diuidi nequeunt, puta in diuisione hæreditatis inter duos fratres, vel alios cohæredes, ad dirimendas lites. Ita docet Abbas *in c. Ecclesia extra de sortilegis.* Fagund. *lib. 1. c. 40* Less. *tom. 1. de Iustitia, lib. 2. c. 43. d. 9.* Suarez *Tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstit. c. 12.* Tanner. *d. 5. quæst. 7. dub. 1.* Licent etiam in honoribus, vel periculis, vt si inter duas nationes lis sit, vtra oppidum priùs aggrediatur. Sic D. August. *Ep. 180.* & Lessius. Alio
etiam periculo adhibentur, cùm multi sunt Clerici 62
tempore pestis, & controuertitur, qui remanere debeant pro Sacramentis ministrandis. Ità Fagund. Sanchez *tom. 1. Decal. lib. 2. cap. 38. n. 59.* Suarez *n. 17.* cum D. Thom. *2. 2. quæst. 59 art. 8.* Caueas tamen iniustitias, damna, & prophanationes: Vide Bass. *V. Diuinatio.*

PERMITTVNTVR Sortes diuisoriæ etiam in pœnis, vt si multi morte ob idem crimen damnati, & Princeps ad clementiam ostendendam concedere vult aliquam veniam, sed ad disciplinam seruandam aliquos punire; taxillorum sorte eliguntur saluandi, & damnandi. Ità cum allegatis Delrius *lib. 4. disq. cap. 4. quæst. 1.* Denique quando in tempestate aliqui sunt projiciendi in mare, vt notant Less. *loc. cit.* Fagundez *num. 4.* Delrius *num. 60.* Sanchez *num. 62.*

QVÆSTIO est tamen: An liceant sortes ad di- 63
rimendas lites Ecclesiasticas. Primò quidem quoad electionem ad beneficia Ecclesiastica prohibentur

cap. Ecclesia, extra, de sortilegiis. De cæteris; Prima opinio asserit licere; alia negat. Tertia concedit licere, modo fiat authoritate publica Ecclesiastica. Ità Suarez, *cap.*12. *num.*12. Sanchez *num.*79. Fagundez *num.*7. Ratio est, quia nullibi prohibetur in iure: Quod tamen non priuatim probatur, quia est periculum inuadendi beneficium iniusto titulo. Confirmatur ex generali regula in materia de beneficiis, vbi decernitur, non licere pactum priuatum super beneficium, de quo litigatur, & tale pactum esse Simoniam. Posse verò authoritate iudicis id fieri tenent Glossa *in cap. licet causam, de probat.* Hostiensis ibi *num.*20. Abbas *num.*37.

64 QVOAD electionem verò ad beneficia; consonant omnes, non licere, vt ostenditur *cap. Ecclesia*, & extenditur ad vniuersalem electionem Ecclesiasticam, in qua iurisdictio, vel ius eligendi, vel renunciandi, aut Ecclesiastica dignitas, beneficium, vel administratio datur. Ità Suarez *num.*5. Fagundez *n.*10. Et talis electio erit etiam irrita, quia est contra formam electionum datam *cap. Quia propter, de elect.* vt notat Panormit. *in cap. Ecclesia*, vide Bassæum *num.*3.

DICES: electus est Matthias ad Episcopatum vi sortium, *Actorum primo.*

65 RESPONDET Fagundez, sortes ibi vocari suffragia. Sic in textu Græco habetur dederunt eis suffragia. Postquam verò, sic electus est ad tollendum populi scandalum, quia videbatur magis eligendus Ioseph, quia nobilis, & iustitia, & sanctitate celebris, postularunt à Deo confirmationem, quæ facta est luce diuinitus elabente, quam vocant sortem. Ità etiam Lorinus ad eum locum, allegans Chrysostumum. Et D.Dionysius *de Ecclesiast. Hierar. part.*3. *cap.*5. dicit, hanc sortem fuisse Donum ostendens illi cœtui nobilissimo electum esse Matthiam. Hoc idem docet S.Doctor *in sermonibus* de hoc Sancto.

66 AD officia tamen ciuilia electio per sortem non est mala, potest tamen esse contra iustitiam distributiuam, si minus dignus ponatur in sorte cum digniori. Ita Suarez *cap.*12. *num.*15. Less. *cap.* 43. *d.*9. *num.*58. Sanchez *cap.*38. *num.*58. D.Thom. *quæst.* 95. *art.* 8. Azor. *tom.*1. *lib.*9. *cap.*21. *quæsito vn.* Toler. *lib.*4. *sum. cap.*15. Syluest. *superstitio, quæsito* 9. Sayrus *lib.*4. *cap.*5. *num.*20. Delrius *lib.*40. *cap.*4. *quæst.*1. & omnes communiter apud Fagundez *num.*15. Vide & Sigism. *dub.*26. cum Bassæo vt suprà.

IVS autem Canonicum non disponit, nisi in propria materia Ecclesiastica.

67 CONSVLTORIÆ sortes regulariter sunt illicitæ; possunt tamen esse licitæ his conditionibus. Prima est necessitas: Secunda, si fiant Deo inspirante: Tertia est debita reuerentia: Quarta, vt non fiant circa materiam indebitam, de qua mox egi. Ità Sanchez *num.*83. Less. *num.*60. Suarez *num.*18. Fagundez *n.*16. Bass. *num.*3. Portel. *de dub. reg. V. Venef. num.*21.

CÆTERVM sine necessitate, &c. velle, Deum ostendere suam voluntatem, est eum, qui non promisit de hoc, tentare, & aperitur via Dæmoni, vt fraudibus se insinuet.

68 QVOD tamen valeant prudenter fieri, ostendit vsus Sanctorum Patrum *Iosue* 7. *Primo Reg.*10. *Act.*1. Sic *Prou.*16. Sortes mittuntur in signum, sed à Domino temperantur. Sic & S. P. Franciscus, aperiendo ter Librum Euangeliorum, & iterum circumuoluendo socium, & aliis etiam modis Deum consuluit, vt refert S. Bonauent. in eius vita.

69 ASSERO igitur, sortes diuinatorias esse Illicitas, & prohibitas *cap.*1. *de sortil.* & 26. *quæst.*1. *cap. Sortes. cap. Peruenit. cap. Si quis clericus. cap. Contra. cap. Episc. eadem* 26. *quæst.*1. & refert S. Doctor *in confessionali, cap.*3. *particula* 37. & 38. Prohibentur etiam à Sixto V. in motu proprio.

PROBATVR, quia cognitio futurorum à solo Deo expectanda est; ipse autem nunquam promisit sortibus nunciare futura. Ità Fagundez *n.*19. Suarez *num.*27. Sanchez *num.*88. Less. *num.*61. & alij.

QVÆSTIO VI.

De Superstitiosis obseruationibus ad opera.

SVPERSTITIO vanæ obseruationis à diuinationibus differt, quia diuinatio ordinatur ad cognitionem occultorum indebitam obtinendam; obseruatio autem superstitiosa ad obtinendas aliquas commoditates, vel ad nocendum aliis. Fit autem explicità, vel implicità Dæmonis inuocatione. 70

ET quidem, si effectus prætensus naturalem virtutem superet, est superstitio, quia diabolo honor, Deo soli debitus, exhibetur; si verò non superet, videtur peccatum contra charitatem, erga seipsum, vt ait Valentia *quæst.*13. *puncto tertio.*

MEDIA autem ideo cognoscuntur superstitiosa, quia inepta, vt imagines Astronomicæ, Amuleti, characteres in laminis, verba inepta, mixta sacris, quæ frequenter mulierculæ mussitant ebibi debere. Tales sunt curationes Ensalmorum per verba quædam. Ità Fagundez *in primum præceptum Decal. lib.*1. *cap.*36. & *in secundo Ecclesiæ, lib.* 8. *cap.* 4. *num.*16. etsi enim dono gratis dato aliqui habeant virtutem curandi ab infirmitate aliqua, tamen illa vis non inest verbis, sed personis. Ità Reges Franciæ diuinitus contactu sacratæ dexteræ curant turgidas inflationes in Gula, vt notant Less. *lib.*2. *cap.*43. *d.*10. Tanner. *d.*5. *quæst.*7. *d.*2. *n.*40. 71

ENSALMATORES quidem tolerandi essent, si remediis naturalibus orationes admissas adderent, nil enim praui orationes addunt. Ità Suarez *Tom.*1. *de Relig. lib.* 2. *de superstit. cap.* 15. Sanchez *lib.* 1. *Decal. lib.*2. *cap.*30. *num.*39. Fagundez *in primum Decal. lib.*1. *cap* 36. & alij apud eos. 72

ADDIT Tannerus *d.*5. *quæst.*7. *dub.*2. *num.*37. hos Saluatores, seu Ensalmatores aliquos videri habere gratiam gratis datam; hoc tamen incertum est, cùm aliàs hi viri perditi sint.

DE Psyllis verò Africæ, & Italiæ Marsis, qui haustu venena extrahebant, diabolicæ magiæ adscribit Delrius *lib.*1. *disquis. mag. cap.*3. *quæst.*4.

MONET verò Tannerus, non omnes ceremonias illicò damnandas, puta circumducere iumenta propè templum alicuius Sancti *v. g.* S. Pancratij; panem, adipemvè in Parasceue Crucifixo admota, ægris applicare, de quibus Gretserus *de cruce, lib.*2. *cap.*62. Vide alia in Tannero, & Fagundez. 73

Afferri solent hic inditia, quando sunt res superstitiosæ; sed hæc suprà retuli.

VNVM autem solet aduerti præcipuum, ne apparitionibus facile credatur: Solet enim Dæmon in Angelum lucis transformari, atque animam, quæ salua creditur alicuius, se fingere, vt eam infamet; vel aliam, quæ perdita putatur, venerationi exponat, vt notat D.Thom. *p.p. quæst.*113. *art.*4. & alij:

ADVERTA etiam, non posse Dæmones ad libitum efficere, vt animæ vel è Purgatorio, vel Inferno prodeant: Sunt enim in Dei carcere. Vnde ille Diues *Luca* 16. non potuit ex orco euenire, vt notat D.Bonauent. ibi, & cum eo Fagundez *n.*9. Exire autem eos aliquando Deo volente è suis receptaculis, ostendam *Tertia parte, Tom.*1. *d.*39. cum D.Bonauent. *in* 4. *d.*45.

CAVENDVM

74 CAVANDVM tamen à fallaciis. Erit autem duplex signum præcipuum ad eas noscendas. Primum, si ad Crucis signum, vel nomen Iesu, Mariæ Virginis, & Sanctorum timeant, aufugiant, vel reliquias Sanctorum, aut ceram benedictam, aquam vè lustralem horreant. Secundum, si importunè exquirant semel & iterum immiscendo inepta. Ità Thyræus *lib. de spirituum apparitionibus*, *cap.*26. Delrius *lib.*2. *disquis. quæst.*26. *sect.*3. Fagundez *num.*12.

75 QVOD tamen ope Dæmonis animæ appareant, opponunt, Samuelem iussu Magæ apparuisse Sauli 1. *Reg.* 28. vt dicam cum D. August. 3.*part.loc.cit.* & docent multi Patres: Iustinus *in Dialogo cum Tryph.* ad calcem, Lyra, & Caietanus *ad primum Reg.* 28. Tostatus *quæst.*18. D.Thom. 2.2.*quæst.*174.*art.*5.& *p.p.quæst.* 89.*art.*6.& multi expositores apud Fagundez *num.*18. Suarez *Tom.*1.*de Relig.lib.*2.*de superst.cap.*16.Peretius *in cap.*7. *Exodi*, 18. Cornelius à lapide *in Eccles.p.*3. *cap.*46.qui huic sententiæ accidet. Neque id factum est iussu Pythonissæ, sed ante eius incantationes, iussu Dei.

76 ADMONET insuper Fagundez *cap.*37. alias esse superstitiones in rebus sacris, vt in Missis S. Amatoris, & Missis Comitis, vbi superstitiosa miscentur. E pecunia primò oblata Crucifixo in Parasceue, annulum ad sanitatem efficiunt, quod tamen non omnino damnatur: Colligunt herbas die S. Ioannis Baptistæ, quod nil obest, si naturalem causam attendant. Imagines alicuius sancti ligantur submersæ in flumine, donec pluat. Vide ipsum.

QVÆSTIO VII.

De maleficiis Sagarum.

77 MAGIÆ nomen, scientiæ naturalis, translatum est ad iniquam Sagarum artem, cuius inuentor fuit Zoroaster, Rex Persarum, vt referunt communiter cum D. Bonauentura.

MVLTO autem maior numerus fœminarum, quàm virorum, ex leuitate innata, eam sequuntur, quæ dicuntur Lamiæ à crudelitate: Est enim Lamia monstrosum animal facie humana, trunco ferino crudelitatem, maximè in pueris enecandis, eorum vt sanguinem exsugat, effundens, vt docet D. Bonauent. *in* 3. *Threnorum*, & cum eo Fagundez *in primum præceptum*, *lib.*5.*cap.*41. cui alludit ad id Threnorum, *sed & Lamiæ nudauerunt mammas.*

DICVNTVR autem Sagæ à sagacitate: Maleficæ à maleficiis: Veneficæ à veneficiis.

DICVNTVR Strigæ à quibusdam nocturnis, stridorem volatu emittentibus.

78 SOLENT hic disputare: An striges afferantur verè ad loca chorearum: sed de his egi *Tract. de Angelis*, *d.*11. vbi etiam infandas cum dæmone copulas retuli.

HÆ verò apostatæ sunt à fide, abnegant enim Baptismum, Crucem sanctissimam, Trinitatem, vt mihi expresserunt aliqui huius farinæ. Vnde rectè Prosper Farinac. *Tract. de hæresi*, *parte* 8. *operum crim. quæst.*181.§.1. *num.* 46. Delrius *lib.*5. *disq. sect.*5. dicunt, Lamias esse hæreticas. Accedit cultus dæmonum; adorant enim diabolum, vel sub Hirci figura, vel è throno sedentem; adorant autem flexo humero transuersè, vt mihi dixere.

79 ERVCTANTVR blasphemiæ in Deum, in Christum, & in B.Virginem, vt retuli *d.*11. *de Angelis.*

ACCEDVNT omnis generis sacrilegia in abusu Sacramentorum, Reliquiarum Sanctarum, & ipsius Sanctissimæ Eucharistiæ.

SEQVVNTVR infandæ cum Dæmone copulæ, tam secundùm naturam, quàm contra ipsam.

ACCEDVNT damna grauissima in bonis vi grandinum, inundationum, & incendiorum, imò & in ipsam vitam. Itaque saga ea, quam ego ad supplicium comitatus sum, decem homines se fassa est necasse. Hæc referunt Binsfeld. *commentar. ad l. Nemo*, *C. de maleficiis* & Delrius *disq. lib.* 5. *sect.* 16. Setlogus *Ansel.*5. *in cant.*

ADDE, crimen hoc contagiosum esse, ita, vt veluti cancer serpat. Habent enim à Dæmone præceptum isti, istæque, alios inducendi ad eandem apostasiam, quæ primò conculcatione Crucis celebratur, & abnegatione fidei, & adoratione capri, & anguis, vt mihi experimento eorum, quos examinaui, heu nimium constat; adeò enim hoc virus pessimum diffundebant nonnulli Adolescentes, vt eorum parentes aliquos mihi tradiderint conuertendos, sin, eos velle necare protestabantur, quia & alios fratres corrumpebant etiam puerulos. Et horum aliquos etiam paruulos vidi, qui has diabolicas cæremonias peragerent, & ore turbido, facie horribili terrebant. 80

HÆC in solitudinibus, dum greges, & armenta custodiunt, ediscunt, vel nocturno tempore, vbi non agnoscantur. Fassi sunt etiam, magistros adducere alios ad loca sacrilega, & hîc exceptis, alios non internosci, quia omnes personati comparent. Quæ autem ibi operentur, adeo detestanda sunt, vt & atramenta, & paginæ erubescant ea describere: Porrò calamitates inducunt innumeras, Dæmones conjiciunt in corpora, vt ego accepi ab obsessis, tempestates adeo sæuas excitant, vt semel in Valle Rhera viderim grandinibus segetes omnes detruncatas, inundantibus è iugis aquis, campos exterminatos, ædificia sepulta, & vna hora ad quadraginta aureorum millia damnum inferri à duobus adolescentibus strigibus. 81

AD horum sanè restitutionem tenentur striges, & qui cooperantur, maximè verò, qui eas inducunt, vt notant Suarez *Tom.*1. *lib.*2. *de superstit. cap.*14. Toletus *lib.*4.*summa*, *cap.*16. Less. *Tom.*1.*lib.*2.*cap.*8.*d.*5. Nauar. *cap.*15.*num.*19. Fagundez *loc.cit.cap.*41.*n.*19.

QVARE vt communiter docent Doctores, non extinguitur hæc restitutionis obligatio earum enecatione; nam per illas pœnas satisfaciunt iustitiæ legali, non parti læsæ. Ideò hæredes tenentur ad restitutionem iuxta *cap. in litteris*, *de raptoribus*, & *cap. vlt. de sepult.* Si verò ad fiscum peruenere, tenetur is priua damna illata restituere iuxta *leg. Non possunt*, & *leg. In summa*, *ff. de iure fisci*, vbi optima huius rei ratio redditur, quia quæ æri alieno obnoxia sunt, in bonis defuncti non computantur. Quod commune est omnibus aliis debitis. Ità docent Suarez *num.* 12. Nauar. *num.* 25. Binsfeld. *tract. de confess. malefic. prælud.*13. Fagundez *num.*20. & alij. 82

FATEOR, eas, quas cognoui, fuisse maiori ex parte inopes, eæque singulæ vnicam filiam habebant edoctam, cui tantæ iniquitatis hæreditatem relinquerent; cæteros verò partus necarunt Lamiæ crudelissimæ. De supradictis debet confessarius interrogare eos, vt notat Bass. *num.*7. 83

SCIO, aliquando solùm phantasiâ aliquos ferri ad loca execranda, vt dixi *disp.*11. *de Angelis cit.* Quo in genere accidit lepidum spectaculum; vna enim è strigibus inquisitis, quæ, cùm esset nimium senex, funi non fuerat appensa, sed igne ad pedes applicito ad confessionem, & quæstionem euocata, & semper negarat; cùm esset in exilio damnata, &

in Brixienses terras ventura, eam adij, atque obse-
84 craui, ne mala amplius inferret: Ea verò se innocentem, vt Angelum, & vt sanctissimam Virginem blasphemauit; (est enim earum ordinaria iustificatio hæc) Aderat & adolescentula filia; Ambas verò suauibus verbis hortatus, propria ipsarum confessione ambas esse striges agnoui. Deo igitur commendaui Brixiensem meam patriam, ad quam vna ex illis erat ventura. Post dies aliquos à decubitu ob pedes vstos (sanè & igne mortificato, vi grandis pecuniæ) in excessum abiens plurimas horas fuit. Eius maritus tedio ignominiæ vocauit Presbyteros, eamque vt mortuam sepeliendam curauit, quæ in profunda fossa excauatâ fuit demissa, & molto aggere cooperta; nocte verò sequenti grex Ælurorum ingentium atri coloris choræas circumducebant ad eius sepolchrum. sic periit misera.

85 PORRÒ earum philtros, & pocula amatoria non esse naturaliter efficacia ad accendendos lasciuos amores erga alterum indiuiduum, etsi valeant humores excitare, docent Azor. *cap.* 26. *quæsito* 1. Medina *lib. de recta in Deum fide, cap.* 7.

SOLET etiam quæri: An homines valeant cogere Dæmones ad annulos, specula, &c.

RESPONDETVR cum Azorio *quæsito* 2. Fagundez *num.* 23. negatiuè, cùm sint inferioris naturæ, atque virtutis, sed coguntur à Dæmone superiore, quem consulit magus.

OBIICIES. Iecur piscis fugabat Dæmones, *Tobiæ* 6. *&* 8.

86 RESPONDET S. Doctor, *de sex alis Seraphim, cap.* 8. *& part.* 3. *de Eccl. Hier. cap.* 1. *& part.* 2. *cap.* 2. id factum esse virtute Angeli Raphaëlis, qui assumpsit iecur piscis assi ad significandam salutem virtute passionis Christi. Ità & Fagundez *num.* 25. & Azorius *loco citato.*

QVÆSTIO VIII.

An liceat Sagas consulere, vt maleficia saltem tollant.

87 SVPPONO hic cum D. Bonauent. *locis allegatis superioribus quæstionibus*, non licere Sagas adire ad maleficium ponendum. Ità Doctores omnes, & probatur à S. Doctore *ex Leuit.* 19. *&* 20. *Deuter.* 13. *&* 18. Hoc autem probat, non licere adire etiam paratos Ariolos.

MAIOR quæstio est: An liceat paratam strigem adire, vt maleficium tollat maleficio.

88 COMMVNIS, & vera sententia est, non licere. Ità Sanchez *lib.* 7. *matr. d.* 95. Albert. *in* 4. *d.* 34. *art.* 9. Sotus *quæst. vnica, art.* 3. Palat. *ibi, d.* 1. Caietanus *in summa, verb. maleficium,* & *in opusc. tract.* 12. *de maleficiis, quæst. vn.* Abul. *cap.* 19. *Matth. quæst.* 90. *ad* 3. Castro *lib. de iusta heret. punit. cap.* 15. Ledesma 2. *part.* 4. *quæst.* 60. *art.* 2. Ciruelo *de superstit. part.* 3. *cap.* 15. Margarita *confess. in primum præceptum, fol.* 60. Viguer. *l. Inst. cap.* 16. §. 7. *ver.* 9. *imp.* 11. Angles *in flor. p. p.* vbi *de matrim. quæst.* 8. *art.* 2. *d.* 2. Tolet. *lib.* 4. *summa, cap.* 16. Bannes 2. 2. *quæst.* 68. *art.* 4. *d.* 2. *ad* 4. Peretius, Ledesma *de matrim. quæst.* 58. *art.* 2. *d.* 2. Henriquez *lib.* 5. *de pœnit. cap.* 6. & *lib.* 12. *de matrim. cap.* 8. Philiarc. *tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 11. Delrius *lib.* 6. *disq. cap.* 2. *sect.* 1. *quæst.* 2. Barthol. à Ledesma *de matrim. quæst.* 49.
89 Nauarr. *summa, cap.* 11. *num.* 29. Couarr. *in cap. Quamuis pactum, p. p.* §. 1. Ludou. Lopez 2. *part. Instruct. vbi de matrim. cap.* 52. Rodriquez *tom.* 1. *summa, cap.* 7. *concl.* 11. Flamma 3. *part. method. cap.* 8. §. 11. Graff. *p. p. decis. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 10. Vega *tom.* 2. *summæ, cap.* 34. *casu* 110. Rosella *verb. imped.* 15. *num.* 19. *ibi.* Tabien. *imped.* 12. *quæst.* 9. Syluest. *verb. malef. quæst.* 8. ibi Armilla *num.* 2. Binsfeld. *lib.* 5. *cap. de mathem. quæst.* 5. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de superstit. cap.* 18. *num.* 4. Fagundez *lib.* 5. *in primum præcept. Decal. cap.* 42. Taunetus *Tom.* 1. *d.* 5. *quæst.* 6. *dub.* 7. & *Tom.* 4. *de impedimentis matrimonij.* Bassæus *V. Malefic.* 5.

HÆC est sententia expressa D. Bonauent. *in* 90 *confessionali, cap.* 3. *particula* 38. vbi id probat *ex cap.* 2. *de sortil.* vbi Alexander III. Præsbyterum damnauit, qui bono fine superstitiosam diuinationem expertus est. Patet etiam *ex cap. Qui sine saluatore* 26. *quæst.* 2. deducto ex D. Augustino. Sic probatur etiam ab aliis.

RATIO est, quia maleficium facere ad maleficium tollendum, includit nouam Dæmonis inuocationem, sanè prauam; at non sunt facienda mala, vt eueniant bona, vt dicitur *Rom.* 3.

HINC habes, falsum esse quod deciditur *leg. eorum,* 91 *46. de malef. & leg. Regia,* 3. *tit.* 23. *part.* 7. & tradit Azorius *summa, tit. de malef.* maleficos bono fine maleficia exercentes, ne fructus terræ pereant, excusari. Hæc enim falsa sunt, cùm nequeant hæc tolli sine Dæmonis inuocatione, quod etiam ad bonum finem non licet, vt notat S. Doctor *loc. cit.* & cum eo Fagundez *num.* 26. Bartol. *in d. leg. eorum.* Salicetus, & alij.

HABES etiam, illicitum esse, cogere minis, vel 92 pœnis Sagas ad maleficium tollendum maleficio, vt notat Sanchez *lib.* 7. *de matrim. d.* 95. Suarez *Tom.* 1. *de Religione, lib.* 2. *de superst. cap.* 18. Delrios *lib.* 6. *disq. cap.* 2. *sect.* 1. *quæst.* 2. Ratio est, quia hoc est intrinsecè malum.

MIHI tamen videtur licere, saltem si maleficium medio inculpato, seu licito tolli queat, quia peto quod rectè fieri potest, necessitate compulsus; sicut igitur Ideò possum petere ab vsurario pecunias, eò quòd potest sine vsura damnare, ità in casu præsenti. Ità Sanchez *dub. cit.* Suarez *loc. cit.* & alij apud Fagundez *cap.* 42. Quod verò in necessitate liceat pecunias 93 ab vsurario petere, ostendi *Tract. de charitate, d.* 18. quæ *de scandalo*, & *Disput. de Vsura, quæst. vlt.*

Addo tamen cum Fagundez *num.* 12. hortandam strigem, vt medium tantùm licitum adhibeat, quod si facere renuit, ipsi vitio vertitur.

OBSERVA etiam, remedia ad tollenda maleficia esse reliquias Sanctorum, Benedictiones, &c. quæ tamen, si aliquid ineptum cæremoniæ adiunctum habeant tanquam necessarium, erunt superstitiosa, vt admonent Nauar. *summa Lat. cap.* 11. *num.* 25. & alij. Licet etiam signa maleficarum auferre, & comburere, puta crines retortos, statuolas, &c. vt communiter Doctores aiunt; sunt enim opera diaboli, quæ destruere licet. Quare Scotus 4. *d.* 34. *quæst. vn.* 94 ait, ridiculum esse de hoc dubitare. Licet etiam alia sacra ponere, vt destruatur ligamentum. Ità Suar. *cap.* 17. *num.* 9. Less. *lib.* 2. *cap.* 44. *d.* 6. Fagundez *num.* 6. *cap.* 43.

QVÆSTIO IX.

De pœnis Sagarum, &c.

VENEFICOS, Sagas, Maleficos, Sortilegos, 95 Diuinos, & Magos, mundi luem, Ecclesiæ virus, & Regnorum contagium iisdem pœnis iura flagellant.

lant. Olim lege veteri morte damnabantur *Exodi* 22. *Leuit.* 12. *Deuter.* 13. *&* 18. vt sæpè vidimus cum S. Doctore. Idem nunc constat *tota causa* 26. & toto Codice *titulo de maleficiis.*

I v r a Canonico excommunicantur venefici, malefici, eosque consulentes *cap. si quis ariolos*, 26. q. 5. non videtur tamen excommunicatio ipso facto, sed ferenda vt notant Doctores. Si verò sint hæretici, incurrent ipso facto excommunicationem in cœna Domini.

96 I n iure canonico aliis pœnis puniuntur; nam, si fuerint laici, pœnitentia quadraginta dierum eis imponitur, vt patet *cap.* 1. *de sortil.* & refert S. Doctor *in confessionali*, *cap.* 3. *particula* 37. quæ intelligitur in foro Confessionis; sicuti & in Concilio Ancyræ quinquenaria pœnitentia puniantur 26. *quæst.* 5. nam secundùm leges concremantur, & bona eorum proscribuntur, vt notat D. Bonauent. *in confessionali*, *cap.* 3. *particula* 48.

I n *cap. Episcopi* 26. *quæst.* 5. præcipitur, vt tales flagellati eiiciantur.

D e consulentibus verò dicitur *in cap. Quisquis* 2. *quæst.* 8. esse infames, & 26. *quæst.* 5. ex Concilio Toletano IV. *cap* 30. si sit Episcopus, aut presbyter, deponitur ab officio, & monasterio perpetuo addicitur, vt refert S. Doctor *in confessionali*, *cap.* 3. *part.* 49.

Standum tamen est in vnaquaque diœcesi consuetudini illius loci.

I v r e verò ciuili morte puniuntur *cap. de maleficiis*, *& Authem.*

97 S i delictum admixtam habet hæresim, vel suspicionem, ad Inquisitores fidei cognitio horum pertinet *cap. causam*, *§. de haret. in* 6. & notat Suarez *cap* 18. si verò non adsit suspicio hæresis, non pertinet eius cognitio ad Inquisitores, iuxta *cap. causam*, sed censetur mixti fori, nisi ratione personæ ad Ecclesiasticum pertineat.

98 S c i a s primò, Bullam Sixti V. contra Iudiciarios extendere potestatem Inquisitorum contra veneficos, &c. neque solùm contra sortilegos, vt putat Sanchez *Tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 38. Ità monet Diana *part.* 4. *tract.* 8. *de offic. & potestate Inquisit. resol.* 107. Possunt autem vi huius Bullæ animaduertere in omnes superstitiones, saltem sapientes hæresim, etiam non manifestam, vt notat Diana.

I n dubio etiam: an sortilegia sapiant hæresim, manifestè possunt Inquisitores iure nouo Sixti V. cognoscere: Addo & iure antiquo *cap. accusatus*, vt docent Simanca, *de Cathol. Instit. tit.* 30. & alij penes Ipsum, ac nouissimè Acugna *tract. de confessor. sollicitantibus*, *quæst.* 5. *num.* 13. & Diana *loco cit. resol.* 111. & *Tract.* 7. *resol.* 10.


T a n d e m licèt Iure antiquo DD. Inquisitores non possent cognoscere, nisi de sortilegiis, diuinationibus, &c. quæ saperent hæresim; tamen nunc, vi Bullæ Sixti V. de omnibus cognoscunt, vt notant Scortia *in Bull. Pontif. epist.* 58. *Theor.* 158. & alij, quos sequitur Diana *part.* 4. *Tract.* 7. *de pœnis delictorum*, *resol.* 10.

99 D e modo verò, ordine, & rigore procedendi contra hos nefarios, agunt Tannerus 2. 2. *disp.* 4. *quæst.* 5. & Martinus Delrius *lib.* 5. *disq. mag.*

M o n e n t tamen Tannerus, caute admodum vt procedatur, & piè, ne innocentes inuoluantur his infamiis; quod si multi nocentes sint, & cum his miscendus innocens, potiùs abstineant.

V n i c v m dubiolum appono: An Striges, quæ infantes occiderunt, tradendæ sint à DD. Inquisitoribus Iudici sæculari ob homicidia, etiamsi verè conuertantur. Negant Simanc. *de Cathol. Instit. tit.* 37. *num.* 17. Albertinus *de agnosc. proposit. cath. quæst.* 25. *num.* 66. apud Fagundez *lib.* 1. *cap* 44. *num.* 21. Idem docent Sousa *Inquisitorum Aphorismis*, *lib.* 10. *cap.* 58. Farinac. *quæst.* 20. *num.* 105. apud Dianam, *resol.* 10. adducta.

S e d notat Diana, nouissimè Gregorium XV. 100 oppositum declarare, & ideò hunc tradendum Curiæ sæculari; si verò infirmitas, vel impotentia ad matrimonium, siue nocuerit aliquibus fructibus, &c. grauiter; is muro claudatur, siue carceribus in S. off. Inquisit. vbi illud extitit, fabricandis mancipari debeat.



DISPVTATIO X.

De Tentatione Dei.



Cvm Deus prudentiam, aliasque virtutes cum debitis organis, eo fine homini contulerit, vt non oscitanter ita diuinæ se committat prouidentiæ, quin & ipse sedulus cooperetur, Deum tentare arguetur, si absque illis mediis, se suum finem assequuturum præsumat: Hinc pro Hæreticis habiti sunt Archontici, eò quòd sine sacramentis, aliisve mediis sibi gratiam infundendam crederent; vt habet Baronius, anno 175.

QVÆSTIO I.

Quid sit Tentatio, *& quotuplex.*

{ D. Thom. quæst. 97.

Iam de vitiis, in altero extremo à Religione deficientibus, agam. Inter hæc verò primum est, Tentare Deum. Est autem irreligiositas, qua ex dubitatione alicuius diuinæ perfectionis agitur aliquid, vt experimentum capiatur, An Deus habeat illam perfectionem. Ità ex D. Thom. *art.* 1. & communi sensu definitur, vt notat Valentia *disp.* 6. *quæst.* 14. *puncto* 1. Fagundez *in primum præceptum*, *Decal. cap.* 31. *n.* 30. Sanchez *tract.* 1. *Decal. lib.* 2. *cap.* 34. Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 8. *dub.* 1. post D. Bonauent. *ad* 4. *Lucæ*, in ea verba: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, quod habetur *Deuter.* 6. & *Eccl.* 18. vbi dicitur: *Noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Vnde exclamat Deus, Numer. 14. *Tentauerunt me iam decem vices*, quibus testimoniis probat S. Doctor, hoc esse peccatum graue, vt communiter asserunt Doctores apud relatos.

E r i t tamen veniale, vel ex inaduertentia, vel ex ignorantia, aut indeliberatione, vel si fiat ex leuitate animi, non intentione Deum tentandi, vt notant relati.

M v l t o minus, si causa est rationabilis expectare in necessitate auxilium Dei, non erit praua tentatio, sicuti si quis insectantibus hostibus, & equo insidens calcaria addat, non tentat equum; at si absque necessitate experiri vellet, an vna hora decem milliaria conficiat, tentabit equum. Igitur oportet ad causam, & finem respicere, vt videamus, an sit mala tentatio. Vide Suarez *Tom.* 1. *de relig. lib.* 1. *de*

irreligiositate, *cap..a* Sanchez *Tom.* 1. *Decal. lib.* 2. *cap.* 34. Fagundez *numero citato.* Dicitur etiam esse contra spem, quia indebito modo sperat ab ipso miraculum, vt docet Azor *Tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 2. *quæst.* 7. Sanchez *loco cit. num* 4. Fagundea *num.* 31.

4 Si verò ex mera curiositate videndi miraculum oriatur, seu ex dubio alicuius attributi diuini; dicunt aliqui, esse veniale, nisi materia sit grauissima. Ità Sayrus *lib.* 4. *cap.* 7. & Valentia *puncto* 2.

Alii existimant, ea natura sua esse graue, quia notabilis irreligio est ludere cum Deo; Suarez *num.* 16. Sanchez *num.* 5.

Potest tamen parua esse adeo materia, vt fiat veniale, vt notat Lessius *lib.* 2. *cap* 45. *dubio* 1.

Prætar formalem Dei tentationem datur interpretatiua, quæ in aliqua dubitatione potentiam,
5 vel amorem Dei explorat, vt si quis dies quadraginta abstineat à cibo. Ità D. Thom. *art.* 1. Fagundea *n.* 36. Toletanus *lib.* 4. *summa*, *cap.* 19. Sanchea *num.* 12. Suarez *cap.* 3. Nauar. *sum. lat. cap.* 11. *num.* 40. ait, simile peccatum mortale committere eum, qui voluntariè absque præuia meditatione concionatur. Quod non est verum, si non accederet animo tentandi Deum, nec scandalum immineret. Ità Sanchez *num.* 14. Caietanus *quæst.* 97. *art.* 1. Fagundea *num.* 37. Similiter erit tentare Deum velle miraculo suam probare innocentiam, puta ferro ignito, vel alio simili medio, nisi quis se senserit diuinitus excitari ad tale medium applicandum.

Dices *Numer.* 5. fiebat tentatio innocentiæ vxoris per aquam, &c.

Respondetur id esse præceptum à Deo, ideò non fuisse tentare Deum. Id autem rectè fuit ordinatum ad vxoricidia in populo illo ceruicoso auferenda.

6 Videntur autem tacita, & expressa tentatio specie distingui, vt ait Suarez *num.* 6. Fagundea *num.* 42. quia altera habet motiuum ex dubitatione Diuini attributi, altera non, quæ sunt duæ malitiæ diuersæ.

Hinc deducit Fagundea *num.* 44. tentare Deum, illum, qui sine speciali Dei motione vult miracula ad probandam fidem; sufficit enim Ecclesiæ testimonium. Ità Toletanus *lib.* 4. *cap.* 19. Suarez *num.* 13. Sanchez *num.* 10.

Itidem, si quis Martyrio absque causa se offerat. Ita D. Thom. *art.* 3. *ad* 1. Sanchea *num.* 15. Fagundez *num.* 45.

7 Vnna monet S. Thom. non esse infidelibus præbendam occasionem iniustè agendi, sed tantùm patienter sustinendum, & non esse opus eundi ad infideles temerè ex curiositate, ex audacia, sed mouente sancta inspiratione, vt docet S. P. Franciscus *cap. vltimo Regulæ*, & explicat S. Bonauentura.



DISPVTATIO XII.

De Sacrilegio.



SI iure Iustiniano portæ ciuitatum, aliaque loca, eâ gaudeant immunitate, vt illis vim vllam inferre nefas sit, quantò potius execrabitur, quæ Deo sacrantur, in communem vsum adducere; vnde ab omni tempore Sacrilegium inter nefandissima peccata, quippe ipsius naturæ dictamini euidenter oppositum, computatum est: quotuplex autem, aut cuius sit naturæ, hîc paucis indicabo.

QVÆSTIO I.

Quid sit Sacrilegium, *& quotuplex.*

D. Bonauent. in 3. dist. 37. dub 7. & aliis ll.
D. Thom. quæst. 99.

Sacrilegium definitur à D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 37. *dub.* 7. & *p. p. Centil. sect.* 24. *&* 30. & *in speculo animæ*, cap. 2. *Est violatio rei sacræ, vt sacra est*, dicitur enim quasi *sacri lædium.* 1

Est autem res sacra, eo ipso quod aliqua lege destinatur cultui Dei. Ità D Thom *art.* 1. *&* 3. Caietanus hîc *d.* 5. Valentia *quæst.* 14. *p.* 1. Tannerus *d.* 5. *quæst.* 8. *dub.* 1.

Porrò pro diuersitate rerum, quæ Deo sacrantur, tria genera sacrilegij constituunt Doctores cum D. Bonauent. *sect.* 30. *p. p. Centil.* & D. Thom. *art.* 3. 2

Primum est, si Persona sacra violetur. Quod fit primò, dum persona sacra, puta Clericus, ad tribunal sæculare trahitur iniuriosè, aut percutitur, de quo agam, cùm *de Censuris.*

Secundò cùm persona sacra, voto castitatis astricta, polluitur libidine, aut quomodocumque contra votum castitatis peccat.

Tertiò, dum à Clericis exiguntur tributa, & gabellæ contra immunitatem Ecclesiasticam, vel si eis res debitas, puta decimas, subtrahat. 3

Quartò, dum quis votum, vel iuramentum violat. Dum autem Clericus, furtis, negotiationibus deditus est, non peccat sacrilegio, quia ex vi consecrationis ad sanctitatem personæ non prohibentur, sed per canones, ne impediatur à muneribus Ecclesiasticis. Quæ notarunt Valentia *quæst.* 15. *part.* 1. Azorius *lib.* 9. *cap.* 27. *quæstio* 2. Tannerus *d.* 1. *citato*, *num.* 8.

Secunda species sacrilegij est violatio rei sacræ, prout distinguitur à persona, & loco. Quò pertinet primò abusus Sacramentorum. Secundò prophanatio Vasorum, & Ornamentorum sacrorum. Tertiò violatio, seu contumeliosa destructio imaginum sacrarum, prout hæretici faciunt, & talia facientes, mittuntur ad sanctum Officium Inquisitionis, ad quod hoc pertinet, vt docet Diana *part.* 4. *Tract.* 7. *resol.* 9. sonat enim Lutheranismum; quidquid dixerit Torreblanca. Quartò furtum rerum Sacrarum. Quintò abusus sacrarum rerum. Huc referunt etiam simoniam, de qua mox infrà agetur. 4

Tertia sacrilegij species est violatio loci sacri.
Quò spectant actiones quædam, vt cantiones prophanæ, & nundinæ. Secundò actiones quædam peculiares, vt homicidium iniuriosum, sepultura excommunicati, vel infidelis, culpabilis effusio sanguinis, vel seminis in templo, vel loco sacrato, non tamen in Monasterio. Tertio furtum rei sacræ, vel Ecclesiæ consignatæ. Ità D. Bonauent. *locis adductis*, & D. Thom. *quæst.* 99. *art.* 3. Caiet. ibi Syluest. *V. sacrileg.* Azor. *lib.* 9. *cap.* 27. *num.* 7. Sà *verbo immunitas*, Valentia *quæst.* 15. *puncto* 1. Tanner. *d.* 5. *quæst.* 8. *dub.* 1. 5

Addit D. Bonauent. etiam rem non sacram, neque 6

neque Ecclesiæ commendatam, ex Ecclesia furari esse Sacrilegium, cui subscribunt Valentia, & Sà, & probabile credunt Tanner. *num.* 12. & alij, qui oppositum sentiunt. Quartò violatur locus sacer abstrahendo personam, quæ eo confugit. Talis autem locus est quæuis etiam capella, vbi authoritate Episcopi Sacrum dicitur, & cœmeterium, monasterium Religiosorum, ianua, & porticus Ecclesiæ, aut cæmeterio adneaa, domus Episcopalis, aut Cardinalium, domus Ecclesiæ prò habitatione clericorum intra triginta, vel quadraginta passus. Item Hospitale, Episcopi authoritate constructum, imò de iure spatium quadraginta passuum in circuitu Ecclesiæ maioris, aut triginta in minoris. Hoc tamen iam non seruatur, vt ait Nauar. *manuali*, *cap.* 25. *num.* 17. nisi quoad fines cœmeterij, sotium, claustrorum, graduum & similium.

7 Gavdant hac immunitate omnes, & soli Christiani liberi, exceptis nonnullis casibus, infrà referendis, aliquando etiam serui, etiam excommunicati, interdicti, suspensi, imò & percussor clerici, & omnis sacrilegus, qui tamen in loco sacro non deliquit. Item bannitus, blasphemus, &c.

8 Non gaudent autem eà hæretici, aliique infideles, nisi eo animo confugiant ad Ecclesiam, vt fideles fiant, neque viarum grassator, neque nocturnus fructuum vastator, neque qui occidit, mutilat, aut aliud graue in loco sacro committit, neque qui insidiosè occidit, aut vt occidat sic percutit, iuxta multos; neque, qui eum, qui confugerat ad Ecclesiam, vi extraxit; neque quos Pontifex educi iubet; neque personæ Ecclesiasticæ respectu iudicis proprij, vt prosequitur Nauar. *n.* 19. *& seqq.* iuxta *cap. Definiuit.* cap. *si quis contumax*, cap. *Deum*, cap. *Quisquis*, cap. *constituimus*, cap. *sicut antiquitus*, 7. *quæst.* 4. *in Decretal. titulo de immunitate Ecclesiæ.*

9 Annotant tamen Sà ea Bulla Gregorij XIV. agrorum depopulatores, vel proditoriè occidentes, vel assasinos, vel grassatores viarum, vel hæreticos, vel reos læsæ maiestatis in Principem, tradendos curiæ sæculari de licentia Episcopi.

Qværes primò? an Iudex reum, sacrilegè abstractum, damnans, teneatur restitutioni hæredibus, vel ipsi reo.

Respondetvr assertiuè, vt communiter sentitur apud Valentiam *quæst.* 15. *puncto* 1. Tanner. *loco cit. num.* 18. etsi oppositum significet D. Thom. *quæst.* 99. *art.* 2. *ad* 3. Ratio est, quia reus habet ius, vt Ecclesiæ restituatur, vt habet *cap. sicut antiquitus*, 17. *quæst.* 4.

Qværes secundò: an omnes sacrilegi sint ipso facto excommunicati.


10 Respondetvr, esse excommunicatos clericorum percussores *cap. si quis suadente*, 17. *quæst.* 4. Gabellas iniustè imperantes clericis, vel Ecclesiis. Item violantes immunitatem rerum, vel personarum Ecclesiasticarum ea Bulla Cœnæ: Item inuasores bonorum Ecclesiæ ea Concilio Trident. *sess.* 22. *cap.* 11. *de reform.* Effractores templorum, & spoliatores Ecclesiarum ex communi sententia omnium. Quibus Azorius *lib.* 11. addit incendiarios Ecclesiarum ea communi Canonistarum, & Summistarum sententia, cum D. Bonauent. *in Confessionali*, *cap.* 3. *particula* 43. vbi additur: *Iam nunc, postquam publicati sunt, non posse absolui citra sedem Apostolicam*, extra de sententia excommunicationis.

Alij tamen negant, hos esse excommunicatos. Ità Caietanus, Nauarrus, & Syluester, apud Tannerum.

11 Cæteri verò sacrilegi non sunt ipso facto excommunicati, sed præuia fraterna monitione canonicà, nisi satisfecerint, sunt excommunicandi iuxta *cap. Quisquis* 17. *quæst.* 4. *de pœna mortis*, *& pecuniaria*, vide D. Thom. *quæst.* 99. *art.* 4.

Est autem omne sacrilegium, peccatum mortale; excusat tamen indeliberatio, vel materiæ paruitas. Vide Valentiam *puncto* 2.

De speciebus sacrilegij ago propriis locis.



DISPVTATIO XII.

De Simonia.



Cvm Dei dona, & beneficia gratis nobis conferantur, meritò piaculum habetur, ex his turpiter lucrum aucupari; vult enim Diuina bonitas, vt quæ gratis accepimus, gratis pariter demus, nec patitur, vt dum benefica profusione ipsi ditamur, ab aliis, qui datis talentis vti nouerint, quidpiam exigamus. Hinc horribili ausu scelus hoc attentantem primò, Simonem magum acerrima increpatione abegit D. Petrus act. 8. *pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri*, nimirum quod omne pretium superat, indignum est pretio vindicari.

QVÆSTIO I.

Quid sit Simonia, *& quotuplex.*

D. Bonauent. 4. dist. 25. in dub. lit. & quæst 4.
D. Thom. quæst. 100.

Simonia est studiosa voluntas emendi, aut 1
vendendi rem spiritualem, vel spirituali adnexam. Ità D. Thom. hîc, & D. Bonauent. *p. p. centil. sect.* 30. & *in opusc. Declaratio terminorum Theol.* & *in speculo animæ*, *cap.* 2.

Docet autem S. Doctor *in* 4. *dist.* 25. *dub.* 2. cur vendentes res spirituales Simoniaci potius, quàm Gezitæ vocentur; nam Giezi vendidit gratiam miraculorum; Simon autem eam emere voluit.

Respondet, id fieri, quia hic mercari voluit gratiam noui testamenti, tempore gratiæ reuelatæ, & maiorem gratiam voluit emere, & pactum inire.

Inde obseruat S. Doctor *locis adductis*, & cum 2
eo D. Thom. ac cæteri, spirituale triplex hîc distingui. Primum per essentiam, vt sunt gratia, & dona S. Spiritus, ac virtutes supernæ. Secundum spirituale causaliter, vt sunt Sacramenta, ad causandam gratiam instituta. Similiter officia Ecclesiastica. Tertium spirituale effectu, vt sunt actus gratiarum, ordinum, & officiorum Ecclesiæ.

Adnexvm etiam spirituale est tripliciter. Pri- 3
mum antecedenter, vt ornamenta sacra, vasa, templa, & sacramentalia quælibet. Item ius patronatus, præsentationes, electiones, renunciationes, collationes, quæ omnia antecedenter ab beneficia Ecclesiastica

stica referuntur. Secundum comitanter, vt est labor ipse in administratione sacrorum, aut officiorum Ecclesiasticorum subeundus. Tertium adnexum consequenter, vt est ius percipiendi fructus, & redditus Ecclesiæ, propter spiritale ministerium, & officium.

Per emptionem, & venditionem intelligitur à Theologis quiuis contractus, non gratuitus, quo res spiritualis pretio compensatur; siue illud sit munus, quod à manu dicitur, vt pecunia, quæ manu accipitur; siue sit munus ab obsequio, vt seruitium, auxilium, &c. siue sit munus à lingua, vt humana laudatio, vel deprecatio ad acquirendum humanum fauorem, iuxta can. *Saluator*, 1. *quæst*. 3. & D. Thom. *art*. 5. & D. Bonauent. *in speculo, loco cit*. Tanner. *disp*. 5. *quæst*. 8. *dubio* 2.

Peccatum hoc est Religioni oppositum, & ex genere mortale.

4 Probatur à S. Doctore primò. Quia vendere ea, quorum non habemus dominium, est iniustitia; sed Simoniacus vendit spiritualia, quorum non habet dominium, sed tantùm administrationem, vt prima Cor. 4. dicitur: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei*. Ideo Matth. 10. præcipit: *Gratis accepistis, gratis date*.

Deinde probatur à S. Doctore *in* 4. *dub. cit. ex* 4. *Reg* 5. & *Actorum* 8. vbi damnatur in Simone, & Giezi; & in Concilio Chalcedonensi *cap*. 2. & *extra de Simonia*, 1. *quæst*. 1. vt notat S. Bonauent. *in* 4. *dist*. 25. *quæst*. 4.

Probatur tertiò à D. Bonauent. *ibidem*: Omnis æstimans, inæstimabile donum Dei pecunia possideri, peccat grauiter: Simoniacus autem sic æstimat: Ergo. Est Argumentum D. Petri *Act*. 8. & addit, hunc sæpe errare in fide, quia gratiam credit non esse gratiam.

5 Hinc arguit. Nulla maior est peruersio, quàm contrarium tractare, quasi alterum contrarium; sed Simoniacus tractat spiritualia Dei, vt sua vendibilia, & corporalia: Ergo.

Probatur quartò à S. Doctore: Sicuti filio attribuitur sapientia; Ità Spiritui Sancto bonitas; sed qui filio attribueret insipientiam, grauiter erraret: Ergo & qui tribuit Spiritui Sancto auaritiam; sed taliter æstimat Simoniacus tractans Spiritum Sanctum, qui est donum ab origine liberale amoris, quasi auaritiâ vendat dona sua, vt dixit B. Petrus *Act*. 8. Ergo.

Probatur quintò à S. Doctore *in corpore, ex Michea* 3. vbi grauiter Dominus reprehendit hoc vitium, dicens: *Principes eius in muneribus iudicabant, & sacerdotes eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant. Propter hoc, causâ vestri, Sion quasi ager arabitur*.

6 Ponitur autem in genere Sacrilegij ab Azorio *lib*. 9. *c*. 17. *quæsito* 8. & Tanner. *dub*. 2. etsi alij etiam à Sacrilegio vtrumque distinguant, Caietanus *q*. 99. *art*. 1. Valentia *quæst*. 16. *puncto* 4. cum D. Bonauent. *loco cit. Centiloquij*.

Est autem vnicum peccatum, vt ait S. Doctor *in corpore*, etsi eum eo coniungi possit infidelitas credens, dona Dei vendibilia, & rei spirituali, quæ omne pretium excedit, & gratiæ Dei pretium conuenire temporale.

7 Vocatur autem à D. Bonauent. *loco cit. speculi*, iniustitia contra Deum, quatenus id, quod est supra omne pretium temporale, contra Diuinam voluntatem venditur. In quo non videtur ponere Simoniam Iniustitiam propriam; manent enim hæc semper sub Dei libero dominio, & sicuti gratiam Dei prodigere, non est specialis iniustitia, ita & vendere, vt notauit Tanner. *num*. 25. etsi iniustitiam specialem æstiment eam Sotus *lib*. 9. *de Iust. quæst*. 5. *art*. 1. & Valentia *loco cit*.

Aliqua sibi obiicit primò, nam Saul, & Hieroboam pretium exhibere voluerunt prophetis ob prophetiæ donum. 8

Respondet S. Doctor, non legi vnquam prophetas illos aliquid recepisse; sed illi ignoranter exhibebant, vt solebant exhibere etiam ariolis.

Obiicit secundò: Apostolus prima Corinth. 9. 9 arguit: *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si carnalia vestra metamus*.

Respondet S. Doctor, dare spiritualia, ob finem recipiendi temporalia, esse simoniam: Attamen dare spiritualia, & recipere sustentationem ad labores in spiritualibus, non esse Simoniam; sicuti autem Medicus, aut Aduocatus ob laborem potest recipere mercedem; Ità etiam & celebrans Missam.

Obiicit tertiò. Regnum cælorum, quod est spiritualissimum, emitur.

Respondetur illud emi actibus virtutum, non autem pecuniâ.

Obiicit quartò: Qui dat temporalia, vt recipiat spiritualia, plus ea æstimat: hoc ergo non deordinatur.

Respondet S. Doctor, inordinari, dum inæstimabile pecuniâ æstimatur.

Primò. Simonia in tria genera diuiditur, Mentalem, Conuentionalem, & Realem: Mentalis est, 10 quæ nullo signo extrà exprimitur, sed mente sola concipitur, ne sequatur opus; quod si mente peruersâ fiat commutatio rei spiritualis, iam non est ampliùs purè mentalis.

Conuentionalis est, quæ verbis iam, vel signis exprimitur, sed nec re ipsâ est adhuc executioni mandata, siue ex neutra parte, siue ex altera; vel quia alter dat tantùm temporale; alter verò spirituale solùm promittit; vel è contra, quia alter dat spirituale, alter temporale promittit, vt docent Nauar. *cap*. 23. *num*. 103. Valentia *num*. 5. Tanner. *n*. 28. Zuadius, Sotus de Iustitia *lib*. 9. *quæst*. 8. *art*. 1. & Caietanus *quæst*. 100. *art*. 6. dicant, in posteriori sensu esse simoniam realem.

Realis Simonia est, quando peruersa illa voluntas exprimitur, & executioni re ipsa mandatur.

Deinde diuiditur à D. Bonauent. *in* 4. *dist*. 25. 11 *dub*. 6. *litt*. & alis locis citatis, & aliis TT. in eam, quæ iure naturali, & Diuino prohibita est; & in prohibitam solo iure positiuo humano, siue qua res sint temporales, quæ aliquando sunt permutabiles, siue qua vtrinque sint spirituales, vt accidit, dum beneficia illicitè permutantur, quæ tamen non est propriè Simonia.

Tertiò diuiditur in Veram, & Præsumptam in foro exteriori.

QVÆSTIO II.

Quomodo ex parte obiecti cognoscatur Simonia.

Duplici ex capite oriri potest contentio: an sit Simonia; primò ex parte obiecti, dum dubitatur: an sit res spiritualis, & de hoc est quæstio nunc. Secundò ex parte actus, & de hoc erit *quæst*. 3. 12

Dubitatur primò: an vendere officium seu operam docendi Theologiam, sit Simonia.

Respondetur cum D. Bonau. *in* 4. *dist*. 25. *quæst*. 4.

quæst. 4. *ad* 4. nec officium docendi, nec laborem docendi Theologiam vendere, esse Simoniacum. Indicatur à D. Thom. *art.* 3. *ad* 3. sequuntur Durandus *in* 4. *dist.*25.*quæst.*3. Richardus ibi, Caietanus *q.*100. *art.*3. Nauar. *manu. cap.*23. *num.*103. Sotus *lib.*9. *de iustitia*, *quæst.*8. *art.*1. Victoria *relect. de sim.* Valentia *quæst.*16. *puncto* 2. Suarez *Tom.*1. *de Relig. lib.*3. *c.*8. Sà V. *Simonia*, Bassæus 3. *num.*7. Tanner. *disput.* 5. *quæst.*8. *dub.*2. *num.* 36. Fagundez *de contract. lib.* 5. *cap.*18. 23. etsi Altisiodor *lib.* 3. *sum tract.*21. *tit. de Simonia*, *cap.* 3. Alens. 2. *part. quæst.* 187. *memb.* 4. *art.*3. & alij apud Syluestrum V. *Doctor*, *quæst.* 11. simpliciter negent, licitum esse omnem illam scientiam pretio docere.

Quod saltem de Theologia asserunt Paludanus 4. *dist.*25. *quæst.*5. Innocentius *in cap. Quia nonnulli de magistris*.

DICES. Doctrina Theologica est donum Dei, Ephes.4. *Quosdam dedit Doctores.*

13 RESPONDETVR, doceri scientiam, quæ est ordinariè acquisita; hæc enim est, quæ propriè docetur. Aliud tamen dicendum de doctrina fidei, de qua dicitur Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Similiter *cap. Prohibeas*, vetitum est Episcopis aliquid recipere pro licentia data magistris docendi etiam Grammaticam, vt dicunt alij; sed oppositum magis astruo cum Fagundez *num.* 26. & aliis, cùm sit eiusdem rationis materia cum docere: Imò docere etiam pretio, ait Suarez *num.* 11. si tamen condignum tantùm accipitur.

14 DVBITATVR secundò: an possit aliquid ex his, quæ spiritualibus antecedenter adnexa sunt, vendi absque Simonia.

RESPONDETVR, posse ea, quæ pretio sunt æstimabilia, abstrahendo à consecratione, seu ordine, quem habent ad rem spiritualem posse vendi, vt Imagines, ornamenta, vasa sacra, quæ sunt patenæ, & Calices tantùm, vt ait Fagundez *num.*21. quæ si prophanis vendantur, debent confringi; secus si Ecclesiasticis ad vsus sacros. Ità ex communi, Durandus 4. *dist.* 25. *quæst.*3. Syluester V. *Simonia*, *quæst.*12. Sotus *lib.*9. *de Iustitia*, *quæst.*7. *art.*2. *ad* 2. Nauar. *manu. cap.*23. *num.*108. Valentia *quæst.* 16. *puncto* 2. Sà, Tannerus *disp.*5. *quæst.*8. *dub.*2. *num.* 44. ait tamen Fagundez *de contract. lib.*5. *cap.*19. *num.*19 vendere vasa sacra, etiam vt materiam, alteri Ecclesiæ absque necessitate, esse sacrilegium, non tamen simoniam, quia non venduntur vt sacra.

Ex relatis excipiuntur aliqua, vt venditio officij cuiuslibet administratoris Ecclesiæ, vt Oeconomi, Aduocati, aut Sacristam, *cap. Saluator*, 1. *quæst.*3. vt notant Valentia *puncto* 2. & 5. Tannerus 46.

15 CÆTERA autem huius generis non sunt vendibilia, vt Iuspatronatus, vt ait D. Bonauent. *dub.* 5. *dist.*25. vt ius præsentandi, &c. Agni Dei, reliquiæ; potest tamen pro aduectione pretium sumi.

QVOAD Agnos Dei, vetitum est, etiam ratione materiæ solius, è Gregor. XIII. sub excom. ipso facto, eos pingere, & vendere, pictosque tenere. At Filliucius *tract.*14. *cap.*6. ait, extra Vrbem id non recipi: Imò & Agnos albos ratione laboris, &c. licere, aiunt multi apud Dianam *part.*3. *tract.* 6. *resol.*12. Subscribit Caramuel *lib.*2. *num.*867. nec abnuit Bassæus 3. *num.*4.

16 QVÆRES tertiò: an pro labore, & onere comitante res spirituales, liceat pretium accipere.

RESPONDETVR primò cum D.Bonauent. 4. *dist.*25. *quæst.*4. & *in dubiis litt.* posse; puta si ad missam longiùs sit meandum, & plus expendendum. Ita omnes concedunt apud Bassæum.

SIMILITER pro obligatione ministrandi huiusmodi spiritualia. Ità Innocentius *cap.* Quoniam, Nauar. *num.* 103. Valentia *punct.* 2. Tanner. *num.*49. est enim aliquid distinctum à spiritualibus; Ità tamen, nisi positiuo iure vitentur, erit enim Simonia præsumpta.

HINC putat Valentia, nec pro Ordinatione, nec pro Dimissoriis, nec pro cera, aut membranà posse aliquid accipi, propter Concilium Trident. *sess.*21. *cap.*1. *de Reformat.*

17 PRO labore autem, & onere intrinsecè spectante ad ministerium, aliqui negant, vt Durandus *dist.*25. *quæst.*3. Gabriel *quæst.*2. Victoria *relect. de Simonia*, *part.*2. *num.*20. Sotus *lib.*9. *de Iustitia*, *quæst.*6. *art.*2. Caietanus *quæst.*100. *art.* 2. Nauar. *cap.*23. *num.*101. Valentia *puncto* 2. Tannes. *num.* 50. Malder *tract.* 9. *cap.*3. *dub.*6. Filliucius *cap.*3. *quæst.* 11. Reginaldus *lib.*23. *dub.*228. Lessius *lib.*2. *de Iustitia*, *lib.*2. *c.*13. *dub* 8. Suarez *Tom.*1. *de Relig. lib.*4. *de sim. cap.*21. Fagundez *de contract. lib.*5. *cap.*21.

18 ASSERVNT è regione D. Bonauent. *loco cit.* Altisiodor. *lib.*3. *tract.* 21. *cap.*2. Adrianus *quodl.* 9. Maior *in* 4. *dist.*25. *quæst.*6. Marsil. *quæst.*25. & plerique Cannonistæ cum Glossa *in cap. significatum*, *de præbendis*, nec omnino improbat Suarez 3. *part. Tom.* 3. *disp.* 86. *sect.* 7. Tanner. *disp.*50. Bassæus 3. Vide Syluium *quæst.*100. *art.* 2. Layman *lib.*4. *tract.*10. *memb.*41. Lessium *lib.*2. *cap.*35. *dub.*8.

Enim verò S. Doctor *ad* 4. rationem affert, & argumentum oppositum resoluit; ait enim, posse pro labore ministerij sacri ordinario sumi pretium in ordine ad sustentationem decentem, vt spiritualibus incumbere possimus; non autem ponendo finem in hoc pretio, vt detur ob laborem simpliciter, spirituali rei adnexum. Quare etiam pro labore intrinseco poterit accipi pretium, veluti pro labore ordinario celebrandi missam, vt ait S.Doctor; alioqui simoniacè plurimi acciperent pretium è missæ labore, cùm non nisi ordinarium expendant nullo alio incomodo; quod est falsum, & huc refert id prima Corinth.9. *Si nos spiritualia vobis seminauimus, non magnum est, si temporalia metamus?* Idem absolutè asserit *in speculo animæ*, *cap.*2.

19 QVO fit, vt augmentum laboris intrinseci augere etiam valeat pretium, veluti si sacerdos sit ita corpulentus, vt difficile iter suscipiat. Ità probabile censent multi apud Malderum suprà, quibus adhæret Bonacina *quæst.*6. *part.* 3. & probabile censet Fagundez *cap.*21. *num.*2.

Ex dictis ruit etiam argumentum aduersum, nempe laborem illum, vtpote intrinsecum, imbibere naturam rei spiritualis.

RESPONDETVR enim separari ratione finis intenti assumendi pretium, pro vt est labor noster ordinatus ad Deo ministrandum. Væ innumeris sacerdotibus, si illa opinio esset vera; accipitur enim pretium rei, non vt est labor spiritualis, sed vt onerosus, vt vidit etiam Tannerus *num.*50.

20 DVBIVM quartum est: an beneficia Ecclesiastica iure naturæ, absque Simonia vendi queant. Suppono, tria esse in beneficio. Primum est Titulus, seu officium spirituale. Secundum vis percipiendi fructus. Tertium fructus ipsi.

QVOAD primum, officium illud spirituale vendere, est Simonia horrenda. Ità communiter DD. apud Molinam *Tom.* 2. *dub.* 340. Fagundez *de contract. lib.*5. *cap.*19. *num.* 23. Tannerum *num.*51. Bassæum 4. *num.* 3. Venditur enim res spiritualia pro temporali contra omne ius, indispensabileque est etiam à Papa.

QVOAD ius percipiendi fructus.

21 DICO primò, posse illud ius locari. Manet enim ius adhuc in titulo fundatum in actu primo; vetatur tamen fieri locatio vltra triennium; sed hoc non est in vsu. Ideò Valentia *puncto* 2. ait, posse locari durante vita locantis.

NVLLO tamen modo potest ius illud cum eo titulo connexum vendi. Ità communiter Theologi cum D.Bonauent. *in* 4. *dist.* 25. *dubiis litt.* D.Thom. *quæst.*100. *art.*4. Valentia *loco cit.* Tannerus *num.* 53. qui ait, esse contra ius naturale. Contra Nauar. *num.* 108. Butrium *cap. ex parte* 1. *de offic. deleg.* Turrecrem. *in cap.*1. *de Simonia*, vbi Panormit. quoad beneficia simplicia. Vide, quæ de collatione beneficiorum discussa habes *tom.* 4. *disp.* 17. *de conscient. quæst.*10. *ad prop.*22. ab Alex.VII. damnatam.

22 AN vero possit Pontifex in hoc dispensare.

PRIMA opinio est, posse fieri à Papa, quia tota prohibitio, ne beneficia vendantur in ordine ad commodum temporale, est Ecclesiastica. Ità Suarez *Tom.*1. *de Relig. lib.*4. *de sim. cap.* 14. Iulius Clarus *lib.*5. *receptarum*, §. *Simonia*, Nauar. *num.* 108. Vgolinus *Tab.*1. *cap.*3. §.5. Carbo *de restit. quæst.*60. Parisius *de resignat. benefic. lib.*14. *quæst.*3. Garzia *de benefic. part.*1. *cap.*2. Et est communis Canonistarum, eamque sequitur Tanner. *num.* 54. dicens, posse hoc ius materialiter acceptum vendi ex causa à Pontifice summo, & adducit Lessium *lib.*2. *cap.*35. *dub.*2. & alios; Fagundez *num.*26. *cap.*20. dicit, id fieri posse à Pontifice, si separet ius fructuum à titulo spirituali, quod idem est, ac materialiter vendere. Hæc mihi videtur D.Bonauent. *locis adductis*, qui vbique constanter ait, separato spirituali, posse temporale vendi.

23 SECVNDA sententia negat, id fieri posse. Ità Victoria *relect. de sim. num.*44. Valentia *quæst.*16. *puncto* 2. Sotus *lib.*9. *de Iust. quæst.*5. *art.*2. Syluester V. *sim. quæst.*12. Couar. *reg. pec.* 2. *part. lib.*8. & plurimi alij apud Garciam. At Suarez, atque Fagundez *num.*17. eam tenent casu, quo Pontifex non separet à spirituali beneficio ius emolumenti, quæ non posse separari ait Bassæus *num.* 5. quia venditur ius ad fructus.

AT quoad fructus potest Pontifex de eis disponere, imponere pensionem, &c. non sine iure eos percipiendi, nec dando simul spiritualem titulum. Ità communiter apud Victorium *num* 50. Valentiam, & alios, & constat ex canonibus, & praxi. Vide Concil. Trident. *sess.*24. *cap.* 13. *de Reform.*

24 QVOD dixi de beneficiis, idem dic de pensionibus, quæ dantur propter titulum spiritualem, non de iis, quæ mutantur temporali. Ità Valentia, & Tanner. post Sotum, & Victoriam: Sunt autem temporales, vt Sacristæ, pulsatores campanarum, &c. Spirituales, quæ dantur Clericis, vt Clerici sunt, & imponunt obligationem habitus clericalis, & tonsuræ ex Constitutione Sixti V.

25 AD beneficia reducuntur etiam Præstimonia, quæ sunt portiones quædam abstractæ à redditibus beneficiorum, & designatæ, vt per modum sustentationis, & adiutorij conferantur iuuenibus ad studia peragenda, vt eo modo possint erudiri, & Ecclesiæ inseruire, vt ait Suarez *lib.*4. *de horis canonicis*, *cap.* 12. Fagundez *num.*29. Hæc cum beneficiis computanda, probabilior pars censet apud Suarez *Tom.*1. *de Relig. cap.* 25. *num.* 4. vbi ait, ità declaratum à Pio V. in quodam motu proprio. Vide Malderum *de Simonia, disp.* 12. *&* 13. Reginaldum *lib.*23. *cap. vlt.* Fagundez *cap.*20.

QVÆRAS quintò: an sit Simonia rem spiritualem cum spirituali commutare.

RESPONDETVR, non esse Simoniam, si 26
non adsit aliquod temporale connexum. Ità Valentia *puncto* 3. Fagundez *num.*58. & alij. Sic de precibus vsus pius inoleuit. Sic & Bassæus 4. *num.*4.

PERMVTATIO autem beneficiorum, vbi temporalia spiritualibus adnexa sunt, positiuo Iure vetita est, si absque legitima authoritate fiat *cap. Quæsitum*: *cap. Cùm olim de rerum permutatione*, & hoc sensu loquitur D. Bonauent. *in speculo animæ*, *cap.*1. dicens, permutando spiritualia beneficia absque superioris auctoritate, contrahitur Simonia secundum iura: repugnat enim iuri Canonico relato, imò & iuri naturæ, quia priuata persona non potest alteri conferre beneficium. Vide Doctores in Bassæo 3. *num.*8.

QVOD si fiat mutatio, vel transactio, seu pa- 27
ctum, dando spirituale pro temporali, vel è contra, tanquam pretium resignationis, vel permutationis, erit simonia, iure naturæ vetita, vt ait Tanner. *n.*60. post D.Bonauent. *loco citato*.

POTEST tamen resignare beneficium, reseruatâ sibi pensione moderatâ, authoritate superioris. Ità Lessius *dub.*15. Vide Tannerum *num.*62. & Bassæum *num.*9.

QVÆRAS sextò: an possit vendi Iuspatronatus, adnexus Ecclesiæ.

RESPONDETVR, simpliciter esse Simonia- 28
cum vendere præcisè Iuspatronatus, per accidens verò posse, vt cùm venditur oppidum, cui adnexum est. Ità S.Bonauent. *in* 4. *dist.*25. *dub.*5. *litt.* & *quæst.*3. quem communiter sequuntur Molina *Tom.*2. *de iustitia*, *dub.*340. Nauar. *tract.*2. *consil. tit. de Simonia*, *consil.*87. Gregorius Lupez *lib.*5. *tit.*5. *partita* 5. Couar. *lib.*1. *variar. cap.* 3. Menoch *de præsumpt. lib.*3. *præsumpt.*90. *num.*25. Garcia *de benefic. part.*5. *cap.*9. Suarez *Tom.*1. *de relig. lib.* 4. *cap.* 28. Rodriquez *Tom.*2. *qq. regul. quæst.*122. Paulus Citadinus *de Iure patr. part.*9. qui tamen addit, quod si in venditione Castri exprimatur Iuspatronatus, venditio est nulla, & citat Geminianum, qui tamen oppositum dicit cum Baldo *leg. fin. Cod. de edict. D. Adriani*. Vide Fagundez *cap.*19. *num.*16.

PRÆNOTANDVM ait S.Doctor *quæst.*3. quod 29
spirituale dicitur tripliciter. Vno modo quod est spirituale purè, vt gratia, virtutes, & dona; & hæc nec de facto, nec de iure vendi possunt, imò si quis ea habens, vellet vendere, non solùm non acquireret amplius; sed etiam quod haberet, amitteret. Qui enim acquirit Simoniacè, restitutioni tenetur. Itaque qui non modò ex sacramentis, donis Sancti Spiritus, Sacerdotio, & Ecclesiæ beneficio pretium accipit, sed & vt rite ea operetur, vult recompensari, puta pro Sacramentis ritè administrandis, tenetur restitutioni, quia ex Iustitia Religionis tenetur ea ritè conficere, atque ministrare, vt notat Fagundez *lib.*5. *cap.* 18. *num.* 9. & idem dic de operibus virtutum, quibus tenemur ex iustitia, vt notat Molina *Tomo primo de Iustitia*, *tract.* 2. *dub.* 89. & alij, neque ob ea, ad quæ tenemur ex voto, vt ait Molina *disp.* 93. neque ob ea, ad quæ tenemur ex præcepto, vt ait idem Molina ibidem, & alij. Tandem res sacræ, & religiosæ validè nequeunt vendi.

QVARE vendens mala fide, tenetur ad pretium 30
rei, & ad interesse ante omnem sententiam, vt ait Molina *disp.*340. Ratio est, quia fraus non debet cuique patrocinari, *cap. sedes Apostolica*, *de rescriptis*: *cap. ex literis*, *de dolo*.

ALIA sunt spiritualia (ait S. Doctor) quia licet corporalia sint in se, adiunguntur tamen spiritualibus, vt Sacramenta Ecclesiæ, & hæc nequeunt

vendi

vendi de iure; sed tamen potest vendi res corporalis adiuncta; qua venditur consequenter etiam res

31 spiritualis. Sic Episcopus Simoniacus, pretio comparato, confert potestatem ministerialem per aliquod Sacramentum, seu signum exterius dispensatam, cui inseparabiliter est adiuncta, nam eo ipso quod confert validè Sacramentum, confert etiam potestatem spiritualem inseparabiliter adiunctam, esto contra ius; confertur enim Character, & consequenter Ordinis potestas. Ideò prohibetur venditio Ordinis Simoniaca 1. *quæst*. 1. à Calixto, Gregorio, & Leone Pontificibus, qui, quoad gratiam sancti Spiritus, non necessariò connexam cum Charactere, declarant eam non conferri recipienti Simoniacè, tametsi conferatur potestas.

32 Alia sunt spiritualia adiuncta rebus corporalibus, quæ tamen sunt temporales, vt Calix consecratus, vel Iuspatronatus, quia ibi consecratio iniuncta est augmento, & Iuspatronatus fundo, & hoc facto potest vendi, quia venditur validè, non tamen de iure, quia illicitè venditor, sed tamen cum eo, cui adiunctum est, transit in dominium ementis; etsi non vendatur consecratio calicis, sed calix. Sic & fundus vendi potest, cui adnexum est Iuspatronatus; sed non ipsum Iuspatronatus de iure, quin committatur Simonia. Itaque qui vasa vendit sacra (& sunt ea sola, quæ consecrantur, nempe calices, & patenæ, vt docent Archiepiscopus Bracar. *p. p. deu. disp*.23. *in cap. liceat*, Sanchez *summa, lib*. 2. *cap*. 43. & alij apud Fagundez *lib*. 5. *de contract. cap*. 59. *num*.20.) est Simoniacus, similiter qui vendit Iuspatronatus, quia sunt res spirituales. Si tamen vendatur res adnnexa, vt castrum, vel ager, non erit Simonia, vt dixi suprà.

33 Qvæstio ingens est: Vtrum vendi, & emi queant Commendæ, non quidem clericales, quæ dantur veluti in titulum beneficij; hæ enim spirituales sunt, vt probat Suarez *lib*. 4. *de simon, cap*. 27. Fagundez *cap*. 20. *num*. 7. sed commendæ militares, quæ dantur militibus aliquorum ordinum.

Certvm est, militias, quæ sunt Religiones, esse spirituales, vt est Religio equitum S. Ioannis Melitensium, & hi gaudent beneficio fori.

Cæteræ verò de *Alcantara*, de *Calatrava*, non sunt religiones, neque gaudent foro. Itaque dare pecuniam, vt admittatur ad eos ordines, non erit Simonia. Ità Diana *Tract*. 2. *de dub. Regul. resol*.64. Fagundez *loco cit. num* 9. & alij apud eos; at pro habitu Melitensium pecuniam recipere, erit faciēda Simonia, & multo magis pro religionibus regularium. Ità DD. apud Bassæum 3. *num* 9.

34 Hinc etiam sequitur, Commendas eorum Ordinum, qui non sunt religiones, absque Simonia vendi posse. Ità communiter apud Fagundez *num*. 10. *cit*. At Commendæ religionis Melitensium spirituales sunt, neque possunt vendi ad eas iurisdictiu.

Mvlto magis Simoniacum erit vendere iurisdictiones ad audiendas confessiones, ad absolutionem accipiendam, ad Indulgentias. Similiter ad licentias laborandi in die festo, non ieiunandi. Pariter iurisdictionem Ecclesiasticam in foro externo. Tandem omnis actus iurisdictionis Ecclesiasticæ est materia Simoniæ, vt notat cum aliis Bassæus 3. *num*. 52. Ità Doctores apud Fagundez *cap*. 22. cum D. Bonauentura *in confessionali, cap*. 5. *particula* 49.

35 Potest tamen Pontifex pro dispensationibus aliquid recipere. Vide Suarez *Tom*. 2. *de Religione, lib*. 6. *de voto, cap*. 27. Lessius *Tom*. 1. *lib*. 2. *cap*. 40. *dub*. 10. Sanchez *lib*. 4. *Decal. cap*. 46. vbi docent sanum esse consilium in dispensationibus votorum aliquam iniungere commutationem, quia communiter tatò tales dispensationes sunt sufficientes. Addit Fagundez *num*. 11. si causæ sint apertæ, & sufficientes, nullam esse faciendam commutationem.

QVÆSTIO III.

Quo pacto committatur Simonia ex parte ipsius actus commutationis.

Qvæstio prima esse potest, an quomodocumque accipere temporale pro spirituali, sit Simonia, vel è contrà. 36

Respondetvr, non esse, nisi quando temporale accipitur, tanquam pretium rei Spiritualis, vel è contra; quando verò commutatur, vt propter motiuum, vel solum ob compensationem gratuitam, non accidit Simonia, saltem in foro conscientiæ. Ità ex mente D. Thom. *quæst*. 100. *art*. 1. & D. Bonauenturæ *locis allatis quæstionibus præcedentibus*, præcipuè *in* 4. *dist*. 25. *in dubiis, litt*. & q. 4 cæteri, Syluest. V. *Simonia, quæst*. 3. Caietanus V. *Simonia*, Nauar. *c*. 23. *num*. 100. Valentia *quæst*. 16. *puncto* 3. Fagundez *de contract. lib*. 5. *cap*. 18. *& sequent*. Tanner. *disp*. 5. *q*. 8. *dub*. 3. Ratio constat ex dictis *quæst*. 1.

Erit tamen Simonia in casibus, iure expressis.

Ex dictis habes, non esse Simoniam Sacerdotum accipere aliquod stipendium pro Missis, aliisque ministeriis spiritualibus; accipiunt enim solùm ex gratitudine; ex iustitia verò accipiunt, quatenus talia ministeria sunt onerosa, vt notat Valentia *loco cit*. Tannerus *num*. 68. qui ita incidunt in sensum D. Bonauent. *quæst*. 2. relati, licere pro labore intrinseco pretium sacrorum accipere. 37

Habes etiam posse impendi aliquas donationes Ecclesiæ sub onere ministrandi Missas, quia spirituale tunc est tantùm motiuum, nec est emptio. Vide Syluestrum V. *Simonia, quæst*. 17.

Neqve erit simonia ex metu conferre alicui aliquid spirituale, nihil enim alienum accipit, sed sua tantùm seruat, eoque tanquam mero motiuo inductus, dat spirituale, vt docent Victoria *num*. 24. Valentia *loco cit*. Tannerus *num*. 74. Putat tamen Valentia, fore simoniam, si ex metu amittendi futurum bonum, detur spirituale; addit tamen Tannerus non esse verum, quando ex mero motiuo id præstat, nisi fortè secundùm præsumptionem sit simonia, ideò S. Doctor *dist*. 25. *dub*. 6. vnam causam simoniæ ponit timorem malè humiliantem.

An verò sit simonia, conferre beneficium ob consanguinitatem, negant Tanner. 2.2. cum S. Thom. *quæst*. 100. *art*. 5. Nauar. *num*. 101. Sotus *quæst*. 7. *art*. 3. Victoria *num*. 27. Valentia *loco cit*. nisi adsit expectatio alterius commodi, tanquam pretij, quamuis dicant, aliter peccari posse in acceptione personarum. 38

S. Bonaventvra *loco cit*. asserit, esse simoniam, sicuti etiam dare ob honores acquirendos, & famam popularem, si tamen hæc in pretium computentur, siue dentur immediatè conferenti, puta beneficium siue collateralibus, sunt enim bona omnia temporalia, quæ spiritualibus nequeunt compensari, & ità S. Doctor non recedit à cæteris; Graue autem dubium hîc oritur: Vtrum liceat aliquando paciscì de retribuendo temporali pro beneficio spirituali. 39

40 PRIMA opinio est in foro quidem externo præsumi Simoniam, per se tamen in foro conscientiæ posse fieri, modò temporale non petatur, tanquam pretium rei spiritualis, nec eiusmodi pactum specialiter iure positiuo prohibeatur, vt accidit in commutatione beneficiorum; tunc enim esset Simonia saltem iuris positiui. Ità Tannerus *disp. 5. de Relig. quæst. 8. dub. 3. num. 76.* Suppl. Gabriel *in 4. dist. 25. quæst. 2.* Caietanus *quæst. 10. art. 3.* & *in summa, v. Simonia*, Sotus *lib. 9. de Iustitia, quæst. 6. art. 5.* Nauar. *manuali, cap. 23. num. 101.* Valentia *quæst. 16. puncto 5.* quem probabilem ait Diana *p. p. Tract. 16. resol. 49.* vbi refert etiam Suarez *Tom. 1. de Relig. lib. 4.* ex Nauar. non esse Simoniam, si aliquid detur pro labore suscepto, eundo, & redeundo ad beneficij collatorem, vel in compensationem alicuius damni, quod ea de causa patitur, sed cauendum monet, ne Simonia hîc pallietur.

41 IDEM Diana *part. 6. tract. 7. miscell. resol. 42.* refert Cælestinum *in Compend. Theol. moral. tract. 17. cap. 4. num. 3.* vbi docet, non esse Simoniam deducere in pactum, titulo gratitudinis, promissum ratione beneficij collati; non tamen licere, si debito iustitiæ exigatur pactum gratitudinis. Subscribit Ghilinus *in pract. resol. casuum, consc. verbo beneficium, num. 7.*

TAMEN Diana in praxi hanc sententiam non recipit.

IGITVR tale pactum esse Simoniacum, docet Syluius *in resol. variis, v. Simonia 2. comb. 2.* nam contractus, & pactum non est ex mera gratitudinis causa, dum in pactum deducitur. Idem censet Bonacina *Tom. 1. disp. 1. de Simonia, quæst. 5. puncto 1. num. 7.* Filliucius *Tom. 3. tract. 45. cap. 10. num. 24.* Vide Raphaelem de la Torre *2. 2. quæst. 100. art. 6. dub. 3.*

42 HÆC sententia videtur declarata *cap. finali extra de pactis*, vbi dicitur: *In spiritualibus omnis pactio, omnisque conuentio cessare debet*, & cap. quæsitum *extra de rerum permutatione*, denotatur huiusmodi pacta continere semper labem Simoniæ. Vide & *cap. Tua nos, & Simonia*, & *cap. quem Pio 1. quæst. 2.*

D. BONAVENTVRA *in speculo animæ, cap. 2.* Transactionem spiritualis beneficij esse Simoniam affirmat, & ait: *Transactio autem est de quacunque re spirituali non gratuita pactio.*

43 HIC subtilissimè rationem habet, quam sumit Syluius, nempe, Transigere, & pacisci, repugnare gratuito; & ideò primam sententiam sequitur, quæ mihi admodum probatur; non enim percipio quâ ratione stent simul pactum huiusmodi, & sincera redditio ex mera grati animi exhibitione; Ideò omnes pactiones Simoniacæ declarantur, *1. quæst. 1. cap. ordinationes: cap. sunt nonnulli: cap. statuimus decretum: cap. si quis à Simoniacis*, vt notat D. Bonauent. *in confessionali, cap. 5. particula 47.* & post eum alij apud Bassæum 8. *& seqq.* vbi tamen ait posse pacisci, sed suspensè ad consensum Prælati.

QVÆSTIO IV.

De Pœnis Simoniacorum.

DE singulis speciebus Simoniæ agendum est. 44
SIMONIA quidem mentalis nullam pœnam subit, nisi æternam coram Deo; est communis sententia apud Valentiam *puncto 6.* qui addit, hoc verum esse, etiamsi mentalis ad actum exteriorem prouenerit dandi, & recipiendi, patet ex *cap. mandato*, quod est vltimum *extra de Simonia*, contra Adrianum *quodl. 9.* Sotum *lib. 9. de Iustitia, quæst. 8. art. 1.* Aragon. *quæst. 100. art. 6.* dicentes, talem Simoniacum teneri ad restitutionem: Nam neque temporale, quod per eam acquiritur, est restituendum, nec beneficium acquisitum resignandum, nisi fortè constet, temporale illud non nisi ab inuito datum esse ad redimendam vexationem, vt notat etiam Tannerus *n. 44.* Bassæus *loco cit.*

45 CONVENTIONALIS Simonia primò obligat ad restitutionem, siue temporalis, siue spiritualis, modò id restitui possit, vt beneficium; nam Sacramentum restitui non potest, vt notat D. Bonauent. *4. dist. 25. quæst. 4.*

PROBATVR. Omnis enim contractus Simoniacus, seu conuentionalis, seu realis, est nullus, saltem iure positiuo *cap. Presbyter: cap. si quis Episcopus 1. quæst. 1. cap. de hoc: cap. Adrianus, de Simonia*, vt refert S. Doctor *in confessionali, cap. 5.* & extrau. *Detestabile*, eodem titulo.

46 PROBABILE tamen simul esse, ait Tanner. *num. 86.* nullam Simoniam conuentionalem, excepta ea, quæ confidentiæ dicitur, inducere ipso facto vllas pœnas iuris positiui. Idem censent Nauar. *n. 104.* Couar. *in Clementina si furiosus, part. 1. §. 1.* Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 27.* etsi contrarium doceant Sotus, & Caietanus.

EST autem Simonia confidentiæ, qua quis cum aliquo, cui beneficium Ecclesiasticum confert, aut resignat, aut quem ad id præsentat, aut eligit, aut quoquomodo curando, vt aliquid prædictorum fiat, promouet, saltem tacitè paciscitur (sine pacto enim saltem tacito Simonia non accidit, vt post Nauarrum *num. 107.* ait Lessius *dub. 16. num. 95.* Tannerus 96.) vt illud idem beneficium sibi, aut alteri resignet, aut pensionem ex eo, aut fructus, eorumve partem alteri præstet.

47 ITERVM, si admittas aliquod ius accessus, regressus, aut ingressus. Accessum ad beneficium procurat Prælatus, qui volens alteri beneficium, puta nepoti, ei dat ius, sed interim defert alieno donec nepos ad ætatem congruam veniat, ad quam perueniens, propria authoritate beneficium adeat. Regressum habet, si resignet beneficium, cum iure illud recipiendi, si ille præmoriatur, vel fiat Episcopus, aut si pensionem non solueret: Ingressum dicitur habere, qui priusquam possessionem beneficij adeat, alteri resignat seruato iure illud adeundi, si ille præmoriatur, vel Episcopus creetur, aut fiat religiosus. Has retrocessiones reprobat Concil. Trident. *sess. 25. cap. 7.*

48 HÆC Simonia infert contrahentibus anathema Papale; Secundò priuationem beneficij; Tertiò priuationem aliorum beneficiorum ante obtentorum; Quartò inhabilitatem ad omnia beneficia; Quintò collatio talis beneficij, Simoniacè collati, Papæ soli reseruatur. Ità Pius V. *extr. intolerabili.* Vide Nauar. *num. 100.*

Ad

Ad has pœnas subeundas requiritur, vt tam sit acceptum beneficium, vt monent Lessius *lib.2. c.35. dub.26.* Filliucius *tract. 45. cap. 13. quæst. 5.* Suarez *cap.43. num.13.* & alij ap.

49 Nota, hanc Simoniam, iure tantùm Ecclesiastico vetitam, solam inducere ipso facto pœnas iuris positiui. Quod si postea impleta fuerit pactio, retrotrahuntur pœnæ ad tempus pacti. Aliqui tamen hæc in solo foro soli concedunt, vt Nauar. *c.25. num.104.* Henriquez *de excom. cap. 19.* Itidem valere solùm post sententiam docent Lessius *loco cit.* Sanchez *lib.9. de matrim. disp.30.*

Aduerte etiam has inhabilitates incurri etiam quando examinatores ad parœcias aliquid ex examine ab incurrandis accipiunt vt notat Lessius *cap.34. dub.26. & 27.*

50. Simonia realis in ordinibus sacris has pœnas subit. Primò ordinans est excommunicatus. Secundò suspensus à conferendis vllis ordinibus, etiam prima tonsura. Tertiò suspensus ab omni actu Pontificali. Quartò interdictus ab ingressu Ecclesiæ. Quintò si contra hæc adhuc agat, suspensus est ab administratione suæ Ecclesiæ, & perceptione omnium fructuum beneficiorum. Sextò à solo Rom. Pontifice potest absolui, etsi delictum sit occultum, Extrau. *Cum detestabile.* Sixti V. Vide Lessium *lib.2. cap.35. dub.24.*

51 Qui ordinem sic susceperit; Primò excommunicatus est ipso facto. Secundò suspensus ab executione suorum ordinum. Tertiò ministrans fit irregularis. Deinde per Bullam Sixti ipso facto priuatur omnibus dignitatibus, & beneficiis, & fit inhabilis ad illa. Quartò absolutio, & dispensatio reseruatur Papæ; si autem casus sit occultus, seposita Bulla Sixti, posset dispensare, & absoluere, Episcopus è Concil. Trident. Vide Dianam *4. part. tract.4. resol.157.*

52 Qui beneficium confert, vel procurat alteri simonià reali eligendo, præsentando, postulando, vel instituendo, est ipso facto excommunicatus. Nomine beneficij intellige Abbatiam, Prioratum, Rectoratum, Guardinatum, Prouincialatum, Generalatum, &c. vt docent Portel. V. *Simonia*, Suarez *tract.5. disp.52. sect.4.* Sigismundus à Bononia *part. 2. cap.1. disp.55.* Diana *loco cit. resol.156.* Bassæus V. *Simonia 6. num.2.* Alij tamen nomen beneficij restringunt, quippe in materia odiosa, ad prouentualia. Ità Azor *3. part. lib.12. cap.21. quæsito 6.* Bonacina *disp.1. quæst.7. §.2.* & aliqui beneficium sic, adit: Primò est ipso facto excommunicatus. Secundò talis collatio est nulla, nullumque ius tribuit, tamen si Simonia pro institutione commissa sit, electio non est irrita. Tertiò fit inhabilis ad idem beneficium, etsi Simonia est publica, & deducta ad forum externum à solo Papa iure potest reddi habilis. Si verò occulta, censent aliqui, eam tolli ab Episcopo. Eandem à confessariis mendicantibus auferri posse docent Crousers *ad c.7. Reg. min. lect.18.* Bassæus V. *Simon.6. num.2.*

53 Simonia realis circa religionis ingressum, Primo inducit anathema. Secundò conuentui, seu Capitulo suspensionem, si consenserint. Tertio admissi sunt inhabiles ad monasterium. Hæ tamen pœnæ incurruntur secuta professione, non autem si ante eam Simonia retractetur, ità Filliucius *cap. 53.* Reginaldus *lib.13. n.173.* Suarez *cap.56. num.7.* Bassæus *cit. num.3.*

Nota ex communi sententia excommunicationem, quæ contra Simoniacos in ordine, vel beneficio infligitur, incurri etiam ob Simoniam, solo iure humano vetitam, vt in permutatione beneficij sine superioris authoritate, reseruatio pensionis sine authoritate Papæ, &c. Ità DD. in Bassæo. Tamen oppositum docent alij cum Diana *part. 4. tract.4. resol.155.* Vide Tannerum *num.95.*

Omnem Simoniam absolui posse à confessariis Mendic. docet noster Crousers *lect. 28.* quia Pontifices post Sixtum reseruantem, dicunt eum, qui potest absoluere ab hæresi, posse etiam à quibusuis reseruatis. 54

Addunt aliqui, pœnas iure statutas habere locum in Sacramento ordinis, atque in beneficiis, & ingressu Religionis: Quare in aliis Sacramentis conferendis, in consecrationibus, dispensationibus, & in pensione vendenda dicunt eas non incurri, sicuti nec in permutatione suprà dicta, quia nullo iure exprimitur: Sic Tannerus. Potest autem in Simoniaco scienter beneficiato solus Papa dispensare.

Restitutio quoque instat Simoniacè accepti. Ità DD. cum D.Bonauent. *in 4. loco cit.* 55

Acceptum pro re spirituali restituendum est iure diuino, etsi res spiritualis non sit tradita. Hanc restitutionem faciendam ei, qui tradidit, docent aliqui apud Bassæum 7. ex *cap. veniens de Simonia*, ante iudicis sententiam.

Vera tamen sententia est, restituendum Ecclesiæ. Ità D.Thom. *quæst. 100. art.6. ad 4.* & *quæst.32. art.7.* & Doctores omnes ante Sotum cum D. Bonauent. Allegantur speciatim Canonistæ, *cap. de hoc* & *cap. Audiuimus, de sim.* 56

Ad *cap. Veniens*, dico eo casu eum dedisse absque culpa. Itaque non ritè Valentia, & alij dicunt dominum rei temporalis non priuari dominio, sed solùm spirituali. Sanè vterque, mala fide agens, est æqualis.

Si beneficium iam sit traditum, & Simonia vtrinque completa, aliqui cum Soto docent restituendum danti ante sententiam, sed post eam Ecclesiæ. 57

Vera tamen sententia, vt dixi, est restituendum etiam ante sententiam. Ità D. Thom. suprà, & D.Bonauentura.

Pretium Simoniacè, sed non iniustè acceptum, non est restitutioni obnoxium iure naturali diuino, quia restitutio debetur violatæ iustitiæ: at Simonia est irreligiositas.

Pretium verò, pro re spirituali acceptum, est contra iustitiam: Ideò tenetur, tametsi Nauar. *n.103.* Syluester *quæst.20.* Caietanus V. *simon.* dicant non teneri ad restituendum. 58

Res spiritualis, Simoniacè acquisita, non est iure diuino dimittenda; puta beneficium. Ità communiter apud Bassæum *7. num.3.*

Iure autem Ecclesiastico res spiritualis non est restituenda, nisi sit beneficium Ecclesiasticum. Cætera autem spiritualia, vel dimitti nequeunt, vt Sacramenta, nisi quoad vsum, vt in Ordinibus, vt ait S.Doctor suprà, vel non sunt dimittenda ante sententiam.

Tamen quoad pretium, est iure positiuo restituendum. 59

Nota etiam fructus restituendos, vel Ecclesiæ, vel ærario Apostolico, vel in pios vsus; vel successori, vbi vsus est, fructus vacantis beneficij huic dari, Less. *num.174.* Tannerus 92. & alij.

Etiam qui bona fide acquisiuit sibi ab alio Simoniacè obtento, tenetur restitutioni (excipe fructus bona fide consumptos) ex D.Thom. *ad 3.*

Excipiunt. si ille ex malitia hunc eis bonis onerauit, vt restituere cogeretur; tunc enim lex non obligauit. 60

DISPVTATIO XIII.

DE CÆTERIS VIRTVTIBVS, *IVSTITIÆ ADNEXIS.*

IVSTITIA, præter cæteras virtutes, id obtinet priuilegij, vt hominem Deo, ſibi, & proximo concordem faciat; ideò in ſua latitudine generalis quædam eſt virtus, nec animæ imperium priùs occupat, quàm magno plurium virtutum comitatu ſtipata, de ſuo ſit ſecura dominio; præcipua eius iura, & munia huc vſque expendimus; vitia quoque, quæ perpetuam ipſi bellum iudixêre, diſcuſſimus. Reſtant igitur hic pediſequæ quædam virtutes, Iuſtitiæ iugiter obſequentes; eas modò libet examinare: Et primò quidem occurrit Pietas, patriæ, parentibus, &c. beneuolum exhibens cultum: Secundò Obſeruantia, debitum ſuperioribus honorem deferens: Tertiò Dulia, quæ ſanctos, & quidquid horum eſt, veneratur: Quartò Obedientia, nil præceptum prætermittens: Quintò Gratitudo, cui manet alta mente repoſitùm beneficium, vt illud ſuo tempore rependat: Sextò denique obuiat Vindicatio, quæ illatam Iuſtitiæ iniuriam inultam non reliquit: His opponuntur plura, quam ſint virtutes, vitia, cùm malum in plura ſoleat diuidi capita, quàm bonum, vnitis quippè viribus ſecurius; Solitâ de ſingulis breuitate agam.



SECTIO I.

DE PIETATE.

VIRTVTES, quæ cognato aliquo fœdere iunguntur, ſibi ſua nomina non raiò accomodant; vnde Pietas pro miſericordia, ſeu illa compaſſione, qua erga aliquos mouemur, ſæpe ſumitur, & è contra; hinc etiam affectus ille, quo, quædam Bruta ſuos fœtus tanta alunt ſollicitudine, in ſpeciem pietatis tranſit, vt à nonnullis vocatur; non abs re igitur erit, quid verè ſit Pietas, quot modis ſumitur, & qualis ſit virtus, inquirere.



QVÆSTIO I.

Quid ſit PIETAS, *& qualis Virtus.*

D.Bonauent.3. diſt 35. quæſt.6.
D.Thom.2.2. quæſt.101. art.1.

1 NOTAT S. Doctor *in* 3. hîc, & *diſt.* 9. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 3. ex D. Augnſtino 10. *de ciuitate, cap.* 1. & aliis locis, Pietatem multimodè accipi.

PRIMÒ enim ſignificat cultum Dei, ipſamque Religionis virtotem, qua Deus colitur, quam Græci EVSOBIAM vocant. Qua ratione volentes aliquem à Religione commendare, eum appellamus pium.

SECVNDÒ ſignificat virtutem miſericordiæ, vt ſcribit etiam Hogo *de clauſtro*, & D.Bonauent. *de dono Pietatis*, & D.Gregorius 1. *moral. cap.* 2. huius autem rationem reddit S. Auguſtinus *loco cit.* quia opera miſericordiæ ſunt à Deo peculiari ratione præcepta, ex qua conſuetudine factum eſt, vt & ipſe Deus pius dicatur.

2 TERTIÒ ſignificat ſpeciale donum Spiritus ſancti, vt habes *Iſaia* 11.

CÆTERVM alio modo accipitur hîc pro Virtute, qua debitus patriæ, parentibus, conſanguineis, & conciuibus cultus tribuitur. Hanc ſic definit S.Doctor 3. *part. Centil. ſect.* 42. & *Opuſc. declaratorio terminorum Theol.* & *in Compend. Theol. verit. lib.* 5. *cap.* 37. è Cicerone, lib.2. de Iuuentute. *Pietas eſt per quam ſanguine iunctis, patriæque beneuolis officium, & diligens tribuitur cultus.*

3 RATIO eſt, quam affert Tanner *diſp.*6. *quæſt.* 1. *dub.* 1. ex D. Bonauent. 3. *diſt.* 35. quia naturale ius dictat affectum erga ſuum principium, ſpeciali ratione, atque adeò virtute. Sicuti ſpeciali ratione ferimur in Deum, vt principium noſtrum, virtute Religionis. Sunt enim parentes, & patria, è quibus ortum habuimus, & enutriti, ſecundaria nobis poſt Deum principia.

4 IN cultu ſanè parentum includitur honor debitus aſcendentibus, & cæteris conſanguineis, quippe ad noſtros parentes ſpectant, vel vt principia, vel vt effectus, vel coniuncti, vt docet S. Bonauent. *locis adductis*, ex Ariſtotele 8. *Eth. cap.* 12. In cultu itidem patriæ includitur cultus omnium conciuium, & omnium patriæ amicorum.

5 HÆC virtus eſt pars potentialis Iuſtitiæ eximia, vt docet S. Doctor *ſect.* 1. D. Thom. *art.* 3. & alij, quippe quæ ſpeciale in obiectum fertur, nempe in parentes, & patriam, vt ſunt principium connaturale producens,

producens, atque guberoans. Qnamuis enim dilige- ce omnes sit Chariatis; tamen affectus in parentes sub tatione hac, est specialis Virtua Pietatis. Sic eriam, tametsi iustitia Legalis feratur ad patriam, vt bonum eummune; tamen vt est nobis principiom essendi, & durandi, ad specialem virtutem Pietatis spectat.

6 H V I V S virtutis officium est per se quidem parentibus, & patriæ, adeoque conciuibus hoooretn, & teueientiam; per accidens verò, & in casu necessitatis eriam officium subuentionis, atque sustentationis exhibere. Ità D. Thom. *art.*102. *ad* 1. D. Bonauent. *serm.* 5. *de decem præceptis*, & communitee apud Fagundez *in* 4. *præcepto*. Vtrunque probant ex quarto præcepto Decal. *Honora Patrem, & Matrem*, qood explicat Christus, *Matth.*15. reprehendens Pharisæos, impedientes filios à parentibus sustentandis. Et hoc ducuit Cicern suprà, in definitione Pietatis, vbi obiectum Pietatis ait esse officium, quod refertur ad obsequium subuentionis, & cultum, qui ad ceuerentiam fertur; nam vt ait D. Augustinus suprà, dicimur colere homines, qoos honorifica vel recoedatione, vel præsentià frequentamus.

7 R A T I O D. Bonauent. est *citato sermone*, quia si ex Charitate cæteris tenemur in necessitate subuenire; multo magis speciali rationa tenemue parentibus, aliisque sanguine iunctis, & patriæ beneuolis.

T A N E N T V R quidem parentes filiis thesaurizare, non filij parentibua, vt ait Apostolus 2. *Corinth.* 12. quia filij parentibus succedere debent, tamen in sustentandis parentibus ex necessitate, maior est obligatio filiorum erga parentes.

8 P R Æ C L A R E autem rationem affert S. Doctor *serm. citato*, ex *Eccl.* 13. vbi dicitur: *Qui timet Deum, honorabit patrem, & matrem suam, & quasi dominus seruiet eis, qui se genuerunt*, cùm enim filij sint partes præcisæ è parentibua, debitæ sunt suo toto magis, quàm totum partibus singulis. Hoc grauiter probat S. Doctor *ex Ephes.* 6. vbi, ad iustitiam id ait pertinere: *Filij obedite parentibus vestris: hoc enim iustum est.* Vbi cum Apostolo obseruat, eum vocari ad mandatum primum in repromissione, quia ei repromittitue longæua super terram habitatio, cùm cæteris præceptis non addatur repromissio alicoius boni. Longæuitaa autem non merè longitudinem dierum sonat; (multi enim moriontur boni filij,) sed valorem, vt ait S. Doctor *loco cit.* vt dicitur *Eccl.* 3. vt infrà.

9 I D I P S V M ostendit S. Doctor etiam ex illo Eccles. 3. *Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes in vita illius: Qui honorat patrem suum, iucundatur in filiis, & in die orationis sua exaudietur. Qui honorat patrem suum, vita viuet longiore: & qui obedit patri, refrigerabit matrem suam. Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis seruiet his, qui se genuerunt. In opere, & sermone, & omni patientia honora patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio eius in nouissimo maneat.* Vide S. Doctorem *loco cit.* bæc præclare exponentem.

10 A D D I T tamen, quod si obsequium parentum abstrahat nos à cultu Deo debito, iam non est insistendùm cultui parentum contra Dei cultum, vt etiam Christus doeuit *Luca* 14. & ibi egregiè S. Doctor commentatur: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus*, & Matth. 10. idem habetur. Vide in laudem Iacobi, & Ioannis dicitor: *Matth.* 4. eos relictis retibus, & patre, secutos Christum; & in laudem Leuitarum, Deuter. 33. *Qui dixit Patri suo, & matri sua: Nescio vos; & fratribus suis: Ignoro vos: & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt*, vt obseruat S. Doctor *ad cap.* 9. *Luca* ad finem in ea verba: *Sine mortuos sepelire mortuos suos.*

A P P A R E T etiam S. Doctoe illam D. Hieronymi sententiam, epist. 1. ad Heliodorum: *Percalcatum perge patrem, percalcatam perge matrem, & ad vexillum Crucis euola: Summum genus pietatis est, in hac re fuisse crudelem.* Ratio S. Doctoris est, quia magis obligamur ad colendum Deum, quàm parentes, & *magis oportet obedire Deo, quam hominibus*, Act. 5. 11

Q V O D idem tamen infert, sæpe nobis omittenda aliqua bona spiritualia ob parentes adiuuandos, & religiooem non debemua ingredi, quia hoc est bonum consilij; at subuenire parentibus in necessitate, est præceptum, vt docet S. Doctoe *in cap.* 1. *Regula*, & S. Thom. hic *art.* 4.

H I C occurrunt quæstiones aliquæ, quas soluam. Prælibo autem filij nomen Græce φιλα indicare *Philo* idest amicus.

C V M enim filij tria teneantur exhibere parentibus; Amorem cum reuerentia, Obedientiam, & Beneficientiam, seu vt ait D. Bonauent. *serm. citato*, triplex honor parentibus debetur, Reuerentiæ, Obedientiæ, & Beneficentiæ; ex hoc triplici capite speciales contrahunt obligationes. 12

Q V O A D primum tenentur amare singularitee parentes, non solùm internè, sed etiam externè, adeo vt odium erga parentes, vel asperitas, sit grauius peccatum, quàm erga alios; quia non solùm contra charitatem, sed etiam contra pietatem delinquunt. Ideò hæc circumstantia est in confessione explicanda, sicut, qui patrem occideret, teneretur eam circumstantiam explicare. Ità D. Bonauent. *serm. cit.* Bass. V. *Filius* 2. Toletus *lib.* 5. *summa*, *c.* 1. Nauar. *in manuali lat. c.* 24. Azor *tract.* 2. *lib.* 2. *cap.* 2. *quæsito* 2. Syluest. V. *filius*, *quæstio* 22. Tabiena *ibi*, *quæsit.* 26. Fagundez *lib.* 4. *c.* 2. Tenentur etiam reuerenter erga eos se habere.

Q V O A D secundum, tenentur obedire parentibus in gubernatione. 13

Q V O A D tertium, tenentur in necessitatibus subuenire; multa verò dubia in his occurrere possunt.

QVÆSTIO II.

Qua reuerentia Parentibus sit exhibenda.

A S S E R O primò, teneri filios non iacere contumelias, vel iniurias graues parentibus inferre. Est communis sententia cum D. Bonauent. *serm.* 5. *in decem præcepta.* Ità etiam Nauar. *man. cap.* 14. Tolet. *lib.* 5. *c.* 5. Richard. *in* 3. *dist.* 37. Alens. 3. *p. dist.* 4. *præcepto*, Syluest. V. *filij*, *q.* 22. Molfes. *tract.* 2. *c.* 18. Bassæus *cit.* 14

N O N licet tamen vnquam parentibus manus iniicere, nisi cogantur filij ad vitam tuendam, aut patriam. Ità Azorius *tract.* 2. *cap.* 51. *q.* 10. Itaque neque licet patrem bannitom occidere. Ità Iulius Clarus *in praxi*, *lib.* 5. §. *Homicidium*, Bonac. *de contract. dub.* 2. *q. vlt. sect.* 1. *p.* 2. Diana *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 25.

A S S E R O secundò, mortiferè peccare filios, qui parentes dedignãtur, & ratione paupertatis contemnont. 15

H V I V S rei casum horribilem refert S. Doctor *loco cit.* cuiusdam filij, qui suadente vxore nobili, garrula, & petulante, dedignabatue patrem suum, & ei abscondebat esculenta. Quadam die aduênit miser senex, & vix ei fabaa detulere; eo autem recedente, pinguem protulere ex arca coctum caponem, qui in monstruosum versus bufonem, insiliit in faciem eius, & duobus pedibus mentum premens

& duobus oculos, totam faciem opprimebat, & nulla diligentia, nullaque vi potuit auelli. Aduenit medicus, applicuitque remedia præpotentia, tunc bufo venenatos, terribilesque difigens in medium oculos, vt territus ceciderit; mox verò impium iuuenem miserè interemit. Hoc S. Doctor testatur se audisse à quodam viro, fide digno, qui interemptum nouerat.

Si tamen graue damnum ingruat eos agnoscendo, non erit culpa eos renuere, dummodò reuerentiam exhibeas, atque subuenias. Ità Toletus *lib.5.cap.5.* Nauar. *man.cap.*14. Fagundez *lib.4.cap.5.num.*11.

16 Assero tertiò, filios accusantes in iudicio parentes, grauiter peccare, nec recipi. Licet tamen filio petere, vt à parentibus negata iniustè alimenta exhibeantur. Licitum est etiam in crimine hæresis, & læsæ maiestatis. Vide Doctores apud Fagundez *num.*12.

Ratio est, quia bonum publicum, iure naturæ, est priuato anteponendum. Quæ ratio solum probare videtur teneri etiam, quando hæresis esse potest aliis perniciosa, non autem si esset secreta; neque pater eam doceret, vt ait Fagundez cum aliis apud Dianam citandum; sed ego omnem hæresim, vt cancrum serpere dico cum D. Paulo. Ideò assero in
17 tali casu filium teneri. Ità Farinacius *de hæresi, quæst.*197. Suarez *de fide, disp.* 20. *sect.* 4. Azor *par.*2. *lib.*2. *cap.* 2. *quæsito* 13. Diana *p.p. Tract. de Denunc. resol* 4. Idem dico de marito in vxorem, & è contra. Vide Dianam *resol.*5. In casibus verò sapientibus hæresim, multi id negant apud Dianam *resol.*6.

QVÆSTIO III.

Quæ obedientia sit Parentibus exhibenda à Filiis.

18 Assero primò teneri filios obedire parentibus in his, quæ ad regimen domus spectant. Itaque non obedire parentibus, præcipientibus filio, vt caueat ab aliquo mortali, vel occasione eius proxima, ne noctu egrediatur, nec cum facinorosis ambulet, vt fugiat ludos vetitos, meretrices, & similia, est mortale. Ità S. Bonauent. *serm.* 5. *in decem præcepta*, Toletus *lib.* 5. *cap.* 1. Nauar. *man. cap.* 14. Fagundez *in* 4. *præceptum, cap.*4.

Assero secundò, non teneri filios obedire parentibus in rebus iniquis, & hoc sensu odium erga parentes præcipit Christus, vt dixi *quæst. prima.* Ità D. Bonauent. *loco cit.* Toletus *lib.* 5. *cap.* 5. Nauar. Fagundez *loco cit.*

19 Assero tertiò, neque teneri filios obedire parentibus in his, quæ ad statum vitæ capescendum pertinent, vt ad religionem, vel ad matrimonium. Debet enim quisque in hoc liber esse, vt obseruat S. Doctor ad ea verba regulæ, cap. 2. *Si qui voluerint hanc vitam accipere.* Id probat illo Matth. 19. *Si vis perfectus esse, &c.* Idem aduertit Fagundez *num.*3. cum aliis. Idem ostendit ex libertate vocationis ad hæc S. Doctor *in* 1. *dist.*29. *quæst.*3.

20 Assero quartò, posito tamen quod filij velint contrahere, mortale esse non accipere, iussu patris, dignam, vt inimicitiæ sopiantur, ait Fagundez cum Toleto, & Nauarro allegandis, & Henriquez *lib.*11. *de matrim. cap.* 6. & esse communem sententiam, estque D. Bonauent. infra allegandi. Sed ego addere intelligi, si illa placeat, neque sit periculum, vt sæpe euenit, auersionis perpetuæ, inhonori matrimonij, vt ille deuiet ad meretrices. Est enim hæc lex perpetuæ seruitutis: Sic Doctores communiter apud Hurtadum *de matr. d.* 6. *diff.* 10. *num.* 35. Dianam *part.*4. *tract.*4. *resol* 132.

Vrget autem grauis quæstio: an grauiter peccet filius, nolens ducere dignam iussu patris, & aliam dignam accipiens sine rationabili causa, suâ merâ voluntate.

Prima opinio est eum grauiter peccare. Ità Gutierz *lib.*1. *qq. can. cap.* 20. Barbosa 4. *part. lib.* 1. *ff soluto matrimonio, num.* 33. Veracruz *in speculo coniugali* 3. *part. art.* 20. citant etiam ambos Sotos, Menochium, & alios; sequitur Fagundez *lib.*4.*cap.*4.*num.*4. videtur Nauarr. *in summa Lat. cap.*4. *num.*15. 21

Secunda opinio negat: Sic Toler. *lib.*5.*cap.*1. Molina *de primog. lib.* 2. *cap.*13. citatur etiam D. Thom. 2. 2. *quæst.*104. *art.*5. *in corpore*, Corduba *casu* 171. Victoria §.267. Couarr. *cap.*3. § 8. Henriquez *lib.*11. *de matrim. cap.*6. Bassæus *V. Filius, num.*5. si tamen nulla Patri causa grauis adsit vetandi.

Tertia opinio docet, eum teneri quidem consulere parentes, non tamen obedire consilio. Ità Sanchez *lib.* 4. *de matrim. d.* 23. alios adducens, præcipuè D. Thom. & Gutierz, sed malè.

Sententia D. Bonauent. *in* 4. *d.*29. *quæst.*1. 22
hæc est, non posse patrem præcipere filio, vt aliquam ducat in vxorem, nisi rationabilis causa instet, vt si habeant inimicitias, neque aliter possint conciliari. Vel nisi charitas vrgeat, vt si præcipiat, ne contrahat cum muliere mala. Vel nisi ipse filius promiserit, seu sponsalia contraxerit. Quare S. Doctor est cum secunda sententia, quam astruo.

Probatur primò à S. Doctore quia in eo, in quo sumus pares, vnus non tenetur alteri obedire; sed quo ad ius matrimonij omnes sunt pares, nisi aliud eiusdem iuris præceptum naturale desuper ingruat: Ergo præceptum patris, vt pater est, non cogit.

Probatur secundò à S. Doctore: Patre imperante matrimonium, potest filius castitatem vouere: Ergo non tenetur patri obedire. 23

Probatur tertiò à S. Doctore: si filius vult religionem intrare, non tenetur patri determinanti, vel prohibenti obedire, quia votum est spontaneum: Ergo similiter & promissio matrimonij.

Probatur quartò à S. Doctore: Non potest quis me perpetuæ destinare seruituti. Sed vir, eò quòd contrahit cum vxore, dat ei sui corporis perpetuam potestatem: Ergo.

Probatur quintò à S. Doctore: Si pater cogere potest: Ergo sponsalia à parentibus contracta absque filij consensu, sunt valida.

Obiicies tamen primò. Isaac præcepit filio Iacob, nè acciperet vxores Chananæas, *Genes.*28. Potest ergo Pater id prohibere. 24

Respondet S. Doctor, hoc præcepisse, tum quia illæ erant mulieres malæ, & contagiosæ. De his enim dixit Dominus: *Certissimè auertent corda vestra.* Deinde quia hoc genus hominum erat Dei iussu destruendum, & hoc insinuatur in texto, notum fuisse Isaac.

Obiicies secundò, Coloss.3. habetur: *Filij obedire parentibus per omnia.* Addit Glossa, *quæ non sunt contra Dominum*: Sed matrimonium non est contra Deum: Ergo.

Respondet S. Doctor, illam distributionem intelligi solùm de his, quæ ad honorificationem parentum, & ad regimen familiæ spectant. Quoad reliqua, 25

reliqua, esse solùm consilium, quod innuit Glossa dicens: *Placet Deo, si per omnia obeditis, ita tamen, si Domino obeditis.*

OBIICIES tertiò. Sicut se habet Pater spiritualis respectu matrimonij spiritualis; ita pater carnalis respectu carnalis: Sed Dominus Papa potest sub excommunicatione præcipere, vt aliquis Ecclesiam sibi despondeat matrimonio spirituali, acceptando Episcopatum: Ergo.

26 RESPONDET S. Doctor, negando paritatem, quia Pater spiritualis habet ampliorem potestatem in gubernatione, quam carnalis; & eò magis quòd ad bonum publicum spectet, quod priuato præualet. Deinde grauius iugum imponitur matrimonio carnali, quod est inseparabile; at Episcopatus potest dispensari, deponi, &c.

ADDIT præsumi de tanto parente, quòd Spiritu Sancto afflatus gubernet Ecclesiam, atque adeo ad bonum publicum præcipiat, & proinde obediendum. Quare explodit S. Doctor opinionem dicentium, non posse Pontificem hoc præcipere. Posse tamen, ait, recusare, si certò cognoscat se oneri imparem, ac ideò Episcopatum sibi esse periculosum.

IN re nostra multò magis potest filius, qui à patre opprimitur, seu quia non alitur, siue quia non secundùm statum, siue quia longius emittitur, ne contrahat, potest inuito patre inire cum muliere digna; esto inferioris conditionis: Ità ferè concedunt ex libertate status matrimonij, Fagundez *num.* 5. Molina *lib.* 2. *de primog. cap.* 13. & alij, apud Bassæum *loc. cit.*

27 EX quo etiam deduco, non amittere talem filium, vel filiam legata sub hac conditione, vt consensu patris nubat. Ità Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 6. Gamma *decis.* 314. Emmanuel Acosta *l. cum tale*, §. *si arbitratu*, *ff. de condit. & demonst.* Molina *lib.* 2. *de primog. cap.* 13. Sanchez *Tom.* 1. *de matrim. lib.* 1. *d.* 34. Molina Theologus *Tom.* 1. *de Iust. d.* 207. Manuel Rodrig. *tom.* 1. *summa edit. prima, cap.* 133. Syluest. *verbo Concilium*, Menchaca, *contron. cap.* 5. Fagund. *num.* 6. & alij communiter apud istos.

IDEM dicendum de maioratu, & similibus, si sub tali conditione statuta sint. Est enim vtrobique vna ratio, vt notant Molina, Iurisconsultus, & Fagundez.

28 FVNDAMENTVM est, quia ea conditio impedit libertatem matrimonij, ac proinde pro non apposita censenda est; nam licèt honestum sit, filios in contrahendis matrimoniis voluntatem parentum sequi; tamen iura, volentia omnimodæ libertati matrimonij fauere, conditiones huic libertati repugnantes rejiciunt, & pro non appositis iudicant. Sanè tales conditiones infirmant libertatem, quæ plena esse debet, vt habetur *cap. Gemma mulieri, de sponsal.* Secundò, quia hic casus decernendus est iuxta *l. filia sua, ff. de condit. & demonst.* & *l. cum tale*, §. *si arbitratu.*

ADDVNT tamen multi ex allegatis, valere, si apponatur conditio consulendi parentes, vel alios, non negata libertate non exequendi consilium.

HOC tamen impugnat Acosta *loc. cit.* alios referens, qui idem, quod ipse, sentiunt.

29 VALERE tamen reor legatum, si sub ea conditione relinquatur, si nubat certo genere personarum nobili, quia præmio inuitat, & ad meliora compellit. Ita Henriquez *loc. cit.* & Fagundez *num.* 9.

QVÆSTIO IV.

Quomodo, & quando teneantur Filij Parentibus subuenire.

IAM disi *quæstione prima* in explicanda Pietatis definitione, teneri filios parentibus, alimenta & vestitum in necessitatibus subministrare. Occurrunt verò aliquæ difficultates. 30

PRIMA est; an teneantur alere parentes hæreticos, & aliqui asserunt. Ità Azorius *Tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 3. *quæsito* 2. Glossa 12. *cap.* 1. *verbo fideles, d.* 50. Castro *lib.* 2. *de iusta hæret. punit. cap.* 7. qui ait, præferendum patrem hæreticum extraneo catholico.

SECVNDA opinio asserit in necessitate extrema, non autem in graui. Ità Cata *l.* 6. *quis a liberis*, §. *& si impubes, ff. de lib. agnosc.* Surdus *de alim. tit.* 7. Sanchez *lib.* 2. *decal. cap.* 24. Fagundez *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 6. 31

IMO addit Fagundez, nec in extrema necessitate teneri, si parentes in errorem contra fidem inducere conentur, & nolint desistere. Ità videtur D. Thom. 2. 2. *quæst.* 101. *art.* 4. *ad* 1. explicans id Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, &c. non potest meus esse discipulus.* Idem indicat S. Bonauent. in Commentario illius loci.

CÆTERVM asserit S. Doctor *in* 4. *d.* 18. *part.* 2. *quæst.* 1. *in corpore*, non modò parentibus excommunicatis quibuscumque, sed etiam exteris in necessitate subueniendum, quando non habent, quo sustententur. Hoc videtur extremam exigere necessitatem, non tamen clarè; potest enim etiam de graui intelligi.

ASSERO primò, probabilius esse in sola extrema necessitate teneri filium alere parentes hæreticos. 32

PROBATVR primò. Maiori vinculo iuris naturæ tenentur patres ad filios, quàm filij ad patres; natura enim descendit à parentibus ad filios, non è contra: Sed patres Catholici non tenentur alere filios hæreticos, nisi extremè indigeant, vt probat Surdus *tit.* 7. *quæst.* 2. Ergo.

PROBATVR secundò, quia Pater potest filium hæreticum hæreditate priuare, vt constat ex *Authent. Vt cum, de appellat. cognosc.* §. *causas*, & *l. Regia Hispana* 7. *tit.* 7. *part.* 6. & *l. Lusitana*, *l.* 4. *nouæ recopil. tit.* 88. Est autem communis sententia apud Molinam *de primog. lib.* 2. *cap.* 16. Azor. *tom.* 2. *lib.* 2. *quæsito* 6. *cap.* 5. Sanchez, & Fagundez *loc. cit.* quod in omnibus casibus, in quibus possunt parentes filios exhæredare, possunt etiam alimenta, seclusa necessitate extrema, ipsis denegare: Ergo.

HINC intellige, quid inferat *l. Hispana* 8. *tit.* 23. *part.* 1. definiens, patrem hæreticum egenum, præferendum extraneo Catholico, in eleemosyna à filio eroganda; intelligitur enim in extrema necessitate, vt notat Surdus *tract. de alim. tit.* 1. *quæst.* 18. & 19. & indicat S. Doctor *in corpore, loc. cit.* dum primò parentes, deinde peregrinos excommunicatos ponit, dum non habent, quo sustententur. 33

QVÆSTIO oritur: An fiscus teneatur seruare alimenta filiis Catholicis de bonis, deuolutis sibi, Patris hæretici. De hac magna controuersia agit Peregrinus *de iure fisci, lib.* 5 *tit.* 1. Farinacius *tom.* 1. *part.* 1. *tit. de delictis, & pœnis, quæst.* 24.

PRIMA opinio est, non posse in bonis patris publicandis computari alimenta, imò neque legitimam filiorum. Eam sequuntur multi apud allegatos, quibus addo Guilielmum, Benedictum, cit. Raynu- 34

tiam *verbo*, *& vxorem*, *decis.5. num.* 286. *de testam.* Videtur D. Bonauenturæ *in* 4. *loco citato*.

SECVNDA sententia docet, posse filiis ab Inquisitoribus, & fisco negari alimenta de bonis patris publicatis, ob duo hæc crimina tantùm, nempè hæresim, & crimen læsæ Maiestatis. Eam hodie communem ait Fagundez *lib.* 4. *cap.* 2. multos referens cum Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 16.

ASSERO, probabilem esse primam sententiam, alimenta scilicet filiorum non esse in bonis Patris computandam.

35 PROBATVR primò argumento S. Bonauent. 3. *addita explicatione corporis*. Fiscus in bonis succedit patri: At pater non potest filio negare alimenta in extrema necessitate. Et sanè videtur barbaries insontibus filiis, post ereptam hæreditatem, & legitimam, tandem etiam alimenta denegare, & punire peccata parentum in filiis contra ius Diuinum.

NEQVE dicat Fagundez, puniri tantùm Patrem. Esto enim puniatur & pater quoad facultatem hæreditatis, tamen quoad neganda alimenta, punitur magis filius. Quod si ad terrorem delinquentium liceret pœnas quasque imponere, liceret etiam filios viuos comburere.

36 CONFIRMATVR, nam propter crimen hæresis fili, non possunt proscribi bona eiusdem filij castrensia, aut quasi castrensia, quæ sunt omninò eiusdem filij, vt docent plurimi, quos citat Sanchez *lib.* 2. *cap.* 15. quibus addo Dianam *part.* 4. *Tract* 8. *de Inquisit. resol.* 61. Sanctarellum *de hæresi*, *cap.* 18. *d.t.* & patet ex *l. si filius*, *C. de bonis damn.* Ergo multò minus ob delictum patris sunt proscribenda alimenta filij, quæ iure naturæ magis debentur filio, quam bona castrensia.

37 OBIICIES primò. Potest parens omnia bona subiicere hypothecæ per contractum: Ergo multo magis per delictum.

RESPONDETVR primò, negando Antecedens; hoc enim impium esset, esto validum; nam est contra legem pietatis naturalem.

OBIICIES secundò, *cap. Vergentis*, *de hæreticis*, vbi Pontifex aufert omninò omnem successionem filiis in bona patrum hæreticorum, iubetque, eis penitus exhæredatis, omnia bona publicari.

RESPONDETVR, leges odiosas non esse dilatandas. Iubet autem Pontifex, hæreditatem proscribi, non autem auferri alimenta filiis, quia esset contra ius naturæ.

FATEOR tamen, etiam oppositam sententiam esse probabilem.

38 QVO autem iure teneantur filij parentibus alimenta ministrare; Dico teneri iure naturæ, vt docent communiter Theologi cum D. Bonauent. *serm.* 5. *in decem præcepta*, & aliis locis adductis *quæst.* 1. Probatur à S. Bonauent. quia natura ibi magis obligat, vbi est maius debitum; sed filij magis debent patribus, à quibus habent esse, quàm patres filiis. Et hoc dicunt esse iure naturæ: Ergo. Vide hac de re Fagundez *loc. cit.* & Rebellium *de oblig. iust. part.* 2. *lib.* 5. *quæst.* 8.

ESTQVE adeò verum, vt in extrema necessitate teneantur magis filij parentibus, quàm propriis filiis, vt docent Theologi cum D.Thom. 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 8. *ad* 3. & D. Bonauent. vt ostendi *Tract. de charitate*, *de ordine charitatis*, vbi etiam quid in graui necessitate agendum sit, disserui.

39 IN vtraque verò necessitate parentum non licet filiis eos deserere, & religionem ingredi. Ità D.Thom. 2. 2. *quæst.* 101. *art.* 4. *ad* 4. Toletus *lib.* 5. *summa*, *cap.* 1. Alens. 3. *p. quæst.* 33. *m.* 4. *quæst.* 2. Angelus *verb. Religio*, *num.* 32. Rosella 2. *num.* 7. Syluest. *quæsito* 7. Azor. *tom.* 2, *lib.* 2. *cap.* 3. *quæsito* 5. cum D. Bonauent. *serm.* 5. *in* 4. *precept.* & *loc. cit. in* 4. Hoc etiam verum est, si nouitiatus tempore incipiat talis necessitas, vt constat. In dubio verò, an sit grauis necessitas aliter non remonibilis, videtur in arbitrio filij eligere vtrumlibet. Vide Doctores etiam in Bassæo, *V. filius*, *num.* 7.

QVÒD enim votum habeat ingrediendi religionem, non debet ingredi, durante parentum necessitate: si tamen ingrediatur, & profiteatur, peccabit; sed tamen erit professio valida; nullum enim ius eam irritans inuenitur, vt notat Fagundez *num.* 10. 40

DVBITATIO verò grauis est: an in necessitate parentum teneatur filius, religionem professus, egredi, cùm nequeat in Religione eis subuenire.

IN extrema sanè omnes fatentur teneri, vt videre est apud Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 20. Bassæum *num.* 8. Fagundez *num.* 22. neque repugnat D.Thom. *quæst.* 101. *art.* 4. *ad* 4. vt putat Fagundez.

QVÆSTIO est ergo in graui necessitate, si non possit, in religione stans, subuenire.

PRIMA opinio est teneri, petita, etiamsi non obtenta facultate. Ità Ancona *de potestate Papæ*, *quæst.* 5. *art.* 1. Henriq. *quodl.* 6. *quæst.* 6. Iansen. *in concord. Euang. cap.* 60. Viguer. *lib.* 6. *Instit. moral. cap.* 6. §. 7. Corduba *in Reg. Minorum*, *cap.* 2. *quæst.* 6. *art.* 2. 41

SECVNDA opinio est, teneri, si necessitas fuit ante professionem, non autem si postea aduenerit. Sic Nauar. *in man. cap.* 14. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 1. Lopez *p. p. Instruct. cap.* 34. Rodrig. *tom.* 1. *summa*, *cap.* 6. Cucus *lib.* 3. *Instit. maiorat. tit.* 1. *num.* 126. Bassæus *num.* 8. Sanch. *sum. lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 14.

TERTIA sententia est, non teneri, in quouis tempore aduenerit necessitas; posse tamen exire, petita, etiamsi non obtenta facultate. Ità Sà *verb. Religio*, *num.* 2. Rosella ibi *verb. Religio* 2. *num.* 7. D. Antonin. 3. *part. tit.* 16. *cap.* 2. Armilla *verb. Pietas*. Tabiena *ibi*. Corduba *in summa*, *quæst.* 141. *art.* 2. Angles *flor.* 3. *part. quæst. vn. de voto*, *art.* 2. *diffic.* 13. Passarellus *de priuil. minorum*, *cap.* 42. Rodriguez *tom.* 2. *qq. Regularium*. Alens. 3. *part. q.* 33. *m.* 4. *art.* 1. Fagundez *num.* 27. & alij. 42

MIHI videtur probabilior prima sententia, quia dum plura occurrunt iura, debet altius ius præualere; at succurrere parentibus est ius naturæ merum, & primum ius in ordine charitatis ad proximum: Ergo vota Religionis non possunt absolutè iniri in præiudicium iuris istius, sed conditionaliter, nisi vinculum legis naturalis repugnet. 43

RESPONDET Fagundez *num.* 25. vota esse conditionata pro extrema necessitate, non autem pro graui.

SED debuit hîc author recordari, se *num.* 14. & *cap.* 5. docuisse, etiam in graui necessitate vrgere præceptum naturale subueniendi parentibus.

DICES. Filij non tenentur relinquere vxorem, vt parentibus subueniant, neque tenentur clerici militiæ nomen dare, vt eis succurrant, etiamsi alia non suppetat via: Ergo neque tenentur Religionem deserere, cùm se potestati tradiderint Prælatorum. 44

RESPONDETVR, hæc assumpta non esse ad rem. Et primò dico, vinculum matrimonij esse eiusdem iuris absoluti naturæ, neque iuuare ad subueniendum parentibus soluere vinculum matrimonij. Interim enim debet, si possit, subuenire parentibus, etiam in matrimonio.

QVOD dicitur de militia, respondeo, posse etiam militiam sequi, si alia via non suppetat subueniendi parentibus; atque bona castrensia acquirere; sed quid? Nonnè potest bonis quasi castrensibus in clericatu idem efficere? Quoad potestatem Prælatorum,

rum, iam constat esse conditionalem, absque præiudicio præceptorum naturæ.

Addo etiam, posse dimittere habitum, si aliter nequeat opus pietatis exercere in hoc casu, vt notat Fagundez *num.*28.

45 Qværvnt etiam: an existentibus in extrema necessitate parentibus, & creditore filij, teneaturnè is magis parentibus, quam creditori.

Dico, teneri magis parentibus, & sibi, nam in tali necessitate cessat debitum iustitiæ, quia omnia, quoad vsum, sunt communia *leg.* 2. §. *Cum in eadem, ff.ad legem Rhodianam de iactu.* Sic etiam sentiunt Azor *tract.*2. *lib.*12. *cap.*8. *quæst.*5. Paludan 4. *dist.*15. *quæst.*2. *art.*1. Sotus *lib.*4. *de Iustit.*, *quæst.*7. *art.* 5. Caietanus 2. 2. *quæst.*62. *art.* 5 *ad* 4. Tabiena *verb. restitut. quæst.* 4. Fagundez *lib* 4. *cap.*2. *num.*30. Imò quoad dominium sunt omnia communia, vt dixi.

46 Ex allato argumento soluitur etiam ratio aduersa docentium, filium teneri creditoribus, quia ad illos duplici vinculo ligatur, scilicet Charitatis, & iustitiæ. Dico enim cessare vinculum iustitiæ

Neqve tenebitur restituere creditori, si ad pinguem reducatur fortunam.

Ratio est, quia ab initio omnia erant communia, & iure gentium diuisa sunt cum hac conditione, vt redeant pro ea parte, quæ est necessaria in extremo; alioqui imprudens fuisset, & iniqua lex. Vide Fagundez *num.*31.

47 Qværstvr etiam: an filij natu maiores, qui nihil à parentibus, præter nudum maioratum acceperunt, soluere teneantur parentum debita, è facultate maioratus.

Communis responsio est apud Fagundez *num.* 33. quod si debita contracta sunt ante maioratum institutum, non potuere ea bona ligari; cùm essent creditoribus debita; si verò ea contraxere post institutum maioratum. Vera opinio asserit, teneri. Ità multi Iuristæ, quos adducit, & sequitur Fagundez *lib.*4. *cap.*2. *num.*34.

48 Probatvr, quia ea debita parentum conuersa sunt in vtilitatem filiorum, ad quos bona vinculata, & maioratus spectant. Ideò tenentur ea soluere, si non est soluendo, qui recepit *leg. ei qui,* §. *Alioquin, Cod. cum eo,* & *leg. His solis, ff.de condit. indebit.* vt exponit Glossa.

Non nego tamen probabilem esse etiam oppositam opinionem, apud Fagundez *num.*35.

QVÆSTIO IV.

De obligatione Parentum erga Filios.

49 Assero primò, teneri patres filiis in graui necessitate alimenta præbere. Alimentorum autem nomine veniunt, vestes, cibi, medicinæ, habitatio, atque ea omnia, sine quibus vita humana transigi nequit, vt docet Panormit. *in cap. cum secundum de prebendis*, vt patet *ex cap. non liceat, eodem titulo:* Prætereà nomine Patrum intelligunt ascendentes per lineam paternam, & sic de Matre.

Probatvr. quia dans vitam, debet ea, quæ sunt ad eam necessaria, apponere. Est communis sententia, vt ostendit Couar. *in Epit. part.*3. *cap.*8. §.6. Azor. *tom.*2. *lib.*2. *cap.*4. Syluester *verb. alimenta.*

50 Potast tamen Pater, ad correctionem, alimenta filio restringere. Tenetur enim bonam educationem, & disciplinam filiis præstare, mediis accommodis. Quare, etiamsi per accidens non possit exire ad sacrum audiendum, non refert, vt ait Fagundez *cap.*1. *num* 2.

Aduerte, nomine filiorum venire, etiam illegitimos. Quare grauiter peccant parentes, potentes alere filios spurios, & eos exponunt in templis, hospitalibus ad eleemosynas. Ità Fagundez *num.* 5. Toler. *lib.*5. *cap.*1. Nauar. *man. cap.*14.

Neqve sic excusent dicentes, illa loca Hospitalium habere prouentus ad hunc finem, habent enim eos pro filiis pauperibus. Ideò tenentur hic ad restitutionem, vt ait Fagundez *num.*5. post Syluest. *verb. Adulterinum.* Nauar. *man. cap.* 16. Rebell. *p.p. de obligat. inst. lib.*3. *quæst.*10. 51

Addunt aliqui, non teneri filios spurios dotare. Ità Panormit. *in cap. Peruenit, de arbitr.* Vasquez *de success. creata, lib.*2. §. 20. *num.*314. Molina *Tom.*1. *de iust. dub.* 223. Inclinat Fagundez *num.* 6. etsi oppositam probabilem censeat, quam multi sequuntur.

Ratio igitur ea est, quia non valet argumentatio de alimentis ad dotem.

Ex dictis sequitur, teneri patres alimenta præstare filiis, etiamsi absque eorum consensu matrimonium ineant cum aliqua persona. Ità Sanchez *lib.* 4. *de matrim. disp.* 27. Decius *in reg. nuptias* 30. *fine, ff.de reg iuris*, Molina *lib.*2. *de primog. cap.*56. Fagundez *num.*10. 52

Assero secundò, teneri parentes prospicere rectæ filiorum educationi, quæ alimenta animi continet.

Itaqve tenentur eos in lege Dei erudire; filias ab amatoribus impudicis arcere, Ne sinant eas stibio &c. ad lasciuè faciem ornandam, vii. Idem dic de aliis, ad quorum curam spectant.

Assero tertiò, non posse parentes cogere filios ad statum vitæ suscipiendum, cogendo eos, vel ad Religionem, vel ad matrimonium; potest tamen ad matrimonium esse causa grauis. Itaque Concilium Trid. *sess.* 25. *cap.* 18. excommunicatione ferit cogentes fœminas puellas, vel viduas ad ingressum Religionis, vel ad habitus susceptionem, vel ad profitendum. 53

QVÆSTIO V.

In quibus casibus possint Parentes Filios exhæredare.

Nota, in omnibus, in quibus possunt parentes Flios, & Filij parentes exhæredare; posse etiam illis dotem, & alimenta negare, seclusa extrema necessitate, vt docent communiter Doctores. Azor. *tom.*1. *lib.*2. *cap.*5. *quæsito* 6. Molina *de primog. lib.* 2. *cap.*16. Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.*24. & *lib.*4. *de matrim. d.*26. Molina *Theol. Tom.*5. *de Iust.d.*176. Menoch. *lib.*4. *de præsumpt.* 589. Spino *in spec.testam. glossa* 20. *num* 66. Fagundez *lib.*4. *cap.*3. Igitur visis casibus in quibus possunt filij exhæredari, constabit quando possint alimenta negare; excipies semper extremam necessitatem. 54

Primvs casus affertur, si filia ante vigintiquinque annos nubat sine consensu parentum, vel peccauerit in corpus suum, vel turpem vitam elegerit. Authent. *vt cum de appellat. cognosc.* §. *causas*, vt communiter exponunt Doctores apud Fagundez *cap.* 3. *num.*8. qui tamen tenuit, ibi Authenticam loqui de ea, quæ ante vigintiquinque annos nubit.

Hæc

55 Hæc tamen causa videtur abrogata iure canonico ad libertatem matrimonij tuendam. Ità D.Thom. 2. 2. *quæst.* 124. *art.* 5. & alij apud Fagundez *cap.* 3. *num.* 3. Sanchez *lib.* 4. *de matrim. d.* 65.

Probabile tamen est non esse abrogatam, vt scribit Fagundez *num.* 5. non tamen de filiis valet, vt notat Menoch. *cons.* 3. Sanchez *lib.* 4. *de matr. d.* 24. Barbosa *in l.* 1. 4. *part. num.* 31. *ff. solut. matrim.*

Secvndvs casus est, si mittat manus violentas in patrem, vel matrem: *Authent.* Vt cum *de Appellat. cognosc.* §. *causas autem*: Intellige cum lethali culpa; secùs si ob sui, vel patriæ defensionem id ageret.

Tertivs casus est, si graues contumelias intulerit, maximè in loco publico, vel infamauerit parentes. Vide Fagundez *num.* 30. qui solum ius Hispanum affert.

56 Qvartvs casus, si contra voluntatem parentum mimos egerint, & se histrionibus sociauerint, & in hac professione permanserint, dummodò tamen parentes eiusdem professionis non fuerint. Item si filia, vel filius maleficus fiat, & cum eis familiariter viuat; Quod *copulatiuè* intellige, vt exponunt Molina *Tom.* 1. *Iust. tract.* 2. *d.* 176. Fagundez *num.* 31.

Qvintvs casus, si veneno parentes de medio tollere tentauerint, aut fauorem, consilium, auxiliumvè aliis dederint. Ita Couar. *cap. Raynutius, num.* 13. Molina *d.* 171.

Sextvs, si cum nouerca rem habeant, aut cum concubina, domi alita. Ità Couar. & Molina, atque Fagundez *num.* 34.

57 Septimvs, si libellum famosum contra patrem, vel matrem, & delator fuit eorum.

Octavvs, si parens in carcere sit, & filius masculus ab eo requisitus fideiussor esse noluerit, cùm posset; *Authent.* vt Cum, *de Appellat.*

Nonvs casus, si prohibeat parenti facere testamentum. Vide Fagundez *num.* 37.

58 Decimvs, si alter parens in amentiam cadat, & filij negent auxilium, vel negligant curationem. Quare si exter videns filios, nepotes, & alios negligere, & misericordia motus, curam habeat, præmissa protestatione, & insinuata scripto hæredibus, si hi neglexerint, & ille curam usque ad finem egerit; hæreditas tota ipsi à Iudice adscribitur. *Auth.* vt Cum *de Appellat. cognosc.* §. *si quis de prædictis*. & in *Auth.* Liberi *C. de Episcopali audientia.*

Vndecimva, si parens alter captiuus sit, & filij libertatem eorum non curent. *Auth.* Vt cum, §. *si vnum de prædictis.*

59 Dvodecimvs, si parentes criminaliter accusarint de his, quæ non sint contra Principem, aut patriam, vel hæresis non sit. Ita Mol. *d.* 176. Fagundez *num.* 40.

Tertivsdecimvs, si filij sint hæretici *Auth.* Vt cum, §. *citato.*

QVÆSTIO VI.

An Filij possint aliquando alimenta Parentibus negare, eosque exhæredare.

60 Præmitto, ex omnibus causis, ob quas licitum est filiis parentes exhæredare, licitum quoque eis esse alimenta negare, seclusa extrema necessitate, vt dixi *quæst.* 5. & notat Molina *d.* 168. & patet *Leg. vlt. Cod. de alendis liberis. Leg. si quis à liberis*, §. *Index*, *ff. de liberis agnosc.* & Glossa vtrobique.

Septem autem casus tantùm referuntur præallegat. *Auth.* Vt cum *de Appellat*, &c.

Primvs casus, si parentes, vel ascendentes venenum filio propinarint, aut necem quauis alio modo intentarint. Addit Molina *d.* 176. ad idem pertinere, si filium criminibus talibus accusarint, vt mereantur pœnam mortis; vel mutilationis. Excipe casus allatos *quæst. præced.*

Secvndva casus, si pater concubuerit cum vxore filij, aut concubina domi retenta actu, vel quæ fuerit domi alita, si id sciuerit. 61

Tertivs, quando pater, vel mater, &c. fuerint impedimento dolosè, ne filij, vel nepotes conderent testamentum.

Qvartvs, si parentes, vel ascendentes, filios potione dementauerint, vel quouis alio modo eorum vitæ fuerint insidiati, aut mortem illis moliti fuerint.

Qvintvs, si filiorum, qui mente exciderunt, curam neglexerint.

Sextvs, si filiorum in captiuitate oblitis, eorum liberationem neglexerint. Quod si ob parentum, aut hæredum negligentiam in captiuitate moriantur, ex eorum bonis, de quibus testari poterant, sunt alij captiui redimendi, vt docet Molina *loc. cit.* 62

Septimvs, quando filij sunt Catholici; parentes verò hæretici. Si tamen post offensas reconcilientur, non possunt amplius ob easdem exhæredare; impia enim vindicta esset.

Dvbivm est autem: An præter causas relatas hîc, & *quæst. præced.* adsint aliæ similes causæ exhæredandi. Arbitror, non existere. Sic enim in allegato Authentico definitur: *Vt præter ipsos nulli liceat ex alia lege ingratitudinis causas apponere, nisi quæ in huius constitutionis serie continentur.* Confirmatur, quia pœnæ non sunt extendendæ, & argumentum à simili non valet ad pœnas extendendas. 63

QVÆSTIO VII.

Ad quid teneatur Mulier, quæ Filium ex adulterio habet, vel supposuit.

Primò quidem dico, non teneri suum crimen manifestare cum periculo vitæ, vel famæ. Ità Nauarr. *in man. cap.* 16. *num.* 43. Couarr. *reg. peccatum* initio. Caietanus 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. & alij, quos adducit; & sequitur Fagundez *lib.* 4. *cap.* 5. 64

Ratio est, quia hæc manifestatio, si est necessaria, hoc erit sanè ad restitutionem; at non tenetur quis cum damno, vel amissione boni superioris ordinis, restituere.

Adde, hanc manifestationem esse frustra; nam filius non tenetur credere.

Dico tamen secundò, teneri, quando potest reficere damnum, vt relinquendo sua bona filiis legitimis, quando potest sine propalatione.

Deinde tenetur suadere filio, vt Religionem ingrediatur, in qua non succedat in bonis. Si verò mater se manifestauerit tot circumstantiis, vt ille indubitanter credat se esse illegitimum, tenetur hæreditatem aliis restituere. Stultus est tamen, si credit, cùm sit natus sub specie matrimonij, & sit legitimus iuxta famam publicam, quæ priuatæ præualet, vt habetur *Leg. filium*, *ff. Qui sunt sui iuris.* 65

Dico ampliùs, non teneri periculo famæ, aut vitæ se prodere, etiamsi grauissimum damnum aliis filiis eueniat, vt si sit Principatus, vel regni amissio.

fio. Ratio est, quia fama, & vita sunt ordinis adhuc superioris. *Melius est enim nomen bonum, quàm divitiæ multæ*. Prouerb. 22. Vnde Eccl. 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quàm mille thesauri pretiosi*; Estque communis opinio, vt ait Fagundez *cap. 5. num. 15*.

66 In dubio verò, adulter non tenetur filiis legitimis damnum resarcire, nec filium alere, dotare, hæredare, &c.

Si verò certò prolem suam esse agnoscat, tenetur restituere alimenta à triennio, & ex bonorum suorum tertia parte, resarcire damna, aliis filiis illata.

De obligatione coniugum mutuâ agam 3. *parte Tract. de matrim. disp. 9*.

QVÆSTIO VIII.

De obligatione mutua Seruorum, ac Dominorum.

67 Primò sanè tenentur Domini ex charitate, & iustitia curare, ne serui prauè viuant, vt præcepta Dei seruent, vti & Ecclesiæ; Ex charitate quidem, quia sunt proximi: Ex iustitia verò, quia sicut seruus tenetur Domino ex iustitia seruire, sic Dominus tenetur ei ex eadem iustitia stipendia dare, alere & docere.

Tenentur verò, si eos incorrectos videant, arguere, & eiicere. Ità Nauarr. *Man. cap. 14. num. 21*. Fagund. *lib. 4. cap. 14*.

Tenentur etiam non impedire seruorum matrimonia, possunt tamen negare consensum, possunt autem illi inuitis Dominis matrimonium inire, vt docet D. Bonauent. 4 *d. 36. quæst. 1*. D. Thom. ibi *quæst. vn. art. 2*. & omnes Thomistæ, Sanchez *lib. 7. de matrim. d. 21*. Fagundez *lib. 4. cap. 14*. Cætera dicam *Tract. de matrimonio*. Interim dubium illud indicabo; an seruus iussus à Domino aliquid peragere, & à coniuge ad debitum reddendum, ei rei impliens, vocetur, teneatur magis Domino.

68 Respondetur, si matrimonium iniit Domino consentiente, teneri magis vxori, quia qui aliquid concedit necessariò concedit etiam connexa. Ità D. Bonauent. *loc. cit*. D. Thom. *ad 3*. & communiter apud Fagundez *lib. 4. cap. 14*.

At Sanchez *lib. 7. d. 21*. semper anteferendum seruitium Domini ait, sed de hoc 3. *part. loc. cit*.

Dico etiam, si Dominus famulum ad tantum tempus conductum, puta ad annum, pellat sine causa post mensem, vel etiam ante, compellendus est Dominus mercedem integram soluere. Ità communiter Doctores apud Fagundez *cap. 15. num. 20*. Ratio est, quia per illum non stetit. Et idem dic de seruo, si ex culpa sua dimittitur; vel si aufugit ante præscriptum tempus, nulla est mercede dignus.

69 Tenetur etiam famulus, mercede conductus, damno ex culpa sua, saltem leui, facto ipsi Domino. Ita communiter Doctores apud Fagundez *num. 21*.

Similiter tenetur de damno illato ipsi Domino ab alio in te, quæ erat sub sua custodia, & hoc ex iustitia, atque adeò restituere debet; at si res non erat sub sua custodia, tenebatur solùm ex charitate, ideò ad restitutionem non cogitur. Sic Azor. 3. *part. lib. 8. cap. 13. quæsito 8*. Molin. *tom. 2. de Iust. d. 506*. Fagund. *loc. cit. num. 23*.

Occvrrit, seruos furtula quædam facere sub specie instæ compensationis à Domino.

70 Adverte, si ità malè tractentur, vt neque infimum pretium detur seruitutis solitum, vel si solo victu conducti non habeant necessaria, posse aliqua vsurpare. Vide Fagundez *à num. 35*. & Molinam *loc. cit*.

QVÆSTIO IX.

De obligatione Fratrum in Fratres, & Sorores, & è contra.

Primò dico, hos inuicem ex iustitia debere alimenta in extrema indigentia. 71

Ità Azor. *Tom. 2. lib. 11. cap. 40. quæsito 5*. Fagund. *lib. 4. cap. 16*. Si enim exteris tenentur, multò magis fratribus, & sororibus.

In graui etiam necessitate, quando non habent, quo iuxta suum statum viuant, tenentur in vtroque foro fratres diuites alimenta præstare, & Iudex implorans tenetur obligare eos.

Sororem ex vtroque parente pauperem, frater alere, & dotare in vtroque foro tenetur. Est communis sententia apud Fagundez *cap. 16*. 72

Idem dic de sorore ex eodem patre, sed alia matre, habetur *leg. cum plures, §. Cum tutor ff. de administr. tutorum*, quæ excludit tantum sorores vterinas, vt notat Barthol. ibi §. *finali*. Excludit autem quoad dotandum iuxta statum suum opulentum, nisi sit hæres bonorum matris, tenentur tamen semper alere. Ita Barthol. *loc. cit*. & alij apud Fagundez *num. 4*. Tenetur tamen dotare semper pro modulo alimentorum, nempe, pro dote, deputando id, quod in alimentis esset insumendum.

Ita è contra tenentur sorores diuites dotare sorores pauperes, & fratres cum eis alere. Patet ex regula correlatiuorum. Ita Barbosa *Tom. 1. part. 4. leg. 1. ff. soluto matrim*. Fagundez *cap. 16. num. 14*. 73

Tenentur etiam clerici alere suos parentes, fratres, & sorores pauperes è prouentibus Ecclesiæ, Ità multi apud Fagundez *cap. 17. num. 1*.

Ratio est, quia fructus beneficiorum est in vsus pauperum, moltò magis domesticorum. Quod si *in cap. Peruenit*. videtur dici contrarium; hoc intellige de consanguineis diuitibus, quibus non sunt communicandi fructus beneficij, sed magis exteris inopibus.

Dico etiam, posse de fructibus beneficij dotare filias, vel sorores inopes, non tamen teneri. Vide Fagundez *num. 2*.

Qværsto hic postulat; an filij, qui præ aliis grauiter dissipant bona, teneantur ea ad collationem cum fratribus adducere, & ad suam reuocare legitimam. 74

Vidi equidem plurimos, hoc vitiosa tenentes, eosque arbitror teneri. Ità Nauarr. *summa, cap. 17*. Syluest. *verb. peculium, 2. quæst. 9*. Antonius Gomez *ad leg. 29. Tauri*; attamen Nauarr. cum D. Antonino *2. part. tit. 1. cap. 15*. excipis, nisi pater viuens condonauerit; sed non placet, quia tenetur adducere ad partitionem, etiam ea, quæ pater donauit. 75

SECTIO



SECTIO II.

De Obseruantia, Reuerentia, & Dulia.

De his pauca restant dicenda, cum quod de Obseruantia intelligitur, proportione quadam Reuerentiæ, & Duliæ possit applicari; cùm tamen essentialiter inter se differant; vna, aut altera quæstiuncula de singulis agam.

QVÆSTIO I.

De Obseruantia, & Reuerentia.

D.Thom. quæst.1.

1 OBSERVANTIA est specialis Virtus, per quam cultus, & honor exhibetur personis, in dignitate constitutis. Irà D. Bonauent. *opusculis allegatis serm.1. quæst.1.* D.Thom. hîc *art.1.* è Cicerone *lib.2. de Inuent.*

INVENITVR enim in hac specialis ratio honestatis, & debiti, sicut etiam eædem personæ in certo rerum genere, per quandam analogiam, Patres nominantur, tanquam principia quædam gubernationis respectu earumdem rerum, vt est Princeps ciuitatis in rebus ciuilibus; Dux exercitus in rebus bellicis; Magister in disciplinis, nempè, ob similitudinem curæ, quam habent suo modo cum parentibus communem. Quæ ratione etiam serui Naaman dominum suum, patrem dixerunt, 4.*Reg.5.*

2 AD eandem virtutem pertinet Reuerentia, quæ propter scientiam, & virtutem, seu quamcumque excellentiam, aliquibus exhibetur. Ratio est, quia per scientiam, & virtutem redditur homo idoneus ad dignitates, quæ sunt obiectum obseruantiæ.

AD obseruantiam pertinet personis in dignitate constitutis, non solùm exhibere honorem, sed etiam cultum obedientiæ, ac beneficentiæ. Ità D. Thom.
3 *art.2.* Personis enim in dignitate constitutis inest duplex præminentia, altera excellentiæ status, & huic debetur Obseruantia; altera gubernationis, & huic debetur obedientia, & obsequium.

QVIA tamen solis Prælatis, ac Magistratibus nostris legali debito obstringimur, idcirco his solis ex debito legali ad obseruantiam, & cultum obstringimur, quia super nos prælationem habent; cæteris
4 autem, non nisi ex debito morali, seu ex quadam honestate. Ità D.Thom. *loc. cit.*

QVÆSTIO II.

De Dulia.

D.Thom.quæst.103.

5 DVLIA definitur à D. Bonauent. 3. part. Centil. sect. 44. *Est seruitus, vel cultus creaturæ debitus rationali dominanti.* Ità etiam D. Thom. *art.3.* ex D. Augustino *lib.10. de Ciuitate, cap.1.* DE hoc latiùs agam 3. *part. Tract.1. d.27.*

DVLIA græcè *seruitus* dicitur, & differt à Latria, quæ est seruitus Deo debita, vt docet S. Doctor *loc. cit.* & *in opusc. declaratio terminorum Theol.* & 6
aliis locis adductis *sect.1. quæst.1.* Hinc Hyperdulia significat seruitutem debitam præcellenti creaturæ, habenti specialem cum Deo affinitatem, vt docet D. Bonauent. *locis adductis.*



SECTIO III.

DE OBEDIENTIA, & INOBEDIENTIA.

SVPRA egi de Obedientia, quatenus materia est Voti, nunc quatenus est Virtus omnibus subditis communis, eam discutiam. Huius excellentiam passim describit Sacra Scriptura, & reuera cùm hominum fælicitas in eo stet, vt Deo subjiciantur, quod hac virtute præstatur, non immeritò omnium ore debeat circumferri.

QVÆSTIO I.

Quid sit, & qualis virtus Obedientia.

D.Thom.quæst 104. & 105.

OBEDIENTIA est virtus specialis, qua inferiores suis superioribus præcipientibus obediunt: cuius proinde obiectum est præceptum superioris. Ità D.Thom. *quæst.104. art.2.* D. Bonauent. *locis adductis quæst. præced.* Vide eum 3. *part. Centil. sect.44.* multas alias obedientiæ definitiones referentem. 1

PROBATVR, quia habet speciale obiectum, nimirum obedire præcepto superiorum, quod secundùm ordinem naturæ est rectum, sicuti in naturalibus inferiora à superioribus reguntur. Inuenitur sanè in omni virtutis actu obedientia; sicut & in quolibet peccato inobedientia. Sed nil mirum, vt ait D.Thom. *art.2. ad 1.* nihil enim prohibet plures rationes materiales obiectiuas in vno actu contineri, sicut miles, defendendo castrum Regis, exercet actus fortitudinis, subeundo pericula mortis, & actus Iustitiæ, debitum seruitium Domino suo reddens. Attamen obedientia habet pro formali obiecto ipsum præceptum, ideò est virtus distincta à cæteris. 2

ASSERO primò, Obedientia est virtus moralis, non Theologica. Ità S. Bonauent. *locis adductis* præcipuè *in declarat. terminorum Theol.* & 2. *p. Breuil. cap.11.* vbi obedientiam etiam mctam explicat, quæ est, quando præceptum ex se solo ligat, non ex aliqua alia causa & tale dicitur præceptum disciplinæ, quia per ipsum discitur quanta est virtus obedientiæ. Tale præceptum datum est Adæ. 3

RATIO est, quia non respicit Deum immediatè, sed superioris præceptum. Quamuis autem ně habeat medium, tamen ipsa est media inter superfluũ, & diminutũ.

OPTIMAM

OPTIMAM obedientiam explicat S. Doctor in octo collationibus, *collat.3.& de profectu, loc.cit.* & in *speculo ad Nouitios, cap. 4.* & *de Instu. Nouit.12.* & in *regula nouitiorum, cap.13.* & in *Diata, tit.3. cap.2.*

4 ASSERO secundò, obedientiam, inter virtutes morales (excipe Religionem) esse præstantissimam.

RATIO est D.Thomæ *art.3.* D.Bonauent. *in expositione Regula.* Inter virtutes morales ea est præstantior, quæ meliora contemnit, vt Deo adhæreat: Sed obedientia contemnit propriam voluntatem, quæ est præstantissimum bonum: Ergo. Bonum enim animæ est præstantius bonis fortunæ,& corporis,& in anima præstat voluntas.

OBEDIENTIÆ exempla è scriptura refert S.Doctor *in Bibliis pauperum, cap.25.* Laudes verò *in Pharetra, lib.2.cap.43.* & inacceptæ vitia, *cap.44.*

5 ASSERO tertiò, obediendum esse Deo in omnibus. Vide præclara in D.Bonauent. *de profectu Relig. à cap.38.*

RATIO SS.DD. est; quia Deus, sicuti est primus motor omnium naturalium,ita etiam omnium voluntatum: Sed vt motor primus naturalium omnia naturalia sibi habet obedientia: Ergo, &c.

OBEDIENTIÆ gradus vide in S. Bonauent. *in Diata, tit.3. cap.2.* & *de profectu Religiosi, cap.41.*

ASSERO quartò, obediendum ab inferioribus suis superioribus in omnibus,in quibus ipsi subjiciuntur, & in quibus non repugnat sublimioribus potestatibus. Vide D.Bonauent. *ad cap.1. & 10. Regula nostra.*

RATIO D.Bonauent. *de profectu Religiosi,cap.39.* est, quia Deus infima per media, & media per supremum egit, vt patet.

6 IDEÒ ex duplici capite non tenentur obedire: Primò ob præceptum maioris potestatis, iuxta id. Act.5. *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Secundò, si aliquid præcipiat, in quo subditus non est, vt notat D.Thom. *quæst.104. art.5.*

ITAQVE si Prælatus contra regulam præcipiat, non tenemur obedire, vt rectè docet S.P. Franciscus *cap.10. Regula,*& ibi S.Bonauent.& communiter DD. apud Tannerum *d.6.quæst.1.dub.2.* Ratio SS.DD. est, quia debemus magis conformari regulæ vniuersali, quàm particulari. Imò Minores tenentur obedire in omnibus,in quibus non apparet manifestè peccatum, vt docent communiter regulæ nostræ Expositores. Quod idem de Societate Iesu docet Lessius *lib. 2. cap.41. dub.9. num.75.* De hoc egi *Tract.de Votis.*

7 ASSERO quintò, teneri Christianos sæcularibus Principibus obedire. Ità D.Bonauent. 2. *d.44. art.3. quæst.1.* D.Thom. *quæst.104. art.5.* Probatur à S.Doctore *Rom.13. Tit.3. 1.Petri 2. Heb.13.* De quibus satis egi *Tract.de legibus,disp.5.* vbi etiam ostendi, leges Principum aliquando conscientiam ligare; & num Clerici teneantur Principum legibus; Et quibusnam tributis, & vectigalibus teneantur.

CAVENDVM autem monui Dynastis, ne falcem in messem alienam mittant, sed iuxta decretum Christi *Matth.22.* distinguant ea, quæ sunt Cæsaris; & ea, quæ sunt Dei.

8 CAVENDVM verò à pestilenti Beza, qui interpretatur id Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, afferente Chrysostomum *serm.23.* ibi. Malignè autèm sic explicat, præcipi omni animæ, & Sacerdotibus, vt Principibus sæcularibus subditi sint in omnibus. Nempe adulator hic pessimus, Regni Franciæ Ines, Ecclesiasticam dignitatem omnimodè sub sæculo terit.

PROFECTÒ, si hæc explicatio est vera, iam subditi Regis Angliæ subjicientur Imperatori. Et subditi Ducis cuiusque, cuique Regi, vt notat Fagundez in 4. *præceptum, lib.4. cap.15. num.9.* & D.Bonau. *de profectu Religiosi,cap.39. & in 2.loc.cit.* rectè exponit. Sensus ergo germanus est: Omnis anima subdita sit respectiuè potestatibus suis. Sic enim subdimur Episcopis,vt dicitur *Actor.20. 1.Timot.5.* & aliis locis;& hic est sensus D.Chrysost. Id vide in Concilio Arelat.II. *cap.2.* Non nego,eos subjici in aliquo, vt dixi *Tract. de Legibus, disp.6.*

IMÒ Reges subduntur Episcopis in causis fidei, 9
quod fassus est Valentinianus Imperator apud Theodoret. *lib.4.hist.Eccl.cap.5.* accersitis enim Episcopis, ait: *Eum collocate in Pontificali solio,cui nos quoque Imperij moderatores,nostra capita sincerè subdamus,eiusque reprehensiones libenter admittamus.* Hæc latè prosecuti sumus, *Tract. de Legibus.*

QVÆSTIO II.

De INOBEDIENTIA.

D.Thom.quæst 105.

ASSERO primò, Inobedientiam tunc esse peccatum speciale, cum Obedientiæ è diametro opponitur, contemnendo potestatem præcipientis, vel præceptum, intendendo ei non subjici. Ità D.Thom. *art.1.* D.Bonauent. *in speculo anima, cap.2.* Patet ex regulis virtutum, & vitiorum. 10

ASSERO secundò, non esse grauissimum peccatum. Patet, quia non opponitur supremis virtutibus, sed obedientiæ.

Ex his definitur Inobedientia à D.Bonauent. p.p. Centil. sect.18. *Est voluntas fugiens minorationem potestatis, nolens subiacere superioribus in debitis.* Hinc vide errorem typographi *in opusc. declaratio Theologia terminorum*, in editione Romana, vbi sic ait: *Inobedientia est voluntas fingens.* 11

ASSERO tertiò, inobedientiam esse ex genere mortalem. Probatur à D.Bonauent. *in speculo anima, cap.1.* ex illo Rom.13. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*& Rom 1 Parentibus non obedire mortale asseritur. Idem astruitur *prima Timot.3.*

ASSERO quartò, non semper esse æquale peccatum; potest enim ex præcipientium, vel præcepti inæqualitate, inæqualem esse obligationem. 12

SECTIO IV.

DE GRATITVDINE, & VINDICATIONE,

& Vitiis oppositis.

PROSPERA recognoscere, sicut & aduersa propulsare,rebus etiam inanimatis,& inermibus innatum est; sic terram, in qua prosperatur tenerum adhuc arbusculum, grandius factum foliis fouet, ac seminibus ditat: Sic effossum Elleborum, veluti ad ferri sensum, halitum emittit,quo fossoris caput aggrauando, illatam sibi iniuriam vlciscitur; verùm quod in his est naturale, in homine morale, & liberum est, vnde virtutis rationem obtinet, si debito modo fiat; sin autem, in oppositum vitium degenerat.

QVÆSTIO I.

De GRATITVDINE.

{ D Thom quæst.116.

1 ASSERO primò, Gratitudinem esse virtutem specialem, qua gratiæ habentur, & referuntur benefactori. Ità D.Thom. hic, D. Bonauent. 3. *part. Centil.sect.*44.& *opusc.declaratio terminorum Theologiæ*, aliis verbis sic eam definit: *Gratia iustitia est beneficia iugi memoria recordari, & possibiliter rependere.* Colligitur è Tullio *lib.*2. *de Iuuentute.*

2 RATIO est, quia in ea cernitur speciale debitum, non legale, sed honestatis, & quidem peculiaris.

GRADVS varios gratitudinis recenset D. Bonau. *de gradibus virtutum, cap.*20. vbi pro dignitate beneficiorum altiorem etiam gradum Gratitudinis assignat, vt pro gratuitis magis, quàm pro naturalibus, &c. Vbi nota, ibi assignare gratitudinem in ordine etiam ad Deum, prout est auctor beneficiorum. At D.Thom. *quæst.*106.*ad* 1. gratitudinem ad Deum videtur hic consulto omittere, reducens eam ad Religionem. At Religio non est formaliter gratitudo, esto imperet huius virtutis actus; hi tamen à propria virtute Gratitudinis eliciuntur, vt monet etiam Tannerus *d.*6. *quæst.*1. *dub.* 3.

3 ADDIT S. Thom. *art.* 2. Innocentem magis Deo teneri, quàm pœnitentem. Sed de hoc erit dicendum, *Tract.de Pœnitentia, disput.*1.

ASSERO secundò, cuilibet benefactori deberi gratias, & saltem recompensationis affectum, vbi facultas non est. Ità D.Thom. *art.* 3. Quia ratio formalis huius debiti est quodlibet beneficium acceptum; etsi beneficium aliud alio maius sit, non solùm ex magnitudine rei datæ, sed etiam ex affectu, & incommodo. De qua re Seneca *lib.* 2. *de benef. cap.*6. & 12. vbi nihilominus addit aureum verè effatum: *Summa malignitatis est non vocare beneficium, nisi quod dantem aliquo incommodo afficit.*

4 ASSERO tertiò, affectum gratiæ illicò exhibendum, sed compensationem opportuno tempore. Ità D.Thom. *art.* 4 è Seneca *lib.* 4. *de benef.* vbi ait: *Qui nimis citò cupit soluere, inuitus debet; qui inuitus debet, ingratus est.* Ratio est, quia sicut beneficium, ita & beneficij compensatio opportuna esse debet accipienti.

ASSERO quartò, recompensationem debere magis respicere ad affectum, quam ad effectum. Ità D. Thom. *art.*5. post Senecam *lib.* 1. *de benef. cap.*7. Ratio est, quia gratia respicit beneficium, prout est gra-
5 tis impensum, quod sanè pertinet ad affectum.

ASSERO quintò, honestatis ratio, ac debitum postulat, vt compensatio non solùm exæquet, sed etiam superet acceptum beneficium. Ità D. Thom. *art.*6. iuxta Aristotelem 5. *Eth. cap.*5.

RATIO est, quia in benefaciente, hoc præcipuè commendabile est, quod gratis, nulloque beneficio præuentus, beneficium contulit: Ergo par est, vt bonum collatum à retribuente superetur, quia quamdiù recompensat, dando minus, vel æquale, non vi-
6 detur facere gratis, sed reddere, quod accepit.

SICVT tamen in iustitia attenditur æqualitas rerum, ità in gratitudine potissimum attenditur æqualitas voluntatum. Vide D.Thomam *ad argumenta.*

QVÆSTIO II.

De INGRATITVDINE.

{ D.Thom.quæst.107.

INGRATI animi vitium, est speciale gratitudinis contrarium, in varios distinctum gradus, & pro diuersitate circumstantiarum, interdum mortale; interdum veniale. Ità S.Thom. *art.*1.2.& 3. ex communi. 7

PRIMA pars probatur, quia speciali opponitur virtuti, dum beneficium formaliter contemnitur, esto diuersis modis exerceatur detrahendo, & insidiando benefactori, vt benefactor est.

QVOD verò habeat multos gradus probatur, 8
quia, sicuti diuersi sunt gradus gratitudinis, in quibus primus est, acceptum beneficium recognoscere: Secundus, laudare, est gratias agere: Tertius, retribuere pro loco, & tempore; è contra, quia quod est vltimum in generatione, est primum in resolutione, & corruptione. Primus ingratitudinis gradus est beneficium non retribuere: Secundus dissimulare: Tertius obliuisci, vel alio modo non recognoscere. Et quia in affirmatione opposita intelligitur negatio, ideò ad primum ingratitudinis gradum pertinet retribuere mala pro bonis: Ad secundum, beneficium vituperare: Sed tertium, beneficium quasi maleficium reputare.

TANDEM probo, posse esse veniale, vt si ex ne- 9
gligentia omittat rependere, vel omittat solùm id quod liberaliter præstandum est; at si omittat id, quod debet, maximè si in necessitate contemnat beneficium, erit completa ingrati animi malitia, atque mortalis, vt docet D. Bonauent. *lib.*3. *Pharetra, cap.*21. vbi refert D. Augustinum *de bono viduitatis, cap.* 16. vbi ait: *Multi habent multa dona, & Deum nesciendo à quo habent, impia vanitate iactantur. Nemo autem est donis Dei beatus, qui donanti extiterit ingratus.* Et de vera, & falsa pœnit. cap.14. *Ingratus extitit, qui plenus virtutibus Deum omnino non timuit. In hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quo est Deo acceptior.*

D. BERNARDVS in Psal. Qui habitat: *Confi-* 10
tenti humiliter, & deuotè gratias agenti, non immeritò ampliora beneficia promittuntur. Sicut è contrario, accipiendis indignus est, qui fuerit de acceptis ingratus.

ET Serm. 2. de septem misericordiis: *Ingratitudo vias obstruit gratia.* Et Serm.51. in Cant. *Ingratitudo ventus est vrens, fontem siccans pietatis, rorem misericordia, & fluenta omnis gratia.*

QVAMVIS autem ingratus mereatur beneficij 11
subtractionem, non statim tamen conuenit beneficiorum subtrahere. Neque enim tam facilè ingrati animi est nota incurenda, vt monet Seneca *lib.* 3. *de benef.cap.*7. Monendus est autem, vt resipiscat. Quod si beneficiis deterior fiat, tum demum oportet à beneficiorum exhibitione cessare. Ità S. Thomas *art.*7.

TALIS autem signatur præcipuè à Seneca, ep.73. *Quisquis de accipiendo semper cogitat, oblitus accepti est: Nec vllum habet malum cupiditas maius, quam quod ingrata est.* Eum refert S. Bonauent. *loc. cit. Pharetra.* 12

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

De Vindicatione.

{ D.Thom.quæst 108.

13 VINDICATIO definitur à D. Bonauent. 3. *part. Centil sect.* 44. & in declaratorio terminorũ Theologiæ: *Vindicatio est virtus, per quam vis, aut iniuria, & omnino omne quod obfuturum est, defendendo, aut vlciscendo propulsatur.* Scot *Est virtus, quâ omne iniustum repellitur, & debitè punitur.*

HINC aliquæ conditiones requiruntur, vt vindicatio sit bona.

PRIMA est; vt bona sit intentio, non sistens in malo, de quo vindicta sumitur; hoc enim esset vinci à malo contra Apostolum *Rom.* 12. sed necesse est, vt animus vindicantis principaliter feratur in bonum prouentorum ex punitione peccantis, nempe, vel ad emendationem, vel saltem ad cohibitionem ipsius peccantis, & quietem aliorum, pacisque conseruationem, ac Dei honorem, vt docet D.Thom. *art.* 1.

14 SECVNDA conditio est, vt vindicta, propriè accepta, fiat à potestatem habente, qualis solùm est superior, vt habetur Rom. 13. *Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malè agit.* vt ait D. Thom. *quæst.* 108. *art.* 1. *ad* 1.

TERTIA est, vt fiat secundùm ordinem iuris, & debitam moderationem, ne pœna excedat culpam.

15 VINDICATIO potest fieri per quæuis pœnarum genera, legibus definita. Ità D. Thom. *art.* 3. Ratio est, quia vindicatio licita est, vt tendit ad cohibenda mala; cohibentur autem homines à peccando, quatenus timent amittere aliqua, quæ amant, magis quàm, quæ peccando adipiscuntur; aliàs timor non compesceret peccatum. Quo fit, vt per subtractionem omnium, quæ homo maximè diligit, sit vindicta de peccato sumenda, qualia sunt vita, opes, &c.

MONET autem S. Thom. *art.* 1. *ad* 5. & *art.* 3. *ad* 2. quando tota multitudo peccat, puniendam, vel quoad totam peccantem, ità tamen, vt non inuoluantur boni; vel quoad partem, sicuti refert S. Doctor *in Bibliis pauperum, cap.* 105.

16 EST igitur vindicatio peccatorum pars principalis iustitiæ. Ità S.Thom. *art.* 2. D. Bonauent. *allatis locis* ex M. Tullio *lib.* 2. *de Inuentione.*

ATTAMEN Suarez *opusc. vlt. sect.* 5. & alij negant, iustitiam vindicatiuam esse specialem virtutem.

SECTIO V.

De Veritate, Amicitia, Liberalitate, Epikeia, & oppositis vitiis: De dono Pietatis, & Praeceptis Decalogi, ad Iustitiam spectantibus.

MVLTA hîc, non multis tamen verbis, complectar, vt cæteras virtutes, quæ iustitiam comitantur, absoluam; & primo quidem loco agam de Veritate, quæ est virtus apprimè iustitiæ necessaria; nemo enim valet esse in agendo iustus, nisi sit in dicẽdo verax. Secundò, quid sit gratum illud animorum vinculum; quod Amicitiam nuncupamus, exponam. Tertiò, quid sit Liberalitas, quid Epikeia, quidvè vitia his opposita, expendam. Pietatem etiã quatenus Spiritus Sancti Donum est, resumam; cùm pro vt inter morales virtutes locum habet, eam suprà discussi. Tandem si quæ sunt Decalogi præcepta, ad Iustitiæ obseruantiam spectantia, ea breuiter indicabo.

QVÆSTIO I.

De VERITATE.

{ D.Thom.quæst 109.

VERITAS est specialis virtus moralis in voluntate sita, qua quis in verbis, & factis amat verum dicere. Ità D.Thom. *art.* 1. *&* 2. & idem vult S. Bonau. *in explicatione terminorum Theologiæ*, circa finem, sic definiens: *Veritas est virtus, qua rebus cor, & verba concordare iubentur.* & 3. part. Centil. sect 44. sic definiens: *Veritas est virtus, per quam immutata ea, quæ sunt, aut quæ ante fuerunt, aut futura sunt, dicuntur.* Quod idem habet *lib.* 5. *Compend. Theol. cap.* 37. 1

NON stat autem hæc virtus in illa consonantia vocis cum intellectu, sed pro vt est à voluntate imperata illa expressio consonans. Et quamuis etiam fides, aliæque virtutes intellectuales circa veritatem versentur, tamen illæ versantur in veritate indaganda, & agnoscenda; & ista in veritate exprimenda. Habet autem hæc virtus medium, quia neque ampliat, neque diminuit rem significandam. Ei autem vnificatur simplicitas, quæ tendit in vnum, non in diuersa, vt aliud intendat interius, aliud prætendat exterius. 2

EST autem pars potentialis Iustitiæ, vt docent S. Bonauent. *locis adductis*. D.Thom. *art.* 3. ex Marco Tullio *l.* 1. *de inuent.* Conuenit cum Iustitia, quia est ad alterum explicans suum sensum, & quia seruat æqualitatem quandam, adæquans signa rebus, quas loquens manifestat. Deficit verò à ratione propria iustitiæ, quia non continet debitum legale, ad iustitiam pertinens, sed potius ex honestate, quatenus debet homo alteri sincerè exprimere veritatem; cùm enim homo sit animal sociabile, debet ea, quæ ad societatem seruandam necessaria sunt, seruare. talis autem est sincera expressio, maximè in contractibus; non enim possent homines inuicem conuersari, nisi sibi inuicem crederent. Spectat quidem veritas etiam ea, quæ doctrinæ sunt, specialiter tamen ea, quæ sunt hominis, vt talem se homo exprimat, qualis ipse est. Ità D.Thom. *art.* 3. *ad* 3. 3 4

QVÆSTIO II.

De MENDACIO.

{ D.Thom quæst 110. D.Bonau. in 3. d. 38. dub. 3. lit. & quæst. 1.

SOCIETATIS humanæ commeatus exigit, vt labia cordi consonent, nec aliud proferatur ore, aliud concipiatur mente; vnde cum ab Authore naturæ, vox instituta sit, vt interioris conceptus vehiculum, si alienum quid foris ostentet, naturæ ius grauem patietur iniuriam, cùm & suo fine destituatur, & alterius auscultatoris fiducia frustretur; vndè nequit 5

peccatum hoc ullâ circumſtantiâ honeſtari; cùm tamen inter mentiendum poſſit quis diuerſos ſibi fines proponere, ab his maior, vel minor mendacij malitia ſpecificabitur, & licèt nunquam tranſeat à ſpecie peccati, infra tamen eam poterit aliquando venialis eſſe, aliquando mortalis. Sed hæc melius patebunt ex mendacij definitionibus mox tradendis, quare vt ex ipſo mendacio clarior veritas alluceſcat, materiam hanc per dubitationes concisè, & nitidè expendam.

DVBITATIO I.

Quid ſit Mendacium.

5 VERITATI opponitur Mendacium, ſimulatio, Hypocriſis, Iactantia, & Ironia, vt docet S. Bonauent. 3. *part. Centil. ſectione* 44. & in Declaratorio *terminorum Theol.* & *lib.* 5. *Compend. Theol. cap.* 37. D.Thom. *quæſt.* 110. *art.* 2. & *quæſt.* 112. Aut enim ex mente concipientis falſum ſignificatur verbis, aut factis. Si factis, eſt ſimulatio, ſiue in certa materia hypocriſis. Si verbis, eſt mendacium ſtrictè ſumptum. Quod rurſus, ſi circa mores loquentis verſetur excedens, dicitur jactantia: Si per defectum, vocatur Ironia.

6 VIDENTVR autem in vnum hæc vitia coire, quia omnia veritati opponuntur, & vni vnum opponitur eſſentialiter; variant verò in modis. Hinc D. Auguſt. lib. contra mendacium, cap. 3. *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, aliud verbis, aut quibuſlibet ſignificationibus enunciat.* Idem indicat S.Thom. *quæſt.* 111. *art.* 1.

7 DEFINITVR autem mendacium à D. Auguſt. lib. cont. mendacium, cap. 12. *Mendacium eſt falſa ſignificatio vocis cum intentione fallendi.* Mentiri verò, ab eodem S. Auguſtino in Enchir. cap. 18. ſic explicatur: *Ille mentitur, qui contra id, quod animo ſentit, loquitur voluntate fallendi.*

VBI ſciendum ex D. Bonauent. duplicem falſitatem reperiri in mendacio; materialem, quæ eſt falſum dictum, & formalem, quæ eſt intentio fallendi. Addit Tannerus *diſp.* 6. *quæſt.* 2. *num.* 8. cum Baſſæo *V. Mend.* falſitatem effectiuam ob voluntatem fallendi. Sed conſiderata in ſuo effectu, iam obtento per accidens eſt, poteſt enim eſſe mendacium, abſque eo quod aliquis decipiatur, vt ipſe fatetur, ſed dicit, etiam materiale mendacij, nempe, aſſertum falſum, per accidens eſſe mendacio. Idem ſentire videtur D.Thom. *quæſt.* 110. *art.* 1. *in corpore*, & *ad* 1. cum Thomiſtis.

8 E contra D. Bonauent. *in* 3. *d.* 38. *dub.* 3. *littera*, & *quæſt.* 1. cum magiſtro ſuſtinet ad mendacium requiri etiam falſitatem, tametſi mentiri quis valeat, etiamſi verum dicat, intendens tamen fallere.

PROBATVR primò à S.Doctore vtrobique ex definitione mendacij, lata à D Auguſtino, in qua exigit mendacio falſam ſignificationem, & intentionem fallendi: At mentiri, ſolùm exigit, apud eum, intentionem fallendi, vt retuli; dicitur enim mentiri, quaſi contra mentem ire.

PROBATVR ſecundò à S. Bonauent. ex eodem D.Auguſtino *cap.* 3. *cont. mendacium*, vbi mendacium ità opponit veritati, ſicut tenebras luci; ſed tenebra eſt formaliter priuatio lucis: Ergo & mendacium priuatio veritatis.

9 PROBATVR tertiò à S. Bonau. Sicut ſe habet eſſe verum, & mendacium circa hominem; ſic ſe habet circa orationem veritas, & mendacium; ſed iſta duo ſunt incompoſſibilia circa eundem hominem ſimul, & ſemel, videlicet ipſum eſſe veracem, & mendacem: Ergo ſimiliter erunt incompoſſibilia circa ſermonem: Ergo impoſſibile eſt, quod idem ſermo ſimul ſit verus, & mendax. Si ergo mendacium non poteſt ſe compati cum veritate, videtur quod inſeparabilem ſecum ferat falſitatem.

PROBATVR quartò à S. Doctore: Omne verum eſt à veritate prima; At nullum mendacium eſt à prima veritate: Ergo nullum mendacium eſt verum: Ergo eſt falſum.

OBIICIVNT primò D.Auguſt. *in Enchir. cap.* 18. 10
vbi ait: *Is mentitur, qui contra id, quod animo ſentit, loquitur voluntate fallendi*: Ergo mendacium in ſola voluntate fallendi ſtat.

RESPONDET S. Doctor, plura ad mendacium requiri, quàm ad mentiendum, vt dixi; nam mendacium refertur, & ad voluntatem decepticem, & ad rem falſam; at mentiri ſolùm reſpicit fallaciam, quam voluntas molitur etiamſi vera diceret, quæ falſa putat.

OBIICIVNT ſecundò. Sicut verbum diſcordat ab intentione, cùm quis negat illud, quod nouit, ſic etiam diſcordat, quando affirmat, quod ignorat, & de quo dubitat; & tunc eſt peccatum; at non niſi mendacij: Ergo poteſt mendacium cadere ſupra verum ignoratum.

RESPONDET S.Doctor, in aſſertione veri dubij, vel ignorati, eſſe mendacium ſecundum quid, & magis dicit mentiri.

OBIICIVNT tertiò. Intentio recta rectificat, & 11
obliqua obliquat: Ergo in eo, qui dicit verum intentione fallendi, tota prolatio obliquatur; ſed hoc non fit niſi mendacio: Ergo.

RESPONDET S. Doctor, intentionem obliquam falſificare dictum, non ſecundùm omnem rationem, ſed ſolùm ſecundùm rationem, quam habet ad dicentem; ſed ille ſolus reſpectus nō ſufficit ad rationē mendacij.

OBIICIVNT quartò. Sicut ſe habet peccatum ad bonitatem; ità mendacium ad veritatem: ſed qui bonum opus agit mala intentione, facit peccatum: Ergo qui dicit aliquod verum, voluntate praua fallendi, incurrit mendacium. Confirmatur; nam implicat, aliquod dictum eſſe verum, & mendax.

RESPONDET S. Doctor primò, bonum mala intentione actum, non eſſe malum ſimpliciter, ſed ſolùm illi, qui mala intentione agit; ſicuti, qui dat eleemoſynam mala intentione, non cadit peccatum in danda eleemoſyna, ſed ſolùm in eo, qui dat ratione intentionis, ſic & in propoſito.

RESPONDETVR ſecundò, negando paritatem, quia 12
peccatum dicit priuationem bonitatis; bonitas autem dicit ordinationem ad finem, quæ quidem habet eſſe, mediante recta intentione, & ideò recta intentione ſublata, perit ratio bonitatis, & eſt peccatum; mendacium autem dicit priuationem veritatis, quæ conſiſtit non ſolùm in comparatione ad intentionem, ſed & ad ipſam rem, & ideò, ſi res eſt vera, non eſt mendacium, niſi ſecundùm quid.

DVBITATIO II.

Quotuplex ſit Mendacium.

{ D Bonauent. d. 38. quæſt. 5.
{ D.Thom quæſt. 110. art. 2.

NOTANDVM primò, mendacium communiter 13
diuidi in Officioſum, Iocoſum, & Pernicioſum. Ità SS. DD. poſt D. Auguſtinum *ad* 5. *Pſal. in Gloſſa*. Cùm enim mendaciū habeat pro formali intentionem fallendi,

fallendi, secundùm intentionem ipsius mentientis in species diuiditur: Mentiens autem aut intendit prodesse; & est mendacium officiosum; aut delectare, & ecce iocosum: aut lædere, & ecce Perniciosum. Lædere autem potest spiritualiter, vel temporaliter. Tunc aut ita ledit vnum, vt alteri prosit, & secundùm hoc sunt tres differentiæ mendacij perniciosi. Prima consistit in mendaci doctrina Religionis tradenda, & hoc facit ad nocumentum boni spiritualis, idest, fidei. Secunda consistit, vt mendacium simpliciter obsit. Tertia, vt vni obsit; alteri prosit.

14 Si verò mentitur, vt delectet, sic est iocusum, & hoc potest esse dupliciter, vel vt delectet alterum, & sic est simpliciter iocosum. Vel vt delectet se mentiendo, & sic est libidinosum, quod propriè continet mentiendi libidinem, & malitiam, quæ in promptitudine mentiendi posita est, iuxta Aristotelem. 4.*Eth.cap.*7. vbi ait, mendacium, eò quòd tale est secundùm habitum, ipso mendacio gaudere.

Si verò mentitur, vt prosit simpliciter, non vt obsit; vel vt prosit ad bona fortunæ, vt pecuniarum, &c. Vel ad vitandam mortem: Vel ad vitandam impuritatem, seu ad castitatem, seu sanctitatem sartam tectam seruandam, mendacium est officiosum.

15 Hinc habes diuisionem illam mendacij in octo membra, ratione intentionis, & modi, quam affert S.Augustinus *l.de mendacio, cap.*14.& cum eo SS.DD. nostri. Primum, quod fit in doctrina Religionis, vt dicere, Christum non esse natum de B.Virgine. Secundum, quod nulli prodest, & alicui obest, vt mendacium detractionis. Tertium, quod alicui obest, vt prosit alij, vt testis falsus in causa pecuniaria. Quartum, quod fit sola libidine mentiendi: Quintum, quod fit voluntate delectandi suaui eloquio, vt adulatio. Sextum, quo mentitur ob pecuniam conseruanuandam. Septimum ob vitam. Octauum ob castitatem conseruandam. Vide D. Bonauent. *p.p.Centil. sect.*12.

Contra trimembrem hanc diuisionem opponit sibi S. Doctor aliqua argumenta, & soluit.

16 Primò. Id, quod est per accidens, non debet denominare; at per accidens est mendacio prodesse: Ergo non debet assignari species mendacij officiosi.

Respondet, actus speciem accipere ab intentione, & quia officiosum ex intione ordinatur vt prosit; ideò potest inde speciem sumere.

Obiicit secundò. Idem mendacium potest prodesse simul; & obesse: Ergo per hoc non rectè diuiduntur multæ differentiæ mendacij; nam oppositæ differentiæ nunquam eidem conueniunt.

Respondet, mendacium sumere speciem ab intentione, quæ, vel tendit, vt prosit, vel vt obsit, & ità nunquam idem mendacium vtrumque continet formaliter, esto materialiter, vt falsitas est.

17 Obiicit tertiò contra secundam differentiam. Etiam in aliis peccatis iocamur, nec tamen species inde aliqua peccati elicitur: Ergo neque in mendacio.

Respondet S. Doctor primò, denominationem non sumi ab his, quæ raiò accidunt; raiò autem iocamur in aliis patrandis, sicuti in mendacio. Respondet secundò, quòd si alia opera sumant speciem ab intentione, maximè sermo ab ea denominatur, & quia mendacium est in sermone, hinc est quod magis denominatur iocosum mendacium.

Obiicit quartò: *Mendacium est falsa vocis significatio cum intentione fallendi*, ex D. Augustino *cap.*12. *cont. mendacium*, at iocans non intendit fallere: Ergo non datur mendacium iocosum.

18 Respondet S. Doctor, idem esse fallere, ac falsum dicere, non autem idem esse, ac decipere; vnde sensus definitionis est, cum intentione falsum dicendi, & hoc conuenit mendacio iocoso, licèt minus complетè, quàm pernicioso.

Obiicit quintò, contra tertiam differentiam. Esse perniciosum est commune omni peccato.

Respondet S. Doctor, assignari perniciosum, tanquam differentiam oppositam officioso, quod est proprium mendacij; alia verò genera peccatorum non diuiduntur sic in officiosum, &c.

Obiicit sextò: Si mendacium perniciosum distinguitur ab aliis; vel hoc est ratione materiæ, aut ratione voluntatis. Non primum, quia in quauis materia potest homo mentiri grauiter, & perniciosè, si mentiatur ex malignitate. Nec ratione voluntatis, quia in quouis genere mendacij potest voluntas inordinatè moueri, & inducere perniciem in mentiente. 19

Respondet S. Doctor, distingui ratione voluntatis principaliter, & hoc ratione intentionis diuersificat hanc speciem ab aliis per se. Potest dici etiam ratione materiæ quoad illam speciem mendacij in materia doctrinæ Religionis.

Dubitatio III.

An omne mendacium sit intrinsecè peccatum.

D.Bonauent. d.38. quæst.2.
D Thom. quæst. 110.art.3.

Multi ex antiquis asseruere, licitum esse mendacium in graui necessitate ob magnum bonum. Eos refert, atque refellit S. Augustinus *lib. cont. mendacium*. 20

In eam sententiam inclinasse videntur D.Hieron. *in Epist. ad Galat.* & *Epist.*89. quæ est vndecima inter Epistolas D. August. Chrysost. *homil.* 53. *in Genesim*. Cassianus *collat.* 17. *cap.* 17. & 20. Dorotheus *serm* 9. *de mendacio*.

Verissima tamen sententia est, omne mendacium, siue facto, siue verbo, adeo malum esse, vt nunquam liceat; & nunquam sit dispensabile, vel à Deo ipso. Ità SS. DD. quos secuti sunt omnes Theologi, & Iuristæ Canonici.

Assero cum hac sententia, nullo vnquam iure licere mentiri.

Probatur primò à S.Doctore *ad argumenta* ex scripturarum consensu, vbi omne mendacium excluditur, Leuit. 19. *Non mentiemini, nec decipiet vnusquisque proximum suum*. Sap. 1 *Os, quod mentitur, occidit animam*. Vide S. Doctorem ibi in commentatiõ. Eccl.7. *Noli velle mentiri*, Ephes.4. *Deponentes mendacium* Coloss.3. *Nolite mentiri*. Vbi, cùm negatiuo præcepto prohibeatur mendacium, obligat pro semper, & est veritum. 21

Eandem sententia definita videtur ab Innocentio III. *cap. super eo, de vsuris* vbi dicitur, *Diuini verbi præcepta prohiberi, ne quis, etiam pro alterius vita seruanda, mentiatur*, vt notarunt etiam Vasquez *prim.*2. *d.*182.*cap.*4.*n.*30. Tanner. *d.*6 *quæst.*2.*d.*1. Fagund. *in* 8.*præcept.c.*5.*n.*3. vbi refert ad id etiam Aristot.4.*Eth.*

Probatur secundò à S.Doctore *Phar.lib.*3.*c.*3. §. *De mendacio*, è Sanctis Patribus. 22

Ex Augustino *in Enchir. cap.* 22. & contra mendacium *cap.*12.& *de vera Relig.cap.*33. & *lib.*1.*de Doctrina Christiana*, *cap.*36.

Affert etiam D.Gregorium *l.*11.*moral.cap.*13. & *lib.*26.*cap.*3. Isidor. *in synonimis, lib.* 11.& *de summa*

bono, *lib*. 3. *cap*. 59. Idem sentit D. Basil. *reg*. 76. *ex breuioribus*.

PROBATVR etiam præclaris rationibus à D. Bonauent. sumptis è Sanctis Patribus.

23 PRIMA ratio est. Id, quod intrinsecè est malum, non potest rectificari; tale est mendacium: Ergo. Minor probatur. Id, quod in suo formali includit malitiam, est omnino intrinsecè malum; sed mendacium est tale ex D. Augustino suprà; habet enim suam falsitatem in praua intentione fallendi, seu non dicendi veritatem, sed falsum; sine qua non esset mendacium: Ergo stante hac mala voluntate, quæ dat mendacio formam, non potest esse dispensatio.

24 SECVNDA ratio sumitur ex D. Augustino *locis* nuper primò *allegatis*, præcipuè *in Enchir*. Id, quod destruit naturam intrinsecè, est intrinsecè prauum, tale est mendacium: Ergo. Maior est certa, quia prima, & princeps lex est naturæ, quæ semper est recta in se, cùm sit à Deo, nec potest esse praua, vt natura est. Minor probatur, quia verba sunt signa à natura instituta ad humanam communicationem, & societatem, & dum abutimur signis institutis ad exprimendam mentem, destruimus societatem; nullus enim volet cum aliis contractare, à quibus decipi nouit. Hoc autem est naturam hominis destruere, quæ est animal sociabile.

TERTIA ratio sumitur ex D. Augustino nuper allato *de Doctrina Christiana*. Fidem violare, intrinsecè malum est; at mendax fidem violat, & tacitam pactionem inter se, & audientem, quæ est, vt, quia verum dicit, sibi credendum sit.

25 CONFIRMATVR ratio prima, *in corpore*, quia essentia mendacij, cùm stet formaliter in praua intentione, non potest unquam rectificari, & ita, licèt in genere mortale non sit, tamen habet malitiam magis inseparabilem, quàm furtum; & homicidium, quæ fuere dispensata in Israëlitis ad auferendos thesauros Ægyptiorum, ad necandos Chananæos, & dispensantur etiam modò in Iudicibus ad occidendos reos; in inuasis iniustè ad defensionem, & in miseris fame laborantibus ad extremum. Ex quo habes solutionem ad argumentum, quod vrgetur, si dispensantur hæc, dispensari posse etiam mendacium, quod est minus peccatum.

46 OBIICIES primò, *Genes*. 22. Abraham dixit seruis se cum filio reuersurum, cùm tamen intenderet eum in monte occidere, & immolare Deo.

RESPONDET S. Doctor, Abraham, etsi intenderet filium immolare, attamen credidisse filium à Deo suscitandum, firmiter enim tenebat, Deum stare suæ promissioni: *In Isaac vocabitur tibi semen*, vt habetur *Heb*. 11.

OBIICIES secundò, *Genes*. 26. Isaac dicebat Rebeccam sororem suam; cum esset vxor, non soror.

RESPONDET S. Doctor, Rebeccam fuisse sororem consobrinam, & ideò verum dixit, etsi tacuerit esse vxorem.

27 OBIICIES tertiò. Ioseph dixit *Genes*. 42. & 44. Fratres suos exploratores esse, sciens id esse falsum. Similiter dixit, se peritum in auguriis, cùm tamen non esset verum.

RESPONDET S. Doctor, eum verba illa dixisse non affirmando, sed tentando. Vnde potius intelligenda sunt interrogatiuè, quàm assertiuè. Quando autem dixit, se peritum in augurandi scientia, sumit augurium pro futurorum prædictione. Deinde id dixit exprimens famem populi.

28 OBIICIES quartò, Iacob *Genes*. 27. finxit se Esau, & patri cæcutienti asseruit, se esse Esau primogenitum eius, & hæc, intentione decipiendi patrem.

RESPONDET S. Doctor *dub*. 4. *litt*. *d*. 38. Iacob non esse mentitum; nam finxit se Esau ad mysterium, vt docent D. Ambrosius *de Iacob & Esau*, & D. Augustinus *contra mendacium*, *cap*. 10.

QVOD verò dixerit, se esse Esau primogenitum, verum dixit in sensu à Deo intento, quia talis erat quoad ius primogenituræ ex Dei reuelatione facta matri. Neque volebat decipere, sed verum exprimere.

OBIICIES quintò. In scriptura multa dicuntur, secundùm intentionem litteræ, falsa, vt Iudicum 9. *Ierunt ligna, vt crearent Regem*, & multa à disputantibus ibi proponuntur falsa; at scriptura est nobis regula morum: Ergo mendacium non est intrinsecè peccatum. 29

RESPONDET S. Doctor, ea quæ transumptiuè figuris, & tropis exprimuntur, esse intelligenda tropice; vt est Apologus ille Concilij arborum ad Regem creandum, & ita eo sensu vera sunt.

HINC D. Augustinus contra mendacium *cap*. 5. & 10. ait, Quidquid figuratè dicitur, vel fit, non esse mendacium, alioqui exuient omnes Metaphoræ, atque figuræ. In disputationibus verò non est mendacium proponere falsa ad verum deducendum, vel discutiendum. In disputationibus enim propositiones magis sunt interrogationes, & dubiæ, quàm assertiones, nisi fortè in doctrinalibus disputationibus, in quibus oportet discentem credere, vbi sola vera proponuntur, aut prædicantur, ex Aristotele. *primo Elenchorum*, *c*. 2.

OBIICIES sextò simulationes, quæ sunt mendacia, nam etiam actiones factæ ad decipiendum, mendacia sunt, quia sunt signa falsificata. Sic autem Iosue *cap* 8. decepit ciues Hai. Dauid decepit Regem Achis, fingens se stultum 1. *Reg*. 27. Iehu simulauit se cultorem Baal, vt deciperet Ariolos 4. *Reg*. 10. Hi verò non peccarunt, imò commendantur. Sic & Christus, Lucæ vltimo, *finxit longius ire*. 30

RESPONDET S. Doctor, Iehu cautelam laudari in decipiendo; non verò ipsum mendacium prolatum ab eo, vt dixi *Tract. de fide*, *disp*. 1. *quæst*. 16.

DAVID autem cautè, & rectè egit, vt mortem effugeret; non enim dixit se esse stultum, actiones enim non sunt principaliter institutæ ad significandum internum conceptum, sicuti instituta sunt verba. Sic & prudenter Iosue finxit fugere, vt ciues Hai ad angustias redigeret, & de medio tolleret, nam Deo præcipiente pugnabat: Christus verò ad doctrinam finxit longius ire, vt hospitalitatem doceret. Hæ sanè simulationes non sunt malæ; at simulatio hypocrisis, & duplicitatis, quæ in signo ostendunt bonos esse, sunt mendacia. 31

OBIICIES septimò. Maius peccatum est furtum, & homicidium, quàm mendacium: Sed in his dispensatur, vt constat in Iudicibus, reos occidentibus, & in populo Hebræo ad occidendos Chananeos, & ad auferendos Ægyptiorum thesauros dispensato Ergo. 32

RESPONDET S. Doctor, grauiora hæc esse facta mala voluntate, & malo fine; at quia possunt à malo fine separari, ideò possunt benefieri: non sic autem in mendacio, quia intrinsecè dicit malam voluntatem deceptricem.

OBIICIES octauò. In præceptis secundæ tabulæ potest dispensari, vt ait D. Bernardus de præcepto, & dispensatione: At mendacium est contra secundam tabulam: Ergo.

RESPONDET S. Doctor, non posse dispensari in deordinatione voluntatis, quæ intrinseca est mendacio, esto dispensari queat in actibus, remota inordinatione voluntatis, & mutata materia.

OBIICIES nonò. Potest esse, vt aliquis mentiatur, 33

tiatur ad castitatem alterius seruandam, sicuti miles ille, qui, vt S. Virginem illam à stupro liberaret, mutauit cum ea vestes, eamque aufugere à carceribus docuit. Igitur potest id ex Charitate fieri, quæ non agit perperam.

34 Respondet S. Doctor, Charitatem non mouere ad id, quod malum est, vt est voluntas decipiendi verbis, vnde ait Bernardus de dispens. *Ad opus laudabile requiritur veritas in electione, & Charitas in intentione*, & quia veritas non seruatur in prolatione mendacij, hinc mendacium ex Charitate non potest dici. Sicut enim ex Charitate non potest scienter eligi malum, vt maneat malum; ità nec eligi falsum. Sicut enim vis operatiua deseruit affectiuæ; sic vis interpretatiua deseruit intellectiuæ, & sicuti finis affectiuæ est bonum; ità finis intellectiuæ est verum. Sicuti ergo nullum opus potest ex Charitate fieri, nisi quis intendat bonum, & illud opus sit ordinabile ad bonum, sic etiam nullus sermo potest ex Charitate proferri, nisi in illius sermonis prolatione intendatur verum. Et quia mendacium est ordinatum ad falsum ex intentione proferentis, ideò nequit ex Charitate fieri.

35 Miles autem ille solùm mutauit vestes ad cautionem, neque est mendacium, quia vestes non sunt principaliter ordinatæ ad conceptum mentis significandum.

Dubitatio IV.

An Mendacium sit ex genere mortale.

D.Bonauent dist 38. quæst 3.
D.Thom. quæst.110.art.4.

36 Asero, mendacium ex genere suo non esse mortale. Ità vnanimis consensus Theologorum.

Probatur primò à D. Bonauent. ex Glossa

Secundò ex D.Gregorio *lib.*18. *moral.cap.*2. vbi loquens de mendacio obstetricum Ægyptiarum, ait: *Hoc peccati genus de facili credimus relaxari.*

Tertio, quia ibi non interuenit intrinsecè libido, vel contemptus.

Quartò, quia *non noui peccatum, nisi per legem*, vt ait Apostolus; at nulla lex sub mortali damnat mendacium iocosum, quo falsum dicitur fabulando.

Quintò, quia lingua labilis est nimis, & videtur nimis seuerum omnem defectum linguæ gehennâ damnare, quo remoto perfectus est vir, vt dicitur *Iacobi* 3.

37 Addit S.Bonauent. fieri mortale ratione damni, quod infert alicui quis mentiendo, vel ratione contemptus, vel ratione libidinis promptæ ad omne mendacium etiam perniciosum proximo, &c.

Obicies primò Psalm.5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, vbi Glossa: *Plus est perdere, quàm odisse.* At Deus neminem odit, nisi mortaliter delinquentem: Ergo.

Respondet S. Bonauent. loqui Glossam de omnibus loquentibus mendacia perniciosa. Vnde particula vniuersalis fertur super personas mentientes perniciosè, non super mendacia. Ideò argumentum est fallax in consequentia, secundùm figuram dictionis.

38 Obicies secundò *Sap.*2. dicitur: *Os, quod mentitur, occidit animam.* Quem locum tractans D. Augustinus *lib. de conflictu virtutum, & vitiorum*, ait: *Nec officioso mendacio, nec simplici verbo oportet quemquam decipere, quia quomodolibet mentiatur quis, occidit animam.*

Respondet S.Bonauent. ibi sermonem esse de mendacio perniciosο: Et si dicas de omni mendacio exponi à D. Augustino *de mendacio, cap.*5. Respondet S.Doctor, loqui de omni mendacio pernicioso in materia religionis, vt ex ipso mox colligitur.

Obicies tertiò Glossam Augustini ad id 39
Psalm. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, ait: *Si quis non vult hominem ad mortem prodere, verum taceat, sed non falsum dicat, ne, pro corpore alterius, animam suam occidat.* Si igitur anima occiditur per mendacium officiosum, quod est omnium minimum, multò magis per alia.

Respondet S.Doctor primò, verbum illud solùm ad perfectos tendere, qui perfectionem perderent etiam venialibus amittunt. Respondet secundò, loqui consultiuè abstinendum à mendaciis, quia disponunt ad mortalia, quæ sunt animæ mors.

Obicies quartò. Quod est peremptorium veritatis, est mortale: Tale est mendacium, quod repugnat veritati, sicut fornicatio castitati.

Respondet S. Doctor, non omne menda- 40
cium esse contrarium habitui veritatis, qui potius est voluntas dicendi verum, vt expedit, quam prolatio actualis cuiusque veri; etsi autem omne mendacium repugnet actui dicendi verum, non tamen repugnat habitui veritatis, refugientis mendacium perniciosum; nec est simile de fornicatione, quæ opponitur virtuti præceptæ grauiter, eamque mortaliter conspurcat.

Obicies quintò. Omnis, qui agit contra conscientiam, ædificat sibi gehennam; talis est mendax: Ergo.

Respondet S.Doctor, maiorem veram esse de agente contra conscientiam, dictantem, illud esse graue.

Obicies sextò. Vbi est plenus consensus, ibi est lethale; talis est in mendacio: Ergo.

Respondet S.Doctor, Maiorem esse veram, 41
vbi obiectum est grauiter prauum, seu in actibus simpliciter vetitis, vt in peccato carnis. Ex quibus verbis colligo, S. Doctorem non admittere leuitatem materiæ in peccato carnis, quæ hodie est sententia communis apud Dianam *part.*5. *tract.*5. *resol.*5. vbi refertur Clem. VIII. id definisse, & Claudius Aquauiua præcepit suæ Societati, vt idem doceant; Authores refert Diana *part.*3. *Tract.*5. *resol.*1. vbi concludit, oppositam sententiam esse periculosam. Idem definit præcipuè de osculis *part.*4. *Tract.*4. *miscell. resol.*136. & *Tract.*5. *resol.* 4. vbi concludit sollicitantem confessarium, etiam in tactu leui, esse denunciandum. Sic definit de osculis Alexand. VII. Regulam 42
autem generalem ad cognoscendum, quandonam datur paruitas materiæ, sumitur ex D. Bonauent. hîc ad argumenta, quâ vtuntur Baldellus *Tom.* 1. *lib.*3. *disp.*14. *num.*13. Diana 5. *part. Tract.*5. *resol.*1. actus enim specificantur per obiecta ex *lib.* 2. *de anima, text.*33. si igitur ex ratione ipsa obiecti per se primò oriatur notabilis oppositio virtuti, & malitiæ grauitas, non poterit in illo obiecto dari paruitas materiæ, & leuitas culpæ. Si verò oppositio notabilis, & grauitas culpæ oriatur ex ratione obiecti per se secunda, non autem ex ratione per se prima, omnino dabitur. Ità quia furtum vetitum est ratione rei, vt alienæ; ideò nisi alienum damnum graue sit, non erit grauis culpa; è contra, quia infidelitas vetita est, vt negatur veritas Diuina. Ideò omnis infidelitas est grauis. Vide etiam Sanchez *sum. tract.*1. *lib.*1. *cap.*4. Suarez *de leg. lib.*2. *cap.*28 *num.*68. At Castrus Palaus

43 *Tom.1. Tract.2. disp.2. puncto* 7. existimat è communi consensu Ecclesiæ eruendam grauitatem rerum. Fundatur verò consensus hic in naturis rerum: aliqua enim ità ordinata sunt, vt reputentur grauissima, sic quælibet idolatria, Simonia, Infidelitas, Desperatio, quodlibet periurium, odium Dei, & quilibet contemptus eius, quæuis irritatio Sacramentorum, quæcunque pollutio, fornicatio, &c. grauiter iudicium constituunt, nec variant in quauis materia; è contra vero infert S.Doctor *ad argumenta*, quia mendacium in materia iocosa, & perniciosa grauiter variat iudicium, ideò potest esse leue, & graue.

44 FATEAMVR tandem, mendacium, grauiter perniciosum, esse lethale, quia opponitur Charitati; Sic D.Bonauent. hîc, D.Thom. *quæst.* 110. *art.*4.

DVBITATIO V.

An omne Mendacium viris perfectis sit mortale.

{D.Bonauent. dist.38. quæst.4.
D.Thom. quæst.110. art 4.

45 TRES opiniones hac de re S. Bonauentura recenset, quas vide in eo, *loco citato.*

ASSERIT verò, mendacium posse esse mortale ratione personæ publicæ, quæ hoc sensu dicitur, & esse debet, perfecta, quatenus scandalo sit, & veritatis contemptui; vnde non amplius eis personis creditur in damnum graue Reipublicæ; non tamen est ex genere, seu natura actus mortale. Primum probat ex D.Augustino *in Glossa ad Psalm.*5. & *de mendacio, cap.*6. & 18.

RATIO est, quia graue damnum infertur, si nulli credatur, & fides in terra pereat. Idem sentit D.Thom. *ad* 5. Secunda pars constat ex dictis *dub.*3.

46 OBIICIES primò. Circumstantia personæ non grauat peccatum in infinitum; at mortale in infinitum excedit veniale: Ergo.

RESPONDET S.Doctor, circumstantiam personæ per se non ità grauare, sed bene vbi interuenit graue damnum, & scandalum.

OBIICIES secundò. Vel non mentiri, est præceptum, vel consilium; Si hoc: Ergo non est mortale cuicunque. Si præceptum: Ergo omne mendacium, cuique est mortale.

RESPONDET S.Doctor, quædam mendacia esse simpliciter vetita, quædam verò non esse prohibita simpliciter, sed cohibita.

47 OBIICIES tertiò. Mentiri vel repugnat Charitati simpliciter, vel perfectæ. Si primum: Ergo omne mendacium est mortale. Si secundum: Ergo vir perfectus non cadit per mendacium à Charitate.

RESPONDET S.Doctor, repugnare perfectioni, vt sic; at Charitati simpliciter, vt est grauiter perniciosum in scandalum.

OBIICIES quartò. Vir perfectus, in aliis ex genere venialibus non peccat lethaliter; vt in verbo otioso, primo motu iræ, vel carnis: Ergo.

48 RESPONDET S. Doctor, negando paritatem, quia ex illis non oritur scandalum, &c. Concludit verò, propositionem D. Augustini, quòd mendacium aliis veniale sit, perfectis verò mortale, posse vniuersaliter hoc pacto sustineri, vt perfectis sit dispositiuum ad mortale magis, quàm in cæteris ex ingrati animi nota, tot Diuinis Charismatibus repensâ.

DVBITATIO VI.

An in gradibus Mendacij detur grauissimum, & leuissimum.

{D.Bonauent. quæst 6.
D.Thom. quæst. 110. art.4.

ASSERIT S.Doctor cum D.Augustino *de mendacio, cap.* 21. gradus mendaciorum sequi ordinem, vt detur magnum, & minimum; quia vt ait Philosophus 3. *Top. cap.* 4. si maximum in vno genere excedit maximum in alio genere, simpliciter hoc genus excedit illud. Vnde ad hoc, quod aliquod genus excedat alterum, non est necesse, vt singula illius generis excedant singula alterius generis, sed quod summum in eo genere, sit maius omnibus absolutè alterius generis. Quoniam ergo inter omnia mendacia illud est maximum, in quo intendit quis alteri nocere in via veritatis, & salutis, quia infert ei damnum spirituale incompensabile quoad maxima bona; hinc mendacium in doctrina religionis est inter cætera maximum. E contra, quia non potest quis vrgentiori causa ad mentiendum moueri, quàm pro seruando bono spirituali, vel adnexo spirituali: hinc est, vt mendacium illud leuissimum sit, quod pro seruanda castitate, vel re simili patratur, & sic gradatim ascenditur, & descenditur, vt quanto accedit ad primum, tantò sit grauius; & quantò ad minimum accedit, tantò sit minus, & hoc probat S.Doctor etiam *in Pharetra, lib.*3. *cap.*3. *De mendacio*, ex D.Gregorio *lib.*8. *moralium, cap.*4. 49

50 OBIICIT primò contra hos gradus. Sit vnus dicens, Christum non ascendisse super asellum ex quadam vrbanitate, hic peccat primo genere mendacij. Sit alter mendacio imponens proximo falsum crimen, vnde interficiatur, peccat inferiori genere mendacij, & tamen hoc grauius est: Ergo malè ordinantur gradus mendaciorum.

RESPONDET S. Doctor, mendacium grauissimum esse, quod non solum falsum asserit ex malitia in subuersionem religionis; talis autem non est, qui ideò dicit, Christum non ascendisse super asellum.

OBIICIT secundò. Qui dicit mendacium, schismata seminans, grauiùs peccat, quàm qui seminat doctrinas falsas in religione; & tamen hic peccat primo genere mendacij.

51 RESPONDET S. Doctor, hoc esse grauius; nam falsitas doctrinæ inducit schismata, & alia mala.

OBIICIT tertiò. Potest quis primo genere mentiri ex infirmitate, & secundo genere ex malitia, tunc grauiter peccabit iste, quia hic peccat in Spiritum Sanctum.

RESPONDET S. Doctor, eum, qui mentitur contra veritatem religionis, non supponi ex infirmitate errare.

OBIICIT quartò, Supremum genus mendacij est contra fidem; at inferius perniciosum proximo, est contra Charitatem, quæ est virtus maior.

RESPONDET S. Doctor primò, non sequi ex eo, quod maius bonum sit Charitas, quàm fides, omnem carentiam Charitatis esse maius malum, quia potest esse priuatio tenuis Charitatis, & maxima fidei priuatio. Addit S.Doctor, mendacium contra veritatem

ritatem religionis non solam fidem lædere, sed etiam opera bona, & Charitatem: v. g. si dicas, fornicationem non vitandam, parentes non honorandos; in materia enim religionis non docetur tantùm quid credendum, sed etiam quid secundùm singulas virtutes operandum.

52 Obiicit quintò contra infimum mendacium, quod officiosum est ad saluandam castitatem, nam hoc habet magis rationem mendacij, cùm sit serium: Ergo grauius est iocoso.

Respondet, negando, grauius esse officiosum hoc, quàm iocosum, quia in neutro intendit quis decipere alium; intendit tamen dicere falsum in altero, vt delectet in altero, & vt prosit; minus autem inordinata est intentio, quæ vult prodesse, quàm quæ vult delectari, & hoc etiam seriò fit ad delectandum.

53 Obiicit sextò, succurrens in maiori necessitate, minus peccat mentiendo: at qui succurrit in discrimine vitæ, succurrit in maiori necessitate, quàm qui in periculo castitatis, quia hæc non potest inuito eripi, sicut illa.

Respondet S. Doctor, maiorem esse necessitatem ad seruandam tunc castitatem, quia hoc est bonum spirituale, & maius bonum, quod licèt non possit inuito formaliter auferri, tamen aufertur quoad puritatem corporalem, adneaam cum periculo consensus, & ruinæ spiritualis. Ideò, licèt pietas naturalis magis inclinet ad saluandam vitam; tamen pietas gratuita magis inclinat ad saluandam vitam gratiæ.

54 Obiicit septimò; qui aufert vitam, aufert spatium pœnitentiæ, non sic qui aufert castitatem: Ergo illud est maius malum, atque ideo minus peccatum erit mentiri pro tali salute.

Respondet S. Doctor; priuatum vitâ, carere etiam spatio peccandi, & nescitur, an esset vitam in peccatis insumpturus.

Quærit in calce S. Doctor, vtrum eligere quis debeat in discrimine castitatis, an corrumpi; an verò mentiri.

Respondet S. Doctor, si probabiliter scire potest, se non assensurum voluntate, debere pati corruptionem potius, quàm mentiri, quia corruptio duplicabitur ad coronam, vt B. Lucia dicebat; sed si imperfectus sit, & timet ne succumbat, tunc minus malum eligi potest mendacij ad declinandum, & hoc etiam ad alienam redimendam.

Quærit etiam: an liceat mentiri, vt in viam salutis alium reducamus.

55 Respondet, negatiuè, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona, neque Deus nostro eget mendacio, vt alios saluet; neque enim mendacio dirigitur homo, sed Spiritus sancti inspiratione, qui est Spiritus Veritatis, sine quo frustra prædicamus.

Dubitatio VII.

De aliis, quæ ad Mendacium reducuntur.

56 Ad mendacium reducuntur simulatio, Hypocrisis, Iactantia, & Ironia. Simulatio definitur à S. Bonauent. *lib. 3. Pharetræ, cap. 25.* ex sanctis Patribus: *Est ostensio, aliena in facto ab his, quæ verè sunt.*

Hypocrisis verò definitur à S. Doctore ibi, & p. p. Centil. sect. 18. *Est voluntas per speciem sanctitatis, se simulans fallaciter in aperto, & viliter agens in occulto.* Itaque hypocrisis est simulatio in certa materia, nempe virtutis. Vide S. Bonauent. *loco cit. Pharetra*, præclarè cum Patribus disserentem.

Ironia definitur à D. Bonauent. in speculo animæ, cap. 1. *Est alterius detestatio per contrarium,* sed hæc ad superbiam reducitur.

Iactantia verò dicitur, qua quis enumerat bona sua, vt laudabilis appareat, vt ait S. Bonauent. *loco cit. Centil. & lib. 3. Compend. Theol. verit. cap. 15.* Quare ad superbiam potius reducitur, tametsi, quando effert super id, quod est, iniustitiam quandam habeat. 57

Hæc vitia opponuntur veritati, & habent rationem mendacij, atque adeo possunt esse & mortalia, & venialia.

Ex fine autem, vt ait S. Bonauent. *quæst. superiori*, & cum eo Tannerus *disp. 6. quæst. 2. dub. 1. num. 18.* colligitur quando sint grauia; si enim finis sit grauiter contrarius Charitati, aut iustitiæ, &c. Erunt mortalia; si aliquis exempli causâ fingat sanctitatem, vt decipiat in fide, vel castitate, vel furetur. Si verò finis non opponatur Charitati, &c. erunt venialia, puta sola libidine in fictione, de quibus Aristoteles 4. *Eth. cap. 7.* 58

Decipere enim aliquem præcisè non est graue, nisi aut finis malus, aut damnum sequatur graue.

Sic etiam Iactantia ex radice superbiæ est mortalis, si ex mortali superbia nascatur, puta efferendi se grauiter, sicuti dicitur de Rege Tyri Ezech. 28. *Eleuatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum.* Vel si iactando se, erumpit in aliorum contumelias, veluti Pharisæus ille, Lucæ 18 *Non sum, sicuti cæteri homines, raptores, &c. velut etiam hic.*

Ironia, qua quis de se ipso contra veritatem minora prædicat, est mendacium, leuius tamen quàm Iactantia, vt docet D. Thom. *quæst. 113. art. 1. & 2.* post Aristotelem *lib. 4. Eth. cap. 7.* 59

Ratio est, quia Iactantia oritur, vt plurimum, è turpiori motiuo, scilicet ex appetitu lucri, vel honoris; Ironia verò ex eo, quod refugit, licèt inordinatè, aliis per elationem grauis esse; si tamen ad dolosè decipiendum se humiliet, potest esse grauis, de quo Eccl 19. *Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo.*

Potest etiam in eodem actu concurrere iactantia, & ironia, si quis falsa humilitate se deiiciat, vt æstimetur, vt ait Christus, Matth. 6. *Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes*, vt obseruat S. Doctor in Diæta *tit. 2. cap. 6.* vbi eos carpit dicens, hos pascere duplicem aduersarium.

Dubitari solet etiam de verbis figuratis. Respondetur, hæc carere mendacio, vt docet D. Augustinus *de mendacio, cap. 2. & lib. cont. mendacium, cap. 10.* Habent enim in suo genere veritatem, iuxta Rhetorum instituta. 60

Itidem enunciationes amphibologicæ sunt absque nota mendacij, si loquens fallere non intendat, vt notat Tannerus *disput. 6. quæst. 2. numero 23.*

Dubitatur etiam de orationibus mixtis, quæ scilicet habent partim in voce, partim in mente sensum, vt dum petenti 100. florenos dicis: dabo eos tibi; sed intelligens, si debeo.

Prima opinio est, hæc esse mendacia. Ità Sotus *lib. 8. de Iust. quæst. 1. art. 7.* Caietanus *quæst. 89. art. 7.*

art. 7. Azot tract. 1. lib. 13. cap. 4. quæsito 5. Aragon ibi, & alij. Ratio est, quia oratio illa extra prolata, est falsa.

61 OPPOSITUM docent alij; quos sequuntur Valentia disput. 5. quæst. 13. puncto 2. & disput. 6. quæst. 7. puncto 4. Toletus lib. 4. cap. 21. & lib. 5. cap. 58.

VERA igitur sententia hoc sensu admittit æquiuoca, cùm illicitè rogamur ad aliquid dicendum, vt notat Tanner. num. 31. Sic enim Christus *Marci 13.* iuxta veriorem Patrum sensum ait: *De die autem illo, vel hora, nemo scit, neque Angeli in cælo, neque filius*, nempe vt aliis reueler, vel nescit, hoc est nescire facit; vel nescit ad reuelandum, vt docet D. Bonauent. *in 4. dist. 48. quæst. 4.* & cum eo Tanner. *num. 31.* Sic explicat S. Doctor cum Chrysostomo *homil. 47.* Id Ioannis 7. *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam*, intelligens nunc vobiscum; nam posteà ascendit. Simile est id Ioan. 11. *Lazarus dormit*, cùm esset mortuus, & id Lucæ 8. *Non est mortua puella, sed dormit*, vt obseruat S. Doctor *in commentariis*, & cum eo Tannerus *loco cit.*

62 HABEMUS etiam exemplum S. P. Francisci apud Nauar. *cap. Humanæ aures*, Tanner. *num. 32.* nam quæsitus, an quidam illuc transiisset, tenens S. Pater manum in manica ait: *Hac non transiit.* & quamuis Soto *de se reto tegendo, memb. 3. quæst. 3.* dicat, S. Franciscum fuisse deceptum in ea opinione, tamen pluris est æstimandus, quam Sotus, vt monet Tanner. *num 32.*

SIC & Samuel primo Reg. 16. dixit: *Ad immolandum Domino veni*, cùm venisset ad regem vngendum Dauidem. Quæ æquiuoca laudat D. Gregorius *ibi* ad Tyranni vim declinandam.

63 SECLUSA tamen graui causâ, non licet æquiuocis vti; sic enim tenemur relatiua veritate, alioqui omnis societas humana tolleretur, vt arguit S. Thom. *quæst. 114. art. 2. ad 1.* & D. Bonauent. *lib. 3. Pharetra, cap. 3. §. De mendacio.* Ideò SS. Patres, ibi allegati, grauiter carpunt. Sic D. Isidorus in Synon. cap. 11. *Caue mendacium in omnibus, mendacio enim fides tollitur*, & D. Augustinus in Enchir. cap. 22. *Vtique verba propterea sunt instituta, non per quæ inuicem se homines fallant; sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat*, & lib. primo de doctrina Christi, cap. 36. *Nemo mentiens, in eo*
64 *quod mentitur, seruat fidem. Nam hoc vult vtique, vt cui mentitur, sibi fidem adhibeat, quàm tamen ei mentiendo non seruat.* Tandem *in speculo animæ, cap. 2.* S. Bonauent. suspectas, & æquiuocas locutiones in contractibus vituperat. De his, addito iuramento, egi *disp. de Iuram. quæst. 10.*

QVÆSTIO III.

De AMICITIA.

S. Bonauent. 3. part. Centil. sect. 44.
D. Thom. quæst. 114.

65 AMICITIA, quæ & affabilitas dicitur, est virtus specialis, quâ quis erga cæteros homines secundùm communem conuersationem rectè ordinatur, ità vt iam in factis, quàm in dictis ad vnumquemque se habeat, vt decet. Ità D. Thom. *art. 1.* Ideò S. Bonauent. *3. part. Centil. sect. 44.* eam sic definit: *Est voluntas bona erga aliquem, causa illius qui diligitur, cum eius pari intentione, à quo diligitur.* Idem habet *in opusc. Declaratorio terminorum Theol.* Eam in Gratia includit S. Doctor *lib. 5. Compend. Theol. cap. 37.* nempe quia per eam conseruatur humana conuersatio, & grata euadit.

ADVERTE hîc, non esse sermonem de amicitia perfecta, quæ Charitate nititur. De hac enim egi *Tract. de Charitate*: Neque de alia, nixa motiuo naturalis bonitatis perfecta, quæ consistit in speciali amore, & communicatione erga alterum; sed de quadam imperfecta, qua in ordinario conuictu se gerit erga alios iocundè, & decenter conuiuendo, ne quid verbis, vel motibus asperum, morosum, inhumanum, vel agreste exhibeatur, quam proinde S. Bonauent. *Gratiam*, & S. Thom. *Affabilitatem*, vocant. 66

EST autem amicitia pars potentialis iustitiæ, vt docet D. Bonau. *loco allato*, & D. Thom. *quæst. 114. art. 2.* Est enim ad alterum, sed deficit à debiti perfecta ratione.

DVO sunt vitia Amicitiæ contraria, nempe Adulatio, & Litigium. Illa excedens in delectando: hoc vero contristat, atque conuersationem amaram reddit. 67

ADVLATIONEM definit S. Doctor p. 3. Centil. sect. 13. *Est sermo laudis alicui exhibitus, intentione placendi*; est autem duplex, altera, quæ bonum non habitum attribuit: quædam, quæ habitum extollit; quædam, quæ malum nutrit, laudando malum. Vnde dicitur Psalm. 9. *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ.* Quædam, qua vult aliis placere, non tamen propter Deum, laude tamen vera, de qua Galat. 1. *Si adhuc hominibus placerem*, idest, placere vellem, non propter Deum, *Christi seruus non essem.* Idem docet opusculo declaratorio terminorum Theologiæ.

LITIGIUM verò asperam reddit conuersationem, ideò eam tanquam pacis, & amicitiæ hostem repellit S. P. Franciscus *in regula, cap. 3.* vt obseruat ibi S. Doctor.

POTEST vtrumque hoc vitium esse mortale. Adulatio quidem laudando alterius peccatum, de his Isa 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* Secundò, ratione intentionis, vt si quis alicui adulatur, vt noceat. Tertiò ratione effectus, cùm laus adulatoris est alteri occasio peccandi, vt docet D. Bonauent. *in speculo animæ, cap. 1.* multa adulationum exempla affert S. Doctor è scripturis *in Bibliis pauperum, cap. 69.* Ibi mortaliter damnantur Chore, & eius Complices, adulantes populo, vt cum conetarent in Moysen, dicentes: *sufficiat vobis, quod omnis multitudo sanctorum est*, Numer. 16. Sic Absalom, qui adulabatur, vt ad bellum iniquum induceret subditos Dauidis 2. *Reg. 15.* Vide alia ibi. 68

MULTA è SS. Patribus de Adulatione habes in D. Bonauent. *lib. 3. Pharetra, cap. 3. §. De adulatione.* 69

QVOD si ex mera complacentia in laudando, vel etiam ad euitandum aliquod malum aduleris, non est mortale. Ità D. Bonauent. *in speculo animæ, loco cit.* & D. Thom. *quæst. 115. art. 2.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

De LIBERALITATE.

D. Thom. quæst. 117.

70 LIBERALITAS est virtus specialis, qua rectè quis se habet circa dationes, & sumptus, adeoque circa vsum Pecuniæ, rerumque aliarum, quæ pecuniâ mensurantur. Ità D. Thom. *art.* 1. 2. & 3. ca Aristotele 4. *Eth. cap.* 1. Definitur à D. Bonauent. 3. part. Centil. sect. 44. *Est virtus beneficiorum erogatrix, quæ pro affecta benignitas, pro effecta verò beneficentia vocatur.* Idem habet *in Declaratorio terminorum Theologiæ*, ex qua definitione habes, eam consistere in ordinatione passionis, seu affectionis circa pecuniam; ne impediat ab his, quæ conuenienter sunt expendenda. Ità etiam D. Thom. *art.* 3. *ad* 3.

71 PONITVR pars potentialis iustitiæ ob rationes sæpius latas. Ità S. Bonauent. *locis adductis*, & D. Thom. *quæst.* 117. *art.* 5. & 6. Accedit ad iustitiam, quia est ad alterum; declinat, quia dat quod suum est, non id, quod est alterius; Iustitia verò dat, quod est alterius.

DVBITATIO I.

De AVARITIA.

72 DVo sunt vitia Liberalitati opposita, scilicet, Auaritia, & Prodigalitas.

AVARITIA consistit in immoderato appetitu habendi, etiamsi nulli iniuriam inferat. Sic igitur eam definit S. Doctor in Diæta, tit. 1. cap. 6. *Auaritia est immoderatus amor pecuniæ requirendæ, vel retinendæ.* Vbi præclaras auaritiæ similitudines exprimit, & damna recenset.

FILIAS duodecim Auaritiæ ibi recenset, & hæ sunt. Vsura, Rapina, Latrocinium, Talliæ iniustæ, Fraus negotiatorum, Deceptio Aduocatorum, Acceptio munerum, Simonia promotione consanguineorum, Peccata Anachoritarum, idest eorum, qui promouentur fauore, & potentiâ Principium, Fraus mercatorum, Auaritia scientiæ, Iniquitas Lusorum. Hæc ferè habet locis citandis, & sunt potius species materiales, sicuti & quæ referuntur 4. *Eth. cap.* 1.

IN Compend. Theolog. verit. *lib.* 3. *cap.* 19. Sic definit Auaritiam ex D. Bernardo, epist. 42. *Auaritia est quarumlibet rerum insatiabilis, & inhonesta cupido.* Vel ex Tullio: *Est immoderatus amor habendi.*

73 GRAVE hoc esse peccatum probat ex Apostolo *Ephes.* 5. vt dicitur: *Idolorum seruitus*, quia exhibet pecuniæ id, quod debetur Deo, in eam enim sperat, in ea vltimum finem ponit, summèque amat. Ideò Eccles. 10. dicitur: *Auaro nil scelestius*, hoc autem non in se præcisè habet auaritia, sed quia est radix omnium vitiorum cupiditas, ob quam multi errauerunt à fide; omnia enim scelera per auaritiam patrantur, furta, periuria, homicidia, stupra, adulteria. Secundò quia est contra legem naturæ, Lucæ 6. *Quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, &c.* Tertiò quia est contra Legem scriptam, Lucæ 6. *Estote misericordes, &c.* Quartò, quia est contra legem vniuersalis communicationis; auarus enim captiuas res detinet, ne se communicent.

QVÆRIT verò: an liceat thesauros congerere. Et respondet, non licere affectu auaritiæ absque necessitate sua, vel aliena: Licere autem ex consideratione necessitatis; sic licet parentibus ad filios educandos, filiasque dotandas, non autem ditandas; sed seruato modo, vel statu personæ. 74

LICET etiam ad conseruandum Regnum, Principibus, & Regibus thesaurizare. Personis verò Ecclesiasticis ait non licere, quia *pecuniam habet Ecclesia, non vt seruet, sed vt eroget*, vt ait S. Ambrosius *lib.* 2. *offic. cap.* 28. Septem filias Auaritiæ recenset ibi. Eum vide.

IN *p. p. Centil. sect.* 22. multas tradit definitiones auaritiæ, & præter suprà enumeratas, aliam affert è D. Augustino, lib. 14. de ciuit. cap. 15. *Auaritia est libido habendi pecuniam*, mox adducit rationem, ob quam dicitur: *Idolorum seruitus, Eph.* 5. quia cultor Dei tripliciter ad eum comparatur, honorando, sperando, amando; hæc autem auarus pecuniæ exhibet. 75

OBSERVAT autem S. Doctor, Auaritiam opponi liberalitati, & Charitati, & quatenus est contra liberalitatem, est appetitus immoderatus pecuniæ, & sic non est peccatum mortale, si in hoc sistat, vt non præferat eius amorem amori Diuino, vel proximi, vt non velit aliquid agere contra debitum Deo, vel proximo. Ità etiam D. Thom. *q.* 118. *art.* 4. & communiter, vt ait Tanner. *num.* 45.

VT autem opponitur Charitati, est mortale; amat enim pecunias, eas præferendo præceptis Dei, eleemosynæ, restitutioni, &c. non refugit fraudes, proditiones, periuria, violentias, immisericordiam, & similia.

EXACTIVS hæc omnia tradit *in speculo animæ, cap.* 2.

ANIMADVERTIT autem ibi, hanc esse concupiscentiam oculorum, de qua Ioannes *epist.* 1. Tres autem ramos ex hoc stipite oriri ait; Inordinatum scilicet appetitum habendi, Inordinatam acquisitionem, & inordinatam possessionem. Ex inordinato amore oriuntur inordinatum desiderium habendi, inordinatus habentis amor, & inordinatus amissi dolor. Ex inordinato desiderio habendi oriuntur sollicitudo in mente, & iniustitia in opere. Hæc sollicitudo potest esse mortalis, si ob eam omittantur præcepta, puta sanctificandi Festum, vel audiendi Sacrum. 76

INIVSTITIA in opere vel est aperta, vel occulta, quæ fraus dicitur: Aperta verò diramatur in Furtum, Rapinam, Vsuram, Iniquam sententiam, Aduocationem iniustam, Vectigalia iniqua, Extorsiones, acceptionem munerum, Ludorum vetitorum vsum.

OCCVLTA verò iniustitia continet fraudes in contractibus, non solùm circa temporalia, sed etiam spiritualia, vt circa beneficia, iudicia, sententias, consilia, &c. 77

INORDINATVS amor habendi causat Immisericordiam in pauperes, dilationem restitutionis, Irrecompensationem, illiberalitatem, &c. Hæc omnia in Tractatibus præcedentibus discussa sunt.

IN Compend. *Theol. verit. lib.* 3. *cap.* 26. dat regulas cognoscendi, quandonam auaritia sit mortalis, aut venialis. Supponit autem definitionem auaritiæ è Cicerone supra: *Est immoderatus amor habendi.*

Hæc

Hæc autem cupiditas consistit, vel in appetendo, vel in acquirendo, vel in retinendo. Quoad cupiditatem in acquirendo quinque modos assignat.

78 PRIMVS est, si appetat efficaciter, & proditet ad opus, si adesset facultas; & est peccatum lethale.

SECVNDVS, si appetat illicita voluntate incompletâ, quatenus scilicet procurar, sed simoniacè; vt consequatur beneficium Ecclesiasticum immeritò.

TERTIVS, si appetit simpliciter habere superflua appetitu suffocante mentem à cura sol, & consideratione diuinorum, ita vt propterea deficiat à Deo, volendo potius ditari, quàm præcepta obseruare, & hoc lethale est.

QVARTVS, si superfluo amore inhæret temporalibus, sed tamen infra Deum, volens propterea Dei mandatis deesse, & hoc est veniale.

QVINTVS, quem tertio loco recenset, est, qui appetit talia, siue sint illicita, siue aliena cum voluntate conditionata, scilicet, si posset ea habere sine offensâ Dei, vel iniuria proximi. Et tunc, vel nullum, vel veniale est, si talem conditionem actu, vel habitualiter apponat.

79 Hoc dicto resoluitur magna illa quæstio: An consensus conditionalis, quo quis vult aliquid sub ea conditione, si mihi liceret, vel si non esset peccatum, excuset, quando illud est mortale.

MVLTI sic resolutè respondent. Quando conditio addita omnem malitiam aufert, excusat à culpa, vt, si non esset peccatum, occiderem Petrum; non autem quando conditio non aufert malitiam, veluti dicens, si non esset infamia, furarer. Ità Gerson 2. *part. in reg. moral. alphab.* 24. *littera G.* vbi eadem verba habet, quæ ex D. Bonauent. retuli. Caietanus *summa, verb. Cogitatio*, Armilla *num.* 1. Sà *verb. Peccatum, num.* 2. Et loquuntur etiam de peccatis contra legem naturæ. Sequuntur Alcozer *sum. cap.*6. *doctrina* 2. Manuel alios referens *tom.* 2. *sum. in* 2. *edit. cap.*112. Vasquez *prima* 2. *quæst.*74. *art.*8. *dub.*116. *cap.* 2. *num.* 4. Saytus in clau. reg. *lib.* 8. *cap.*7. *num.*28. & 29. Hæc sententia est D. Bonauent. *loco cit.* & vera.

80 OPPOSITVM quidem censent alij distinguentes; Si enim illa res sit mala intrinsecè, vt si est contra ius naturæ; dicunt, nunquam conditione expurgari malitiam, quia, cùm sit essentialiter mala, nequit vlla conditione purgari, & conditio apposita inuoluit contradictionem. Ità Adrianus *quodl.* 10. *art.* 2. Azor *tract.*1. *Instit. moral. lib.* 4. *cap.*6. *quæsito* 10. Sanchez *Tom.*1. *in Decal. lib.*1. *cap.*2. *num.*25. alios referens.

ASSERO cum priori sententia, conditionem omninò purgantem quicquid malitiæ sit in actu, à peccato excusare.

81 PROBATVR, quia quandocunque aufertur malitia ab actu, nullum est peccatum; sed in hoc casu aufertur: Ergo. Minor probatur, quia eo modo fertur voluntas, quo sibi repræsentat obiectum sub conditione; sed hæc est, se non velle efficaciter obiectum, nisi expurgatum à malitia; non enim fertur efficaciter absolutè in obiectum, sed efficaciter conditionaliter. In quo deceptus est Sanchez vrgens, efficaciter voluntatem ferri in illud obiectum. Dico enim ferri efficaciter, ideò non simplici complacentia; at non efficaciter absolutè, sed conditionaliter, si liceret, & non habet actum non volendi rem, sed haberet, si liceret, vnde sicuti implicat expurgari obiectum à malitia, eò quòd intrinsecè malum sit; ità implicet voluntatem ferri absolutè in illud obiectum.

SED iam reuertamur ad nostram sententiam.

SECVNDVS ramus auaritiæ consistit in acquirendo iniquè; & hoc tripliciter: Primò quocunque modo. Secundò per tale opus vetitum, & sunt lethifera. Tertiò per operam venialiter malam, vt iocis, sicuti qui caniculum saltare docent, & est veniale; nisi ob delectationem talibus in rebus dissolutè se gerat, omnino cæterarum rerum oblitus. Si tamen omnino ob necessitatem tali arti incumberet, quia aliam non habet modum ad victum, dicit S. Doctor, non esse mortale, etiamsi totus incumbat, dummodo præcepta non omittat. 82

TERTIVS ramus est iniusta detentio, & in tres alios ramos diuiditur. Primus est detinere ea, quæ restituenda sunt, cùm ea sciat, & possit restituere. Secundus, si retinet superflua, sua nolens in extrema, vel graui necessitate proximi erogare, cùm possit. Tertius, si retinet ex summa cupiditate superflua, sinens potius res putrescere, quàm velit dispensare eas, & hæc sunt mortalia. Quartus retinens superflua ex inordinato amore largitatis tantùm, & hoc est veniale. 83

SIMILIA habet S. Doctor *de profectu religiosi, lib.* 1. *cap.*34.

PLVRIMA è Scripturis auaritiæ exempla refert S. Doctor *in Bibliis pauperum, cap.*75. 84

REMEDIA auaritiæ recenset *lib. citata de profectu religiosi, cap.*35. & aliis locis.

PRIMVM est, omnia pro Christo relinquere, sicuti fecere fideles, primæuæ Ecclesiæ tempore. *Act.* 2. & 4. Ideò *Luca* 14. *Matth.* 19. volentibus esse discipulos suos iniungit Christus, vt omnibus renuncient.

SECVNDVM remedium est considerare plenas esse opes periculis, quibus acquiruntur; sollicitudinibus, quibus conseruantur, &c. Vide ibi præclara. 85

TERTIVM est confidentia in Deum, vt dicitur Matth. 6. *Nolite solliciti esse.* Vide S. Doctorem. Non dissimilia docet *in Pugna spirituali, cap.*3.

QVOMODO de hoc vitio confessarius interrogare debeat. Vide *in Confessionali, cap.* 2. *particula* 6.

PRÆCLARA ex Patribus habes contra hoc vitium *in Pharetra, lib.* 2. *cap.* 11. ad conciones. Ea hic non recenseo, vt lectorem ad fontem Siloe remittam, vbi salutaria doctrinæ latices poterit haurire ad arida populi corda irriganda.

DAMNA auaritiæ plurima recenset S. Doctor *in Diæta salut. tit.* 1. *cap.* 6. & 12. & Compend. *Theolog. veritat. lib.* 3. *cap.* 19. vbi etiam similitudines affert auari, quæ ad conciones apprimè deseruiant: Ea, quæ ad species huius vitij pertinent, sparsim habent suos Tractatus in hoc opere. 86

DVBITATIO

DVBITATIO II.

De Prodigalitate.

87 DEFINITVR à D. Bonauent. in opusc. Declaratorio terminorum Theologiæ; *Prodigalitas est superfluitas, quæ non danda dat.* Itaque recedit ad alterum extremum à medio Liberalitatis, & minus aduersatur ei, quàm auaritia; nam Liberalitas dat, cui magis accedit, dans nimis, quàm dans nihil, vel minus, quàm decet. Secundò, quia prodigus alios iuuat; sed auarus est omnibus noxius. Tertiò, quia prodigalitas faciliùs curatur.

88 EST autem solùm peccatum veniale ex genere suo. Ità D. Thom. *art.* 3. potest verò esse mortale, si facultates consumat in perniciem filiorum, egenorum; creditorum, & eorum omnium, quibus tenetur subsidium afferre, vt notauit Tannerus *disp.* 6. *quæst.* 2. *dub.* 2. *num.* 46.

PRODIGALITATIS detrimenta recenset S. Doctor egregiè *ad* 15. *Lucæ* ad parabolam filij prodigi.

QVÆSTIO V.

De Epikeia.

D. Thom. quæst. 120.

89 HÆC est virtus ex naturali ratione dictans aliquid præter, vel contra legem in aliquo casu ad mentem legislatoris, ex Aristotele 5. *Eth. cap.* 10. & *in Cod. de legibus*, & *Constit. Principium*, *leg.* 5. habetur: *Non dubium est in legem committere, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem. Ideò laudabilis est Epikeia, quæ legis intentum aspiciens, verba non seruat.* Decernunt autem leges id, quod vt plurimum fit, & in aliquo casu Epikeiæ locum relinquunt.

90 APVD D. Thom. hæc est pars subiectiua iustitiæ, non potentialis, & vagatur per omnia legis positiuæ, & per omnes actus virtutum, quatenus legibus obtemperant.

ALII verò dicunt, Epikeiam esse speciem accidentalem iustitiæ legalis, nec esse adeò virtutem specialem, à iustitia legali cæterisque distinctam. Ità Tanner. *num.* 56.

91 INTERPRETATIO quidem Epikeiæ in dubio ad Principem spectat, vt habetur *in Cod. leg.* 1. *tit.* 14. *de legibus*, & *Constit. Principum*, cuius lex prima est: *Inter æquitatem, iusque interpositam interpretationem nobis solis, & oportet, & licet inspicere.* Vbi verò res est manifesta, non est opus interpretatione, sed executione.

QVÆSTIO VI.

De Dono Pietatis.

D. Bonauent. passim, in opusculis.
D. Thom. quæst. 121.

92 IVSTITIÆ respondet Donum Pietatis. De quo S. Doctor *de septem donis Spiritus sancti*, *De Dono Pietatis*, *cap* 5. & 3. Et 3. *part. Centil. sect.* 45. Et *in Compend. Theol. verit. lib.* 5. *cap* 43.

EXPLICAT autem D. Thom. *art.* 1. consistere donum hoc in cultu Deo debito, vt Creatori, & Parenti exhibendo, sicuti ad Virtutem Pietatis spectat parentes colere. Et sicuti virtute pietatis colimus non modò parentes, sed etiam consanguineos, ità etiam dono Pietatis colimus Sanctos, eorumque reliquias.

93 VERVM hæc doctrina non caret difficultate. Primò quia, si ratio Patris, in Deo considerata, constituit specialem rationem doni Spiritus Sancti, etiam constituet specialem rationem virtutis; Donum enim & virtus non distinguuntur ex parte obiecti (*Quod*) sed ex modo tendendi, quod istud fertur in illud obiectum ex motione speciali Spiritus Sancti habilitando hominem ad eam promptè prosequendam: hæc verò fertur ex propria, & innata ratione. Quo fit, vt si ratio illa Paternitatis in Deo sufficiat ad constituendum donum, etiam sufficiat ad constituendam virtutem, à religione distinctam, quæ Deo cultum specialem sub hac ratione deferat, & tamen huiusmodi virtus non inuenitur.

94 DEINDE aut donum fertur in Deum, vt parentem secundùm creationem, dantemque esse, aut vt dantem gratiam. Si primum, hæc ratio includitur in obiecto religionis, quæ Deum respicit, vt primum principium. Si dicas secundum, cum ratio Paternitatis, & Filiationis secundùm gratiam sit ratio quædam specialis amicitiæ, potius videtur spectare ad Charitatem, vt arguit Tannerus *disp.* 6. *quæst.* 2, *dub.* 3.

95 QVARE secutus Seraphicum, ponit donum Pietatis in hoc, vt hominem facilè mobilem reddat ad cultum Deo debitum, tum vt primo principio, atque adeo Creatori; tum etiam vt vltimo fini, adeoque vt Iustificatori, Redemptori, & Glorificatori deferendum, hoc interim discrimine, vt Donum speciali ductu Spiritus Sancti moueat; religio verò rationis ductu proprio ducat.

96 SVA Metaphora autem Diei hoc explicat S. Doctor *cap.* 2. *de septem Donis*, citato. Primò enim est veluti hinus doni Aurora, & principium, cùm respiciens homo, à Deo irradiatus, statum suum, suasque necessitates, pietate monetur ad quærendum suum principium, & finem. Crescit lux ad meridiem, dum illustrati à Spiritu Sancto exurgimus cultu debito in Deum.

DVPLICEM autem cultum ponit S. Doctor §. *sed notandum*, Interiorem, & Exteriorem. Interior cultus est, quo quis se offert Deo, tanquam principio suæ creationis, & fini suæ beatificationis, & omnium, quæ ab eo recepit. Hoc autem ratio dictat, quia inferius debet subesse superiori, à quo dependet, & à quo multipliciter deficit, ideò indiget eius influentiâ.

NATVRA etiam ad hoc inclinat, quod satis ostendit

ostendit natura rationalis, quæ non quiescit plenè, nisi in Deo. Ideò D. Augustinus *lib. 1. confess. cap. 1.* ait: *Domine inquietum est cor meum, donec veniat ad te.*

ADDIT verò, tametsi cultus supremus sit Deo exhibendus, aliquem tamen ait etiam exhibendum Sanctis, eorumque reliquiis, vt docet D. Damascenus *lib. 4. de fide, cap. 12.*

98 CAPITA verò tertio bona prosequitur ex Dono Pietatis in animam redundantia. Ipsum vide.

DONO Pietatis adaptat quartam, & quintam beatitudinem. *Beati qui esuriunt: Beati misericordes,* &c. si considerentur propriè secundùm actus, & obiecta: Vide D. Bonauent. 3. *part. Centil. sect. 46.* & *lib. 5. Compendij, Theol. cap. 47.*

EX fructibus benignitatem huius virtutis facilè conijce. Vide Sanctum Doctorem *loco citato Centiloquij.*

99 BONA autem ex pietate in animam redundantia considerantur in virtutum exercitio, siue erga Deum, siue erga proximum; ingenerat enim mentibus hæc virtus pium sensum, & affectum, ità vt, quicquid durum, aut rigidum in virtutum ministerus deprehenditur, exuatur; & sereno, ac suaui vultu, & colloquio alienis malis compatitur, & succurrit: vnde ait Hugo *lib. 3. de claustro animæ,* apud Seraphicum, cap. 3. de 7. donis: *Inuitat Pietas desperatum, trahit Charitas inuitum, misericordia pacificat iratum; hilaritas reddit securum, affabilitas familiarem, facit, &c.* Hinc pietas dicitur ad omnia vtilis; quia spirituale quoddam condimentum supponit cæteris virtutibus, vnde in palato mentis sapido gustu ruminentur, nec ex hac similitudine pietatis, & misericordiæ, inter se duæ hæ Virtutes confunduntur. Nam vt ait Seraphicus Doctor *loco cit. centil. cap. 45.* misericordia attendit in proximo conformitatem in naturâ, & necessitatem in miseriâ, cui ex regula prudentiæ, subuenit; Pietas verò attendit in proximo diuinam imaginem, præuio dictamine iuris diuini, iuxta regulam doni scientiæ; ita
vt Pietas non solùm inspiret beneuolam affectio- 100
nem erga Creaturas, Diuina imagine insignitas, sed etiam erga illas, quæ velut diuinitatis vestigia sunt; vnde S. P. Franciscus mansuetissimus erga crudeliores feras, eò quòd Dei creaturæ essent, compassionis officia erga illas exercebat, easque feritatem suam deponere pietatis exemplo, & beneficio cogebat.



TRACTATVS



TRACTATVS DE VIRTVTE FORTITVDINIS.

PROOEMIVM.



N hac virtute, tanquam in tertio Cardine, vitæ rectè institutæ Ianua circumvertitur, ideò & Cardinalis est; Huic si vnctio Spiritus ita accedat, vt ad singulos Dei nutus mobilis, & facilè versatilis sit, inter septem Dona computabitur: Hinc Duplex est Fortitudo; vna Virtus, altera Donum. Prima moralis est, & aliquando vsu, aliquando infusione obtinetur. Secunda tota semper desuper venit à Patre luminum, à quo est omne Donum perfectum. Hîc de prima fortitudinis speciem agam ex professo; de altera verò tangam nonnihil huius occasione: Porrò hæc est sola virtus, quæ inter varias, & nutantes huius sæculi vicissitudines inconcussa manens stabilem beatorum sortem æmulatur; vt quantumuis vir fortis, siue in prosponis eleuetur, siue in aduersis deprimatur, suæ semper origini summa hæreat necessitudine, sicut lux, qua æquè à Sole distat, siue opacis fulgens vallibus, seu summis resplendens montibus. Populari se aurâ suflari nunquam patitur, quippe sui ipsius non nescius, à sola conscientia testimonium accipeere meretur: Huius virtutis incentiuum pariter & præmium est Amor, ad cuius sensum nihil suspicit insuperabile, sed omnia ominatur fausta, & facili calcanda pede; ideò dilectioni præcipuè Fortitudo adscribitur in canticis: *Fortis est vt mors dilectio*; Mors enim insensibilis ad tot, & tanta, quibus eam auertere, frustrà nitimur, tandem omnibus sensum auffert, & pallido licèt liuida vultu, potentissimis tamen dominatur. Haud secus vir fortis, quæcumque in ipsum intentantur, superat, & quamuis multa animi demissione sæculo vilescat, in illud tamen absolutissimum dominatum exercêre non desinit; quamobrem à Sancto Doctore *tit.6. cap.7.* comparatur ferro indomabili, quod cætera metalla ita domat, vt ipsi ad ictum obtemperent. Alias præclaras fortitudinis comparationes vide apud Seraphicum ibi.

DISPVTATIO PRIMA.

DE FORTITVDINE.



E Fortitudine acturus, præcipuam quæstionem instituam de Martyrio, quod huius virtutis præstantissimus est actus; fortissimus enim ille est, qui pro Christo vitam prodigere non dubitat, totasqoe Tiranni in se suscipit vites, victusque triumphat. Agam deinde de nonnullis huius virtutis comitibus, & auxiliaribus copiis, quibus se contra vitia sibi aduersa propugnat: Contra enim Præsumptionem, Ambitionem, & inanem Gloriam pugnat magnanima illa virtus, quæ hinc MAGNANIMITAS appellatur; sed huic à tergo instat Pusillanimitas, contra quam nonnullos etiam ictus intentat: sequitur Magnificentia, Patientia, & Perseuerentia. Hæ omnes astant fortitudini à latere, & hostiles ineunt congressus cum vitiis sibi oppositis, vt quàm breuissimè hîc dicam: hæc est tota materia & series duplicis huius disputationis, quam de FORTITVDINE profetam; in primis autem, num Virtus sit, & qualis, examinabo.

QVÆSTIO I.

An FORTITVDO *sit Virtus, & quæ.*

D.Bonauent. ad 8. Sap.
& in Diæta, tit.5 cap.7.
D.Thom. art.1.

1 ASSARO primò, Fortitodinem esse virtutem. Est D.Augustini *lib. de moribus Ecclesiæ, cap.15.* Aristotelis 3. *Eth.*

PROBATVR à D. Bonauent. primò *ad 8. Sap.* vbi sub nomine *Virtutis*, cæteris Virtutibus moralibus adnumeratur.

PROBATVR secundò à S. Doctore *in Diæta, tit.5. cap.7.* Quod facit hominem moraliter bonum, est virtus: Talis est fortitudo: Ergo. Maior est Aristotelis 2. *Eth. cap. 6.* minor probatur, quia tollit impedimenta repellentia è rectitodine, quæ difficultates opponunt. Sic habetur Prouerb. 31. *Mulierem fortem quis inueniet? &c. manum suam misit ad fortia*
2 *fortitudo, & decor indumentum eius.* Id probat S. Doctor exemplis Apostolorum, qui accepta per Spiritum Sanctum fortitodinis virtute, & dono occurrebant Tyrannis *Act.*5.& idem ostendit de sanctis Martyribus, præcipuè Virginibus, Catharina, Cæcilia, Agnete, & aliis, quæ lætabundæ ad carceres, & ad supplicia ibant. Quia scilicet erant à Deo confortatæ, De cælo enim fortitudo est, vt dicitur primo *machab.*3. Vide S.Doctorem.

3 HINC rursus hoc assertum probat *opusc. de septem itiner. æternitatis, dist.5.* quia dat robur ad superanda pericula opposita rectitudini, ipsasque pœnas, atque mortes, & ad virtutes intrepidè festinare. Assumptum probat *opusc. de septem Donis, de Dono fortitudinis, cap.1.* ex Aristotele 3. *Eth. cap.8. & 9.* vbi ait: *Fortis est, qui non timet terribilia, & sustinet, vt oportet, boni gratia*, & ex Paulino ad Hieronymum, vbi ait: *Qui verè fortis est, nec temerè audet, nec inconsultè timet*, & ex D. Augustino *lib. 5. de ciuit. cap.17.* vbi narrat, quod multi mortem subibant fortiter ob bonum Reipublicæ & ex Tullio *de offic.* vbi ait, duo fuisse præcepta Platonis, volentibus Reipublic. prodesse. Primum, vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quæcunque agunt, ad eam referant obliti commodorum suorum. Secundum præceptum est, vt totum corpus Reipublicæ curent principaliter, nedum aliquam partem tueantur, alias deserant, & ideò hæc fortitudo ordinat ad finem, qui est intra limites naturæ.

PROBATVR à S. Doctore tertiò *in Compend. Theol. lib.5. cap.36.* ex Macrob. *lib.1. in somn. Scipionis, cap.8.* nam fortitudo eleuat animum super pericula, docet nil timere nisi turpia, non pauere mortis occursum, passiones edomitas ad virtutem intrepidè ciere. 4

DEINDE quia effectus habet mirabiles; reddit 5 enim victores contra hostes Dei, vt dicitur *primo Machab.* 6. Secundò homini sua bona conseruat: *Cum fortis armatus, &c.* Tertiò, quia ditat bonis, Prouerb. 10. *Manus fortium diuitias parat.* Quartò regnum cælorom expugnat, Matth. 11. *Violenti rapiunt illud.* Quinto ornat, Prouerb. 31. *Fortitudo, & decor indumentum eius*, Sextò in extremis assecurat, Prouerb. 30. *Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pauebit occursum.* Septimò remunerationem expectat, Prouerb. 31. *Mulierem fortem quis inueniet? Procul & de vltimis finibus pretium eius, &c.*

PROBATVR quartò à D. Bonauent. *in Pharetra, lib.2. cap.31.* nam moderatur, & ad honestatis normam reducit passiones Timoris, & Audaciæ, idque circa obiecta difficillima, nempe, circa mortis pericula. Assumptum probat ex Patribus.

D. GREGORIVS 7. Moral.cap.8.ait: *Iustorum fortitudo est carnem vincere, propriis voluptatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere, huius mundi aspera pro terrenis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, aduersitatis metum corde superare.* Idem habet *lib.4. cap.30. & lib.5. cap.13.* 6

D. HIERONYMVS, lib. 16. in Isa. cap. 57. *Fortitudo, atque constantia via regia est; à qua declinat ad dexteram, qui temerarius est, & pertinax: ad sinistram, qui formidolosus est, & pauidus.*

D. AVGVSTINVS epist.59. ad Hieronymum: *Qui vera virtute fortis est, nec temerè audet, nec inconsultè timet.*

7 D. AMBROSIVS lib. 1. de offic. cap. 30. *Est fortis,*

fortis, qui se in dolore aliquo consolatur: Et verera inre ea fortitudo vocatur, cùm vnusquisque se ipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, atque inflectitur, non aduersis perturbatur, non extollitur secundis, & quasi vento quodam variarum rerum circumfertur mutatione. Idem habet *cap. 39. & lib. 5. in Lucam, cap. 6.*

7 SENECA, epist. 59. *Sapiens, & fortis ad omnem incursum munitus, & intentus; non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem referet intrepidus, & contra illa ibit, & inter illa stabit.*

OBSERVAT autem S. Doctor allegatis locis, cùm D.Thom. *ad 1.* ex Aristotele 3. *Eth. cap.* 8. aliquos exercere actus virtutis fortitudinis, non veros, sed similes.

ASSERO secundò: Fortitudo est virtus specialis.

8 PROBATVR ex dictis, quia habet specialem honestatem ad edomandas passiones, audaciæ præsertim, & timoris. Quamuis à Patribus allatis extendatur ad omnes ferè passiones vehementes edomandas, vt docet etiam S.Thom. *art. 2. ad 2.*

ASSERO tertiò, Fortitudinem esse virtutem Cardinalem. Ità S. Bonau. *locis adductis*, D. Thom. *quæst. 127. art. 11.*

PROBATVR à S.Doctore *ex* 8. *Sap.* vbi cum virtutibus Cardinalibus numeratur illis verbis: *Sobrietatem, & Prudentiam docet, & Iustitiam, & Virtutem.* Idem probat S, Doctor *allatis locis*, ex Patribus allegatis.

9 CONFIRMATVR quia virtutes Cardinales dicuntur, vel quia per eas ingrediamur ad alias virtutes; vel quia vitæ humanæ ratio dirigitur, & regulatur in quatuor Cardinibus mundi minoris, ad similitudinem maioris, vt ait S Doctor *serm.6. Hexaemer.* Talis autem est fortitudo: Ergo.

PROBATVR etiam ratione S. Bonauent. *in 3. dist.* 33. passim, præcipuè *quæst.*4. quia virtutum Cardinalium, seu, vt ait *ad vltimum*, principalium, est id, quod præcipue in virtute attenditur, inter alias autem vna ponitur firmiter operari, vt patet ex Aristotele 2. *Eth. cap.*4. laudem autem firmiter operandi sibi vendicat Fortitudo.

10 EX dictis habes, obiectum fortitudinis esse passiones Audaciæ, & Timoris, moderata media. Ità D. Thom. *quæst. 123. art. 3.* & S. Bonauent. *lo. iã adductis*, & *serm. 5. Hexaemer.* ex Aristotele *lib. 2. Eth. cap. 7.* & *lib. 3. cap. 6.* mediatè verò versatur circa pericula maximè mortis, veluti obiecta istarum passionum. Ait vero Aristoteles 3. *Eth. cap. 3. & 9.* fortitudinem esse maximè circa pericula mortis, quæ est in bello.

ADDIT S.Thom. *art.6.* cum Aristotele 3. *Eth. cap.9.* fortitudinem magis versari circa timores reprimendos, quàm circa audacias moderandas, ideò principalis actus fortitudinis est sustinere, hoc est immobiliter sistere in periculis, quàm aggredi. Ratio est, quia timores in periculis reprimere difficilius est, quàm audacias moderari. Primò, quia sustinens ab alio, vt fortiori, suffert; at audax inuadit, vt debiliorem; difficilius est autem pugnare cum fortiori, quàm cum debiliori. Secundò, qui sustinet, iam sentit pericula imminentia; qui autem aggreditur, habet ea, vt futura. Tertiò, sustinere est diuturnum; aggredi autem potest esse subitò: difficilius est autem diu manere immobilem, quàm subitò moueri.

11 OBSERVA, finem, velut proximum, fortitudinis esse, vt similitudinem sui habitus exprimat in actu; finis autem eius remotus, & vltimus est beatitudo, siue Deus. Ità S.Thomas *art.7.*

OBSERVA secundò, fortem ex consideratione honestatis sui actus delectari quidem, tamen ex perpessione tristium, in quibus versatur, tristari. Ità S. Thom. *art.8.* ex Aristotele 3. *Eth. cap.9.* Addit verò S.Doctor suprà, ex abundanti gratia Dei sæpè absorberi dolorem, & tristitiam, sicuti tenellis Virginibus sanctis eueniebat.

OBSERVA tertiò, fortitudinem maximè in euentibus repentinis cerni. Ita S.Thom. *art.9.* ex Aristotele 3. *Eth. cap.*8.

OBSERVA quartò, fortem ad actum fortitudinis iram adhibere, sed moderatam ratione. Ità D. Thom. *quæst. 127. art. 10.* ex Aristotele 3. *Eth. cap.*8. & D.Bonauent. *in 3. loco citato.* 12

ASSERO quartò, fortitudinem esse inferiorem Prudentiâ, & Iustitiâ, sed superiorem Temperantiâ.

PROBATVR à S.Doctore 3. *dist.* 33. *quæst.*4. nam Virtutes Cardinales ordinant hominem in his, quæ sunt ad finem, quæ omnia sunt aliquid creatum; cùm autem homo comparetur, & ad se, & ad alterum, Virtutes Cardinales sunt horum moderatrices, si respectu sui, vel potest esse circa rationalem, & ecce Prudentia; vel circa Concupiscibilem, & ecce Temperantia: vel circa Irascibilem, & ecce Fortitudo; Si vero ordinet ad alterum, sic est Iustitia, quia vna est ratio, qua comparatur ad alterum, quod est ratio debiti, & quia hæc ratio potest attendi secundùm actum cuiusque potentiæ, hinc iustitia Cardinalis dicitur exercere omnes vires, & tamen vna est, propter vnicam rationem ordinandi ad alterum. Ex quo habea, Iustitiam esse nobilissimam, deinde Prudentiam, quæ rationem, voluntate inferiorem, moderatur. Tertiò Fortitudinem, quæ moderatur concupiscibilem, etiam sensibilem, inferiorem ratione, & voluntate: Vltimò Temperantiam, quæ versatur circa concupiscibilem, quæ est infima. 13

NOTA, D. Ambrosium apud D. Bonauenturam *in Pharetra*, præferre Fortitudinem cæteris, sed intellige secundùm quid, nempe, vel secundùm quandam generalem vtilitatem, pro vt, & in rebus bellicis, & in rebus ciuilibus vtilis est, vt respondet S. Thom. *art. 12. ad 5.* Vel quia fortitudo maximè circa difficilia versatur. 14

QVÆSTIO II.

De DONO FORTITVDINIS

DONVM fortitudinis est habitus existens, sicut in subiecto, in voluntate, inquantum negotiatur circa ardua, & mobilem eam facilè reddit ad repellendos timores, & reprimendas audacias, cum spe euadendi quæuis pericula, quod à virtute non præstatur. Hinc melius se habet anima dono fortitudinis ad quæuis ardua, quam per aliquam moralem virtutem. Ideo per hanc fortitudinem Sancti fecerunt mirabilia fortitudinis opera, sustinendo cum exultatione, Act.5. *Ibant gaudentes a conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Sic B.Andræas ad Crucem, Agatha ad carcerem lætantes properabant. Hoc donum in apice perfectionis, quod vocat S.Doctor *purgati animi*, reddit animam velutì inter pericula, & mala exiteta insensibilem, & inter epulas conuiuantem, & exultabundam. Vide S. Doctorem *de septem Donis, de Dono fortitudinis, cap. 2. & 3.* præclara promentem, 15 16

QVÆSTIO III.

De Martirio.

D.Thom. quæst.124.

17 Præcipuus inter actus Fortitudinis est subire mortem propter Deum, quod est Martyrium sustinere. Dicitur autem Martyr, quasi confitens.

Basilides hæreticus apud Tertullianum *de præscript.* ad finem dicebat, non licere Martyrium subire. Gyraldus verò fugam à Martyrio, tanquam opere eximiorum tantùm sanctorum, suadebat. Eum refellit D.Bonauent. *in Apologia pauperum.*

Assero, Martyrium esse in omnibus actum virtutis.

18 Probatur à S.Doctore ex *epist.ad Heb.* vbi ennarratis Martyrum gestis, qui pro fide, & religione ludibria, & verbera experti, vincula, & carceres, secti sunt, &c. hortatur statim cap. 12. *Curramus per patientiam ad propositum nobis certamen, aspicientes in Authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Vbi Glossa: *Succincti, & expediti curramus sine dubitatione ad certamen Martyrij.*

19 Deinde affert id 2.Corinth.12. *Ego libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.* Vbi Glossa: *perfecta Charitas est, vt quis paratus sit etiam pro fratribus mori*, mox id Philip.1. *Cupio dissolui, & esse cum Christo*: Vbi Glossa habet: *Quidam homines imperfecti, qui cum patientia moriuntur.*

Illvd etiam vrget 2. *Timoth.* 4. vbi exultabundus Paulus Martyrio vicinus: *Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, &c.* & adducit Glossam, id ipsum confirmantem.

Id etiam vrget *Act.* 5. vbi discipuli *Ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*, vt suprà etiam tetuli.

20 Addit id Petri prima, cap.2. *Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.*

Heroicvm verò actum esse animam ponere pro Christo, habetur *Ioan.* 5. Declinare autem mortem ad tempus, vel vt se reseruet ad gloriosiorem triumphum, vel ad solatium, & auxilium ouium, non est minus laudabile; sic enim sæpe Sancti Pontifices se abscondebant. Sic & Christus aliquando fugit.

Probat deinde exemplis Sanctorum, Petri, & Pauli, Andreæ, Laurentij, Sebastiani, Tiburtij, Vincentij, & consimilium, qui se Martyrio sponte obtulerunt, quod si id non liceret, iam grauitet peccassent, & essent damnati, morientes in actu vetito, quod insanum est dicere; sanè Christus hortabatur, Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.*

21 Ratio D. Bonauent. è dictis Scripturis firma appatet, nam Martyrium est firma statio in fide, & iustitia contra persecutores Ecclesiæ, & exhibitio vitæ Deo, quod est maximæ Charitatis iudicium, vt dicitur *Ioan.* 15.

Assero secundò, Martyrium esse actum Fortitudinis. Ità D.Thom. *art.* 2. & communiter cum D. Bonauent. *de septem donis, de Dono fortitudinis.*

Probatur à S. Doctore primò ex illo Heb. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, fortes facti sunt in bello, castra verterunt, &c.* quod de sanctis Martyribus legit Ecclesia, & D.Gregorius *homil.* 17. *in Euang.* Sic exponit: *Fortes facti sunt sancti, terrores domant, spiritum roborant, virtutibus coruscant, terrena despiciunt, cœlestia appetunt, occidi possunt, flecti nequeunt*, & homil.30. in Euang. *Apostoli mundi huius potestatibus contraire non præsumerent, nisi eos Sancti Spiritûs fortitudo solidasset.* Sic Petrus Principibus minitantibus respondit: *Obedire Deo oportet magis, quàm hominibus.*

Probatur secundò à S. Bonauent. ratione 22 hinc deducta: Opus fortitudinis est solidare in rectitudine contra pericula, maximè mortis. Tali autem modo solidantur Martyres, vt habet D. Cyprianus *lib.2. epist.6. ad Martyres.*

Assero tertiò, Martyrium imperari etiam à Charitate.

Probatur à S. Doctore, ex allatis Scripturis.

Addo proinde, esse actum maximæ perfectionis, prout à Charitate imperatur. Probatur à S. Doctore illo Ioan.15. *Maiorem Charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis*: est autem Charitas maxima virtus, atque adeò actus eius sunt perfectissimi, vt dicitur prima *Corinth.*13. *Coloss.*3.

Assero quartò, non teneri Christianum adire in omni euentu Tyrannos ad Martyrium, imò neque debere sine causa præbere occasionem occidendi; attamen in causis non modò potest, sed etiam debet, vt si fidei Christi ignominia pareretur, si aliqui nutent in fide. Sic à se protestatus est fortissimus Dux Ecclesiæ S.Sebastianus. Ità D. Thom. *art.*1. *ad* 3. & hoc latius prosequitur S. Bonauent. *loco cit. Apolog.* Suadet Christus Matth. 10. *Cùm vos persecuti fuerint in ciuitate ista, fugite in aliam*, hoc tamen non absolutè, sed in aliquo casu faciendum monet cum Rabano etiam Glossa: fugerunt quidem & viri perfecti aliquando ob causas, vel gregi vt prouiderent; vel vt ad maiorem occasionem se reseruarent, vt Athanasius; sed alij perfecti ad Martyrium cucurrerunt, quos suprà recensui. 23

Vnde infert S. Doctor malè arguere aduersarium. Viri perfecti aliquando fugerunt Martyrium: Ergo est opus perfectionis. Respondetur enim negando consequentiam. Primò, quia non omnes viri perfecti fugerunt, vt dixi: Deinde, quia non omne, quod agunt viri perfecti, est maioris perfectionis; fugerunt Iacob, Dauid, Vrias, Mathathias, non tamen fuere in omnibus perfecti, nam nec virginitatem, nec paupertatem Euangelicam coluêre, fugit & Athanasius, qui tamen etiam periculis occurrebat, cùm opus esset, fugit autem aliquando ex causis licitis, non semper. 24

Neque obstat id Ioan. 21. *Alius te cinget, & ducet quò tu non vis*; hoc enim tantùm significat, mortem non esse à Martyre sibi conferendam, vt notat S.Bonauent. cum D. Augustino; sed ab alio, cùm à sensu refugiatur, tametsi voluntas ob Dei honorem impetret non refugere, quia perfectio Charitatis imperat etiam superare mortis timorem, vt notat S. Doctor ex D. Augustino *tract.*123. *in Ioan.* Vide S. Doctorem præclarè differentem.

Assero quintò, ad Martyrij perfectam rationem requiritur, vt mortem quis sustineat propter Christum, siue Deum. Ità D.Thom. *quæst.*124.*art.*4. D.Bonau. *locis adductis*, & *in* 4. *dist.*4 *part.*5.*q.*1.*&* 3. 25

Probatvr,

PROBATVR, quia Martyr dicitur quasi testis fidei Christianæ, per quam nobis visibilia pro inuisibilibus proponuntur contemnenda, iuxta Apostolum *Heb.*11. Ad Martyrium ergo pertinet, vt homo testificetur fidem, protestans, se omnia contemnere præsentia, vt ad futura perueniat, quod non fit, nisi profusione ipsius vitæ propter Deum. Hinc D. Augustinus *Serm.4.de Innoc.* & *Serm.*11. *de Sanctis* apud D. Bonauent. *Serm.* 2. *de B. Bartholomeo* & in 4.d.4. part.2. dubio 1. *Martyrem non facit pœna, sed causa.* Idem habet *in Pharetra, lib.4.cap.49.* referens D. Gregorium *in registr. lib.* 2. *ind.* 11. *cap.*36. cum D. Cypriano.

26 NON tamen necesse est, vt Martyr propter confessionem fidei moriatur, sed satis est, si ob defensionem alicuius virtutis, & patiatur propter iustitiam persecutiones, vt ait D.Thom. *art.*5. exemplum habemus in Ioanne Baptista, qui non ob fidei confessionem, sed ob prædicandam continentiam contra adulterum, occisus est, vt aduertunt Valentia *quæst.* 2. *puncto* 1. Tanner. *d.*3. *quæst.* 2. *dub.* 2. *num.*34.

OBSERVAT autem S. Doctor *in* 4. *d.4. part.* 2, *dub.* 1. quod ad Martyrium cùm requiratur iusta voluntas, & iusta causa; & primum defecerit in Innocentibus: Secundum verò in Latrone, neutrum fuisse Martyrium; attamen Martyrij laureolam priuilegio obtinuisse ex Dei gratia, ità vt effusio sanguinis propter Christum, fuerit eis vt voluntariè tolerata, vt monent etiam Tanner. *num.* 22. com D. Augustino *Serm.*66. inter additos à Louaniensibus, & alij.

27 QVOPACTO autem Martyrium Baptismus sanguinis sit, videbimus 3.*part. Tract. de Baptismo, disp.*2. *quæst.*1. cum D. Bonauent. *in* 4. *d.*4. *part.* 2. An verò Martyr desiderio, vt B. Martinus, recipiat laureolam, alibi dixi *prima* 2.

RESPONDETVR cum D. Bonauent. *in* 2. *disp.* 40. *art.* 2. *quæst.* 1. non habere Aureolam, sed solam Auream charitatis.

ILLVD solùm dicam cum D. Bonauent. ibi *quæst.* 3. *ad* 4. Martyrium dici Baptismum sanguinis, quia in Martyrio ponitur vita, quæ in sanguine est vt dicitur *Leuit. cit.* Vel quia ibi in effusione sanguinis completur omne Martyrium ordinariè. Ibi obseruat SS. Martyres ab aliis erutos tormentis, excepto gladio. Rationem assignat, quia cætera tormenta ferè agunt, creaturis operantibus naturaliter, & quia creaturæ Deo obtemperant, congruum fuit, vt ostenderentur reuerentes etiam sanctis fidelibus Dei seruis. Ità Leones, aliæque feræ pedes Sanctorum lambebant. Ignis cedebat, &c. At in pœna gladij operatur libera magis malitia, quam Deum sinere opus suum libere agere decet, etsi aliquando impedita in nonnullis fuerit, vt gladius torperet, sicut in D.Pantaleone.

28 NON tamen necessarius est gladius; vel ignis ad Martyrium, sed sufficiunt ærumnæ, vt notat D. Bonauent. *Serm.*3. *de S. Andrea.* Sic enim SS.Syluestrus, Ioannes, & alij occubuere, quibus tamen ideò immutatur vltimum responsorium in officio, & dicitur: *Corona aurea, &c.* Non autem: *Hic est verè Martyr,* non quia non sint Martyres, sed quia sanguinem non fudère. Profectò & qui in carceribus fame sunt consumpti, & qui tabe in cauernis pro Christo, Martyres sunt.

DOCET etiam S. Doctor *in* 4. *dist.* 32. *quæst.* 1. *ad secundum*, vxorem non posse negare marito, vt ad Martyrium, si oportet, pergat.

MVLTA analogicè Martyria in ferendis aduersis, in carnis mortificatione, & virtutum stadio, refert ex Patribus S. Bonauent. *in Pharetra, lib.* 4. *cap.*49. ad conciones. Eadem indicat *in Psal.* 118. in ea verba: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes.*

OBSERVAT etiam S. Doctor *ad* 13. *Ioan.* ad ea verba: *Quo ego vado, &c.* Non posse absque Dei superno auxilio præclaro Martyrium sustineri; nam profundere vitam, quam naturaliter diligimus, non est naturæ. 29

SI dicas, hæreticos Donatistas mortem subjisse propter fidem, cogendo tyrannos ad arma.

RESPONDET S. Doctor, hoc esse mori ex desperatione, & errore præcipite; at Martyr moritur ob finem supernum.

TANDEM obseruat *in* 4.*dist. cit.* & *in serm.primo de S Matthia*, Martyrem ità Martyrio purificari, vt illicò ad cælum euolet, atque ideò iniuriam ei inferat, qui pro eo orat, vt docet D. Augustinus *de verbis Apostoli, Serm.*17. & refertur *extra. de celebr. Missarum, cap.* Cum Marthæ, §. *vltimo.*

S. DOCTOR ad *cap.*3.*Sap.* in ea verba: *Iustorum animæ in manu Dei sunt*, quod de Martyribus canit Ecclesia, quærit, cur Martyres, inter alios Sanctos, præcipuè vocentur iusti.

RESPONDET, quia iustus est, qui negligit damnum propter amicum, vt dicitur *Prou.*12. Martyres autem negligunt, ac contemnunt amissionem rerum omnium, & vitæ ob Dei amorem, vt describit Apostolus. *Heb.*11. 30

IN *Psal.* 115. exponit ethymologiam nominis Martyr Græcè Μάρτυρ TESTIS, & ait; Martyrem testificari Christum, dum pro eo mortem subire, & vitam profundere non dubitat: Secundò testificari carnis resurrectionem; non enim carnem morti daret, nisi eam recipere sperasset: Tertiò testificari veritatem æternæ beatitudinis; non enim mundana adeò sperneret, nisi æterna expectaret.

IN *Psal.*118. in ea verba: *Multi, qui persequuntur me, &c.* notat in festis Sanctissimæ Natiuitatis honorem exhiberi Martyribus triplicis generis. Primò enim est Stephanus, qui voluntate, & opere fuit Martyr. Deinde Ioannes, qui sola voluntate, tertiò Innocentes, qui solum opus habuere.

TANDEM ad *Psal.* 33. concludit, Martyrium debere tria habere, scilicet Causam finalem, vt propter Deum patiatur: Causam formalem, vt voluntate sustineatur, nec sit, vt rota carri, quæ fœnum portat, & tamen strider, & obmurmurat: Tertiò perseuerantiam. 31

DVBITATIO I.

An conferat MARTYRIVM *primam gratiam.*

PRIMA opinio est, Martyrium ex priuilegio, & speciali promissione Christi habere vim conferendi primam gratiam, atque adeo ad instar Sacramenti iustificare ex opere operato. Ità Sotus *in* 4. *dist.*4 *quæst.*6. & *dist.* 14. *quæst.*13. *litt. V.* §. *sed nec debet requiri*, quem sequuntur discipuli, Faber *disp.*11, *de pænit. cap.*1. Mastrius 4. *disp.* 2. *quæst.*7. *art.* 2. addocens Vegam, Bellarminum, Suarez. Henriquez, Valentiam, Toletum, Coninchium, Lessium, Amicum, Auersam, Bonacinam, Becanum, Baldium, Turrianum, &c. 32

EX his aliqui non adeò absolutè loquuntur, vt Tannerus *disp.*4. *quæst.*3. *dubio* 3. *numero* 114.

SECVNDA sententia asserit, Martyrium ex opere operato non conferre primam gratiam, atque sino 33

ea non iuuare. Quare existenti in peccato mortali censet necessariam esse constitutionem. Ità D. Bonauent. 4. *d.* 4. *part.* 2. *quæst.* 2. Alens. 4 *part. quæst.* 8. *m.* 9. *art.* 4. D. Thom. 3. *part. quæst.* 66. *art.* 12. *ad* 2. Palud. *d.* 4. *quæst.* 3. *art.* 1. & alij antiquius. Quam sententiam tanquam inter veteres communem, ac etiam inter Patres defendit Vasquez *d.* 153. *cap.* 3. & Cano *relec. de pœnit. part.* 3. ac Bassæus. *V. Martyr. num.* 7. adducens etiam Ban. 2. 2. *quæst.* 124. *art.* 5. *d.* 1. Less. *lib.* 3. *cap.* 1. *d.* 4. *num.* 43. Syluium 3. *part. quæst.* 66. *art.* 11. *quæsita* 3.

Assero cum hac sententia, Martyrium non habere vim conferendi primam gratiam ex opere operato.

34 Probatur primò argumento D. Bonauent. *quæst. cit.* Ad delendam culpam mortiferam ex opere operato, necessaria sunt Sacramenta in re, vel in voto, vt docet Concilium Trid. *sess.* 7. *can.* 4. & *sess.* 6. *cap.* 4. & hoc, quia iustificatio huiusmodi pendet è Christi institutione. Iam verò Baptismum instituit, vt simpliciter necessarium in re, vel in voto: At baptismus sanguinis præcisè, non est Baptismus nec re, nec voto, & ratio voti solùm extenditur, ad summum, ad baptismum Flaminis.

35 Respondent aduersi, etiam de Martyrio haberi promissum, Matth. 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo.* Ioan. 12. *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Marci 8. *Qui perdiderit animam suam propter me, & propter Euangelium, saluam faciet eam.* Quæ verba ex Augustino 13. *de ciuit. cap.* 7. specialem continent promissionem, factam iis, qui vitam pro Christo exponunt. Quod si Baptismus, eò quòd sit figuralis repræsentatiu mortis Christi, vt habetur *Rom.* 6. habet eam virtutem; multo magis Martyrium, cùm sit realis conformatio cum Christo moriente. Quo argumento vsi sunt. Clem. *lib.* 5. *Constit. Apost. cap.* 7. Cyprianus *Ep.* 57. Tertullianus in *Apolog.* circa finem, & alij Patres.

Enim verò hæc omnia ex D. Bonauenturæ *loc. cit.* discussu corruunt. Nam exactè Christus soli Baptismo aquæ, saltem in voto, cum actu pœnitentiæ, promittit remissionem, vt ostendit S. Doctor *dist.* 4. *part.* 1. *quæst.* 1. *ad* 1. & Concil. Trid. suprà citatum. Quamquam verò præcellentiam quandam accidentalem ad laureolam ostendat scriptura cum Patribus in Martyrio, non tamen ad hoc vllus inueniet sine charitate excellentiam, vt dicam *in responsione ad argumenta.*

Quod si dicas extendi ad paruulos, dico, eos non esse formaliter actibus propriis à Deo auersos. Et ecce diuersitas grandis, quam neque Mastrius *num.* 182. neque Amicus *disp.* 12. *sect.* 3. agnouerunt. Neque verò Christus existentibus in mortali promittit per Martyrium gloriam; sed simpliciter ponentibus animam, vt notat S. Bonauent. *ad* 12. *Ioan.*

36 Probatur secundò à D. Bonauent. in 1. *sent. dist.* 17. *part.* 1. *dub.* 7. ex *prima Cor.* 13. Vbi Apostolus enumerans opera heroica, quæcunque sine charitate, tandem Martyrium recenset: *Et si tradidero corpus meum, ità vt ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Statim verò sibi opponit, esse actum heroicæ charitatis mori pro alio, iuxta id Ioan. 13. *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Respondet Mastrius primò, requiri charitatem consequenter, sicuti exigitur ad fidem.

Contra, quia exigit hîc, vt opus sit meritorium: Ergo debet esse iam vestitum charitate.

37 Respondat secundò, id posse intelligi etiam de aliis operibus extra Martyrium, vt si quis se excruciet ob gloriam inanem, vel alia opera faciat.

Contra, quia Apostolus sensu literali per gradationem ascendit ad opus heroicum Martyrij. Sic exponit D. Bernardus *serm.* 27. *in Cant.* apud D. Bonauent. *lib.* 2. *Pharetra, cap.* 25. Idem D. Bernardus *epist.* 77. significat, Martyrium non supplere vicem Baptismi, nisi ex merito suscipientis.

Observat autem S. Doctor *dubio* 7. *citato*, per Martyrium remitti peccata, id est, ad gratiam disponi. Ideò concludit: Credo tamen, quod si aliquis pro Christo sustineret mortem, qui non magnum haberet obicem, quod disponeret se ad gratiæ susceptionem, ità quod daretur sibi charitas.

In hunc sensum *lib.* 4. *Pharetræ, cap.* 49. affert 38
D. Augustinum *lib.* 20. *de ciuit. cap.* 13. & Prosperum in l. sent. 149. sententia: *Qui non percepto regenerationis lauacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad abluenda peccata, quantum si abluerentur fonte sacro Baptismatis.*

Observat etiam *dub. citato* cum D. Augustino
13. *de Ciuitate, cap.* 7. Martyrium esse actum amoris
heroici, iuxta id Ioan. 13. *Maiorem charitatem nemo*
habet, atque ideò non aggredi quemquam opus Mar- 39
tyrij, qui auxilio grandi charitatis non sit præuentus,
atque adeò non disponatur ad charitatem, si sincerè
aggreditur; ait enim S. Augustinus: *Quando sine*
abundantia gratiæ, & spiritus, tantum Christum amare
possit homo, vt eum in tanto vitæ discrimine sub tanta
spe veniæ negare non possit.

Rursus *quæst. citata* affert S. Doctor congruentiam, ob quam Martyrium patiens ex actualis gratiæ abundantia, disponitur magis ad perfectam habitualem charitatem, quam suscipiens Baptismum, nempe, quia hic figuraliter Christo assimilatur mortuo pro nobis; ille verò realiter.

Hanc rationem afferunt D. Thom. *quæst.* 66. 40
art. 11. & *quæst.* 87. *art.* 1. *ad* 2. & alij Scholastici cum D. Bonauent. & sumitur è D. Clemente P. *lib.* 1. *Constit. Apostolic. cap.* 7. vbi ait: *Qui Martyrium consequi meruit, gaudeat in Domino, quod tantam coronam est adeptus, & quamuis fuerit Cathecumenus, lætus discedat; passio enim, quam pro Christo sustinet, cedet ei in veriorem baptismum, quoniam ipse re ipsa commoritur Christo; alij in figura.*

Aliam propositionem habet S. Doctor *quæst. cit.* 41
quæ sumitur ex D. Augustino, seu Gennadio *de Eccl. dogmatib. cap.* 74. vbi ait: *Omnia peccata in Baptismo dimitti; in Martyrio autem extingui.* Quo modo loquitur etiam Ambrosius *lib.* 1. *de pœnit. cap.* 2. vbi vult dicere, in Martyrio peccata extingui, quia iustificatione diluuntur, & morte aufertur potentia peccandi. Hoc verò nostram assertionem non infirmat.

Similiter ait, Martyrium esse Baptismum, & coronam, quia ad eam citò transfert, quod est effatum S. Cypriani *de singularitate cleric. cap.* 20. quod non negat S. Doctor, sed *in corpore* confirmat.

Alia his similia habent SS. PP. qui inter baptismata Martyrium enumerant, vt Nazianzenus *orat.* 39. Ambrosius *Serm.* 3. *in Psal.* 118. Tertullianus *lib. de laps. cap.* 16.

Magis videntur pugnare, quia tractantes de 42
Baptismo aquæ, excipiunt Martyrium, Cyrillus Hierosol. Cathec. 3. *Si quis non baptizatur, salutem non habet, præter solos Martyres:* & Fulgentius, de fide ad Petrum, cap. 3. *Absque Sacramento Baptismatis, præter eos, qui in Ecclesia Catholica sine Baptismate pro Christo sanguinem fundunt, nec regnum cælorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam.* Eandem exceptionem facit Bernardus *epist.* 77. Hi tamen id non

intelligunt

intelligunt de eo, qui est in peccato mortali actuali, sed de existente in originali, & habente votum eius; si enim est in mortali, actum contritionis exigunt.

43 MVLTA alia loca afferunt aduersarij ex Innocentio III. *in cap.* Cum Marthæ, Augustino *Serm.* 5. *de Martyribus*, & *Serm.* 27. *de verbis Apostoli*, *Tract.* 84. *in Ioan.* Tertulliano *in Apol.* in fine, & *in Scorpiaco*, *cap.* 6. Cypriano *lib. de laudibus Mart.* Clem. Alex. *lib.* 4. *strom.* Cypr. *epist.* 52. dicentibus Martyri remitti peccata omnia, & in cælum statim euolare. Hæc omnia de venialibus intelliguntur, vt notat S. Doctor *in corpore*.

OPPONVNT etiam illud Ioannis: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*

44 RESPONDET S. Doctor *dubio cit.* ibi exponi huius textus sensum, dum dicitur: *pro inimicis.*

Quare, vt optimè Vasquez vrget, hæc Martyrij efficacia dependet ex Diuina voluntate: at neque ex scriptura, neque ex definitione Ecclesiæ, neque ex alia reuelatione hæc virtus habetur, sed dum Martyr dicitur, supponitur ex dilectione superna iustificatus contritione, si lethaliter sit maculatus; & voto Baptismi, si adhuc non est baptizatus: Hæc enim sunt ex claris Ecclesiæ definitionibus media necessaria: Adultus enim tenetur habere votum Baptismi, si non potest rebaptizari, vt definit Concilium Trid. suprà *citato loco*; & si illud non habet, non est Martyr, cùm non sit dispositus; caret enim voluntate assumendi media salutis necessaria. Similiter pœnitentia perfecta cum voto Sacramenti Pœnitentiæ ob peccata mortalia est necessarium medium, vt definit idem Concilium Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. Itaque non contritus, mortem ità voluntariè subiens, peribit, vt concedunt multi etiam ex aduersis; neque enim per Martyrium ab obseruantia legis eximitur, vt infert Scotus *d.* 4. *quæst.* 1. *litt. V.* infert, si non recoedetur, supplere Martyrium, quam doctrinam sequitur Masteius *disp.* 2. *quæst.* 7. *num.* 188.

45 ARGVO enim ad hominem ex eodem Mastrio *disp.* c. *quæst.* 10. *num.* 360. & *in* 3. *disp.* 6. *quæst.* 15. Necessarium necessitate medij ad salutem, ità necessarium est, vt sine eo salus obtineri non possit, nec excusat ignorantia, vel obliuio: Sed Baptismus omnibus, & Pœnitentia adultis peccatoribus est necessaria necessitate medij, vt ipse mox asserit *num.* 365. cum Scoto pluribus in locis: Ergo.

RESPONDANT aduersarij, Martyrium habere priuilegium, vt sufficiat pro originali, & cum sola attritione pro mortalibus.

HOC tamen priuilegium nullibi inuenitur, detrahens illi Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,*
46 *& Spiritu sancto, &c.* Neque illi: *Nisi pœnitentiam egeritis, &c.* Quod de dolore contritionis explicat Concilium Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. vbi definit, eum dolorem extra Sacramentum esse necessarium, qui semper fuit necessarius ad salutem; hæc autem est contritio, vt declarat Concilium, & illud allegat Mastrius *num.* 198.

HINC iam soluta est quæstio, quæ dispositio exigatur in Martyre, existente in actuali peccato mortali.

ALIQVI enim dixêre sufficere attritionem; hæc enim etiam in Baptismo aquæ est necessaria; attamen addunt aliqui, ex inaduertentia morte innaso, sufficere voluntatem moriendi pro Christo. Ità Scotus
47 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. Faber *disp.* 11. *de Pœnit. cap.* 2. Aretinus 4. *dist.* 14. *quæst* 3. *art.* 4. Hiquæus *ibidem*, & alij Scotistæ, quibus subscribit Mastrius *disp.* 2. *quæst.* 7. *num.* 195. adducens etiam Suarez, Coninchium, Amicum, Auersam, Bonacinam, Becanum, Turrianum; & alios apud hos. Idem sentit Caspensis *Tract.* 17. *disp.* 4. *sect.* 3. *num.* 30. cum Sanchez *Tom.* 1. *Decal. lib.* 2. *cap.* 35. quia in hoc, ait, clauditur amor Dei super omnia implicitè. Sic Suar. *disp.* 29. *sect.* 3. Henriquez *cap.* 14. Coninch. *quæst.* 6. *dub.* 2. Bonac. *de Sacram. disp.* 2. *quæst.* 1. *puncto* 1.

SECVNDA sententia exigit contritionem: Ità Authores initio quæstionis pro prima sententia allati: 48
Estque D. Thom. *quæst.* 66. *art.* 12. *ad* 2. vbi ad hoc exponit locum Apostoli, prima Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Vnde infert, Baptismum sanguinis includere Baptismum flaminis.

ASSERO igitur secundo, necessariam esse contritionem.

PROBATVR efficacissimè ratione, suprà allata, 49
quia Pœnitentia ex contritione cum Sacramento in voto, quando illud nequit haberi, est necessaria necessitate medij; & sicuti, si Martyr superuiueret, teneretur Baptismo aquæ, si non est baptizatus, & confessioni, si actualiter est mortuus peccato, ita exigitur, vt nunc conteratur: Et hoc, per se loquendo, necessarium asserit Suarez, quia contritio cum voto Sacramenti (ait) est ex Decreto Concilij Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. necessaria, vbi non potest haberi Sacramentum.

NEQVE rectè infert in *secundo dicto*, sufficere posse ex ignorantia attritionem.

ARGVO autem contra eum ad Hominem: Ne- 50
cessitas medij à necessitate præcepti differt, quia ea non admittit ignorantiam, vt omnes fatentur; sed per te hîc, Pœnitentia perfecta est necessitate medij necessaria: Ergo. Quare non rectè Masteius ait, nos hoc argumento petere principium; Arguimus enim ex vniuersali Ecclesiæ fundamento: Quare in morte saltem, certiorem debemus amplecti sententiam, & non pugnare in incertum, vt solidè cum D. Bonauentura ait Bassæus.

DVBITATIO II.

An Baptismus infantium possit martyrio suppleri.

SENTENTIA negatiua adscribitur Alensi 4. *part.* 51
quæst. 22. *memb.* 5. *art.* 1. Adriano *in* 4. *quæst vlt. de Baptismo*, Armacano *lib.* 8. *de qq. Armen. cap.* 37. D. Bonauenturæ *in* 4. *dist.* 4. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. vbi tamen id non docuit, nec in eius scriptis hæc sententia reperiri potest, vt testantur Suarez *disp.* 29. *sect.* 1. Vasquez *disp.* 153. *cap.* 7. Mastrius *disp.* 2. *quæst.* 7. *art.* 4. & alij recentes apud illum.

SECVNDA sententia assertiua est D. Thom. 2. 1. 52
quæst. 124. *art.* 1. *ad* 1. & *quodl.* 6. *art.* 4. Rich. *in* 4. *dist.* 4. *art.* 2. *quæst.* 3. Scotus *dist.* 4. *quæst.* 3. quem communiter imitantur alij apud Mastrium *loc. cit.* Soto *disp.* 3. *art.* 11. Suarez, & Vasquez suprà. Hæc est sententia D. Bonauent. *dist.* 4. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. vbi limitat sententiam Alensis, dicentis, Baptismum aquæ pluribus prodesse, quàm sanguinis. Vnde nihil in hoc distinguit, inter paruulos, & adultos, vt notat Suarez.

CLARIVS *ea quarta distinctionis parte, dub.* 4. *cit.* vbi SS. Innocentes esse ex priuilegio Martyres fatetur.

ET *dubio* 4. asserit, infantem, qui, dum portatur 53
ad Baptismum, occiditur, ne baptizetur, & moritur pro

pro Baptisino, rectè in sanguine suo piè credi baptizatum: Quid clarius?

INNOCANTES sanè, vt Martyres, veneratur Ecclesia, & Sancti Patres fatentur, Augustinus *lib.3. de lib. arb. cap.23.* & *lib. 2. de Symbole ad Catech. cap.5.* & *lib.3. cap.4.* Cyprianus *serm. de Stella, & Magis.* Leo Pap. *serm. de Epiph. primo, & secundo.* Origenes *homil. 3. in varia Euang. loca.* Ecclesia verò eos in oratione, vt Martyres, exorat.

54 ADDIT S. Bonau. *dub.* 1. defecisse eis voluntatis libertatem, ideò non ità perfectum Martyrium fuisse, sicuti in sanctis adultis; ad perfectionem enim requiritur charitas mouens voluntatem, vt dicitur *Ioan.* 15. Quare dum Mastrius infert: Si esset necessaria contritio, sequeretur in paruulis imperfectum esse, iuxta Patres, Martyrium, quod ipsi libenter conceditur: Imò retorqueo: Si est æqualis ratio: Ergo nulla voluntatis dispositio exigitur in adultis.

QVÆSTIO IV.

De præceptis Fortitudinis.

{ D.Thom quæst.125. & seq.

55 AFFIRMATIVA quidem præcepta fortitudinis in particulati non habemus; Tametsi præcepta Patientiæ, & Perseuerantiæ adnexarum fortitudini habeamus, vt ait D.Thom. *quæst.140.art.2.ad 3.* Tannerus *disp.3. quæst.2. dub.3.*

HABVERE aliqui in aliquo genere, puta in bellis, præcepta non cedendi *Deuter.* 20. & *Iosue* 1. & *prima Ioan.* 3. ponendi animam pro fratribus. Nec dubium, quin ipsi actus fortitudinis sub præcepto cadant, vt dixi *Tract. de Charitate*, agendo de ordine ipsius.

56 QVOAD præcepta negatiua, prohibetur inordinatus timor, fortitudini oppositus, *Deut.* 20. & Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.*

QVÆSTIO V.

De Vitiis FORTITVDINI *oppositis.*

{ D Thom. quæst. 126. art.1.

TRIA vitia fortitudini opposita numerantur, Timiditas, Intimiditas, & Audacia.

57 QVOAD Timorem, tunc est inordinatus, quando appetitus absolutè refugit ea, quæ ratio dictat esse sustinenda. Ità S.Thomas.

HIC damnatur timor, qui est inordinatus circa pericula mortis, dum ex hoc relinquit fidem, vel ea, quæ fortitudo præcipit prosequenda. De his dicitur Apocal. 21. *Timidis autem, &c. pars illorum erit in stagno, &c.*

58 INTIMIDITAS est vitium, quo non timentur timenda. Sic de Celtis ait Aristoteles 3. Eth. cap.7. *Nil eos timere propter stultitiam*, Ibi hanc fortitudini opponit.

EXCEDIT autem, & ad extremum declinat. De his Prou. 14. *Sapiens timet, & declinat à malo: Stultus transilit, & confidit.*

AVDACIA est excessus in periculis subeundis, & inuadendis, vt ait D. Thom. *quæst. 127. art. 1.* iuxta Aristotelem 2. *Ethic. capite 7. & lib. 3. cap. 7.*

DIFFERT ab intimiditate, hæc enim non æstimat pericula, quasi verò respectu operantis nulla sint, aut mala non sint: Audacia verò, seu temeritas, ob nimiam præsidentiam, temerè aggreditur pericula. 59

HABERE dicitur vitium in alio extremo oppositum, nempe, Ignauiam, vt colligitur ex Aristotele *loc. cit.* cùm scilicet non audet, quod debet, & cum debet.

COMMVNITER tamen hæc peccata non censentur distincta à peccatis, quæ ex eisdem consequuntur, siue ad quæ ordinantur. 60

DISPVTATIO II.

De Virtutibus, FORTITVDINI *Adiunctis.*

NON habet quidem Fortitudo partes subiectiuas, de quibus veluti genus prædicetur; non enim diuiditur in multas virtutes, specie distinctas; est enim vna virtus specialis circa obiectum specificum; habet tamen partes integrales secundùm ea, quæ necesse est ad actum fortitudinis concurrere; habet etiam potentiales, quatenus ea, quæ fortitudo obseruat circa difficillima, nempè, circa pericula mortis; aliquæ aliæ virtutes obseruant circa alia quædam minus ardua, & hæ fortitudini adiunguntur.

PARTES autem integrales Fortitudinis sunt quatuor, Magnanimitas, seu fiducia, ac spes certa indita virtute superandi pericula mortis. Magnificentia, quatenus significat constantem executionem eorum, quæ præuia fiducia animo destinauit. Patientia, qua animus difficultate imminentium mortis periculorum per tristitiam non frangatur. Perseuerantia, significans animum inter pericula mortis immobilem, ac in bono vsque ad finem durabilem. Ità S. Thom. *loc. cit.* ex Tullio *lib. 2. de Inuent.*

QVÆSTIO I.

De MAGNANIMITATE.

MAGNANIMITAS, vt est virtus fortitudini adiuncta, pro materia habet honores, & inhonorationes. Ità D. Thom. *art.* 1. ex Aristotele 4. *Eth. cap.* 3. Est enim Magnanimus, qui habet animum ad aliquid magnum, seu qui habet animum rectè affectum circa ea, quæ inter res exteriores absolutè, & simpliciter sunt maxima, vti est honor, tum quia honor est propinquissimus virtuti, tanquam testimonium eius; tum quia Deo, & optimis quibus- 1

que

quę exhibetur, tum quia honori conſequendo, & vituperio vetando homines omnia alia poſtponunt: ergo qui circa honores rectè affectus eſt, dicitur Magnanimus.

Id voluit S.Doctor *in Opuſc.declarator.terminorum*
2 *Theol.* dum Magnanimitatem definit: *Eſt difficilium ſpontanea, & rationabilis aggreſſio.*

Et *ſerm.5. Hexaëmer.* vbi ait, Magnanimitatem eſſe, quæ appretiat magna, & deſpicit vilia. Contigit autem id, quod ait Ariſtoteles lib 4. moral. Nicom. cap. 3. *Magnanimus eſt in appetitu honoris*, & explicat, eſſe in veris honoribus æternorum, non in laudibus mundanis. Itaque magnanimus ad ea, quæ honore ſunt verè digna, tendit, vt ait D. Thom. *loco cit.* & Tannerus *diſp.3. quæſt.2. num.56.* neque magnanimitas vera opponitur humilitati, cum ſub diuerſis rationibus illa honores velit, hæc recuſet, vt docet D. Bonauent. *loco cit.* & D. Thom. *ad 4.* nam magnanimitas æſtimat dignum magnis conſideratis Dei donis: Humilitas verò, vt ſe parui pendat; conſiderata ſua vilitate.

Assero primò, Magnanimitatem eſſe virtutem.

3 Probatvr quia ad virtutem pertinet, vt in rebus humanis bonum rationis ſeruetur; inter cæteras autem res humanas exteriores præcipuum locum tenent honores: Ergo magnanimitas, quæ modum rationis ponit circa magnos honores, eſt virtus.

Hoc etiam confirmant affectiones, ſeu diſpoſitiones corporis, quas Ariſtoteles 4. *Eth. cap.3.* Magnanimo tribuit, valdè conſentaneas honeſtæ mentis diſpoſitioni, cum ait: *Motus lentus magnanimi videtur, & vox grauis, & locutio ſtabilis.* Velocitas enim motus (ait S.Thom. *ad 3.*) prouenit ex eo, quod homo ad multa intendit, quæ explere feſtinat; ſed magnanimus ſolùm ad magna intendit, quæ pauca ſunt: quæ etiam egent magna attentione, & ideò habet motum tardum.

4 Similiter etiam acuitas vocis, & velocitas præcipuè competit his, qui de quibuſlibet contendere volunt, quod non pertinet ad magnanimos, qui non intromittunt ſe, niſi de magnis. Hæc notat Tannerus *num.58.* ex D.Bonauent. *in Compend.Theol. verit. lib.2. cap.58.* vbi etiam alia magnanimi indicia affert, vt frontem quadratam, & moderatæ magnitudinis, longos paſſus, &c.

5 Assero ſecundò, Magnanimitatem eſſe ſpecialem virtutem. Ità D. Thom. *quæſt.129. art. 4.* ex Ariſtotele 2. *Eth. cap.7.* Ratio eſt, quia modum conſtituit circa determinatam materiam, ſcilicet circa honores, vt dixi. Quia tamen honor eſt cuiuſlibet virtutis præmium, ideò magnanimitas conſequenter, ratione ſuæ materiæ, reſpicit omnes virtutes.

Assero tertiò, Magnanimitas eſt pars quædam potentialis Fortitudinis. Ità D. Thom. *art. 5.* & D.Bonauent. ſuprà. Conuenit cum fortitudine, confirmando animum in arduis; ſed deficit ab ea, quia firmat in eo, circa quod facilius eſt firmitatem ſeruare.

6 Ad Magnanimitatem confert Fiducia, & ſecuritas ad Fortitudinem, ex conſequenti verò ſecuritas ad magnanimitatem, & fiducia ad fortitudinem pertinet. Ità S.Thom. ibidem *art.6. & 7.*

Eſt autem fiducia certa ſpes animi perducendi ad finem rem inchoatam. Securitas eſt habitus quo imminentia incommoda non formidantur, vt docet S. Bonauent. *in opuſc. declarat. terminorum Theologia.*

Etiam bona fortunæ ad magnanimitatem conferunt. Ità S.Thom. *art.8.*

QVÆSTIO II.

De Vitiis Magnanimitati *oppoſitis.*

D.Thom. quæſt.130. & ſeq.

Qvatvor ſunt hæc, è quibus tria opponuntur per exceſſum, Præſumptio, Ambitio, & Inanis gloria: Quartum per defectum, ſcilicet Puſillanimitas. 7

Præsvmptio eſt vitium, quo quis attentat ea, quæ vires, & facultatem ſuam excedunt. Ità S.Thom. *art.1. & 2.* iuxta Ariſtotelem 2. *Eth. cap.7. & lib.4. cap.3.* Magnanimus enim non tendit in maiora, quam ſibi conueniunt, nec tranſcendit proportionem ſuæ facultatis, ſicut etiam naturaliter quælibet actio commenſuratur virtuti agenti. Id ipſum docet S.Bonauent. *in ſpeculo animæ, cap.1.*

Qvia tamen, quæ per alios poſſumus, quodammodo per nos poſſumus ex Ariſtotele 3. *Eth. cap.3.* ideò non eſt præſumptio attentare opus virtutis cum Diuino auxilio, quod nemini denegatur. Erit verò præſumptio ſi à ſe, vel pro ſuis meritis, vel falsò, vel plus aliis attentet, vt docet D. Bonauent. *loco citato.* 8

Ambitio eſt vitium, quo quis inordinatè honorem deſiderat. Ità D. Thom. *quæſt.130. art.1. & 2.* D.Bonauent. *in ſpeculo animæ, cap.4.* Hoc autem tripliciter euenit, vel ambiens honorem, quem non meretur, vel quem non in Deum, vel in aliorum vtilitatem, ſed in proprium refert commodum. Ità S.Thom. *quæſt.131. art.1. & 2.* D. Bonauent. *in Pharetra 3. part. cap. 24.* multis Patrum authoritatibus id probans.

Vbi notat S. Doctor *ſerm.5. Hexaemer.* honorem non eſſe bonum per ſe appetibile.

Inanis gloria eſt vitium, quo vana quæritur gloria, vel de eo, quod non eſt, vel de eo, quod non eſt gloriâ dignum; vel de eo, quod iudicio hominum tantum laudatur, gloriam expetendo, vel ipſam gloriam ad finem indebitum referendo. Ità D. Thom. *quæſt.132. art.1. & 2.* D.Bonauent. *in ſpeculo animæ, cap.1. & 4.* Sic opponitur magnanimitati appetens gloriam, quæ eſt effectus quidam honoris indebitè. Vide etiam D. Bonauent. *p. p. Centil. ſect.18. & in explicatione terminorum Theol.* 9

Potest autem eſſe mortale, ſi de illicitis glorietur, vel ad ſe, vt finem vltimum, gloriam referat.

Inanis gloria eſt vitium capitale, cuius filiæ ſunt Inobedientia, Iactantia, Hypocriſis, Incontinentia, ſeu Contentio, Pertinacia, Diſcordia, & Præſumptio nouitatum. Ità S. Bonauent. *in ſpeculo, loco cit. & p. p. Centil. ſect.18.* D. Thom. *quæſt.132. art.4. & 5.* ex D.Gregorio 31. *moral. cap.31.* 10

Inobedientia eſt voluntas fugiens minoritatem, nolens ſubiici ſuperioribus.

Iactantia eſt voluntas, propter apparentem poteſtatem propriam ſe oſtentans.

Hypocrisia eſt voluntas per ſpeciem ſanctitatis ſe ſimulans fallaciter in aperto, & viliter agens in occulto, ſiue intentione, ſiue opere.

Incontinantia eſt voluntas per conformationem ſui, ab his, qui mali ſunt, laudari appetens.

Pertinacia eſt voluntas fugiens minorationem probitatis, dicta, vel facta ſua irreuocabiliter defendens.

Discordia

DISCORDIA est voluntas fugiens mioorationem sapientiæ ab his, quæ ab aliis dicuntur, dissentiens.

NOVITATUM præsumptio est voluntas excedeos qualitatem sui ordinis, propter apparentem nouitatem scientiæ, vel sapientiæ ostentari cupiens.

11 AT D. Isidorus *lib. in Deuter. cap.* 16. distinguens inter superbiam, & inanem gloriam, ait, de superbia oriri Contemptum, Inuidiam, Inobedientiam, Blasphemiam, Mormurationem, Detractionem, & alia. Ex Inani verò gloria, ait oriri Contentiones, Hæreses, Iactantiam, & Præsumptionem nouitatum. Hæc S. Doctor *p. p. Centil. sect.* 18.

NIL autem mirum, hæc ex Inani gloria, vt mala arbusta, nasci, nam appetitus gloriæ est vehemens, & ex parte materiæ vniuersalis, vt notat etiam Tanner. *d.* 3. *quæst.* 2. *dub.* 5. *num.* 73.

12 PUSILLANIMITAS est vitium Magnanimitati oppositum per defectum, quo magna refugit, etiam quæ suis viribus sunt proportionata; sic ille seruus, qui ob id talentum abscondit, punitus est *Matth.* 25. *Luca* 19. Ità D.Thom. *quæst.* 133. *art.* 1. *&* 2. Sic inter vitia ponitur ab Aristotele 4. *Eth. cap.* 3. & D. Gregorio *p. p. Pastor. cap.* 5. est autem in altero extremo præsumptionis, vt docet D. Bonauent. *in speculo animæ, cap.* 3. Hoc autem vitium Acediæ filium oominat.

ADDIT S. Doctor habere rationem mortalis, cùm pusillanimitate omittuntur necessaria ad salutem; si quis detrimentum fidei, vel damnum proximi spirituale, vel etiam temporale ex pusillanimitate defensionis, prædicationis, vel correctionis dissimularet, vt ait S. Gregorius *in Past. part.* 1. *cap* 5.

13 Ex hoc ramo oriuntur Timor seruilis, humanus, & mundanus. Timor seruilis est, cùm quis dimittit malum ob merum pœnæ timorem. Timor humanus est, cùm parcens carni, spiritualia bona refugit, quæ carni aduersantur. Timor muodanus, cùm timore mundi, scilicet personæ alicuius, omittit bonum.

14 PRIMUS timor semper est mortalis; at secundus, & tertius, tantùm mortales sunt, cum propter ea omittuntur saluti necessaria. Hæc omnia vide *in speculo animæ, loc. cit.*

QVÆSTIO III.

De MAGNIFICENTIA.

D.Thom quæst. 134. & 135.

15 MAGNIFICENTIA definitor à D. Bonauent. in explicat. terminorum Theol. *Est magnarum rerum, & excelsarum cum animi ampla quadam, & splendidissima propositione, cogitatio, atque administratio.* Idem habet *de septem donis. De Dono fortitudinis, cap.* 3. & *lib.* 5. *Comp. Theol. cap.* 36. Quæ definitio est Tullij *lib.* 1. *de Inuentione.*

16 ASSERO primò, hanc esse virtutem. Probatur quia operatur magna in materia propria, seruata debita proportione ad eum, qui operatur, vel facit sumptus. Itaque requiritur in his recta cogitatio, seu intentio; & administratio in exteriori executione, vt dicebat Tullius. Differt à magnanimitate, nam hæc in magnis honoribus; illa in magnis sumptibus versatur, & quia nullus finis humanorum operum est adeo magnus, vt bona Dei, ideò magnificentia præcipuè magnis in sumptibus ad Dei honorem versatur, vt Aristotele 4. *Eth. cap.* 2. dixerit: *Honorabiles sumptus sunt maximi, qui pertinent ad diuina sacrificia.*

ASSERO secundò, eam esse partem potentialem Fortitudinis. Ità S.Bonau. *locis adductis.* & D.Thom. *quæst.* 134. *art.* 4.

PROBATUR, quia duo exiguntur, vt aliqua sit 17 pars potentialis alicuius virtutis. Primum est, vt illa cum hac, tanquam principali, conuenientiam habeat, & affinitatem: secundum est, vt ab ea excedatur: Magnificentia autem conuenit cum Fortitudine, quod vtraque tendit in aliquid arduum, & vtraque est in Irascibili, nimirum quia magnificentia moderatur spem in ordine ad opus magnificum; sed deficit à fortitudine, quia illud arduum, in quod tendit fortitu- 18 do, habet difficultatem ob periculum, personæ imminens; arduum autem, in quod tendit magnificentia, habet difficultatem ob dispendium rerum, quod est moltò minus, quàm periculum personæ.

QVÆSTIO IV.

De Vitiis MAGNIFICENTIÆ *oppositis.*

VNUM vitium nominat S. Bonauent. *locis ad-* 19 *ductis*, quod dicitur *Paruificentia* declinans ad defectum; aliud verò ad excessum exurgens, adhuc apud Latinos innominatum, vt docet etiam D.Thom. *quæst.* 135. *art.* 1. *&* 2. ex Aristotele 2. *Eth. cap.* 7. & *lib.* 4. *cap.* 2.

CUM enim magnificentia magnis in operibus, & sumptibus versetur, debet medium tenere, respiciens facultatem expendentis, & dignitatem operis. Quod si minus iosumar, quàm dignitas operis requirat, dicitur *Paruificentia*: Si verò excedat, dicitur *Banausia* à furno, qui omnia consumit, & potest dici *Consumptio*, vt ait D.Thom. *art.* 2.

ADVERTA, sermonem hic esse de Magnificen- 20 tia, pro vt est virtus circa passiones; non alia diuersa ratione etiam est virtus ad alterum circa operationes.

QVÆSTIO V.

De PATIENTIA.

D.Thom. quæst 136.

DEFINITUR Patientia à D. Bonauent. 3. part. 21 Centil. sect. 45. *Est virtus contumeliarum, & omnis aduersitatis æquanimiter mala perferens.* Vel: *Patientia est æquanimiter malorum illatorum tolerantia*, vel ex D. Gregorio homil. 35. in Euang. *Vera patientia est aliena mala æquanimiter perpeti, & contra eum, qui mala irrogat, nullo animi dolore moueri.* Vel: *Patientia est omnium molestiarum, aliunde illatarum, victoriosa perpessio.*

IN explicatorio terminorum Theol. sic eam definit: *Patientia est æquanimis malorum tolerantia.*

OPUSCULO de septem donis, de dono forti- 22 tudinis, cap. 3. habetur: *Patientia est causâ honestatis, & vtilitatis, arduarum rerum voluntaria, & diuturna perpessio.* sic & in compend. Theologicæ veritatis, c. 36. & opusc. de profectu religiosi *lib.* 2. *c.* 34. ex D. August. de patientia. cap. 2. *Patientia est, qua mala æquo animo toleramus, hoc est, sine perturbatione iustitiæ.*

HINC

HINC constat, eam esse virtutem specialem.

PROBATVR, quia virtutis moralis ratio est conseruare rectitudinem, & bonum rationis contra impetum passionum: at Patientia sic moderatur passiones Irascibilis, & Concupiscibilis contra tristitiam, ne ratio succumbat in aduersis.

23 PROBATVR verò à D. Bonauent. *ad 21. Lucæ* illis verbis: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*, & Prouerb. 16. *Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium*, & cap. 15. *Qui patiens est, multa gubernatur sapientia*, & cap. 19. *Doctrina viri per patientiam dignoscitur*, Iacob 1. *Patientia perfectum opus habet*, Heb. 10. *Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* Similia habet *de septem donis, de dono fortitudinis, cap. 3.*

24 IDEM probat ibi ex D. Gregorio *homil. 36. in Euang.* & *homil. 20. in Ezech.*

IN cap. 8 Lucæ, id probat illis verbis: *Audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia*, & ex loco citato Iacobi *Heb.* 10.

OBSERVAT autem *sermone 2. de pluribus Martyribus*, ad obiectum patientiæ formale requiri, vt sit aduersitas tolerata ex motiuo honestatis, & voluntas recta; posse tamen ex necessitate fieri virtutem, sicut propter eam Manasses in captiuitate salutem assecutus est.

25 ET serm. 3. de sanctis Apostolis obseruat ex D. Bernardo *serm. 2. de Conuers. S. Pauli*, triplex genus patientiæ, seu tres gradus huius virtutis. Primus est tolerare absque murmure. Secundus tolerare libenter. Tertius gaudenter ire ad pœnas, vt Act. 5. *Ibant Apostoli gaudentes, &c.*

ASSERO secundò, Patientiam esse partem quasi potentialem Fortitudinis. Ita D. Bonauent. *locis adductis* & D. Thom. *quæst. 136. art. 4.*

26 PROBATVR, quia circa difficilia versatur cum fortitudine; sed deficit ab hac, quia versatur etiam circa difficilia minoris momenti, quàm sit mors.

NOTA, similem eam esse longanimitati, quia vtraque sustinet malum ob aliquod bonum; differt tamen, quia longanimitas versatur in tendentia ad aliquid in longinquum distans, atque adeò magis respicit spem, quàm tristitiam, quia verò longanimis non frangitur longa spe expectationis, vt ait S. Doctor *de profect. Relig. lib. 2. cap. 35.* patientiam imitatur.

27 ASSERO tertiò: Patientia esse non solùm Theologicis, sed etiam quatuor Cardinalibus inferiorem; Et quo ad Theologicas, constat; quia habent obiectum nobilius, Deum. Quoad Cardinales, patet ex dictis initio *disput. 1.* Ea verò à Fortitudine superari potest, nam illa fertur in pericula mortis vehementiora, atque adeo debet esse validior ad rationem regulandam, sic & melior Temperantia dignoscitur, quæ vehementiam concupiscibilium tactus moderatur.

DICITVR tamen perfectum opus operari in suo genere. Dicitur etiam radix omnium virtutum à D. Gregorio *homil. 35. in Euang.* apud D. Bonauent. suprà, quatenus remouet prohibens vnum, quod est tristitia, vt notat Tannerus *disp. 5. num. 86.* & D. Bonauent. *in 4. dist. 22. art. 3. quæst. 1.* Vnde Apostolus Heb. 12. *Per Patientiam curramus, &c.* vt habet S. Bonauent. *in Diata, loco citando.*

28 ASSERO quartò. Patientia perfecta est donum Dei. Ità D. Bonauent. *locis* ferè omnibus *adductis*, maximè *de septem donis*, & *in Diata, tit. 7. cap. vlt.*

PROBATVR à S. Bonauent. quia vt ait Apostolus *Heb. 12.* Illud, quod ducit ad vitam æternam, est super naturam, & donum Dei: Talis est patientia, vt retuli: Ergo. Maior probatur; nam media debent esse ad finem proportionata, vt sæpè ait S. Doctor; at gloria est supernaturalis.

PROBATIONEM, seu lapidem Lydium ad probandam veram patientiam legito in D. Bonauent. *de profectu Religiosi, lib. 2. cap. 35.* meritum, & præmium Patientiæ habes *cap. 36.* Gradus, & profectum Patientiæ *cap. 37.* 29

PRÆCLAROS Patientiæ Panegyricos habes è Patribus in D. Bonauent. *lib. 2. Pharetra, cap. 33.*

QVÆSTIO VI.

De Vitiis, PATIENTIÆ *oppositis*.

{ D. Thom. quæst. 137 & 138.

PATIENTIÆ per defectum opponitur Impatientia, qua quis frustra aduersis reluctatur, vel immoderatè de eisdem tristatur. Magnitudo verò peccati impatientiæ æstimanda est ex effectibus, qui ea ea oriuntur, à quibus ipsum impatientiæ peccatum non videtur distingui. Vocat autem S. Doctor hoc vitium *Iram*. 30

VITIVM tamen per defectum oppositum patientiæ, communiter nullum assignatur, quia quo leuiùs aduersa feruntur, eò maioris id laudis habetur.

QVÆSTIO VII.

De PERSEVERANTIA.

PERSEVERANTIA definitur à D. Bonauent. *3. part. Compil. sect. 43.* ex Tullio, lib. 2. de Inuent. *est ratione benè considerata, stabilis, & perfecta permansio.* Magistraliter verò sic eam definiri ait: *Perseuerantia est permanentia in bono diuturna, seu finalis.* Sic eam definit etiam opusculo *Declaratorio terminorum Theologia.* Easdem definitiones refricat *Opusc. de septem donis; de Dono fortitudinis, cap. 3.* 31

IN compend. Theol. verit. lib. 5. cap. 36. sic eam definit: *Est virtus in ratione benè considerata stabilis, & perpetua permansio.* Sic ferè definitur à D. Thom. *quæst. 137. art. 1.* & Tannero *disp. 3. quæst. 2. dub. 5.*

ASSERO, hanc esse specialem virtutem. 32

PROBATVR ab illo, ratione D. Bonauent. *de perfectione vita ad sorores, cap. 8.* & *de septem donis, loc. cit.*

ILLA est virtus, quæ ad bonum necessarium promouet, aliquam specialem difficultatem remouendo: Perseuerantia remouet difficultatem resultantem ex diuturnitate permanendi in bono necessario ad salutem: Ergo. Maior est Aristotelis 2. *Eth. cap. 3.* Minor est Christi, Matth. 10. *Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Pondera particulam, (*hic*) innuit enim alium quempiam, non perseuerantem, cariturum salute. Confirmatur ex D. Bernardo, epist. 129. *Absque perseuerantia, nec qui pugnat, victoriam, nec palmam victor consequetur: Ipsa enim est nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientia, constantia filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnitatis vinculum, sanctitatis propugnaculum. Tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Sola est enim cui æternitas redditur, vel potius quæ æternitati hominem*

DISPVTATIO PRIMA.

DE FORTITVDINE.



E Fortitudine acturus, præcipuam quæstionem instituam de Martyrio, quod huius virtutis præstantissimus est actus; fortissimus enim ille est, qui pro Christo vitam prodigere non dubitat, totasque Tiranni in se suscipit vires, victusque triumphat. Agam deinde de nonnullis huius virtutis comitibus, & auxiliaribus copiis, quibus se contra vitia sibi aduersa propugnat: Contra enim Præsumptionem, Ambitionem, & inanem Gloriam pugnat magnanima illa virtus, quæ hinc Magnanimitas appellatur; sed huic à tergo instat Pusillanimitas, contra quam nonnullos etiam ictus intorquet: sequitur Magnificentia, Patientia, & Perseuerantia. Hæ omnes astant fortitudini à latere, & hostiles ineunt congressus cum vitiis sibi oppositis, vt quàm breuissimè hîc dicam: hæc est tota materia & series duplicis huius disputationis, quam de Fortitvdine proferam; in primis autem, num Virtus sit, & qualis, examinabo.

QVÆSTIO I.

An Fortitvdo *sit Virtus, & qua.*

D.Bonauent. ad 8. Sap. & in Dieta, tit.5 cap.7.
D.Thom. art.1.

1 Asseno primò, Fortitudinem esse virtutem. Est D.Augustini *lib. de moribus Ecclesiæ, cap.15.* Aristotelis 3. *Eth.*

Probatvr à D. Bonauent. primò *ad 8. Sap.* vbi sub nomine *Virtutis*, cæteris Virtutibus moralibus adnumeratur.

Probatvr secundò à S. Doctore *in Dieta, tit.5. cap.7.* Quod facit hominem moraliter bonum, est virtus: Talis est fortitudo: Ergo. Maior est Aristotelis 2. *Eth. cap.6.* minor probatur, quia tollit impedimenta repellentia è rectitudine, quæ difficultates opponunt. Sic habetur Prouerb. 31. *Mulierem fortem quis inueniet? &c. manum suam misit ad fortia*
2 *fortitudo, & decor indumentum eius.* Id probat S. Doctor exemplis Apostolorum, qui accepta per Spiritum Sanctum fortitudinis virtute, & dono occurrebant Tyrannis *Act.1.*& idem ostendit de sanctis Martyribus, præcipuè Virginibus, Catharina, Cæcilia, Agnete, & aliis, quæ lætabundæ ad carceres, & ad supplicia ibant. Quia scilicet erant à Deo confortatæ, De cælo enim fortitudo est, vt dicitur primo *machab.3.* Vide S.Doctorem.

3 Hinc rursus hoc assertum probat *opusc. de septem itiner. æternitatis, dist.5.* quia dat robur ad superanda pericula opposita rectitudini, ipsasque pœnas, atque mortes, & ad virtutes intrepidè festinare. Assumptum probat *opusc. de septem Donis, de Dono fortitudinis, cap.1.* ex Aristotele 3. *Eth. cap.8. & 9.* vbi ait: *Fortis est, qui non timet terribilia, & sustinet, vt oportet, boni gratia,* & ex Paulino ad Hieronymum, vbi ait: *Qui verè fortis est, nec temerè audet, nec inconsultè timet,* & ex D. Augustino *lib. 5. de ciuit. cap.17.* vbi narrat, quod multi mortem subibant fortiter ob bonum Reipublicæ & ex Tullio *de offic.* vbi ait, duo fuisse præcepta Platonis, volentibus Reipoblic. prodesse. Primum, vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quæcunque agunt, ad eam referant obliti commodorum suorum. Secundum præceptum est, vt totum corpus Reipublicæ curent principaliter, nedum aliquam partem tueantur, alias deserant, & ideò hæc fortitudo ordinat ad finem, qui est intra limites naturæ.

Probatvr à S. Doctore tertiò *in Compend. Theol. lib.5. cap.36.* ex Macrob. *lib.1. in somn. Scipionis, cap.8.* nam fortitudo eleuat animum super pericula, docet nil timere nisi turpia, non pauere mortis occursum, passiones edomitas ad virtutem intrepidè ciere. 4

Deinde quia effectus habet mirabiles; reddit enim victores contra hostes Dei, vt dicitur *primo Machab. 6.* Secundò homini sua bona conseruat: *Cum fortis armatus, &c.* Tertiò, quia ditat bonis, Prouerb. 10. *Manus fortium diuitias parat.* Quartò regnum cælorum expugnat, Matth. 11. *Violenti rapiunt illud.* Quintò ornat, Prouerb. 31. *Fortitudo, & decor indumentum eius,* Sextò in extremis assecurat, Prouerb. 30. *Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pauebit occursum.* Septimò remunerationem expectat, Prouerb. 31. *Mulierem fortem quis inueniet? Procul & de vltimis finibus pretium eius, &c.* 5

Probatvr quartò à D. Bonauent. *in Pharetra, lib.2. cap.31.* nam moderatur, & ad honestatis normam reducit passiones Timoris, & Audaciæ, idque circa obiecta difficillima, nempe, circa mortis pericula. Assumptum probat ex Patribus.

D. Gregorivs 7. Moral.cap.8.ait: *Iustorum fortitudo est carnem vincere, propriis voluptatibus contrarire, delectationem vitæ præsentis extinguere, huius mundi aspera pro terrenis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, aduersitatis metum corde superare.* Idem habet *lib.4. cap.30. & lib.5. cap.13.* 6

D. Hieronymvs, lib. 16. in Isa. cap. 57. *Fortitudo, atque constantia via regia est; à qua declinat ad dexteram, qui temerarius est, & pertinax: ad sinistram, qui formidolosus est, & pauidus.*

D. Avgvstinvs epist.19. ad Hieronymum: *Qui vera virtute fortis est, nec temerè audet, nec inconsultè timet.*

7 D. Ambrosivs lib. 1. de offic. cap. 30. *Est fortis,*

fortis, qui se in dolore aliquo consolatur: Et reuera iure ea fortitudo vocatur, cùm vnusquisque se ipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, atque inflectitur, non aduersis perturbatur, non extollitur secundis, & quasi vento quodam variarum rerum circumfertur mutatione. Idem habet *cap.* 39. & *lib.* 5. *in Lucam, cap.* 6.

7 SENECA, epist. 59. *Sapiens, & fortis ad omnem incursum munitus, & intentus; non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem referet intrepidus, & contra illa ibit, & inter illa stabit.*

OBSERVAT autem S. Doctor allegatis locis, cum D.Thom. *ad* 1. ex Aristotele 3. *Eth. cap.* 8. aliquos exercere actus virtutis fortitudinis, non veros, sed similes.

ASSERO secundò: Fortitudo est virtus specialis.

8 PROBATVR ex dictis, quia habet specialem honestatem ad edomandas passiones, audaciæ præsertim, & timoris. Quamuis à Patribus allatis extendatur ad omnes ferè passiones vehementes edomandas, vt docet etiam S.Thom. *art.* 2. *ad* 2.

ASSERO tertiò, Fortitudinem esse virtutem Cardinalem. Ità S. Bonau. *locis adductis*, D. Thom. *quæst.* 127. *art.* 11.

PROBATVR à S.Doctore ex 8. *Sap.* vbi cum virtutibus Cardinalibus numeratur illis verbis: *Sobrietatem, & Prudentiam docet, & Iustitiam, & Virtutem.* Idem probat S. Doctor *allatis locis*, ex Patribus allegatis.

9 CONFIRMATVR quia virtutes Cardinales dicuntur, vel quia per eas ingrediamur ad alias virtutes; vel quia vitæ humanæ ratio dirigitur, & regulatur in quatuor Cardinibus mundi minoris, ad similitudinem maioris, vt ait S Doctor *serm.* 6. *Hexaemer.* Talis autem est fortitudo: Ergo.

PROBATVR etiam ratione S. Bonauent. *in* 3. *dist.* 33. passim, præcipuè *quæst.* 4. quia virtutum Cardinalium, seu, vt ait *ad vltimum*, principalium, est id, quod præcipue in virtute attenditur, inter alias autem vna ponitur firmiter operari, vt patet ex Aristotele 2. *Eth. cap.* 4. laudem autem firmiter operandi sibi vendicat Fortitudo.

10 EX dictis habes, obiectum fortitudinis esse passiones Audaciæ, & Timoris, moderans media. Ità D. Thom. *quæst.* 123. *art.* 3. & S. Bonauent. *locis adductis*, & *serm.* 5. *Hexaemer.* ex Aristotele *lib.* 2. *Eth. cap.* 7. & *lib.* 3. *cap.* 6. mediatè verò versatur circa pericula maximè mortis, veluti obiecta istarum passionum. Ait vero Aristoteles 3. *Eth. cap.* 3. & 9. fortitudinem esse maximè circa pericula mortis, quæ est in bello.

ADDIT S.Thom. *art.* 6. cum Aristotele 3. *Eth. cap.* 9. fortitudinem magis versari circa timores reprimendos, quàm circa audacias moderandas, ideò principalis actus fortitudinis est sustinere, hoc est immobiliter sistere in periculis, quàm aggredi. Ratio est, quia timores in periculis reprimere difficilius est, quàm audacias moderari. Primò, quia sustinens ab alio, vt fortiori, sufferit; at audax inuadit, vt debiliorem; difficilius est autem pugnare cum fortiori, quàm cum debiliori. Secundò, qui sustinet, iam sentit pericula imminentia; qui autem aggreditur, habet ea, vt futura. Tertiò, sustinere est diuturnum; aggredi autem potest esse subito: difficilius est autem diu manere immobilem, quàm subitò moueri.

11 OBSERVA, finem, velut proximum, fortitudinis esse, vt similitudinem sui habitus exprimat in actu; finis autem eius remotus, & vltimus est beatitudo, siue Deus. Ità S.Thomas *art.* 7.

OBSERVA secundò, fortem ex consideratione honestatis sui actus delectari quidem, tamen ex perpessione tristium, in quibus versatur, tristari. Ità S. Thom. *art.* 8. ex Aristotele 3. *Eth. cap.* 9. Addit verò S.Doctor suprà, ex abundanti gratia Dei sæpè absorberi dolorem, & tristitiam, sicuti tenellis Virginibus sanctis eueniebat.

OBSERVA tertiò, fortitudinem maximè in euentibus repentinis cerni. Ita S.Thom. *art.* 9. ex Aristotele 3. *Eth. cap.* 8.

OBSERVA quartò, fortem ad actum fortitudinis iram adhibere, sed moderatam ratione. Ità D. Thom. *quæst.* 127. *art.* 10. ex Aristotele 3. *Eth. cap.* 8. & D.Bonauent. *in* 3. *loco citato*. 12

ASSERO quartò, fortitudinem esse inferiorem Prudentiâ, & Iustitiâ, sed superiorem Temperantiâ.

PROBATVR à S.Doctore 3. *dist.* 33. *quæst.* 4. nam 13
Virtutes Cardinales ordinant hominem in his, quæ sunt ad finem, quæ omnia sunt aliquid creatum; cùm autem homo comparetur, & ad se, & ad alterum, Virtutes Cardinales sunt horum moderatrices, si respectu sui, vel potest esse circa rationalem, & ecce Prudentia; vel circa Concupiscibilem, & ecce Temperantia: vel circa Irascibilem, & ecce Fortitudo; Si vero ordinet ad alterum, sic est Iustitia, quia vna est ratio, qua comparatur ad alterum, quod est ratio debiti, & quia hæc ratio potest attendi secundùm actum cuiusque potentiæ, hinc iustitia Cardinalis dicitur circuire omnes vires, & tamen vna est, propter vnicam rationem ordinandi ad alterum. Ex quo habes, Iustitiam esse nobilissimam, deinde Prudentiam, quæ rationem, voluntate inferiorem, moderatur. Tertiò Fortitudinem, quæ moderatur concupiscibilem, etiam sensibilem, inferiorem ratione, & voluntate: Vltimò Temperantiam, quæ versatur circa concupiscibilem, quæ est infima.

NOTA, D. Ambrosium apud D. Bonauenturam 14
in Pharetra, præferre Fortitudinem cæteris, sed intellige secundùm quid, nempe, vel secundùm quandam generalem vtilitatem, pro vt, & in rebus bellicis, & in rebus ciuilibus vtilis est, vt respondet S. Thom. *art.* 12. *ad* 1. Vel quia fortitudo maximè circa difficilia versatur.

QVÆSTIO II.

De DONO FORTITVDINIS.

DONVM fortitudinis est habitus existens, sicut 15
in subiecto, in voluntate, inquantum negotiatur circa ardua, & mobilem eam facilè reddit ad repellendos timores, & reprimendas audacias, cum spe euadendi quæuis pericula, quod à virtute non præstatur. Hinc melius se habet anima dono fortitudinis ad quæuis ardua, quam per aliquam moralem virtutem. Ideo per hanc fortitudinem Sancti fecerunt mirabilia fortitudinis opera, sustinendo cum exultatione, Act. 5. *Ibant gaudentes a conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Sic B. Andreas ad Crucem, Agatha ad carcerem lætanter properabant. Hoc donum in apice perfectionis, quod 16
vocat S.Doctor *purgati animi*, reddit animam veluti inter pericula, & mala extera insensibilem, & inter epulas conuiuantem, & exultabundam. Vide S. Doctorem de *septem Donis, de Dono fortitudinis, cap.* 2. & 3. præclara promentem.

QVÆSTIO III.

De Martirio.

⟨ D.Thom. quæst.124.

17 PRÆCIPVVS inter actus Fortitudinis est subire mortem propter Deum, quod est Martyrium sustinere. Dicitur autem Martyr, quasi confitens.

BASILIDAS hæreticus apud Tertullianum *de præscript.* ad finem dicebat, non licere Martyrium subire. Gyraldus verò fugam à Martyrio, tanquam opere eximiorum tantùm sanctorum, suadebat. Eum refellit D.Bonauent. *in Apologia pauperum.*

ASSERO, Martyrium esse in omnibus actum virtutis.

18 PROBATVR à S.Doctore ex *epist.ad Heb.* vbi enarratis Martyrum gestis, qui pro fide, & religione ludibria, & verbera experti, vincula, & carceres, facti sunt, &c. hortatur statim cap. 12. *Curramus per patientiam ad propositum nobis certamen, aspicientes in Authorem fidei, & consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Vbi Glossa: *Succincti, & expediti curramus sine dubitatione ad certamen Martyrij.*

19 DEINDE affert id 2.Corinth.12. *Ego libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.* Vbi Glossa: *perfecta Charitas est, vt quis paratus sit etiam pro fratribus mori*, mox id Philip.1. *Cupio dissolui, & esse cum Christo:* Vbi Glossa habet: *Quidam homines imperfecti, qui cum patientia moriuntur.*

ILLVD etiam vrget 2. *Timoth.* 4. vbi exultabundus Paulus Martyrio vicinus: *Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, &c.* & adducit Glossam, id ipsum confirmantem.

ID etiam vrget *Act.* 5. vbi discipuli *Ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*, vt suprà etiam retuli.

20 ADDIT id Petri prima, cap.2. *Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.*

HEROICVM verò actum esse animam ponere pro Christo, habetur *Ioan.* 5. Declinare autem mortem ad tempus, vel vt se reseruet ad gloriosiorem triumphum, vel ad solatium, & auxilium ouium, non est minus laudabile; sic enim sæpe Sancti Pontifices se abscondebant. Sic & Christus aliquando fugit.

PROBAT deinde exemplis Sanctorum, Petri, & Pauli, Andreæ, Laurentij, Sebastiani, Tiburtij, Vincentij, & consimilium, qui se Martyrio sponte obtulerunt, quod si id non liceret, iam grauiter peccassent, & essent damnati, morientes in actu vetito, quod insanum est dicere; sanè Christus hortabatur. Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.*

21 RATIO D. Bonauent. è dictis Scripturis firma apparet, nam Martyrium est firma statio in fide, & iustitia contra persecutores Ecclesiæ, & exhibitio vitæ Deo, quod est maximæ Charitatis indicium, vt dicitur *Ioan.*15.

ASSERO secundò, Martyrium esse actum Fortitudinis. Ità D.Thom. *art.* 2. & communiter cum D. Bonauent. *de septem donis, de Dono fortitudinis.*

PROBATVR à S. Doctore primò ex illo Heb. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, fortes facti sunt in bello, castra verterunt, &c.* quod de sanctis Martyribus legit Ecclesia, & D.Gregorius *homil.* 27. *in Euang.* Sic exponit: *Fortes facti sunt sancti, tortores domant, spiritum roborant, virtutibus coruscant, terrena despiciunt, cælestia appetunt, occidi possunt, flecti nequeunt*, & homil.30. in Euang. *Apostoli mundi huius potestatibus contraire non præsumerent, nisi eos Sancti Spiritûs fortitudo solidasset.* Sic Petrus Principibus minitantibus respondit: *Obedire Deo oportet magis, quàm hominibus.*

PROBATVR secundò à S. Bonauent. ratione hinc deducta: Opus fortitudinis est solidare in rectitudine contra pericula, maximè mortis. Tali autem modo solidantur Martyres, vt habet D. Cyprianus *lib.*1. *epist.*6. *ad Martyres.* 22

ASSERO tertiò, Martyrium imperari etiam à Charitate.

PROBATVR à S. Doctore, ex allatis Scripturis.

ADDO proinde, esse actum maximæ perfectionis, pro vt à Charitate imperatur. Probatur à S. Doctore illo Ioan.15. *Maiorem Charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis:* est autem Charitas maxima virtus, atque adeò actus eius sunt perfectissimi, vt dicitur prima *Corinth.*13. *Coloss.*3.

ASSERO quartò, non teneri Christianum adire in omni euentu Tyrannos ad Martyrium, imò neque debere sine causa præbere occasionem occidendi; attamen in causis non modò potest, sed etiam debet, vt si fidei Christi ignominia pateretur, si aliqui nutent in fide. Sic à se protestatus est fortissimus Dux Ecclesiæ S.Sebastianus. Ità D. Thom. *art.*1. *ad* 3. & hoc latius prosequitur S. Bonauent. *loco cit. Apolog.* Suadet Christus Matth. 10. *Cùm vos persecuti fuerint in ciuitate ista, fugite in aliam*, hoc tamen non absolutè, sed in aliquo casu faciendum monet cum Rabano etiam Glossa: fugerunt quidem & viri perfecti aliquando ob causas, vel gregi vt prouiderent; vel vt ad maiorem occasionem se reseruarent, vt Athanasius; sed alij perfecti ad Martyrium cucurrerunt, quos suprà recensui. 23

VNDE infert S. Doctor malè arguere aduersarium. Viri perfecti aliquando fugerunt Martyrium: Ergo est opus perfectionis. Respondetur enim negando consequentiam. Primò, quia non omnes viri perfecti fugerunt, vt dixi: Deinde, quia non omne, quod agunt viri perfecti, est maioris perfectionis; fugerunt Iacob, Dauid, Vrias, Mathatias, non tamen fuere in omnibus perfecti, nam nec virginitatem, nec paupertatem Euangelicam coluère, fugit & Athanasius, qui tamen etiam periculis occurrebat, cùm opus esset, fugit autem aliquando ex causis licitis, non semper. 24

NEQVE obstat id Ioan. 21. *Alius te cinget, & ducet quò tu non vis;* hoc enim tantùm significat, mortem non esse à Martyre sibi conferendam, vt notat S.Bonauent. cum D.Augustino; sed ab alio, cùm à sensu refugiatur, tametsi voluntas ob Dei honorem imperet non refugere, quia perfectio Charitatis imperat etiam superare mortis timorem, vt notat S.Doctor ex D. Augustino *tract.*123. *in Ioan.* Vide S. Doctorem præclarè differentem.

ASSERO quintò, ad Martyrij perfectam rationem requiritur, vt mortem quis sustineat propter Christum, siue Deum. Ità D Thom. *quest.*124.*art.*4. D.Bonau. *locis adductis*, & *in* 4. *dist.*4 *part.*2.*q.*2.*&* 3. 25

PROBATVR,

PROBATVR, quia Martyr dicitur quasi testis fidei Christianæ, per quam nobis visibilia pro inuisibilibus proponuntur contemnenda, iuxta Apostolum *Heb.*11. Ad Martyrium ergo pertinet, vt homo testificetur fidem, protestans, se omnia contemnere præsentia, vt ad futura perueniat, quod non fit, nisi profusione ipsius vitæ propter Deum. Hinc D. Augustinus *Serm.*4.*de Innoc.* & *Serm.*11. *de Sanctis* apud D. Bonauent. *Serm.* 2. *de B. Bartholomeo* & in 4.d.4. part.2. dubio 1. *Martyrem non facit pœna, sed causa.* Idem habet *in Pharetra, lib.*4.*cap.*49. referens D. Gregorium *in registr. lib.* 2. *ind.* 11. *cap.*36. cum D. Cypriano.

26 NON tamen necesse est, vt Martyr propter confessionem fidei moriatur, sed satis est, si ob defensionem alicuius virtutis, & patiatur propter iustitiam persecutiones, vt ait D.Thom. *art.*5. exemplum habemus in Ioanne Baptista, qui non ob fidei confessionem, sed ob prædicandam continentiam contra adulterum, occisus est, vt aduerrunt Valentia *quæst.* 2. *puncto* 1. Tanner. *d.*3. *quæst.* 2. *dub.* 2. *num.*34.

OBSERVAT autem S. Doctor *in* 4. *d.*4. *part.* 3. *dub.* 1. quod ad Martyrium cùm requiratur iusta voluntas, & iusta causa; & primum defecerit in Innocentibus: Secundum verò in Latrone, neutrum fuisse Martyrium; attamen Martyrij laureolam priuilegio obtinuisse ex Dei gratia, ità vt effusio sanguinis propter Christum, fuerit eis vt voluntariè tolerata, vt monent etiam Tanner. *num.* 22. cum D. Augustino *Serm.*66. inter additoa à Louaniensibus, & alij.

27 QVOPACTO autem Martyrium Baptismus sanguinis sit, videbimus 3.*part. Tract.de Baptismo, disp.*2. *quæst.*1. cum D. Bonauent. *in* 4. *d.*4.*part.* 2. An verò Martyr desiderio, vt B. Martinus, recipiat laureolam, alibi dixi *prima* 2.

RESPONDETVR cum D. Bonauent. *in* 2. *disp.* 40. *art.* 2. *quæst.* 1. non habere Aureolam, sed solam Auream charitatis.

ILLVD solùm dicam cum D. Bonauent. ibi *quæst.* 3. *ad* 4. Martyrium dici Baptismum sanguinis, quia in Martyrio ponitur vita, quæ in sanguine est vt dicitur *Leuit. cit.* Vel quia ibi in effusione sanguinis completur omne Martyrium ordinariè. Ibi obseruat SS. Martyres ab aliis erutos tormentis, excepto gladio. Rationem assignat, quia cætera tormenta ferè agunt, creaturis operantibus naturaliter, & quia creaturæ Deo obtemperant, congruum fuit, vt ostenderentur reuerentes etiam sanctis fidelibus Dei seruis. Ità Leones, aliæque feræ pedes Sanctorum lambebant. Ignis cedebat, &c. At in pœna gladij operatur libera magis malitia, quam Deum sinere opus suum libere agere decet, etsi aliquando impedita in nonnullis fuerit, vt gladius torperet, sicut in D.Pantaleone.

28 NON tamen necessarius est gladius; vel ignis ad Martyrium, sed sufficiunt ærumnæ, vt notat D. Bonauent. *Serm.*3. *de S. Andrea.* Sic enim SS.Syluerius, Ioannes, & alij occubuere, quibus tamen ideò immutatur vltimum responsorium in officio, & dicitur: *Corona aurea, &c.* Non autem: *Hic est verè Martyr*, non quia non sint Martyres, sed quia sanguinem non fudère. Profectò & qui in carceribus fame sunt consumpti, & qui tabe in cauernis pro Christo, Martyres sunt.

DOCET etiam S. Doctor *in* 4. *dist.* 32. *quæst.* 1. *ad secundum*, vxorem non posse negare marito, vt ad Martyrium, si oportet, pergat.

MVLTA analogicè Martyria in ferendis aduersis, in carnis mortificatione, & virtutum stadio, refert ex Patribus S. Bonauent. *in Pharetra, lib.* 4. *cap* 49. ad conciones. Eadem indicat *in Psal.* 118. in ea verba: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes.*

29 OBSERVAT etiam S. Doctor *ad* 13. *Ioan.* ad ea verba: *Quo ego vado, &c.* Non posse absque Dei superno auxilio præclaro Martyrium sustineri; nam profundere vitam, quam natura aliter diligimus, non est naturæ.

SI dicas, hæreticos Donatistas mortem subjisse propter fidem, cogendo tyrannos ad arma.

RESPONDET S. Doctor, hoc esse mori ex desperatione, & errore præcipite; at Martyr moritur ob finem supernum.

TANDEM obseruat *in* 4.*dist. cit.* & *in serm.primo de S Matthia*, Martyrem ità Martyrio purificari, vt illicò ad cælum euolet, atque ideò iniuriam ei inferat, qui pro eo orat, vt docet D. Augustinus *de verbis Apostoli, Serm.*17. & refertur *extra. de celebr. Missarum, cap.* Cum Matthæ, §. *vltimo.*

S. DOCTOR ad *cap.*3.*Sap.* in ea verba: *Iustorum animæ in manu Dei sunt*, quod de Martyribus canit Ecclesia, quærit, cur Martyres, inter alios Sanctos, præcipuè vocentur iusti.

30 RESPONDET, quia iustus est, qui negligit damnum propter amicum, vt dicitur *Prou.*12. Martyres autem negligunt, ac contemnunt amissionem rerum omnium, & vitæ ob Dei amorem, vt describit Apostolus. *Heb.*11.

IN *Psal.* 115. exponit ethymologiam nominis Martyr Græcè Μαρτυρ TESTIS, & ait; Martyrem testificari Christum, dum pro eo mortem subire, & vitam profundere non dubitat: Secundò testificari carnis resurrectionem; non enim carnem mori daret, nisi eam recipere sperasset: Tertiò testificari veritatem æternæ beatitudinis; non enim mundana adeò sperneret, nisi æterna expectaret.

IN *Psal.*118. in ea verba: *Multi, qui persequuntur me, &c.* notat in festis Sanctissimæ Natiuitatis honorem exhiberi Martyribus triplicis generis. Primò enim est Stephanus, qui voluntate, & opere fuit Martyr. Deinde Ioannes, qui sola voluntate, tertiò Innocentes, qui solum opus habuere.

31 TANDEM ad *Psal.* 33. concludit, Martyrium debere tria habere, scilicet Causam finalem, vt propter Deum patiatur: Causam formalem, vt voluntate sustineatur, nec sit, vt rota carri, quæ fœnum portat, & tamen strider, & obmurmurat: Tertiò perseuerantiam.

DVBITATIO I.

An conferat MARTYRIVM *primam gratiam.*

32 PRIMA opinio est, Martyrium ex priuilegio, & speciali promissione Christi habere vim conferendi primam gratiam, atque adeo ad instar Sacramenti iustificare ex opere operato. Ità Sotus *in* 4. *dist.*4 *quæst.*6. & *dist.* 14. *quæst.* 13. *litt. V.* §. *sed nec debes requiri*, quem sequuntur discipuli, Faber *disp.*11. *de pœnis. cap.*1. Mastrius 4. *disp.* 2. *quæst.*7. *art.* 2. adducens Vegam, Bellarminum, Suarez, Henriquez, Valentiam, Tolerum, Coninchium, Lessium, Amicum, Auersam, Bonacinam, Becanum, Baldium, Turrianum, &c.

EX his aliqui non adeò absolutè loquuntur, vt Tannerus *disp.*4. *quæst.*3. *dubio* 3. *numero* 114.

33 SECVNDA sententia asserit, Martyrium ex opere operato non conferre primam gratiam, atque sine

ea non iuuare. Quare existenti in peccato mortali censet necessariam esse constitutionem. Ità D. Bonauent. 4. *d.* 4. *part.* 2. *quæst.* 2. Alens. 4. *part. quæst.* 8. *m.* 9. *art.* 4. D. Thom. 3. *part. quæst.* 66. *art.* 12. *ad* 2. Palud. *d.* 4. *quæst.* 3. *art.* 2. & alij antiquiores. Quam sententiam tanquam inter veteres communem, ac etiam inter Patres defendit Vasquez *d.* 153. *cap.* 3. & Cano *relec. de pœnit. part.* 3. ac Bassæus. *V. Martyr. num.* 7. adducens etiam Ban. 2. 2. *quæst.* 124. *art.* 5. *d.* 1. Less. *lib.* 3. *cap.* 1. *d.* 4. *num.* 43. Syluium 3. *part. quæst.* 66. *art.* 11. *quæsito* 3.

ASSERO cum hac sententia, Martyrium non habere vim conferendi primam gratiam ex opere operato.

54 PROBATVR primò argumento D. Bonauent. *quæst. cit.* Ad delendam culpam mortiferam ex opere operato, necessaria sunt Sacramenta in re, vel in voto, vt docet Concilium Trid. *sess.* 7. *can.* 4. & *sess.* 6. *cap.* 4. & hoc, quia iustificatio huiusmodi pendet è Christi institutione. Iam verò Baptismum instituit, vt simpliciter necessarium in re, vel in voto: At baptismus sanguinis præcisè, non est Baptismus nec re, nec voto, & ratio voti solùm extenditur, ad summum, ad baptismum Flaminis.

55 RESPONDENT aduersi, etiam de Martyrio haberi promissum, Matth. 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo.* Ioan. 12. *Qui prodiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Marci 8. *Qui perdiderit animam suam propter me, & propter Euangelium, saluam faciet eam.* Quæ verba ex Augustino 13. *de ciuit. cap.* 7. specialem continent promissionem, factam iis, qui vitam pro Christo exponunt. Quod si Baptismus, eò quòd sit figuralis repræsentatio mortis Christi, vt habetur *Rom.* 6. habet eam virtutem; multo magis Martyrium, cùm sit realis conformatio cum Christo moriente. Quo argumento vsi sunt. Clem. *lib.* 5. *Constit. Apost. cap.* 7. Cyprianus *Ep.* 57. Tertullianus in *Apolog.* circa finem, & alij Patres.

ENIM verò hæc omnia ex D. Bonauentura *loc. cit.* discursu corruunt. Nam exactè Christus soli Baptismo aquæ, saltem in voto, cum actu pœnitentiæ, promittit remissionem, vt ostendit S. Doctor *dist.* 4. *part.* 1. *quæst.* 1. *ad* 1. & Concil. Trid. suprà citatum. Quamquam verò præcellentiam quandam accidentalem ad laureolam ostendat scriptura cum Patribus in Martyrio, non tamen ad hoc vllus inueniet sine charitate excellentiam, vt dicam *in responsione ad argumenta.*

QVOD si dicas extendi ad paruulos, dico, eos non esse formaliter actibus propriis à Deo auersos. Et ecce diuersitas grandis, quam neque Mastrius *num.* 182. neque Amicus *disp.* 12. *sect.* 3. agnouerunt. Neque verò Christus existentibus in mortali promittit per Martyrium gloriam; sed simpliciter ponentibus animam, vt notat S. Bonauent. *ad* 12. *Ioan.*

56 PROBATVR secundò à D. Bonauent. in 1. *sent. dist.* 17. *part.* 1. *dub.* 7. ex *prima Cor.* 13. Vbi Apostolus enumerans opera heroica, quæcunque sine charitate, tandem Martyrium recenset: *Et si tradidero corpus meum, ità vt ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Statim verò sibi opponit, esse actum heroicæ charitatis mori pro alio, iuxta id Ioan. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*

RESPONDET Mastrius primò, requiri charitatem consequenter, sicuti exigitur ad fidem.

CONTRA, quia exigit hic, vt opus sit meritorium: Ergo debet esse iam vestitum charitate.

57 RESPONDET secundò, id posse intelligi etiam de aliis operibus extra Martyrium, vt si quis se excrucieт ob gloriam inanem, vel alia opera faciat.

CONTRA, quia Apostolus sensu litterali per gradationem ascendit ad opus heroicum Martyrij. Sic exponit D. Bernardus *serm.* 27. *in Cant.* apud D. Bonauent. *lib.* 2. *Pharetræ, cap.* 25. Idem D. Bernardus *epist.* 77. significat, Martyrium non supplere vicem Baptismi, nisi ex merito suscipientis.

OBSERVAT autem S. Doctor *dubio* 7. *citato*, per Martyrium remitti peccata, id est, ad gratiam disponi. Ideò concludit: Credo tamen, quod si aliquis pro Christo sustineret mortem, qui non magnum haberet obicem, quod disponeret se ad gratiæ susceptionem, ità quod daretur sibi charitas.

IN hunc sensum *lib.* 4. *Pharetræ, cap.* 49. affert 58
D. Augustinum *lib.* 20. *de ciuit. cap.* 13. & Prosperum in l. sent. 149. sententia: *Qui non percepto regenerationis lauacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad abluenda peccata, quantum si abluerentur fonte sacro Baptismatis.*

OBSERVAT etiam *dub. citato* cum D. Augustino 13. *de Ciuitate, cap.* 7. Martyrium esse actum amoris heroici, iuxta id Ioan. 15. *Maiorem charitatem nemo habet*, atque ideò non aggredi quenquam opus Mar- 59
tyrij, qui auxilio grandi charitatis non sit præuentus, atque adeò non disponatur ad charitatem, si sincerè aggreditur; ait enim S. Augustinus: *Quando sine abundantia gratiæ, & spiritus, tantum Christum amare possit homo, vt eum in tanto vitæ discrimine sub tanta spe veniæ negare non possit.*

RVRSVS *quæst. citata* affert S. Doctor congruentiam, ob quam Martyrium patiens ex actualis gratiæ abundantia, disponitur magis ad perfectam habitualem charitatem, quam suscipiens Baptismum, nempe, quia hic figuraliter Christo assimilatur mortuo pro nobis; ille verò realiter.

HANC rationem afferent D. Thom. *quæst.* 66. 60
art. 11. & *quæst.* 87. *art.* 1. *ad* 2. & alij Scholastici cum D. Bonauent. & sumitur è D. Clemente P. *lib.* 1. *Constit. Apostolic. cap.* 7. vbi ait: *Qui Martyrium consequi meruit, gaudeat in Domino, quod tantam coronam est adeptus, & quamuis fuerit Catechumenus, lætus discedat; passio enim, quam pro Christo sustinet, cedet ei in veriorem baptismum, quoniam ipse re ipsa commoritur Christo; alij in figura.*

ALIAM propositionem habet S. Doctor *quæst. cit.* 61
quæ sumitur ex D. Augustino, seu Gennadio *de Eccl. dogmatib. cap.* 74. vbi ait: *Omnia peccata in Baptismo dimitti; in Martyrio autem extingui.* Quo modo loquitur etiam Ambrosius *lib.* 1. *de pœnit. cap.* 2. vbi vult dicere, in Martyrio peccata extingui, quia iustificatione diluuntur, & mortte aufertur potentia peccandi. Hoc verò nostram assertionem non infirmat.

SIMILITER ait, Martyrium esse Baptismum, & coronam, quia ad eam citò transfert, quod est effatum S. Cypriani *de singularitate cleric. cap.* 20. quod non negat S. Doctor, sed *in corpore* confirmat.

ALIA his similia habent SS. PP. qui inter baptismata Martyrium enumerant, vt Nazianzenus *orat.* 39. Ambrosius *Serm.* 3. *in Psal.* 118. Tertullianus *lib. de lapsis. cap.* 16.

MAGIS videntur pugnare, quia tractantes de 62
Baptismo aquæ, excipiunt Martyrium, Cyrillus Hierosol. Cathec. 3. *Si quis non baptizatur, salutem non habet, præter solos Martyres:* & Fulgentius, de fide ad Petrum, cap. 3. *Absque Sacramento Baptismatis, præter eos, qui in Ecclesia Catholica sine Baptismate pro Christo sanguinem fundunt, nec regnum cælorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam.* Eandem exceptionem facit Bernardus *epist.* 77. Hi tamen id non intelligunt

intelligunt de eo, qui est in peccato mortali actuali, sed de existente in originali, & habente votum eius; si enim est in mortali, actum constitutionis exigunt.

43 MULTA alia loca afferunt aduersarij ex Innocentio III. *in cap.* Cum Marthæ, Augustino *Serm.* 5. *de Martyribus*, & *Serm.* 27. *de verbis Apostoli*, *Tract.* 84. *in Ioan.* Tertulliano *in Apol.* in fine, & *in Scorpiaco*, *cap.* 6. Cypriano *lib. de laudibus Mart.* Clem. Alex. *lib.* 4. *strom.* Cypr. *epist.* 52. dicentibus Martyri remitti peccata omnia, & in cælum statim euolare. Hæc omnia de venialibus intelliguntur, vt notat S. Doctor *in corpore.*

OPPONVNT etiam illud Ioannis: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*

44 RESPONDET S. Doctor *dubio cit.* ibi exponi huius textus sensum, dum dicitur: *pro inimicis.*

Quare, vt optimè Vasquez vrget, hæc Martyrij efficacia dependet ex Diuina voluntate: at neque ex scriptura, neque ex definitione Ecclesiæ, neque ex alia reuelatione hæc virtus habetur, sed dum Martyr dicitur, supponitur ex dilectione superna iustificatus contritione, si lethaliter fit maculatus; & voto Baptismi, si adhuc non est baptizatus: Hæc enim sunt ex claris Ecclesiæ definitionibus media necessaria: Adultus enim tenetur habere votum Baptismi, si non potest rebaptizari, vt definit Concilium Trid. suprà *citato loco*; & si illud non habet, non est Martyr, cùm non sit dispositus; caret enim voluntate assumendi media salutis necessaria. Similiter pœnitentia perfecta cum voto Sacramenti Pœnitentiæ ob peccata mortalia est necessarium medium, vt definit idem Concilium Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. Itaque non contritus, mortem ita voluntariè subiens, peribit, vt concedunt multi etiam ex aduersis; neque enim per Martyrium ab obseruantia legis eximitur, vt infert Scotus *d.* 4. *quæst.* 1. *litt. V.* infert, si non recordetur, supplere Martyrium, quam doctrinam sequitur Mastrius *disp.* 2. *quæst.* 7. *num.* 188.

45 ARGVO enim ad hominem ex eodem Mastrio *disp.* 1. *quæst.* 10. *num.* 360. & *in* 3. *disp.* 6. *quæst.* 15. Necessitatum necessitate medij ad salutem, ita necessarium est, vt sine eo salus obtineri non possit, nec excusat ignorantia, vel obliuio: Sed Baptismus omnibus, & Pœnitentia adultis peccatoribus est necessaria necessitate medij, vt ipse mox asserit *num.* 365. cum Scoto pluribus in locis: Ergo.

RESPONDENT aduersarij, Martyrium habere priuilegium, vt sufficiat pro originali, & cum sola attritione pro mortalibus.

HOC tamen priuilegium nullibi inuenitur, detrahens illi Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,*

46 *& Spiritu sancto*, &c. Neque illi: *Nisi pœnitentiam egeritis*, &c. Quod de dolore contritionis explicat Concilium Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. vbi definit, eum dolorem extra Sacramentum esse necessarium, qui semper fuit necessarius ad salutem; hæc autem est contritio, vt declarat Concilium, & illud allegat Mastrius *num.* 198.

HINC iam soluta est quæstio, quæ dispositio exigatur in Martyre, existente in actuali peccato mortali.

ALIQVI enim dixêre sufficere attritionem; hæc enim etiam in Baptismo aquæ est necessaria; attamen addunt aliqui, ex inaduertentia morte inuaso, sufficere voluntatem moriendi pro Christo. Ità Scotus

47 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. Faber *disp.* 11. *de Pœnit. cap.* 2. Aretinus 4. *dist.* 14. *quæst* 3. *art.* 4. Hiquæus *ibidem*, & alij Scotistæ, quibus subscribit Mastrius *disp.* 2. *quæst.* 7. *num.* 195. adducens etiam Suarez, Coninchium, Amicum, Auersam, Bonacinam, Becanum, Tortianum, & alios apud hos. Idem sentit Caspensis *Tract.* 17. *disp.* 4. *sect.* 3. *num.* 30. cum Sanchez *Tom.* 1. *Decal. lib.* 2. *cap.* 35. quia in hoc, ait, clauditur amor Dei super omnia implicitè. Sic Suar. *disp.* 29. *sect.* 3. Henriquez *cap.* 34. Coninch. *quæst.* 6. *dub.* 2. Bonac. *de Sacram. disp.* 2. *quæst.* 1. *puncto* 1.

48 SECVNDA sententia exigit contritionem: Ità Authores initio quæstionis pro prima sententia allati. Estque D. Thom. *quæst.* 66. *art.* 12. *ad* 2. vbi ad hoc exponit locum Apostoli, prima Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Vnde infert, Baptismum sanguinis includere Baptismum flaminis.

ASSERO igitur secundo, necessariam esse contritionem.

49 PROBATVR efficacissimè ratione, suprà allata, quia Pœnitentia ex contritione cum Sacramento in voto, quando illud nequit haberi, est necessaria necessitate medij; & sicuti, si Martyr superuiueret, teneretur Baptismo aquæ, si non est baptizatus, & confessioni, si actualiter est mortuus peccato, ita exigitur, vt nunc conteratur: Et hoc, per se loquendo, necessarium asserit Suarez, quia contritio cum voto Sacramenti (ait) est ex Decreto Concilij Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. necessaria, vbi non potest haberi Sacramentum.

NEQVE rectè infert in *secundo dicto*, sufficere posse ex ignorantia attritionem.

50 ARGVO autem contra eum ad Hominem: Necessitas medij à necessitate præcepti differt, quia ea non admittit ignorantiam, vt omnes fatentur; sed per te hîc, Pœnitentia perfecta est necessitate medij necessaria: Ergo. Quare non rectè Mastrius ait, nos hoc argumento petere principium; Arguimus enim ex vniuersali Ecclesiæ fundamento: Quare in morte saltem, certiorem debemus amplecti sententiam, & non pugnare in incertum, vt solidè cum D. Bonauentura ait Bassæus.

DVBITATIO II.

An Baptismus infantium possit martyrio suppleri.

51 SENTENTIA negatiua adscribitur Alensi 4. *part. quæst.* 12. *memb.* 5. *art.* 1. Adriano *in* 4. *quæst vlt. de Baptismo*, Armacano *lib.* 8. *de qq. Armen. cap.* 37. D. Bonauenturæ *in* 4. *dist.* 4. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. vbi tamen id non docuit, nec in eius scriptis hæc sententia reperiri potest, vt testantur Suarez *disp.* 29. *sect.* 1. Vasquez *disp.* 153, *cap.* 7. Mastrius *disp.* 1. *quæst.* 7. *art.* 4. & alij recentes apud illum.

52 SECVNDA sententia assertiua est D. Thom. 2. 2. *quæst.* 114. *art.* 1. *ad* 1. & *quodl.* 6. *art.* 4. Rich *in* 4. *dist.* 4. *art.* 2. *quæst.* 3. Scotus *dist.* 4. *quæst.* 5. quem communiter imitantur alij apud Mastrium *loc. cit.* Soto *disp.* 3. *art.* 11. Suarez, & Vasquez suprà. Hæc est sententia D. Bonauent. *dist.* 4. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. vbi limitat sententiam Alensis, dicentis, Baptismum aquæ pluribus prodesse, quàm sanguinis. Vnde nihil in hoc distinguit, inter paruulos, & adultos, vt notat Suarez.

CLARIVS *ea quarta distinctionis parte, dub.* 4. *tit.* vbi SS. Innocentes esse ex priuilegio Martyres fatetur,

53 ET *dubio* 4. asserit, infantem, qui, dum portatur ad Baptismum, occiditur, ne baptizetur, & moritur

pro

pro Baptismo, rectè in sanguine suo piè credi baptizatum: Quid clarius?

INNOCENTAS sanè, vt Martyres, veneratur Ecclesiæ, & Sancti Patres fatentur, Augustinus *lib.* 3. *de lib. arb. cap.* 23. & *lib.* 2. *de Symbolo ad Catech. cap.* 5. & *lib.* 3. *cap.* 4. Cyprianus *serm. de Stella, & Magis.* Leo Pap. *serm. de Epiph. primo, & secundo.* Origenes *homil.* 3. *in varia Euang. loca.* Ecclesia verò eos in oratione, vt Martyres, exorat.

54 ADDIT S. Bonau. *dub.* 1. defecisse eis voluntatis libertatem, ideò non ità perfectum Martyrium fuisse, sicuti in sanctis adultis; ad perfectionem enim requiritur charitas mouens voluntatem, vt dicitur *Ioan.* 13. Quare dum Mastrius infert: Si esset necessaria contritio, sequeretur in paruulis imperfectum esse, iuxta Patres, Martyrium, quod ipsi libenter conceditur: Imò retorqueo: Si est æqualis ratio: Ergo nulla voluntatis dispositio exigitur in adultis.

QVÆSTIO IV.

De præceptis Fortitudinis.

{ D.Thom quæst.123. & seq.

55 AFFIRMATIVA quidem præcepta fortitudinis in particulari non habemus; Tametsi præcepta Patientiæ, & Perseuerantiæ adnexarum fortitudini habeamus, vt ait D.Thom. *quæst.* 140. *art.* 2. *ad* 3. Tannerus *disp.* 3. *quæst.* 2. *dub.* 3.

HABVERE aliqui in aliquo genere, puta in bellis, præcepta non cedendi *Deuter.* 20. & *Iosue* 1. & *prima Ioan.* 3. ponendi animam pro fratribus. Nec dubium, quin ipsi actus fortitudinis sub præcepto cadant, vt dixi *Tract. de Charitate*, agendo de ordine ipsius.

56 QVOAD præcepta negatiua, prohibetur inordinatus timor, fortitudini oppositus, *Deut.* 20. & Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.*

QVÆSTIO V.

De Vitiis FORTITVDINI *oppositis.*

{ D Thom quæst. 126. art. 1.

TRIA vitia fortitudini opposita numerantur, Timiditas, Intimiditas, & Audacia.

57 QVOAD Timorem, tunc est inordinatus, quando appetitus absolutè refugit ea, quæ ratio dictat esse sustinenda. Ità S.Thomas.

HIC damnatur timor, qui est inordinatus circa pericula mortis, dum ex hoc relinquit fidem, vel ea, quæ fortitudo præcipit prosequenda. De his dicitur Apocal. 21. *Timidis autem, &c. pars illorum erit in stagno, &c.*

58 INTIMIDITAS est vitium, quo non timentur timenda. Sic de Celtis ait Aristoteles 3. Eth. cap. 7. *Nil eos timere propter stultitiam*, Ibi hanc fortitudini opponit.

EXCEDIT autem, & ad extremum declinat. De his Prou. 14. *Sapiens timet, & declinat à malo: Stultus transilit, & confidit.*

AVDACIA est excessus in periculis subeundis, & inuadendis, vt ait D. Thom. *quæst.* 127. *art.* 1. iuxta Aristotelem 2. *Ethic. capite* 7. *& lib.* 3. *cap.* 7.

DIFFERT ab intimiditate, hæc enim non æstimat pericula, quasi verò respectu operantis nulla sint, aut mala non sint: Audacia verò, seu temeritas, ob nimiam præfidentiam, temerè aggreditur pericula. 59

HABETVR dicitur vitium in alio extremo oppositum, nempe, Ignauiam, vt colligitur ex Aristotele *loc. cit.* cùm scilicet non audet, quod debet, & cum debet.

COMMVNITER tamen hæc peccata non censentur distincta à peccatis, quæ ex eisdem consequuntur, siue ad quæ ordinantur. 60



DISPVTATIO II.

De Virtutibus, FORTITVDINI *Adiunctis*.



NON habet quidem Fortitudo partes subiectiuas, de quibus veluti genus prædicetur; non enim diuiditur in multas virtutes, specie distinctas; est enim vna virtus specialis circa obiectum specificum; habet tamen partes integrales secundùm ea, quæ necesse est ad actum fortitudinis concurrere; habet etiam potentiales, quatenus ea, quæ fortitudo obseruat circa difficillima, nempè, circa pericula mortis; aliquæ aliæ virtutes obseruant circa alia quædam minus ardua, & hæ fortitudini adiunguntur.

PARTES autem integrales Fortitudinis sunt quatuor, Magnanimitas, seu fiducia, ac spes certa indita virtute superandi pericula mortis. Magnificentia, quatenus significat constantem executionem eorum, quæ præuia fiducia animo destinauit. Patientia, qua animus difficultate imminentium mortis periculorum per tristitiam non frangatur. Perseuerantia, significans animum inter pericula mortis immobilem, ac in bono vsque ad finem durabilem. Ità S. Thom. *loc. cit.* ex Tullio *lib.* 2. *de Inuent.*

QVÆSTIO I.

De MAGNANIMITATE.

MAGNANIMITAS, vt est virtus fortitudini adiuncta, pro materia habet honores, & inhonorationes. Ità D. Thom. *art.* 1. ex Aristotele 4. *Eth. cap.* 3. Est enim Magnanimus, qui habet animum ad aliquid magnum, seu qui habet animum rectè affectum circa ea, quæ inter res exteriores absolutè, & simpliciter sunt maxima, vti est honor, tum quia honor est propinquissimus virtuti, tanquam testimonium eius; tum quia Deo, & optimis quibusque 1

que

que exhibetur, tum quia honori consequendo, & vituperio vetando homines omnia alia postponunt: ergo qui circa honores rectè affectus est, dicitur Magnanimus.

2 Id voluit S.Doctor *in Opusc.declarator.terminorum Theol.* dum Magnanimitatem definit: *Est difficilium spontanea, & rationabilis aggressio.*

Et *serm.5. Hexaëmer.* vbi ait, Magnanimitatem esse, quæ appretiat magna, & despicit vilia. Corrigit autem id, quod ait Aristoteles lib 4. moral. Nicom. cap. 3. *Magnanimus est in appetitu honoris*, & explicat, esse in veris honoribus æternorum, non in laudibus mundanis. Itaque magnanimus ad ea, quæ honore sunt verè digna, tendit, vt ait D. Thom. *loco cit.* & Tannerus *disp.3.quæst.2.num.56.* neque magnanimitas vera opponitur humilitati, cum sub diuersis rationibus illa honores velit, hæc recuset, vt docet D. Bonauent. *loco cit.* & D. Thom. *ad 4.* nam magnanimitas æstimat dignum magnis considerata Dei donis: Humilitas verò, vt se parui pendat; considerata sua vilitate.

ASSERO primò, Magnanimitatem esse virtutem.

3 PROBATVR quia ad virtutem pertinet, vt in rebus humanis bonum rationis seruetur; inter cæteras autem res humanas exteriores præcipuum locum tenent honores: Ergo magnanimitas, quæ modum rationis ponit circa magnos honores, est virtus.

HOC etiam confirmant affectiones, seu dispositiones corporis, quas Aristoteles 4. *Eth. cap.3.* Magnanimo tribuit, valdè consentaneas honestæ mentis dispositioni, cum ait: *Motus lentus magnanimi videtur, & vox grauis, & locutio stabilis.* Velocitas enim motus (ait S.Thom. *ad 3.*) prouenit ex eo, quod homo ad multa intendit, quæ explere festinat; sed magnanimus solùm ad magna intendit, quæ pauca sunt: quæ etiam egent magna attentione, & ideò habet motum tardum.

4 SIMILITER etiam acuitas vocis, & velocitas præcipuè competit his, qui de quibuslibet contendere volunt, quod non pertinet ad magnanimos, qui non intromittunt se, nisi de magnis. Hæc notat Tannerus *num.58.* ex D.Bonauent. *in Compend.Theol. verit. lib.2. cap.58.* vbi etiam alia magnanimi indicia affert, vt frontem quadratam, & moderatæ magnitudinis, longos passus, &c.

5 ASSERO secundò, Magnanimitatem esse specialem virtutem. Ità D. Thom. *quæst.129. art. 4.* ex Aristotele 2. *Eth. cap.7.* Ratio est, quia modum constituit circa determinatam materiam, scilicet circa honores, vt dixi. Quia tamen honor est cuiuslibet virtutis præmium, ideò magnanimitas consequenter, ratione suæ materiæ, respicit omnes virtutes.

ASSERO tertiò, Magnanimitas est pars quædam potentialis Fortitudinis. Ità D. Thom. *art. 5.* & D.Bonauent. suprà. Conuenit cum fortitudine, confirmando animum in arduis; sed deficit ab ea, quia firmat in eo, circa quod facilius est firmitatem seruare.

6 AD Magnanimitatem confert Fiducia, & securitas ad Fortitudinem, ex consequenti verò securitas ad magnanimitatem, & fiducia ad fortitudinem pertinet. Ità S.Thom. ibidem *art.6. & 7.*

Est autem fiducia certa spes animi perducendi ad finem rem inchoatam. Securitas est habitus quo imminentia incommoda non formidantur, vt docet S. Bonauent. *in opusc. declarat. terminorum Theologiæ.*

Etiam bona fortunæ ad magnanimitatem conferunt. Ità S.Thom. *art.8.*

QVÆSTIO II.

De Vitiis MAGNANIMITATI *oppositis.*

{ D.Thom. quæst.130. & seq.

QVATVOR sunt hæc, è quibus tria opponuntur per excessum, Præsumptio, Ambitio, & Inanis gloria: Quartum per defectum, scilicet Pusillanimitas. 7

PRÆSVMPTIO est vitium, quo quis attentat ea, quæ vires, & facultatem suam excedunt. Ità S.Thom. *art.1. & 2.* iuxta Aristotelem 2. *Eth. cap.7. & lib.4. cap.3.* Magnanimus enim non tendit in maiora, quam sibi conueniunt, nec transcendit proportionem suæ facultatis, sicut etiam naturaliter quælibet actio commensuratur virtuti agenti. Id ipsum docet S.Bonauent. *in speculo animæ, cap.1.*

QVIA tamen, quæ per alios possumus, quodammodo per nos possumus ex Aristotele 3. *Eth. cap.3.* ideò non est præsumptio attentare opus virtutis cum Diuino auxilio, quod nemini denegatur. Erit verò præsumptio si à se, vel pro suis meritis, vel falsò, vel plus aliis attentet, vt docet D. Bonauent. *loco citato.* 8

AMBITIO est vitium, quo quis inordinatè honorem desiderat. Ità D. Thom. *quæst. 130. art.1. & 2.* D.Bonauent. *in speculo animæ, cap.4.* Hoc autem tripliciter euenit, vel ambiens honorem, quem non meretur, vel quem non in Deum, vel in aliorum vtilitatem, sed in proprium refert commodum. Ita S.Thom. *quæst. 131. art. 1. & 2.* D. Bonauent. *in Pharetra 3. part. cap. 24.* multis Patrum authoritatibus id probans.

VBI notat S.Doctor *serm.5. Hexaëmer.* honorem non esse bonum per se appetibile.

INANIS gloria est vitium, quo vana quæritur gloria, vel de eo, quod non est, vel de eo, quod non est gloriâ dignum; vel de eo, quod iudicio hominum tantum laudatur, gloriam expetendo, vel ipsam gloriam ad finem indebitum referendo. Ità D. Thom. *quæst.132. art.1. & 2.* D.Bonauent. *in speculo animæ, cap.2. & 4.* Sic opponitur magnanimitati appetens gloriam, quæ est effectus quidam honoris indebitè. Vide etiam D. Bonauent. *p. p. Centil. sect.18.* & *in explicatione terminorum Theol.* 9

PORTAT autem esse mortale, si de illicitis glorietur, vel ad se, vt finem vltimum, gloriam referat.

INANIS gloria est vitium capitale, cuius filiæ sunt Inobedientia, Iactantia, Hypocrisis, Incontinentia, seu Contentio, Pertinacia, Discordia, & Præsumptio nouitatum. Ità S. Bonauent. *in speculo, loco cit.* & *p. p. Centil. sect.18.* D. Thom. *quæst.132. art.4. & 5.* ex D.Gregorio 31. *moral. cap.35.* 10

INOBEDIENTIA est voluntas fugiens minoritatem, nolens subiici superioribus.

IACTANTIA est voluntas, propter apparentem potestatem propriam se ostentans.

HYPOCRISIS est voluntas per speciem sanctitatis se simulans fallaciter in aperto, & viliter agens in occulto, siue intentione, siue opere.

INCONTINENTIA est voluntas per conformationem sui, ab his, qui mali sunt, laudari appetens.

PERTINACIA est voluntas fugiens minorationem probitatis, dicta, vel facta sua irreuocabiliter defendens.

DISCORDIA

DISCORDIA est voluntas fugiens minorationem sapientiæ ab his, quæ ab aliis dicuntur, dissentiens.

NOVITATVM præsumptio est voluntas excedens qualitatem sui ordinis, propter apparentem nouitatem scientiæ, vel sapientiæ ostentari cupiens.

11 AT D. Isidorus *lib. in Deuter. cap.* 16. distinguens inter superbiam, & inanem gloriam, ait, de superbia oriri Contemptum, Inuidiam, Inobedientiam, Blasphemiam, Murmurationem, Detractionem, & alia. Ex Inani verò gloria, ait oriri Contentiones, Hæreses, Iactantiam, & Præsumptionem nouitatum. Hæc S. Doctor *p. p. Centil. sect.* 18.

NEC autem mirum, hæc ex Inani gloria, vt mala arbusta, nasci, nam appetitus gloriæ est vehemens, & ex parte materiæ vniuersalis, vt notat etiam Tanner. *d.* 3. *quæst.* 2. *dub.* 3. *num.* 73.

12 PVSILLANIMITAS est vitium Magnanimitati oppositum per defectum, quo magna refugit, etiam quæ suis viribus sunt proportionata; sic ille seruus, qui ob id talentum abscondit, punitus est *Matth.* 25. *Luca* 19. Ità D. Thom. *quæst.* 133. *art.* 1. & 2. Sic inter vitia ponitur ab Aristotele 4. *Eth. cap.* 3. & D. Gregorio *p. p. Pastor. cap.* 5. est autem in altero extremo præsumptionis, vt docet D. Bonauent. *in speculo animæ, cap.* 3. Hoc autem vitium Acediæ filium nominat.

ADDIT S. Doctor habere rationem mortalis, cùm pusillanimitate omittuntur necessaria ad salutem; si quis detrimentum fidei, vel damnum proximi spirituale, vel etiam temporale ex pusillanimitate defensionis, prædicationis, vel correctionis dissimularet, vt ait S. Gregorius *in Past. part.* 1. *cap* 5.

13 EX hoc ramo oriuntur Timor seruilis, humanus, & mundanus. Timor seruilis est, cùm quis dimittit malum ob merum pœnæ timorem. Timor humanus est, cùm parcens carni, spiritualia bona refugit, quæ carni aduersantur. Timor mundanus, cùm timore mundi, scilicet personæ alicuius, omittit bonum.

14 PRIMVS timor semper est mortalis; at secundus, & tertius, tantùm mortales sunt, cum propter ea omittuntur saluti necessaria. Hæc omnia vide *in speculo animæ, loc. cit.*

QVÆSTIO III.

De MAGNIFICENTIA.

{ D. Thom quæst. 134. & 135.

15 MAGNIFICENTIA definitur à D. Bonauent. in explicat. terminorum Theol. *Est magnarum rerum, & excelsarum cum animi ampla quadam, & splendidissima propositione, cogitatio, atque administratio.* Idem habet *de septem donis. De Dono fortitudinis, cap.* 3. & *lib.* 5. *Comp. Theol. cap.* 36. Quæ definitio est Tullij *lib.* 2. *de Inuentione.*

16 ASSERO primò, hanc esse virtutem. Probatur quia operatur magna in materia propria, seruata debita proportione ad eum, qui operatur, vel facit sumptus. Itaque requiritur in his recta cogitatio, seu intentio; & administratio in exteriori executione, vt dicebat Tullius. Differt à magnanimitate, nam hæc in magnis honoribus; illa in magnis sumptibus versatur, & quia nullus finis humanorum operum est adeo magnus, vt bona Dei, ideò magnificentia præcipuè magnis in sumptibus ad Dei honorem versatur, vt Aristotele 4. *Eth. cap.* 5. dixerit: *Honorabiles sumptus sunt maximi, qui pertinent ad diuina sacrificia.*

ASSERO secundò, eam esse partem potentialem Fortitudinis. Ità S. Bonau. *locis adductis.* & D. Thom. *quæst.* 134. *art.* 4.

PROBATVR, quia duo exiguntur, vt aliqua sit 17 pars potentialis alicuius virtutis. Primum est, vt illa cum hac, tanquam principali, conuenientiam habeat, & affinitatem: secundum est, vt ab ea excedatur: Magnificentia autem conuenit cum Fortitudine, quod vtraque tendit in aliquid arduum, & vtraque est in Irascibili, nimirum quia magnificentia moderatur spem in ordine ad opus magnificum; sed deficit à fortitudine, quia illud arduum, in quod tendit fortitu- 18 do, habet difficultatem ob periculum, personæ imminens; arduum autem, in quod tendit magnificentia, habet difficultatem ob dispendium rerum, quod est multò minus, quàm periculum personæ.

QVÆSTIO IV.

De Vitiis MAGNIFICENTIÆ *oppositis.*

VNVM vitium nominat S. Bonauent. *locis adductis*, quod dicitur *Paruificentia* declinans ad 19 defectum; alter verò ad excessum exurgens, adhuc apud Latinos innominatum, vt docet etiam D. Thom. *quæst.* 135. *art.* 1. & 2. ex Aristotele 2. *Eth. cap.* 7. & *lib.* 4. *cap.* 2.

CVM enim magnificentia magnis in operibus, & sumptibus verseтur, debet medium tenere, respiciens facultatem expendentis, & dignitatem operis. Quod si minus insumat, quàm dignitas operis requirat, dicitur *Paruificentia*: Si verò excedat, dicitur *Banausia* à furno, qui omnia consumit, & potest dici *Consumptio*, vt ait D. Thom. *art.* 2.

ADVERTE, sermonem hic esse de Magnificen- 20 tia, prout est virtus circa passiones; non alia diuersa ratione etiam est virtus ad alterum circa operationes.

QVÆSTIO V.

De PATIENTIA.

{ D. Thom. quæst 136.

DEFINITVR Patientia à D. Bonauent. 3. part. 21 Centil. sect. 43. *Est virtus contumeliarum, & omnis aduersitatis æquanimiter mala portans.* Vel: *Patientia est æquanimis malorum illatorum tolerantia*, vel ex D. Gregorio homil. 35. in Euang. *Vera patientia est aliena mala æquanimiter perpeti, & contra eum, qui mala irrogat, nullo animi dolore moueri.* Vel: *Patientia est omnium molestiarum, aliunde illatarum, victoriosa perpessio.*

IN explicatorio terminorum Theol. sic eam definit: *Patientia est æquanimis malorum tolerantia.*

OPVSCVLO de septem donis, de dono forti- 22 tudinis, cap. 3. habetur: *Patientia est causâ honestatis, & vtilitatis, arduarum rerum voluntaria, & diuturna perpessio.* sic & in compend. Theologiæ veritatis, c. 36. & opusc. de profectu religiosi *lib.* 2. *c.* 34. ex D. August. de patientia, cap. 2. *Patientia est, qua mala æquo animo toleramus, hoc est, sine perturbatione iustitiæ.*

HINC

Hinc constat, eam esse vitutem specialem.

Probatvr, quia virtutis moralis ratio est conseruare rectitudinem, & bonum rationis contra impetum passionum: at Patientia sic moderatur passiones Irascibilis, & Concupiscibilis contra tristitiam, ne ratio succumbat in aduersis.

23 Probatvr verò à D. Bonauent. *ad 21. Lucæ* illis verbis: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*, & Prouerb. 16. *Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium*, & cap. 15. *Qui patiens est, multa gubernatur sapientia*, & cap. 19. *Doctrina viri per patientiam dignoscitur*, Iacob 1, *Patientia perfectum opus habet*, Heb. 10. *Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* Similia habet *de septem donis, de dono fortitudinis, cap. 3.*

24 Idem probat ibi ex D. Gregorio *homil. 36. in Euang.* & *homil. 20. in Ezech.*

In cap. 8 Lucæ, id probat illis verbis: *Audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia*, & ex loco citato Iacobi *Heb.* 10.

Observat autem *sermone 2. de pluribus Martyribus*, ad obiectum patientiæ formale requiri, vt sit aduersitas tolerata ex motiuo honestatis, & voluntas recta; posse tamen ex necessitate fieri virtutem, sicut propter eam Manasses in captiuitate salutem assecutus est.

25 Et serm. 3. de sanctis Apostolis obseruat ex D. Bernardo *serm. 2. de Conuers. S. Pauli*, triplex genus patientiæ, seu tres gradus huius virtutis. Primus est tolerare absque murmure. Secundus tolerare libenter. Tertius gaudenter ire ad pœnas, vt Act. 5. *Ibant Apostoli gaudentes, &c.*

Assero secundò, Patientiam esse partem quasi potentialem Fortitudinis. Ita D. Bonauent. *locis adductis* & D. Thom. *quæst. 136. art. 4.*

26 Probatvr, quia circa difficilia versatur cum fortitudine; sed deficit ab hac, quia versatur etiam circa difficilia minoris momenti, quàm sit mors.

Nota, similem eam esse longanimitati, quia vtraque sustinet malum ob aliquod bonum; differt tamen, quia longanimitas versatur in tendentia ad aliquid in longinquum distans, atque adeò magis respicit spem, quàm tristitiam, quia verò longanimis non frangitur longa spe expectationis, vt ait S. Doctor *de profect. Relig. lib. 2. cap. 35* patientiam imitatur.

27 Assero tertiò: Patientia esse non solùm Theologicis, sed etiam quatuor Cardinalibus inferiorem; Et quo ad Theologicas, constat; quia habent obiectum nobilius, Deum. Quoad Cardinales, patet ex dictis initio *disput. 1.* Ea verò à Fortitudine superari potest, nam illa fertur in pericula mortis vehementiora, atque adeo debet esse validior ad rationem regulandam, sic & melior Temperantia dignoscitur, quæ vehementiam concupiscibilium tactu moderatur.

Dicitvr tamen perfectum opus operari in suo genere. Dicitur etiam radix omnium virtutum à D. Gregorio *homil. 35. in Euang.* apud D. Bonauent. suprà, quatenus remouet prohibens vnum, quod est tristitia, vt notat Tannerus *disp. 5. num. 86.* & D. Bonauent. *in 4. dist. 22. art. 3. quæst. 1.* Vnde Apostolus Heb. 12. *Per Patientiam curramus, &c.* vt habet S. Bonauent. *in Dieta, loco citando.*

28 Assero quartò. Patientia perfecta est donum Dei. Ità D. Bonauent. *locis* ferè omnibus *adductis*, maximè *de septem donis*, & *in Dieta, tit. 7. cap. vlt.*

Probatvr à S. Bonauent. quia vt ait Apostolus *Heb.* 12. Illud, quod ducit ad vitam æternam, est super naturam, & donum Dei: Talis est patientia, vt retuli: Ergo. Maior probatur; nam media debent esse ad finem proportionata, vt sæpè ait S. Doctor; at gloria est supernaturalis.

Probationem, seu lapidem Lydium ad probandam veram patientiam legito in D. Bonauent. *de profectu Religiosi, lib. 2. cap. 35.* meritum, & præmium Patientiæ habes *cap. 36.* Gradus, & profectum Patientiæ *cap. 37.* 29

Præclaros Patientiæ Panegyricos habes è Patribus in D. Bonauent. *lib. 2. Pharetra, cap. 33.*

QVÆSTIO VI.

De Vitiis, Patientiæ *oppositis*.

{ D. Thom. quæst. 137 & 138.

Patientiæ per defectum opponitur Impatientia, qua quis frustra aduersis reluctatur, vel immoderatè de eisdem tristatur. Magnitudo verò peccati impatientiæ æstimanda est ex effectibus, qui ex ea oriuntur, à quibus ipsum impatientiæ peccatum non videtur distingui. Vocat autem S. Doctor hoc vitium *Iram*. 30

Vitium tamen per defectum oppositum patientiæ, communiter nullum assignatur, quia quo leuiùs aduersa feruntur, eò maioris id laudis habetur.

QVÆSTIO VII.

De Perseverantia.

Perseverantia definitur à D. Bonauent. 3. *part. Compil. sect. 43.* ex Tullio, lib. 2. de Inuent. *est ratione benè considerata, stabilis, & perfecta permansio.* Magistraliter verò sic eam definiri ait: *Perseuerantia est permanentia in bono diuturna, seu finalis.* Sic eam definit etiam opusculo *Declaratorio terminorum Theologiæ.* Easdem definitiones refricat *Opusc. de septem donis; de Dono fortitudinis, cap. 3.* 31

In compend. Theol. verit. lib. 5. cap. 36. sic eam definit: *Est virtus in ratione benè considerata stabilis, & perpetua permansio.* Sic ferè definitur à D. Thom. *quæst. 137. art. 1.* & Tannero *disp. 3. quæst. 2. dub. 5.*

Assero, hanc esse specialem virtutem. 32

Probatvr ab illo, ratione D. Bonauent. *de perfectione vitæ ad sorores, cap. 8.* & *de septem donis, loc. cit.*

Illa est virtus, quæ ad bonum necessarium promouet, aliquam specialem difficultatem remouendo: Perseuerantia remouet difficultatem resultantem ex diuturnitate permanendi in bono necessario ad salutem: Ergo. Maior est Aristotelis 2. *Eth. cap. 3.* Minor est Christi, Matth. 10. *Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Pondera particulam, (*hic*) innuit enim alium quemplam, non perseuerantem, cariturum salute. Confirmatur ex D. Bernardo, epist. 129. *Absque perseuerantia, nec qui pugnat, victoriam, nec palmam victor consequetur: Ipsa enim est nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnitatis vinculum, sanctitatis propugnaculum. Tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Sola est enim cui æternitas redditur, vel potius quæ æternitati hominem reddit,*

reddit, dicente Domino, Matth. 10. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.*

33 Hæc perseuerantia, quam tractamus, est, qua quis ex proposito, adeóque ex speciali intentione ipsius actualis perseuerantiæ, velut specialis, finis in proposito inchoato bono immobiliter persistit.

34 Potest enim Perseuerantia tribus aliis modis sumi, vt non sit specialis aliqua virtus, vt notauit D.Thom. *quæst.* 137. *art.* 1. *ad* 2. Primò vt est generalis conditio gratiæ, atque virtutum, quibuscum homo ex hac vita decedit. De qua egi *prima secunda, Trac. de Gratia.*

Secundò vt significat immobilitatem persistendi, ortam ex habitu virtutis, quod quemlibet habitum virtutis consequitur, vt est qualitas difficilè mobilis, vt ait S.Thom. *loc. cit. ad* 3.

Tertiò accipitur à D.Thom. *ad* 1. ex Aristotele 7. *Eth. cap.* 7. & 4. *Eth.* ad finem, qua quis vehementi repugnantia in bono persistit, tolerando vitæ discrimina, & difficultates resistendi delectationibus, maximè carnis.

35 Assero secundò, Perseuerantiam esse partem fortitudinis potentialem. Conuenit enim cum fortitudine in sustinendis difficultatibus in bono. Deficit verò, quia fortitudo versatur ad vincendas difficultates mortis: Perseuerantia verò circa alias minores, nempe, circa diuturnitatem in bonis operibus, quod non est adeò graue, insudat.

Perseverantiæ necessitatem, fructus, & laudes vide in D. Bonauent *locis adductis*, & *lib.* 2. *Pharetra, cap.* 34. vbi multa è Patribus profert.

36 Assero tertiò; Perseuerantia indiget speciali Dei auxilio. Ità D.Thom. *art.* 4. Perseuerantia enim ad propositum dupliciter capitur. Primò pro habitu virtutis; & hoc modo eget habitu gratiæ, sicut & cæteræ virtutes infusæ morales. Secundò sumitur pro actu perseuerantiæ in gratia vsque ad mortem; & hoc modo non solùm gratiâ habituali eget, sed speciali Dei auxilio conseruantis hominem in bono, vt docet D. Augustinus *lib. de bono perseuerantia*, & definitum est in S. Concilio Tridentino.

Circa virtutem Constantiæ conuenit cum Perseuerantia, vt persistat in aliquo bono. Differt, nam Perseuerantia facit persistere in bono contra difficultatem, quæ oritur ex diuersitate exitus: Constantia autem facit persistere contra difficultatem ex quouis alio impedimento. Et ideò principalior pars fortitudinis est Perseuerantia, quàm Constantia, quia difficultas, quæ ex diuturnitate actus oritur, est essentialior actui virtutis, quàm illa, quæ est ab exterioribus impedimentis. Ità D.Thom. *art.* 3. Ideò & hoc eget Dei auxilio speciali. 37

QVÆSTIO VIII.

De Vitiis, PERSEVERANTIÆ *oppositis.*

Præcipuum vitium oppositum Perseuerantiæ, vt docet D. Bonauent. *in speculo animæ, cap.* 1. & *p. p. Centil. sect.* 18. est Pertinacia, è cuius extremo stat mollities. Ità D.Thom. *quæst.* 138. *art.* 1. Pertinacia excessum, mollities verò defectum habet. Laus enim Perseuerantiæ est, vt non recedatur à bono ob difficultates; à quo recedit & mollis, qui leuiter cedit difficultatibus; & pertinax, qui vltra rationem in suo proposito perstat; est enim pertinax, impudenter tenax, vt ait Isidor *lib.* 10. *Etymol.* 38

Hos vocat Aristoteles 7. Eth. cap. 9. *Ischyrognomones*, idest, fortis sententiæ, vel *Idiognomones*, idest, propriæ sententiæ, plusquam oportet. Quasi claui muro confixi, qui in horologiis sunt Gnomones.

Magnitudo autem vitiorum, quæ Perseuerantiæ opponuntur, à ratione materiæ, in qua quis deficit, seu in qua quia vltra debitum persistit, damnisque consecutis, æstimanda est. 39



TRACTATVS



TRACTATVS DE TEMPERANTIA.

PROOEMIVM.



EMPERANTIA totum requirit hominem, cum Tactum, quem moderatur, in toto habeat corpore, & Gustum in lingua, cui frequentiùs frænum injicere necesse habet. Hinc huius tractatus Argumentum circa Ieiunium, & Castitatem præcipuè versabitur; cùm hæc illicitum Tactum cohibeat; illud nimium in Gustu excessum iuxta temporis rationem prohibeat: Inter cæteras autem virtutes, hæc eò difficilioris est experientiæ, quò maximè omnium medium æmulatur, potiúsque in actionis modo, quàm in ipsa substantia consistit: Habet enim homo vehementem, innatumque appetitum se conseruandi in esse indiuidui per nutritionem, & in esse speciei per generationem; A quibus si pœnitus abstineret, proculdubio naturæ ius iniquè inuerteret: Verum cum nutritio sit singulis ad esse indiuidui apprimè necessaria, non ità autem generatio ad esse speciei; cùm pluribus ab omni tempore se continentibus, species vbique diffusissimè sit propagata; Hinc est, vt maior sit obligatio in vnoquoque suum conseruandi indiuiduum, quàm suam propagandi speciem, licèt maiora sint titillamenta voluptatis ad hoc, quàm ad illud; vnde constat præstantiorem esse virtutem, quæ moderatur Tactum, quàm quæ Gustum, cùm circa magis arduum occupetur. Porrò potest considerari TEMPERANTIA, vel vt est virtus politica, vel vt purgatoria, vel denique vt purgati animi; iuxta primam nihil pænitendum appetitur, vt infra dicam; iuxta secundam, omnia ad corporis vsum necessaria, quantum natura patitur, deserit; sed quatenus est virtus purgati animi, horum omnium obliuiscitur; vt habet Seraphicus Doctor infrà citandus, vbi plures Temperantiæ partes congerit, quas nos recensebimus *hîc*, *quæst*.3.

DISPVTATIO PRIMA.

DE

VIRTVTE TEMPERANTIÆ.



ARDINALEM, ſimul & Moralem virtutem eſſe ſpeciali iure Temperantiam ex proximè dictis ſatis conſtat; cùm enim Virtus ſit in medio, & res morales præcipuè ſpectentur in modo, & vtroque, non vt cæteræ virtutes, gaudeat TEMPERANTIA, nulli in dubium verti debet, eam non vulgarem eſſe virtutem; de qua eximiè ait D. Bernardus apud S. Doctorem, loco mox citando: *Tene medium, ſi non vis perdere modum*, indicans & medium, & modum in ea ſpeciatim ſeruanda; quod etiam de cæteris virtutibus ei annexis pari iure dici poteſt: Verecundus enim pulchro rubore pudibundus ſuffunditur, vrgente rei turpis præſentiâ; Modeſtia item venuſtam vocem, & vultum cum geſtibus, & veſtibus ità componit, vt animi decorem in corpore exprimat, ornatuſque exceſſum, ſic in omnibus vitet, vt nihil, niſi ſibi conueniens, affectet: Idem dic de Humilitate, Manſuetudine, Clementia, cæteriſque virtutibus, quæ ab exceſſu temperant, modumque ſedulò ſeruant, de quibus agam infrà propriis in locis; inquiram interim, quæ, & qualis ſit virtus hæc, de qua diſputatur; poſtea nonnullis præmiſſis latiùs me diffundam, diſcutiendo ieiunij præceptum; vltimo autem loco Caſtitatem cum multiplici vitio ei oppoſito, ſolita breuitate expendam.

QVÆSTIO I.

Quæ, Virtus ſit TEMPERANTIA *& qualis.*

{ D.Thom. quæſt. 141.

1 DEFINITVR à D. Bonauent. *in Dieta, tit. 5. cap. 6.* ex Macrob. lib. 1. in ſomn. Scipionis, cap. 8. *Temperantia eſt nihil appetere, vnde ſit pœnitendum, in nullo modum, vel legem excedere, ſub iugo rationis cupiditatem domare.* Hæc potius eſt deſcriptio, quam refricat *de ſeptem itineribus, itinere 7. diſt. 5. & in compend. Theol. verit. lib. 5. cap. 35.* & *p.p. Centil. loco citando.*

IN Declaratorio terminorum Theol. ait: *Temperantia eſt domatio libidinum, & omnium malorum motuum, Deo hominem incorruptum conſeruans.*,

2 ALIAS magis proprias, vocibus tantùm varias, definitiones affert 3. part. Centil. ſect. 42. *Temperantia eſt rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi, firma, & moderata dominatio*, ex Ariſtotele, lib. 2. de inuent. *Temperantia eſt rationis in libidinem, & in alios motus importunos dominatio*, ex eodem Cicer. *de off. lib. 1. cap. 15.*

EX his habes, obiectum huius virtutis eſſe moderationem appetitus ſenſitiui ab his, quæ maximè alliciunt hominem, vt ſunt delectabilia ſecundùm tactum, & concupiſcentias cibi, & potus, vt Ariſtoteles docet 3. *Eth. cap. 10.* & Cicero *lib. 2. de Inuent.* & D.Thom. *art. 3. & 4.*

ASSERENDVM etiam hinc colligo, eam eſſe virtutem.

3 PROBATVR à S. Doctore hîc locis adductis, & *in 3. diſt. 33. quæſt. 4.* Virtutum moralium munus eſt moderari paſſiones; tum eas præcipuè, quæ vehementius mouent ad bona commutabilia; ſed Temperantia inſudat in frænandis cupiditatibus vehementiſſimis, abſtrahentibus à bono æterno ad creatum, quæ ſunt delectationes ſenſuum magis materialium: Ergo. Sicut igitur fortitudo, quia auertit à fuga malorum ſenſibilium ad rationem proſequendam, eſt virtus; ità & Temperantia, quæ auocat à bonis carnalibus ad ſpiritualia, erit Virtus.

NEQVE verò exigitur virtus præciſa ad frænandas delectationes ſpirituales; hæ enim per ſe ſunt ſecundùm rationem, & ſolùm per accidens vna eſt moderanda, quando retrahit ab alia magis debitâ, vt ait D Thom. *art. 4.*

ASSERO ſecundò, Temperantiam eſſe virtutem Cardinalem. Ità D. Bonauent. *in 3. loc. cit.* & D. Thom. *art. 7. & 8.* 4

PROBATVR: Virtus Cardinalis eſt, quæ principale aliquod munus ad rationalem directionem exercet: Talis autem eſt temperantia, quæ verſatur in moderandis difficillimis paſſionibus concupiſcibilis, & delectationibus vehementiſſimis, tactûs, guſtûs, & olfactûs, ac viſûs. Hæc autem moderatio eſt principalis inter neceſſaria ad vitam rationi conſonam traducendam.

OBSERVA autem cum D. Bonauent. *lib. 2. Pharetra, cap. 35.* Temperantiam non ſolum circa delecta- 5 bilia ſecundùm tactum, ſed etiam ſecundùm alios ſenſus verſari, attamen quia delectabilia ſecundùm viſum, auditum, & odoratum, cùm non ſint adeo materialia, non habent moralem bonitatem, & malitiam, ſicuti delectabilia ſecundùm tactum, quæ ideò in Decalogo non vetantur, niſi aliquando per accidens, quatenus referri poſſunt ad appetitiones, ſiue actiones circa delectabilia tactus, vel circa obiecta aliarum paſſionum, vt colligit S. Doctor ex D. Auguſtino *lib. 10. confeſſ. cap. 32.* & Ariſtoteles docet 3. *Eth. cap. 10.* vbi ait: *Qui enim iis gaudent, quæ viſu percipiuntur*,

percipiuntur, vt colore, pictura, neque temperantes, neque intemperantes dicuntur. Simili modo in his, dicendum quæ adauditum pertinent: Neque eos, qui & odoribus gaudent, nisi secundùm accidens.

6 Porrò regula ad iudicandum, num appetitio, & delectatio circa huiusmodi res, quæ sunt materia Temperantiæ, sit talis, qualem recta ratio præscribit, atque adeo habeat illam moderationem, quam præscribit Temperantia, debet sumi ex rerum istarum necessitate, & vtilitate ad vitam humanam. Ità docet Aristoteles 3. *Eth. cap.* 11. D. Hieronymus *in cap.* 44. *Ezech.* & D. Augustinus *lib. de moribus Ecclesiæ, cap.* 21. D. Isidor. *de summo bono, lib.* 2. *cap.* 44. & *in synonim. cap.* 26. & alij Patres apud D. Bonauent. *lib.* 2. *Pharetra, à cap.* 35. *ad* 38.

7 Ratio eorum est, quia delectabilia non sunt bona per se, & expetenda, sed solum quatenus ordinantur ad subleuandam aliquam huius vitæ necessitatem ad finem. Vnde ait Aristoteles 3. *Eth. cap.* 11. Temperatum appetere delectabilia propter sanitatem, vel propter bonam habitudinem, vt notant etiam Valentia *disp.* 9. *quæst.* 1. *puncto* 1. Tannetus *disp.* 3. *quæst.* 3. *dub.* 1. *num.* 6. cum D. Thom. *quæst.* 141. *art.* 6.

8 Temperantiam verò esse reliquis Cardinalibus inferiorem ostendi suprà; & confirmatur: Nam Iustitia ad bonum publicum ordinatur; similiter & fortitudo. Prudentia verò omnes regit, sed Temperantia bonum particulare tantùm respicit per se. Adde, eam versari in frænanda concupiscentia, infima potentiarum, quæ Rationi obediunt.

QVÆSTIO II.

Quænam Vitia Temperantiæ *sint contraria.*

D. Thom. quæst 142.

9 Dvo huic Virtuti Vitia opponuntur. Alterum per defectum, & dicitur Insensibilitas: Alterum per excessum, & dicitur Intemperantia. Ità D. Thom. *art.* 1. & 2. ex Aristotele 2. *Eth. cap.* 7.

Cvm enim Temperantia in medio consistat in ordine ad ea, quæ conueniunt ad vitam circa sensum tactus, cibi, &c. Ex vna parte deficere potest, si insensibilis sit, qualis erat ille Xenocrates, qui dicebatur truncus; & Carneades, qui non edebat, sui oblitus, nisi opportunè eius vxor ipsi in os conjiceret cibum.

Per excessum autem peccatur, si quis æquo nimium delectationibus tactûs, & gustûs intendat, quàm sit necessarium.

10 Dicitvr verò intemperantia vitium puerile à D. Thom. hîc & Aristot. 3. *Eth. cap. vlt.* nam more puerorum in sordida intendit concupiscentia, & quia ad instar puerorum crescit in peruicacia, nisi frænetur; Ideò Eccl. 30. *Filius remissus, euadet præceps.* Tertiò, quia coerceri debet disciplinâ, sicut corriguntur pueri.

Est autem Intemperantia vitium probrosum, quia inclinat hominem ad brutales delectationes: Sed de his vitiis proprijs in locis sigillatim disputabitur.

QVÆSTIO III.

De Temperantiæ *partibus.*

D. Thom. quæst 143.

Triplices partes sunt Temperantiæ, sicuti & aliarum virtutum Cardinalium. Aliæ sunt integrales; aliæ subiectiuæ; aliæ potentiales. 11

Partes quasi integrales sunt duæ, scilicèt Verecundia, per quam aliquis refugit turpitudinem temperantiæ contrariam: & Honestas, qua amatur pulchritudo Temperantiæ.

Verecvndia describitur à D. Bonauent. 3. part. Centil. sect. 42. *Verecundia est in gestu, & verbo honestatem seruare.* Et opusc. declarat. terminorum Theol. *Verecundia est obseruatio honestatis in gestu, & verbo.* Hanc ex Patribus describit S. Doctor *lib.* 4. *Pharetra, cap.* 14.

Honestas describitur à D. Bonauent. loc. cit. Centiloquij: *Est nec lautiores cibos quærere, nec in apparatu operam dare.* Vult dicere, esse affectum illum erga honestatem, seu erga opera temperantiæ honore digna. Dicuntur autem opera temperantiæ honesta, seu digna honore, quia opponuntur peccatis intemperantiæ probrosis, & infamibus. 12

Partes subiectiuæ Virtutis Temperantiæ, quæ diuersæ sunt ex obiecto, sunt quatuor. Delectationes enim tactus, in quibus frænandis versatur Temperantia, diuiduntur in duo genera: Nam quædam ordinantur ad nutrimentum, & in his quantum ad cibum, est Abstinentia; quantum ad potum, est Sobrietas. Quædam verò ordinantur ad viui generatiuam, & in his, quantum ad delectationem principalem ipsius coitus, est castitas; quantum verò ad delectationes circumstantes, vt sunt aspectus, oscula, tactus, dicitur Pudicitia. Eadem tamen est ac castitas; & dicitur Pudicitia quatenus circa vsum esse solet pudor, vt ait D. Augustinus 14. *de Ciuit. cap.* 17. & 18. & Aristoteles 2. *Rhet. cap.* 6. Vnde D. Thom. ait, Pudicitiam esse castitatem, prout pudore afficitur, etiam circa ipsa signa. Ità Valentia *disp.* 9. *quæst.* 1. *puncto* 2. Tannerus *disp.* 3. *quæst.* 3. *dub.* 6. 13

In Castitate principem locum tenet Virginitas, quæ ab omni actu Venereo conseruat se intactum, vt ait D. Ambrosius *lib. de Virginibus*, dicens: *Castitas Virginalis est expers contagionis integritas.* Per integritatem autem corporis intelligo eam, quæ nulla voluntaria obscænitate violata est, vt monet D. Augustinus *lib.* 1. *de Ciuitate Dei, cap.* 18 & 25. semel autem corrupta non potest restitui, vt habet D. Hieronymus *epist.* 22. *cap.* 2. & D. Thom. *quæst.* 152. *art.* 1. 14

Inferior verò est abstinentia à coitu illicito, quæ est duplex, coniugalis; & vidualis. Hæc omnia vide in D. Bonauent. 3. *part. Centil. sect.* 42. & aliis locis citandis *quæst.* 9. & 10.

Potentiales Temperantiæ partes sunt quædam virtutes, quæ versantur in moderandis delectabilibus; sed tamen recedunt à perfectione Temperantiæ, quia non laborant circa adeo difficilia, vt sunt delectabilia tactûs, & hæ sunt octo, scilicet Continentia, Mansuetudo, Clementia, Modestia, Humilitas, Studiositas, Eutrapelia, Parcitas, seu simplicitas, siue moderatio. 15

Continentia est virtus cohibens exorbitan-

tes motus voluntaris, qui solent existere ex impulsu passionum appetitus sensitiui, mouentis voluntatem ad ea, quæ sunt contraria rectæ rationi. De hac S. Thom. *quæst.* 155. & Aristoteles. 7. *Ethica*.

MANSVETVDO est virtus moderationem statuens in appetitu vindictæ. Ità D. Thom. *quæst.* 157.

16 CLEMANTIA est virtus, modum adhibens rationi rectæ conuenientem in externa punitione, & sic competit superioribus erga subditos, vt docet D. Thom. *loco citato*.

MODESTIA est virtus moderationem ponens in externis corporis actionibus.

HVMILITAS est virtus, ità cohibens motus audaciæ, & spei, vt non velit sibi tribui aliquid vltra meritum.

STVDIOSITAS est virtus, modum præscribens appetitui in sciendi desiderio.

EVTRAPELIA est virtus, ponens modum in ludis honestatis, & iocis.

17 PARVITAS est virtus, quæ vtitur moderatè rebus externis ad corpora pertinentibus, vt ornatu, vestibus, &c. Hæc vide in D. Bonauent. *sermone* 5. *Hexaëmer.* & aliis allegatis. Hæc habet etiam 3. *part. Centil. sect.* 43.

QVÆSTIO IV.

De VERECVNDIA.

{ D. Thom. quæst. 144.

18 VERSCVNDIA propriè non est virtus, licèt sit quædam laudabilis passio. Ità D. Thom. *art.* 1. Aristoteles 2. *Eth. cap.* 7. & *lib.* 4. *cap. vltim.*

RATIO est, nam Virtus est habitus electiuus, siue ex electione operans, & si statum perfectum habet, excludit in operante timorem rei turpis, & probrosæ, veluti mali difficilis, & ardui ad vitandum, neque actu admittit aliquid turpe, vnde probrum timeatur. Verecundia autem, cùm nihil sit aliud, quàm timor alicuius rei turpis, & probrosæ, propriè non est habitus, sed passio, neque motus eius est ex electione, sed ex impetu quodam passionis, neque excludit timorem, seu opinionem rei turpis, veluti possibilis, & arduæ, seu difficilis ad vitandum, sed eum potiùs includit.

19 HVIVS autem subiectum non sunt senes, neque scelerati, neque perfecti, cùm enim verecondia sit timor alicuius turpitudinis, duo ad eam requiruntur, & vt turpitudo pro se mala habeatur, & vt verecundanti æstimetur vitatu difficilis. Ex defectu prioris conditionis carent verecundiâ homines scelerati, de quibus Hierem. 3. *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Ex defectu secundæ conditionis senes, & perfecti verecundiâ carent, qui tamen in hoc dispositi sunt, vt si in eis aliquid turpe esset, verecundarentur, vt ait Aristoteles 4. *Eth. cap. vltimo.*

20 HINC D. Ambrosius, lib. 1. off. cap. 18. *Pulchra virtus adolescentium verecundia, & suauis gratia, quæ non solùm in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus.* Vide D. Bonauent. *lib.* 1. *Pharetræ, cap.* 30.

ET D. Hieronymus *epist.* 14. apud D. Bonauent. lib. 4. Pharetræ, cap. 14. *Ornet prudentiam verecundia, & quod præcipuum in fœminis semper fuit, cunctas in te virtutes pudor superet.*

ET D. Bernard. serm. 86. in Cant. *Verecundia specialis gloria conscientiæ est, virtutum primitia, & insigne totius honestatis.*

MVLTOS etiam Patres ibi recenset admittentes verecundiam etiam in viris perfectis, non in ordine ad malum, turpitudinemve præsentem, sed præteritam, quatenus est præsens in memoria, & imminentes habet malos effectus.

21 IN 4. *dist.* 16. *part.* 1. *dub.* 11. ponit in magnis peccatoribus verecundiam ad pœnitentiam. Id rursus ex Patribus confirmat *loc. cit. Pharetra.* Sed nil mirum, non enim amplius habent rationem scelestorum, dum peccatorum eos pœnitet.

QVÆSTIO V.

De HONESTATE.

{ D. Thom. quæst 145.

22 MVLTIS modis sumitur Honestum. Primò pro exteriori in fortitudinis prosperitate, & dignitate nobilitatis, & dicitur persona honore digna, honesta; & pro decentia morum in exteriori conuersatione, & pro cunctis, quæ externam habent simulationem cum honestate, vt notat D. Bonauent. *in primo, dist.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2. *ad* 4. & ad ea verba *sap.* 10. *Honestauit illum*; sumitur etiam pro decentia in facie hominum, sic honestatia publicæ impedimentum ponitur ex sponsalibus ad contrahendum cum sponsi consanguineis. Significat etiam omne bonum per se expetibile. Simpliciter tamen Honestas respicit bonum virtutis, vt monet S. Doctor *p. p. Centil. sect.* 9.

23 HONSTVM igitur ait D. Thom. *quæst. cit. art.* 2. ex D. August. *lib.* 83. *qq. quæst.* 30. esse spirituale decorum. Illud enim est pulchrum, & decorum, quod habet suas partes proportionatè dispositas ex D. Dionys. *c.* 4. *de diu. nom. part.* 1. Sic igitur decor spiritualis in eo positus est, vt vita, moresque hominis sint benè proportionati secundùm spiritualem rectæ rationis claritatem, quod ad rationem honesti, ac virtutis pertinet.

HONESTAS igitur dicitur pars integralis Temperantiæ per modum cuiusdam conditionis, quæ in ipsa Temperantia speciali ratione elucet. Ità D. Thom. ex Macrob. *lib.* 1. *in somn. Scip.* Ambr. *lib.* 1. *de off. c.* 43.

24 RATIO est, quia, licèt honestas cuicumque virtuti communis sit, speciali tamen quadam ratione adscribitur Temperantiæ, quæ ab homine id, quod est turpissimum, & indecentissimum repellit, scilicet, brutales voloptates, quæ quidem est conditio, seu affectio virtutis Temperantiæ.

QVÆSTIO VI.

De ABSTINENTIA.

{ D. Thom. quæst 146.

25 ASSERO primò, Abstinentiam esse virtutem specialem. Probatur *ex secunda Petri primo*, vbi in scientia, quæ virtus est, mandat abstinentiã obseruari.

PROBATVR secundò, habet enim specialem honestatem in moderando appetitu circa cibum, vt docet D. Bonauent. *locis allegatis quæstionibus superioribus.*

PROBATVR tertiò. Quod consonum est rationi speciali modo, & in mediocritate consistit, est virtus; talis est abstinentia; est enim specialis modus temperantiæ, ad perfectionem plurimùm conferens; vide D. Thom. *ad* 3.

HINC

26 HINC abſtinentiam Deus præcepit eis, quos ad ardua ſubeunda deſtinabat; ſic De Diuo Ioanne Baptiſta dicitur Lucæ 1. *Erit magnus coram Domino, vinum & ſiceram non bibet.* Nomine autem *ſicera* intelligitur omne liquoris genus, quo æbrietas incurri poſſit, vt notat S.Doctor *in Apologia Pauper. cap.2. reſp. 2.* vbi reddit huius præcepti rationem; decet namque vas cæleſti gratiæ mancipatum, à ſæculi illecebris abſtinere; quæ ratio cunctis hominibus in laudem huius virtutis applicari poteſt, cùm ſint omnes vaſa, diuinæ gratiæ capacia, & ad eam recipiendam deſtinata.

27 MITTO plura ſanctorum exempla, qui peculiari ſtudio abſtinentiæ incubuère; ea habes variia ornata rationibus, & ſcripturis apud Seraphicum *loco citato.* Verum cùm præcipua abſtinentiæ ratio in ieiunio ſtet; de eo iam agam; & capitalem hanc quæſtionem breuiter abſoluam, vt dubitationes, quas continet grandes, melius expendam.

SVBQVÆSTIO VNICA.

De IEIVNIO.

D.Bonauent. 4. diſt 15. part. 2.
D.Thom. art. 147.

28 HÆRATICI, quorum Deus venter eſt, ita gulæ inhiant, vt nedum omne ieiunij præceptum tollant, ſed inſuper ſuperſtitionis crimen ei affingunt; ſic carnaliter ſapientes, poſtquam omnem Caſtitatis, & pudicitiæ ſenſum amiſere, eſcarum deliciis inuiſcantur, captique oculis, ſacræ ſcripturæ clariſſima teſtimonia, quæ ieiunji meritum extollunt, videre nequeunt; quia nolunt.

PRIMI omnium Aeriani huic errori originem dédere, qui tempore Ieiuniorum lautis ferculis in præcepti deſpectum paſcebantur; hos ſecutus eſt Iouinianus, vt è D.Hieronymo, & D.Auguſtino refert Bouerius *in 2. exam. de fidei vnitate*; deinde Manichæi, Vualdenſes, & Lollandi ſubſecuti ſunt diuerſis temporibus, ſuaſque hæreſes, toties licèt coctas, crudas tamen tranſmiſere ad nouiſſimos ſectarios, quos referam, & refellam *dubitatione 3.*

DVBITATIO I.

Quid ſit IEIVNIVM, *& quotuplex.*

29 NOTANDVM ex D.Bonauent. hìc, Ieiunium ſignificare abſtinentiam quandam.

PRIMO autem in genere ſignificat abſtinentiam à voluptatibus omnibus illicitis, De quo S.Auguſtinus, tract. 17. in Ioan. & Iſa. 58. *Nonne hoc eſt magis ieiunium, quod elegi, ſolue colligationes impietatis, &c.* Propriè tamen ſignificat abſtinentiam à cibo, & potu.

SECVNDVM ergo Ieiunium dicitur moralis abſtinentia à cibis, & potibus ſecundùm communem normam virtutis Temperantiæ, & hoc perpetuum eſſe debet.

30 TERTIVM ieiunium dicitur Naturale, quod in omnimoda abſtinentia à cibo, & potu conſiſtit, quod ieiunium in ſumpturis Eucharistiam exigitur. Neque ſoluitur ſumptione Eucharistiæ; ſine tamen Purificatione, quæ ieiunium naturale frangeret.

QVARTVM ieiunium eſt ſpecialis quædam moderatio, & abſtinentia longior, & hæc laudatur in Scriptura.

DVBITATIO II.

Quo pacto frangatur Ieiunium naturale.

IEIVNIVM hoc dicit abſtinentiam à quauis re comeſtibili per modum cibi, potus, vel medicinæ, etiamſi modica, *de conſecr. diſt. 1. cap. Sacramenta.* Requiritur vero ad talem ſumptionem materia, quæ valeat alterari in ſtomacho, vt docet Lugo *de Euch. diſp. 15. ſect. 2. num. 28.* Si tamen per accidens id non ſit alterabile, violat. Requiritur & forma, quæ eſt vitalis traiectio in ventriculum; hæc enim dat ei materiæ eſſe cibi: Ex varia ſanè materiæ huius & formæ conſideratione naſcuntur opiniones variæ de fractione naturalis ieiunij. 31

SIC & per modum medicinæ ſumi dicuntur etiam nociua, vt venenum. Multi hæc comprehendunt, quidquid extra per os traiicitur; alij negant.

QVÆRVNT autem primò, an ſi reliquiæ cibi præcedentia dici, dentibus hæreſcentes, voluntariè deglutiantur, impediant communionem.

IMPEDIRE aſſerunt Vaſquez *in 3. part. tract. 3. dub. 11. cap. 4. num. 30.* Fillincius *tom. 1. tract. 4. cap. 8. num. 236.* Nungus *3. part. Tom. 1. quæſt 80. art. 8.* Paludanus *in 4. diſt. 8. quæſt. 2. art. 2. concl. 2.* Videtur D.Thom. *3. part. quæſt. 80. art. 8. ad 4.* Inclinat Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 18.*]

OPPOSITVM tamen ſentio probabile cum Suarez *3. part. tract. 3. diſput. 68. ſect. 4.* Henriquez *lib. 8. cap. 50.* Ioan. de Cruz *in direct. queſt. 5. dub. 4.* Molfeſius *in ſum. tom. 1. tract. 3. cap. 10. num. 13.* Pitigianus *in 4. Tom. 1. diſt. 18. quæſt. 3. art. 3.* Camerata *de ſacram. tract. 4. cap. 10. dub. 19.* Rodriquez *in ſum. Tom. 1. cap. 103. num. 3.* Coninch. *de ſacram. quæſt. 80. art. 8. num. 47.* Diana *part. 3. Tract. 4. reſol. 37.* vbi tamen ſuadendum ait, vt expuantur. Ratio eſt, quia non per modum cibi, ſed ſaliuæ cadunt. 32

ADDIT, ſi quis per nares aliquantulum aquæ trahat, quæ in ſtomachum decidat, non impedire à communione, quia non eſt tranſmiſſa per modum cibi, vel potûs. Id docet, ſi quid per modum reſpirationis attractum ſit, etiamſi poſſit nutrire, vel alterare, vt muſca. Ità & Fagundez *de præcep. Eccleſ. præcep. 3. cap. 5. num. 14.* & alij. Addit Baſſæus V. *Communio,* ſi deglutiat ſanguinem è capite cadentem, ſi pluuiæ guttas, aliquas aut iuſculi particulam in prægustando inuitè traiiciat. 33

QVÆRVNT ſecundò, ſi quis deglutiat chartam, cretam, fruſtulum ligni, aut quid ſimile comeſtibile, frangant ieiunium naturale, & impediant communionem ſanctiſſimam.

IMPEDIRE aſſerunt multi apud Dianam *p. p. Tract. 14. de celebr. miſſ. reſol. 51.* & *Parte 4. tract. 4. reſol. 104.* Ità Henriquez *lib. 8. cap. 49.* & *in gloſſa, litt. O.* Nungus *tract. 1. in 3. part. quæſt. 50. art. 8.* Villalobos *tom. 1. tract. 7. diffic. 39.* Reginaldus *tract. 1, lib. 29. cap. 6. num. 118.* Naldus V. *Euch. num. 10.* Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 6.* Scortia *de ſacrificio Miſſæ, lib. 2. cap. 7.* 34

DE Tabaco, ſi ore ſumptum deglutiatur, docent idem Diana *part. 5. tract. 13. reſol. 1.* & alij.

ET quidem hæc ſententia mihi probabilior eſt, etiamſi oppoſitam magis probabilem teneant Sum. Corona *part. 4. cap. 4. num. 65.* Ioan. de la Cruz *p. 2.* 35

de Euch quæst.5. dub.4. Ludouicus de S. Iuan. *sum. part.1. Tract. de Euch. cap.23. concl.4.* Diana *loco cit.* & *part.3. tract.4. resol.58.* qui idem concedit de reliquia cibi diei hesternæ cum Tabitna V. *commun.* §.42. Tannerus *tract.4. disp.3. quæst.8. dub.4 num* 79. Sanchez *select. disp.41. num.23.* Pasqualig. *decis.* 312. Ioan. Cruz *quæst. 5. dub.4.* Bauoins *punct. cit. tract.10. quæst.22.* nempe si degrutiator, communionem non impedire.

DVBITATIO III.

An Ieiunium proprium sit opus bonum, & præceptum.

D.Thom. art.3.

34 IEIVNIS in Ecclesia vsitati necessitatem oppugnarunt hæretici apud Valentiam *disp. 9. quæst. 2. puncto 1.* Bellarmioum *lib. 2. de bonis operibus*, in particulari, qui grauites eam defendunt. Alij verò, non ieiunium præcisè, sed quasdam eius circumstantias, quæ iuxta Ecclesiæ præscriptum adhibentur, vituperant.

SIC nouissimè dogmatizant sectarij, Luther. *lib. de visione Danielis*, Caluinus *lib.4 Instit. cap.12.* Kemnitius *in sess.25. Tridentini*, & alij huius furfuris.

35 PRIMO quidem certum est, ieiunium, vt est actus Temperantiæ ad edomandam carnem, esse bonum, etsi abstineatur à cibis, quibus alioqui vti liceret.

PROBATVR à S. Doctore *in Diata, tit. 1. cap.6. Exodi* 24. vbi Moyses ieiunauit quadraginta diebus 3. *Reg.* 19. vbi & Elias totidem dies ieiunio transegit. Ioel. 1. *Conuertimini ad me in ieiunio, &c.* Iudith 8. vbi perpetua ferè huius sanctæ viduæ ieiunia laudantur.

EX nouo testamento *Matth.6.* vbi Christus modum ieiunandi tradit *Marci 9.* vbi ait: *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi in oratione, & ieiunio.*

IN 2. *Luca* id probat S. Doctor exemplo Annæ, *quæ non discedebat de Templo, ieiuniis, & obsecrationibus seruiens*, Tob.12. *Bona est oratio cum ieiunio.*

SERM. 4. *prima Dominica*, indueit Ieiunium Christi, ad quod ductus est à Spiritu Sancto. Ieiunium Niniuitarum laudatum *Ionæ* 3. Ieiunium Moysi *Deuter.9.* & alia suprà allata.

PROBATVR à S. Doctore *locis citatis*, ex Patribus quos ibi vide.

36 PROBATVR ibidem ratione. Id quod armorum vice est ad edomandas passiones, prout impediunt salutem, vtile, & sanctum est: Tale est ieiunium: Ergo. Ratio est SS. Basilij *de laudibus ieiunij*, Athan. *de virginitate*, Cypriaoi *serm. de Ieiunio*, Ambrosij *lib. de Elia, & ieiunio, cap 4.* Leonis *serm.7. de ieiunio septimi mensis*, & D. Augustini *de vtilitate ieiunij*, cuius meminit Possidonius *in Indice operum Augustini*, vbi elegantem habet similitudinem; si enim equo insiderem, qui ferox me facile præcipitare posses, nonne eum edomare conarer, subtrahendo ferocienti validiora cibaria, & fœnum immitendo; ità & nunc.

37 CERTVM est etiam, vtile esse ieionium ad alios fines sanctos. Primò ad orationem validiorem reddendam: Sic habetur *Tob.12. prima ad Corinth.7. Act.13. & 14.*

SECVNDÒ ad magis excitandam pœnitentiam, vt innuitur *Ioel 2. & Ionæ 3.* suprà.

TERTIÒ ad expeditiorem contemplationem, vt dicitur de Daniele; auis enim macilenta expeditior est. Sic comparatur à D. Chrysostom. *homil.2. in Genes.*

QVARTÒ ad vitandum infirmorum scandalum *Rom.14. prima Corinth.8.*

QVINTÒ ad subtrahendam escam ollæ cupiditatum; dicitur enim: 38

Luxuriat rara non benè pasta caro;
Subtrahe ligna foco, si vis extinguere flammam.

SEXTÒ, ad curandum morbum diæta suadetur.

SEPTIMÒ ad fugandos Lupos è oemore, vt dicitur *Marci 9.*

OCTAVÒ ad expugnandum oppidum, in qoo fortis anoatus munitur; obsidio enim defensores expugnat *Luca 11.* Vide hæc, & alia in D. Bonauent. *Diæta tit.2. cap.6.*

CERTVM est tertiò extra controuersiam: Ieiunium, quamuis ex se non sit malum, relatum ad prædictos fines, tamen si non habeat cooiuncta etiam alia opera bona necessaria, atque adeò, nisi fulciatur gratia Dei, inutile est ad salutem. Id probat S. Doctor illo Isa.58. *Hoc est ieiunium, quod elegi; Dissolue colligationes impietatis, &c. Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem.* 39

IO monent SS. PP. Hieronym. *lib.1. cont. Iouin.* Gregor. *homil. 16. in Euang.* Maximus *homil. prima de ieiunia.*

QVARTÒ certum est, si ab aliquibus cibis, tanquam inquinatis è natura sua, abstineamos, non fore sanctum ieiunium, sed impium. Hic enim fuit error Tatianorum, vt refert D. Augustinus *lib. de hæresibus, cap.25.* 40

NOSTRA igitur cum hæreticis controuersia est: An ieiunium rectè suscipiatur, vt præceptum ab Ecclesia, cogente sub mortali.

SECTARII enim hæresim suscitantes Aerij, quem refert Epiph. *hæresi 75.* latraor huiusmodi ieiunium esse superstitiosum.

ECCLESIA tamen Catholica, sanctum hoc præceptum declarat.

PROBATVR primò argumentis, quibus ostendi *p. p. Tract.1. disp. 5. proœmiali*, & *prima secunda, Tract. de legibus, disp.5.* Ecclesiam posse leges ferre, obligantes in Conscientia.

PROBATVR verò hæc lex Ieiuniorum ex multis Concilis, præcipuè Gangr. *can.19.* dicitur: *Si quis ieiunia, quæ communiter custodiuntur ab Ecclesia, dissoluat; sit anathema.* Concilio Tibur. can. 15. dicitur, *Irasci Dominum, si quis Quadragesima, aut ieiuniorum diebus non coerceatur à ieiunando*, & in Concilio Carthag. IV. can.63. *Statuitur vt clericus, qui tempore ieiunij absque ineuitabili necessitate, ieiunium rumpit, inter minores habeatur*, & in Concil. Agath. can.12. iubetur, *vt omnes Ecclesiæ filij in Quadragesima ieiunent*, & in Concil. Mogunt. sub Carolo M. *can.35.* anathematizantur, qoi indictum ieiuoium dissoluent, & in Concilio Toletano VIII. Frangentes ieiuntum Quadragesimæ, prioantur in Paschate communione: Et in sexta Synodo *cap.56.* habetur: *Visum est, vt omnis Dei Ecclesia, quæ est in vniuerso terrarum orbe, vnum ordinem sequens, ieiunium perficiat, & abstineat, sicut ab omni mactabili, sic ab ouis, & caseo. Si autem hoc non seruauerint, si sint quidem Clerici, deponantur; si autem Laici, segregentur.* Vide & alias authoritates *prima secunda, disp.17. de consc. quæst. 10.* vbi agitur de propositionibus, ab Alex. VII. damnatis. 41

EAM veritatem profusis orationibus prosequun- 42

tur SS. PP. qui eam negantes, hæreticos conclamant, præcipuè Epiphanius *heresi 75.* Augustinus *lib. de heresibus, cap. 53.*

Obicias primò, esse doctrinam demoniorum abstinere à cibis, quos creauit Dominus ad percipiendum 1. Tim. 4. & Matth. 15. *Non quod intrat in os, coinquinat,* 1. Corinth. 1. *De eo, quod in macello venit, manducate.*

43 Respondetur, reprehendi eos veteres hæreticos, qui abstinendum dicebant à cibis, tanquam natura immundis. Vel Iudaizantes, volebant adhuc abstineri à cibis, iuxta legem mosaycam cæremonialem. Id verò *Matth 15.* vult, non coinquinari per se, sed tantùm ratione præcepti extrinseci, pro vt opponuntur intrinsecè vetitis. Paulus verò ostendit, non esse nimis scrupulosè inquirendum; an carnes sint idolis immolatæ.

Cæterum hæc præcepta habentur declarata *cap. Non oportet, cap. Placuit de consecr. dist. 3. cap. Quadragesima, dist. 5. cap. 1.* & *cap. Consilium, de obseru. ieiun.*

44 Ieivnia igitur Ecclesiastica ex antiqua Ecclesiæ praxi habentur, & quidem Ieiunium Quadragesimæ institutum est ab Apostolis, & habetur *can. 68. Apostolorum,* vt testatur Epiphanius *heresi 75.* Hieron. *epist. ad Marcellam.* Leo *serm. 6. in Quadrag.* & colligitur ex Augustino *epist. 118. ad Ioan.* & *lib. 4. de Baptism. cap. 24.*

Telesphorvs P. sancinit, vt clerici quadragesimale ieiunium inciperent à Quinquagesima *cap. Quadragesima, dist. 4.* Sed hæc consuetudo abrogata est, vt monet Bassæus V. *Ieiun. 2.* Iure communi ex traditione Apostolica, vt notat D. Leo *serm. de Pent.* & probant Bellarm. *cap. 19.* Baron. *anno 57.* & refertur *cap. Statuimus, dist. 76.* habemus ieiunium 4. Temporum. Eodem iure ieiunatur Vigiliis Natiuitatis Domini, & Assumpt. B. V. *cap. ex parte, de obseru. ieiun.* Itidem in Vigiliis Apostolorum *cap. Consilium, ibi.* Exceptis SS. Philippi, & Iacobi, ob tempus Paschæ, & D. Ioannis ob Natiuitatis solemnia.

Erant autem aliquæ Apostolorum vigiliæ, non seruatæ.

45 Vigiliæ Pentecost. S. Ioan. Baptistæ, S. Laurentij, & omnium SS. sola consuetudine cogunt, vt notant. Syluester *num. 5.* Syluius *quæst. 147. art. 5. quæsito 7.* Fagundez *cap. 5.* apud Bassæum.

Svnt dubitantes: an hæc consuetudo inuecta sit ad obligandum, Pasqualig. *decis. 171.*

Si Vigilia S. Ioan. Baptistæ incidat in festo Corporis Christi, transfertur ex præcepto Vrbani VIII. *die 13. Oct. 1638.* edito.

46 Potest & Episcopus vigilias incidentes in aliquam loci solemnitatem transferre; sic & aliis è causis. Idem valent Prælati regulares cum suis. Licet enim Ius Pontificium bis non subdatur, subditur tamen prudens executio.

Abstinentia etiam Fer. 6. & Sabbathi, ex antiqua Ecclesiæ praxi habetur.

Libet apponere D. Hieronymi effatum *epist. 28.* apud D. Bonauent. Spec. cap. 5. *Vnaquæque Prouincia abundet in suo sensu, & præcepta maiorum leges Apostolicas arbitretur.* Vide S. Doctorem etiam *serm. 5. Ciner.* & *serm. 3. & 5. prima Dom. Quadr.*

Dvbitatio IV.

A quibus sit abstinendum in Ieiunio Ecclesiastico.

Primò essentialis est abstinentia à carnibus, quoad Quadragesimam *cap. Statuimus, dist. 4.* Quoad cætera ieiunia, *cap. de esu carn. de consec. dist. 3.* & Concil. Gerundensi *c. 3.* & perpetua Ecclesiæ traditione. Ità D. Bonau. suprà cit. & D. Thom. *q. 147. art. 8.* 47

Conceduntur tamen Limaces, Testudines, & Pisces, & animalia, quæ ad hæc accedunt magis, quàm ad terrestria, & volatilia, vt monet Bassæus verbo *Ieiun. 1. num. 3.* Bonacina *disp. vltim. quæst. 1. puncto 2.* Pasqualig. *de Ieiun. decis. 67.*

In Quadragesima vetantur etiam oua, quia Seminalia sunt *c. Denique, dist. 4.* quod est D. Gregor. M. ad Augustinum in Angliam, vbi non condit nouum præceptum, sed declarat vetus. Itaque malè dicunt aliqui, sola id esse consuetudine vetitum.

Item vetantur lacticinia in Quadragesima, nisi mos aliter receptus admittat, vt docent communiter cum D. Thom. *quæst. 147. art. 8. ad 3.* Vsus autem ritè inducitur, vbi est penuria olei. Sat est autem, si consuetudo perduret aliquot annos, iudicio proborum, vt ait Tannerus *disput. 3. quæst. 3. dub. 5.* monens, idem seruandum in aliis ieiunij circumstantiis, communem efferens sensum è D. August. *epist. 86. & 119.* cum D. Bonauent. *in speculo animæ, cap. 5.* 48

In quibusdam locis oleo redundantibus vetantur lacticinia, etiam extra Quadragesimam, vbi obseruandæ sunt iustæ consuetudines, vt dicebat S. Doctor cum D. Hieronymo. 49

Vbi verò conceduntur, non admittitur lardus, vel sagimen; hæc enim ad carnem accedunt, quidquid dicat Diana *part. 1. tract. 9. resol. 21.* Pasqualig. *decis. 74.* Rectè quidem, cui conceditur caro; conceduntur & hæc, atque oua, &c. Dispensatus verò in Quadragesima ad oua, tenetur adhuc ieiunio; hæc enim cum ieiunio stant, vt declarat Pius V. *in Bulla Cruciata.* Ità Syluester *ad loc. cit. D. Thom. art. 4.* Sanchez *lib. 4. cap. 11. num. 49.* Llam. *3. part. method. cap. 5. §. 26.* Bassæus V. *Ieiun. 1. num. 4.*

Secvndò, debet ieiunans abstinere à pluribus refectionibus, ità vt intra spatium diei naturalis semel tantùm reficiatur grauiter. Consentiunt omnes cum D. Bonauent. suprà, & D. Thom. *art. 6.* apud Valentiam *loco cit.* & Bassæum *num. 8.* 50

Ita verò; si extra eam bibas ius, vel lac, solues ieiunium, non si vinum, vt docent communiter cum D. Thom. *art. 6.* D. Bonauent. *in confess. cap. 2. particula 7.* apud Valentiam, & Bassæum.

Addvnt contra D. Thom. 4. *dist. 15. quæst. 3. art. 4. quæst. 1.* Syluium 2. 2. *quæst. 147. art. 6.* etiamsi vinum bibatur, vt fames pellatur, Vega *tract. 2. cap. 14 casu 32.* Homob. *de exam. part. 2. tract. 8. cap. 7. quæsito 20.* Filliucius *cap. 2. tract. 27. part. 2. quæst. 10.* Molfesius *tom. 1. tract. 10. cap. 3 num. 25.* Fagundez *tract. 4 lib. 1. cap. 3.* Diana *p. p. tract. 9. resol. 23.* Lezana V. *Ieiun.* Bassæus ibi *num. 8.* Contrarium tamen probabile est; & sanè etiam D. Bonauent. *loco cit.* has potitationes reprehendit.

Neqve potio ante prandium violat ieiunium. Ità communiter TT. Vide Villalob. *com. 1. tract. 23. diff. 8.* Homob. *loco cit.* 51

Potest etiam, ne vinum noceat, aliquid pauculum sumi, puta 6. amygdalæ, dummodò non fiat sæpè in fraudem; Vel sumi aliquid antidoti medicinæ,

næ. Sic Tannerus *num.* 90. Diana *p. p. tract.* 9. *resol.* 24. cum aliis.

QVÆRES: An toties pecces, quoties multum comedis.

52 RESPONDET Diana *resol.* 53. peccari in sola comestione secunda notabili, qua ieiunium frangitur. Sic & Villalobos *tom.* 1. *tract.* 23. *diff.* 6. Sancius *select. disp.* 14. *num.* 42. Tannerus *disp.* 3. *quæst.* 3. *dub.* 5. *num* 93. multos adducens contra alios dicentes, toties peccare. Vide & Basseum *num.* 10. Si tamen carnes edas, toties peccabis, hæ enim indiuiduè vetantur; At ieiunij præceptum, aut votum solam fractionem vetat, quæ prima comestione fit. Vide relatos.

PETES, quæ paruitas materiæ excuset à fractione.

DIANA *part.* 5. *tract.* 5. *resol.* 11. cum Turriano *part.* 5. *cap.* 256. *dub.* 27. & aliis censent, binas vncias esse paruam materiam.

53 HANC etiam in esu carnis concedunt Sanchez *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 17. Tannerus *disp.* 3. *quæst.* 3. *num.* 95. Bonacina *disp. vlt. de præcep. Eccles. quæst.* 1. *punct.* 2. Diana *part.* 1. *tract.* 9. *resol.* 45. & *part.* 5. *tract.* 5. *resol.* 32. qui ait, eam esse, quam Coqui degustant. Pasqualigus verò *decis.* 41. eam dicit, quæ non sufficiat ad nutriendum.

DVBITATVR: An interrumpens prandium ob negotium, possit redire sine ieiunij fractione.

54 RESPONDENT Fagundez *lib.* 1. *cap.* 14. *in* 4. *præcep. Eccles.* Fernandez *part.* 2. *cap.* 8. §. 3. Toletus *lib.* 6. *cap.* 2. Basseus *num.* 15. Portel. V. *Ieiun.* & alij apud hos, dummodò recesserit animo continuandi, licere, & hoc verum, etsi notabilis mora intercedat, quam Portel. dimidiam horam signat, Sancius verò *disp.* 52. etiam duas horas, melius Reginaldus *tract.* 1. *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 177. Azor *p. p. lib.* 7. *c.* 11. *quæsito* 1. Diana *resol.* 32. id iudicio boni viri demandant.

55 QVOD si recedat animo non redeundi, & grauis mora intercedat; asserunt licere redire, Diana cum aliis, mutando intentionem; Alij dicunt licere, si parua sit mora, puta quadrantis, vel mediæ horæ. Vide Portellum, Fernandez, Sancium suprà, Basseum *num.* 15.

56 QVAMVIS autem vnica in ieiunio detur refectio notabilis, permittitur tamen refectiuncula etiam ad nutritionem, vt docent communiter apud Basseum *num.* 9. Lublinum *part.* 2. *sum. v. Ieiunium.* De hac nonnulla sunt dicenda dubiis sequentibus.

MVLTAS quæstiones congerunt Doctores circa exhibitam aliis ansam ieiunium violandi. Eas indicabo paucis.

57 DICVNT aliqui, eum, qui ieiunio non tenetur, posse inuitare ad cœnam amicum, quem nouit solere violare ieiunium. Sic Diana *p.* 1. *tr.* 9. *Resol.* 58.

SED hoc est ad peccatum inuitare, vt monet Fagundez *præcept.* 4. *lib.* 1. *cap.* 10. Syluius 2. 2. *q.* 147. *art.* 3. *quæsito vnic.* & alij cum Basseo *num.* 52.

DICVNT alij, posse iustè cænaturum inuitare ex vrbanitate amicum. Vide Pasqualigum *decis.* 373. sic enim inuitatur, si licet, & ad quod licet.

HÆ vrbanitates mihi videntur perniciosæ, datur enim bis ansa ruinæ.

58 HINC Caupones in locis Catholicorum impiè carnes hospiti darent obligato, & iure sunt puniendi.

SIMILITER nequeunt etiam hi carnes apponere in locis hæreticorum, si absque graui damno aliter facere possunt.

APPONERE etiam cænam hospitibus, qui frangant ieiunium, non licet Cauponi, si absque magno incommodo eam valeat negare.

59 SI verò in contemptum præcepti postulent, nunquam licet. Vide Pasq. *decis.* 368. Basseum *num.* 13.

IN dubio verò; an hospes teneatur, potest id præstare Caupo, qui est in possessione ministrandi, vt ait Basseus, qui meritò hortatur Cauponem, vt perbelle potius interroget hospitem, an carnes velit manducare?

DVBITATIO V.

De Collatione serotina.

VNICA comestio, vt dixi, est de essentia ieiunij, sed consuetudine admissa est collatio serotina etiam ad aliquod refocillamentum. Videndum est igitur, quæ quantitas, & qualitas cibi admittatur. 60

QVOAD quantitatem, Prima opinio tres vncias admittit. Ita Iacobus de Graff. *in Decis. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 29.

SECVNDA sententia extendit ad vncias quatuor. Ità Hon. ob. *in Exam. Eccles. part.* 1. *tract.* 6. *cap.* 20. *quæst.* 9. Azor *part.* 1. *lib.* 7. *c.* 8. *quæsito* 8. Sà *n.* 8. Lezana 4. *v. Ieiun.* Victorellus *in notis ad Manuale Nauar. cap.* 21. & alij.

TERTIA sententia sex vncias concedit, Villalob. *tom.* 1. *tract.* 23. *disp.* 7. Filliucius *tract.* 27. *part.* 2. Fagundez 4. *part. lib.* 1. *cap.* 4. Diana *part.* 1. *tract.* 9. *resol.* 1. Sancius *d.* 52.

QVARTA sententia vncias octo permittit. 61
Ità Fagundez *de præcep. Eccles. tract.* 4. *lib.* 1. *cap.* 4. qui dicit sic etiam respondisse Suarez. Has esse probabiles Recentioribus ait Basseus V. *Ieiun.* 1.

QVINTA sententia concedit quartam partem eorum, quæ ad cænam sunt necessaria. Ità Reginaldus *tract.* 1. *lib.* 4. *cap.* 14. *dub.* 10. Laymán *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 1. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 3. *quæsito* 7. vbi sic in celebri Academia definitum testatur. Sed Diana *Loco citando* laxam vocat, At Turrianus *in select. centur.* 2. *dub.* 34. Scandalosam.

DIANA *p. p. Tract.* 9. qui de Ieiunio *resol.* 1. quartam amplectitur.

CONCLVDIT verò cum Lessio *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 2. Bonacina *de legibus, disp. vltim. quæst.* 1. *puncto* 3. Tannero *disp.* 3. *quæst.* 3. *dub.* 5. *num.* 92. circa quantitatem standum esse locorum consuetudini; Consuetudini tamen bonorum, qui sunt timoratæ conscientiæ, non autem laxorum, vt docent etiam Fernandus *part.* 2. *cap.* 8. §. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 2. Cæned. *quæst.* 4.

MIRABITVR quis, me solum velle cæteris præcedere, fateor nullam ex his opinionibus mihi probari, sed proportionem quæro cum Bonacina *part.* 3. Lezana V. *Ieiun. num.* 4. Diana *loco cit.* Nauar. *num.* 13. Caietano V. *Ieiun.* Lessio *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 11. non tamen etiam locorum, vt hi dicunt, sed personarum. 62

PRIMÒ enim, cùm serotina collatio ad refectiunculam ex consuetudine concessa sit, non est consuetudo attendenda penes loca, sed penes personas in tota Dei Ecclesia, cùm in ea tota præceptum sit vniuersale. Cùm igitur ad ieiunium vnica sit necessaria comestio, oportet videre, quæ quantitas secundam possit facere comestionem, hoc autem non est quantitas absoluta, sed relata ad personas. Itaque, cùm variæ sint, in quantitate cibi sumenda, personæ, variæ erunt etiam quantitates assignandæ; sunt enim aliqui, quibus octo unciæ erunt fere cæna integra, vel dimidia saltem, vel tertia pars.

QVARE prudentia magna necesse esse reor, vt 63
res

res iustè perficiatur, atque adeo, cùm in eodem loco sint diuersitates complexionum, ætatum, &c. cuique iniungendum, vt modicè reficiatur, quantum paruola portio cænæ, puta sexta exhibetur, nam illam quartæ patris respuo, vt laxam. Huc alludit Azor *lib. 7. cap. 8. quæsito* 8. nobilibus paulo maiorem collationem concedi, quia debilioris sunt valetudinis, & assueti delicatioribus epulis. Subscribit Tannerus *num.* 91. Sancius *select. disp.* 52. sed mihi displicet; sunt enim computandæ complexiones, in quibus plurimi nobiles optimè se habent, & ignobiles multi debilitati laboribus, victu tenui, ægritudinibus, & aliis vitæ incommodis afficiuntur. Imò sæpe nobilibus minor concedenda stipes, qui otiosi viuunt. Vellem scire, quid nobilitas addat complexionibus, nisi fortè ad labores declinandos. Malè verò Bassæus ait sic nil determinari, & scrupulos suscitari.

MAIOR difficultas versatur circa qualitatem ciborum.

64 ASSERIT igitur Diana, non posse sumi pisces, oua, lacticinia, & alios cibos substantiales, solitos in cæna sumi. Ratio est, quia nunquam consuetudo præscripsit tales cibos. Refert autem Villalobos *tom. 1. tract.* 13. *dub.* 7. Azor *p. p. lib.* 7. *cap.* 8. *quæsito* 9. Reginaldum *tom.* 1. *lib.* 4. *dub.* 14. Filliucium *prima* 2. *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 2. *dub.* 6. Layman *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 1. Fagundez *de præcep. Eccles. tract.* 4. *lib.* 1. *cap.* 4. Angles *de ieiunio, quæst.* 9. *art.* 2. Viualdum in Candel *part. vltim. cap.* 11. Berarducium *in sum. cor. part.* 1. *cap.* 1. Ledesmam *tom.* 2. *tract.* 17. *cap.* 2. *diff.* 5. Graff. *decis. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 37. Vegam *part.* 1. *cap.* 15, *casu* 5. Antonium de litteratis *part.* 2. *cap.* 19. Molfesium *tom.* 1. *tract.* 10. *cap.* 3. Syluium 2. 2. *q.* 147. *art.* 6. *quæsito* 2. & alios.

EXINDE reprehendit Bonacinam *Tract. de legib. dub. vlt. puncto* 3. oppositum docentem; sed cum hoc est Bassæus, Pasqualig. *decis.* 113. & alij apud istos.

65 QVÆRVNT verò, an in serotina refectiuncula sumi queat iusculum ex pane cocto, vel pane cum amygdalis, etiam in ea quantitate, quæ separatim sumi posset.

NEGATIVE respondent Layman *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 1. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 2. Concedunt tamen Azor *part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 9. *quæsito* 8. Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 185. Bonacina *loco citato.*

PRO festo autem Natiuitatis, Diana *resol.* 35. vncias sexdecim ex pane, vel ex dulciariis admittit, cum Fagundez *præcep.* 4. *lib.* 1. *cap.* 24. & hanc consuetudinem etiam pro religiosis admittit Llamas *part.* 3. *cap.* 5. §. 25.

ALII tamen hanc opinionem non admittunt, Nauar. *man. cap.* 25. Rodriquez *Tom.* 1. *cap.* 22. Angles *in* 4. *tract. de ieiunio, quæst.* 9. *art.* 2. *diffic.* 4. Compatior Dianæ, qui erat corpore procero dotatus, seu potiùs oneratus.

66 QVÆRES: An in die ieiunij liceat collationem serotinam manè sumere, & nocturno tempore cænam capere.

NEGANT Azor *part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 8. *quæsito* 6. Llamas *part.* 3. *cap.* 5. §. 26. Fagundez *præcep.* 4. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 16. Valentia *quæst.* 2. *puncto* 3. Nauarum, & Caietanum adducens.

PROBABILIOR est tamen sententia affirmatiua, etsi absque causa rationabili fiat, esse tantùm veniale. Ità, Layman *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 1. Fernandez *part.* 2. *cap.* 8. §. Toler. *lib.* 6. *cap.* 2. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 2. Lessius *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 2. Villalobos *Tom.* 1. *tract.* 23. *diff.* 7. Ratio est, quia non mutatur substantia ieiunij, sed tantùm circumstantia illius cænulæ. Sic & Bassæus V. *Ieiun.* 1.

NOTAT verò Diana *resol.* 33. mutationem hanc ex iusta causa, vt propter studium, negotia, iter, lectionem, &c. non esse malam. Allegat præter citatos, Cenedum *in qq. Can. quæst.* 45. Bertam *part.* 1. *casu* 3. Naldum *verb. Ieiunium*, Tannerum *disp.* 3. *quæst.* 3. *dub.* 5. *num.* 92. 67

DVBITATIO VI.

De hora refectionis die Ieiunij.

OMISSIS vsibus antiquatis circa horam refectionis in diebus ieiunij, circa meridiem nunc tempus statuitur, non ante, nisi ex causa peculiari, vt ex *cap. solent*, & Gloss. ibidem *de consecr. dub.* 7. notat Lessius *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 2. Bellarm. *lib.* 2. *de bonis operibus, in partic. cap.* 2. Tannerus *disp.* 3. *quæst.* 3. *dub.* 5. *num* 96. 68

EST autem quæstio; an præuenire horam prandij absque necessitate, sola comedendi voluntate, sit mortale.

PRIMA opinio est, præuenire etiam notabiliter esse tantùm veniale. Ita Gabriel *in* 4. *dist.* 16. *quæst.* 3. *art.* 3. *dub.* 1. Angel. *verb. Ieiunium, quæst.* 2. post Monocent. Ioan. Andr. Archid. Ostiensem. Sic & Tannerus *num.* 46. Lessius *n.* 13. Molfesius *tom.* 1. *tract.* 10. *cap.* 5. Toletus *lib.* 6. *cap.* 2. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 23. *diffic.* 9. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 4. *n.* 70; Bonacina *de legibus, disp. vlt. quæst.* 1. *puncto* 4. Fernand. *exam. part.* 2. *cap.* 8. §. 3. Palatius *in sum.* Caiet. *verb. ieiunium*, Richardus *in* 4. *dist.* 15. *art.* 3. *quæst* 8. Diana *part.* 1. *tract.* 9. *de Ieiun. resol.* 27. alios adducens, & Bassæus *num.* 16.

SECVNDA sententia est esse mortale. Ità Fagundez *præcep.* 4. *lib.* 1. *cap.* 13. Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 591. Azor *part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 11. *quæsito* 4. Caietanus 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 7. Nauar. *man. cap.* 21. *num.* 27. Paludanus *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 4. *art.* 4. Couar. *lib.* 4. *variar. cap.* 20. Syluester *verb. ieiunium*, Homob. *de exam. Ecclesia, part.* 1. *tract.* 6. *cap.* 20. *quæst.* 90. Ledesma *tom.* 2. *tract.* 17. *dub* 4. Ioan. de la Cruz *part.* 1. *præcep* 4. *art.* 4. *dub.* 8. non tenuit Diana. Hanc ob Doctorum authoritatem valde esse probabilem ait Bassæus. 69

SENTENTIA D. Bonauent. habetur *in speculo animæ*, *cap.* 3. his verbis: Si tempore ieiunij, quod est in præcepto, cùm hora comedendi secundùm iura, & consuetudinem assignetur post meridiem, qui horam notabiliter anticipat sine causa, sola comedendi libidine, fraudem facit, nec tale ieiunium reputatur, vt si quis fortè hora tertia comederet, & sic se impleret, quod tota illa die non esuriret. Qui autem fraudem facit legi, peccat in legem: Vnde Chalcedonense Concilium ait: *Nullatenus iudicandi sunt ieiunare, qui ante comedunt, quam vespertinum celebretur officium, quod tempore quadragesimali dicitur*, Aliàs autem post Nonam. 70

EX quo habemus, eum tenere secundam sententiam, si grauis status sit, neque ponit anticipationem esse notabilem, iuxta secundam sententiam, ex qua Molfesius vnam horam ponit, Azor quadrantem, Filliucius supra mediam horam, Fagundez mediam horam; Diana ait religiosos, qui habent priuilegium anticipandi vnam horam, posse etiam dimidiam absque peccato præuenire. 71

PONIT igitur anticipare Vesperas, quæ dicuntur

ante

ante meridiem, saltem mediâ horâ, iuxta Concil. Chalcedonense, & multo magis se in mane ingurgitare, esse fraudem ieiunij.

72 ASSERTIO iam patet ex Concilio Chalced. Probatur ratione D. Bonauent. nam lex ieiunij intendit mortificationem carnis, & hoc modo se replere est contra formam, & finem ieiunij; ex quo fuit argumentum primæ sententiæ, hanc esse differentiam accidentalem: Multi DD. apud Bassæum *num.* 16. concedunt posse prandere vna hora ante meridiem.

DVBITATIO VII.

Qui teneantur ieiunare.

73 CERTVM est ex Conciliis, & Patribus, relaris *dub.* 3. &, ex praxi antiquissima Ecclesiæ, præceptum Ecclesiasticum de ieiunio cogere sub mortali omnes baptizatos, in ætate legitima, non impeditos, vt communiter docent Theologi cum D. Bonauent. *dist.* 15. & aliis locis, ibi adductis, vt notat Valentia *disp.* 9. *quæst.* 2. *puncto* 5. Tanner. *disp.* 3. *q.* 1. *dub.* 5. cum D. Thom. *quæst.* 147. *art.* 4.

EX quidem ab esu carnium non tenentur ante septennium, vt docent Tannerus *num.* 9. & alij apud ipsum, & apud Dianam *resol* 42. Sanchez *tom.* 1. *lib.* 1, *cap.* 12. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 21. *dub.* 4. Sanchez *in select. disp* 41. *num.* 31.

AN verò statim post septennium teneantur, dixi *Tract. de legibus.*

74 IEIVNIO verò Ecclesiastico perfecto tenentur omnes, non impediti, post annum vigesimum primum, qui est complementum augmentationis etiam iusti, & perfecti, vt definitur in Conc. Viennæ.

MOVENT quæstionem, an si compleatur 21. annus in mane, teneatur ab eo puncto, & asserunt Portel. *addit ad dub. Regul. V. Ieiunium*; Sanchez *de matrim. tom.* 1. *lib.* 2. *disp.* 24. *num.* 23. Hæc tamen non placet Sancio *select. disp.* 54. Vide Dianam *resol.* 49.

75 ARBITROR hanc esse quæstionem Metaphysicam, eò magis, quò incrementum, seu augmentatio non completur vna die, vel altera anni vigesimi primi, sed habet latitudinem; & in pluribus etiam hos annos excedit, vt sæpe vidit, Diana *part.* 1. *Tract.* 9. *resol.* 49. Pasqual. *decis.* 252. Sanctius *select. disp.* 54.

IMPEDIMENTA verò numerantur tria, Impotentia, Necessitas, & Pietas. Ità D. Thom. *quæst. cit. art.* 4. & alij Theologi 4. *dist.* 15. Valentia *disp.* 9. *quæst.* 2. *dub.* 5. Tanner. *num* 99. alios allegantes.

SVBDVBITATIO I.

Quinam impotentes censeantur Ieiunio.

76 IMPOTENTES censentur, qui absque graui incommodo nequeunt moraliter suam vitam agere, vel debiles cùm sint, non valent vnâ refectione consistere, vel nimis ea grauantur, vt concoquere nequeant; vt ægroti, valetudinarij, conualescentes, & quibus ieiunium notabiliter nocet. Inter ægros sunt & senes, nam vt ait Caietanus hîc *art.* 4. Valentia *puncto* 5. senectus est morbus incurabilis. Ætas autem, vltra quam non tenentur ieiunare, assignatur sexaginta annorum communiter à Theologis. Plurimi tamen dicunt, si ea ætate adhuc robusti sint, teneri. Ex his triginta fere numerantur à Diana Doctores *resol.* 29.

77 ALII tamen, quibus Diana adhæret, quoscunque senes supra sexagesimum annum à ieiunio liberant. Llamas *part.* 3. *cap.* 5. §. 20. vbi asserit interrogatum hac de re Pium V. ita respondisse viua voce. Molfesius *tom.* 1. *tract.* 10. *cap.* 4. Ortiz *summa*, *c.* 19. Angles *in* 4. *part.* 2. *quæst.* 6. *dub.* 6. Sanchez *de matr. tom.* 2. *lib.* 7. *disp.* 22. *num.* 17. Portel. *in dub. leg. part.* 1. *verb. ieiunium.*

78 RATIO est, quia illa ætas habet sanitatem fallacem, & est media inter morbum, & sanitatem, vt ait Gal. *lib.* 5. *&* 6. *de tuenda sanitate*, & licèt aliqui videantur validi, tamen ad interitum ruunt, & ità continuo in periculo sunt casus grauissimi, nisi cibis refocillentur. Deinde Pius V. & Pontifices subsequentes, negantes clericis, & religiosis esum lacticiniorum virtute Bullæ cruciatæ, exceperunt tamen senes sexagenarios, quasi rationi consentaneum sit, vt in ea ætate defectui naturæ consulant.

79 OPTIME S. Bonauent. *in spec. animæ*, *cap.* 1. ponit impotentiam ex ætate non præfiniens annos, quia sunt multi impotentiores in quadragesimo anno, quàm alij in sexagesimo. Ideò spectanda est complexio status, &c. quæ hominem ad senectam rapiunt, vt notant Lessius *de iust. lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 6. Tanner. *disp.* 3. *quæst.* 5. *dub.* 5. *num.* 101. Bassæus V. *Ieiunium*, 2. Fagundez *de præcep.* 4. *eccles. lib.* 1. *cap.* 8. Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 17. *sect.* 1. *num.* 209. Bonacina *de leg. disp.* 10. *quæst.* 1. *part. vltim.* dicentes, posse sexagenarium esse adeò viribus integrum, vt nulla ratione eximatur.

IMPOTENTES etiam censentur adolescentes vsque ad vigesimum primum annum, qui est augmenti, vt notant Valentia *loco cit.* & alij cum D. Thom. *quæst.* 147. *art.* 4. *ad* 2. ibi Syluius Sanc. *sel. disp.* 54. Lezana V. *Ieiun. num.* 6. Bassæus *ibi.*

80 SIMILITER & prægnantes, & nutrientes, quæ debent proli victum suggerere, est communis sententia apud Dianam *resol.* 14. neque excludas eas, quæ robustæ sunt, non enim in dubio sunt adducendæ proles ad discrimen. Casum autem affert Diana *resol.* 30. an mulier grauida, quæ in periculo graui luxuriæ est, teneatur ieiunare cum periculo prolis. Asserit Fernandez *in Exam. part.* 4. *cap.* 12. §. 6. Contra quem insurgit Homob. *in Exam. part.* 2. *tract.* 8. *cap.* 7. *quæst.* 17. Diana *resol.* 30. Pasqualig. *disp.* 289. quibus ego resolutè subscribendum video; cùm enim alia remedia à Deo parata sint, vt oratio, frequentia Sacramentorum, & gratia Dei non desit vnquam in necessitatibus, insuper cùm Deus præceperit, ne occidamus, atque adeò hæc sit necessitas grauis seruandi vtrumsque præceptum non occidendi, & non mœchandi, arbitror impium dicere in nostra potestate esse occidere, aut nos cogi, quasi Deus suâ gratiâ desit necessariæ opportunitati ineuitabilis alioqui tentationis.

81 EXCVSANTVR etiam pauperes, non habentes, quo satis vescantur. Imò, qui non habent, quo condiant, quam pinguedinem, excusantur à Syluestro *verb. Ieiunium*, *quæst.* 5. *num.* 16. *cap.* 21. *quæst.* 8. Tanner. *num.* 107. præcipuè in locis, quibus licita sunt oua, & lacticinia. Vide D. Thom. *art.* 4. *ad* 4.

82 Imò qui non habent, nisi carnes, excusantur à Bellarmino *lib.* 2. *de bonis operibus*, *in particul. cap.* 9. Azor *lib.* 7. *cap.* 27. *quæsito* 7. Tanner. *num.* 106. Ideò famulantes hæreticis excusat cum Lessio *disp.* 5. *n.* 35. Imò excusat eos, qui inopes datas sibi reliquias à Bacchanalibus comedunt, sed hæc non sunt adeò absolutè concedenda; excuso sanè eos, qui non habent congruum

congruum alimentum, sed sola olera, & fructus, Pasqualig. *disp.*179. Bassæus V. *Ieiun.*2. necesse enim est cum pane pulmentum: ideò S.Doctor. *loco cit.frenuli*, exigit, vt sit paupertas notabilis.

Svbdvbitatio II.

De necessitate excusante à Ieiunio.

{D.Thom quæst.147. art 4.

83 NEcessitas excusans à ieiunio censetur, cùm quis operi sibi, aut suis necessario, vel etiam valde vtili, non potest vacare, simul ieiunando, vt patet ex doctrina D. Thom. *art.* 4. Caietani ibi, Valentiæ *disp.*9.*quæst.*2.*puncto* 5.D.Bonauent. *in spec.cap.*3. Sic excusantur, qui proprio labore incompatibili, debent victum acquirere.

Svnt autem prudenter omnia pensitanda, genus artis, complexio artificis, &c. Ideò mihi insipidè videntur aliqui definite excusari sutores, sartores, ferrarios, barbitonsores, & cæteros artifices, indifferenter. Ritè Bassæus *num.* 2. arbitram statuit conscientiam; num sit labor sufficiens, seu iusta necessitas laboris necessarij, vt ait S. Doctor *loco citato*.

84 Svtores excusant Azor *part.*1.*lib.*7.*cap.*17.*quæsito* 8. Lessius *lib.*4.*cap.*2.*dub.*6.*num.*43. Reginaldus *Tom.*1.*lib.*4.*cap.*17.*sect.*2. Bonacina *de legibus, disp. vltim. quæst.*1.*punct.vltim.* Layman *lib.*4.*tom.*8.*cap.*3. est enim magnus conatus. Melius Villalobos *tom.*1.*tract.*23.*diffic.*14. remittit iudicio prudenti. Est enim ars parum laboriosa, & potest esse, vt multi non impediantur; alij verò impediantur, quod iudicandum est, ex ætate, viribus, &c. laborantis.

85 Commvniter non excusantur sartores, & barbitonsores apud Dianam *resol.* 8. inter quos est etiam Villalobo *difficult.* 3. Ioan. de la Cruz *in direct.part.*1.*præcep.*3.*art.*4.*dub.*9. & alij, qui excusant figulos, argentarios, textores, fullones, cæmentarios, pictores, coriarios; non tamen pictores, sartores, & barbitonsores, quia hæ artes non sunt adeo laboriosæ. Subscribit Tannerus *numero* 102. adducens Lessium *dub.* 6. Toletus *lib.* 6. *cap.*6.

Eos tamen excusant Ledesma 24.*quæst.*17.*art.*3.*dub.*9. Fagundez *præcep.* 4.*lib.* 1.*cap.*8.*num.* 15. & probat priuilegio Eug. IV. quod videtur excusare omnes artifices; at non eum excusare omnes obseruat Bassæus, Diana *resol.* 8. cum Reginaldo *Tom.* 1. *lib.*4.*cap.*17.*num.*116.

86 De fossoribus, Ferrariis, & similibus pro aliquo die intermedio, quo non laborant, arbitrio prudentis definiendum putat Medina *lib.*1.*cap.*24.§.10. Syluius 2.2.*quæst.*187.*art.* 4. Villalobos *sum. tom.*1.*tract* 23.*diff.*9.

Sed absolutè censet Diana *resol.*9. tales non teneri, si vnus, vel duo dies intermedii, sint ieiunio destinati, quia egent restaurare vires, & ità sentiunt etiam Ioan. de la Cruz *part.*1.*præcep.*3.*art.*4.*dub.*9. Azor *tom.*1.*lib.*7.*cap.*27.*quæsito* 8. Fagundez *præcep.*4. *lib.*1.*cap.*8.*num.*16. & alij.

87 Qværvnt etiam de Procuratoribus, & Aduocatis, quos aliqui excusant, si labor sit improbus, & ipsi adeò debiles, vt satisfacere aliter nequeant suo officio. Vide Dian.*resol.*12. Sic & scribas tota die laborantes excusat Diana *part.*4.*tract.*4.*resol.*130. Pasqualig. *disp.*335.

Illvd verò, quod multi dicunt, teneri conducere eos solos operarios, qui simul ieiunare valent, Scrupulosum videtur Fernando *part.* 2. *cap.*8. §.2. Fagundez *præcep.*4.*lib.*1.*cap.*6.*num.*16. & Dianæ *resol.*13.

Dixervnt etiam de Concionatoribus ex mercede conductis: Eos verò teneri censent multi apud Dianam *resol.* 11. sed non video cur excusentur, si non ad mercedem ducti; at ad mercedem non excusentur, cum vtrinque sit idem labor etiam assumptus, vt suppono, ad vtilitatem populorum. Igitur vtroque casu excusari docent Bonacina *tract. de legibus, disp. vltim. quæst.* 1.*punct.vlt.* Filliucius *tom.*2. *tract.*27.*part.*2.*cap.*6.*num.* 124. Lessius *lib.*4.*cap.*2. *dub.*6.*num.*44. Diana *loco cit.*

Excvsant & musicos Sancius *disp.*49. Diana *loco cit.* si aliter canere nequeant; & clericos ad oua sumenda ob Canoram reddendam vocem. 88

Ardvvm mihi est definere de his, qui nulla necessitate, imò laboribus improbis lassantur; multi enim laxant habenas dicentes, Præceptum ligare eos tantùm, quos reperit potentes, non eos, quos offenderit impotentes. Ità Bonacina *tract.*2.*dub.*2. *quæst.*8.*punct.*1.*num.*16. Lublin.*p.p. v. Ieiun. num.*29. Diana *p.p. tract.* 9.*resol.* 40. & 52. Sancius *select. disp.*54.*num.*14. Layman *lib.*4.*tract.*8.*cap.*3. Sanchez *lib.*5.*consil.cap.*1.*dub.*7. Pasqualig. *disp.*317. Quoad laborantes inaniter.

Qvoad lassantes se sine turpi, sunt, qui eximant, etsi impotentiam præuiderent. Ita Medina *lib.*1.*sum.* *cap.*23. Diana *loc.cit.Resol.*40. Bonacina *num.*16. Sancius *disp.*54.Bassæus *num.*7.

Horvm sententiam refello hac ratione cum Nauar. *cap.*21.*num.*17. Bonacina *num.* 16. Layman 89 *num.*5. Qui aliquid agit, vt licitum, quod est contra legem, in suo vigore stantem, fraudat legem, & ideò peccat. Tales sunt isti circa legem ieiunij: Ergo. Maior conceditur ab aduersis. Minor probatur. Nam eo puncto, quo laborant, tenentur legi, & eam abiiciunt pro tempore executionis, sicuti qui Breuiarium proiiceret, ne diceret officium.

Probo secundò: Destruens finem legis recusando media iniuncta, est reus. Tales sunt hi. Nam finis legis est ordinatio animæ, non modò per macerationem, sed per actus virtutis Abstinentiæ. Hoc docet S.Bonauent. *in speculo animæ*, *cap.*3. dicens exigi necessarium laborem.

Remanent iter pedestres agentes, quos eximunt communiter Doctores apud Bonacin. *punct. vlt.* 90 Bassæum *num.* 7. Quantum autem esse debeat iter, Rodriquez *tom.*2. *qq.reg. quæst.*100. *art.*3. statuit sex leucas. Alij septem miliaria Itala: melius cum Bassæo, & aliis dicam pensitandum iter, si ardua per loca, tempus, si æstu, vel rigore excedat, præcipuè itinerantis vires ponderandas. Vide Pasqualigum *decis.* 313. multi volunt debere esse iter, quod saltem commodè differri nequeat; ità Angles *flor.quæst.*6. *de ieiun.diff.*10. Lessius *lib.*4.*cap.*2.*num.*456.

Alii negant hanc conditionem; nam & Eug.IV. 91 declarat eximi exercentes artes laboriosas, etiamsi diuites sint, & possent non laborare. Ità Sanc. *disp.*54. *num.*21. Pasqualig. *decis.*314. Medin.*lib.*1.*instr.c.*14. §. 10.

SVBDVBITATIO III.

De casibus pietatis excusantibus à Ieiunio.

92 Titvlo hoc excusatur, qui aliquod opus bonum ieiunio melius præstare non potest, vt est concionari, docere in scholis, confessiones audire: Item cum peculiari quadam aliorum ædificatione peregrinari, vt cum Caietano *verb. Ieiunium*, Nauarro *man. cap.* 21. *num.* 18. docet Valentia *puncto* 5. Tannerus *num.* 103.

Et de Concionatoribus id asserunt etiam Ioan de la Cruz *part.* 1. *præcep.* 3. *art.* 4. *dub.* 9. Tabiena, *verb. Ieiunium*, Filliucius *tom.* 2. *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 6. Azor *part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 28. *quæsito* 1. Graff. *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 37. Antonius *de litteratis*, *part.* 1. *cap.* 39. Fernandez *in Exam. part.* 2. *cap.* 8. §. 2. Nauar. *cap.* 21. Gabriel 4. *dist.* 16. *quæst.* 3. *art.* 1. Reginaldo *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 219. Syluius 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 4. & alij: Sed hoc intelligunt quando commodè ieiunare non possunt. Arbitror autem cum Diana *resol.* 10. id occurrere in Quadragesima, cùm continuè prædicatur, non autem si solis diebus Dominicis. Sic & Bassæus V. *Ieiun.* 2 *num.* 8.

93 De Lectoribus ait cum Fagundez *præcep.* 4. *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 19. non omnes excusandos, sed tantùm illos, quorum labor improbus est, vel adeo debiles sunt, vt sufficienter non possint studere, &c. Sic & Bassæus.

Qvoad peregrinantes ad loca sancta, non excusari, si commodè valeant differre, docent D.Thom. *art.* 4. *ad* 3. Syluius *ibi*, Villal. *tom.* 1. *tract.* 13. *dub.* 4. Fernan. *part.* 2. *cap.* 8. §. 2.

Enim verò hæc esse maiora bona, & fine alia causa à ieiunio eximentia, docent Sancius *disp.* 54. *num.* 1. Palao *part.* 1. *tract.* 3. *dub.* 1. Pasqual. *disp.* 341. Bassæus *num.* 9. Ortiz *sum. cap.* 19. Diana *resol.* 56.

94 Potest coniux non ieiunare, si impeditur à moderata redditione debiti, nam hæc est strictior obligatio iustitiæ iuris naturalis diuini: illa verò humani.

Itidem excusatur ob bonum matrimonij à marito prætensum, qui vetat ieiunium, ne nimirum debilitetur, neve pallore, vel squallore displiceat. Ità Pasqualig. *disp.* 281. Sanc. *disp.* 54. *num.* 24. Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 3. *num.* 21. Bonacina *punct. vlt. num.* 14. Fagundez *præcep.* 4. *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 18.

95 Bassæus *num.* 10. Dummodo non vetaret, vt hæreticus, in contemptum. Ità, si discordiæ imminerent, quas sustinere nequiret, potest, merito præcipienti ne ieiunet, obedire. Sic Sanchez *num.* 53.

QVÆSTIO VII.

De Sobrietate.

D.Thom. quæst. 149.

96 Affinis est abstinentiæ Sobrietas: Illa enim in cibis; hæc in potibus moderationem adhibet. De hac Ecclesiastici 31. *Æqua vita hominibus vinum in sobrietate*, &c.

Hanc esse virtutem specialem probatur, quia habet specialem difficultatem in remouendo impedimento, rationi contrario. Talis autem est sobrietas, quæ laborat in temperantia circa vinum, quod rationem perturbat. De quo S. Doctor *in Dieta*, *tit.* 3. *de Consiliis Euang. cap.* 4.

Assero secundò, non esse illicitum potum vini per se. Ità contra veteres quosdam hæreticos, D. Thom. *quæst.* 194. *art.* 3. ex D. Hieronymo *lib.* 1. *cont. Iouinian.* vt refertur etiam *Can.* Ab exordio, *dist.* 35.

Probatur ex Ecclesiastici 31. *Vinum in iucunditatem creatum est, & non in ebrietatem, ab initio. Exultatio animæ, & cordis vinum moderatè potatum.* Idem conceditur *prima Tim.* 5. Per accidens verò multa mala è vino oriri constat Ecclesiastici 31. Vide D. Bonauent. *serm.* 2. *Dominica prima post Epiphaniam.*

Assero tertiò, sobrietatem necessariam esse iuuenibus, & mulieribus ob pronitatem ad voluptates: senibus verò, & honoratis personis obtuendum rationis rigorem. Ità S.Thom. *quæst.* 149. *art.* 4. Hæc docet Apostolus *prima Timoth.* 3. *Titum* 2. 97

Hinc apud Romanos lex erat, vt mulieres vinum non biberent, vt notat D. Bonauent. *serm.* 2. *de S. Antonio Paduano*, vt refert Valerius maximus *lib.* 2. *cap.* 1.

QVÆSTIO VIII.

De Castitate.

Castitas definitur à D. Bonauent. 3. part. Centil. sect. 42. *Est abstinentia ab omni coitu illicito.* 98

Assero, eam esse virtutem.

Probatur à D. Bonauent. *de profectu religiosi*, *lib.* 2. *cap.* 42. & *in Dieta*, *tit.* 3. *cap.* 4. primo ex 16. Eccles. *Non est digna ponderatio continentis animæ*, & Matth. 13. & 2. Cor. 4. dicitur *thesaurus animæ.*

Probatur ab eo ratione, quia circa obiectum speciale arduum versatus, quod est moderatio venereorum, quæ est diuersa à moderatione ciborum, etsi hæc sit valida ad eam dispositio, vt egregiè, & latius differit, *allegatus locis*, S. Doctor.

Hvsvs gradus describit Seraphicus etiam *de gradibus virtutum*, *cap.* 4. infimus enim gradus est castitas coniugalis; altior vidualis; altissima virginalis, qualis fuit Ioannis, vt ait S. Doctor *in* 4. *dist.* 33. *dub.* 3. vbi etiam dicit Abraham hanc habuisse in habitu, quia scilicet quantum ex se est, virgo esse voluisset, & permansisset, cùm esset adeo sanctus, & temperatus; sed vxorem duxit ad successionem. 99

Ait autem *in* 3. *dist.* 26. *quæst.* 2. *ad* 4. verè castum complacere in actu, & vsu huius virtutis, vt docet Aristoteles 7. *Eth.* & *primo Rhetor.*

Obsecro perlegite Seraphicum Doctorem de Castitate disserentem *locis allegatis*, qui etiam *in Bibl. pauperum*, *cap.* 90. multa de Castitate è Scripturis affert. 100

QVÆSTIO

QVÆSTIO IX.

De VIRGINITATE.

101 EGIMVS suprà de Castitate, prout est materia voti; nunc eius omnimodam integritatem contemplabimur, quatenus ab omni mentis, & corporis corruptione immunis est: eam variis in locis tractat Seraphicus Doctor, & præcipuè *in Dieta*, *tit.*4. vbi illam in throno eburneo inter cæteras virtutes collocat, nimirum quia ad instar eboris Castitas frigida est contra concupiscentiam; solida, firmiter perseuerando; & candida innocenter conuersando; vnde sicut ebur lineo panno inuolutum, illum ab vstione conseruat; sic Castitas, dum intus in mente fouetur; foris corporis incendium auertit. Deinde ostendit S. Doctor Virginitatem fructum consequi centesimum, cùm sit præstantior castitate, seu coniugali, seu viduali; coniugalis enim Castitas fructum tantùm tricesimum sibi vindicat; vidualis sexagesimum; sed virginalis centesimum obtinet; quæ præthereà Deum consequitur tripliciter, currendo scilicet per bonam operationem, natando per internam deuotionem, & volando per supernam contemplationem; & sic Virgines sequuntur Agnum quocumque ierit, vt dicitur *Apocal.*14.

DVBITATIO I.

An VIRGINITAS *sit Virtus.*

D.Bonauent. in 4. dist 33. art.2. quæst.1.
D.Thom.2.2. quæst.152. art.3.

ASSERO, eam esse Virtutem nobilissimam.

102 PROBATVR à D.Bonauent. primò definitione Virtutis, ex Aristotele 2. Eth. cap.6. *Virtus est, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit*; est enim bona qualitas mentis: sed talis est Virginitas: Ergo. Minor probatur *in corpore*, Continentia virginalis tria dicit. Primum est, abstinentia ab omni coitu illicito. Secundum est, abstinentia ab omni coitu licito. Tertium, integritas mentis, & carnis, quæ sunt insignis perfectionis, cui propterea à D.Cypriano datur Encomium insigne, dum dicitur DECOR.

PROBATVR secundò ex definitione Virginitatis, quam habet S. Augustinus de S. Virginitate cap. 13. *Virginitas in carne corruptibili incorruptionis perpetua est meditatio.* Tunc sic: Illa est Virtus, quæ habet circa obiectum bonum specialem difficultatem: talis est Virginitas, quæ intendit, seu meditatur continentiam à venereis, difficilè vincendis: Ergo. Confirmatur à S. Bonauent. primò, si enim continere à copula illicita, est virtus, vt dixi *quæst. præcedente*: Ergo & ab omni licito temperari.

CONFIRMATVR secundò, quia Virginitate meremur Aureolam, seu præmium speciale in gloria, ideò enim Virgines *Apoc.*14. Agnum comitantur.

OBIICIAS primò. Omnis virtus, quæ non tendit immediatè in finem, vt sunt Theologicæ, in medio consistit; sed Virginitas non est Theologica, nec in medio consistit, sed in extremo, dum ab omnibus abstinet: Ergo.

RESPONDET S. Doctor hîc, & *serm.*5. *Hexaemer.* Maiorem non intelligi consistere in medio quoad obiectum, quia sic nullus esset castus, nisi cognosceret medietatem omnium mulierum de mundo; quia illud est medium inter aliquam, & nullam; sed intelligitur, vt sit medium inter delectationes, & tristitias; nam, qui nihil omnino sentit de passionibus carnis, hic insensibilis iudicatur, & hoc habet per materiam; qui verò omnino eis consentit, luxuriosus est; qui verò excitatur, & tamen non consentit, talis virtuosus est; sed hoc omnino benè est in Virginibus, quia aliquo modo caro excitat, quamuis non ita, sicut in corruptis. Hoc autem intelligitur loquendo secundùm virtutes politicas, & naturam lapsam; nam per superabundantem gratiam potest esse, quod non sentiat, & tamen virtutem habeat, vt patet in Christo, & eius Matre dulcissima. 103

OBIICIES secundò. Omnis virtus est in præcepto, nec vllus malè virtute vtitur, nec expellitur sine peccato; sed Virginitas non est in præcepto, eaque male vtuntur aliqui, & sine peccato amittitur, vt in matrimonio: Ergo omnes virtutes sunt connexæ; sed hoc non est dicendum de Virginitate; similiter recuperantur pœnitentiâ, non sic Virginitas. 104

NOTAT S.Doctor, in Virginitate esse tria. Primum est abstinere à vitio, & hic est habitus. Secundum, abstinentia ab omni copula, etiam licita, & hic est status perfectionis. Tertium est integritas mentis, & corporis, & dicit decorem. Quæ igitur obiiciuntur, vrgent de statu, vel decore, non de habitu. Ratione enim status, non est in præcepto, quia ad extremum tendit, & potest perdi sine peccato. Ratione etiam decoris perdi potest sine culpa, homine inuito, vt in violatis vi; malè etiam aliqui eâ vtuntur, nec amissa recuperatur. 105

DVBITATIO II.

An Virginitas præcellat Continentiæ coniugali.

D.Bonauent in 4. dist.33. art.2 quæst 2.
D.Thom.2.2. quæst.152. art.4.

DISTINGVIT S.Doctor hoc pacto: Possumus in Virgine considerare habitum virtutis pro vt vitio opponitur, statum perfectionis eius, & decorem. 106

QVOAD habitum, ex natura sua quidem recedens à vitio, & accedens ad virtutem, neque hîc sistens, perfectior est: talis autem est Virgo, tendens ad virtutem, pro vt vitio opponitur, quo sensu potest esse vt continens vidua, aut coniugata ex interiori amore virtutis, & odio vitij oppositi contineat; vel potest esse etiam, vt virgo præcellat.

QVOAD decorem, Virginitas semper præcellit coniugio, quia in eo est corruptio; in hac autem incorruptio.

QVOAD statum oportet distinguere status temporum. Vel enim comparantur secundum idem tempus, seu legis, seu gratiæ. Tempore legis præferebatur coniugium; tunc enim Virginitas erat vetita, & sterili maledicebatur; sed in tempore legis gratiæ, vbi non requiritur fœcunditas ventris, sed incorruptio, & puritas mentis, perfertur Virginitas. 107

SI autem considerentur pro suis quæque temporibus, vt continentia coniugalis tempore legis, &

virginitas tempore gratiæ; sicut in suo optimo; sic status statui non præfertur, nec meritum merito, dum tamen Charitas sit æqualis, & hoc est, quod dixit D. August. *de bono coniugali*, *cap.* 21. apud magistrum, quod cælibatus Ioannis non præfertur coniugio Abrahæ; singula pro suo tempore sumpta.

108 IGITVR continentia virginalis est dignior ratione statuum, relatorum ad tempus gratiæ, & ratione decoris virginitatis.

ASSERO igitur, virginitatem præcellere coniugali continentiæ, & virginem coniugatæ.

PRIMA pars est de fide contra Iouinianum hæreticum, vt referunt Hieronymus *duobus libris*, contra eum, & D. Augustinus *lib. de heres*, *cap.* 82. Altera pars est de fide contra Lotherum *in Epithalamio*, vbi coniugatam coram Deo, meliorem virgine dicit.

109 PROBATVR ergo primò à S. Doctore, quia virtus, quæ est circa obiectum, magis in arduo positum maioris est perfectionis; sed obiectum virginitatis est magis arduum, quàm coniugalis continentiæ: Ergo. Hoc ferè est argumentum, quo Apostolus *prima ad Cor.* 7. probat nostrum assertum, ibi enim virginitatem suadet, tanquam perfectiorem, & non audentibus ad tantam aspirare perfectionem, permittit coniugium, *quia melius est nubere, quàm vri*, & concludit, *Igitur qui matrimonio iungit virginem suam benè facit: & qui non iungit, melius facit.*

110 HINC aliud argumentum subdit S. Bonauent. ex eodem Apostolo. Opera perfectionis sunt consilij, & minoris perfectionis sunt indulgentiæ: sed virginitas est consilij: *De virginibus autem consilium do*, prima Cor. 7. matrimonium autem indulgentiæ est: *Secundum indulgentiam dico.* Confirmatur a D. Bonauent. *in Compend. Theol. lib.* 5. *cap.* 70. tanquam enim sublime suadet Christus virginitatem, dicens: *Qui potest capere, capiat.*

PROBAT tertiò, cui amplior fructus conuenit, id perfectius est: sed virginitati amplior fructus exhibetur, qui est centesimus; continentiæ autem trigesimus: Ergo. Minor patet è PP. ad parabolam.

PROBAT quartò argumento Christi *Matthæi* 22. Qui status est similior Angelis, est perfectior: talis est virginitas: Ergo.

EODEM argumento vtitur S. Doctor *de profectu Religiosi*, *cap.* 52. *& seqq.*

111 QVOD verò etiam virgines in concreto præcedant coniugatis; Probatur è SS. Patribus à D. Bonauent. *lib.* 1. *Phar. cap.* 38. D. Augustinus de S. Virginitate, c. 12. ait: *Profectò habebunt magnum aliquid Virgines præter cæteros in illa communi sanctorum immortalitate, quoniam habent aliquid iam non carnis in carne.* Et cap. 27. ad ea verba: *Virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quocunque ierit. Quo ire putamus hunc agnum? Certè quo nemo eum sequi vel audeat, vel valeat, nisi vos. Quo putamus eum ire, in quos saltus, & prata? vbi credo gramina sunt gaudia, non gaudia huius sæculi vana, insani, & mendacis, nec gaudia, qualia in ipso regno Dei cæteris non virginibus; sed à cæterorum omnium sorte distincta. Gaudia virginum Christi sunt, de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Gaudia propria Virginum Christi, non sunt eadem non virginum, quamuis Christi. Nam sunt aliis alia, sed nullis talia.*

112 IDEM epist. 79. *Gaudeat magis puella nobilis genere, sed nobilior sanctitate, quòd sit per diuinum consortium præcipuam in cælis consecutura sublimitatem, quàm si esset per humanum connubium prolem in terra propagatura sublimem.*

D. CYPRIANVS de disciplina, & habitu virg. *cap.* 3. ad ea verba: *sequuntur Agnum, &c.* inquit *Si Christum continentia sequitur, & regno Dei virginitas destinatur, Quid est virginibus Christi cum terreno cultu.*

D. AMBROSIVS tract. de hort. ad Virgines: *Qui non nubunt, neque vxores ducunt, sicut Angeli Dei in terris sunt, vt tanquam exuti corporis infirmitate, non quæ hominis sunt, sed quæ Dei, cogitent.* Idem de Virginibus: *Considerate, quia Virgines præ Apostolis resurrectionem Domini videre meruerunt*: inter hos enim Petrus fuerat coniugatus.

D. HIERONYMVS *epist.* 11. apud D. Bonauent. cap. 41. *Cùm in semente terra bona, centesimum, & sexagesimum, & trigesimum fructum Euangelia doceant; & centenarius pro virginitatis corona primum gradum teneat: sexagenarius pro labore viduarum in secundo sit numero: tricenarius fœdera nuptiarum ipsa digitorum coniunctione testetur, &c.* 113

OBIICIAS primò cum Brentio D. Augustinum lib. de bono coniugali, cap. 21. vbi ait: *Non est impar meritum continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham, qui filios generauit.*

RESPONDET Bellarminus *lib.* 2. *de monachis*, *cap.* 32. ex D. Bonauent. hîc, loqui secundùm status diuersorum; sic enim non comparatur virginitas coniugali continentiæ, sed disparatè vtrumque accipitur pro suo statu, in quo potuit esse perfectio Abrahæ non inferior, si æqualis fuisset Charitas.

OBIICIAS secundò, laboriosius est benè vti malo, quàm bono vti benè, & illud est perfectius: sed continentia coniugalis benè vtitur malo concupiscentiæ, eam restringens ad actus connubiales: Ergo. 114

RESPONDET S. Doctor, magis laboriosum, cæteris paribus, esse perfectius; sed laboriosior est virginitas, dum malum concupiscentiæ omnino frænat. Deinde ait, non esse paria cætera, ideò non sequi maiorem perfectionem; sicuti etiam vita actiua est laboriosior, quàm contemplatiua, ad quam ducit virginitas, & tamen hæc est perfectior, quia magis Deo appropinquat.

OBIICIES tertiò. Si optimum vnius generis est melius optimo alterius generis, & illud est melius: sed optima fœcunditas, quæ est B. Virginis, est melior optima virginitate. Melior enim est B. Virgo, quia mater, quàm quia Virgo: Ergo.

RESPONDET, Minorem fore veram, si illa fœcunditas prouenirет à natura ipsa fœcunditatis maritalis, sed prouenit ex singulari Spiritus Sancti operatione, quæ ad alias fœcunditates non extenditur. 115

OBIICIAS quartò; quod ad plura conducit, maximè ad gloriam, est melius; sed continentia coniugalis conducit ad plura, nempe, ad proles, & ad numerum electorum; at virginitas vni soli prodest: Ergo.

RESPONDET, Id, quod valet ad plura, sic intensa, vt vnum, esse melius; at virginitas valet ad vnum perfectius perfectionibus connubij, supposito statu, quo non desint humanæ generationes aliunde.

OBIICIAS quintò: Sterilis terra est maledicta Respondet S. Doctor. Virginitatem habere fructum centesimum.

OBIICIAS vltimò. Si homo stetisset, habuisset perfectas virtutes, non tamen virginitatem.

RESPONDETVR, tunc non habiturum statum virginitatis, sed solum habitum, qui status verè perfectior est in multis post lapsum, sic status fortitudinis quoad Martyrium, &c. 116

DVBITATIO III.

An Virginitatis præmium sit Aureola.

D.Bonauent. loco cit. quæst.3.
D. thom. art.5.

117 ASSERIT S.Doctor, habitui virginitatis respondere Auream, vt patet; & statui fructum; Aureolam autem decori; aureolæ enim assignantur his actibus, qui considerant aliquid extrinsecum, vt est corpus, vel proximus, quem ad patriam ducit. Ideò decor erit Doctoribus, qui alios erudierunt; & Martyribus, qui corpora ad mortem tradiderunt, & quidam decor erit Virginibus, quæ corpus incorruptum pro Christi seruarunt, & ille decor, illudque gaudium, Aureola dicitur.

PROBATVR ergo primo *Exodi* 25. vbi Aureolam iubet fieri super mensam Sanctuarij. Et *Apoc.* 12. vbi mulier amicta Sole erat coronata duodecim stellis.

118 DEINDE, quia maxima est pugna carnis; ideò & nobilis ei corona debetur.

QVÆRAS, cur debeatur aureola virgini; non enim ex difficultate ei debetur, nam difficilius est voluntatem abnegare; neque ratione perfectionis, quia perfectius est inimicum diligere.

RESPONDETVR, ei deberi ratione decoris, vt dixi. Reliqua sunt facilia in S.Doctore.

QVÆSTIO X.

De CONTINENTIA.

D.Thom. quæst 155.

119 CONTINENTIA est virtus cohibens exorbitantes motus voluntatis, qui solent existere ex motu passionum appetitus sensitiui mouentis voluntatem ad ea, quæ sunt contraria rectæ rationi. De hac Aristoteles 7. *Eth.* Hanc definit S.Doctor Opusc. declarat. termin. Theol. *Continentia Temperantiæ est regimen cupiditatis per consilij gubernationem.* Colligitur è Cicerone 2. *de Inuent.* vt notat S. Doctor *in Compend. Theol. lib.5. cap.35.*

120 DE Continentia habes multa ex PP. in D. Bonauent. *lib.4. Pharetra, cap.45.* vbi ab illis sumitur etiam pro Castitate, sed nunc agimus de Continentia, qua firmatur voluntas contra passionum impetus. Hæc autem, cùm non etiam id efficiat, vt eiusmodi perturbari passionum motus compescantur, sed tantùm ne ab eis insurgentibus voluntas vincatur, & dimoueatur ab eo, quod est rationi consentaneum, non est omnino perfecta virtus, vt notat Valentia *disp.9. quæst.2. puncto* 2. quamuis, vt obtinet quidem victoriam aduersus insurgentes passiones, virtus aliqualiter dici queat, vt docet D. Thom. *art.* 1. ex Aristotele 4. *Eth. cap.5.*

DVBITATIO XI.

De MANSVETVDINE.

D Bonauent. lib.5. Comp. Theol. verit. cap.49. & alijs ll.
D.Thom. quæst.157.

MANSVETVDO *est virtus statuens moderationem in appetitu vindictæ*, idest, in ira, seu in sustinentia iniuriarum, vt docet D. Bonauent. *in Hexaëmer. serm.5. & lib.5. Compend. Theol. ver. cap.49.* vbi eandem eam cum mititate virtutem asserit, de qua dicitur *Beati mites, &c.* Differt à patientia, quæ est in sustinentia molestiarum corporalium. 121

HANC esse virtutem patet, quia versatur circa obiectum arduum moraliter bonum, quod est moderatio iræ.

PROBATVR etiam quia *mansuetorum ei semper placuit oratio*, vt dicitur *Iudit.9. & Numer.12.* Moyses dicitur *inter homines mitissimus*, & laudatur & Matth.5. *Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.* Hæc S.Doctor *in Diæta, tit.7. cap.2.* qui addit, etiam Christum vt mansuetum laudari, Hierem. 11. *Ego quasi agnus mansuetus*, & Psalm.44. *Propter veritatem, & mansuetudinem, &c.*

De hac vide ibi præclara; maximè circa hominis naturam, à feris diuersam.

HANC veritatem, & eruditionem, & informationem in rebus diuinis aptam dispositionem asserit Iacob.1. *In mansuetudine suscipite insitum verbum.* Deinde non impugnantur, sed hæreditant terram, vt dicitur *Matth.* 5. Tertiò eleuantur, sicut Christus, qui venit mansuetus, Matth.21. & Psal.75. *Exurget in iudicio Deus, vt saluet omnes mansuetos terræ.* Quartò, ampliùs honorantur, Psalm. 146. *Suscipiens Dominus mansuetos.* Hæc S.Doctor in Diæta, *tit.8. cap.4.* 122

HANC tamen virtutem non semper adhibendam, sed aliquando seueritatem, monet S. Doctor ad ea verba Ioan.6. *Quæritis me, quia vidistis signa*, ait igitur, aliquando necessariam esse magistro seueritatem, & disciplinam, cùm discipulus fuerit deses, & grossus. Ideò *serm 5. Hexaëmer.* ait, mansuetudinem esse contra Irascibilitatem, & iracundiam, non vt penitus homo non irascatur, sed vbi debet, & quando debet, vt dicitur 2. *Eth. cap.7. & lib.4. cap.6.* 123

QVÆSTIO XII.

De CLEMENTIA.

D.Thom. quæst. 157.

CLEMENTIA est virtus, modum adhibens rationi rectæ conuenientem in ipsa externa punitione, & sic potissimè competit superioribus erga subditos, vt docet D.Thom. *quæst.157.* Quare mansuetudo, & clementia ad eundem effectum valent; Quo fit, vt sæpe pro eadem nominentur. Ita Cicero *lib.2. de Inuent.* definit, *Clementiam esse, per quam animi, temerè in odium alicuius illecti, concitatique, comitate retinentur.* Quæ definitio vtrique virtuti aptatur. 124

SVNT tamen diuersæ, nam alia est difficultas, atque adeò etiam laus in refrænanda ipsa ira; & alia in moderanda punitione externa; sæpe tamen coniunguntur: & hoc voluit S. Doctor *in declar. terminorum, Theol.* definiens Clementiam: *Est virtus per*

quam animus in odium alicuius temerè concitatus, benignitate remittitur, vbi videtur simul mansuetudinem cum clementia coniungere, sicuti etiam D. Gregorius, lib. 22. moral. cap. 7. *Perfecta mansuetudinis, & clementia laus est, aduersa perpeti, & exterius fortiter, & interius clementer.*

125 D. AVGVSTINVS epist. 13. *Malis parce, vir mitis, & bone: & quantò melior es, tantò mitior esto; & quantò sis celsior potestate, tanto humilior fias pietate.*

Seneca de Clementia, lib. 1. cap. 22. *Verecundiam peccandi facit ipsa Clementia regentis*, & cap. 20. *Clementem vocabo, non in alieno dolore facilem, sed eum, qui cùm suis stimulis exagitetur, non prosilit: qui intelligit magni animi esse, iniurias in summa potentia pati, nec quicquam esse gloriosius Principe impune læso*, &
126 cap. 3. *Nullum clementia ex omnibus magis, quàm Principem decet, nam pestifera vis est valere ad nocendum.* Hæc omnia refert S.Bonau. *lib. 2. Pharetra, c. 40.*

QVÆSTIO XIII.

De MODESTIA.

D.Bonauent. vt infrà.
D.Thom. quæst. 143.

127 MODESTIA definitur à D. Bonau. in opusc. declaratorio term. Theologiæ: *Modestia est virtus, qua pudor honestatis comparat puram, & stabilem authoritatem.* Idem habet lib. 5. Compend. Theol. cap. 35.

HÆC sanè est virtus constituens moderationem in actionibus humanis, præsertim externis motibus corporis, cuius tres partes dicit esse S. Thom. *q. 143. art. vnic.* scilicet Bonam ordinationem, Ornatum, & Austeritatem.

BONA ordinatio constituit modum in externis corporis actionibus; vt id aut fiat, aut non fiat, aut eo ordine fiat, quo expedit, vt docet D.Thom. *art. 1.* Per Ornatum afficit modestia, vt quod fit, fiat decenter. Per Austeritatem, vt colloquia cum amicis, vel aliis habeant maturitatem quandam, quæ personæ, & rebus ipsis conueniat. Ità Valentia *disp. 9. quæst. 1. puncto 2.*

128 HÆC probat, atque declarat S. Doctor *lib. 2. Phar. cap. 41.* authoritatibus Patrum. D. Ambrosius *lib. 1. de offic. cap. 18. Magna virtus modestia, quæ cùm sit etiam sui iuris remissior, nihil sibi vsurpans, nihil sibi vendicans:* Et cap. 43. *In modestia maximè tranquillitas animi, studium mansuetudinis, moderationis gratia, honestatis cura, decoris consideratio spectatur, & quæritur.* D.Augustinus de vita beata, disp. 3. *Modestia dicta est à modo, sicut à temperie temperantia: Vbi autem modus est, atque temperies, nec plus est quidquam, nec minus.* Vide alia ibi.

QVÆSTIO XIV.

De HVMILITATE.

D.Thom. quæst. 161.

129 HVMILITAS est virtus ità cohibens passionem Spei, & Audaciæ, vt non velit quis vllo in genere sibi quidquam tribui vltra id, quod ipsi congruit, habita ratione propriæ dignitatis. Hanc asserit D.Thom. esse speciem quandam modestiæ, & ibidem *art. 3.* docet, non repugnare humilitati, vt quis cognoscat dona, quæ à Deo acceperit, iuxta id prima Cor. 2. *Non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* Nihilominus tamen docet D.Thom., ad Humilitatem pertinere, vt quis alios reputet sibi superiores, vel comparando ea, quæ nos habemus naturaliter cum his, quæ alter habet ex gratia, vel defectus nostros cum bono alterius. Ideò eam definit S.Doctor lib. 2. de profect. relig. cap. 29. *Est ex intuitu propriæ conditionis, vel fragilitatis voluntaria mentis inclinatio.* Vel ex D.Bernardo, tract. de duodecim gradibus humilitatis: *Humilitas est virtus, qua homo verissima cognitione sui, sibi metipsi vilescit.*

DVO autem motiua affert S. Doctor huius de- 130
missionis: Considerare quod sumus, & quod non sumus: Quod enim sumus, non habemus, à nobis, neque ex meritis nostris primò; ideò ne hinc extollamur, ratio dictat, sed vt omnia referamus in Datorem, ne nobis adscribentes, quæ sunt Dei, simus fures, ait enim Isa. 42. *Gloriam meam alteri non dabo.* Quod autem non sumus, pariter monet nos humiliari, quia gloria inanis est extolli de eo, quod non habemus, veluti si Pygmeus se gigantem acclamet; inops se diuitem prædicet, veluti ille Antistes *Apoc. 3.* vel Æthiopa se niue candidiorem proclamet.

TRIPLICAM verò Humilitatem nobis esse 131
necessariam ait S.Doctor. Prima ad nos, vt considerantes nostram vilitatem, nos ipsos despiciamus. Secunda humiliter nos habendo, vt dicitur Psalm. 34. *Quasi lugens, & contristatus sic humiliabar.* Tertia in humilibus nos obsequiis exercendo. Ita 2. *Reg. 6.* aiebat Dauid: *Ludam, & vilior fiam, plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis.*

SECVNDÒ debemus esse humiles in ordine ad proximum, & quidem primò eos nobis superiores æstimando, vt dicitur Philip. 2. *Humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes.* Secundò honore exteriori inuicem præuenientes, reuerendo, inclinando, primum locum cedendo, non ei detrahendo, sed obediendo, & obsequendo. Tertiò debemus eorum infirma opera tolerare, vt dicitur Psalm. 34. *Cum mihi molesti essent, induebar cilicio, humiliabam, &c.* Vide S.Doctor *cap. 31. libri allati.*

TERTIO debemus humiliari ad Deum. Primò 132
eum agnoscendo nostrum Dominum, Conditorem, &c. Secundò subiiciendo nos eius voluntati, & flagellis, ea agnoscendo debita nostris demeritis, vt dicitur Mich. 7. *Iram Domini portabo, quoniam ipsi peccaui.* Tertiò ne de beneficiis eius extollamur, sed cum psalmista dicamus: *Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam*, Psalm. 113.

TRES gradus assignat humilitatis: Primus est vt nostram vilitatem, & nostra peccata considerantes, mente humili nos agnoscamus inopes, nec extollamur, nec laudes, & honores appetamus.

SECVNDVS gradus est, cùm non solùm se spernit homo, sed etiam ab aliis sperni patienter accipit; imo quia veritatem amamus, aliquia optat censeri ab aliis, qualem se ipse agnoscit abiectum.

TERTIVS gradus est, quando in magnis etiam 133
donis homo non sibi blanditur, sed totum refert in supernum Datorem: Talis fuit humilitas B.V. quæ cùm ad dignitatem Dei matris se euectam intueretur, ancillam se confitetur *Luca 1.* & Christus in forma Dei se humiliauit, *Philip. 2.* Ideò *Matth. 11.* ait: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Talis est humilitas Angelorum, & Sanctorum in gloria, vnde ouibus mansuetis in montibus comparantur. Vide S. Doctorem *cap. 33. & de gradibus virtutum, c. 3.* & *p. p. Centil. sect. 18.* Hæc late prosequitur Rodriquez.

MVLTA

Mvlta alia præclara de Humilitate docet *in Diata, tit. 7. cap.* 1. quæ transcribere nolo, remittens ad fontem perennem cælestis aquæ.

134 Plvrima humilitatis exempla è scripturia habet S.Doctor *in Bibliis pauperum, cap.* 97.

Plvrima è SS.Patribus colligit *lib.4. Pharetra, cap.* 12. vbi etiam duodecim gradus humilitatis affere è D. Bernardo *de 12. gradibus humilit.* qui etiam in D.Thom. reperiuntur.

Mvlta item habet *serm.2. Dom.16. post Pentec.* & *serm.2. de vno S.Confessore*, & *serm.5. de vno S.Martyre.* & *serm.2. in festo omnium Sanctorum.*

Reliquæ partes Potentiales Temperantiæ suprà, indicatæ sunt, nec latiùs incedam.



DISPVTATIO II.

De Vitiis oppositis Virtuti Temperantiæ.



NVnc de Vitiis Temperantiæ oppositis disserendum, quæ plurima, & turpissima sunt; quò enim Virtus aliqua spiritualior, & altior est, eò vitia, quibus impugnatur, deteriora sunt, & velut luto infixa. Pro triplici autem parte integrali Temperantiæ, Abstitinentia scilicet, Sobrietate, & Castitate, tria sunt vitia aduersa, Gula, Ebrietas, & Luxuria: De prima, & secunda agemus duabus sequentibus quæstionbus; Tertiam verò, quippe in varias species partitam, per plures dubitationes expendam. Gulam perbellè describit S. Doctor *in Diæta, titulo 2. cap. 8.* vbi concinnis eam comparationibus explicat, ipsum vide.

QVÆSTIO I.

De Gvla.

D.Thom.quæst.148.

1 HOc vitium opponitur Abstinentiæ, quæ est pars integralis Temperantiæ. Definitur à D.Bonauent. *p.p.Cent.sect.*23. & in Opusc.declaratorio term.Theologiæ: & in Diæta, tit. 1. cap. 8. *Gula est immoderatus amor edendi.* Ad hoc vitium spectat etiam potus, prout est pars alimenti, & hoc sensu definitur à S. Doctore *Gula est immoderatus amor alimenti.* Sub alia verò ratione, potus, vt excedit ad insatiam, spectat ad ebrietatem, vt notat Tanner. *disp.3. quæst.3. dub.3.* & D. Bonauent. hîc.

2 Notat secundò S. Doctor quatuor differentias Gulæ ex D. Isidoro *lib.2. sent. cap.*42. Quid, Quantum, Qoando, & Quomodo. Quid, ad ipsam rem pertinet: Quando, si ante legitimum tempus appetat: Quantum, ad immoderantiam refertur: Quomodo, si nimis ardenter appetat.

Secvndvm D. Gregorium *lib. 30. moral. cap.* 13. sunt quinque differentiæ hoc versu comprehensæ.

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

Præpropere pertinet ad sumptionem cibi ante tempus: Lautè, pertinet ad cibi substantiam, cùm scilicet ex se pretiosus, & delicatus est: Nimis, ad cibi quantitatem spectat. Ardenter, attenditur ex parte affectiuæ. Studiosè, ex parte cognitiuæ. Duas istas vltimas differentias sub ea, quæ est quarto modo, comprehendit Isidorus.

Qvinqve sunt filiæ Gulæ, scillcet Inepta Lætitia, Scurrilitas, Immunditia, Multiloquium. Hebetudo mentis, vel sensus circa intelligentiam. 3

Inepta lætitia est voluntas per exteriores lusus excitans libidinem in gustu, & ex ipsa postmodum excitata.

Scvrrilitas est voluntas, per verba carnalia libidinem gustus commouens, & in ipsa postmodum commota.

Immvnditia est voluntas per nimiam sibi sumptionem, libidinem in gustu continuare desiderans..

Mvltiloqvivm est voluntas per multiplicationem verborum, intendens in gustu conseruare libidinem.

Hebetvdo mentis est voluntas conseruandæ libidinis propriæ carnis, absorpta, intelligere spiritualia fastidiens. Idem habet D.Thom. *art. 5. & 6.*

Secvndvm Isidorum *in Deuter. cap.* 16. sunt duæ filiæ Gulæ: Commessatio in cibo, & Ebrietas in potu. Dicitur Commessatio *Castrimargia*, vt notat S.Doctor *in Diæta, tit.1. cap.*8. Dicitur autem Castrimargia à *Castro*, & *Mergo*, quia omnia mergit in castro ventris. Ebrietas dicitur, quasi *extra-Briam* Bria enim dicebatur antiquitus calix, qui erat mensura potus: Vide S. Doctorem, & ibi præclara perleges.

Secvndvm Cassianum *lib. 5. de spiritu Castrimargia, cap.* 23. sunt quatuor species. Prima est ante debitum tempus, vel sæpius, quàm deceat, comedere præter necessitatem, more pecudum. Secunda est, cum nimia auiditate, & impetu quosdam vocare, sicut Lupi, & canes famelici. Tertia, nimis se implere. Quarta, nimis lautè, vt refert S.Doctor *de profectu Religiosi lib.1. cap.*36. vbi etiam remedia gulæ affert, quæ vide in eo, non enim transcribo, quia prolixa, & præclara in ipsa habentur orgine, quam consule. 4

Asserit S. Doctor *lib.3. Comp. Theol. cap.*27. Gulam ex genere suo esse peccatum veniale, quia appetitus comedendi ex sua ratione non subiacet dominio voluntatis, sed natura nobis inest, quod potest esse quinque modis. Primò, si est merus appetitus cibi, & hic non est colpa, nec etiam delectatio, cibum consequens, est peccatum in quantum ordinatur contra defectum cibi contrarium, hæc enim sunt purè naturalia, in quibus non est meritum, nec demeritum. Secundus si appetitui necessitatis adiungitur appetitus delectationis, & voluptatis in cibo, & hoc est peccatum veniale: Tertiò si est ibi transgressio præcepti, vt si frangat absque necessitate ieiunium Ecclesiæ, vel comedit carnes sibi vetitas sub mortali. Quartò, cùm appetitus edendi est cum libidine, vt cum nimio, & formali affectu inhæret delectationi cibi, & hoc est mortale. Quintò, si ducitur in consuetudinem talem, quæ facit totam vitam hominis delectationibus huiusmodi deputari, & hæc est vicina mortali. Eadem ferè habet S. Thom. Valentia *disp. 9. quæst. 3. puncto* 1. Tannerus *disp. 3. quæst. 3. dub. 3.* 5

6 TRADIT verò *in Confessionali*, quomodo interrogandus sit pœnitens in confessione circa hoc vitium, secundùm tres gradus gulæ. Primus si se repleuit, & frequenter, præposuitque epulas dilectioni, vel delectationi Dei, ità vt non delectaret eum, quidquam boni agere. Secundus, quando non vult ieiunare, vel immundè ieiunat, bibendo vinum ante prandium. Tertius, si comedat, vt fortior sit ad peccandum. Quærat etiam iuxta species gulæ allatas, si nimis sæpè in eis peccauerit? si variis sit vsus? si noua quæsiuit? si pretiosa? si ob delectationem comedit nociua, maximè in infirmitate?

DE Gula habet præclara S. Doctor è SS. Patribus *in Pharetra*, *lib.* 2. *cap.* 12.

7 D. GREGORIVS lib. 31. cap. 57. *De ventris ingluuie inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam oritur*, & lib. 30. cap. 13. *Quinque nos modis Gula vitium tentat. Aliquando namque indigentiæ tempora præuenit. Aliquando verò tempus non præuenit, sed cibos lautiores quærit. Aliquando quælibet sumenda præparari accuratius expetit. Aliquando autem & qualitati ciborum, & tempori congruit, sed in ipsa ciborum quantitate, sumendi mensuram refectionis excedit.* Et cap. 14. *Nonnumquam verò, & abiectum est, quod desideras, & tamen ipso æstu immensi desiderij deteriùs peccas. Exemplum de primo habetur in Ionatha: De secundo in Israelitis: De tertia in filiis Eli: De quarto in Ezechiele: De quinto in Esaü.*

D. ISIDORVS de sum. bono, lib. 2. cap. 43. sent. 8. *Cui abundantia est epularum, ardentis diuitis attendat supplicium, cuius tanta in inferno inter ignes erat inopia, quanta hic fuerat epularum copia.*

8 MVLTAS verò practicas propositiones è Patribus addit.

D. GREGOR. in Past. part. 3. cap. 2. admon. 20. *Gulæ deditos, superfluitas locutionis, leuitas operis, atque luxuria: abstinentes verò sæpè impatientia, atque tristitia, sæpè verò superbia culpa comitatur.*

D. BERNARDVS in Apol. ad Guliel. Abb. ante medium: *Inter animalia magnorum corporum nulli dedit natura tam paruum os, secundùm corporis quantitatem, sicut homini, quod factum est ad commendationem temperantiæ, & ad detestationem Gulositatis* Seneca ait: *Ventri obedientes, locò animalium vivimus, non hominum.* Et serm. de conuers. ad cler. cap. 12. *Voluptas gutturis, quæ tanti hodie æstimatur, vix duorum habet longitudinem digitorum; non durat nisi quantum durat transitus ille per gulam, & pro illa transitu vult domina Gula, tot & tanta sibi præparari.*

9 Ex dictis assero primò, Gulam esse peccatum, & quidem mortale, si vel ponat in ea finem, vel omittat aliquod præceptum. Probatur ex Patribus relatis. D. Gregor. *loco vltimo*, &c.

RATIO S. Doctoris est, quia Gula est inordinatus appetitus contra rationem, & si in eo ponitur finis, est grauis inordinatio, vt in omni materia accidit, vt monet Valentia *loc. cit.* & Tanner. ac D. Thom. *art.* 2. cum D. Bonauent. *loco citato*.

ASSERO secundò, Gulam non esse maximum peccatum. Ità D. Thom. *art.* 3. iuxta D. Gregorium *lib.* 33. *moral. cap.* 11. dicentem, Vitia carnalia esse minoris culpæ; quia ei admiscetur necessitas, vt ait S. Gregor. 30. *moral. cap.* 28.

PER accidens tamen est graue admodum ob malos effectus, vt innuit Ezech. *cap.* 6.

10 ASSERO, quinque species Gulæ allatas, esse diuersas, etsi è circumstantiis tantùm videantur distingui. Ratio est, quia habent diuersa motiua in genere Gulæ. Ex his autem species morales diuersificantur. In eo enim, qui quærit lautos cibos, excitatur concupiscentia ex ipsa specie cibi. In eo verò, qui præoccupat tempus, deordinatur ex impatientia moræ. Et idem patet in aliis, vt monet Tanner. *num.* 40. ex D. Thom. *ad argumenta*, & D. Bonauent. *locis adductis*.

S. DOCTOR *in speculo animæ*, *cap.* 3. admonet, anticipationem illam eorum, qui statim è lecto volunt comedere, modò brutorum ex praua consuetudine, etiam absque appetitu, esse graue peccatum, & vix posse contingere, quin à radice mortali procedat.

SIMILITER in frequentia ait, posse esse mortale, vnde commessatio inter opera carnis à regno Dei excludentia numeratur *cap.* 5. *ad Galatas*.

ASSERO quartò, mortale esse etiam vesci carnibus humanis. Sic enim grauiter prohibentur *Genes.* 9. 11
Ratio est, quia cibus est ordinatus ad sustentationem vitæ humanæ, atque adeò debet esse quid inferius corpore, quod vesci debet, vt medium ad finem. Itaque naturale lumen dictat, non rectè vsurpari in cibum, nisi quod est ignobilius ipsa humana carne, vt arguit Valentia. Confirmatur à Victoria, nam esus carnium est contra obseruantiam, debitam humano generi.

Ex quo vterque deducit, neque in extrema necessitate licere carnibus humanis vesci, aut mortuis contra Caietanum *quæst.* 148. *art.* 2. & Tostatum *in* 6. *cap. lib.* 4. *Regum*.

PROBATVR, quia per se est intrinsecè malum, 12
non minus, quàm ad speciem conseruandam copulam habere cum brutis, vt indicat D. Thom. *art.* 4. *ad* 3. Quod si id non esset tale, iam in obsidionibus liceret, quod est falsum, nam si aliquando id factum est, fuit iudicatum horribile, vt refert Iosephus *lib.* 7. *de Bello Iudaico*, *cap.* 8. vt habetur 4. *Reg.* 6.

QVÆSTIO II.

De EBRIETATE.

D. Thom. quæst. 150.

EBrietas est nimia liquoris inebriantis potatio, vt dixi 13
quæstione præcedenti.

ASSERO primò, ebrietatem esse peccatum ex genere mortale.

PROBATVR primò à D. Bonauent. *in speculo animæ*, *cap.* 3. ex 5. *ad Galat.* inter opera mortalia ebrietatem connumerat; & subdit: *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

SECVNDÒ probat ratione, qua vtitur etiam D. Thom. hic Tanner. *d.* 3. *quæst.* 3. *d.* 3. *num.* 49. Valentia *d.* 9. *quæst.* 3. *puncto* 2. & alij, & indicatur à D. Isidoro *lib.* 2. *de summo bono*, *cap.* 43. *sent.* 1. & 2. apud D. Bonauent. *lib.* 2. *Phar. cap.* 12. is enim, qui vim vini, præuidens, eo se inebriat, voluntariè se priuat vsu rationis, & consequenter omnium peccatorum periculis se exponit. Vnde Ambr. *lib.* 1. *de Abraham*, *cap.* 6. & refertur 15. quæst. 1. cap. sanè, vbi habetur: *Vitandam discimus ebrietatem, per quam crimina vitare non possumus, nam quæ sobry cauemus, per ebrietatem ignorantes committimus.*

OBSERVAT autem S. Doctor *ad cap.* 2. *Ioan.* 14
in ea verba: *Et cum inebriati fuerint*, &c. In ebrietate tres gradus. Prima enim ebrietas est ad rationis aliqualem obnubilationem. Secunda est ad organorum, & cordis aggrauationem, & disturbationem. Tertia ad

ad rationis subuersionem. Prima est venialis, nisi fortè ratione personæ, vel officij, vel temporis, sicut in Sacerdotibus Legalibus fuit tempore sui officij, *Leuit.* 10. Ebrietas secundo modo est periculosa; vnde ait Saluator, Lucæ 21. *Non grauentur corda vestra crapula, & ebrietate.* Tertia verò est mortalis, quod probat ex 23. Prou. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? &c. Nonnne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* & ex 5. Isa. *Væ qui potentes estis ad bibendum. Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem.*

15 Certum est autem quando Deus intimat væ esse ob graue crimen, vt obseruant commoniter SS. PP. & Expositores, præsertim S. Bonauent. *in Euang.* sæpius.

Idem probatur ex D. Basil. *homil.* 14. Ambros. *lib. de Elia, & ieiun. cap.* 16. Hieron. *in cap.* 5. *ad Galat.* Chrysost. *homil.* 57. *ad populum Antioch.* & *homil.* 18. *in Matth.* Augustino *serm.* 231. & 232. *de temp.* qui omnes ebrietatem, tanquam graue peccatum insectantur.

Observat etiam S. Doctor *in speculo animæ, cap.* 3. posse ebrietatem esse sine peccato, si non fuerit præuisa inuincibiliter. Quod si fuit præuisa, & sequantur alia peccata, non excusantur. Vnde & D. Augustinus *lib.* 22. *cont. Faustum, cap.* 44. excusat Lot ab ebrietate. Sed de hoc egi *prima secunda, Tract.* 1. *disput. de voluntario.*

Quærunt verò: An licita sit ebrietas ad medicinam.

16 Respondet Caietanus hîc *art.* 2. licere, quia est ebrietas tantùm materialiter, cùm non sit ad delectationem. Idem habet D. Thom. *art.* 2. *ad* 3. vbi negat solùm, ebrietatem non esse licitam ad vomitum, quia hic potest aliis mediis prouocari, vt notauit Tanner. *num.* 53. Probat, quia si licet potum soporiferum sumere, ità in dicto casu.

Addit tamen, non licere ob mitigandum, vel non sentiendum dolorem in recisione alicuius membri, vel alium grauem dolorem temperandum, alioqui liceret inebriare eos, qui ducuntur ad supplicium, post quam dispositi sunt ad mortem.

17 Hæc mihi non placent, si enim non licet ob grauissimum dolorem in mutilatione temperandum, ex quo sæpè mors sequitur, non video quando liceat ad sanitatem; neque est bona illatio de his, qui ducuntur ad mortem, qui ex iustitia ad eas pœnas tenentur, & in articulo mortis egent tempore ad actus virtutum ad pœnitentiam. Antiquitus verò dabatur vinum myrrhatum crucifixis, quod Christus noluit, vt dicitur in Euangelio.

18 Asserò vltimò, ebrietatem, quò minus voluntaria est, eò magis peccatum ex ea consecutum diminuere, adeóque cum inuoluntaria est, omnino à peccato excusat. Ità S. Doctor *in speculo animæ, cap.* 3. D. Thom. *quæst.* 150. *art.* 4. quod probant ex D. Augustino *lib.* 22. *contra Faustum, cap.* 44. vbi ait, Lot excusari ab incestu ob ebrietatem, dicens, *Lot culpandus, non quantum incestus, sed quantum ebrietas meruit*; hæc autem cùm fuerit inuoluntaria, sequitur, eum excusari.

Quod si ebrietas fuit venialiter voluntaria; neque peccata sequentia erunt mortalia, quia non sunt ipsa magis voluntaria, quàm sua causa, vt notat Valentia *puncto* 2.

19 Tandem inebriare etiam aliom, vel directè inducendo, vel indirectè inuitando illum ad bibendum, quando attentis circumstantiis præuideri potest, & debet, futurum, vt se inebriet. Ità D. Thom. *art.* 1. *ad* 3. D. Bonauent. *ad* 2. *Ioan.* & alij; nam cooperari ad malum, perinde est, ac malum facere. Ità Ambr. *de Elia, cap.* 13. Augustinus *serm.* 131. *de Temp.* & *serm.* 132. apud Valentiam.

Notat autem S. Doctor *locis suprà citatis* Hexaëmer. vitium oppositum ebrietati per defectum esse innominatum, sicut & insensibilitas, quæ renuit necessarias delectationes Gustûs, & Tactûs, vt docet Philosophus 2. *Eth. cap.* 7. & *lib.* 3. *cap.* 11. rationem autem reddit, quia pauci inueniuntur, qui in voluptatibus deficiant, & ideò hoc peccatum rarum est.

Potest autem hoc peccatum esse mortale, si 20
quis repudiet ex insensibilitate delectationes necessarias ad vitam seruandam, puta cibo, vel potu; aut ad satisfaciendum coniugij debito. Ità D. Thom. *quæst.* 142. *art.* 1. & D. Bonauent. *in serm.* 5. *Hexaemer.* Caiet. *verb. Insensibilitas*, Valent. *quæst.* 3. *puncto* 1.

Docet autem Vasquez *tom.* 1. *d.* 227. *cap.* 3. apud Dianam *part.* 4. *Tract.* 6. *Miscel. resol.* 52. aliquas actiones ebriorum eis non imputari, etiamsi ebrietatem præuidissent. Talia sunt contumeliæ, ex quibus non seqnitur aliquod damnum proximo. Similiter blasphemiæ, & periuria, quia hæc postulant scienter fieri. Eandem opinionem docent Salas *prim.* 2. *tract.* 13. *disp.* 5. *sect.* 14. Saytus *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 41. Tanner. *prim.* 2. *parte* 4. *disp.* 4. *quæst.* 3. *dub.* 3. *num.* 65.

Mihi tamen hæc opinio non probatur, quia 21
hæc sunt voluntaria in causa, & sunt contumeliæ veræ in Deum, vel proximum. Ità Sanchez *sum. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 44. Medina *prim.* 2. *quæst.* 71. *art.* 5. Caiet. 2. 2. *quæst.* 150. *art.* 4. *d.* 2. Addit Sanchez contra Vasquez, fornicationem in somnia cauendam, cùm sit in damnum prolis, sicuti ipse Vasquez fatetur, cauenda esse ea, quæ vergunt in damnum tertij.

Diana vtramque opinionem censet probabilem.

Notat etiam contra Sotum 4. *d.* 12. *quæst.* 1. 22
art. 7. Medinam *prim.* 2. *quæst.* 71. *art.* 5. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 51. *in Glossa, litt. F.* Sanchez *de matrim. tom.* 3. *lib.* 9. *d.* 45. *num.* 28. Salas *prim.* 2. *tract.* 13. *d.* 2. *sect.* 9. Becanum *prim.* 2. *tract.* 2. *cap.* 3. *quæst.* 6. Tannerum *prim.* 2. *d.* 4. *dub.* 3. *num.* 35. Suarez *tract.* 5. *d.* 3. *sect.* 4. opera in ebrietate contingentia, & omnia alia, quæ non manent amplius in potestate operantis, non esse informata morali malitia, atque adeò non esse peccata, sed tantùm peccati effectus. Consentiunt Vasquez *prim.* 1. *Tom.* 1. *d.* 94. *cap.* 2. Azor. *Tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *quæsito* 1. Saytus *lib.* 2. *cap.* 6. Herera *in* 2. *disp.* 20. *quæst.* 8. & ipse Sanch. probabile censet. *Tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 46.

Hæc tamen solùm arbitror vera, quando post epotationem, antequam cacedat, pœnitentiam habeat, quia causa fuit intrinseca. Ità Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 7. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 5. *in Gloss. litt. H.* Medina *prim.* 2. *quæst.* 71. *art.* 5. Becan. *prim.* 2. *tract.* 2. *cap.* 3. Graff. *decis. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 88.

Imò addit Diana cum Soto suprà, Sanchez *de* 23
matrim. tom. 3. *lib.* 9. *d.* 45. *n.* 29. Salas *prim.* 2 *tract.* 13. *d.* 6. *sect.* 8. *num.* 59. & aliis, quod si ante ebrietatem, vel antequam subsequantur talia peccata, confiteatur, & accuset se de causa data, non tenetur postea confiteri, si talia peccata sequantur.

Addit Henriquez, ea peccata nec inducere excommunicationem; sed oppositum docet Vasquez *prim.* 2. *d.* 94. *cap.* 4. Azor. *Tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *quæsit.* 1. & alij.

Limitat tamen Sanchez *sum. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 16. 24
non procedere in peccatis solutis. Idem docet Suarez *de Relig. Tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 8. *de excom.* lata in periurium inaduertenter prolatum ratione consuetudinis.

Qvæstio

QVÆSTIO III.

De LVXVRIA.

{ D. Bonau. vt infrà.
D. Thom. quæst. 153. & 154.

LVXVRIA ignis est vsque ad consumptionem deuorans, vt dicitur *Iob* 31. similis igni Græco, quem refert S. Doctor in Diæta, *tit. 1. cap. 9.* hic enim semel accensus, non nisi arena, & aceto obrutus extinguitur; sic caro, luxuriæ flammis succensa, via compescitur, nisi diu austeritate, & acrimonia pœnitentiæ pungatur, & infructuositatem sæculi seriò, & sæpè meditetur; quæ duo per acetum, & arenam figurantur. Ignis etiam est, comedens speciosa deserti, vt dicitur *Ioel* 1. absumens scilicet quicquid pulchrum offendit; pulchriores enim, siue viri, siue mulieres, luxuriæ velut in pabulum non raro deseruiunt. Agam igitur *hic* de Luxuria, & multiplici eius specie; ingratam sanè materiam tractans, eam percurram eo verborum delectu, vt res turpissimas honestis (quantum par erit) terminis describam.

DVBITATIO I.

Quid sit LVXVRIA, *& quotuplex.*

25 LVXVRIA definitur à D. Bonauent. *p. p. Centiloquij sect.* 24. & in Diæta *tit. 1. cap. 9. & in decl. term. Theol. & in Comp. Theol. ver. lib. 3. cap. 21. & in speculo animæ, cap. 3.* D. Thom. quæst. 153. *Luxuria est vitium castitati oppositum, quo mens inordinatè se habet circa voluptates Venereas*, Ratio definitionis sumitur ex opposita virtute castitatis, vt notat S. Bonauent. *loc. cit. Centil.*

ASSERO, Luxuriam esse vitium capitale. Huius filiæ sunt octo ex D. Gregor. *lib. 31. moral. cap. 17.* Cæcitas mentis, Inconsideratio, Inconstantia, Præcipitatio, Amor sui, Odium Dei, Affectus præsentis sæculi, Horror, siue desperatio futuri sæculi. Ità D. Bonauent. *loc. cit. Centiloquij.*

26 PROBATVR, quia vitium capitale est, quod habet finem excessiuè admodum appetibilem, ità vt homo, ad eius appetitionem procedat ad multa peccata patranda, quæ omnia ex illo vitio oriri dicuntur, finis autem Luxuriæ est delectatio venereorum, quæ & maxima est, & maximè appetibilis, secundùm appetitum sensitiuum, tum propter vehementiam delectationis, tum etiam ob connaturalitatem eiusdem delectationis, & concupiscentiæ, vt arguit S. Doctor *lib. 3. Compend. Theol. cap. 14. & 21.* & aliis locis allatis.

GENERATIO verò harum filiarum è Luxuria, sic explicantur. Cùm enim inferiores potentiæ afficiuntur ad sua obiecta, consequens est, superiores vires impediri, & deordinari in suis actibus; atqui per luxuriam inferior appetitus magnopere afficitur obiecto delectabili: Ergo deordinantur consequenter superiores vires, Ratio, & Voluntas.

27 QVOD speciatim sic euenit: Sunt enim rationis practicæ tres actus. Primus est simplex intelligentia, quæ apprehendit aliquem finem, vt bonum; & hunc actum impedit Luxuria, efficiendo, vt obiectum Luxuriæ bonum videatur, vt dicitur Dan. 13. *Species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum*, & ecce mentis cæcitas.

28 SECVNDVS actus est consilium de eligendis mediis, & hoc impeditur in Luxuria, quæ impedit exactam mediorum inter se collationem, vt Terentius ait *in Eunucho*; & ecce præcipitatio, qua aggreditur omnia impetuosè, vt ait S. Doctor *loc. cit. Centiloquij.*

TERTIVS actus est iudicium de agendis, qui impeditur à Luxuria, auocante animum à consideratione eorum, quæ decent, iuxta id Dan. 13. *Euerterunt sensum, & declinauerunt oculos, vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum*; & ecce inconsideratio, quæ præuidere agenda tenuit, vt ait S. Doctor. Ex parte etiam voluntatis consequitur duplex actus inordinatus: Alter in ordine ad finem, & quo ad hoc est amor sui in nimia delectatione, & odium Dei prohibentis: Alius autem est appetitus eorum, quæ sunt ad finem, & ponitur affectus præsentis sæculi, in quo cupit quis frui voluptate; & horror futuri, refugiens spiritualia. Hinc Oseæ 4. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Ità disserit S. Doctor *loc. cit. Centiloquij.*

29 NEQVE tamen malè Isidorus apud D. Thom. *art. 5.* respiciens præcipuè ad inordinatam locutionem, è luxuria solitam oriri, quatuor effectus recenset, Turpiloquia, Scurrilia, Ludriea, & Stultiloquia. Siquidem in locutione quadruplex inordinatio spectari potest; Prima ex parte materiæ; & ecce turpiloquium, nam, *Ex abundantia cordis os loquitur*, vt dicitur *Matth. 12.* Secunda ex parte causæ, quia enim luxuria præcipitem agit, ideò inconsultò in scurrilia præcipitat. Tertia ex fine, quia luxuriosus delectationem intendit, ideò in verba ludrica erumpit. Quarta quoad sensum verborum, & ita luxuria ob cæcitatem mentis, quam causat, effunditur in stultiloquia. Vide D. Bonauent. *loc. cit.*

30 ASSERO secundò, Species Luxuriæ sunt sex, Fornicatio, Struprum, Raptus, Incestus, Adulterium, & Vitium contra naturam, quod in plures species subdiuiditur. Vel enim absque concubitu causa delectationis venereæ procuratur pollutio, & est mollities, *Gal. 5. & 2. Cor. 12.* Vel fit concubitus cum brutis, & est Bestialitas. Tertia potest esse concubitus cum indebito sexu, masculi cum masculo, vel fœminæ cum fœmina, vt ait Apostolus *Rom. 1.* & dicitur Sodomia. Quartus, & quintus est, si non seruetur modus concumbendi, aut quoad instrumentum, seu vas non debitum, aut quantum ad alios monstrosos bestiales concumbendi modos, qui si generationi obstent, sunt peccata mortalia, etiam in coniugibus. Quæ vt nefanda detestatur Apostolus *Rom. 1. 1. Cor. 6. & 12. Galat. 5. Ephes. 5. & Heb. 12.*

31 HÆC autem esse peccata, specie distincta, probatur à Caietano *art. 11.* Tannero *disp. 3. quæst. 5. dub. 3. num. 149.* ex diuersitate motiuorum, nam habent diuersa motiua delectationis: Primi enim solam veneream habent expletionem, secundi, res alterius speciei; Sodomia personam indebiti sexus, &c.

DICERE autem prædicta quinque peccata non esse mortali specie distincta, nec adeò in confessione necessariò explicanda, vt nonnulli recentiores insinuarunt, non modò non tutum est, vt ait Tannerus *num. 149.* sed erroneum, & damnatum est anno 1665. à Sacra Congregatione Decreto Alexandri VII. Sanctissimi, vt vidimus *tom. 4. disp. 17. quæst. 10. ad proposit. 14.*

32 HÆ species omnes ità sunt mortiferæ intrinsecè, vt nunquam sint licitæ, excepto modo concumbendi ad coniugium ex aliqua necessitate, dummodo seruetur

uetur vas, & non impediatur generatio, ut notauit Tannerus *num.*150.

TRIPLICI è causa Deus vetuit Luxuriam, vt ait S. Doctor *in Diata, tit.3. cap.5.* Primò, quia est perniciosa, veluti pestis. Secundò, quia plures simul in peccato colligit. Tertiò, quia est via ampla ad inferos. Vide S.Doctorem. Adde, quod Generatio est via ad productionem creaturæ valdè nobilis, quippe hominis ad imaginem Dei creati; quare impium erit eâ abuti, fœdis & illicitis copulis.

Ad has species reducuntur, vt dispositiones, aliæ hoc versu contentæ apud D. Bonauent. *loc. cit. Centiloquij.*

Visus, & alloquium, contactus, & oscula, factum,
Vltima hæc est totius peccati consummatio.

33 NOTA, Seraphicum *in confessionali, cap. 2. particula* 14. ponere in copula coniugali culpam grauem. Primò si fiat ex impetu libidinis per meretricias blanditias: Secundò, quando fit contra naturalem vsum: Tertiò in tempore prohibito: Quartò in loco vetito: Quintò cùm acceditur ad menstruatam. Sed de hoc *Tract. de matrimonio.* Hæc ex Alensi docet S. Doctor, & admonet cautè procedendum interrogando in confessione. De his speciebus per dubitationes agendum est.

DVBITATIO I.

An in genere Luxuria detur paruitas materiæ.

34 HANC quæstionem egi *Disput. de Virtutibus Iustitia adnexis, sect.4. de Veritate, & Mendacio, quæst. 2. dubitatione 4. ad argumenta*; vbi cum D. Bonauent. negatiuam sententiam sustinui, ibique regulam tradidi ad dignoscendum, quandonam detur materiæ paruitas in peccatis. Rursus autem inueni *in Compend. Theol. verit. lib. 3. cap.* 28. apertè S. Doctorem negatiuam sententiam ex professo sustinere.

DARI quidem paruitatem materiæ in his asserunt Sanchez *de matrim.lib.9.d.*46. Zanardus *in Directorio Confessar. part. 1. de Sacram. matrim. cap.* 42. *quæst.* 28. Salas *prima secunda d. 6. sect.21. num.* 149. Villalob. *tom.2. tract.40. dub.9.* Vide etiam Seraphinum Freitam *in addit. ad tract.de confess.sollic.quæst.7. num.*33. Sancium *in select. d.*11. eamque speculatiuè probabilem ait Malder. *p.2.quæst.74. art.*10.

35 CVM his incedunt, qui tactus, & oscula ex mera delectatione sensibili, absque alia intentione asserunt non esse mortalia. Ità Franciscus Syluius 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 4. & alij apud eum. Addo Comitol. *resp. moral. lib. 4. quæst.* 20. Ioannes Salas *prima* 2. *quæst.74. tract.13. dub.6. sect.20. num.*139. Less.*lib.4. cap.3. d.8. num.*58. Lublinum *verb. osculum.*

SED quoad tactus, & oscula repugnant, & meritò, Diana *part. 4. Tract. 4. Miscell. resol.* 536. cum Filliucio *tom. 2. tract. 30. cap. 9. num.* 139. Sanchez *in summa, tom.2.lib.5.cap.6.* Rebell. *p.2.lib.3.quæst.*19. *sect.* 3. quare altera opinio damnata est ab Alexandro VII. vt vidimus *loco cit.* infrà.

36 ET in genere non dari in his paruitatem materiæ docet S.Doctor *loc. cit.* quem secuti sunt Tanner. *prima* 2. *d. 4. quæst.* 8. *num.* 109. Castrus Palaus *in opere moral. tom.1. tract. 2. d. 2. part.* 10. §. 2. Basil. Ponc. *de matrim. lib.* 10. *cap.* 16. §. 2. Lessius *lib. 4. cap. 3. d. 15. num.* 109. Rebell. *loco suprà citato*, & hanc sententiam docendam in Societate Iesu præcepit Claudius Aquauiua, Præpositus Generalis anno 1612.

Ideò Sanchez *in summa, tom.2. lib.5. cap.6.* hanc asserit, palinodiam canens, eamque prorsus asserendam monet Diana *part.3. tract.5. resol.*1.

RATIO, qua vtuntur Rebellius, Diana, & alij est D. Bonauent. hîc; nam hæc sunt inducta à natura, vt dispositiones ad actum generationis ad accendendam carnem igne voluptatis in ordine ad copulam, & seminationem: Ergo est ingens peruersio, dum ad voluptatem inter solutos adhibentur. 37

RATIO alia adducitur à S.Doctore, quia hæc est differentia inter potentiam nutritiuam, & generatiuam; hæc enim magis materialis est, magisque corrupta, atque adeò ruit in præceps, non sic nutritiua; vnde in gula facilius est veniale.

FATEOR, me totis visceribus contremiscere cùm video periculum, quod in tactibus est, & osculis: Ideo sententiam hanc omninò tenendam doceo. Neque me monet Emphasis Hispana, qua Villalobos *Los tocamientos leues paruidad de materia* conclamat. 38

QVOAD oscula definitum est ab Alexand. VII. ea esse mortalia; vt patet *Decreto* 18. *Martij* 1666. & vt probaui *tom.4. disp.17.quæst.20. sect.*37.

DVBITATIO II.

De FORNICATIONE.

FORNICATIO definitur à D. Bonauent. *p.p. Centil. sect.24. & 2.part. sect.*32. & serm. 6. in decem præcepta: *est luxuria, qua solutus solutam cognouit naturali vsu.* Addit verò *loc. cit. de decem præceptis*, si peccet cum vagante prostituta, dici meretricium, sicuti cum non publica dicitur concubinatus. 39

EST autem fornicari essentialiter meretricari, sic autem vocabantur fornicariæ, quia in fornicibus olim, & locis concameratis se ponere solebant, vt turpi quæstui operam darent, teste Toleto *lib. 5. cap.* 20, Fagundez *in 6. Præcep. lib.6. cap.1. num.*2.

OBSERVAT autem S. Doctor *loc. cit. dub. præc. in Compend. Theol. verit.* prohiberi non solùm opus, sed & voluntatem sine opere externo, quod probat S. Doctor cum Fagund. *num.*4. ex illo Matth.5. *Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo:* Refertur *in cap. Qui viderit,* 32. *quæst.5. & cap. Vnum §. criminis* 25. *dist. & cap. Omnis de pœnit. dist.*1. Vnde non satis est dicere in confessione, se peccasse peccato Luxuriæ, sed necesse est explicare conditionem personarum peccantium. 40

EST igitur fornicatio peccatum intrinsecè contra ius naturæ: Est certum de fide ex *Clementina*, Ad nostram *de hæret.* & habetur 1. *Cor. 6. Galat.5. Ephes.5.* Idem docent omnes Patres, & D.Thom.2.2.*quæst.*153. *&* 154. 41

PROBATVR à S. Doctor *ad Psal.* 72. ex illo *Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.* & Heb.13. *Fornicatores, & adulteros iudicabit Deus.*

PROBATVR ratione, quia, vt docet S.Doctor de decem præcep. *serm. 6. & p.p. Centil. serm.* 24. & *in Diata tit.1. cap.vlt. & in Compend. Theol. ver. lib. 3. cap. 21. & in 4. d. 33. quæst.* 1. Fornicatio est grauis deordinatio à ratione, vt accedatur ad non suam, præcipitatur in cæcitatem mentis, & deprauationem, vt Salomon, & in alia mala numerata *dub.*1. subjicitur anima carnis vilitati, sicut Iudæi Pharaoni in luto, & latere; est contra finem coniunctionis maris, & fœminæ; nam cùm ad prolem generandam non modò, sed educandam ordinetur, fornicationis filij incerti relinquuntur

relinquuntur sine certo educatore. Vide S.Doctorem, præcipuè *in 4. loc. cit.*

42 Svnt qui censeant, concubitum Christiani cum infideli non esse simplicem fornicationem; eis subscribit Diana *part.3. tract. 4. resol.*138. Sed non video in hoc genere mutationem specificam.

Svnt qui dicant, fornicantem teneri se retrahere ante spermatismum, etiamsi esset extrà effundendum, Sanch. *de matr. lib.*9. *d.*19. *num.*7. Less. *lib.*4. *cap.*3. *d.*7. *num.*55. Diana *part.*3. *tract.*4. *resol.*227. Bonac. *de matr. quæst.*4. *punct.*10. *n.*57. Bassæus *V. fornicatio, num.*4.

Hæc opinio displicet, quia id est nouum peccatum contra naturam, fornicatione grauius.

Respondent, id esse præter intentionem; per se verò retrahi ab actu malo.

43 Contra, quia implicat naturalem effusionem, quæ necessariò sequitur, retractionem non esse volitam; qui enim vult aliquid, vult & id, quod per se necessariò sequitur, vt sæpè arguit S.Doctor.

Svbdvbitatio I.

De Concvbinatv.

{D.Bonauent 4. dist.33. quæst.1. & 2.

44 Hic est concubitus viri cum soluta, quam quis domi, veluti propriam alit. Ità communiter DD. apud Farinacium *tom.4.quæst.*138. Ad concubinatum, Iure ciuili, requiruntur hæ conditiones. Prima, vt mulier, & vir simul cohabitent: Secunda, vt in propria domo: Tertia, vt frequenter commisceantur: Quarta, vt mulier sit soluta: Quinta vt sit vna: Sexta, vt alatur veluti vxor.

45 Ivre autem canonico sic describitur: *Est concubitus viri cum soluta, quam quis vel in domo propria, vel extra retinet; & ad quam frequenter, & ex consuetudine accedit, siue retineat, vt concubinam, siue vt pedisequam, siue quocunque alio modo.*

Est autem graue peccatum, seu potius status peccati. Vnde hi non debent absolui, antequam eiecerint fœmellam è domo; vel si eam extra alunt; ante verò videant an ab eo statu recesserint, vt notat Fagundez *lib.6. cap* 2.

46 Poenas imponit Concil. Trident. *sess.*24. *de reform. cap.* 8. statuens trinam monitionem, post quam excommunicentur, & si annum pertinaces durent, puniantur arbitrio Episcopi: Fœmella autem, si monita non recedit, eiiciatur è ciuitate, vel etiam è diœcesi.

Hæ pœnæ publicis concubinariis imponuntur. Hi sunt, quorum concubinatus notorij sunt, vel per sententiam, aut confessionem iure factam, vel per euidentiam rei, quæ nullâ possit tergiuersatione celari, vt notat Fagundez *num.*7. cum D.Bonauent. *in 4. dist.*13. *quæst.*4. *ad argumenta.*

47 Notorivm etiam concubinarium vocant Farinacius *num.*8. *loco cit.* qui mulierem de incontinentia suspectam, & diffamatam retinet domi, & admonitus non eiicit; sed S. Doctor volt id satis non esse ex natura sua; tunc verò S.Concil. Trident. *sess.*25. *de reform. cap.*14. pro publicis concubinariis declarat, haberi Clericos, qui huiusmodi fœminas suspectas retinent, eosque pœnis damnat.

Qværvnt autem, quænam pœnæ Iure canonico debeantur Clericis publicè concubinariis.

Prima sententia est, hos esse ipso facto suspensos de iure, & Irregulares fieri, si in eadem suspensione celebrent, aut actum sacri Ordinis exerceant. Ità Toletus *lib.*1. *sum. cap.*47. Syluester *verb. Concubinarius*, Nauar. *man. cap.* 25. Iulius Clarus *§. fornicatio*, Azor *lib.* 6. *cap.*7. *quæsito* 5. & alij, apud Fagundez *in 6. præcept. lib.*6. *cap.*2. *num.*9.

48 Secvnda sententia negat, eos esse ipso iure suspensos, nec fieri Irregulares, si &c. posse tamen ab Episcopo suspendi, si ter moniti non recedant. Ità Soarez *de censuris, disp.* 31. *sect.*4. & *Tom.*3. *de sacram.disp.*18. *sect.*1. Sayrus *de censur. lib.*4. *cap.*16. Rodriquez *tom.* 1. *cap.*67. Medina *lib.*1. *cap.*11. Enriquez *lib.*9. *de excom. cap.*25. *§.* 33. *ad marg. litt. P.* & alij, quos sequitur Fagundez *n.*50. & Bassæus V. *Concubin. num.*5.

49 Sententia D.Bonauent. *in confessionali*, *c.*5. *particul.*50. & 52. est, hos esse suspensos ipso iure, quousque pœnitentiam egerint. Probat ex *cap. Vestra de cohabit. Cler.* & *ex cap. Quæsitum, eodem titulo.* Idem clarius sentit *in 4. dist.*13. *quæst.*4.

Et sanè in *cap. Vestra*, concluditur: *Sine dubitatione teneatis, quod a Clericis, & Presbyteris, quamquam fornicariis, quamdiu tolerantur, nec habent operis euidentiam, licitè diuina mysteria audiantur, & recipiantur Sacramenta.* Hunc locum vrget S.Doctor *in 4. dist.*13. *quæst.*4. *ad argumenta*, & alij nostræ sententiæ Doctores, quibus adde Maiolum *de Irregul. lib.*5. *cap.*37. Firmum V. *Concubinarius*, *num.* 5. & V. *Clericus*, *num.*13. Viualdum *in candelabro*, *tit. de suspen. num.*19. Vegam *in sum.*2. *part. cap.* 308. *casu* 3. Re- 52 buffum *in concordatis*, *tit. de public. concubinariis*, *in prima, tertia, & nona pœna*, Villadiego *de irregul. cap.* 3. Guidum Pap. *decis.* 558. Farinacium *in* 4. *quæst.*138. *de delictis carnis*, *num.* 55. Innocentium, Hostiensem, Butrium, Archidiaconum *in cap. Vestra, in cohabit. Clericorum, & mulierum*, vbi cum D. Bonauent. eodem modo textum intelligunt Decianus *in tract. crim. lib.*5. *cap.*21. *n.*10. Viuius *opin.*123. Ludouicus Lopez 2. *part. Instruct. cap.*23.

50 Respondet Fagundez, eodem modo damnari istos *in cap. Vestra*, sicut *in cap. Clerici*, vbi non suspenduntur, sed præcipitur suspensio imponenda ab Episcopis, & sicut *in cap. Quæsitum*, vbi non suspenduntur, sed solùm imponitur fidelibus, ne ab eis recipiant Sacramenta, quia scandalosi sunt; ait enim Pontifex: *Quæsitum est de clericis in fornicationem prolapsis, an eorum officia sint audienda. Verum etsi quemlibet pro mortali peccato, quo ad seipsum constet esse suspensum, non debet tamen in officiis diuinis euitari: nisi peccatum huiusmodi sit notorium, per sententiam, vel confessionem factam in iure, aut per euidentiam rei, quæ tergiuersatione aliqua celari non possit.*

51 Ait igitur Fagundez, non imponi suspensionem istis; æquiparari enim ait publicos concubinarios occultis, & sicut occultus impropriè est suspensus, quatenus indignus, ità & publicus.

Sed hæ nugæ sunt, vt vidit S.Doctor; non enim æquiparat, sed exclusiuam ponit veræ suspensionis, nisi sint notorij.

Secvndò ex Concil. Trid. *sess.*25. *cap.*14. vbi de his ait: *Quoad Ordinarius, etiam vti sedis Apostolicæ delegatus, arbitrabitur, suspendantur, & si ità suspensi, eas non expellant, &c. quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis, portionibus, pensionibus, & officiis priuentur, &c.*

52 Hæc verba egregiè sibi deseruire ait Fagundez *num.*10. quasi Concilium præcipiat Episcopis, vt suspendant illos, non autem declaret suspensos. At verba Concilij alium sensum habent, scilicet, vt remaneant suspensi, iuxta antiqua iura, donec absoluantur ab Episcopis,

Episcopis, &c. quæ verba sunt clara. Confirmatur, nam *sess.24. cap. 14.* Concilium confirmat iura antiqua dicens: *Cæteri iuris pœnis in sua robore permanentibus.* Neque dicas Fagundez, has imponendas mandari illis verbis, sess. 25. cap. 14. *alioquin pœnis à sacris Canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur.* Hæc enim verba loquuntur de pœnis temporalibus, priuationibus distributionum, &c. vt dixi.

Respondet Fagundez *n.12.* Iura illa consuetudine esse abrogata.

53 Sed contra, nam à Sancto Concil. firmantur, non obstante quauis consuetudine. Confirmatur euidenter ex declaratione Eminentissimorum Cardinalium Sacri Concilij Interpretum, quibus solis licet Concilium interpretari, non autem Fagundez, aut aliis oppositæ sententiæ Doctoribus, ibi autem decidunt: *Clerici concubinarij sunt etiam hodie, si notorij sint, ipso iure suspensi a diuinis, pro vt etiam in veteri iure sunt.*

54 Hæc declaratio funditus euertit omnem aduersantium solutionem.

In quod de publicis concubinariis intelligunt Canones, etiam de publicis fornicariis, vt notat S. Doctor *allatis locis*, & habetur *in canonibus allegatis*, vt notat Toler. *lib. 1. cap. 47.* Syluester V. *concubinarius*, Fagundez *num. 15.* Est autem fornicarius publicus, qui vagans modò hac, modò illa abutitur.

Difficultas est: an in nostra sententia, quam Fagundez valde probabilem fatetur *numero 9.* nomine Clerici intelligantur etiam constituti in Minoribus, & sane Canon *Vestra*, nominat Clericos seorsim à presbyteris: Ergo omnes includit, eum refert S. Doctor *loco cit. in 4.* consentiunt Farinacius *loco cit.* Diaz *cap. 79.* & alii. Videntur tamen, non includi, quia loquitur in ordine ad exercitium solemne Ordinis, hoc autem non est in Minoribus, ac proinde non incurritur irregularitas. Ità Fagundez *num. 16.*

55 Notat etiam Fagundez *num. 17.* non esse hos ipso iure excommunicatos, non enim in iuribus illis fit mentio excommunicationis.

Iure Ciuili istis nulla pœna est statuta certa, vt notat Fagundez *num. 19.* possunt tamen illis interdici bonorum administrationes à iudicibus sæcularibus, sicut etiam impeditur eadem facultas mulieribus luxuriosè viuentibus; patet ex *leg. mulier, ff. de curatore furioso.* Ratio est, quia luxuriosè viuens, dicitur prodigus morum, Glossa *in leg. si quis cum iure, ff. de vsucap.*

Hinc multi dixere, esse crimen fori spiritualis tantùm. Ità Clar. *quæst. 37.* Porrius *consil. 21.* Tuschus *de visitatione, lib. 1. cap. 21.* Anchar. *ad cap. Cùm sit, de foro compet.* Abbas ibi *num. 25.* Soncinus *num. 24.* Aretin. *num. 15.*

56 Alii tamen distinguunt, vt quo ad pœnas, pro præsenti, solus iudex sæcularis sit Iudex pro sæcularibus; sed pro futura emendatione posse Episcopos, & alios illud munus obire.

Probatur *ex cap. penult. de cohabit. cler. & mulier.* & Concil. Trident. *sess. 24. cap. 8. & sess. 25. cap. 14.* & in priori loco loquitur de sæcularibus, & ad eorum emendationem præcipit præmitti triplicem admonitionem, quæ dicitur admonitio competens, vt aduertit S. Doctor *in Confess. loco cit.* Vide Fagundez *num. 20.*

Aliqui falsò dixère, concubinas Clericorum non posse à foro sæculari puniri. Cur enim hæ fœmellæ sæculares pro crimine sæculari non puniantur, vel gaudeant foro?

Sunt aliqui dicentes concubinas non prohiberi, 57 sed approbari iure ciuili *leg. 3. ff. de concubinis, ex Genes. 21. & 22.* Iud. 19. 3. *Reg. 12.* vbi sancti viri concubinas aluere.

Sed hæ erant vxores, licèt minorem haberent dignitatem cæteris, vt probat S. Doctor *4. dist. 33. q. 1.* & ostendam *3. part. Tract. de matrim.* vide quæ de his dixerim, *tom. 4. disp. 17. quæst. 10. sect. 30.*

Dubitatio III.

De Stupro.

{ D.Thom. quæst. 194.

Definitur à D. Bonauent. *p. p. Centil. sect. 24.* & in Compend. Theol. verit. lib. 3. 58 cap. 21. *Stuprum est luxuria, qua Virginibus incorruptio violatur, sine defloratur.* Sic definit etiam *in 4. dist. 41. dub. 4. littera*, vbi comparat stuprum cum adulterio, & ait, adulterium esse maius ratione iniuriæ, seu iniustitiæ illatæ coniugi, & Reipublicæ; attamen ex alia parte esse grauius stuprum, quia Virginale claustrum violat.

Aliqui tamen sic stuprum definiunt: *Est concubitus viri per vim cum fœmina Virgine.*

Hinc Virgine sponte consentiente, aiunt, 59 non esse stuprum. Ità Petrus Nauar. *lib. 2. de restit. cap. 3. num. 433.* Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4.* Vasquez *prima secunda, disp. 112. cap. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 10. dub. 1.* Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 14.* Fagundez *lib. 6. cap. 4.* Suarez *de pœnit. disp. 22. sect. 4.* Coninch. *disp. 7. num. 19.* Est sententia communior & videtur colligi ex decretali Gregorij *extra de adulteriis*, apud D. Bonau. citandum, vbi dicitur. *Fœlix quandam Virginem decepit stupro*, deceptio autem æquiualet vi, vt dicam *dub. 10.* Subscribit Bass. V. *stuprum.*

Opposita tamen sententia est, etiam si sponte consentiat, esse stuprum. Ità D. Bonauent. *locis adductis*, D.Thom. *art. 4.* Caietanus *quæst. 154. art. 6.* 60 Henriquez *lib. 2. de pœnit. cap. 8.* Filliucius *tract. 3. in 6. præcepto, cap. 3. de stupro.* Azor *cap. 11. quæsita 5.* Toler. *lib. 3. cap. 18.* Rodriquez *tom. 1. sum. cap. 28.* Gutier. *lib. 1. qq. can. cap. 37.* Farinacius *Tom. 4. quæst. 146.* Graff. *lib. 2. cap. 79.* Bonacina *de matrim. quæst. 4. puncto 17.* Syluius *2. 2. quæst. 154. art. 6.*

Hi sanè ferè omnes sumunt rationem ex iniuria, quæ infertur marito futuro, & maximè parentibus, sub quorum potestate est.

Ego arguo ad hominem. Omnis actus, cui leges imponunt pœnas, malus est, habens specialem malitiam: Sed stuprum voluntarium puellæ punitur Iure ciuili, & Canonico, vt fatentur aduersi: Ergo. Maior est euidens, nam specialis pœna speciali culpæ infligitur. Minor probatur ex Legibus.

Iure Canonico cogitur stuprator Virginem violatam dotare, eamque sibi in coniugem accipere, etsi 61 non vult ducere, post constitutionem dotis, cæditur virgis per viss vrbis *cap. 2. de adult.* & docent multi cum Fagundez *num. 21.* & refert D.Bonau. *in Confessionali, cap. 3. particula 56.* Additur etiam excommunicatio imponenda, & detrusio in monasterium.

Si verò deflorator est coniugatus, eam dotare tenebitur, & fustibus cæditur, vel mulcta punietur arbitrio Iudicis. Si sit Clericus in sacris, tenebitur dotare, & alias pœnas sustinebit arbitrio iudicis, vt suspensionis, depositionis, &c. Hanc pœnam stupratoris Virginis spontaneæ esse in vsu omnium

tribunalium vtriusque fori, docent Fagundez *numero* 27. Iulius Clarus §. *stuprum*, Farinacius *tract.* 4. *quaest.* 147.

62 In lege Ciuili, si stuprator sit nobilis, publicatur medietas bonorum; si humilis, virgis caeditur, & exilio punitur, iuxta textum *in §. Lex Iulia, Instit. de public. Iudic.* Nunc tamen sola poena Canonica est in vsu in toto orbe, vt ait Fagundex *numero* 27. Farinacius, Clarus, & alij suprà.

Iam verò non ponitur haec conditio, si sit sub potestate patris, aut velit nubere. Ergo signum est, dari ob defloratum Virginis claustrum.

63 Adoam poenas violento stupratori impositas, quae iure ciuili sunt poena capitis *leg.* 1. §. *finali*, *ff. de extraord. crim.* §. *qui puero*, *vbi aequiparantur* stuprator pueri, & puellae. Vide Farinacium *Tract.* 4. *quaest.* 147. & alios apud Fagundez *num.* 28.

Eandem poenam infligunt leges ciuiles violanti vi viduam honestam.

Si verò vidua honesta sponte consentiat, punitur secundùm aliquos poenâ pecuniariâ, vt aiunt multi apud Fagundex *num.* 31. sed nullam poenam alij debitam docent.

Tanari autem defloratorem virginis consentientis in conscientia restituere parentibus illius damnum, inde resultans, supplendo augmentum dotis: Videtur D. Thom. *quaest.* 154. *art.* 6. Caietani ibi, Abulensis *in cap.* 5. *Matth. quaest.* 201. Eam sustinent expressè multi apud Fagundez *lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 3. Alij tamen allati ab eo *num.* 5. dicunt, non teneri, excipe nisi is eam infamarit.

64 Quod si violauerit promisso praeuio matrimonij, tenetur eam accipere, vel damnum reparare. Ità multi apud Fagundez *num.* 3. multò magis si vi, fraude, aut precibus importunis Virginem deflorauit; tenetur enim in conscientia vel illam ducere, vel damnum reparare; sufficit autem, si tantum addat donis, quantum eget, quia corrupta. Ità Nauar. *summa*, *cap.* 16. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 1. Valentia 2. 2. *disp.* 9. *quaest.* 3. *puncto* 3. §. *aa*, *& quando*, Lessius *Tom.* 1. *de Iust. lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 2. Syluester V. *luxuria*, *quaest.* 5. Aliqui dicunt, hoc verum esse, si preces sint minis, vel timore reuerentiali adiunctae.

Quod si puella modo dicto deflorata inuenit commodas aequè nuptias, & nihil proinde patitur, existimo cum Lessio *num.* 15. Fagundez *num.* 8. nil deberi, quia restitutio est pro damno illato.

Quod si sub spe matrimonij, aut promissione corrupit.

65 Respondetur, teneri eam ducere, modò disparitas tanta non sit, vt contrarium suadeat. Ità D. Thom. *in* 4 *dist.* 28. *quaest. vnic. art.* 2. *ad* 4. Lessius *Tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 10. *de iniuriis per stuprum*, *dub.* 3. Sanchez *lib.* 1. *de matr. disp.* 10. *num.* 6. Sayrus *lib.* 11. *cap.* 1. Sotus 4. *dist.* 27. *quaest.* 1. *art.* 3. Nauar. *sum. c.* 16. Richardus 4. *dist.* 28. *art.* 1. *quaest.* 3. Palud. *q.* 1. *art.* 2. D. Antonin. *p. p. tit.* 5. *cap.* 6. Rosella V. *matrim.* 4. Angel. V. *stuprum*, 1. Syluester V. *Luxuria*, *quaest.* 5. Tabiena *verbo restit. quaest.* 22. Armilla *num.* 22. Victoria *sum. de matrim. num.* 266. Ledesma 2. *part.* 4. *quaest.* 18. *art.* 2. Veracruz 3. *part. speculi*, *art.* 19. Corduba *in summa*, *quaest.* 50. & *lib.* 1. *qq. quaest.* 13. Beia *sum. casu* 18. Lopez *p. p. Instruct. cap.* 76. Rodriquez *tom.* 1. *cap.* 208. Copua *lib.* 2. *decis. cap.* 78. Spino *spec. test. glos.* 15. Fagundez *in* 6. *praecep. lib.* 5. *num.* 12. cum D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 28. *quaest.* 1. Vide etiam Bassaeum.

66 Ratio est, quia is est contractus, & ipsa cùm ex parte sua impleuerit contractum, tenetur & alter; Vnde ex ea copula acquisiuit ius.

Si tamen est grauis disparitas, quam ipsa sciebat, ac contrarium iudicare poterat, non tenetur ille. Ità Sanchez citatos *num.* 6. Rodriquez *tom.* 1. *cap.* 208. Syluester V. *matrim.* 4. Fagundez *num.* 13. & alij apud istos.

Quod si ea ignorauit disparitatem, & nullam habuit externam caussam suspicandae fraudis, tenebitur deflorator eam ducere. Ità Lessius *Tom.* 1. *de Iust. lib.* 2. *cap.* 10. Petrus Nauar. *lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *a num.* 444. Sanchex *lib.* 1. *de matrim. disp.* 10. Fagundez *num.* 14. 67

Si stuprum non sit species distincta à fornicatione, non esset necesse in confessione exprimere, sed oppositum dic cum D. Bonauentura.

Dubitatio IV.

De Incestu.

‹ D. Thom. quaest. 154.

Incestus *Est congressus contra consanguinitatem, affinitatem, vel compaternitatem commissus.* Ità D. Bonauent. p. p. Centil. sect. 24. Sen: *Est copula, qua vinculum consanguinitatis, vel affinitatis, vel compaternitatis corrumpitur*, vt ait D. Bonauent. *lib.* 3. *Compend. cap.* 21. Est autem peccatum distinctum à fornicatione, vt habetur prima Cor. 5. *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter Gentes, ità vt vxorem patris sui aliquis habeat.* 68

Ratio est, quia praeter deformitatem fornicationis habet aliam contra honorem parentibus debitum, vnde intra vetitos gradus oritur impedimentum matrimonij, & maius peccatum est cum consanguineis, quàm cum affinibus, quia cum illis est maior coniunctio, vt notat D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 41. *dub.* 3. *litterali.*

Gradus vetiti sunt quatuor, & quidem contrahitur affinitas per copulam licitam vsque ad quartum gradum; sed per illicitam vsque ad secundum, vt habetur in Concilio Trid. *sess.* 24. *cap.* 4. *de reform. matrimonij*; at extra hos gradus non erit incestus. 69

Numerantur autem gradus per recessum à stipite, hoc omisso. Sic sorores, & fratres sunt in primo gradu: filij fratrum in secundo, & sic de reliquis, sed haec agemus *Tract. de Matrimonio.*

Certum est autem, primum gradum ascendentium, & descendentium esse iure naturae vetitum ad matrimonium, vt inter parentes, & filios; habet enim turpitudinem, vt dicitur *Leuit.* 18. Quoad alios, variae sunt opiniones, de quibus sermo erit, cùm de Matrimonio agam. 70

Multi dicunt, omnes gradus consanguinitatis esse distinctos specie. Sic Nauar. *man. cap.* 16. Valent. *tract.* 3. *disp.* 9. *quaest.* 3. *puncto* 3.

Alij volunt omnes gradus, & incestus esse eiusdem speciei. Diana *de Circumst. resol.* 31. *part.* 1. & *part.* 4. *resol.* 234. Caietan. 2. 2. *quaest.* 154. *art.* 9. Bonacina *de matrim. quaest.* 4. *puncto* 16.

Alij sentiunt, gradus consanguinitatis differre specie à gradibus affinitatis, cognationis legalis, & spiritualis: at gradus consanguinitatis non distingui inter se ipsos. Idem dicunt de gradibus affinitatis inter se, Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 11. *num.* 79. Azor 3. *part. lib.* 3. *cap.* 9. *quaesito* 1. Filliucius *tract.* 30. *cap.* 5. *num.* 96. Bassaeus *num.* 3. 71

Quomodocunque sit, gradus incestus exprimendos esse ait Sayrus *lib.* 8. *cap.* 4. cum aliis ibi.

Quaeres

Qværes, an cum consanguinea coniugis in matrimonio rato sit incestus.

Asserunt, qui è matrimonio rato affinitatem ponunt; vt D. Thom.4. *dist.*41.Sot. *ibi quæst.*1. *art.*2.Syluester V. *matrim.*8. *quæst.*14.

Negant D.Bonauent.4. *dist.*41. *quæst.*1. Tolet. *lib.*7. *cap.*11. Ledesma *de matrim. quæst* 55. *art*4. Contad. *quæst.*151. Henriquez *lib.*2. *de matr. cap.*16. Sanchez *lib.*7. *disp.* 64. Fagundex *in* 6. *præcep. lib.*6. *cap.* 6. Probatur à D. Bonauent. *ex* 35. *quæst.*3. vbi decernitur, affinitatem exigere copulam, & seminatre. Imo exigunt seminationem vtriusque, Sanchez *lib.*7. *disp.*83. Præposit.3. *part.de matrim. disp.*9.*n.*81. Diana 4. *part. tract.*2. *resol.* 43. & alij apud Bassæum *num.* 6. Præsumitur verò in foro externo data copula, Sanchex *disp.*15. *lib.*7.

72 E matrimonio rato oritur tamen impedimentum perpetuum publicæ honestatis *cap. fraternitatis*, *dist.* 34. *cap.* 7. Inter confessarium, & pœnitentem non esse incestum docent Filliucius *tract.*30. *numero* 105. Sa V. *Confess.* 25. Caspens. *tom.* 1. *tract. de pecc. dub.* 2. *num.*56. Diana *part.* 2. *tract.*3. *misc. resol.*11. Axot 3. *part. lib.*3. *cap.*9. *quæsito* 5. Bonacina *loco cit. num.*89. Caramuel *num.* 1015. Sancius *select. disp.*11. Rodriquez *tom.*2. *qq. reg. quæst.*27. *art.*1. 2. Naldus V. *confessar. num.*26.

Alii tamen apud Bassæum *num.*5. asserunt. Vide Dianam *p.p. De Circunst. resol.*12. *&* 56. vbi id asserunt alij. Sanè est aliqua circumstantia aggrauans, nam iure Canonico punitur, apud D.Bonauent. *in Confessionali*, *cap.*3.*partic.*3. Si tamen vteretur confessione ad sollicitandum, denucietur SS.Inquisitioni. Vide Dianam 4. *part. tract.*5. *toto.*

73 At si fuerit ab eo baptizata, est incestus in cognationem spiritualem, vt omnes fatentur apud Bassæum, & indicat S.Doctor *loco cit.*

E copula sodomiæ in primo, & secundo gradu fit incestus. Ità Azor *part.*3.*lib.*3. *cap.*18. *quæsito* 5. Graff. *de arbitr. conf. lib.* 2. *cap.* 34. & communiter apud Bassæum *num.*1.

Non est tamen casus reseruatus ex vi incestus. Ità Diana *part.*3.*tract.*4. *resol.*101. & *part.*1. *tract.*7. *resol.*31. & *part.*7. *tract.*12. *resol.* 18.

Imo Sanchez incestum inter hos negat *lib.* 7. *de matr.disp.*67. *num.*8. Sancius *sel. disp.*40. *num.* 21. Similiter nec affinitatem hinc admittunt multi. Vide Dianam *part.*7. *tract.*12. *resol.*17.

74 Incestvs est mixti fori, & ità punitur legibus vtriusque fori. Ità DD. apud Fagundez *num.*36.

Iure Canonico, præter pœnam impedimentorum ad matrimonium, contrahentes incestuosas nuptias scienter, in gradibus vetitis, ipso facto excommunicantur, *Clem.*1. *de consang. & affinit.* Clericus incestuosus iure Canonico deponendus est, vt notat Couar. 4. *decretal.* Iulius Clar. §. *Incestus*, Farinacius *tom.*4. *quæst.*149. Qui verò cum filiastra, vel sorore coniugis est copulatus, separetur, 32. *quæst.*7. ex Concilio Moguntino apud D.Bonauent *in Confess. cap.*3. *part.*45.

75 Iure Ciuili deportantur, vel in exilium ad Insulas eiiciuntur *Textus in leg. si quis viduam*, *ff.de quæst.* & quia pœna deportationis hoc tempore non est in vsu; ideò pœnam hanc arbitrariam esse aiunt Bald. *consil.*429. ad finem *leg.*5.Iul. Clar. *lib.*5. *sent.* §.*Incestus*, Menoch. *de arbitr.qq. lib.*3.*casu* 501.

Si tamen incestus iunctus sit adulterio pœnam mortis incurret, quæ in iure ciuili adulteris statuta est. Ità Glossa *in leg. si adulterium*, *ff.ad leg. Iuliam, de adult.* Menoch. *casu* 502. Clarus *num.* 3. suprà, & alij apud eos.

De Iure etiam Ciuili publicantur bona eorum, 76
qui nuptias contrahunt incestuosas, *Auth. de incestuosis nupt.* requiritur autem declaratio iudicis, vt monent Sanchez *lib.*7. *de matrim. disp.* 9. Fagundez *loco cit. num.*42.

Dvbitatio VI

De Adulterio.

{ D.Thom. quæst 154.

A*Dulterium est peccatum Luxuriæ, quo violatur* 77
fides coniugalis, & fit accessus ad thorum alienum. Ità D.Thom. *art.*8. D. Bonauent. *p. p. Confess. sect.*24. & *part.*2. *sect.*31.

Graue hoc peccatum est, vt probat S. Doctor 4. *dist.*38. *dub.*7. *&* 8.

Primò ex *Deuter.* 22. vbi pœna lapidationis adulteris imponebatur, & Leuit. 20. *Si mœchatus quis fuerit cum vxore proximi sui, morte moriatur, & mœchus, & adultera.*

Est autem graue, quia vt arguit S.Doctor *dub.*8. est contra concordiam, & pacem, contra bonum Reipublicæ in legitimis successionibus, & ex eo oriuntur mala innumera, quia contra iustitiam læditur honor, successio, & alia bona coniugis. Vnde Ion 31. *Hoc enim nefas est, & iniquitas maxima.*

Hinc habes, hoc peccatum habere specialem malitiam, distinctam à fornicatione.

Tribvs autem modis fit. Primò si coniugatus 78
cum soluta copuletur. Secundò si solutus cum coniugata. Tertiò si vterque sit in coniugio; & sanè grauius est coniugatæ cum soluto, quàm coniugati cum soluta; peius enim est, mulierem cum pluribus viris esse, quàm virum cum pluribus mulieribus; attamen ex aliquo capite vir magis peccat, quia tenetur ob maiorem vsum rationis abstinere, aliunde etiam excusatur, quia magis ad libidinem ex abundantia caloris vrget, nec verecundatur adeò vt fœmina. Ideò se habent vt excendens, & excessum; vt notat S.Doctor 4. *dist.*35. *dub.*2. *litt.*

Ex his sequitur esse adulterium cum coniuge alterius rata, quia facta est traditio corporis; non autem cum sponsa de futuro, quia adhuc non est facta traditio. Vide Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.*2. qui id probat ex Gelasio Papa.

Comparatis verò, adulterio, stupro, & 79
incestu, adulterium est grauius stupro; ratio est, quia per adulterium violatur Iustitia propriè innocentis, nec nisi morte satis vindicatur Legibus ciuilibus, & corrodit animum, vt ignis deuorans, vt dicitur *Iob.*31. Per stuprum verò non læditur honor parentis stupratæ virginis, sed mediante virginis voluntate, & consensu, vt ait Fagundez *cap.*7. *num.*13. ex quo colligo, eum cogi fateri, stuprum esse peccatum distinctum, etiamsi virgo consentiat, cùm est sub potestate parentum. Deinde per adulterium magis læditur Respublica è successionibus, & maior infamia oritur, vt ait S.Doctor 4. *dist.*41. *dubio* 4.

Comparato verò adulterio cum incestu, hoc grauius est in primo gradu ascendentium, & descendentium saltem, in quo est monstrosa deformitas.

Qværes: An abutens vxore, grauius peccet, quàm abutens meretrice.

Respondet D.Bonau. *dist.*38. *dub.*9. & cum eo alij, 80
grauius peccare cum coniuga, quæ honestius est tractanda, & coniunctio ad bona matrimonij dirigenda.

Quare est adulterium, qnia non seruat coniugi corpus castè, vt ait Bassæus *num.* 10. Id meretricium vocat S. Doctor *in Comp. Theol. lib.* 3. *cap.* 1.

81 Hinc explicandum hoc in confessione docent Caiet. *quæst.* 155. *art.* 1. Sot. 4. *dist.* 31. *quæst. vnic. art.* 4. Sanchez *de matrim. lib.* 9. *disp.* 18 Petrus Ledesma *de matrim. quæst.* 49. *art.* 6. *dub.* 2. Diana *part.* 7. *tract.* 12. *resol.* 23. vbi refert dicentes sat esse confiteri, se peccatum Sodomiæ patrasse, subscribit Mazuchellus.

Poenæ adulteriis Insligunnt iure Can. & Ciuili.

Ivra can. adultera amittit dotem *cap. Plerumque de donat. inter virum.* Perdit arrhas, & Amittit ius ad debitum è D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 35. *art. vnic. quæst.* 3. D. Thom. *quæst. vnic. art.* 3. & communi sensu TT. Vterqne excommunicatur, & detruditur in monasterium, *cap. Gaudemus, de diuort.* Clericus adulter notorius deponitur *cap. Si quis Clericus, cap. Romanus,* 81. *dist.* 70. *cap. Significasti, de adult.* Vide Farinac. *quæst.* 141. *num.* 31. *Tom.* 4.

82 Ivre Codicis pœna capitis infligitur *leg.* 1. *Quamuis*; 2. *in fine, Cod. ad Legem Iul. de adult.* & ibi Iuristæ, apud Farinacium 4. *quæst.* 141. Neque vxor excusatur ob inopiam, aut viri sæuitiem *leg. Palam*, §. *Non est ignoscendum, ff. de ritu nupt. cap. ex litt. cum ibi not. de diuort.* Menoch. *consil.* 31. Clarus *lib.* 5. *sentent.* §. *adulterium, num.* 45. Parisius *consil.* 23. Imò etsi matrimonium falsum sit, sed præsumptum verum *leg. si vxor*, §. *Diuus, ff. ad leg. Iul.* Id referunt Bartol. Alberic *ibi*, & Gomez *ad leg.* 80. *Tauri, num.* 48.

Incurrunt etiam infamiam *leg.* 2. §. *Miles, ff. de his, qui not. inf.* Vide Farinac. *loco cit.*

83 Pertinet ad iudicem ciuilem pro laïcis, eos tamen potest Ecclesiasticus cogere ad cessationem, *cap. cùm sit generale, de foro comp.*

Prolem suam esse certò sciens adulter, tenetur damno filiis legitimis illato resarciendo. Ità Azor *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 6. *quæsito* 6. Lessius *lib.* 2. *cap.* 10. *num* 43. Vasquez *de test. cap.* 5. §. 2. *num.* 22. Nauar. *cap.* 16. *num.* 40. Syluius 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *quæst.* 7. Bonacina *de matrim. quæst.* 4. *puncto* 15. *num.* 13. Maldet. 2. 2. *tract.* 3. *cap.* 4. *dub.* 9. Rodriquez *sum. cap.* 205. Bassæus *num.* 5. Quidquid Diana dicat *part.* 2. *tract.* 3. *miscel. resol.* 55.

Ratio est, qnia naturaliter ex adulterio sequitur Nothus, damnum afferens.

84 Respondent hunc esse causam remotam, cùm solam libidinem vellet, quare non imputandum ei damnum, sicuti nec imputaretur homicidium, si mulier abortum procuraret infantis à se geniti.

Hæc leuia sunt, etsi Bassæo, Dianæ, & aliis solida. Nam partus sequitur per se naturaliter è copula, è qua non causatur abortus effectiuè. In dubio autem: an sit sua proles, non tenetur, vt monet Lugo *de iust. tom.* 1. *disp.* 13. *sect.* 2. quia præsumitur pro matrimonio.

85 Qvid verò teneatur adnltera, dixi *disp. de Restitutione.*

Id etiam dissetam adhuc 3. *part. Tract. de matrimonio.*

Dvbitatio VI.

De Sacrilegio.

< D. Thom. quæst. 154.

Sacrilegium, vt est species Luxuriæ, sic definitur: *Est peccatum Luxuriæ, quo persona sacra, vel locus sacer violatur.* Ità D. Bonauent. *in speculo animæ, cap.* 3. §. *circa tactum.* & *p. p. Centil. sect.* 24. & *in Compend. Theol. lib.* 3. *cap.* 21. D. Thom. *art.* 10. & alij. 86

Itaque siue persona sacra cum non sacra; siue non sacra cum sacra; siue quæuis in loco sacro polluatur, peccatur sacrilegio. Ratione verò personarum, etiam oscula, tactus, & cogitationes sunt sacrilegia: An vero coniuges, in loco sacro copulati, sint sacrilegi.

Prima opinio est, id esse semper sacrilegium. Ità Nauar. *man. lat. cap.* 57. *num.* 252. Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 16. Caietanus *sum. verb. Matrim.* & alij apud Fagundez *in* 6. *præcepto, lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 9. Candelab. *p. p. de matrim. num.* 262. Syluius *in suppl. quæst.* 64. *art.* 7.

Secvnda opinio censet esse tantùm veniale. Ità Gloss. *in cap. Ecclesiis de cons.* nec displicet Soto 4. *dist.* 32. *art* 3. *quæst. vnic.* 87

Tertia opinio est, licitum esse si ex causa, & occultè fiat, Angl. flor. *p. p. de matr. quæst.* 6. Poncius *de matr. lib.* 10. *cap.* 10. *num.* 15. Casp. *de pec. disp.* 2. *n.* 10. Rodriq. *tom.* 1. *sum. cap.* 242. *n.* 19. Vega *tom.* 1. *sum. lib.* 1. *cap.* 78. *casu* 1. Diana *tom.* 1. *Tract. de circumst. resol.* 19. & 26. Vasquez *prima* 2 *quæst.* 72. *ar.* 9. *disp.* 92. *num.* 6. Lopez *p. p. Instr. cap.* 82. Sanchez *de matr. lib.* 9. *disp.* 15. *num.* 10. Caramuel *in reg. D. Benedicti, n.* 1017. eamqoe esse ait omnium Doctorum boni nominis.

Qvarta sententia est, nullam esse culpam in necessitate, seu iusta causa; neque Ecclesiam pollui, si fiat occultè; etsi postea incipiat publicari; at si fiat sine causa, lethalem esse semper, etsi occultam; quod si incipiat diffamari, Ecclesiam censeri pollutam. Ità Syluester V. *consecr.* 2. §. 5. Sa V. *Debitum, coniug. num.* 12. Rebel. 2. *part. lib.* 3. *num.* 5. Couar. 2. *part. de sponsal. cap.* 7. §. 2. Lessius *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 10. Toletus *lib.* 5. *cap.* 12. Castro *lib.* 1. *de potestate leg. pœnalis, cap.* 3. *docum.* 2. Fagundez *lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 11. 88

Qvoad D. Bonauent. *in speculo animæ, cap.* 3. §. *circa tactum*, numerans peccata, in matrimonio occurrentia, non recenset copulam in loco sacro; mox verò sacrilegium definiens, ait: *Sacrilegium est, cùm Deo dicatæ Virgines, vel viduæ cognoscuntur, vel in sacro loco talia exercentur.* Nec loqui videtur de copula, naturâ suâ ex matrimonio licitâ. 89

Enim verò *in Compend. Theol. veritat. lib.* 3. *cap.* 21. ponit, esse peccatum, non explicans, an mortale sit, si in loco sacro fiat ex impetu libidinis; atque adeò, si fiat è causa iusta, non existimat, esse sacrilegium. Idem edisserit S. Doctor *in Confessionali, cap.* 2. *part.* 14. vbi id mortale ait, si fiat ex mero impetu libidinis, sed video, eum loqui ex Alensis sensu.

Itaqve si ex iusta causa fiat, & occultè, non erit culpa, vel Ecclesiæ violatio; secus verò si publicè fiat, ad quod sat est, si lectus in Ecclesia publicè erectus sit. 90

Neqve est iusta causa prolis susceptio, vel delectatio sensilus. Ità Tolet. *lib.* 5. *sum. cap.* 12. Syl-

uester

uester V. *debitum coniugale*, *num*.5. Fagundez *n*.52. eacusabitur tamen reddens, vt notant Lessius *Tom*. 1. *lib*.4. *cap*.3. *dub*. 12. Fagundez *loco cit*.

CAVSA legitima erit periculum incontinentiæ, vel vitatio pollutionis imminentis; hoc enim est bonum spirituale. Similiter diuturna obsessio in eo loco.

91 TACTVS verò, oscula, & aspectus extra periculum pollutionis in Ecclesia, non sunt sacrilegia. Ità Sanchez *lib*. 9. *de debito coniug. disp*. 15. Caiet. *tom*. 1. *opusc. tract*. 17. *opusc*. 31. Nauar. *in cap. Consideret. num*.50. & alij cum Diana *p. p. Tract*. 17. *resol*.13. qui oppositam scrupulosam dicit. Addit tamen Ledesma *de sacram. Pœnit. cap*. 19. nisi verba obscœna altè prolata sint; tunc enim locus sacer læditur.

EST autem locus sacer Ecclesia, vel benedicta, vel consecrata. Et quidem, si sit consecrata, nequit, præterquam ab Episcopo loci purificari, vel ab alio Episcopo de eius licentia *cap. Aqua de consecr. Eccles*. simplici autem sacerdoti nequit committi, nisi à summo Pontifice ex Gloss. *cap. Aqua*, Syluester V. *consecratio* 2. *quæst*. 8. & debet reconciliari per aquam cum vino, & cinerem benedictum. Si verò non sit consecrata, potest à simplici Sacerdote aquâ benedictâ purgari. Violatâ verò Ecclesiâ, violatur & cœmeterium, quia accessorium sequitur principale.

QVÆSTIO est etiam; an, qui simul est sacerdus, & religiosus professus, duplici sacrilegio polluatur.

92 PRIMA opinio est, esse duplex sacrilegium, quia sunt circumstantiæ specie diuersæ. Ita Sotus *lib*.8. *de Iust. quæst*. 5. *art*.3. Petrus Ledesma *de sacram. Pœnit. cap*.10. Paludanus 4. *dist*. 36. *quæst*.4. *art*.1. & alij; & hoc tenentur asserere etiam, qui dicunt, obligationem castitatis in sacris ordinibus oriri ex præcepto, non ex voto: hi sunt Valentia 4. *part. disp*.9. *quæst*.5. *puncto* 5. Sanchez *lib*.7. *de matr. disp*.29.

SECVNDA sententia est, esse vnum sacrilegium cum circumstantia aggrauante: Ità Azor *cap*.27. *quæst*.9. & Caramuel *num*.998. Bassæus V. *Sacrileg*.2. *num*.2.

93 TERTIA sententia est, esse vnum tantùm, & ideò satis esse dicere alterum. Ita Sanchez *lib*. 7. *de matrim. disp*.27. Lessius *tom*. 1. *lib*.4. *cap*.3. *dub*. 12. Corduba *sum. quæst*.3. Caiet. 2. 2. *quæst*. 186. *art*. 9. Lud. Lopez *p. p. Instruct. cap*.29. Ouandus *in* 4. *dist*. 55. *q. vn*. Rodriq. *tom*. 1. *sum. cap*.53. Henriq. *lib*.5. *cap*.5.

QVOAD S. Doctorem, existimo, eum esse cum hac sententia; nam idem peccatum ait esse sacerdotis, & Religiosi *in confessionali*, *cap*. 2. *particula* 20.

EX his sequitur, Religiosum fornicantem dicere satis, se violasse votum castitatis; solemnitas enim est circumstantia aggrauans tantùm, non necessaria, in sententia S. Bonauent. sequitur Filliucius *tract*. 30. *in sextum preceptum*, *decal. cap* 7. Sanchez *lib*.7. *de matrim. disp*.27. *num*.27. nec renuit Fagundez *lib*.6. *cap*.7. *num*.11. Henriq. *lib*. 2. *de pœn. cap*.5. *num*.6. cum commento *lit*. C. Corduba *summa*, *quæst*.5.

94 SED si habent votum solemne, & simplex, satis erit dicere se egisse contra votum. Ità Sanchez, Henriquez *loco cit*. & Fagundez *num*.14.

POENÆ sacrilegij sunt grauissimæ. Cognoscens Monialem, pœnâ mortis plectitur, patet ex *text*. in Authent. *de sanctissimis Episcopis*, § *penult*. & *textu in l. si quis in hoc genus*, in principio *Cod. de Episcopis*, & *Cleric*. & *cap*. *Si quis rapuerit*, 27. *quæst*. 1. Vide Farinacium *Tom*.4. *quæst*. 146. Clarum §. *fornic*. *num*. 14. Menoch. *de arbitr*. *qq*. *num*. 2. *casu* 389.

Bona etiam violantis applicantur monasterio illius monialis, vt notat Farinacius, *num*.9. & Fagundez *num*.19.

IVRE canonico, Laicus excommunicatur *cap*. *Si qua monachasum* 27. *quæst*. 1. non est tamen ipso facto, nec reseruata Episcopo, nisi post sententiam latam; clericus potest deponi, beneficio priuari, & in monasterium trudi. Vide Farinacium. 95

DVBITATIO VII.

De Peccatis contra naturam.

{ D.Thom. quæst. 154.}

PECCATVM huiusmodi sic definitur: *Est peccatum Luxuriæ, quo peruertitur ordo, à natura præscriptus ad generationem*. Colligitur ex D. Thom. *art*. 11. D. Bonauent. *p. p. Centil. sect*.24. vbi sic ait: *Peccatum contra naturam est luxuria, qua naturalis vsus coeundi maris, & fœminæ dissipatur*. Simili modo loquitur *in Compend. Theol. lib*.3. *cap*.21. 96

PECCATVM contra naturam quinque habet species. Prima est Sodomia: Secunda, Mollities: Tertia, Bestialitas: Quarta, congressus cum Dæmone: Quinta modus innaturalis cum fœmina, ex quo non possit sequi generatio.

SVNT autem specialiter contra ordines in generatione, natura enim quinque ad hoc exigit. Primò vt sit coniunctio diuersi sexus, maris, & fœminæ, in vase congruo, ex cuius defectu oritur sodomia. Secundò, vt sit coniunctio duorum, ex cuius defectu oritur mollities. Tertiò, vt sit coniunctio duorum eiusdem speciei humanæ, nam si sit cum bruto, erit Bestialitas. Si cum dæmone erit congressus dæmoniacus. Quartò, vt sint vasa, & organa congrua, & ex huius defectu erit imperfecta sodomia. Quintò, vt seruetur debitus modus, ex quo possit sequi generatio, ex cuius defectu oritur Innaturalitas. Ita Fagundez *lib*.6. *cap*. 9. cum D. Bonauent. *de corruptela peccati*, *in Compend. Theol. lib*.3. *cap*.51. 97

ALITER, & breuius has quinque species colligunt Caietanus hîc, Lessius *Tom*. 1. *lib*. 4. *cap*.3. *dub*.13. ex D. Bonauent. *in speculo animæ*, *cap*.3. multa sunt motiua contra ordinem institutum ad generationem explendæ libidinis, atque adeò multa peccata; nam actus morales ex motiuis variantur. 98

PRIMVM est, cum intenditur voluptas in effusione, & ecce mollities. Secundum, si quæritur cum re alterius naturæ, vt cum bestia, & dicitur bestialitas; vel cum dæmone, & dicitur dæmoniacus congressus. Tertium, si quæratur cum persona indebiti sexus in vase indebito, & est propriè sodomia. Quartum, si quæratur cum fœmina modo indebito, & est innaturalitas. Quintum, si sine instrumentis à natura institutis, & erit congressus fœminæ cum fœmina, qui modus ad sodomiam imperfectam, vel pollutionem completam reducitur, iuxta modum concumbendi, & explendæ libidinis.

OMNIA hæc sunt peccata grauissima.

DE sodomia constat *Leuit*. 18. & 20. vbi ei statuitur pœna mortis, *Rom*. 1. vbi id Apostolus execratur, & *Genes*. 19. vocatur crimen pessimum, vt notat D. Bonauentura. 99

DE cæteris autem constat ex inordinatione graui, quæ ideò vocantur à D. Paulo immunditia *Galat*.5.

SVNT etiam diuersæ speciei, vt docet S. Doctor *locis allatis*, & alibi, Lessius *tom*. 1. *de iustitia*, *lib*.4

*cap.*3. de speciebos luxuriæ *dub.*13. *num.*90. Filliucius *tom.*2. *tract.*30. *in* 6. *precepte*, *Decal. cap.*8. *num.*142. Fagundez *lib* 6. *cap.*9. *num.*6. Tannerus *disp.*3.*quæst.*3. *dub.*6. *num.*149. quare absque dubio teneniur specificare has culpas, & oppositum dicere, est erroneum, damnatum iam à sanctissimo Alexandro VII. in sacra Congregatione, anoo 1665. vti & fusiùs à nobis probatum est *tom.*4.*tract.de actibus humanis*, *disp.*17. *quæst.*10.

Ratio est, quia habent diuersa motiua, ad quæ libido tendit, atque adeo diuersæ sunt species morales; vt loco iam citato dictum est.

Svbdvbitatio I.

De Sodomia.

100 Hoc vitium nefandum à misera Pentapoli nominatur, & dicit copulam carnalem eiusdem sexus.

Qværvnt primò: an sit Sodomia, cùm vir copulatur cum muliere in vase præpostero.

Prima opinio asserit, sic Iulins Clar. *lib.* 5. *sentent.* §.*sodomia*, Decius *in leg. si qua mulier*, *Cod. de secundus nuptiis*, Sanchez *lib.*10. *de matrim. dub.*4. & D.Thom. *art.*5.

Secvnda opinio communis docet non esse propriè Sodomiam; sic latè videtur eam accipere S.Doctor *in Compend. Theol. lib.*3. *cap.*21. Illud tamen certum, quòd omnes istæ copulationes contra naturam suprà eoumeratæ, siue eum masculo, siue cum fœmina, sufficiunt ad diuortium. Non est tamen reseruatum. Ità Diana *part.* 2. *tract.* 1. *miscel. resol.*19.

101 Quo sensu nomine fornicationis intelligitur *Matth.*19. eò qoòd diuidant carnem, quam Deus coniunxit. Ità intelligit D.Hieron. *ad* 19. *Matth.* & refertur *in cap. dixit Dominus* 32.*quæst.*1. Eamque sententiam, & rationem sequuntur communiter cum S.Bonauent. *in* 4. *dist.*31. *quæst.*1. *ad* 5. D.Thom. ibi *quæst. vnic. art.*1. *ad* 4. quos refert Sanchez *lib.*10. *de matrimon. disp.*4. *num.* 3. Fagundez *in* 6. *pracep. lib.* 6. *capite* 9. *num.*8.

Hinc etiam copulæ mulieris cum muliere, vel fæminæ cum viro in præposteris, aut cum bestia, esse inpropriè sodomias: esset tamen casus reseruatus, si mulier in vase illo seminaret, non sic si in naturali. Lege Dianam *part.*7. *tract.*12. *resol.*13.

Poenæ sodomiæ sunt mors in vtroque complice *leg. cum vir nubit in fœminam*, *Cod. de adulter. ad leg. Iuliam*, ibi armari iura gladio vltori, *& textu* in Authent. *Vt non luxurietur cont. naturam*, §.*propterea*. Si autem effusio, vel commixtio fit in manibus, vel simili, non est hac pœna damnatus, vt docent communiter apud Fagundez *num.* 9. Si verò peracta copula, extrà semen effunderet, adhuc occidatur, vt ait Farinacios *quæst.* 148. mortuo etiam impooitur crematio à Legibus municipialibos.

102 Impvberes ligantur qoidem reseruatione delictorum non carnalium, vt homicidij, blasphemiæ, non verò carnalibus, cum hæc ordinariè non compleant *cap.* 1. *de delict. puer.* & hoc etsi patiatur à pubere, vt ait Bassæus *num.*21. *v. Luxur.* Vide Dianam *part.*7. *tract.*12. *resol.*13.

Pvblicantvr etiam bona, sed non est receptum consuetudine. Ità Farinaeius *quæst.* 148. Sunt etiam sodomitæ intestabiles. Vide Farinacium *q.*148. Baiardum *addit. ad Iul. Clar.* §.*sodomia.*

Est crimen mixti fori, & potest censuris puniri etiam laicus.

Clericvs verò conuictus, beneficio priuatur, deponitur, & in monasterio detruditur, iuxta *text.cap de clerici, de excess.Prel.* Imò & degradari, & morti, ac flammis tradi docent Viuianus *opinione* 727. Menoch. *de arbitr.qq. quæst.*586. Bermon. *de publico concubinatu*, *rubric.de sodemia*, *num.*29. 103

Dvbitant, an sit ipso iure suspensus. Affirmant communiter Legistæ vtriusque iuris, apud Fagundez *num.*17.

Opposita tamen est verior. Sic Concilium Later. *extra de excess. Pralat.* dicit: *deiiciantur a clero*, vt refert D Bonauent. *in Confess.cap.*3. *particula* 5. neque suspenditor iure nouo Pij V. sed requiritur prius sententia iudicis; sola enim pœoa excommunicationis secum trahit suam executionem criminis, vt ipso facto incurratur absque vlla sententia declaratoria criminis, vel facti; reliquæ verò pœnæ requirunt sententiam. Ità Suarez *Tom.* 5. *de cens. disp.* 30. *sect.*1. Hieron. Gabriel *consil.*196. & *consil.*187. Syluester V. *assasinus*, Fagundez *in* 5. *pracep. Decal. cap.*2. *num.*9. & *in* 6. *pracep. lib.*6. *cap.*9. *num.*18. 104

Nota verò, Decretum Pij V. includere non quemuis sodomiticum, sed exercentem ex vsu, vt notant Nauar. *sum.cap.*27. *num.* 249. Rodriquez *qq. Regul. lib.*1. *quæst.* 29. *art.* 12. *argumento*, §. *Illud*, *ff.de adilitio edict.* per quem textom Bartol. *in proœm.* Panormit. *in cap.*1. *de indic.* dicunt, neque mercatorem, neque artificem, neque citharedum dici, qui semel, aut iterum pulsat, aut mercatur, sed requiri frequentiam, vt opinione vulgi talis habeatur, & hoc sensu explicitum sibi à Datario, nomine Pontificis Maximi, ait Nauarrus: Quare aberrat Farinacius *num.*30. dicens vnico lapsu posse tradi, &c. Vbi nota, aliam fuisse antea Bullam editam à Pio V. *anno* 1566. vbi non ponit *exercentes*, sed *perpetrantes*, sed obseruo, esse verbum frequentatiuum, quod non aduertit Fagundez *n.*20. Deinde dico *anno* 1568. aliam esse editam dicentem *exercentes*, quæ temperat præcedentem. 105

Attamen probabilis est etiam opinio Farinacij, quia verbum exercendi sonat committere primo actu, iuxta text. *Item leg. Iulia de adult.* & *Instit. tit. de public. indic.* Deinde quia Episcopus Septimacensis *tract. de discept. cap.*33. ait, eumdem Pium V. ita intellexisse, vt ex ipsius oraculo accepit. 106

Svbdvbitatio II.

De Bestialitate.

Bestialitas definitur à D.Bonauent. locis allatis, superioribus dubit. *Est peccatum Luxuria commissum cum bruto*; vnde grauissimum est in hoc genere (excipe coogressum cum dæmonio) Pœnâ mortis hoc crimen vendicatur, & flammarum post mortem. 107

Dicvnt aotem multi, hac pœna damnari, etiamsi non compleuerint effusione seminis. Ità Boer. *decis.*316. Roland. *consil.*7. Clarus §.*fornicatio*, *num.* 22. Menoch. *de arbitrariis quæst. lib.* 2. *casu* 186. Petrus Gregorius *syntagmate iuris*, *lib.* 36. *cap.*14.

Oppositvm tamen existimo verum cum Fagundez, & aliis apud eum *num.* 9. & probat efficacissimè ex leg. 1. §. finali, ff. de extraordin. crimin. ibi: *Perfecte flagitio punitur capite; imperfecto*, 108

ſto, reus in inſulam deportatur. Hic textus eſt præelatus.

Iure autem Canonico ſeptennium pœnitendi imponitur, vt refert S. Doctor *Confeſſ. cap. 3. particula* 46.

SVBDVBITATIO III.

De copula cum Dæmone.

109 OMNIVM ſceleratiſſimum eſt hoc crimen in hoc genere contra naturam, cùm habeat cum ſpiritu corpus copulam carnalem, & cum corpore tantùm apparenti, non autem vero.

CERTVM eſt enim, dæmones non habere corpora connaturalia, alioqui legio non potuiſſet in vno corpore hominis ſtare, vt habetur *Luca* 8. & arguit ibi S.Bonauent. & ſatis dixi *Tract.de Angelis.*

MERITÒ Innocentius VIII. præcipit fidei Inquiſitoribus, vt in hos animaduertant; habent enim hæc coniunctas etiam alias abominationes Idolatriæ, blaſphemiarum, abuſus ſacrorum, &c. & in ipſo actu venereo eſt vitium ſuperſtitionis, & irreligioſitatis, vt notat Filliucius *Tract.* 30. *in* 8. *precep. Decal. cap.*8. *num.*162.

110 NON negamus tamen, poſſe dæmones ſemen aliunde acceptum infundere, & generationem cauſare, ſed attribuenda eſt homini, vnde ſemen eſt eruptum, generatio illa. Sic genitus fuit Merlinus vates in Anglia, vt refert Colleg.Conimbr. *de Gener.lib.*1. *cap.*4. *quaſt.*10. *art.*3. & de Homero refert Plutarch. ex Ariſtotele *lib.*3. *Poret.* & Angel. Polinianos *præfat. in Homerum*, & de Luthero refert Genebrardus *lib.*4. *canonic. cap.*9.

SVBDVBITATIO IV.

De POLLVTIONE.

D.Thom. quæſt.154.

111 NOTANDVM ex D. Bonauent. *in ſpeculo animæ, cap.*3. §.*Circa tactum*, & *opuſc. de puritate, conſcientia, cap.*7. & 8. pollutionem variis modis, & variis è cauſis poſſe euenire. Ea enim vel in ſomno, vel in vigilia euenire poteſt voluntariè, quæ definitur: *Voluntaria ſeminis effuſio.*

NOCTVRNA, ſeu in ſomno, aliquando tota eſt in ſomno, & tunc non eſt peccatum, quia non eſt voluntaria. Ità S.Doctor *locis adductis*, D.Thom. *art.*5. Caietan. *ibi*, Nauar. *cap.*16. Tolet. *lib.*5. *ſummæ, cap.*13. Azor. *tom.*3. *cap.*24. *quæſito* 1. Fagundez *in* 6. *præcept. lib.*6. *cap.*9. *num.*17. Hoc autem intelligitur, dummodò in vigilia antè non fuerit procurata; vel in eadem vigilia conſentias.

ALIQVANDO partim eſt in ſomno, partim in vigilia, vt ſi commotio carnis, & deciſio ſeminis contingat in ſomno: effuſio verò ſeminis in vigilia, in qua habeas plenam poteſtatem cohibendi, vel ſemiplenam.

Si contingat commotio, & deciſio in ſomnis, & effuſio in vigilia ſemiplena, nullum eſt peccatum.

112 QVÆSTIO eſt autem, an, ſi accidat effuſio in plena vigilia, ſit culpabilis.

PRIMA opinio eſt eſſe mortale, eam non reprimere. Ità Tolet. *lib.*5. *cap.*13.

SECVNDA ſententia eſt nullum eſſe peccatum, ſed ſatis eſſe, non complacere. Ità Sà *verb. Luxuria*, Filliucius *tom.*2. *tract.*30. *in* 6. *precep. cap.*8. Nauar. *ſum. cap.*16. Graff. *lib.*2. *decif. cap.*81. *num.*14. Azor *tom.*3. *cap.*24. Cordub. *quaſt.*23. Soto *in* 4. *diſt.*12. *quaſt.*1. *art.*2. Sanchez *lib.*9. *de matrim. diſp.*17. Fagundez *in* 6. *precep. lib.*6. *cap.*9. cum D. Bonauent. *locis citatis.*

RATIO mea eſt, quia ſemen deciſum naturaliter, ac neceſſariò defertur extra. Siue enim generetur ſemen in teſticolorum vaſculis, vt docent eruditi, Veſſalius, & Bartolinus, quod ego aſſero; nam ſæpe obſeruatum eſt in cadaueribus, vt ſcribit Dodoneus *obſeru.* 39. Hoſmannus *de gener. cap.*18. Carpus Riolanus apud Bartolinum *lib.* 1. *de infimo ventre, cap.*22. ſiue non generetur in eis, vt volunt Fallopius, Cabrolius, Poſthius, Caſp. Hofmannus, Cæſar Cremoninus. Adr. Spigelius, Regius, & alij apud Bartolinum; certè ſunt Seminis vaſa, incipientia à teſtibus, deſinentia ad radicem penis, quò deferunt, & impetu eiaculantur ſemen, in teſtibus confectum, vel ſuprà in vaſis ſpermaticis elaboratum. Quare poteſt quidem ad tempus reprimere aliquando, ſed tamen ſemen procul dubio tandem prodibit. 113

POTEST verò, etiam in ſomno eueniens, eſſe culpata in cauſa. Primo in deſiderio ad voluptatem, ſecundò in procuratione, tertiò non remouendo cauſam præuiſam.

QVÆRITVR, an liceat pollutionem optare in ſomno ad ſanitatem, vel libidinis moderamen. 114

NEGANT Valentia *diſput.* 9. *quaſt.* 3. *puncto* 3. Sot. 4. *diſt.*12. *quaſt.*1. *art.*7. Lopez *part.*1. *cap.*74. Syluius 2.2. *quaſt.*154. *art.*5. alioqui liceret eam procurare.

CONCEDVNT optare, etſi non procurare liceat: ſic enim licet optare mortem Regis ruinoſi, ſed abſit procurare, Sayrus *lib.*8.*cap.*5. Nauar. *ſum.cap.*16. Angelus, & Syluester V. *Pollu.* Sa V. *Luxur.* Toletus *lib.*5. *cap.*13. D. Anton. 2. *part. tit.*6. *cap.*6. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 115. *cap.*3. Sanchez *ſum. cap.*2. Fillincius *tom.*2. *tract.* 30. *cap.* 8. *num.* 144. Fagundez *cap.* 9, *num.*31. Baſſæus V. *Luxur.num.*14. cum D.Bonauent. *locis citatis.*

EA de cauſa licet gaudere, vt docent Diana *part.*3. *tract.*5. *miſc. Reſol.* 21. & 87. Sanchez *ſelect. diſp.*21. *num.*35. Tanner. *prima ſecunda, diſp.*4. *quaſt.*8. *num.*145. Fernand. *part.*4. *cap.*2. §§ 4. Crux *part.* 1. *præcep.*6. *art.*8. *dub.*10.

PROCVRARE verò eſt ſemper lethale, vt docent cum S.Bonauent. apud Sanchez *lib.*9. *de matrim. diſp.*17. *num.*16. Fagundez *num.*31. qui multas diſparitatis adducit rationes, non admodum vrgentes. Si enim licet ad vitam recidere membrum; cur non ſperma, ferè excrementum? Dicere enim, membra deſtinata primò ad conſeruationem indiuidui, ideo ea licere exponere ad vitam; non autem ſemen, quod ad ſpeciem propagandam ordinatur; hoc inquam leue eſt, etſi communiter adducatur, quia etiam teſticuli ordinantur ad ſpeciem, & propiùs ipſe embryo inanimis, & tamen hæc licet ad ſalutem indiuidui auellere. 115

OPTIMA eſt ratio D.Bonauent. *in Diata, tit.*1. *cap. vlt.* qua vtuntur Sanchez *de Matrim. loco cit.* quam effuſio ſeminis nimia voluptate rationem obruit, voluntatemque in deplorandam redigit ſeruitutem. Quare eam tantùm conceſſit natura ad generationem; at verò mutilationem membrorum dolore compenſatam, non proſequitur homo. Eandem rationem affert Fagundez *num.*33. cum Toſtato *quaſt.* 184. *in cap.*5. *Matth.* ad ea verba: *Expedit tibi, vt perdat vnum* 116

 membrorum,

membrorum, quam totum corpus mittat in gehennam, quem locum ad hæc conuertit S.Doctor *loc.cit.* Hanc rationem indicat S. Bonauent. etiam *in 4. d.31. art.2. quæst.3.*

Quoad pollutionem præuisam, in somnis euenientem.

117 Est opinio multorum, te teneri sub mortali vitare causas, è quibus scis euenturam pollutionem, vel moraliter nosti, puta comedere tales cibos, tali situ decumbere, si tamen non sis moraliter certus, esse tantùm veniale. Ità Toler. *lib.5.cap.15.* Syluest. *verb. pollutio*, Less. *tom.1.lib.4.cap.3.d.14.* Sotus *4.dist.12. quæst.1. art.7.* Fagundez *in 6. præc. lib.6.cap.9.num.34.* Apponunt conditionem ad mortale, si facilè potest vitare, puta alios cibos adhibendo, &c.

118 Enim verò Diana *p.p.Tract.de circumstan.aggrau. resol.65.* existimat, pollutionem præuisam, sed non intentam, nedum in cibis, & comestione ordinaria, sed mortaliter lethifera, puta ebrietate, non esse mortalem. Adducit Villalob. *tom.2. tract.40.d.56.* Vasq. *prima 2. d.115. cap.3.* Sanchez *de matrim. tom 3.l.9. d.45. num.17.* Granado *3.part.5.controu.6. tract.4 d.6.* Sancium *sol. d.21. num.15.* & *d.23. num.29.* qui amplius addit, nullam dari causam ea se efficacem ad polluendum in somnis, siue aspectus, siue tactus sint fœdi; nam si non causant, dum sint præsentes; multò minus absentes. Itaque nulla causa confitenda, nisi ea intentione volendi eam pollutionem data sit, tunc verò confitendam solam intentionem, non verò pollutionem. Hinc doctrinam laudat Bassæus *V. Luxur. num. 15.* etsi addat è Sanchez *lib. 9. d.45. num.30.* confitendam etiam ipsam pollutionem. Adducit etiam Vasquez *prima 2. d.125.*

119 Hæc Sancij doctrina mihi fœtet, nimis enim praxi è confessione accepta à confessariis sæcularium, quos ego consului, repugnat: Cur verò obiecta illa materialiter absentia plus agant in somnis, est, quia vbicumque cum moueant intentionaliter species illæ agitatæ in quiete aliorum sensuum, sunt fortiores virtute ibi vnita, & quodammodo reflexa.

Dicam tamen cum Diana, pollutionem præuisam, sed non intentam ex actionibus peccaminosis tantum venialiter in genere luxuriæ, non esse mortalem. Allegat Suarez, Henriquez, Sanchez, Villalob. Less. & alios, quos affert Tamer. *2.part. d.4.quæst.8. dub.6. num.123.* quorum sententiam probabilem censet *num.126.*

120 Ex his ait etiam Sancius *num.12.* non teneri aliter in lecto accubare, etiamsi commodè possit: Et *num.18.* non teneri deserere lectum, etiamsi cum alteratione verendorum sentiat delectationem. Eum refert Diana *p. p. Tract.16. resol. vlt.*

Multi dicunt, licere procurare expulsionem seminis corrupti confricatione, etiam si per accidens sequatur seminis veri emissio. Ità Sanchez, & Villalobus. Sed hic *in quinta editione* id expunxit; ille retractauit, quia verè est falsa opinio, etsi eam sequatur Bonacina *de matrim. quæst.4. p.10. num.11.*

121 Licebit sanè Chirurgo verenda contrectare infirmi cum periculo pollutionis, curationis causa. Ità Vasquez *prima 2. Tom.1.d.125.num.9.* Less. *lib.4. cap.3. d.14.* Ioan. de la Ciua *in direct. prac.6. d.9.* & alij apud Dianam.

Sic neque cursor cogetur pedester incedere, etsi expertus sit se pollutionem pati equitando. Ità multi, quibus subscribit Diana.

Multò minus erit peccatum non relinquere officia grauia, è quibus pollutio sequitur, vt confessionum, studiorum, scholarum. Id fatetur etiam Fagundez *num. 35.* alios adducens.

Est etiam pollutio procurata, in vigilia eueniens, 122
quæ dicitur mollities, & est graue piaculum, vt habetur *prima Cor.6.* Ideò de istis dicitur: *Molles regnum Dei non possidebunt.*

Est enim contra naturæ ordinem specialem, vt notat D. Bonauent. *locis* suprà *adductis.*

Ideò grauissimè peccant Medici hanc suadentes infirmis, aut medicinis prouocantes, vt notat Fagundez; neque excusantur à mortali, qui eis obediunt. Ità docent Toler. *lib.5. cap.13.* Lessius *lib.4. cap.3. d.14. num. 94.* & alij apud Fagundez. Potest autem prouocari per se, vel cum alio, quæ sunt in confessione exprimenda, vt docet D. Bonauent. *Speculo, cap.3.* & alij.

Procurare magnam genitalium spirituum motionem, lethale est; noscitur verò magna, si grauiter 123
rationem turbet, vt ait cum Sanch. Bassæus *num.19.* secus ait, vbi leuis distillatio, & spirituum commotio procuretur ratione paruitatis materiæ cessante, pollutionis periculo, & adducit Sanch. *de matr.* & Bonacinam: Sed paruitatem materiæ non admisi, *quæst.3. disp.1.*

Dubitatio IX.

De Luxuria coniugum.

Suppono, vsum connubij ad prolem esse lici- 124
tum. Similiter ad periculum vitandum incontinentiæ, vt docet D. Bonauent. *in 4. d.31. art. 2.* Ratio primi est, quia ille est finis primus institutionis matrimonij. Institutio autem est à Deo, vt dicitur *Genes.1. & 8. Matth.19. Ioan. 2.*

Altera verò conceditur 1. Cor. 7. *Iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram.* Ità docent Rebell. *2. part. de oblig. iust. lib.3. de imped. matrim. quæst.19.* Caiet. *sum. verb. matrimony vsus*, Sotus *4.d.32. art.4.* Fagundez *lib.6. cap.3.* Diana *p. 2. Tract. 4. resol.215.* cum aliis; aut ad summum est veniale, vt asserit D.Bonauent. *quæst.2.* cum aliis apud Sanchez *Tom.3. de matrim. lib.9. d.11.* Licitè etiam potest vti quis coniugio ad sanitatem. Ità Rebell. *sect.1.* Caiet. *tom. 1. opusc. tract.12. quæst. 3.* Henriquez *lib.11. de matrim. cap.17. num. 7.* & alij apud Dianam *resol.218.*

Suppono etiam, copulam coniugum è sola 125
delectatione esse venialem. Ità D. Bonauent. *quæst.3.* ex D. Augustino *lib. 1. de nupt. cap.15.* & *de bono coniug. cap 6. & 7.* Rebell. *loc.cit.* Fagundez *num.5.* Caiet. *verb. matrimony vsus*; & hanc vocat S.Doctor deordinationem quoad causam finalem. Ratio est, quia matrimonium cohonestat copulam, habet tamen aliquam deordinationem. Multi tamen cum Diana *p. 2. Tract.4. resol.216.* eam excusant etiam à veniali.

Addit verò S. Doctor ibi, & *in speculo animæ, cap.3.* quem alij sequuntur; si ex tali concupiscentia feratur in coniugem affectu meretricio, ità vt vellet, etiamsi non esset vxor, vel in actu aliam imaginaretur, esse lethale, & teneri dicere conditionem eius, quam imaginatur, si est sacra, vel coniugata, vel coniuncta, aut virgo. Sed de his *Tract. de matrimonio* agendum.

Addit S.Doctor *in speculo animæ*, posse in actu coniugali accedere deordinationem in modo, in tempore, &c.

Quoad modum, certum est esse grauissimum pec- 126
catum, si polluat Sodomiticè vxorem, vt notat D.Bonau.

D. Bonauent. hîc, D.Thom. *quæſt.* 154. *art.* 1. vel interet etuia, vel aliter ſemen effundendo extra vas naturale, vt ait D. Bonauent. & communiter apud Sanchez *lib. 9. de debit. coniugali*, *d.* 27. Ratio eſt, quia aduerſatur ordini non ſolùm generali, ſed ſpeciali naturæ, vt arguit S. Doctor *in compend. Theol. verit. lib.* 3. *cap.* 21. & cum eo Fagundez *lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 17. Intellige tamen, ſi aduertenter fiat, vt notat Fagundez *num.* 20.

127 QVÆRVNT autem, an vir incipiens cum vxore copulam Sodomiticè, vt eam perficiat in vaſe debito, lætaliter peccet.

PRIMA opinio eſt, non eſſe mortale, ſi abſit periculum pollutionis. Ita Nauarr. *lib.* 5. *conſil. tit. de pœn. & remiſſ. num.* 7. Ouand. 4. *d.* 32. *quæſt. vnic.* Angel. *V. debitum* 25. Zerola *in praxi pœn. cap.* 12. *quæſt.* 25. Graff. *tom.* 1. *lib.* 5. *de adult. conſ.* 3. Gambacurt. *de caſib. reſer. caſu* 2. Zanard. *in direct. part.* 1. *Tract. de matrim. cap.* 4. §. 10.

SED non licere, docent Bonacina *de matrimon. quæſt.* 4. *punct.* 11. *num.* 12. Sanchez *lib.* 9. *d.* 17. Rodrig. *ſum. tom.* 3. *cap.* 88. Baſil. Ponc. *de matrim. lib.* 10. *cap.* 11. quos refert Diana *p. p. Tract.* 17. *reſol.* 37. Addo Fagund. *in* 6. *præc. lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 18. qui hoc vocat abſurdum concedere: Et ſubſcribo: Eſt enim actus ille, ad vas illud non ordinatus à natura, ſed inchoatiuus abominationis execrandæ, atque adeò ad eam reducitur. Si autem digitos in vas fœminæ immittat, aut membrum in os eius, negant eſſe peccatum mortale. Sanchez *de matrim. tom.* 3. *lib.* 9. *d.* 17. *num.* 5. Diana *loc. cit.* ſed Fagund. *loc. cit. num.* 19. ait eſſe mortale, ſicut etiam membrum circa vas præpoſterum perfricare. Diana *part.* 3. *Tract.* 4. *reſol.* 204. hoc damnat cum Poncio, & meritò, non enim vllam ordinationem habere valent, ſed brutalia ſunt.

QVÆRVNT adhuc, an ſeminante viro, & membrum extrahente, liceat vxori, grauiter excitatæ, ſe tactibus prouocare.

128 LICERE aiunt Sanchez *num.* 12. Fagundez *num.* 21. & alij plurimi apud Dianam *p. p. tract.* 17. *reſol.* 38. qui tamen cum Rodriguez *ſumm. part.* 3. *cap.* 88. damnat talem actum.

MIHI prior ſententia probabilior videtur. Ratio eſt, quia eſt conſummatio copulæ coniugalis, ad generationem. Semen enim mulieris, eſto non neceſſarium, ſecundùm multos, tamen valde confert ad generationem, vt probat Sanchez *num.* 8.

129 Quoad ſitus variationem, puta ſi fœmina ſit incuba, probabilius eſt non eſſe mortiferum; matrix enim fœminæ habet vim attractiuam, & retentiuam ſeminis virilis, ſicut ſtomachus cibi. Ità Sanchez *lib.* 9. *de matrim. d.* 16. Nauarr. *man. cap.* 16 *num.* 42. Rodrig. *tom.* 1. *ſum. cap.* 143. Fagundez *in* 6. *præc. lib.* 6. *cap.* 3. Diana *p. p. Tract. de circumſt. aggr. reſol.* 35. & alij apud iſtos. Idem dicunt ſi copula habeatur præpoſterè vel ſedendo, vel à latere, niſi tamen adſit periculum effundendi ſemen extra vas debitum.

QVOD ſi in modo extraordinario coeundi aliquam ſeminis quantitatem extra vas emittat, & pertæſus liberorum, in fine copulæ totum ſemen extra vas effundat.

130 RESPONDETVR effuſionem totius ſeminis extrà, eſſe lethiferum, nec poſſe vxorem, id ſcientem, debitum reddere. Quidquid dicat Baſilius Poncius *de matrim. lib.* 19. *cap.* 11. apud Dianam *p. p. Tract.* 15. *reſol.* 54.

ITA quoties lethaliter vult copulam maritus exercere, non tenetur, nec poteſt vxor reddere, vt notat Sanchez *lib.* 9. *d.* 16. *num.* 8. quando verò eſt veniale, probabile eſt, teneri reddere. Ità Sanchez *loc. cit.* Petrus Soto *de matrim. lect.* 16. Caiet. 2. 2. *quæſt.* 134. *art.* 1. Fagundez *num.* 27. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 16. *num.* 6. *in gloſſ. litt.* O. Diana *p. p. Tract. de circumſt. aggrau. reſol.* 35. & alij cum D. Bonauent. *in* 4. *d.* 32. *dub.* 4.

AN verò ad menſtruatam accedere ſit lethale.

PRIMA opinio eſt, eſſe mortale, & olim pœna mortis puniebatur *Leuit.* 18. vt notat S. Bonauent. *loc. cit.* vbi obſeruat pœnam iniunctam eſſe marito petenti, vel etiam vxori, ſi ipſa ſit petens, debet tamen reddere petenti, ſi aliter non poteſt, quia tenetur reddere ſuum marito. 131

CONCLVDIT autem ex dictis *art.* 3. *quæſt.* 1. quod ſi tempus menſtruorum eſt ſecundùm naturam ordinarius ſemel in menſe, non debet petere, quia habet tempus attendendi generationi, ita vt abſque periculo monſtroſitatis, vel morbi elephantiaci, vt admonet D. Hieronymus apud S. Doctorem, naſcatur proles.

Tunc autem ſi violenter reddit, excuſatur vxor, ſi verò ſcienter petit, & reddit libenter, peccat; nam vir illo tempore non habet poteſtatem in corpus mulieris. Si autem eſt morbus continuus, omnes cum S. Doctore concedunt, licitum eſſe petere, alioqui cogerentur diu carere iure ſuo, neque tunc naſceretur proles monſtroſa, etſi huiuſce rei periculum eſſet, meliùs ſic eſſet, eam eſſe, quàm non eſſe. Ità Nauar. *man. cap.* 16. *num.* 32. & alij apud Fagundez *num.* 28.

ALIQVI tamen dicunt, ſolùm veniale eſſe petere tempore menſtruorum ordinariorum. Eam communem ſententiam ait Fagundez *num.* 29. Sed hæc *in Tract. de matrimonio* diſſeram. Sic & dicitur de peccato accedentis ad grauidam, cum periculo abortus. 132

REMANET videndum, an ratione temporis ſacri ſint copulæ illicitæ.

PRIMÒ, quando ſumenda eſt ſanctiſſima Euchariſtia, veniale aſſeritur communiter apud Sanchez *lib.* 9. *de matrimonio*, *d.* 13. Fagund. *cap.* 4. *num.* 51. cum D. Bonauent. *in ſpeculo animæ*, *cap.* 3.

ALII verò nec veniale eſſe dicunt, eos refert Fagundez, *loc. cit.*

IN ſolemnioribus verò primariis feſtis, veniale cenſet S. Doctor *loc. cit.* & *in compend. Theol. verit. lib.* 3. *cap.* 21. docet eſſe peccatum, ſi fiat ex mero impetu libidinis.

IN Confeſſionali verò *cap.* 2. *particula* 14. refert verba Alenſis, qui ait, copulam coniugalem ex impetuoſitate mera eſſe quinque modis mortiferam. Primus eſt cauſa ſatiandæ libidinis per meretricias blanditias: Secundus, quando fit contra naturalem vſum: Tertius, cùm fit tempore prohibito: Quartus, in loco prohibito: Quintus, cùm acceditur ad menſtruatam. Sed aliis locis adductis, & ibi etiam ante hæc verba, intelligit has circumſtantias loci, & temporis eſſe mortales, ſi impetus libidinis ſit grauis, præferens delectationem Deo. 133

DE cætero exiſtimat, non eſſe mortale, vt retuli, & eſt communis ſententia quoad tempus; quoad locum verò ſatis dixi cum *de Sacrilegio* actum eſt. 134

SVNT etiam aliqua præparatoria ad copulam. Et quidem quærunt: an peccent mortifere coniuges tangentes ſe inuicem, & oſculantes pudenda ob ſolam voluptatem.

ASSERVNT multi. Ità Palud. 4. *d.* 31. *quæſt.* 3. *art.* 2. Syluest. *V. debit. coniug. quæſt.* 7. Rodrig. *tom.* 1. *cap.* 129. Sed dicam cum Diana 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 225. Væ, væ coniugatis, ſi hæc opinio eſſet vera. Ideò contrariam ſententiam aſtruit cum Zanardo *de Sacram. matrim. cap.* 41. Syluius 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 4. *concl.* 61. Filliuc. *tomo* 2. *tract.* 30. *cap.* 10. *num.* 195.

Salas

135 Salas *prim.* 2. *tom.* 2. *quaest.* 74. *tract.* 13. *disp.* 6. *d.* 26. *num.* 169. Granado *prima* 2. *contrev.* 6. *tract.* 4. *d.* 7. Addit Diana, hos grauiter esse increpandos. Subscribit Fagundez *in* 6. *prec. lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 37. qui dicit esse venialia: Cum hac tamen conditione, nisi sit periculum pollutionis; tunc enim actus illi essent lethales.

DVBITATIO X.

De RAPTV.

136 LOQVOR de raptu, vt est species Luxuriæ.

DEFINITVR autem solo iure Canonico: *Est violenta abductio, seu traductio fœminæ, vel personæ honestæ de loco ad locum, causa libidinis.* Sic definitur etiam à D. Bonauent. *in spec. anima, cap.* 3. Tria ergo exiguntur ad raptum. Primò abductio: Secundò violentia: Tertiò, vt fiat causa libidinis.

ITAQVE hæc abductio debet esse de loco ad locum, causa rapiendi, nam si abducas ex loco publico aperto, & abducas per aliquos passus in locum secretum, vt commodius peccet cum ea, erit stuprum. Ità Clarus *lib.* 5. *sent.* §. *Raptus*: & Bertran. *lib.* 6. *consil.* 39. Fagund. *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 2.

AD subeundas pœnas Concil. Tridentini *sess.* 24. *cap.* 6. notat Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio d.* 13. *num.* 7. non esse necessarium perducere raptam fœminam ad destinatum locum, sed statim incurri, ac rapta fuit.

137 DICITVR *violenta*, idest iniuriosa vel ipsi fœminæ tantùm, vel parentibus illius, & tutoribus, vel iis, qui loco parentum succedunt, vel sponso, aut marito, si sponsata sit, vel coniugata. Ita Tolet. *lib.* 7. *cap.* 17. Fagundez *num.* 3. erit autem iniuriosa, & involuntaria non solùm si vi fiat, sed etiam si dolo, vel fraude; hæc enim violentiæ æquiualent, *Leg. vn.* §. *siquidem, vers. pœnas autem. Leg. de rapta virginum.* Ità communiter Doctores cum Sanchez *lib.* 7. *de matrim. d.* 12. Similiter si promissionibus fictis eam abducas. Ita Sanchez *loc. citat. num.* 6. Fagundez *num.* 3.

QVOD si conuenisti cum ea, erit raptus solùm respectu parentum, non respectu illius. Et ità si est sui iuris, non erit raptus. Ità Sanch. *num.* 10. Clarus *lib.* 5. *sent.* §. *raptus.*

138 DICITVR *causa libidinis.* Aduerte autem ius ciuile imponere, pœnas raptui facto causa libidinis, & matrimonij; sed, an Tridentinum ob solam libertatem matrimonij, probabilius videtur. Vide Sanch. *lib.* 7. *de matrim. d.* 13. Farinac. *tom.* 4. *quaest.* 145. Salsedum ad practicam Bernardi, Diaz *cap.* 78. Rodrig. *tom.* 2. *sum. cap.* 213. Fagund. *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 4. Quare si quis libidinis causa rapuit virginem, validè potest contrahere, ratione Concil. Trid. vt docent multi cum Diana *p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 261. Sanchez *tom.* 2. *lib.* 7. *disp.* 13.

HINC habes, Concilium punire quemcumque raptum mulieris, etiam inhonestæ, licèt ad matrimonium ordinetur talis raptus.

139 IVS verò ciuile, solius honestæ raptum, punit pœnâ ordinariâ, si tamen meretrix fit coniugata, & illa, & maritus renitantur, punitur raptus pœnâ ordinariâ mortis. Ità Farinac. *num.* 177. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. d.* 12. *num.* 23. Pœna ordinaria raptus est mortis *leg.* 1. *C. de raptu virginis*; eadem pœna imponitur complicibus, adiuuantibus, &c. Similiter publicantur bona. Vide Farinac. *quaest. cit. num.* 7.

IVRE verò Canonico excommunicantur, *can. Si quis virginem*, q. 2. ibi: *Si quis virginem, vel viduam, nisi desponsauerit, rapuerit, cum sibi fauentibus; anathema sit*: vbi non imponitur excommunicatio ipso facto, sed inferenda, vt doctè notant Sanchez *lib.* 7. *de matrim. d.* 17. *num.* 2. Syluest. *verb. luxur. quaest.* 6. & alij cum Fagundez *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 15.

RATIO est, quia verba: *Anathema sit, sit excommunicatus*, nunquam imponunt latam sententiam, sed inferendam, nisi in materia hæresis, & in definitionibus fidei in Concilijs, quia ibi ex aliis textibus colligitur imponi per hæc verba: *Excommunicatio ipso facto*, vt probat Sanchez *num.* 1.

DE iure Canonico Concil. Trid. *sess.* 24. *de refor. cap.* 6. puniuntur raptores, & eorum auxiliatores, fautoresque excommunicatione ipso facto, & iure, & infamia perpetua, & inhabilitantur ad contrahendum validè cum rapta, quamdiù ipsa sub eorum fuerit potestate, & in loco libero non fuerit constituta. Insuper incapaces declarat omnis dignitatis. 140

ITAQVE corripit ius: *Si quis virginem*; nam imponit excommunicationem ipso facto, & inualidat matrimonium, quod ibi erat validum.

POTEST esse, vt mulier virum rapiat, sed hic raptus pœnæ arbitrariæ iudicis subiacet, vt monet Clarus *lib.* 3. *sent.* §. *Raptus.* Sanchez *lib.* 7. *de matrim. d.* 12. *num.* 25. Hoc enim cum rarissimum contingat, non est à legibus terminatum, quæ de casibus ordinariis tantùm prouident, non autem rarissimis. Si verò mulier ad libidinem aliam rapiat, puniendam pœnâ iuris ordinariâ docent multi apud Fagundez *num.* 8. sed alij arbitrariam decernunt.

SI verò quis puerum rapiat ad libidinem, proculdubio pœnâ mortis est plectendus. Ità Clar. *num.* 32. Farin. *quaest.* 145. Fagundez *num.* 9. & alij apud istos.

QVÆRES, an sit raptus, si fœmina rapta consentiat; parentes renuant; vel è contra. 141

RESPONDETVR breuiter, esse raptum vtrinque, si fœmina sit sub potestate aliena, & assentiatur, vel si parentes assentiantur, & ipsa renuat. Vide Fagund. *cap.* 11. Attamen si ipsa assentitur, erit validum matrimonium, vt ait Diana cum Sanch. suprà Filliuc. *tom.* 1. *Tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 8. *num.* 265.

PVNIENDVS autem non erit raptor pœnis Concil. Trid. in toto rigore, si fœmina consentiat, parentibus ignorantibus, in quorum potestate est: Ratio est, quia est domina sui corporis. Ità Sanchez *lib.* 7. *de matrim. d.* 13. *num.* 13. Farinacius *num.* 124. *quaest. cit.* 142

Si verò parentes renuunt, communiter docent puniendum toto rigore: At Sanchez *num.* 13. id negat solus.

QVÆSTIO IV.

De INCONTINENTIA.

{ D. Thom. quaest. 158.

INCONTINENTIA vniuersalis quidem ad omnia vitia extenditur; attamen speciale est vitium oppositum Temperantiæ, eius nempe parti potentiali, quæ est continentia, & quæ in frænandis passionibus, ne irruant, opponitur. 143

HINC incontinentia hoc sensu in passionum Infræni lapsu consistit, & ideò magis peccare intemperantem, quàm incontinentem, ait Aristoteles 7. *Eth. cap.* 8.

*cap.*8. D.Thom. *art.*3. nam intemperans peccat ex habitu; sed incontinens ea passione.

Tvrpsor autem est incontinentia concupiscentiæ, quàm iræ. Primò, quia concupiscentiæ motus est totus secundùm sensum; at motus iræ participat aliqualiter rationem. Secundò, quia motus
144 iræ magis sequitur corporis complexionem propter velocitatem motus choleræ, quæ tendit ad Iram, vnde frequentins ex iracundis nascuntur iracundi, quàm ea concupiscentibus concupiscentes. Tertiò, quia quærit manifestè operari; sed concupiscentia quærit latebras. Quartò, quia concupiscentia delectabiliter operatur; sed iratus quasi ex quadam tristitia. Ità S.Thom. *art.*4. ea Aristotele 7.*Eth. cap.*6. D. Bonau. *p.p.Comil. sect.*18. ponit incontinentiam filiam inanis gloriæ, eamque sic describit: *Incontinentia est voluntas per conformationem sui ab his, qui mali sunt, laudari appetens.*

QVÆSTIO V.

De Iracvndia.

145 Ira sic describitur à D.Bonauent. *in 3. loco citando, p. p. Comil. sect.*20. & *in Declaratorio terminorum Theol.* ex Cassiodoro: *Ira est animi motus concitatus, ad pœnam prouocans inferendam.* E Rabbano: *Ira est omnis malus motus ad nocendum.* Ex Augustino: *Ira est tristitia ex impotentia vlciscendi.* E Damasceno, lib. 2. fid. cap. 16. *Ira est feruor eius, qui circa cor est, sanguinis ex euaporatione fellis, vel returbatione fiens.* Ex eodem: *Ira est, id quod est audax mentis vindex læsæ concupiscentia.* Ex eodem: *Ira est desiderium repunitionis.* Ex Aristotele, 2. Reth. lib.2. cap.2. *Ira est appetitus contrary doloris, propter apparentem examinationem: & appetitus afferendi dolorem sibi aduersanti, propter illatam iniuriam apparentem: qua quodammodo examinat, per hoc, quod debito ordine hominem quantum ad iudicium animæ priuat.*

146 Ex aliquibus harum descriptionibus colligitur, posse esse iram absque peccato, sed secundùm rationem, vt docet D.Thom. *quæst.*156. *art.*2. Probatur ex illo Psal. 4. *Irascimini, & nolite peccare*: Quidquid Cassianus *lib. de Instit. Relig. cap.* 6. & alij dixerint.

Probatvr à D. Bonauent. *in* 3.*d.*35.*quæst.vlt.* quia Zelus sanctus vindictæ est cum ira, hic autem potest esse in Sanctis, & fuit in Christo *Marci* 11. *Luca* 19. cùm eiecit ementes, & vendentes de templo. Hæc dicitur ira per Zelum secundùm ordinem rationis, vt ait etiam D.Thomas.

Secvndò, detestari malum, & irasci malo, sunt idem; vtrumque autem bonum est.

Tertiò, quia irascibilis potentia est à Deo data ad irascendum: Ergo bona.

147 Hinc concludit, Iram esse posse bonam, prout dicit affectum detestationis, & potuisse reperiri in Adam in statu innocentiæ. Et si addatur etiam perturbatio sensus, potuisse esse, & fuisse in Christo, sine tamen perturbatione mentis. Sic dicitur: *Infremuit spiritu, & turbauit se ipsum*, Ioan. 11. Reperitur etiam in iustis cum aliqua perturbatione mentis per Zelum; de quibus ait D.Gregor. lib.5. moral.cap.35. & lib.5. cap.35. *Vnde mens perturbata proficit, vt clarescat, sicut oculus per collyrium immissum, ad tempus turbatur, vt postmodum clarior efficiatur.*

Enim verò perturbatio à ratione deuia tendens ad vltionem, est vitium.

Assero igitur, hanc iram esse vitium opposi- 148
tum mansuetudini. Ità S. Bonauent. *ll. cc.*

Probatvr Iob 5. *Virum stultum interficit iracundia*, vbi D. Gregor. lib.5. moral. cap.35. *Ira per vitium oculum mentis excæcat, ira per Zelum turbat.* sic definitur à Damasceno: *Vindex læsæ concupiscentia.*

Ostendit autem S. Doctor *loc. cit. Comil.* cur opponatur mansuetudini; nam mansuetus, neque vult incipere perturbari ad iracundiam immoderatè. Differre autem Iram vitium, ab ira per Zelum ratione materiæ ostendit; sunt enim circa eandem materiam, scilicet circa personam, quam vtraque cupit puniri, sed ira vitium vult, vt persona puniatur, vt sic satietur vindicta personæ. Ira per Zelum appetit vindictam in persona, vt destruatur vitium in persona. Opponi etiam patientiæ, ait, ratione finis, quia patientia extinguit iram, ne procedat; nam, *qui patiens est, iras mitigat suscitatas*, vt testatur Salomon. *Prouerb.* 15.

Hinc apparet inordinatio iræ ex vindicta, quam 149
appetit, non secundùm rationem, quia vult punitionem ad destructionem personæ, & ideò vel quam non meruit, vel supra meritum, vel non secundùm ordinem rectum, & non secundùm debitum finem, qui est conseruatio iustitiæ, & correctio culpæ; sicuti è contra, Zelus ordinatè appetit.

Secvndvm, in quo dignoscitur ira, vitium est, quia interius, & sæpè etiam extra immoderatè feruescit. Hinc enim enascitur veluti species Iræ ex Damascen. *lib.* 2. *de fide ort. cap.* 16. Fellea passio, quæ est subitus animi motus, impatiens læsionis, & accidit ex parte corporis, ex commotione fellis; & ex parte animæ ea corruptione vis irascibilis, & tunc mouetur fel ad vindictam, vt ea pellatur tristitia. Hæc ira citò transit. Secundò Mania, id est, manens ira. Tertiò Cotus, quæ est ira obseruans tempus ad vindictam. Et hoc vult Aristoteles 4.*Eth.cap.*5. docens iracundos quosdam esse acutos subitos, quosdam amaros pertinaces, quosdam difficiles, qui obseruant vindictæ occasiones, eadem ferè habet Nyss. *lib.* 4. *de viribus animæ, cap.* 13.

Hanc impiam matrem referunt sex filiæ, Rixa, 150
quæ est audax vindicandi voluntas in iniuriam facti procedens. Tumor mentis, quæ est voluntas vindicandi fugiens aduersantem propter æstimatas inimicitias: Contumelia, quæ est voluntas vindicandi fugiens aduersantem propter æstimatas inimicitias: Contumelia, quæ est voluntas vindicans per exprobrationem malorum. Clamor, qui est voluntatis vltricis actus, exaltando vocem per vituperium ad aliorum aures perueniens. Indignatio, quæ est voluntas, se vindicans per signum molestiæ exterius declaratum. Blasphemia, quæ est voluntas se vindicans per opprobrium, Deo, vel Sanctis illatum. Vel secundùm Isidorum *lib. in Deuter. cap.* 16. sunt tres filiæ iræ, scilicet homicidium, clamor, & indignatio; nam vindicta infertur homicidio per manum, clamore per os, & indignatione per signum.

Eadam indicant S.Thom. *art.*2. Tannerus *d.*3. *quæst.*5. *dub.*7. *num.*116.

Non tamen omninò ira est mortifera, sed solùm, si vindicta grauis intenditur; eruptio verò ad extra signis, vel clamore, potest esse per accidens mortifera, per scandalum, vel alia ratione suprà. Vnde Glossa *ad Psal.* 4. è Cassiodoro, *Venialis est ira, quæ non perducitur ad effectum.* Hactenus S.Thom. *art.* 3. ex communi sententia. D. Bonauent. *in speculo animæ, cap.*3. ex D. Gregorio *lib.*5. *moral.cap.*31. & ex Glossa Cassiodori *in Pharetra, lib.*2. *cap.*9.

Assero

152 Assero tertiò, Iram esse vitium capitale. Patet ex filiabus suprà relatis Iræ. Hinc Prou. 29. *Qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclinior*, & cap. 27. *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor*, vt obseruat S. Doctor *in Diata, tit. 1. cap. 5.*

Filias Iræ ibi numerat S.Doctor, Odium, Litem, Bellum, Incendium, Homicidium, Rapinam, & alias multas.

Earum natiuitatem sic recenset S. Doctor *in speculo animæ, cap. 3.* Vel enim considetatur vt in corde, & hinc indignatio, & tumor mentis; aut erumpit ad os, & ecce clamor, blasphemia, contumelia, &c. Voluntas ad opera egreditur, & ecce calumniæ, damnificationes, &c.

152 De ira sic loquitur S. Doctor. *in compend. Theol. verit. lib. 3. cap. 24.* Ita ex suo genere est peccatum mortale, quia, secundùm Isidorum, Ira est animus concitatus ad pœnam prouocanti inferendam. Talis autem motus contrariatur charitati, quæ *non irritatur, nec cogitat malum.* Ira igitur vel dicit iram Zeli, quæ est detestatio vitij, & hæc non est peccatum, sed est perfectionis.

Potest etiam quis sibi per hunc modum irasci, sicut dicit Glossa super illud, Psal. 4. *Irascimini, & nolite peccare.* Quid est homo pœnitens, nisi irascens sibi? Vel dicit remissionem affectus circa proximum, per quem homo non dolet de malo proximi, nec gaudet de bono eius, licèt etiam non doleat de bono, nec gaudeat de malo eius, sed est indifferens ei: At sic non est mortale, sed imperfectio eius charitatis. Vel dicit actualem impatientiam absque appetitu Vindictæ, & talis motus etiam deliberatus est veniale peccatum, quia habet incompletam rationem iræ, vt patet ex citata definitione. Vel dicit impatientiam cum appetitu vindictæ; & hoc tripliciter; quandoque enim hoc à natura, vt in melancholicis, & sic nullum est peccatum, cùm sit motus naturalis. Quandoque est ab appetitu indeliberato, & est veniale. Quandoque à voluntate deliberata, & est mortale.

153 Varia iræ genera, bona, & mala recenset S.Doctor *lib. 1. de profectu Relig. cap. 14.* De iræ natura, similitudinibus, effectibus, & damnis, remediisque, mira sunt, quæ recenset S Doctor *in Diatu, tit. 1. cap. 5. & de profectu Religiosi, lib. 1. cap. 30. & 31.*

Distinxit Christus iram secundùm tres gradus, prout erumpit in corde: *Qui irascitur fratri suo,* Matth. 5. Secundò pro vt erumpit in signa: *Qui dixerit, Raca.* Tertiò in effectibus: *Qui dixerit, fatue.* Hæc refert S.Doct. *in Pharetra, lib. 2. cap. 9.* ex D.Gregor. 21.
154 *Moral. cap. 4.* vbi ait: *Qui humanorum actuum subtili examine gressus enumerat, iram sine voce, iudicio; iram in voce, consilio; iram verò in voce, atque sermone, gehennæ ignibus mancipat*; Vbi habetur posse hæc omnia esse mortalia, semper tamen posteriora esse grauiora, vt docet etiam D. Augustinus *lib. 1. de Serm. Domini in monte, cap. 19.* vbi ait: *Si irasci non est fas fratri suo sine causa, aut dicere Raca, aut dicere fatue: multò minus fas est in animo tenere aliquid, vt in odium indignatio conuertatur.*

Idem S. Augustinus regula 3. cap. 38. *Melior est, qui quamuis ira sæpè tentatur, tamen impetrare festinat vt sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit iniuriam, quam qui tardius irascitur, & ad veniam petendam tardius inclinatur.* Multa alia præclara vide *in Pharetra* apud S. Doctorem *loc. cit.*

155 Exempla iræ in scriptura lege *in Bibl. pauperum, cap. 95.* vbi de Ira hominis per Zelum, & *cap. 96.* vbi de iræ vitio. Monet autem S. Doctor *in Confessionali, cap. 1. particula 4.* Interrogandum pœnitentem de Ira, de his, quibus extra erumpit in Iram maledicendo, conuitiando, blasphemando, &c.

Oportet autem aduertere cum D. Bonauent. *in Pharetra, loc. cit.* ex D. Bernardo *ep. 69.* dari etiam vitium in aliquo extremo oppositum iræ, id est, non irasci, quado irascendum sit; hoc enim ait esse, nolle peccatum emendare; sicut prius irasci, quàm irascendum sit, est peccatum peccato addere. Idem habet 156
Author *imperfecti in Matth. homil. 11.* & D. Thom. *quæst. 158. art. 8.* & notauit Tannerus *disp. 3. quæst. 3. dub. 7. num. 174.* & alij.

QVÆSTIO VI.

De Crvdelitate.

{ D.Thom. quæst 159.

Hæc opponitur Clementiæ, & definitur à 157
D. Bonauent. ex Seneca, lib. 2. de Clementia, cap. 4. *Atrocitas animi in exigendis pœnis.* Ex hac ait, oriri has filias, incarcerationes, percussiones, verbera, duella, mutilationes, & occisiones: Ex quo patet, eam esse illi virtuti contrariam, quæ est in Principibus, & Prælatis, & dicit animi lenitatem. Idem habet D.Thom. *art. 1.* Ad hanc ferè immisericordia reducitur, quæ tamen non infligit malum, sed solùm non subleuat miseriam; de qua Hierem. 6. *Crudelis est, & non miserebitur.*

Differt autem crudelitas à feritate, vt ait S. Doctor, quia feritas, siue sæuitia, sic dicta est à ferarum similitudine, non habito respectu ad vllam culpam eius, qui punitur, ipso per se cruciatu hominum delectatur, qua ratione feræ bestiæ hominibus nocent, vt eorum etiam corpora depascant, vt ait etiam Seneca *loc. cit.* D.Thom. *art. 1.* Quo fit, vt sæuitia contineatur sub bestialitate, siquidem talis delectatio non est humana, sed bestialis.

Crudelitas verò attendit quidem culpam 158
in eo, qui punitur, sed excedit modum in puniendo, & ità crudelitas differt à feritate, sicut malitia humana à bestialitate, iuxta Aristotelem 7. *Eth. cap. 5.* & sicut crudelitas opponitur clementiæ, sic feritas opponitur superexcellentiori virtuti, quam Aristoteles 7. *Eth.* initio vocat Heroicam, vel Diuinam, vt possimus dicere opponi dono Pietatis, vt ait D. Thom. *art. 2.* & Tanner. *dub. 7.* qui magis eam opponit humanitati. Sed D. Bonauent. videtur vtrumque approbare probabile.

Alivd vitium in altero extremo crudelitatis ponit S. Doctor *in Pharetra, lib. 3. cap. 24.* eam verò ait esse nimiam, in puniendis criminibus remissionem, de qua præclara refert è Sanctis Patribus.

D. Gregorivs lib. 32. moral. cap. 17. *Plerumque dissoluta remissio, quasi mansuetudo, ac pietas reputatur, & dum plus, quàm decet, delinquentibus temporaliter parcitur, ad æterna supplicia crudeliter reseruantur.*

D. Avgvstinvs ep. 50. *Molestus est, & cru-* 259
delis videtur Medicus furenti frenetico, & pater indisciplinato filio: ille ligando, ille cædendo, sed ambo diligendo. Si autem illos negligant, & perire permittant, ista potius falsa mansuetudo, vera crudelitas est. Eadem refert è D. Bernardo *præf. in Psal. Qui habitat.*

Observat autem S. Doctor *locis allatis*, peccatum esse mortale excessum crudelitatis in pœnis exigendis, incarcerando, &c. Est etiam mortalis nimia remissio, qua non puniuntur rei, & aperitur via scelestibus.

letibus. De hac sæpe agit S. Doctor in *opusculo de Ecclesiastica Hierarchia*, & alibi.

QVÆSTIO VII.

De IMMODESTIA.

{ D.Thom.quæst.169.

160 MODESTIÆ hoc vitium opponitur, & stat in trasgrediendo modo debito earum operationum, quæ extrà mediocritatem in sensibus, in victu, vestitu, ludis, &c. exigent.

Sicut autem modestia præcipè elucet in vestitu, & ornatu externo, in studiositate moderata, & in ludis, Eutrapeliæ metas non excedentibus, itá, immodestia in oppositas stat, vt docet D. Thom. *quæst. cit.*

161 PRIMÒ quidem ornatus superfluitas peccatum est oppositum modestiæ in exteriori apparatu per excessum, scilicet immoderato cultu, siue quoad vestes, siue quoad alias res vtitur aliter, quam oportet, nempe aut illum referendo ad vanam gloriam, aut ad illicitam voluptatem, aut cum ei sollicitiùs operam dat, quàm par est; aut cum ornatum dirigit ad incitandum ad peccatum; aut cùm in eo cultu admiscetur fraus, & falsitas, vt edisserit S. Thom. *art.* 1. & 2. *quæst.* 169.

EX his habes, quandonam sint mortalia peccata nempe cùm ad finem mortalem fiunt, vel causant peccatum graue.

DVBITATIO I.

De MVLIERVM *ornatu.*

162 OCCVRRIT hic quæstio admodum grauis, & necessaria circa ornatum mulierum; de qua S. Thom. *art.* 2. & D. Bonauen. *in speculo animæ, cap.* 3. ante medium, §. *circa inhonestatem habitus*: ansit Lethalis.

OBSERVAT autem S. Doctor primò in his, quatuor excessus numerari. Primus est superfluitatis cùm plures vestes habent, quàm par sit, vel nimis latas, & diffluentes. Secundus est curiositas, vel in colore, vel in modo facturæ. Tertius inhonestas, cùm vestium factura inhonestatem prætendit, & ad malum prouocat, vt cùm exponitur collum, & pectus nudum. Et adhibentur onctiones ad acquirendum colorem, fuci, deceptiones in mutandis capillis; vel fucando caput. Quartus est compositio, cùm singularis modus adhibetur, multiplicantur in calia, adinueniuntur noui modi, &c.

163 OBSERVAT secundò, hæc quatuor posse habere rationem peccati, vel ratione prauæ intentionis, vel contrariæ consuetudinis, vel conditionis personæ, vel temporis, vel ratione radicis.

RATIONE finis possunt fieri ex vanitate, vel ex intentione prouocandi ad luxuriam ex sanè vbi est intensio mortalis, erit etiam culpa mortifera. Talis est intentio, vt appetaris, nam vt ait D. Augustinus *epist.* 100. non solùm appetere, sed etiam appeti velle, criminosum est.

POSSVNT secundò esse vitiosi ornatus ratione consuetudinis contrariæ, maximè ad mollem ornatum, vt cùm vir muliebri habitu incedit, & in hoc scandalum adeo graue dari posse ait, vt esset mortiferum. Vnde S. Augustinus lib. 3. confess. c. 8. *Consuetudo, vel lex terræ, nulla ciuis, vel peregrini libidine violetur.*

POSSVNT tertiò esse mali ratione conditionis personæ; vt si clericus, vel religiosus habitu indecenti sæcularium vtatur, si pauper vestibus diuitum, vidua habitu coniugatarum, & potest esse excessus grauis in suo statu, & ex mala radice oriri, & in scandalum vergere. 164

POSSVNT quartò esse mali ratione temporis; vt cùm quis vtitur talibus, & talia multiplicat tempore necessitatis pauperum, & cum tanta est fames, vt pauperes grauiter patiantur, cùm deberent adiuuari, & potest esse tanta in pauperibus indigentia. & tanta ex opposito in diuitibus superfluitas, vt posset habere rationem mortalis, eo modo, quo de prodigalitate dictum est. Hæc S. Doctor, cui assentitur etiam D. Thomas *art.* 2. Et Caietanus *ibi* multiplicatis dubiis, vbi grauitatem huius excessus, vel ex fine, & è scandalo graui, vel per accidens è malis, quæ sequuntur, accipiunt. Circa hæc ponam assertiones multas, & Doctores allegabo vtrinque.

ASSERO primò. Ornatus muliebris, aut vlrotum, si ordinetur ad prouocandum ad luxuriam, est mortalis. Ità communiter cum SS. Doctoribus Caietanus ad *art.* 2. *D. Thomæ*, & alij allegandi. 165

PROBATVR à SS. Doctoribus, quia finis mortalis deprauat grauiter opus, & si oculus nequam est, totum corpus operis tenebrosum erit, vt ait Christus.

ASSERO secundò. Ornatum moderatum, quo inhonestè prouocandum sciat mulier aliquem ad libidinem, non esse malum, neque teneri abstinere aut domi contineri simpliciter. Ità Caietanus 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 4. in fine; & *quæst.* 169. *art.* 2. *ad* 5. *dubium* cum D. Thoma, qui solùm ex fine lethale esse asserit, Armilla *sum.* verb. *Ornatus*, & verb. *Scandalum*, vbi & Palacios, Granado 1. 2. *Controu.* 3. *tract.* 23. *disp.* 5. *sec.* 5. Referens Nauarrum *Summa, cap.* 14. *num.* 47, & *cap.* 23. *num.* 18. Azorium *tract.* 1. *lib.* 12. *cap. vlt. quæsito.* 12. 166

Est contra D. Antonium *PP. tit.* 7. *cap.* 4. §. *Ad finem.* Syluester verb. *Scandalum*, *quæst.* 2. Cordubam *Summa, quæst.* 5. Medinam *p.* 2. *quæst.* 54. *art.* 6. *ad* 2. Zumellus ibidem *art.* 8. *dub.* 4. Lopez *P.P. instruc. cap.* 20. Citantur etiam Nauar. & Azor. à Sanchez in Decalogum *tract.* 1. *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 16. 167

ENIM VERÒ Nauarrus loquitur de ornatu nimis, sciente se ab aliquo determinato concupiscendam: Azorius verò de excessiuo ornatu asserit.

ARBITROR autem aliquam causam esse debere prodeundi, cum Diana *part.* 5. *tract.* 7. *resol.* 38. Castro Palao. *tomo* 1. *trac.* 6. *disp.* 6. *puncto* 7. Hurtado 2. 2. *disp.* 173. *sec.* 31. §. 404. & *seq.* Ratio est, quia debet ruinæ spirituali prouidere, dum potest sine graui damno. Et hic est sensus D. Antonini, & aliorum suprà, quibus subscribit Sanchez, qui ait: Aliud est se sua libertate priuare: Aliud se sponte offerre: Hoc enim malum est. Itaque concludit Diana, scientem se desiderandam, cùm possit aliud Templum adire, non posse ad hoc se transferre, vbi est concupiscens; vel sentientem Amasij equum, 168

& se exponentem ad fenestram, vel egredientem, vt spectetur, peccare, dando ansam ruinæ.

169 CÆTERVM, cùm ornatus mediocris sit sui iuris; similiter & egressus iuxta agenda, non tenetur se scrupulosè omnino his priuare.

LESSIVS autem *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 110. Regulam tradit: Quod quando scilicet aliquid non est per se malum, sed indifferens, excessus in vsu illius (seclusa omni malitia extrinseca) non esse nisi veniale; & ideò excessum in corporis ornatu, considerata qualitate personæ, loci, &c. esse tantum veniale peccatum.

170 EX sic se ornet ex vanitate, non adhuc contrahere culpam scandali, negant Salas *prim.* 2. *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 5. *num.* 132. Zomel *prim.* 2. *quæst.* 73. *art.* 8. *dub.* 2. *conclus.* 3. Hurtadus 2. 2. *dispu.* 173. *sect.* 14. §. 199. Quia, ait hic, nec è substantia ornatus, nec è fine vano, oritur per se scandalum. Quod si fœmina tenetur ex aliquo vel præcepto mariti, vel voto, vel alia circumstantia grauiter abstinere, tunc ait fore mortiferum.

OPPOSITVM tamen teneo cum Alphonso de Leone *de offic. Conf. ff. tom.* 1. *recollect.* 7. *num.* 369. *&* 371. Sanchez *num.* 17. vt suprà, quia teneor cauere ex charitate à ruina spirituali proximi; & ideò non modò eam non causare mea vanitate, sed sine causa graui teneor non præbere occasionem, etiam non volitam.

171 ASSERO tertiò, nuditatem ex modis ornandi lasciuis, qua pectus mulieres exhibent, ex quo viri ordinariè captant occasionem peccandi, non esse absque graui stimulo. Ità videtur sentire S. Doctor etiamsi fiat iuxta morem patriæ absque mala intentione.

SCIO oppositum docere Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 13. *num.* 21. *quæsito* 13. nec renuere Dianam, *loco citato*, vbi mittit ad videndum Suarez *disp.* 10. *sect.* 3. Granadum *Tom.* 1. *lib.* 6. *quæst.* 16. *cap.* 5. §. 2. Sanchez, & Lessium de hac quæstione.

ADDIT Diana *resol.* 32. malum esse quidem mulieribus vti vestitu virorum, & viris mulierum, non tamen mortale. Ità etiam Syluius 2. 2. *loco citato*, *ad* 3. Prohibebatur autem *Deuter.* 22. vt notat Tannerus *num.* 222.

172 ASSERO quartò cum S. Doctore, non esse illicitò mortale, posse tamen esse mortiferum, si contra leges patrias inducatur, & inde resultet scandalum, puta si communiter introducatur hic modus magnis sumptibus luxuriantibus.

ASSERO quintò, posse esse malos ratione personarum, vt si Religiosi dissolutis ornatibus vtantur, si Clerici purpurinis calceis, & alijs similibus, lasciuis, &c.

ASSERO sextò, posse esse mortale ratione temporis, si grauiter pauperes inde patiantur; est enim contra charitatem; imò contra iustitiam, iure Gentium præscriptam, vt diuites retinerent, quæ occuparant, non tamen in graue præiudicium necessitatis pauperum, quibus iniquè fuerant res ereptæ. Sic perijt diues Epulo purpuratus, sinens Lazarum esurire, vt docet D. Gregorius, *Homil.* 40. *in eundem*, & S. Doctor ad eum locum Lucæ, & obseruat Tannerus, *disp.* 3. *quæst.* 3. *dub.* 8. & alij multi.

173 ASSERO septimò, fucos, & alias fictiones, quibus fœminæ colorantur, lambiunturque vultus, non esse per se culpam mortalem. Ità SS. DD. vbi Caietanus, *loco citata*, & alij.

RATIO habetur è SS. DD. quia fictio non est mortalis, nisi sit perniciosa, sicuti dixi de mendacio, vt notat Caietanus, *ibi*: est tamen vitiosa, & à SS. vituperata. Vnde 1. Petri 3. *Quorum non sit extrinsecùs capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.*

LIBET hîc referre multos SS. Patres è Seraphico Doctore *lib.* 3. *Pharetra*, *cap.* 20.

D. GREGORIVS lib. 20. Moral. cap. 15. ait: 174
Praui cum tegendis membris vestimenta quærunt, non solùm, quæ tegant, sed etiam quæ excolant, expetunt: & contra torporem frigoris, non solùm, quæ per pinguedinem muniant, sed etiam quæ per mollitiem delectent, & non solùm, quæ per mollitiem tactum mulceant, sed etiam quæ per colorem oculos seducant.

CHRYSOSTOMVS de compunctione cordis sic habet: *Nos omne tempus vitæ consumimus expoliantes dominam, & adornantes ancillam diuersis ornatibus.*

EX eodem in Matth. *Qui immoderato cultu corporis, atque vestitus, vel cæterarum rerum nitore præfulget, facile conuincitur rebus ipsis, pomparum sæculi esse sectator.*

CITATVR D. Augustinus lib. 4. de Doct. 175
Christ. cap. 20. vbi ait: *Quem iudicem, mulier, veriorem requirimus deformitatis tuæ, quam teipsam, quæ videri times? Si deformis, cur te formosam esse mentiris, nec tua conscientia, nec alieni gratiam oris habitura*: est autem Ambrosij dictum *lib.* 1. *de Virginitate.*

D. AMBROSIVS ibidem, loquens de fuco mulierum: *Tolerabiliora propemodum in adulterio crimina sunt: ibi enim pudicitia, hîc natura adulteratur.*

ITIDEM ante ex D. Cypriano, lib. de discipli- 176
na, & habitu Virginum, cap. 7. *monentis Apostoli vox est: expurgate vetus fermentum, &c. In azymis sinceritatis, &c. Num sinceritas perseuerat, & veritas, quando, quæ sincera sunt, polluuntur, & colorum adulterinis fucis in mendacium vera mutantur? Dominus tuus dixit: Non potes facere capillum tuum album, aut nigrum: & tu ad vincendam Domini tui vocem, vis te esse potiorem audaci conatu, & sacrilega contemptu? Crines tuos inficis malo præsagio futurorum, capillos iam tibi flammeos auspicaris.*

IDEM S. Cyprianus, cap. 6. *Fugiant castæ virgines; & pudicæ incestarum cultus, & habitum impudicarum, lupanarium insignia, ornamenta meretricum. Hoc Deus culpat, hoc damnat. Sericum, & purpuram indutæ, Christum induere non possunt: auro & margaritis, & monilibus adornatæ, ornamenta cordis, & pectoris perdiderunt.*

IDEM ibidem, cap. 3. *Parem se in omnibus in-* 177
tegritas virginea præstet, nec bonum cordis, corporis cultus infamet. Quid enim ornata virgo, quid compta procedit, quasi maritum habeat, aut quærat? Timeat potius placere, si virgo est, nec periculum sibi appetat, quæ ad meliora, & diuina se seruat.

HIERONYMVS Epist. 14. *Crimen est, caput post chrismatis sanctificationem, aut croci, aut alterius pigmenti, fuco, vel puluere sordidari; aut auro, vel gemmis, vel cuiuscumquè terrenæ creaturæ specie comi, quod iam cælestis ornatus splendore refulget.*

IDEM Epist. 10. *Quid facit in facie Christiana* 178
purpurissus, & cerussa, quorum alterum ruborem genarum, labiorumquè mentitur; alterum candorem oris, & colli ignis incentiuum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicia. Et infrà: *Ornatus iste non Domini est; velamen istud Antechristi est. Quâ fiduciâ erigis ad cælum vultus, quos Conditor non agnoscit.*

D. BER

D. BERNARDVS epist. 113. *Filiæ Babylonis, quarum verè gloria in confusione, induuntur Purpura, & bysso, & subinde conscientia pannosa iacet, fulgent monilibus, & moribus sordent.*

IDEM in Apologia ad Guilliel. Abb. *mollia indumenta mollitiem animi indicant.*

HINC habes probatum, ornatus istos fucatos esse culpabiles.

179 ENIM verò obseruat D. Thomas, aliquos ex his Patribus grauiter damnare ornatum mulierum; vel quia erat ordinatus ad placendum alijs, quam maritis; vel ad alliciendos ad libidinem, & in Dei contemptum, præcipuè D. Cyprianus, & monet etiam Tannerus *num.* 221. & alij; omnino tamen est reprehendendus omnis ornatus superfluus.

DVBITATIO II.

De Immodestia in verbis, gestis, iocis, & ludis.

180 SICVTI modestia in modo seruando, quoad externa maximè consistit, vt docet D. August. *de vita beata, disp.* 3. apud D. Bonauent. *lib.* 2. *Pharetra, cap.* 41. ità in excessu, statu, habitu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum, vt ait D. August. *reg.* 3. *cap.* 20. apud S. Doctorem.

VNDE D. Ambrosius *loco citato, de offic. cap.* 18. apud S. Doctorem ibi, ait: *Nec cursim ambulare honestum arbitror, nisi cum causa exigit alicuius periculi, vel iusta necessitas.*

181 ET D. Isidorus in synon, cap. 9. ibi. *Professionem tuam habitu, & incessu demonstra. Sit in gressu tuo simplicitas, in motu puritas, in gestu grauitas, in incessu honestas.* Ratio est, quia sicut membra exteriora ad physicam hominis integritatem pertinent, & iuxta voluntatis imperium mouentur; ità etiam ad perfectionem moralem pertinet eorundem motus rectè componere, tum vt conueniat personæ operanti; tum vt accommodi sint etiam negotiis, & locis, vt arguit Tannerus *disp.* 3. *quæst.* 3. *dub.* 8. *num.* 211. è D. Bonauent. *in speculo disciplinæ ad nouitios, part.* 1. *cap.* 19. *& seq.*

CIRCA verba occurrit peccatum in stultiloquio, ludricis, & iocosis verbis.

HÆC sanè verborum inscitia, & profluentia periculosa est, iuxta id Prou. 10. *In multiloquio non deerit peccatum.* De hoc Isidorus in synon, cap. 9. *multiloquium non declinat peccatum, fluuius enim exundans citò colligit lutum,* & ibidem: *loqui multum, stultitia est, & vox insipientis in multiplicatione sermonis.*

182 D. GREGORIVS homil. 22. in Ezech. *Valde difficile est, vt qui multa loquitur, non etiam mentiatur.*

IDEM in Pastorali, part. 3. admonit. 15. & lib. 7. Moral. cap. 17. *Quia murum silentij non habet, patet inimici iaculis ciuitas mentis; & cùm per multa verba se extra semetipsum eijcit, apertam se totam aduersario ostendit, quam ille tantò sine labore superat, quantò & hac eadem, quæ vincitur contra semetipsum, per multiloquium pugnat. In Prouerbiis dicitur: sicut Vrbs patens; & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.*

IDEM lib. 10. Moral. cap. 2. *Certum est, quod verbosus vir iustificari nequeat.*

IDEM lib. 7. cap. 17. *Mentis iustitia desolatur, quando ab immoderata locutione non parcitur.*

HÆC S. Doctor Pharetræ *lib.* 3. *cap.* 3.

DE stultiloquio multa habet S. Doctor, ibi è 183
sanctis Patribus, vbi auream illam etiam habet sententiam D. Gregorij, lib. 1. Moral. cap. 7. *Apud homines cor ex verbis, apud Deum verò verba pensantur ex corde.*

IDEM D. Gregorius, lib. 16. cap. 1. *Qui verba sua metiri nesciunt, proculdubio ad otiosa dicta dilabuntur: in quibus, si se minimè reprehendunt, statim ad noxia, & contumeliosa prosiliunt.*

IDEM lib. 3. Dialog. cap. 5. *loquendo cum sæcularibus fit, vt ab otiosis ad noxia, à leuibus ad grauiora veniamus.* Vide S. Doctorem loco citato Pharetræ.

HÆC simpliciter venialia sunt, vt notat, S. Bo- 184
nauent. *in speculo animæ, cap.* 3. §. *Circa inhonestatem in gestu;* & reprehenduntur à Paulo ad Ephesios, dicente talia nec esse, nec nominari debere in nobis.

Hæc autem ex affectu pensanda, ait iuxta regulam D. Gregorij suprà allatam, vel secundùm scandalum personæ, pro vt ad malum incitant, & tali intentione dicuntur, mortalia esse posse, ait, & sic de cantilenis, choræis, & lusibus asserit.

HINC grauiter colligit histriones, saltatrices, 185
ioculatores, qui inhonestis verbis, & factis alliciunt ad delectationes, vt pecuniam extorqueant, non esse in statu salutis, & talia fuere etiam antiqua spectacula, quæ Chrysostomus *homil.* 6. *in matth.* & alij Patres damnant, vt notat Tannerus, *disp.* 3. *quæst.* 3. *dub.* 8. *num.* 216.

HINC colligit S. Doctor è D. Augustino, *tract.* 186
110. *in Ioannem*, peccatum esse pecunias dare istis, eorumque comediis interesse; non tamen id damnat vt mortale, si ob curiositatem audiantur absque periculo consensus, etiamsi res sint turpes.

CONSENTIVNT Bonacina, de Matrim. *quæst.* 4. 187
puncto 9. *num.* 22. Squillante, *de oblig. Cler. part.* 2. *num.* 45. Sanchez de Matrim. *lib.* 9. *disp.* 47. *num.* 41. Alphonsus de Mendoza, *quæst.* 9. *positiua, num.* 11. *fol.* 607. Rodrig. *Summa, tom.* 3. *cap.* 71. Salas *prim.* 2. *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 6. *sect.* 24. *num.* 165. Lorca *prim.* 2. *tom.* 2. *disp.* 28. *de peccatis, membro* 3. qui ponit conditionem, dummodo delectatio sistat in repræsentatione, non autem transeat ad rem repræsentatam. Subscribit his Azorius *parte* 3. *lib.* 5. *cap.* 27. *quæsito* 7.

EAM verò consequenter tenent valere etiam quoad 188
Clericos, qui non peccant mortaliter, cessante scandalo, quod modò rubigine ablatum est; frequenter enim Clerici adsunt Comediis. Quod verò prohibentur *C. Clerici* 2. *de vita, & honest. Cler.* ait Diana, *parte* 2. *Tract.* 27. *resol.* 35. non obligare sub mortali, cum Caietano, verbo *Clericorum peccata.* Imo hoc consuetudine esse abrogatum aiunt Sanchez, Rodriguez, Salas, Bonacina, & Squilante, suprà.

EGO tamen cum Diana assero hæc esse pericu- 189
losa, nec facilè concedenda. Ideò & Comitol. *resp. Moral. lib.* 5. *quæst.* 25. mortali peccato damnat, & re ad praxim deducta, existimo semper esse in periculo, vt patet confessione eorum, qui adsunt, qui semper coinquinati recedunt.

CIRCA immodestiam in ludis, supponit S. Doctor, *loco citato Speculi animæ*, ludos honestos moderatos ad Eutrapeliam reduci cum Aristotele. 4. *Eth. cap.* 8. Ratio est, quia remissio quædam

animi, est homini necessaria à Laboribus, & occupationibus, vt docet etiam D. Thom. *quæst*.168.*art*.2. Sicut enim fatigatio corporis, quiete eius recreatur, sic & fatigatio animi eiusdem requie.

190 Monat verò, excessum in hiseisse posse, vel ex intentione, & nunc tale est etiam opus; vel posse esse malum ratione scandali, vt si persona Religiosa, vel posita in exemplum, choræas, & tripudia ducat; Vel fortè si hæc in Parasceue exercerentur. Tria igitur necessaria sunt, vt ea relaxatio non sit praua.

Primvm, ne quæratur in ludis, vel iocis turpibus.

191 Secvndvm, ne omninò grauitas animi resoluatur, neue in iocos nimia effundatur, vt monet Ambrosius, *lib*. 1. *de offic. cap*. 20. vbi ait: *Caueamus, ne dum relaxare animum volumus, soluamus omnem harmoniam, quasi concentum quendam bonorum operum.* Et Cicero lib. 1. de offic. *Sicut pueris*, ait, *non omnem ludendi licentiam damus, sed eam, quæ ab honestis actionibus non sit aliena, sic in ipso ioco aliquod probi ingenij lumen eluceat; non vt magis dissolueris*, vt monet S. Doctor. *loco citato Pharetra* ex Patribus.

Tertivm, vt congruat personæ, loco, & tempori, vt monet Cicero, *loco citato*.

192 Datvr verò & vitium, quod ego voco *Saturninum*, oppositum in extremo, vt docet S. Doctor. *locis adductis*, quo nec loqui, nec audire aliquid vrbanum aliqui volunt.

QVÆSTIO VIII.

De Svperbia.

D.Bonauent. passim.
D.Thom. quæst.162.

De Superbia agit S. Thomas, *quæst*.162. & D. Bonauentura latiùs passim.

193 Primo igitur assero, Superbiam Humilitati oppositam, esse vitium speciale.

Probatur à D. Thoma, *art*.1. & D. Bonauent. *in speculo animæ, cap*.1. & *parte prima Centil. sect*.17. & *lib*. 3. *Compend. Theol. verit. cap*. 15. Est enim contra rationem, quæ dictat, vt voluntas vniuscuiusque feratur in id, quod est sibi proportionatum: Superbia autem vult supergredi; vel super vult videri, vnde dicta est Superbia.

194 Assero secundò quatuor esse species superbiæ, ex D. Gregorio 23. *Moral. cap*.7. Ità D. Thom. *art*.4. D. Bonauent. *ll.cc. Centil. & Compendij Theol. verit.*

Prima est æstimare bonum à seipso habere. Secunda, æstimare dona Dei à propriis meritis accepta. Tertia est, iactare se habere, quod non habet. Quarta est, despectis cæteris, velle singulariter videri habere, quod habet.

195 Ratio est, quia immoderatus excellentiæ, & præeminentiæ supra alios appetitus, secundùm prædictos modos variari solet: Etsi etiam secundùm varios gradus humilitatis possint tot numerari gradus Superbiæ. quia contraria totidem modis multiplicantur, vt declarat S. Doctor. *locis allegatis*, & D. Thomas *ad* 4. qui etiam *ad primum* notat, absque vitio infidelitatis superbum gloriari, ac si à seipso, & meritis, bona haberet.

Assero tertiò: Superbia ex suo genere est peccatum mortale, & inter opposita virtutibus moralibus grauissimum. Ità S. Thom. *quæst*. 162. *art*.5. D. Bonauent. *in Pharetra, lib*. 2. *cap*.6. *& ll.cc.* 196

Probatvr à S. Doctore *loco citato*, argumento D. Augustini *de Virginitate, cap*.31. *&* 19. *de Ciuit. cap*.12. quo vtitur D. Thomas, quia sicut humilitas respicit subiectionem hominis ad Deum: ità à contrario Superbia propriè respicit defectum huius subiectionis, adeo vt ad Superbiam propriè pertineat nolle subijci Deo, seque extollere supra id, quod ipsi homini præfixum est secundùm diuinam regulam, vel mensuram, contra id, quod Apostolus ait, 2. Corinth.10. *Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundùm mensuram, qua mensus est nobis Deus.* Ideò Eccles.10. dicitur: *Initium superbiæ esse apostatare à Deo.*

Ex hac autem excellentia, qua Deo subijci renuit, oritur, vt excedat alia peccata, virtutibus opposita moralibus, quæ vel ignorantia, vel cupiditate, & fragilitate à Deo auertunt. Superbia enim malitiâ maiori pollet. Idem argumentum habet *in speculo animæ, cap*.3. 197

Assero quartò, Superbiam esse vitium capitale.

Probatvr à D. Bonauent. *in Diæta, tit*.1. *cap*. 3. ex ea enim oriuntur Præsumptio, Ambitio, Inobedientia, Irreuerentia, Erubescentia boni, Irrisio bonorum, vel simplicium, Vana gloria, & Hypocrisis. 198

Sed, vt ait S.Doctor. *in speculo animæ, cap* 1. oritur Præsumptio, Contemptus, & Inanis gloria.

Præsvmptio in hoc consistit præcipuè, quòd homo præsumat, gratiam se habere, & alia bona, vel ex se, vel pro meritis suis, vel falsò, vel plus aliis, qui sunt quatuor modi, seu species Superbiæ, relatæ ex D. Gregorio suprà.

Hinc oritur tentatio Dei, qua vult aliquis petere absque necessitate; & experimentum Diuinæ potentiæ facere. Hinc oritur discrimen, quando quis se exponit periculo, in sola diuina virtute confidens. contempto humano adiutorio, seu spretis mediis conuenientibus absque necessitate fidei, vel Ecclesiæ; & hæc habet rationem mortalis; vnde dicitur Deuter.6. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Vbi affert Glossam dicentem: *Deum tentat, qui habens quod faciat, sine ratione se committit periculo.* Hæc S. Bonauentura. 199.

Oportet hæc aliquantulum explicari. Tentatio, & Discrimen, suprà relata, sunt opposita illi subiectioni religiosæ, qua Deo tenemur. Prætendimus enim experimentum capere de aliqua Dei perfectione, dubitantes saltem indirectè de illa, petendo talia, quæ ad nil aliud videntur ordinata, vt cùm media à Deo ordinata sperno, volens à Dei potentia effectum consequi, vt quòd Deus prouideat victum è cælo vni multitudini, & alia similia. 200

Alter modus discriminis est, quando me expono periculo, prætendens, vt Deus me miraculo liberet, sicuti si ex alta turri ruens, vellem à Deo sustentari; nam & Christus *Matth*.4. respondit Diabolo, hoc suadenti: *Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.*

Tentatio quidem formalis, quæ includit dubitationem de aliqua perfectione Dei, est mortalis: magnam enim Deo illatam iniuriam, grauemque contemptum includit; vnde neque ex materiæ paruitate fit venialis, sed solùm ex actûs subreptione, vt notat Sanchez, *in Decal. Tom*.1.*lib*.2.*cap*.4.*num*.5. Valentia 2. 2. *disput*.6. *quæst*.14. *puncto* 2. 201

202 Si verò tentatio Dei est sine expressa dubitatione, Toletus, *lib.4. sum. cap.* 19. ait, posse esse veniale, quando ex mera curiositate videndi opus supernaturale oritur: Atque Valentia suprà, Saytus *lib.4.cap.7. num.* 14. aiunt communiter esse veniale, nisi materia sit nimis grauis, vt quia tentans Deum, se maximo exponit periculo. At Sanchez ait, esse mortale, nisi simplicitas, & ignorantia non omninò crassa excuset.

203 Sic etiam Suarez *Tom.* 1. *de Relig. tract.* 3. *lib.*1. *cap.*2. *num.* 16. Ratio est, quia vult Diuinam omnipotentiam suæ curiositati supernis operibus deseruire. Addit tamen Sanchez, & ferè Suarez cum Lessio, *lib.* 2. *de Iustitia*, *cap.*43. *dub.*1. periculum, & opus esse adeò exiguum, vt sit culpa venialis, vt in leui morbo nolle medicinis vti. Existimo etiam tentationem Diuinæ voluntatis per aliquod signum petitum, esse tentationem Dei, vt docet S. Doctor. *hìc*, & D. Thomas, *quæst.*97. *art.*1. Suarez *Tomo* 1. *de Relig. tract.*3. *lib.*1. *cap.*2. Sanchez, *num.*8. Neque requiritur, vt semper oriatur ex dubio de aliqua Dei perfectione.

204 An tentationem Dei pertinet, velle à Deo signum pro veritate fidei, puta, vt Christus in Sanctissimo appareat.

Ad discrimen pertinet purgatio per ferrum candens, quæ iure Canonico est vetita, *cap. Mennam*, & *can. Monomachiam*, & *cap. Consuluisti* 2. *quæst.*3. & *cap.* Et tuarum *de purgatione canonica.* Vide D. Thomam 2. 2. *quæst.*95. *art.*8. *ad* 3. & p p. *quæst.*80. *art.* 6. *ad* 3. Valentiam 2. 2. *disput.*6. *quæst.*14. *puncto* 1. *corolar.* 4. Saytum, *lib.* 4. *cap.* 7. Sanchez *num.*72.

205 An tentationem Dei spectat etiam in graui morbo respuere medicinas, & velle à Deo sanitatem supernè obtinere, & est mortale. Ità Nauar. *Summa*, *cap.*11. Sanchez, *num.*14. Suarez *loco citato*, *cap.* 2.

Est etiam tentatio Dei, se martyrio temerè absque causa exponere. Ità Nauar. *cap.* 11. Sanchez *num.*15. & alij. Sed iam *in Tractatu de Spe, & Religione*, de his actum est.

E Præsumptione oriuntur etiam nimia in se confidentia, audacia inepta, &c. Et similia.

206 Contemptus est proprius superbiæ effectus, renuens Deo, & superioribus subiacère; è quo resultat Inobedientia, Despectus, Irreuerentia. Occisio, Subsannatio, Ironia, &c. Vide S. Doctorem.

Inanis gloria est, qua quis appetit vanè suam excellentiam ostendere, estque mortalis, cùm appetit gloriam Deo debitam. Ex hoc oriuntur Ambitio honoris, fauoris humani appetitus, confusionis timor, & laudis amor.

Ex ambitione honoris oritur Pompa, è quâ tres fructus pullulant: Fastus in superfluo comitatu, & apparatu, & fastoso gestu, & affatu, quæ venialia sæpe sunt, & aliquando mortifera.

207 Ex appetitu humani fauoris oritur Adulatio, quæ est mortalis, si laudes malum graue, ansam præbens, vt in peccato maneant, glorientur, & vltra merita efferantur. Si autem sola intentione placendi laudaueris, erit veniale peccatum iuxta D. Augustinum, *serm.*41. *de Sanctis*. Ex eo appetitu fauoris oritur etiam prodigalitas, quæ est mortalis, dum ea bona, quæ in pauperes essent expendenda, dissipantur inutiliter, vel personis inhonestis distribuuntur. Et in hoc Ecclesiasticos reprehendit, quorum bona vltra sustentationem personæ, & status, debent pauperibus erogari.

Ex timore confusionis oritur mala verecundia, 208
& falsa humilitas. Verecundia mala parit erubescentiam diuinorum, verecundiam paupertatis, verecundiam in Confessione. Oritur etiam veritatis negatio, impugnatio falsa, excusatio, & peccati defensio.

Ex appetitu humanæ laudis oriuntur Hypocrysis, Ostentatio, Singularitas, & Iactantia.

Hypocrisis secundùm Isidorum, *de summo bono*, *cap.*14. *sentent.* 2. est simulatio boni non existentis; est autem mendacium. Itaque sicut mendacium non est mortale, nisi sit perniciosum proximo, vel contra veritatem Fidei, & morum: Ità Hypocrisis est mortalis, quando fit intentione decipiendi sub specie bonitatis: Sicuti qui sanctitatem fingit, vt bona Ecclesiastica, quibus est indignus, obtineat.

Ostentatio est, quando bonum, quod 209
habet, vel habere se simulat, exterius ostendere nititur, vt laudes inde captet, nec est mortale ex suo genere.

Singularitas est, cùm qui singulariter vult apparère, & fructus habet diuersos malos, pro vt in diuersis materiis inuenitur. Oritur hinc etiam Inuidia.

Iactantia est, qua gloriatur verbis de bono, vel quod habet, vel quod non habet. Vide S. Doctorem prolixè declarantem, omnia ferè peccata è Superbia gigni.

Hinc etiam D. Thomas, *quæst.* 162. *art.* 2. ex 210
D. Augustino, *lib. de natura*, *& gratia*, *cap.*29. ait, Superbiam speciale quidem esse peccatum, sed tamen causalitate dici posse generale, quatenus ex ea oriuntur alia peccata. Primò per se, quatenus alia ordinantur ad finem Superbiæ, qui est propria excellentia, ad quam potest ordinari, quicquid inordinatè appetitur. Secundò indirectè, & per accidens, scilicet remouendo prohibens, quatenus homo Superbià contemnit Diuinam Legem, qua à peccando prohibetur, iuxta id Hieremiæ 2. *A sæculo confregisti iugum, & dixisti: Non seruiam*: Multa tamen non ex contemptu, sed ex ignorantia, vel fragilitate contra Dei legem fiunt. Vnde ait D. August. *loco citato*, Multa perperam fiunt, quæ non fiunt superbè.

Ex his habes, Superbiam esse vitium, non modò 211
capitale, sed caput, & initium omnis ferè peccati: Vnde S. Gregorius 31. *Moral. cap.*31. non capitale vitium nominat, sed Reginam vitiorum.

Difficilè autem vitatur, vt monet S. Doctor, *ll. cc.* præcipuè, *lib.*3. *Compendij Theol. cap.*15. & D. Thom. *art.* 16. *ad* 1. nam superbia etiam in bona se insinuat. Hæc latè, & præclarè prosequitur S. Doctor, *in Dieta*, *tit.* 1. *cap.*3. quem obsecro lege, prosequentem varias, & concinnas Superbiæ similitudines.

Assero vltimò, hanc esse initium omnis peccati. 212
Eccl. 11. *Initium omnis peccati Superbia.*

Ratio est, quia auersio à Deo, quæ formaliter complet rationem peccati, pertinet ad Superbiam per se: ad alia autem peccata consequenter. Dicitur ergo initium omnis peccati, tum quia primum peccatum Luciferi, & Hominis è Superbia prodiit; tum quia omne peccatum est aptum natum gigni à Superbia, etsi non omne necessariò oriatur, vt ait, Tannerus, *disp. cit.*

His addit S. Doctor, *Compend. Theol. lib.* 3. 213
*cap.*13. quòd omne peccatum, cum sit auersio à Deo, est quidam Dei contemptus. Quod ergo D. Prosper

lib. de vita Contempl. cap. 1. ait: *Nullum peccatum sine Superbia potest, vel potuit esse, aut poterit.* intelligitur materialiter, quatenus in omni peccato est quidam appetitus in aliquid supra id, quod decet hominem diuinis legibus subiectum, scilicet in ipsam transgressionem, sub ratione cuiusdam excellentiæ, & celsitudinis; quæ est obiectum proprium Superbiæ, quæ est vitium speciale, vt notat Valentia *disput. 9. quæst. 3. puncto* 1. cum Bonauentura, *loco citato.*

214 NOTAT verò cum S. Doctore initio *cap.* 1. Superbiam omnem posse esse venialem propter imperfectionem actus, non plenè deliberati, sicuti euenit etiam aliis.

SIGNA Superbiæ, è D. Prospero, *lib. 3. de vita Contempl. cap.* 8. refert S. Doctor. *in Speculo ad Nouitios, parte 2. cap.* 5.

215 REMEDIA contra Superbiam affert S. Doctor in fine *Speculi animæ*, scilicet, Obedientiam simplicem, subiectionem, exhibitionem humilitatis erga omnes, exercitium in operibus humilibus; humili gestu, humili habitu incedere, Honores fugere, semper eligere ministrare magis, quàm ministrari, iactantiam deuitare circa ea, quæ ad familiæ, vel aliarum rerum excellentias vltimatè conducunt; Omnia denique signa deuitare, vanitatem prætendentia.

216 DVODECIM fructus Superbiæ refert S. Doctor. *p. p. Centiloq. sect.* 17. è D. Bernardo *Tract. de gradib. Humilit.* & sunt: Curiositas, leuitas mentis, Inepta lætitia, Iactantia, Singularitas, Arrogantia, Præsumptio, Defensio peccatorum, Simulata Confessio, Rebellio, Libertas peccandi, Consuetudo. His passibus superbus ascendit.

217 CVRIOSITAS est, quando Superbus inquirit rumores, scilicet quid de ipso dicatur. Leuitas mentis est, quando aliquis leuiter mutatur de delectatione ex verbis laudis, in tristitiam ob verba vituperij. Inepta lætitia est, quando lætatur ex defectibus aliorum. Iactantia est, quando narrat ea, quæ habet, vt laudetur. Singularitas, quando præter consuetudinem aliqua singulariter operatur, vt solus & appareat, & laudetur. Arrogantia est, quandò iactat se habere, quod non habet. Præsumptio est, quando ingerit se ad faciendum, quod ad eum non pertinet. Defensio peccati est, quando errorem, & peccatum suum defendit, & excusat quis manifestè. Simulata confessio est, quando peccatum suum excusat occultè. Rebellio, quando dissidet, scilicet à superioribus, paribus, & inferioribus: Superioribus obuiat, inferiores opprimit, pares molestat, atque perturbat. Tunc libertas peccandi succedit, quia nec Deum timens, nec homines reuerens, peccat liberè, consuetus ad mala, in profundum decidens peccatorum.

218 COLLIGIT *cap.* 18. differentiam inter Superbiam, & inanem gloriam.

Superbia enim est propriæ excellentiæ appetitus, ex D. Bernardo, *epist.* 42. Vel est amor propriæ excellentiæ, ex D. Augustino, *lib.* 11. *de Genes. ad litt. cap.* 14. Vel est peruersæ celsitudinis appetitus ex eodem, *lib.* 14. *de ciuit. cap.* 13.

219 INANIS verò gloria est appetitus manifestationis propriæ excellentiæ, vt ait S. Bonauent. ibi, & D. Thomas, *quæst.* 162. *art.* 8. ac Taner. *num.* 201. ex vtraque verò oriuntur filiæ multæ. Vide S. Doctorem, *loco citato*, vbi ait eas ratione distingui, nisi dixeris, inanem gloriam esse filiam Superbiæ, quia ex nimio affectu ad propriam excellentiam oritur appetitus se manifestandi.

CONTRA eos agit S. Doctor, *parte 3. Stimuli Diuini amoris, cap.* 10.

PLVRIMA è Patribus congerit præclara, *lib. 2. Pharetræ, cap* 6.

PARITER multa è Scripturis conglomerat in *Bibliis pauperum, cap.* 98. De iactantia agit *cap.* 99.

220 Explicat verò *in 2. dist. 42. dub.* 4. quomodo veræ sint duæ illæ propositiones, scilicet: *Initium omnis peccati superbia*, Ecclesi. *loco citato*: & illa: *Radix omnium malorum est cupiditas*, vt dicitur *ad Timoth. vltimo.*

RESPONDET, diuersum esse dicere, *Initium*, & *Radicem*; nam Initium dicit id, vnde incipit motus: Radix verò dicit id, unde trahitur fomentum.

221 CVM igitur peccatum dicat recessum à Deo, vnde incipit per contemptum, saltem implicitum Dei, & nolle ei subijci; hinc est, vt Initium sit à Superbia, quia sequitur conuersio ad bonum commutabile, ad quod appetibilia potentia tendit, nutrimentum capiens ex illius boni concupiti appetitu. Hinc Cupiditas dicitur radix omnium malorum. Et quia in omni peccato est auersio à Deo: & conuersio cupida ad creaturam; hinc dicitur Superbia, *Initium*, & Cupiditas, *Radix omnis peccati.*

222 DIFFERT autem capitale vitium à Radice; nam illud est vitium completum, à quo cætera sensum, & motum accipiunt, sicuti ex capite membra: Radix verò dicit aliquid minus completum; ideò non nominat peccatum determinatum, sed pronitatem libidinis, quæ concurrit ad omne peccatum.

NOTANT verò, tàm, radicem, quàm initium peccatorum tribus modis sumi.

223 RADIX sumitur primò generalissimè; vt cùm dicitur, libido, siue cupiditas est radix omnium malorum: Generaliter, cùm dicitur: duplex est radix peccati, Amor malè accendens; & Timor malè humilians; amor enim accipitur respectu boni; & Timor respectu mali. Tertiò sumitur minus generaliter, vt cùm dicitur: triplex est radix, Concupiscentia carnis, Concupiscentia oculorum, & Superbia vitæ, per comparationem ad triplex bonum; Inferius, Exterius, & Interius.

224 SIMILITER initium peccati dicitur tribus modis. Primò vt dicit recessum arbitrij à lege Dei, & sic dicitur Superbia, sicut contemptus. Secundò, vt recedit à lege veritatis, & dicitur Error. Tertiò, vt recedit à lege bonitatis, & sic est Insipientia, quæ est contraria Sapientiæ. Hinc D. Chrysostomus ad id Psal. 27. *A facie insipientiæ meæ*, ait: *Omnis peccati initium insipientia.*

A Superbia omnia alia vitia capitalia oriri concludit S. Doctor. *in Psal.* 81.

225 EST verò & initium in altero extremo appositum Superbiæ, vt innuunt suprà SS. DD. Seraphicus, & Angelicus *art.* 1. *ad* 8. & dicitur applicatio animi ad viliora, quam humilitas exigat, Sicut pusillanimia recedit à virtute Magnanimitatis, vt notauit Tannerus *num.* 195. & dicitur Pusillanimitas, contraria etiam humilitati. Rarò tamen est mortalis, nisi graue damnum inferat sibi, vel proximo, vt notat Valentia, *disput. 9. quæst. 3. puncto* 1. *ad finem.*

QVÆSTIO VLTIMA.

De cæteris Vitiis oppoſitis partibus potentialibus Temperantiæ.

226 INTER hæc vitia primò occurrit curioſitas, quæ poteſt ſumi late, vel ſtrictè; latè ſumitur pro immoderato ſtudio nouitates experiendi, quocumque modo; ſic eam ſumit S. Doctor *expoſit. in Pſalt. Pſalm.* 13. vbi quatuor ennarrat, quibus homo Chriſtianus maximè corrumpitur; & horum primum ponit Curioſitatem; dicens: quatuor ſunt, quæ corrumpunt, Curioſitas, loquacitas, crudelitas, ac voluptas.

227 Cùm autem nouitatum experientia viſu præcipuè percipiatur; ideo S.Doctor *loco cit.* Curioſitatem oculis adſcribit; hi enim, dum mens intus ob incuriam diſtrahitur, foris per diuerſa obiecta diſcurrunt, & diuagantur; vnde in mentem cogitationum multitudo certatim irrepens, pietatem euacuat, & ad grauiora peccata pedetentim animam impellit.

228 Aliam etiam rationem magis phyſicam eleganter profert S.Doctor, vbi ſuprà; cur præter cæteros ſenſus oculi magis curioſitate ſeducantur? nam cùm in quatuor ſpeciatim hominis partibus vigeant quatuor elementa; ignis maxime elucet in oculis, ideoque natiua mobilitate, à centro remotus, quaquauerſum erumpere, & curſitare conatur, ac radios viſuales diu in vnum obiectum vix intendere patitur; hinc curioſiores ſunt iuuenes, quam ſenes, quippe in his ille ignis emortuus ferè languet; in iſtis vero viuacior diſtrahit: Aliæ partes, in quibus cætera vigent elementa, ſunt manus, in quibus ob prædominium terræ, eſt tactus; lingua, in qua aër vocem format; & genitalia, in quibus aqueus humor generationi deſeruit: Has autem partes (ſubdit S.Doctor) dicta quatuor vitia, tanquam quadripartita peſtis, diſperdunt, oculos ſcilicet curioſitas: linguam loquacitas: manus crudelitas: & genitalia voluptas: Hæc refero, cùm temperantiæ illa vitia, de quibus latiùs alibi, ſpeciali modo aduerſentur.

STRICTIVS verò ſumpta curioſitas opponitur per exceſſum ſtudioſitati, & conſiſtit in deſiderio, & ſtudio immoderato ſciendi, & ſapiendi, non ad ſobrietatem; ſed ad mentis libidinem expiendam.

229 Hinc optimè definitur hæc curioſitas à S.Doctore expoſit. in eccleſiaſt. in ea verba: *vidi cuncta, quæ fiunt.* Eſt Intellectus humani libidinoſa proſtitutio, paſſim quamlibet veritatem amplexantis, & cum ea adulterantis: Rationem huius definitionis profert ibidem Seraphicus Doctor, quia prima veritas eſt ſponſa, cui fidem quodammodo frangit humanus intellectus, dum alias veritates curioſiùs explorat; & in eis ſaturitatem ſuam, ſeu fælicitatem collocat; Cum autem hucvſque progreditur curioſitas, proculdubio lethifera ait, cum à prima veritate animam totaliter auertat.

230 Hoc autem immoderatum ſciendi deſiderium quatuor modis poſſe contingere docent D. Thomas, q.167. & D.Bonauentura in ſpeculo animæ, *cap.* 1.

PRIMÒ ex parte finis, ſi cognitionem ordinet ad finem malum, aut eam non referat in Deum, vt deberet, ſicuti ait D. Auguſtinus *lib. de vera relig. cap.* 29. & *lib. de moribus Eccleſiæ, cap.* 21. apud Valentiam.

231 SECVNDÒ ex parte diſcentis, ſi per eam impediatur, ne muneri ſuo ſatisfaciat. Qua ratione D. Hieronymus *epiſtola ad Damaſum, de filio prodigo*, reprehendit Sacerdotes, qui dimiſſis Euangeliis, & Prophetis, legunt Comedias, & amatoria, ac Bucolicorum verſuum verba cantant.

TERTIÒ ex parte eius, à quo cognitio quæritur, vt ſi quæratur à Dæmone, vt dixi de Superſtitione, & de Adiuratione, *Tract. de Religione.*

232 QVARTÒ ex parte rei, cuius cognitio quæritur, ſi ſit ſupra naturam. Ideò Eccl. 3. *Altiora te ne quæſieris.*

LVDI ſuperfluitas opponitur Eutrapeliæ, vt dixi, cùm de Ludis, & Iocis. Vide D. Thomam *quæſt.* 178. *art.* 3.

233 ET ſanè erit mortale, ſi ludendi modus erit flagitioſus, & obcænus, vel pernicioſus proximo ob mixtas fraudes: Vel ſi quis ità intendat ludo, vt omittat præcepta Dei, vel Eccleſiæ; atque adeò in illo ponat vltimum finem, vt docet D.Bonauent. *in ſpeculo animæ, cap.* 2. §. *Quintus fructus rapinæ eſt ludus alearum, ſeu taxillorum.* Vnde de hoc dicunt quidam, quòd ſit peccatum mort'le, eò quòd ſit contra Ius Canonicum, & Ci .e. Et quod ex ludo habetur, nullo bono titulo poſſidetur, nec poteſt retineri, ſed debet pauperibus erogari. Quia enim, qui in ludo lucratur, iniuſtè lucratur; & qui amittit, iuſtè amittit; ideò qui lucratur, eidem, à quo lucratur, reſtituere non tenetur, niſi fortè Induxerit eum ad ludendum.

234 Cùm autem ludus ſatis videatur ex radice rationem habere mortalis peccati, quia ſcilicet ex auaritia videtur procedere, & quia ludo multa communicantur peccata; ſcilicet fraus, mendacium, periurium, blaſphemia, ſcandalum, amiſſio temporis, & ira; ideò hæc cauſa videtur prohibitionis ludi. Cùm ludit aliquis cauſa recreationis, peccatis ſuprà dictis excluſis, non videtur habere rationem mortalis. Hæc Seraphicus Doctor.

ET cap. 3. §. *Circa inhoneſtatem in geſtu*, eadem accinit.

235 EX his collige primò, ludum aleatum, & taxillorum iure naturæ non eſſe vetitum. Ità Molina *Tomo* 2. *de Iuſtitia, quæſt.* 510. Stephanus Coſta, *Tract. de Ludo, art.* 4. *num.* 5. Diana *parte prima, tract.* 15. *reſol.* 65. contra Scacchum *tract. de commerciis*, §. 1. *quæſt.* 1. *num.* 104.

236 COLLIGES ſecundò, leges ciuiles, & Canonicas, prohibentes ludos iſtos, non cogere per ſe ad mortale, vt ait S. Doctor; ſed ſolùm ratione peccatorum ſequentium; ciuiles verò abrogatas eſſe conſuetudine, docent Homoboous *de exam. Eccl. part.* 2. *tract.* 9. *cap.* 14. *quæſt.* 25. Regius *in reſol. caſuum, caſu* 23. Salas *tract. de ludo, diſp.* 3. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 26. *dub.* 1. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 38. *cap.* 4. *num.* 58. Diana *loco citato*, qui duo inferunt, ex vi dictarum legum, ſecluſis aliis circumſtantiis, nequidem eſſe peccatum.

EST autem quæſtio, an exponentes domus his ludis, peccent grauiter.

237 NEGATIVAM ſententiam ſuſtinent Vincentius Iuſtinianus Dominicanus apud Lopez, infrà citandum; nam ex authoritate D.Thomæ 2. 2. *quæſt.* 169. *art.* 2. *ad* 4. & exemplis adductis poſt Sanchez à Bonacina, *Tract. de legibus, diſp.* 2. *quæſt.* 4. *puncto* 2. licitum eſt miniſtrare, & vendere res indifferentes, etiam cum cognitione praui abuſus: Tales autem ſunt hi ludi.

238 ILLICITVM tamen eſſe docet D. Bonauent. *loco cit. ſpeculi, cap.* 2. ibi enim ea peccata grauia patrantur, quæ S. Doctor enumerat, ſicuti lacrymabilis experientia docet.

EVM ſecuti ſunt Suarez *tract. de Charit. diſp.* 10. *ſect.* 4. Sanchez *Tomo* 1. *lib.* 1. *cap* 7. *num* 39. Sylueſter verb. *Ludus*, *quæſt.* 15. Nauar. Manual. *cap.* 19. Comitol. *lib.* 3. *quæſt.* 7. Zanardus *in Director. part.* 2. *præcepto* 5. *cap.* 28. Ioan. de la Cruz *in Directl. part.* 1. *præcept.* 7. *art.* 5. *dub.* 13. Valentia *tomo* 2. *diſp.* 5. *quæſt.* 6. *puncto* 5. §. 2. Molina *Tom.* 2. *de Iuſtitia*, *diſp.* 516. & alij multi apud iſtos, quibus ſubſcribit Diana ſuprà, alíos referens.

239 PROBATVR argumento D. Bonauent. Ea, ex quibus ſequuntur peccata grauia, ſunt vetita grauiter: tales ſunt iſtæ donorum congregationes, ſeu conuenticula: Ergo. Minor probatur ex D. Bernardo *ſerm.* 33. vbi duodecim peccata recenſet. Quid eſt Barattaria, niſi betaria, in qua per blaſphemias, illius cæduntur membra, qui proprio ſanguine nos redemit, ac dulciſſimæ Matris eius, & omnium Sanctorum, vt ait Bellochius *in praxi, part.* 2. *quæſt.* 4.

240 *à num.* 492. *ad* 504. qui ait eſſe ſeminarium omnium vitiorum, è quibus viginti vnum recenſet D. Antoninus *part.* 2. *tit.* 1. *cap.* 23. §. 6. Quare in viſceribus Chriſti obſecrat Principes, vt teterrimam hanc peſtem eradicent.

241. INFERT verò Belloch. *num.* 466. Diana *loco cit.* & alij, hos conuenticulorum Patronos deficientibus principalibus luſoribus in reſtitutione ſubintrare, & teneri.

INFERT ſecundò Diana, non poſſe Principes concedere licentiam exponendi domum ludo.

Ex dictis reſpondetur argumento aduerſo, non. licere miniſtrare res ad prauos vſus, quando in ipſa exhibitione prauus vſus exercetur; ſic autem exercentur taxilli, aleæ, & candelæ actu blaſphemantibus, vt notat Diana cum Lorca 2. 2. *quæſt.* 10 *art* 9. Neque rectè Diana concedit in primo reſponſo hæc eſſe indifferentia, cùm ipſo facto ſint praua, & moraliter ad hoc ordinata. 242

REMANET defectus in altero extremo oppoſitus Eutrapeliæ, & dicitur Ruſticitas, vt docet Ariſtoteles 2. *Ethica*, *cap.* 7. & *lib.* 4. *cap.* 8. & D. Thom. *quæſt.* 168. *art.* 4. & D. Bonauent. *locis allatis*, & accidit, cùm homo eſt adeò agreſtis, vt ſe omnibus moleſtum præbeat, impediens honeſtas recreationes, aut eis non cooperando, aut eas mordendo, carpendo, amaricando ex quadam, quam voco *Saturninam inurbanitatem*, quam plurimi, maximè ſpirituales cydonici, venantur, alioſque vexant. 243



TRACTATVS



TRACTATVS DE VARIIS HOMINVM STATIBVS, ET OFFICIIS.

PROOEMIVM.



SICVT in Artificialibus fundamentum priùs iacitur, obstacula remouentur, & paulatim ædificium optato culmine completur, in quo consistit totius structuræ status; ità in Moralibus, propagatis prius virtutibus, & vitiis profligatis homines ad quosdam vitæ status, & officia sunt securiùs promouendi; in quibus cæteris in operis exemplum, & doctrinæ eruditionem præluceant.

HINC S. Thomas peractis virtutum tractatibus, & discussis vitiis, quibus illæ impugnantur, prosequitur nonnulla, ad particulares personas pertinentia, quæ in triplici sunt differentia; alia enim sunt à Deo pro proximi salute gratis concessa, quæ ideò Gratiæ gratis datæ nuncupantur; alia à Deo quidem instituta sunt, & partim designata, hominum tamen dispensationibus, seu ministrationibus credita; & hæc Status quidam sunt, & Officia, in quibus aliqui ideò instituuntur, & instruuntur, vt cæteris ducatum præbeant. Nos itaque, more solito, Angelicam D. Thomæ methodum cum Seraphici D. Bonauenturæ doctrina componentes, sub titulo Tractatus de Virtutibus Theologicis, ad quas Cardinales reduximus, quicquid virtuti potest esse adminiculum, vel offendiculum, planè absoluimus, & plenè: Vt igitur extremam manum huic tomo imponamus, de variis Hominum statibus, & officiis, nunc postremo loco est agendum; Hæc autem officia computamus, non quæ sæculi, sed quæ salutis negotiis ministrandis incumbunt; quicquid tamen pro conscientiæ eruditione in temporalibus ministeriis à nobis esset desiderandum, suprà, vbi de iustitia, tractauimus; Hîc verò, institutâ primâ disputatione de Statibus, & perfectione in communi, duas illas insignes prælaturas, Episcopalem, scilicet, & Regularem, hanc autem paulò prolixiùs, examinabimus: Deinde de vita Actiua, & Contemplatiua, vbi etiam de Prædicatoribus, vltimò disputabitur. De Gratiis autem gratis datis hîc silebo, cùm de illis iam actum sit alibi.

DISPVTATIO PRIMA.
DE
STATIBVS, ET PERFECTIONE
IN COMMVNI.

CVM in mundo ſenſibili è ſpecierum decore, & varietate, pulchritudo ipſius, & venuſtas aſſurgat; non eſt, cur mundo morali, qualis eſt Religio, ſtatuum varietatem,& perfectionis gradus denegemus; idque eo potiori iure, quòd quando plures in eodem currunt ſtadio, ſe ad perfectionis, ſeu peruentionis metam, æmulando meliora ſemper Charismata, mutuo concitent. Hæc autem varietas ſtatuum ex finis, non vltimi, qui omnium eſt idem, ſed proximi diuerſitate oritur; Finis enim in moralibus maximè diuerſificat: licèt in ſermonis rigore, quantum ad rem attinet, ille finis ſit potius medium, quod ad vlteriorem aſſecutionem ordinatur; quia tamen ad illud medium contingendum alia præſupponuntur; ideò finis proximi, vt diſtinguatur ab vltimo, nomen obtinuit; vnde conſtat, tunc ſtatuum differentiam ſubſtantialem eſſe, quando talis inter fines, ad quos tendunt, verſatur; & hæc eò frequentiùs contingit, quòd pro virium modulo, & experientiâ vnus diuerſum ab alio ſtudium amplectitur; nam vt docet D. Gregorius *lib.6. moral. cap. 16. aliàs 17.* ſunt nonnulli, qui cum orando facilè proficerent, operando ſubitò ſuccumberent: Demonſtrata itaque ſtatuum vtilitate, propria, & communi; reſtat, vt quid, & quotuplices ſint, videamus.

QVÆSTIO I.

Quid ſit STATVS, *& quotuplex.*

< D.Thom art.1.

1 STATVS pro peculiari vitæ conditione, & quaſi ſorte acceptus apud Tollium pro Balbo, ſic poteſt deſcribi cum D.Thom. *Status eſt quædam moralis, ſiue ſpiritualis conditio vitæ, pertinens ad aliquam libertatem, vel ſubiectionem, ſiue ſeruitutem, cum quadam immobilitate.*

HINC enim omnes vitæ conditiones ſunt ſtatus, vt quod ſit aliquis diues, vel pauper. Quamuis autem varij ſint ſtatus, tamen eos ſolos pertractamus, qui ad aliquam peculiarem perfectionem ſpectant, & quidem ſtatus propriè perfectionem habet, vt notat D.Bonauent. *in 2. diſt.4. dub.3. litt.*

2 ET quia ſtatus immobilitatem affert, hinc, licèt dicatur ſtatus coniugatorum, virginum, & viduarum paſſim à Doctoribus, præcipuè à D.Bonauent. tamen non ſunt propriè ſtatus, quia non habent immobilitatem, niſi cum viduitate, & virginitate ſit votum. Status verò coniugatorum nunc non agitur; tum quia de eo agam *3. parte Tract.de matrim.* tum quia hic agitur de ſtatibus, habentibus ſpecialem perfectionem.

MVLTIS modis diuiduntur ſtatus. Primò ex parte actionum, & officiorum, quæ varia ſunt. Quo pacto alius eſt ſtatus Epiſcoporum; alius Religioſorum; alius Laicorum,de quibus S.Doctor *de Eccleſiaſt.Hierarchia*, egregiè & *lib.1. Pharetra.* In his ſunt varia officia, & gradus.

SECVNDÒ diuiduntur ſtatus ex parte perſonarum, quæ in ſtatu aliquo ad perfectionem pertinente conſtitutæ ſunt. Hinc verò alius eſt ſtatus Incipientium; alius Proficientium; alius Perfectorum, quos eximiis ſanctorum PP. aſſertis eruditè proſequitur S. Doctor *lib.1. Pharetra, à cap.33.* & D.Thom. *art.4.* 3

STATVS Incipientium ſtat in pugna continua contra vitia, vt docet D.Bonau. *c.33.1. lib.Pharetra*, è D. Gregorio *homil. 17. in Ezech.* Bernardo *ſerm.4. in Aſſumptione B.Virginis.*

STATVS Proficientium eſt, deuicto vtcumque impetu paſſionum, in virtutum inſudare conſecutione. De quo mira ſunt, quæ ex Patribus refert S.Doctor *cap.34.*

STATVS perfectorum eſt eorum, qui ardore Charitatis incenſi, ſine magno labore vitam cum Deo tranquillam degunt. Hunc latè proſequitur aureis ſanctorum effatis D.Bonauentura *cap.35.* 4

Hi autem tres ſtatus ſic explicantur à D.Bonauent. *c.36.* à D.Thom. *art.4.* ſtatus ſpirituales in ſtudio humano conſiſtunt, qui iuxta alia, cùm habeant principium, medium, & finem, exigunt Initium perfectionis, Medium, & Apicem, proportionatis operibus firmatum.

OBIICIES primò. Ad eundem omnino pertinet Incipere, progredi, & perfici: Ergo eſt vnus omnium horum ſtatus. Anteced. patet ex SS.PP. Bernardo *ſerm. 3. & 4. in Cant* Hieronymo *in Prol.ſuper libros Salomonis*, Gregorio paſſim *in moralibus*, præſertim *lib.24. cap.7. lib.25. cap.3.* & *homil.10. & 14. in Ezech.* Iſidor. *de ſummo bono, lib.2. cap.7. ſent.7.* & aliis apud D.Bonauent. *loco cit. Pharetra*, quos allegat Valentia *diſp.10. quæſt.1. puncto 2.*

RESPON

5 RESPONDETVR primò cum D. Bonauent. *cap.36.* ex ipso D.Gregorio 24. *moral. cap.7.* hos esse modos diuersos; qui status distinguunt hominum spiritualium pro diuersis temporibus.

RESPONDETVR secundò cum eodem D. Bonauent. *ibi*, ex D. Ber. *serm. 3. de assumption*, hos tres status recenseri respectu diuersorum, vt incipientes sint diuersi à proficientibus, eos autem penes vitam diuersam distingui, vt Incipientes in Lazaro: Proficientes in Martha: Perfecti in Maria exprimantur; Vtraque bona responsio, sed prior melior, vt notat Valentia.

OBIICIES secundò. Status dicit immobilitatem; at hi motum dicunt.

6 RESPONDET primò Valentiam, immobilitatem sumi, non quoad modum, sed quoad essentiam status; hi autem sunt tres modi status. Addit Secundò, etiam hos modos esse status, quia non facilè ab incipientibus ad proficientes transimus.

GRAVIS nobis est quæstio cum hæreticis circa varios Ecclesiæ homines, qui varios status constituunt: sunt enim primò, vt dixi, status Laicorum, Clericorum, & Religiosorum, ac Episcoporum, quos latè prosequitur S.Doctor *lib.1. Pharetra*.

RVRSVS status Laicorum diuiditur in coniugatos, viduas, & virgines. De his S.Doctor in Pharetra lib.1. Status Clericorum in constituios in Minoribus, Subdiaconos, Diaconos, & Sacerdotes, qui per varios status non intersecantur, sed varios gradus varia faciunt officia.

7 STATVS Episcopalis, diuiditur in Episcopos, Archiepiscopos, Primates, Patriarchas, Cardinales, & Pontificem.

STATVS Religiosorum diuersus est: Aliqui enim vitam actiuam; alij contemplatiuam; alij mixtam colunt. Illorum aliqui sedant operibus misericordiæ corporalibus, alij spiritualibus. Contemplatiui aut in solitudine vitam degunt, & Anachoretæ dicuntur; aut in societate, & multorum fratrum congregatione, & dicuntur Cænobitæ. Hi rursus, vel sibi ipsis solis propriè vacant; neque ex instituto clericalibus deseruiunt, & Monachi vocantur. Alij ex vi instituti Clericalibus officiis, & functionibus destinentur, & dicuntur Clerici. Vtrique rursus ex instituto, vel ex mendicato viuunt, & Mendicantium priuilegiis gaudent, & vocantur Mendicantes: aut sine mendicatione ex redditibus aluntur, & vocantur non Mendicantes. Denique vtrique pro ratione sui institutoris varias sortiuntur appellationes: Alij Augustiniani; alij Benedictini; alij Franciscani: alij Dominicani, & sic de cæteris, quos recenset Tannerus *disp.6.quæst.3.dub.1.* & D. Thom. *q.183.art.2. & 3.* & fusius *q.188.* latius verò D.Bonau. *lib.1. Pharetra, & in Apologiis pro religiosis, & serm.22. Hexaem.* vbi omnium Instituta prosequitur.

8 PORRÒ officiorum diuersitas, atque adeò ministrorum oritur in Ecclesia, seu differentia administrationum, & actionum, quæ necessariæ sunt ex Diuina Institutione ad hoc, vt fideles in beatitudinem ducantur.

ET quidem huiusmodi actiones tres sunt generatim loquendo, videlicet. Disseminatio verbi Dei per prædicationem: Administratio Sacramentorum; & Gubernatio, siue regimen animarum.

QVÆ tres actiones rectè reducuntur ad tres illos actus Hierarchicos, quos habet S.Dionysius *c.5. & 6. de Eccl. Hierarch.* videlicet Purgare, Illuminare, & Perficere; nam Prædicatio verbi Diuini pertinet ad purgationem: Illuminatio verò, vt ipse Dionysius ait, ad Sacramentorum administrationem, quibus gratiæ splendor fidelibus communicatur: Perficere autem pertinet ad eos, qui regunt, maximè ad Episcopos, quos S. Dionysius vocat Perfectores. De his amplè S.Doctor *lib.1. Pharetra, & de Eccl. Hierarch. & serm.22. Hexaemeronis.*

ET quidem concionandi muneri destinantur peculiariter Prædicatores verbi Dei in Ecclesia, de quibus agam infrà, *subquæst.vnic.* Administrationi verò sacramentorum varij incumbunt ministri secundùm varios gradus, qui in sacramento ordinis continentur. 9

DENIQVE regimen diuiditur variis gradibus, nam inter Presbyteros aliqui sunt Parochi, alij Archipresbyteri, alij Præpositi, alij Archidiaconi, alij Primicerij, alij Abbates. Rursus status Episcoporum plures habet, Episcoporum, Metropolitanorum, & Patriarcharum: Qui gradus referuntur *cap. Perlectis, 25. dist.* supremus autem Gubernator est Romanus Pontifex, vt ostendi *p.p. Tract.5. in locis Theologicis*, è S. Doctore *in serm.20. & 22. Hexaemeronis.*

FINIS totius ordinationis huius, ac diuersitatis est consummatio sanctorum, iuxta Apostolum *Ephes.4.* hoc est Charitatis Dei, qua fideles cum Deo coniunguntur, & vt ait Dionysius *lib. Eccl. Hierarch.* & D. Bonauent. *ibidem*, perficiuntur, ac redduntur Deo similes, vt exponit Apostolus, Coloss.1. *Docentes in omni sapientia, vt efficiamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu, in quo laboro, &c.* 10

HANC castrorum aciem ordinatam inuadunt hæreticorum phalanges. Primò statum religiosorum detestantur. Deinde officium concionandi omnibus dant. Vtrunque errorem Vualdensibus adscribunt Æneas Syluius *lib.1. de origine Bohem.* & alij. Illos secuti sunt Vuicleph. Ioan. Hus, & Lutherus, qui etiam varietatem graduum; & sacramentum ordinis negat *lib. de capt. Babylonica.*

EXECRANTVR verò præcipuè potestatem Ecclesiasticam, quam tyrannicam conclamant, & à Pontifice Romano, & Episcopis vsurpatam. 11

HOS errores refutaui *Tom.1. p.p. de locis Theol. & Tract. de legibus.* Nunc diuersitatem horum statuum in Ecclesia, maximè vtilem ostendamus.

ASSERO igitur primò: Congruentissima est, atque Deo gratissima ea varietas statuum in Ecclesia.

PROBATVR primò à D. Bonau. *serm. 20. Hexaemer.* Ecclesia enim nil aliud est, quam concinna, & harmonica castrorum ordinatio, vt dicitur Cant.7. *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum;* at in castris est ordinatio hierarchica, vt milites sub Decurionibus; hi sub Centurionibus; isti sub Ducibus, & omnes sub vno Imperatore militent.

PROBATVR secundò à S.Bonau. ibi & *serm.22.* Ecclesia est veluti firmamentum, in quo sunt variæ stellæ; sex magnitudinum sunt planetæ, inter quos sunt Luna, & Sol, à quo cæteri pendentes, maius, vel minus lumen pro capacitate recipiunt. Hinc dicitur Cant. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* 12

PROBATVR tertiò à S.Doctore *serm.20. & 22.* Hexaëmer. & *in 4. dist.24. art. 2. quæst. 1.* Ecclesia militans est similis triumphanti; dicitur enim *Heb.9.* hæc, quæ in Ecclesia sunt, esse exemplata eorum, quæ in cælesti Hierusalem: at in triumphante sunt ordines Hierarchici officij, & ministerij varij, alij aliis præcedentes; alij aliquos erudientes, illuminantes, & perficientes: Ergo & in Ecclesia nostra. Hoc argumentum latè prosequitur toto *serm. 22.* Ideò Ecclesia est mulier illa Apoc.12. visa, *amicta sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim*, vt obseruat S.Doctor *serm.20. & 22. & 23. loco cit.* 13

14 VT autem similis agnoscatur ciuitas hæc Ecclesiæ supernæ Hierusalem, Ioanni illa cælestis apparuit è cælo descendens. Vtramque verò comparat, & nectit lapis angularis, & illa huius imago describitur à D. Paulo *ad Galat.* Vide S. Doctorem *serm.* 23. Hinc enim Apostolus vocat hæc Exemplaria cælestia *Heb.* 9. *&* 10. & S. Dionysius *cap.* 1. *de calest. Hier.* ait, distinctionem ordinum cælestium à Diuina bonitate variis huius Ecclesiæ sacerdotibus, & ordinibus expressam esse, vt latè demonstrat S. Doctor *serm. allegato*, & *opusc. de Eccles. Hierarchia.*

CONFIRMATVR à S. Doctore *sermonibus allegatis*, nam Ecclesia antiqua fuit figura nostræ, vt sæpe differit Apostolus 1. *Cor.* 9. *Heb. loco cit.* at in antiqua erant varii ordines hominum ministrantium: Ergo.

15 PRETEREA Christus instituit regimen Ecclesiæ suæ Monarchiam, vt Apostoli inæquales simul cum aliis omnibus subiicerentur Petro, vt dicitur *Matth.* 16. *Ioan.* 21. quæ latissimè ostendi *p. p. Tract.* 1. *disp.* 4. *&* 5. & eleganter prosequitur Turrianus *lib.* 1. *de Hierarch. ord. cap.* 6. *&* 10. Hanc autem Ordinum Hierarchiam institutam, vsque ad finem mundi duraturam ibidem ostendi. Est enim Ecclesia semper vnum corpus, vt dicitur 1. *Cor.* 12. *Rom.* 12. in corpore autem est caput, à quo alia membra hauriunt vitam, & seorsum, ità igitur hîc, vt ibi diffusè differui, & differit S. Doctor *serm.* 22. vbi à Capite princeps membrorum sumit, etsi Cor princeps à Philosopho dicatur. Idem argumentum habet *in* 4. *dist.* 24.

16 PROBATVR à S. Doctore *locis allatis*, authoritate Patrum, è quibus aliquos referam: *Contemplamini, quid sit populo sancto praesse, & considerate quale sit diuinis sacramentis insistere.* Adducitur in Pharetra *lib.* 1. *cap.* 20. è D. Augustino *de singularitate clericorum*: Sed aduertitur in margine esse apud Pamelium, vt dictum S. Cypriani.

HIERONYMVS in Sophoniæ cap. 3. *Qui Episcopatum*, inquit, *desiderat, bonum opus desiderat. Videte quid dixerit, opus, non dignitatem. Si autem solum aspexeris dignitatem, citò corruet*, ex Pharetra, lib. 1. cap. 19.

17 D. AVGVSTINVS in Dial. ad Oros. quæst. 65. *Sciat, se non esse Episcopum, qui preesse desiderat, non prodesse*, & lib. 19. de ciuitate, cap. 19. *Episcopus nomen est operis, non honoris. Scopos enim Græcè, Latinè superintendere possumus dicere, vt intelligat, non se esse Episcopum, qui praesse dilexerit, non prodesse*, ex Pharetra *loco citato.*

D. AMBROSIVS de dignitate sacerd. cap. 3. *Quantum præ cæteris gradus Episcopalis altior est, tantò, si per negligentiam dilabatur, ruina grauior est*: ex Pharetra, *loco citato.*

D. GREGORIVS in Pastorali, 2. part. cap. 1. *Tantum debet actionem populi actio transcendere Præsulis, quantum distare solet à grege vita Pastoris. Oportet namque vt metiri se se sollicitè studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringatur, sub cuius æstimatione, populus grex vocatur.*

18 D. DIONYSIVS lib. de Eccl. Hier. cap. 5. *Quia diuinarum actionum imagines sunt sacerdotales distinctiones ornatissimè, atque inconfusè diuinarum operationum ordinis insitos sibi fulgores indicantes in primas, ac medias, & vltimas sanctas actiones, atque ordines Pontificali discretione distincta sunt.* Hanc sententiam mandit *opusc. de Eccl. Hierar.* sæpe.

S. IGNATIVS epist. ad Smyrnenses: *Omnia benè vobis ordinatè, quæ mandata sunt in Christo, Laici Diaconis subditi sint; Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo; Episcopus Christo, sicut ipse Patri.* Hanc sententiam digerit sermonibus Hexaëmeronis citatis.

19 S. GREGORIVS Nazianzenus Apolog. 1. *Deus hoc in Ecclesiis constituit, vt alij pascantur, imperiumque accipiant* (quibus id vtile est,) *ac tum sermone, tum opere ad officium dirigantur; alij contra ad concinnitatem, perfectionemque Ecclesiæ Pastorum, magistrorumque munere fungantur.*

ET in oratione ad ciues, timore perculsos, alloquitur Principes sic: *Vos quoque potestati meo, meisque subselliis lex Christi subiicit. Imperium enim ipsi quoque gerimus adeo etiam præstantius, ac perfectius.* Hoc dictum grauiter probat *sermonibus Hexaëmer. cap.* 1.

D. ISIDORVS de offic. Eccles. lib. 2. cap. 5. *Episcopo, dum consecratur, baculus datur, & eius iudicio subditam plebem, vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat*, è Pharetra *lib.* 1. *c.* 19.

20 PROBATVR verò ratione à S. Doctore, indicata initio opusc. *de Eccl. Hierar.* & D. Thom. *hic, art.* 2. nam sicuti conueniens fuit, vt perfectio Dei, qui est causa vniuersi, diuersimodè à variis, & inæqualibus creaturis participaretur, vt ita perfectius illa inotesceret; si quidem *Inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur*, Rom. 1. & *a magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter potest horum Creator cognosci*, vt dicitur *Sap.* 6. Sic conuenit, vt multiplex gratia in Christo vniuersali capite Ecclesiæ vnita participaretur, & ostenderetur in variis Ecclesiæ membris, iuxta id Ephes. 4. *Quosdam dedit Apostolos, quosdam Euangelistas, &c. in consummationem sanctorum.* Hanc rationem latè prosequitur *serm.* 20. *Hexaëmer.*

21 SECVNDA ratio est D. Thom. *loco cit.* & D. Bonauent. *serm.* 22. *Hexaëmer.* hoc enim facit ad ornamentum Ecclesiæ, & pulchritudinem; vt sicuti in ciuitate ordinata, & pacifica sunt varia officia subordinata; ità & hîc. Vnde *Cant.* 6. dicitur pulchra, veluti Hierusalem, quia assimilatur Hierusalem per dispositionem graduum hierarchicorum.

TERTIA hinc ratio eruitur è D. Thom. & D. Bonauent. Sicut enim in ordinata ciuitate præstantius exequuntur ciues, & primores ea, quæ ad eius optimam administrationem, & conseruationem spectant variis ministeriis, officiis, &c. ità & in Ecclesia, vbi distribuuntur concinnè officia varia, ordines suo diuersi. Hæc verò quo pacto fiant, eleganter edisserit S. Doctor *serm.* 22. *citato.*

22 ASSERO secundò, rectè in Ecclesia esse tres illos status, Coniugatorum, Religiosorum, & Episcoporum. Ità S. Doctor *locis allatis*, præcipuè *serm.* 22. Omnes enim à Deo laudantur. Primus Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Secundus Matth. 19. *Sunt eunuchi, &c. Qui potest capere capiat.* Tertius verò habetur Ephes. 4. *Quosdam dedit Apostolos*, hi autem fuere Episcopi, vt dicitur Act. 20. *Posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei*: obligationem verò huius status innuit Christus *Ioan.* 10. vt edisserit S. Doctor ad eum locum, & de *Eccl. Hier.* & in 4. *dist.* 24. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 3.

23 MVLTA de his habent SS. Patres; D. Augustinus *in Psalm.* 131. ait, eos significatos illo triplici hominum genere; de quo Christus Lucæ 17. *Duo erunt in agro, Duo in lecto, Duo in mola.* Eos enim, qui sunt in agro, ait, significare Prælatos, qui laborant in vinea Domini, de quibus Apostolus 1. Cor. 3. *Neque qui plantat, est aliquid; neque, qui rigat, &c.* Illi verò, qui sunt in lecto, significant religiosos, quieti contemplationi deditos. Denique molentes sunt coniugati, curis obuoluti, vt refert Valentia *disp.* 20. *q.* 1. *puncto* 3. & D. Bonau. exponit *p. p. Hierar. Eccl. c.* 1. *ad calcem.*

S. BERNAR

24 S. Barnardvs *serm. vlt. vig. Nat.* & *serm. primo Nat.* & D.Gregorius *lib.* 1. *moral. cap.*13. comparant hos tribus viris, de quibus *Ezech.*14. Noë, Danieli, & Iob; vt in Daniele, qui vitam duxit cælibem, religiosi signentur: Noë, qui arcam gubernauit, Prælati. Per Iob, qui filios habuit, & opibus abundauit, Coniugati; vt notat Valentia *disp.*10. *quæst.*2. *puncto* 1, et D.Bonauent. *de Eccl.Hier.part.*1. *cap.*5. ad finem.

Tres item status nuncupatos, Virginum, Viduatum, & Coniugatarum, sententiis sanctorum PP. explicat S. Doctor *lib.* 1. *Pharetra*, *à cap.* 38. *ad* 42. quem vide præclarè disserentem.

25 Assero tertiò: expedit, in Ecclesia esse ministros sacros, à laicis segregatos.

Probatvr à S. Doctore primò *in* 4. *dist.*24. *part.*5. *art.*2. *quæst.*1. *&* 2. quia omnis sapiens institutor disponit res agendas modis proportionatis: At Christus est sapientissimus institutor Ecclesiæ ordinatæ ad finem supernaturalem per media proportionata: Ergo instituit etiam sacros dispensatores horum mediorum, quæ cùm sint Sacramenta, non debuerunt omnium manibus exponi, ne in contemptum venirent.

Confirmatvr à S. Doctore *quæst.*3. nam lex Euangelica est sanctior, quàm antiqua, & res magis sacras, & Sacramenta diuiniora habet; sed in veteri testamento erant ministri sacri, vt habetur in Exodo, Leuitico, & Deuterom. 10. Vnde 2. *Paral.*29. ait Ezechias: *Vos elegit Dominus, vt stetis coram illo, ministretisque illi, & colatis eum, & crémetis ei incensum.*

26 Igitvr si Deus conuenienter Ecclesiam instituit ad sui cultum religiosum, constituit etiam sacros ministros in sacris functionibus. Hanc rationem agnouere & Pagani. Hinc Aristoteles 6. *Polit.* ait: *Oportere esse in Republica, qui Deorum curam gerant.* Hinc *Exodi* 18. Ietro sacerdos Madian dixit Moysi: *Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt referas, quæ dicuntur ad eum: ostendasque populo cæremonias, & ritum colendi*, vt obseruat S. Doctor *in Bibl. pauperum*, *cap.*21.

27 Assero quartò, necessarium esse etiam deputari personas selectas ad conciones. Est de fide ex Concil. Constantiæ *sess.*8. & hoc decernitur in Concilio Trident. *sess.*24. *cap.*4. *de reformatione*, ne quisquam concionetur absque approbatione Episcopi. Leo Magnus epist 60. & 61. *Cauis ne quisquam, præter sacerdotes, concionetur.* Hinc D. Hieron. *epist.*2. *ad Nepotianum*, apud D.Bonauent. lib.1. Phar. cap.15. *Sacerdotis Christi os cum mente concordet*, & in Concilio Later. sub Innocent. III. *can.*3. *&* 6 Synodo Gener. *can.*64. Laici id munus vsurpantes excommunicantur. Hæc indicat S.Doctor *loco citando in quæstionibus.*

Hinc D. Ambrosius *lib. de Virginibus*, apud D. Bonauent. in Phar. lib.1. cap 14. *Debet is, qui docet, super eum, qui docetur, excellere.*

Et D.Hieronymus in Mich. lib. 2. cap. 2. *Si in Apostolorum loco, & ordine sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed & conuersationem*, apud D. Bonauent. lib. cit. Phar. cap.15.

28 Probatvr secundò à D. Bonauent. *in quæst. ad regulam*, *quæst.*2. nam Christus non omnes indifferenter misit ad prædicandum, sed aliquos, quibus dona sapientiæ, scientiæ, & linguarum est impertitus. Ideò & de Euangelio viuere conceditur electis ad hoc munus, prima *Cor.*9 *&* 2. *Tim.*3. habetur argumentum; quia enim omnes non sunt apti scripturas explanare, & præcepta Diuina tradere; Ideò Sancta mater Ecclesia, à qua est omnis lex spiritualis, canones, &c. decreuit, aliquos eruditos, aptosque ad hoc munus destinandos, vt suprà ostendi. Eadem indicat *Libello Apologetico*, in eos, qui Ordini Fratrum minorum aduersantur *quæst.*2.

Confirmatvr à D. Bonau. *quæst.*4. *ad* 9. *Luca*; nam Deus antiquitus aliquos seligebat ad conciones, vt Moysen, & Hieremiam, qui etiam id renuebant, tanquam insufficientes: Deus verò eos idoneos suis donis reddere volebat.

Ideò Hierem. 23. conqueritur: *Ipsi currebant, cùm ego non mitterem eos*, scilicet prædicare, & Paulus Rom. 10. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur*, & Christus Ioan. 7. *Non à me ipso veni, sed ille me misit.* Hæc S.Doctor, quæ cæteri adhibent ad hoc probandum, præcipuè Alphonsus de Castro *summa de hæres.v. Prædicatio*, Valentia *disp.*10. *quæst.*1. *puncto* 3. & inter omnes idem D. Bonauent. *ad* 9. *Luca*, vnde obseruat, nec Isaiam ausum prædicare, nisi mitteretur: *Ecce ego, mitte me*, cap 6. 29

Assero quintò, in Ecclesia etiam esse debere potestatem ad gubernationem spiritualem, cui omnes etiam Principes sæculares pareant. Hæc latius tractaui *p.p. tract.*1. *disputationibus proœmialibus*, & rursus tractabo 3. *part. Tract. de Pœnit. disp. de potestate clauium.* 30

De hoc agit Anacletus *epist.*1. Alexand.I. *epist.*1. Gelas. Papa *epist.*4. ad Anastasium, Imperatorem, & refertur 96. dist. can. *Duo quippe Imperator Auguste sunt, quibus sic mundus regitur, regalis authoritas, & authoritas Pontificum.*

Obiicias primò. Apostolus *prima Cor.* 14. optat omnes prophetare, & loqui linguis 1 & 2. *Cor.*6. omnibus loquitur eodem sensu. 31

Respondetvr, optare quidem omnes fieri aptos, non tamen sine approbatione. Ità D. Bonauent. *ad* 9. *Luca*: approbatio autem residet penes Romanum Pontificem, & Episcopos, vt declarat etiam Concil. Tridentinum.

Obiicies secundò. In primitiua Ecclesia Episcopi, & Presbyteri non distinguebantur, vt asserit D.Hieron. *in cap.* 3. *epist. ad Titum*, vbi ait: *hanc differentiam non tam ex dispensatione dominica veritatis, quàm ex consuetudine Ecclesiæ inductam esse.*

Svppono D. Hieronymum agnouisse differentiam inter Episcopos, & Presbyteros, vt constat ex 32 *epist. ad Euagrium*, & probat Franciscus Turrianus *lib.*1. *de Hierarchicis ordinationibus*, qui obseruat, D. Hieronymum *loco cit.* solùm dixisse, eandem personam fuisse Episcopum, & presbyterum, quia pauci erant; ideò Episcopus fungebatur officio etiam Parochi, &c. Postea verò separatim Episcopos, & presbyteros fuisse constitutos, aliosque ordines variis dispersos, vt respondet etiam S.Doctor *in* 4. *dist.*24. *q.*1. *ad* 3. *art.*2.

Castro *verb. Episcopus*, non admittit vllam de hoc expositionem, sed D Hieronymum errantem 33 facit. Hoc mihi absonum est omnino, cùm D.Hieronymus Damaso Pontifici fuerit consiliarius, tempore, quo omnia Ecclesiæ statuta antiqua notissima erant in illa aula, vt obseruat S.Doctor *serm.*16. *Hexaëmer.* Quis enim mihi dicet, Hieronymum ignorasse, Timotheum Episcopum super presbyteros declaratum à Paulo 1. *cap.*5. & inde Aerium damnatum, quia hanc præeminentiam negabat, vt habetur apud D. Augustinum *lib. de hæres. cap.*53. quis autem dicet, Hieronymum, Græcæ linguæ peritissimum, neque sciuisse ethymologiam Episcopi ab *Epi*, quod est *supra*? vt docet D.Bonauent. 4. *dist.*24. *part.*2. *art.*2. *quæst.*3.

QVÆSTIO II.

De Statu perfectionis.

{ D.Bonauent. serm 3. Dom. infrà oct. Epiph.

34 STATVS perfectionis tripliciter potest considerari, è S.Doctore hic, *serm.cit.* nempè secundùm professionem, conuersationem, & contemplationem; Perfectio professionis præcipuè elucet in Regularibus, non in facto, vt ità dicam, sed in fieri; cùm pro eius acquisitione laborare teneantur: Perfectio conuersationis maximè in Episcopis emicat, quorum est in domo Dei benè conuersari, vt ad Timotheum, qui erat Episcopus, scribit D. Paulus 1. Tim. 3. *vt scias, quomodo oporteat te in domo Dei conuersari*, & cùm hæc conuersatio ingenuis sit & oneris, & honoris; hinc est quòd Episcopi in statu perfectionis, vt dicam infrà, esse supponuntur. Contemplatio denique locum habet in degentibus solitariam vitam; siue hæc sit cænobitica, siue eremitica; infrà enim, vbi de vita actiua, & contemplatiua, ostendam, vtramque posse contemplationi deseruire.

35 Hos autem perfectionis status docet S. Doctor stare in sui regimine, & peccati exclusione; vnde ait, eos signari tribus illis Regibus, qui *Eccl.* 49. dicuntur soli non peccasse: *præter Dauid, Ezechiam, & Iosiam, omnes reges commiserunt peccatum.* In Dauid, qui interpretatur desiderabilis volùs, monstratur perfectio contemplationis: in Ezechia, quod nomen auxilium Domini significat, indicatur perfecta conuersatio, quæ diuino auxilio niti indiget: in Iosia autem, qui, in quo est sacrificium, interpretatur, perfecta professio, se ipsam in Religione sacrificans, designatur: Verùm cum his adnumerari possint varij perfectionis, gradus, & modi; qui pro hac vita exercentur; materiam hanc nonnullis dubitationibus aptiùs discutiam.

DVBITATIO I.

In quo consistat Perfectio hominis.

{ D.Thom. quæst 184.

36 ASSERO, perfectionem Christianam consistere præcipuè in Charitate. Ità D. Bonau. *in Apol. pauperum, cap.* 3. *prima responsionis*, D.Thom. *art.* 1. & 3. & communiter Valentia *disp.* 10. *quæst.* 2. *puncto* 1. Tannerus *disp.* 6. *quæst.* 3. *dub.* 1. *num.* 9.

PROBATVR à D.Bonauent. primò. In eo potissimum consistit perfectio, quod est radix, forma, finis, complementum, & vinculum perfectionis: Talis est Charitas: Ergo. Minor probatur Rom. 13. *finis ergo legis est dilectio.* Matth. 22. *In hoc mandato vniuersa lex pendet.* Prima Cor. 13. *Charitatem autem non habuero, nihil sum.* ad Coloss. 3. *super omnia autem Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.*

PROBATVR secundò à D. Bonauent. hic, & *cap. præcedenti*, & à D.Thom. *art.* 1. optima ratione, Tunc vnaquæque res, ordinata ad finem, perfecta est, quando suo fini coniungitur; sed homo coniungitur suo fini, idest Deo, per Charitatem: Ergo. Minor patet prima Ioan. 4. *Qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

37 OBSERVAT autem S.Bonauent. perfectionem quidem simpliciter consistere in Charitate Dei, & secundariò proximi; sed tamen secundùm quid consistere in quibusdam aliis, tanquam dispositionibus, & instrumentis, quibus Charitas vtitur, & confouetur, iuxta id 1. Cor. 13. *Charitas patiens est, benigna est, &c.* Sicuti enim naturalis vita non solis partibus essentialibus consistit, sed quibusdam etiam dispositionibus, sic dicitur vita in sanguine; ità & vita spiritualis: Subscribit D.Thom. *ad* 2. & Valentia *disp.* 10. *q.* 2. Sic obseruat eum D.Thom. *ad* 3. ex D.Iacobo *cap.* 1. dicit, Patientiam opus perfectum operari in ordine ad Charitatem, è qua oritur tolerantia, vt dicitur *Rom.* 8.

HINC etiam percipies verum esse id, quod S. Bonauent. hic, & D.Thom. *art.* 3. docent, perfectionem hominis essentialiter consistere in præceptis diuinis obseruandis, accidentaliter verò in consiliis; nam essentialis perfectio stat in Charitate Dei, & proximi, & in quibusdam aliis virtutibus, quæ sunt præceptæ; consilia verò ducunt ad Charitatem, non necessariò; nam sine illis esse potest Charitas, faciliùs tamen potest esse cum illis.

VNDE S.Doctor obseruat, Charitatem habere 38 triplicem statum. Vnum quidem infimum in obseruantia mandatorum legis: Secundum medium in obseruantia consiliorum. Tertium summum in fruitione sempiternarum iucunditatum: Ideò triplex assignatur in scripturis perfectionis differentia. Vna necessitatis, de qua Deuter. 18. *Perfectus eris, & absque macula coram Domino Deo tuo*, Glossa ait: *absque macula criminali.* De hac S.Prosper, lib. de vita contemplat. lib. 3. c. 15. *Perfecti sunt, qui volendo, quod Deus vult, nullo peccatis, quibus offenditur, acquiescunt.*

SECVNDA est perfectio supererogationis, de 39 qua dicitur Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* De hac ait D. Hieron. epist. ad Heliodorum: *Perfectus seruus Christi, nihil præter Christum, habet, aut si præter ipsum aliquid habet, perfectus non est.*

TERTIA est perfectio vltimatæ plenitudinis; De qua Prouerb. 4. *Iustorum semita, quasi lux splendens crescit, & procedit vsque ad perfectum diem*, idest, Diuinæ visionis Charitatem. De hac D. Augustinus, solil. 1. cap. 6. *Verò perfecta virtus est ratio perueniens vsque ad finem, quem beata vita consequitur. Omnia verò tam consilia, quàm præcepta referuntur ad Charitatis impletionem, & obseruantiam, quam sic describit Apostolus, 1. Tim. 1. Charitas est finis præcepti de corde puro, conscientia bonâ, & fide non fictâ.*

HINC colligit S.Doctor, distingui perfectionem 40 ex præcepto à perfectione ex consiliis; nam hæc comparatur ad alteram, vt magis perfectum ad minus perfectum, vt ait D. Ambrosius *lib.* 1. *de offic. cap.* 11.

HÆC autem differentia consistit in hoc; vt ait S.Doctor; quod perfectio essentialis, seu præcepti talis est, vt circa bonum naturale feratur ità conformiter, vt si non feratur, turpitudinem in actu, & deformitatem inueniamus; circa verò præcepta Diuina positiua, vt si non prosequamur, inueniamus Deum succensum, & punitorem: at in consiliis ità prosequendis inuenimur, vt ab eis desistentes, neque deformitatem, neque iram Dei incurramus.

HINC S. Doctor prosequitur ostendere, vnde 41 dignoscamus præceptum à consilio in lege Diuina: Multas huius rei notas tradit Valentia, sed melius S. Doctor ait, Illud censendum tradi per modum consilij, quo Deo Christo conformamur secundùm bona, quorum carentia non est illicò contra virtutem Charitatis, vel aliam necessariam, ei adnexam; sed malum, quod declinandum proponitur, non est virtuti contrarium, vt illicò, si illud incurramus, vel bonum oppositum prosequamur, simus deformes, & nobis Dei inimicitia iniungatur. Illud verò præceptum agnoscitur, quod

quod si omittatur, illicò auertamur à Deo, & conuertamur ad aliquod bonum è tribus illis, idest: *Aut concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.*

42 ERIT quidem consilium, quo ad vitandas occasiones, & incentiua. Sic ad vitandam concupiscentiam oculorum suadens, vt omnia temporalia relinquantur, Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Ad declinandam perfectè superbiæ vitæ occasionem, ait Matth. 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Ad perfectè autem declinandam concupiscentiam carnis edocet, vt omnis experientia secundùm generatiuam potentiam abscindatur, inquiens, Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum, qui potest capere capiat.*

IN hac igitur triplici supererogatiua declinatione, triplicis originis omnis mali primam partem Euangelicæ perfectionis consistere, & sacra Scriptura insinuat, & veri Doctores astruunt, ac SS. Patres, religiosorum Institutores affirmant. Hæc S. Doctor.

43 E quibus etiam habes, distinctionem rerum præceptarum à Consiliis sumendam è Scriptura, & iudicio Ecclesiæ, vt optimè etiam Valentia docet.

HINC etiam colligis simul cum D. Thom. non indici perfectioni essentialiter necessarium relinquere omnia, sed perfectioni accidentali supererogationis.

OBIICIES. Consilia sunt de his, ad quæ præceptum ordinatur: Ergo non est duplex perfectio. Anteced. probatur: nam consilia ad Charitatem, quæ in vnione cum Deo stat, ordinantur; ad hæc autem ordinatur præceptum Charitatis, vt magis, & magis Deum diligamus, & hoc est, consilia esse de meliori bono.

44 RESPONDETVR, Consilia esse de meliori bono superaddito præceptis, & ità non est de meliori bono stante intra fines præcepti Charitatis, vt diligamus Deum ex toto corde, sed de meliori bono, quod opere additur, vt benefacere inimico etiam extra necessitatem, vt dicitur *Matth* 5. Quare ibi etiam additur: *Estote perfecti, sicut & Pater vester perfectus est*; est enim perfectio aliè Deum illum imitans, qui largiflua benignitate benefacit abundanter, etiam inimicis. Ita respondet S. Doctor, & cum eo Valentia *disp. 10. quæst. 2. puncto 1.*

DVBITATIO II.

Quæ Perfectio in hac vita haberi queat.

¶ D. Thom. art. 2.

45 CVM in Charitate consistat perfectio essentialis, & nequeat diligi Deus à nobis, vel ex parte obiecti, quantum est diligibilis; vel ex parte potentiæ, vt semper, & intensissimè actu diligat, sed tantùm possit diligi, vt præponatur æstimatione rebus cæteris, & vitentur quidem res, quæ sunt Charitati impedimento, eas relinquendo, puta diuitias, &c. non autem valeant vitari omnia venialia. Hinc SS. DD. inferunt, in hac vita non posse haberi summam perfectionem Charitatis. Perfectio incipientium est relinquere ea, quæ Charitati opponuntur. Eadem, sed perfectior, est etiam proficientium: Perfectorum verò, & religiosorum est relinquere ea, quæ non sinunt liberè in Deum tendere.

QVOAD incipientes probatur à D. Bonauent. *lib. 1. Pharetræ, cap. 33. & 34.* ex Patribus.

D. GREGORIVS lib. 31. moral. cap. 17. *Conuersorum initia bonis moribus, malisque permixta sunt: quia, & noua vita iam per intentionem agitur, & vetus adhuc ex vsu retinetur*, & homil. 13. in Ezech. *Via Dei & inchoantibus angusta est, & perfectè iam viuentibus lata. Et dura sunt, quæ contra consuetudinem spiritualiter animo proponimus, & tamen onus Dei leue est, postquam hoc ferre cœperimus.* 46

CASSIODORVS in Psalm. *Initium perfectionis est carnalia vitia relinquere, &c.*

D. BERNARDVS serm. 4. de Assumpt. *Solet inter primordia conuersionis acrius insurgere tentatio prauæ consuetudinis, & vix possunt extingui iacula ignita diaboli.*

DE proficientibus affert alias Patrum authoritates, *cap. 34.*

D. GREGORIVS homil. 10. in Ezech. ait: *Quantò plus proficimus in cognitione, tantò nobis indignamur amplius de peruerso opere.*

D. HIERONYMVS epist. 4. ad Rusticum monachum: *Oblitus posteriorum, semper priora sectaberis, nequaquam considerans quid alij malè faciant, sed quid boni tu facere debeas. Nec peccantium ducaris multitudine, sed sanctorum exempla potius imiteris.* 47

IDEM epist. 14. *Crescat in te cum annis gratia, crescat cum ætate iustitia, & fides tua eò perfectior esse videatur, quò senior es.*

S. AVGVSTINVS serm. 15. de verb. Apost. *Semper tibi displiceat, quod es, si vis peruenire ad id, quod nondum es. Nam vbi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixisti: sufficit, periisti.* Vide alia ibi.

DE perfectis, c. 35. alias sent. SS. Patrum profert.

D. GREGORIVS lib. 19. moral. cap. 8. *Tantò quisque perfectus est, quantò perfectè sentit dolores alienos*, & lib. 8. cap. 30. *Valde perfectorum est, sic de ostenso opere auctoris gloriam quærere, vt de oblata laude priuata nesciant exultatione gaudere.* 48

Et lib. 6. cap. 8. *Perfectus quisque cùm in seipso vitia vicerit, statim mentem etiam contra vulnera passionis accingit.*

Et lib. 5. cap. 13. *Ille verò perfectus est, qui ad imperfectionem proximi impatiens non est. Nam qui alienam imperfectionem ferre non valens, proximum deserit, ipse sibi testis est, quod perfectè nondum perfecit.*

D. AVGVSTINVS lib. de spiritu, & litt. c. 36. *Quantum mihi videtur in ea, quæ perficienda est iustitia, multum in hac vita ille profecit; qui quàm longè sit à perfectione iustitiæ, proficiendo cognouit.*

IDEM D. Augustinus de vita beata, disp. 3. *Nullus perfectus aliquo eget, & quod videtur corpori necessarium sumet, si affuerit; si non affuerit, non eum istarum rerum frangat inopia.* 49

D. ISIDORVS, de summo bono, lib. 2. cap. 29. *Sicut falsitatis crimen à proficientibus pertimescitur, ita otiosa verba à perfectis viris sollicitè vitantur.*

Idem, cap. 18. *Peccata, quæ incipientibus leuia sunt, perfectis viris grauia reputantur.*

D. BERNARDVS epist. 34. *Nemo perfectus, qui perfectior esse non appetit.* 50

IDEM in vita B. Malachiæ: *Habes de iusto, quod lex Dei in corde eius, & non in codice. Nec perfectionis is gradus. Perfectus carere & necessariis paratus est.*

IDEM serm. 57. in Cant. *Perfectus omnis reputatur, in cuius anima tria hæc congruenter, atque opportunè concurrere videbuntur, vt scilicet nouerit gemere pro se, & exultare in Deo, & proximorum vtilitatibus potens sit subuenire, placens Deo, cautus sibi, vtilis proximis.*

51 De tribus hisce statibus, cap. 36. affert Isidorum, & D. Bernardum.

D. ISIDORVS, lib. 2. cap. 7. de summo bono: *Tripartitus describitur vniuscuiusque conuersi profectus, scilicet primus corrigendi à malo; secundus faciendi bonum; tertius consequendi boni operis præmium.*

D. BERNARDVS epist. de vita solitaria. *Incipientium status dici potest animalis, proficientium rationalis, perfectorum spiritualis.*

IDEM serm. 4. in Cant. *Sunt hi tres animarum effectus, siue profectus, expertis dumtaxat satis noti, & manifesti, scilicet cùm aut de actibus malis indulgentiam, aut de bonis agendis gratiam, aut ipsius etiam indultoris, & benefactoris sui præsentiam, licet* (eo quidem modo, quo in corpore fragili possibile est) *obtinent intueri.*

52 DVO autem errores extremi in hoc reperiuntur: alter Beguardorum, damnatus in Concil. Vien. *Clem. Ad nostram*, iactantium, posse obtineri summam Charitatem, qua in hac vita reddamur impeccabiles. Hic error damnatur etiam in Concilio Trident. *sess. 6. cap. 11. can. 23.* vbi asseritur omnes, quantumlibet perfectos, esse in hac vita obnoxios venialibus, secluso priuilegio.

53 Alter error è diametro est sectariorum negantium, posse vitari peccata mortalia. Confutata verò sunt hæc *Tract. de gratia, disp. 1. prima secunda*, & *Tract. de Charitate, secunda secunda, disp. 8. quæst. 15.*

DVBITATIO III.

Quinam sint in statu Perfectionis.

D. Thom. ab art. 4. ad 8.

54 NOTANDVM ex D. Bonauent. *quæstionibus adductis, dubis.* 1. non esse idem perfectionem, & statum perfectionis: nam ad statum requiritur primo obligatio aliqua cum immobilitate quadam, vel absolutio ab ea obligatione. Secundò requiritur, vt obligatio prædicta cum aliqua solemnitate fiat, vt ait Tannerus *disp. 6. quæst. 3. dub. 1.* ex D. Thom. *art. 4.*

POTEST autem aliquis sine aliqua obligatione, & solemnitate ad statum perfectionis requisita esse perfectus; & è contra, potest aliquis eas habens, esse in peccato, sicuti sunt religiosi aliqui, vt notat Valentia *puncto* 3.

55 ASSERO primò, Episcopos, & religiosos esse in statu perfectionis. Ità D. Thom. *art. 5.* D. Bonauent. *in Apolog. pauperum, cap. 3. responsionis prima*, nam vtrique solemnitate se obligant ad opera perfectionis; Religiosi quidem, vt rebus omnibus posthabitis Deo inhæreant: Episcopi verò, vt si opus sit, animam ponant pro ouibus, vt patet *Ioan.* 10. & ibi prosequitur S. Doctor.

De Episcopis id *disp.* 2. De religiosis ostendam d. 3.

56 QVÆRVNT autem: an etiam Prælati, Episcopis inferiores, sint in statu perfectionis, S. Thom. negat *art. 6.* sed est quæstio de nomine, vt obseruat Caietanus *ibi*; nam si nomine status intelligas quamlibet horum conditionem, ob quam obligentur ad Charitatem, & aliqua opera perfectionis, certum est, Prælatos illos esse in statu perfectionis: Si verò intelligas obligationem, qua aliquis astringitur ad omnes, vel ferè omnes vitæ actiones, illos non esse in statu perfectionis constat.

QVÆRVNT etiam: an sit perfectior status Episcopi, quàm status Religionis.

RESPONDET S. Doctor; vtrumque se habere, vt excedens, & excessum; nam Episcopi ad opera Charitatis subeundæ mortis pro ouibus se obligant; at religiosus ad omnem renunciationem bonorum.

ENIM verò *de Eccl. Hier.* Religiosos inter Seraphim, & alios primæ Hierarchiæ spiritus collocat; Episcopos verò in Dominationibus inferioribus, sed hanc quæstionem agam *disp.* 3. cum vtriusque status perfectiones exposuero. 57

QVÆSTIO III.

An aliqui, qui in statu perfectionis non sunt, obeant ratione sui officij opera perfectiora, quàm aliqui, qui sint in statu Perfectionis.

D. Thom. art. 8.

QVÆSTIO hæc difficultatem nonnullam habet, si comparemus religiosos ex vna parte, qui sunt in statu perfectionis: & ex altera Prælatos, Episcopis inferiores, vt Parochos, Archidiaconos, qui propriè non sunt in statu perfectionis. 58

ASSERO primò. Si attendamus genus ipsum operum, quibus eiusmodi Prælati, ac Religiosi occupantur, simpliciter esse perfectiorem statum religiosorum, quam officium huiusmodi Prælatorum.

PROBATVR primò ex *cap. Clerici 19. quæst. 1.* vbi ex Concil. Tolet. IV. *cap. 49.* habetur: *Clericos, qui religionem cogitant, meliorem vitam sequi cupere*, & in cap. Duæ 19. q. 2. ait Vrbanus II. *Spiritu sancto afflari Clericos huiusmodi, cum Religionem volunt ingredi.* 59

Idem probat S. Doctor *in Apol. pauperum, cap. 3. resp. prima*, ex D. Gregorio P. *in registro, lib. 10. Indic. 15. epist. 38.* vbi idem scribit, iniungens, ne detineantur ab hac vocatione.

PROBATVR secundò ex D. Dionysio *de Eccl. Hier. cap. 5. & 6.* vbi in ordine perfectorum solos ponit Episcopos; Presbyteros autem in ordine illuminatorum, quatenus ad administrationem sacramentorum homines transferuntur à peccatorum tenebris.

PROBATVR tertiò ratione; nam perfectius est totam vitam consecrare operibus perfectionis, quàm aliqua particularia munia obire circa salutem proximi.

ASSERO secundò, ratione alicuius sacræ ordinationis hos esse aliquo modo in operibus digniores; vnde & tenentur magis splendere exemplo. Vide Valentiam *disp. 10. quæst. 2.* & D. Bonauent. *in Apol. paup. cap. 3. resp. prima*, vbi ex officio procurandæ salutis proximi id probat. 60



DISPVTATIO II.

De Statu Episcopi.



HIc est sublimior Ecclesiæ Status, ideò Dominationibus à Seraphico comparantur Episcopi, quippe qui verè sibi, & aliis dominantur, ideò perfectionem, ad quam alij laborando aspirant, illi ipsis placidè præsidendo inspirant; nec enim aliter, ait S. Doctor *part. 2. de eccl. Hierar. cap. 1.* possint hominum dominatores verè

verè reputari, qui vitiorum sunt serui; quare initio nascentis mundi, *Genes.* 3. dictum est, *sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius:* item à principio Ecclesiæ dictum est à Petro; *Non vt dominantes in clero, sed, &c.* signanter autem, & apposité ait: *non vt dominantes*, nimirum quia, licet domini sint, non potestatem tamen domini, sed Patris pietatem, in subditos, tanquam in filios, exhibere debent; quare de Episcopo prædixit Zacharias, cap.6. *Sedebit, & dominabitur, & erit sacerdos in solio suo, & erit consilium pacis inter eos, & erunt coronæ memoriales in templo domini*, ita notat S. Bonauentura *loco cit.* cuius luculenta testimonia dé hoc perfectionis statu, vt ordine referam, sit.

QVÆSTIO I.

An EPISCOPVS *sit in statu perfectionis.*

{ D.Thom. quæst.185.

1 CERTVM est, eos esse in statu perfectionis; Probabitur ex insignibus titulis, datis Episcopo.

PROBATVR à D.Bonauent. primò *in Apolog. Pauperum, cap.3. respons. prima*, ad finem, ex D.Dionysio, de Eccl. Hier. cap. 1. vbi ait: *Sicut qui dicit Hierarchiam, summatim dicit vniuersorum sacrorum ornatum, ità dicens Hierarchiam, monstrat in Deo manentem, & Diuinum virum, in quo omnis Hierarchia perficitur.* Hinc idem Sanctus *cap.5. & 6.* vocat Episcopos *perfectores*, etiam respectu religiosorum, vt notat etiam Valentia *disp.10. quæst.2. puncto 4.*

2 DEINDE affert D.Hieronymum, epist. 128. ad Fabiolam: *Tanta esse debet scientia, & eruditio Pontificis Dei, vt gressus eius, & motus, & vniuersa vocalia sint; veritatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet, & ornatu, vt quidquid agit, quidquid loquitur, sit doctrina Apostolorum.*

OBSERVAT verò cum D.Hieronymo *epist.83. ad Oceanum*, non teneri quidem Episcopum in omnibus præcellere, alioqui non posset esse Episcopus, nisi esset Virgo, sed congruit, vt in his præcellat, quæ ad pascendi gregis spectant officium: Ideò ait S.Hieronymus: *Futurus Pastor Ecclesiæ talis eligatur, cuius comparatione subiectus populus meritò grex dicatur.*

3 AFFERT etiam D.Gregorium 2. *part. Pastoralis, cap.1.* vbi ait: *Tantum debet actionem populi actio præcedere Præsulis, quantum distare solet a grege vita Pastoris*: eundem refert *in Pharetra loco citando.* Quapropter infert D.Gregorius: *Ad prælationis statum non congruit accedere, nisi perfectum, vt Virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat; Virtutibus vacuus, nec coactus accedat.*

PROBATVR etiam à D.Bonauent. *lib. 1. Pharetræ, cap.19.* ex perfectionibus, quas sancti Patres in Episcopis exigunt.

D.GREGORIVS in Registro, lib.5. cap.129. *Episcopus cum loco mutet mentem: Non sibi credat, solam lectionem, & orationem sufficere, vt remotus ab aliis studeat sedere, & de manu nihil fructificare, sed largam manum habeat, necessitatem patientibus occurrat, alienam inopiam, suam credat: quia si hoc non habet, vanum Episcopi nomen tenet.*

IDEM lib. 8. cap.129. *Tota mente fraternitas vestra se exhibere festinet in prosperis humilem, & in aduersis, si quando adueniunt cum iustitia erectam, amicam bonis, contrarium peruersis. Nullius vnquam faciem pro veritate loquentem premens; misericordiæ operibus iuxta possibilitatem substantiæ insistens, & eisdem insistere etiam supra posse cupiens, infirmis compatiens, beneualentibus congaudens, aliena damna propria deputans, de alienis gaudiis tanquam de propriis exultans, in corrigendis vitiis sæuiens, in fouendis virtutibus auditorum animum demulcens: in ira iudicium sine ira tenens: in tranquillitate autem seueritatis suæ sententiam non deserens.* 4

IDEM 2. part. Pastoralis, cap. 1. *Tantum debet actionem populi actio transcendere præsulis, quantum distare solet à grege vita Pastoris. Oportet namque, vt metiri sese sollicite studeant, quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringatur, sub cuius æstimatione populus grex vocatur.* 5

D.ISIDORVS lib. 2. de offic. Eccles. cap.5. *Episcopo, dum consecratur, baculus datur, vt eius iudicio subditam plebem, vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat.*

D.AVGVSTINVS in Dial.q.65. ad Oros. *Sciat se non esse Episcopum, qui præesse desiderat, non prodesse.* 6

Idem lib. 19. de ciuitate, cap.19. *Episcopus nomen est operis, non honoris: scopos enim Græcè, Latinè superintendere possumus dicere, vt intelligat, non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse.*

D. AMBROSIVS de dignitate Sacerd. cap. 3. *Quantum præ cæteris gradus Episcopalis altior est, tantò si per negligentiam dilabatur, ruina grauior est.*

D.HIERONYMVS in cap.3. Sophoniæ: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, videte quid dixerit, opus, non dignitatem. Si autem solum aspexerit dignitatem, citò corruet.*

D.BARNARDVS epist. 42. *In omnibus, exempla Apostoli, honorificabitis ministerium vestrum, ministerium, inquam, non dominium, ipsum quidem honorificabitis, non vos. Nam qui quærit, quæ sua sunt, se cupit honorari, non ministerium. Honorificabitis autem non cultu vestium, non fastu equorum, non amplis ædificiis, sed moribus ornatis, studiis spiritualibus, ac bonis operibus.* 7

IDEM ibidem longè ante medium: *In omnibus actibus suis, vel dictis nihil suum quærat Episcopus, sed tantùm aut Dei honorem, aut proximorum salutem, aut vtrumque.*

IDEM lib.4. de consideratione: *Domum Episcopi decet sanctitudo, decet modestia, decet honestas, & morum disciplina.*

PROBATVR etiam à S. Doctore *part. 2. Eccl. Hierar. cap.cit.* vbi Episcopos Dominationibus cælestibus comparat, quæ, vt ait D. Dionysius *de cælest. Hier. cap.3.* sicuti supra alios inferiores choros eleuantur, ità eos eleuant in Deum. Episcopi enim excelsis ministerus sunt destinati regendi populos ad finem supernum, ingrediendi Sanctum Sanctorum, et mediatores inter Deum, & nos, consecrandi Sacerdotes, chrismate vngendi, imò & Chrisma, & Oleum sanctum conficiendi, claues adhibendi, iudicandi, excommunicandi rebelles, pascendi doctrina oues, easque diligendi, vt pro eis animam dare non renuant. Quæ, & alia munera heroicam exigunt Charitatem; maiorem enim Charitatem nemo habet, quam, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Hinc Zacharias, c.6.cit. loquens de Pontifice antiquo, adumbrante nostros Episcopos, ait: *Sedebit, & dominabitur, & erit sacerdos in solio suo, & erit consilium pacis inter eos, & erunt coronæ memoriales in templo Domini.* 8

9 IDEO Petrus prima cap. 5. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, &c. neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.*

IDEM ostendit S. Doctor ex epistolis Pauli ad Timotheum, & Titum, in quibus normam sanctitatis præscribit, qua præclarè fulgentes Episcopi, tanquam exemplaria, valeant alios erudire, corrigere, sanique vita magis, quàm verbis, vitiorum censorer.

10 PROBATVR etiam à S. Doctore *serm. 22. Hexaemer.* ante medium, quia Episcopi non modò altissimo sacrificio destinantur, Regibus non concesso, vnde & illis in hoc præcellunt, vt ait D. Bernardus *serm. de Cœna Domini* apud D. Bonauen. *part. 2. de Eccles. Hier. c. 1.* sed etiam Chrismati, & ordinationibus dispertiendis, ac dando spiritum sanctum, quod solis Apostolis erat concessum. Quare & Apostolis in alta dignitate succedunt, atque adeo Apostolicam sanctitatem æmulari tenentur. Itaque oportet Episcopum adeo esse sanctum, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere; vt dicitur *Tit. 1.* Ideo Episcopi esse perfecti debent, & inter eos Pontifex summus, perfectissimus. Hæc S. Bonauent. *loco citato.*

11 OBIICIES primò. Appetere statum perfectionis, laude est dignum: at Episcopatum appetere non est laudabile: ergo non est perfectionis status.

RESPONDET S. Doctor *loc. cit. in Pharetra*, ex D. Hieronymo: Episcopatum desiderare esse, opus bonum optare, dum desideratur opus, non dignitatis eminentia.

OBIICIES secundò. Ad perfectionem requiritur paupertas, quæ in Episcopo non est.

12 RESPONDET S. Doctor *in Apol. pauperum, loc. cit.* paupertatem non esse cuique perfecto necessariam, sed alicui requiri etiam opes, dummodo corde segregatus à cupiditate sit. sunt enim Episcopi destinati ad regimen populi, ad pauperum, & cleri sustentationem, aliaque præclara impensa, ideò prouentus habere debent. Hoc latè prosequitur S. Doctor *in Apol. pauperum responsionis tertia, cap. 2.* ad finem.

Ideo in *Pharetra, loc. cit.* affert illud D. August. *serm. 52.* ad Patres in eremo. *Non est Episcopi seruare aurum, & reuocare à se mendicantis manum.*

EX dictis habes, vndenam Episcopi obligationem perfectionis contrahant.

RESPONDETVR enim primò, oriri ex officio pascendi gregem verbo, & exemplo, vt latè prosequitur S. Doctor suprà.

13 RESPONDETVR secundò, oriri etiam ex fidelitate, nam Episcopus est Sponsus Ecclesiæ, *Can. licet.* & *Can. inter extra. de transl. Episcopi*, & *Can. sicut cui, 7. quæst. 1.* vt sit Valentia *puncto 4.* debet enim sanctus esse, vt sanctum connubium exerceat, quæ sursum sunt, sibi, aliisque quærens. Hoc autem significari sandaliis Episcoporum, supra apertis, ait D. Bonauen. *ad Psal. 119.*

QVÆSTIO II.

Qualem oporteat esse qui ad Episcopatum assumitur.

¶ D. Thom. quæst. 185.

14 SVPPONO, hunc non teneri esse omnium optimum perfectione absoluta, sed perfectione relatiua in ordine ad regimen.

CONDITIONES eligendi in Episcopum optimè describit Apostolus in litteris ad Timot. & Titum, ad quos remittit S. Doctor *in S. Luca*, vbi Episcopos, Apostolis successores, viros Apostolicos esse teneri asserit, irreprehensibiles, &c.

De his multa à Gratiano afferuntur testimonia à *dist. 24. vsquè ad 51.* Agunt hac de re Concilium Carthag. IV. Trident. *sess. 6. 24. & 25. c. 1.* D. Gregorius *lib. de cura Pastoral.* D. Augustinus *lib. de Pastoribus*, Chrysost. *libris de Sacerdotio.* Bernardus *libris de Consider.* & passim Pontifices in suis Epistolis Canonicis. Nos breuiter ea recensebimus.

PRIMÒ debet is esse immunis ab omni iuris impedimento, scilicet ne sit irregularis, ne bigamus, ne quicquam eorum habeat, quæ recensentur *dist. 51. Can. qui in aliquo*, & multa referuntur à S. Bonau. *in Confessionali, cap. 5.* 15

RELIQVÆ verò prærogatiuæ, Episcopis debitæ, recensentur passim à Patribus, præcipuè suprà relatis *quæst. 1.*

PRIMA est vitæ integritas, quæ charitate, aliisque virtutibus continetur.

HANC colligit Valentia *quæst. 3. puncto 1.* ex multis causis necessariam. Primò enim ideo Christus Petrum Instituturus Pontificem, interrogat de charitate. *Ioan. vlt.* vt obseruat S. Doctor, ibi vbi excludit Hominem amantem se ipsum, quem excludit Paulus *Timot. 3.* & adducit etiam Chrysost. *Homil. 8. in Ioan.* Vnde concludit, eum, qui in Pastorali cura Petro succedit, & non diligit Deum, nec pascit oues, posse dici: *Pastor, & Idolum.* Zach. 11. 16

SECVNDÒ quia Episcopus debet exemplo aliis præcedere, tanquam Dux, magister, & exemplar, iuxta illud Ioan 10. *Ante illos vadit.* Vt obseruat S. Doctor, ibi ponderans, & eleganter edisserens ibi notatas conditiones boni Pastoris, præcipuè sanctitatem, & sapientiam. Prima ibi refertur, vt intret per Christum, non per astutiam, vel simoniam aut violentiam, vel propter cupiditatem auaritiæ, & ambitionem, magis quærendo se ipsum, quàm Dei gloriam, & salutem animarum, de quibus Ezech. 34. *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos.* Igitur bonus Pastor intrat per ostium, Christum: *Ego sum ostium. Qui autem intrat per ostium, Pastor est ouium.* Sic intrauere Apostoli 2. Cor. 5. *Pro Christo legatione fungimur.* Igitur debet intrare humiliter, & sancta intentione, vt Deo rectè ministret, & summum Pastorem imitetur, vt ait D. Augustinus *tract. 45. in Ioan.* officio suo fungens ad Dei honorem, & animarum salutem. 17

SECVNDÒ debet doctrinam Dei annunciare, erudire, docere, &c. ibi: *Vocem eius audiunt.*

TERTIÒ debet rectè agnoscere vultum pecoris sui, vt dicitur *Prou. 27.* ideò hic dicitur: *Proprias oues vocat nominatim.*

QVARTVM officium est, per vias iustitiæ oues deducere: *& educit eas*, idest, ex Egypto vitiorum ad terras fluentes lacte, & melle.

QVINTÒ præcedit exemplo: *Ante eas vadit.* Hinc numer. 27. dicitur: *Prouideat Deus hominem, qui sit super multitudinem hanc: qui possit exire, & intrare ante eos, & educere illos.* Tunc autem Pastorem oues sequuntur præcedentem. Ideo ait Petrus prima cap. 5. *Pascite, qui in vobis est, gregem*; & sequitur: *Formam facti gregis ex animo.* Vltimò, *debet animam ponere pro ouibus.* 18

Hinc S. Doctor *lib. 2. Eccl. Hierar.* alias rationes affert, nempe quia Episcopus est Hierarcha, qui debet actus Hierarchiæ exercere, purgando à vitiis subditos, illuminando, perficiendo, & vt docet D. Dionys. *cap. 3. Eccl. Hier.* Ideò etiam tenetur esse sanctus, & eruditus.

TANDEM

19 TANDEM quia Pontifex esse debet mediator inter Deum, & nos, vt habetur Heb.5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat sacrificia pro peccatis*; ideò sanctus, & illuminatus esse tenetur.

20 EX allatis testimoniis colligit S. Doctor *loco cit. & in Pharetra, lib. 1.* cum sanctis Patribus allatis *quæst. 1.* sanctitatem Episcopi esse debere solidam; firmatam, non recentem, ideò non Neophitum vult Episcopum, vt obseruat S. Doctor *ad 6. Lucæ.* De hoc verò agit D. Leo P. *epist. 82. & 85.* Innocentius *epist. 12. & 24.* Cælestinus I. *epist. 2. ad Episcopos Hispaniæ.*

RATIO est, quia fieri non potest, vt inueterata peccandi consuetudo non minuat authoritatem, & libertatem animi, vt notat S. Hieronymus ex *cap. 3. ad Titum.*

REQVIREBATVR antiquitus etiam, vt in Ecclesiæ ministeriis esset diu, multumque versatus, vt patet epistolis citatis, & *epist. Nicolai P. ad Michaelem Imperatorem*; nunc autem requiritur vt per sex saltem menses fuerit in sacris ordinibus, ex Concil. Trident. *sess. 22. cap. 2. de Reform.*

21 REQVIRITVR etiam scientia in Episcopis, Malach. 2. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius.* De hoc latè Gratianus *dist. 36. can. Qui Ecclesiasticus.* In Concilio autem Trident. *sess. 22. cap. 2. de Reform.* requiritur, vt eligendus Episcopus, sit in iure Canonico, vel in Theologia magister, aut Doctor, aut Licentiatus, aut saltem habeat publicum testimonium alicuius Academiæ, professisse adeo in alterutra istarum scientiarum, vt possit alios docere; Et si regularis est, à suis Prælatis testimonium tale requiritur.

VTRA verò sit magis necessaria, Host. & Panormit. *ad cap. 1. de affinit. & consang.* dicunt, vbi hæreses grassantur, vtiliorem esse Theologiam; alibi verò Ius Canonicum.

22 DICO tamen, simpliciter vtiliorem esse Theologiam. Ità Valentia *quæst. 3. puncto 1.* Sotus *lib. 3. de Iust. quæst. 2. art. 6.* Caiet. hic, & alij. Ratio est, quia maximè debet Episcopus in fidei mysteriis populum erudire, iuxta id Matth. vltimo: *Prædicate Euangelium*, hæc autem maximè docet Theologia. Ideò cùm Episcopus ordinatur, interrogatur, non an sciat ius Canonicum, sed vtrunque testamentum.

23 TERTIA Episcopi pars est magnitudo animi, & constantia, nam oportet Episcopum Tyrannis, & hæreticis resistere. Item punire improbos, etiam potentes. Vnde illud *Ecclesiastici 7.* est Episcopo perpendendum: *Noli fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimescas faciem potentis.* Hinc Hierem. 1. *Ne formides à facie eorum*, & Ezech. 3. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, frontemque duriorem frontibus eorum.* Hinc Timot. 3. *Argue, obsecra, increpa, &c.* Sed notandum hanc seueritatem mansuetudine esse mitigandam. De quo admonet Episcopos D. Leo *epist. 90.* & Concil. Trident. *sess. 13. cap. 1. de Reform.* Quæ omnia latè prosequitur S. Doctor *lib. 2. de Eccl. Hierarch.* & *opusc. de sex alis Seraphim*, vt mox dicam.

TANDEM Episcopo necessariam esse prudentiam, quis ignorat? est enim ars artium regimen animarum, vt ait D. Gregorius initio *Pastoralis.*

24 INTEGRVM hac de re opusculum edidit S. Bonauent. quod titulum habet: *de sex alis Seraphim*, vt intelligatur, debere Episcopos illis Seraphinis esse similes, qui super altare Deo assistebant, sex alis ornati, *duabus velabant faciem, duabus pedes, & duabus volabant*, Isa 6.

PROFITETVR autem S. Doctor in hoc sectari Apostolum, atque eas Episcoporum conditiones assignare, quas ipse Timotheo duabus epistolis tradidit, *vt scias* (ait 1. cap. 3.) *quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei*: Sic enim alloquitur eum, quem Ephesinæ Ecclesiæ Episcopum præfecerat.

PRÆMONET autem cum D. Bernardo, non 25 omnes, qui in se boni sunt, esse aptos regimini, sed debere eos bonitate relatiua fulgere. Vnde *Exodi 18.* Moyses præcipitur eligere viros gnaros, & idoneos regimini. Prius sanè debet is esse bonus in se, vt Christum imitetur, qui cœpit facere, & docere, *Actorum 1.*

MONET etiam, necessarium exercitium aliquod, & praxim, vt suprà dicebam, qui enim incipientes sunt, non sunt apti magistri, sed egent magistro, Heb. 5. *Indigetis, vt vos doceamini, quæ sint elementa exordij sermonum Dei*: egent enim sicuti filij à matre retrahi à periculis, Prouerb. 2. *seruabit te, vt eruaris de via mala, & ab hominibus, qui peruersa loquuntur.*

IGITVR qui debent esse aliorum magistri, te- 26 nentur esse adeo illuminati, vt inoffenso pede euntes alios tutò ducant, vt dicitur prima Cor. 10. *Sine offensione estote Iudæis, & Gentibus.* Debent esse adeò humiles, vt neque prosperis extollantur, neque deprimantur aduersis, vt omnes excessus cogitationis, locutionis, & omissionis ad artificum reuocent trutinam, subtiliter diiudicent, & in his omnibus adeo ex habitu firmi, vt nec leuitate, nec distractione aliqua, nec difficultate, vel metu, à statu suo valeant immutari. Vnde Apostolus Rom. 8. *Quis nos separabit à Charitate Christi?* &c. Quia verò pauci tantam perfectionis metam attingunt; egent subesse, ità, vt & virtutibus fulgeant, quibus suis Prælatis obediant, & quibus suis subditis præsint; vt irreprehensibiliter viuant.

LICET autem omnes virtutes habere debeant, tamen quia numerus senarius est primus perfectorum numerus, sui generis perfectione constans ex suis partibus aliquotis; Ideò bonus animarum Rector tenetur veluti sex alis Seraphim præditus esse, vt inter præeminentiora cœlestium spirituum agmina eniteat.

PRIMA ala Episcopi est zelus iustitiæ, quo non 27 valet aliquid iniustum sine cordis murmure in se, & in aliis sustinere. Tantò enim quis est bonus, quanto est à malo alienus; quantùm enim res diligitur, tantum de eius destructione doletur. Hi Christum imitantur summum Pastorem, qui cùm in se beatus esset, tamen non fuit contentus, nisi formâ serui acceptâ, retrahens homines à malo, filios secum in gloriam adduceret, vt dicitur *ad Heb.* Zelus enim iustitiæ æstuat charitate Dei, & proximi, *charitas autem non quærit, quæ sua sunt*, primo Cor. 13.

IGITVR verus Zelator iustitiæ cauet primò, nè malum faciat, vel doceat: deinde nè in subditis illud permittat, nè cum Heli simul cum filiis perdatur 1. *Reg. 4.* Ideò Ezech. 33. *si non fueris locutus, vt custodiat se impius à via sua: ipse impius in impietate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Ostendat ergo bonus zelator, quantum diligat Deum in eo, quod beneplacitum eius in se, & in aliis promoueat, nec ab hoc zelo mollescat per desidiam.

SECVNDA ala huius Ecclesiastici Seraph est 28 pietas, siue fraterna compassio, vt sicut cùm charitas Dei ad zelum iustitiæ inflammat, ità fraterna dilectio ad pietatem informet. Nam & si vitiis debetur virga feriens, infirmitati tamen necessarius est baculus sustentans,

tans, dicente Propheta, Psal. 22. *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.*

Sic & ille Samaritanus vulneribus illius semiuiui vulnerato infudit vinum zeli feruentis, & oleum pietatis mitigantis.

29 Vide S. Bonauen. ex parallelis cum infirmitatum curationibus, educentem Prælatos ad pietatem. Ad hoc autem potest conducere, si & ipsi experti sunt necessitates; sic de Christo dicitur, Heb. 4. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.*

Debent autem compati suis ouibus exemplo ducto Iacob Genes. 33. *Nosti quòd paruulos habeam teneros, & oues, & boues fœtas mecum: quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges.* Ideò ex insignioribus antiqui testamenti Rectoribus, præcipui fuere in scola Pastorum edocti.

30 Aut si mauis, à matribus, & nutricibus exemplum sumant, vt dicitur *prima Thessal.* 2. è contra enim de ductis conqueritur Dominus, Ezech. 34. *Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis, & quod confractum, non alligastis, & quod, perierat, non quæsiuistis.* Ideo ait D. Bernardus, serm. 23. in Cant. *Vt quid grauatis iugum vestrum, cùm ceruicis Discipulorum, quorum vos potius iugum portare debetis? Ponite onera, producite vbera, pecora lactate, quiescant: Et si interim seueritate opus sit, paterna sit, non tyrannica, iuxta illud numer. 11. Porta eos in sinu tuo, sicut portat mulier infantulum suum, & defer in terram pro qua iurasti, &c.*

31 Tertia Ala Ecclesiastici Seraph est patientia, & constans longanimitas: & hæc sanè multas ob ingruentes causas, est necessaria. In huius vmbram tectum tabernaculi, & interiora erant munda, & pulueres, imbres, ac grandines excipiebat. Sic Gallina pro pullis se miluo obiicit.

Primò quidem necessaria est Episcopo patientia ob multiplices labores, curas, & occupationes, non modo in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, sæpe enim etiam temporalia subditis prouidere tenetur, sicut de se, & de aliis Apostolis narrat Paulus *Galat.* 2. Ità & Dominus turbas, quas verbo nutrierat, pane etiam pauit *Marci* 6.

Occupationes etiam variæ, tam ex domesticis ciuis, quam extraneis hominem franguut, sicuti de se Moyses fatebatur *Deuter.* 1.

32 Deinde necessaria est patientia pro tardo profectu illorum, pro quibus fatigatur, & pro ingratitudine eorum, pro quibus sudores expendit, valetudinem collimat, vitamquè consumit.

33 In his ità se gerere tenetur. Primò vt modestè singulis, & benignè respondeat, ne verbis, aut gestibus impatientiam ostendat. Sic Gedeon viris Ephraim contra se iurgantibus modestè respondens compescuit spiritum, quo tumebant *Iudicum* 8. Nam teste Sapiente Prou. 15. *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem.* Vix enim commotio commotione sedatur. Impatienria enim Prælati confundit ea, quæ promouere debuit bona. His modis alios scandalisat, iuxta illud Prou. 14. *Qui impatiens est, exaltat stultitiam suam.* Reddit eum contemptum, Prou. 12. *Qui vanus, & excors est, patebit contemptui.* Facit eum exosum, Eccl. 9. *Terribilis est in ciuitate sua homo linguosus, verbo suo odibilis erit.* Prouocat alios ad iram, Prou. 15. *Vir iracundus prouocat rixas: Qui autem patiens est, mitigat suscitatas.* Non audent ei subditi suas necessitates aperire, iuxta id Iob 4. *Si cœperimus loqui tibi, forsitan molestè accipies:* Replet domum murmure. Prou. 11. *Qui conturbat domum suam, possidebit ventos.* Teneros mente fugat, & pusillanimes facit. Prou. 18. *Spiritum ad irascendum facilem, quis poterit sustinere?* Nemo audet eum admonere de his, quæ forent emendanda.

Secundò debet esse pacificus, ne inimicitias vleiscatur exemplo summi Pastoris, Lucæ 6. *eritis filij Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos, & malos.* Hinc ait S. Doctor, multos Episcopos, & Prælatos fuisse sanctificatos, quia sic ad virtutum culmen peruenere. Ideò ait Paulus prima Timot. 3. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, &c.* 34

Tertiò sit patiens, & studiosus ad exequenda, quæ sui sunt muneris; Ideò dicitur secundo Paral. 15. *Vos ergo confortamini, & non dissoluantur manus vestræ, erit enim merces operi vestro.* Vide S. Doctorem, præclarè disserentem.

Quarta Ala est, vt sit exemplaris in vita; debet enim esse norma viuendi, vt quæ docet verbis, ostendat actionum figuris, sicut qui docet Geometriam, pingit in sabulo figurarum demonstrationes, vt quod dicit, melius capiatur; dicitur enim, Act. primo. *Iesus cœpit facere, & docere.* Et Ioan. 13. *exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Et Iudit. 5. Gedeon: *Quod me facere videritis, hoc facite.* Sic ad Titum 2. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum.* Vide S. Doctorem, mira promentem. 35

Quinta Ala huius Ecclesiastici Seraph. est discretio, & prouida faciendorum consideratio. Hæc est sapientia, quam petiit Salomon ad regimen, 3. Reg. 3. *Dabis ergo Domine seruo tuo cor docile, vt iudicare possit populum, &c.* Et Sapien. 6. *Ad vos ergo Reges sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, & non excedatis.* Et Psal. 2. *& nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram.* Et Matt. 5. *Vos estis lux mundi.* 36

Duplex ergo circumspectio est episcopo necessaria, vt sciat quid agendum sit, & qualiter. Nam nec bonum simpliciter bonum est, nisi benè fiat, idest, sicut decet, vnde ait Bernardus serm. 49. in Cant. *Tolle discretionem, & virtus vitium erit, sine ipsa zelus præcipitat, teste Apostolo: Æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam,* Rom. 10. item compassio condescendit nimis sub specie pietatis. Prouerb. 13. *Qui parcit virgæ, odit filium.* Patientia sine discretione reddit in regendo remissum. Ideò Leuit. 2. *In omni sacrificio offeres sal.* & Rom. 12. *rationabile obsequium* & Genes. 4. *Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti,* iuxta LXX. Hoc est, bona facere non sufficit, nisi discretè, qualiter, quando, vbi, & quare agendum fuerit, videatur. 37

Quatuor autem sunt præcipuè in quibus Episcopi discretio debet lucere. Ideo *Exod.* 28. Pontifex gerebat in pectore Rationale, ornatum quatuor ordinibus gemmarum, vt quilibet ordo tres gemmas contineret.

Quatuor autem ad regimen spectantia debet in pectore versare. Primum, quomodo in statu debito subditos gubernet, vt boni sui proficiant, & persistant. 38

Secundum, quomodo lapsos, & deuios corrigat. Tertium, exteriora negotia, quæ requiruntur ab eo, congruè disponat. Quartò, in his se gerat. Vide Sanctum Doctorem, singulis ternas gemmas aptantem.

Sexta Prælatorum Ala est deuotio. Hæc *vnctio spiritus docet omnia,* 1. Ioan. 2. Vide hæc omnia in S. Doctore præclarissimè digesta; piget enim ad litteram transcribere; ibi sanè Ecclesiæ Hierarchiam seraphicum spirantibus lineamentis exhibet contemplandum. Vide etiam *quæst.* 1. suprà ex patribus, conditiones Episcoporum. 39

Similiter *part.* 1. *Eccl. Hierar. c.* 1. Dominationibus Episcopos assimilat. Dominationes enim dicuntur

dicuntur Angeli primi ordinis mediæ Hierarchiæ, quia inferioribus Angelis dominantes, eos instruunt, & informant, qualiter in Prælationis officio debeant subditos ad deificam similitudinem reuocare, & sine tyrannide subditorum facta liberaliter ordinare, vt docet D. Isidorus *lib. 7. Ethymol. c. 5.* eadem ferè habet S. Dionysius *de cælesti Hierarchia, c. 3.*

40 DICVNTVR ergo Episcopi, & Prælati spirituales, quia verum dominium est, quando superantur vitia, atque virtuosa opera in regno animæ, siue Ecclesiæ dominantur. Vide S. Doctorem eximiè applicantem regimini Episcoporum statum Dominationum cælestium.

QVÆSTIO III.

An liceat Episcopatum expetere, vel refutare.

D. Thom. quæst. 185. art. 1. & 2.

41 NOTANDVM est tria esse genera appetentium Episcopatum: aliqui enim indigni sunt: alij digni, sed peruersè appetunt ob auaritiam, vel ambitionem. Alij digni, & ob finem rectum appetunt, vt docet S. Doctor *lib. 1. Pharetræ, cap. 39.* ex Patribus.

ASSERO primò: indignum appetere Episcopatum, est mortiferum peccatum.

PROBATVR quia est contra iustitiam, nec potest redditus accipere; est etiam contra charitatem, nam obest ouibus. Ita Laym. *tract. 2. lib. 4. cap. 15. num. 10.* Valentia *tom. 3. disp. 10. quæst. 3. puncto 1.* Nauarr. *de orat. miscel. 42.* Diana *part. 4. tract. 4. res. 100.* Bassæus *verb. Episcopus.*

ASSERO secundò, appetere Episcopatum ob ambitionem, vel auaritiam, esse peruersum, & mortale.

42 PROBATVR à D. Bonauen. *loc. cit. Pharetra:* est enim ordinare peruersè Episcopatum ad bona inferiora, ideò D. August. *ad Oros. quæst. 65.* ait, hunc non esse Episcopum. Item habet *lib. 19. de ciuitate cap. 19.* subscribit D. Hieronymus *in Sophonia cap. 3.* vbi hunc citò corruiturum clamat, vt retuli *quæst. 1.* Id asserunt etiam Caiet. hic. Sotus de *iustitia lib. 10. quæst. 2. art. 1.* Tanner. *disp. 6. quæst. 3. dub. 3.* & Bassæus.

CONFIRMATVR à D. Bonauen. *ex 1. Timot. 3.* vbi ait: *si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Vbi opus Episcopale desiderandum, si desideratur Episcopatus, nempe laborandi ad Dei gloriam, & inuigilandi saluti subditorum; alioqui fore peruersum, & contra institutionem admonet cum SS. Patribus, Hieronymo *loc. cit.* Chrysostomo *homil. 35. in Matth.* August. *19. de ciuitate, cap. 19.* Gregorio *in Pastorali, part. 1. cap. 8.* quos refert etiam Tannerus.

43 ASSERO tertiò, licitum esse Episcopatum appetere ad Deo seruiendum, & Ecclesiæ.

PROBATVR à D. Bonauen. *de sex alis Seraphim, cap. 5.* ex allato loco Apostoli. Hinc plorimos in Episcopatu ad culmen sanctitatis peruenisse, & canonizatos obseruat; sed aduertit, id verum extitisse eo tempore Ecclesiæ laborioso in necessitate, ex D. Gregorio *in prologo Pastoralis*, quem S. Bonauen. refert *in Pharetra, loco citando.*

ENIM verò in *Pharetra, loc. cit.* periculosum ait cum D. Thoma *art. 1.* Addit Valentia *punct. 2. concl. 2.* communiter hunc appetitum esse mortiferum, quia periculo se salutis abiicit. Et sanè appetentem, se reddere indignum, ait D. Clem. *epist. 1.* ex sententia D. Petri, vbi ait: Hæc cathedra cupientem se, & audacter expetentem non requirit, sed moribus ornatum, & verbis eruditum.

ASSERO quartò, non esse necesse, vt qui se assumendum agnoscit, æstimet se certò dignum, sed satis est, non habere conscientiam malæ conditionis. Ità D. Thomas *art. 3.*

PROBATVR à Tannero *num. 57.* arg. S. Bonauen. *lib. 4. Pharetra, cap. 35.* sumpto ex D. Bernardo *serm. 76. in Cant.* vbi ait: *Non otiosè toties repetitum est: Petre Amas me, in commissione ouium, ego quidem id significatum proinde puto, ac si dixisset illi Iesus, nisi testimonium tibi perhibente conscientia, quod me ames, & valdè perfectè ames, hoc est plusquam tua, plusquam tuos, plus etiam quam te, vt huius repetitionis meæ numerus impleatur, nequaquam suscipies curam hanc, ne interueniat de ouibus meis, pro quibus vtique meus effusus est sanguis.* 44

Igitur si non habeat conscientiam, se postpositurum omnia Dei, & proximi seruitio, etiamsi non videat, se habere conditiones omnes, potest acceptare.

Id ipsum prætendit S. Doctor afferens D. Gregorium *in Pastorali, parte 1. cap. 9.* dicentem: *Virtutibus pollens coactus ad regimen veniat; virtutibus vacuus, nec coactus accedat.* 45

ET in Proœm. Pastoralis: *Cùm rerum necessitas exposcit, pensandum valdè est, ad culmen quisquis regiminis qualiter veniat: atque ad hoc ritè perueniens, qualiter viuat: & benè viuens, qualiter doceat: & rectè docens, infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoscat: ne aut humilitas accessum fugiat, aut peruenienti vita contradicat, aut vitam doctrina destituat, aut doctrinam præsumptio extollat.*

ITAM homil 22. in Euang. *Illi debent curam pastoralem suscipere, qui in sua corde sciunt fluxa luxuria domare: vt cùm aliis fortia prædicant, ipsi desideriis mollibus euenater non succumbant.* 46

HINC assero quintò, non licere ei, qui dignus eligitur, Episcopatum recusare. Ità S. Bonauen. *locis adductis* cum patribus, D. Thomas *art. 2.* Sanch. *lib. 4. mor. cap. 8. num. 38.* Bassæus *num. 4.*

IOIRÒ enim *Can. 37. Apost.* excommunicatur is, qui Episcopatum iniunctum recusat, vt innuit D. Bonauen. *in 4. loco citando.* Patet etiam ex concilio Antiocheno *cap. 19.* & ex sententia D. Petri apud Clementem *epist. 1.* dicentis, grauiùs peccare eum, qui in necessitate Ecclesiæ propter priuatum periculum, Episcopatum reiicit, quam qui populo Christiano in mediis fluctibus laboranti opem non ferret, cùm posset. Itaque is ageret contra charitatem.

QVÆRVNT autem hic, qui sit elector, potens obligare ad suscipiendum Episcopatum: Dico esse Papam. Vide Dianam *part. 6. tract. 8. resol. 33.* 47

IN creatione Episcopi tria interueniunt; Electio, confirmatio, & consecratio. *c. inter. c. licet extra de translat. Episcopi.* & *extra de elec. C. cùm in cunctis.*

ANTE Confirmationem non potest iure communi exercere aliquos actus *C. qualiter, extra de elec.* Potest verò ex dispensatione, *C. nihil est.* Confirmatus autem potest exercere omnes actus iurisdictionis, non tamen Ordinis, donec consecretur. Vide Valentiam *quæst. 3. puncto. 3.*

IGITVR ad Romanum Pontificem spectat electio, & confirmatio Episcoporum, vt docet S. Bonauen. *serm. 22. Hexaëmer.* & *in 4. d. 29. quæst. 3. ad 3.* vbi etiam ait supponendum, cùm Papa præcipit 49

esse

esse iustum præceptum; si tamen electus sciat, se periculo animæ exponi ob suam insufficientiam, docet non teneri eum obedire. Idem tenet Soto *lib.* 10. *de iust. quæst.* 3. *art.* 2. Sed Valentia negat, imò ait eum teneri, allegans dictum B. Petri suprà; sed loquitur de periculo vitæ, non animæ, vt patet.

49 AN Pontificem autem Romanum hæc spectare constat ex perpetua Ecclesiæ traditione, sic Anacletus Papa *epist.* 2. *ad Episcopos Italiæ*, relatos 75. *cap.* 1. Innoc. I. *epist.* 1. *ad Decentium*, Pelagius *epist.* 2. Leo *epist.* 84. vel 82. Gregor. *lib.* 4. *regist. epist.* 34. Concil. Later. *cap.* 5. Concil. Tolet. XII. *cap.* 6. Vide Valentiam *loc. cit.*

SIC *Can.* 31. *Apost.* excommunicatur, qui fuerit potestate sæculari creatus Episcopus; & in Octaua Synod. *Can.* 22. excommunicantur Principes, sua auctoritate Episcopos constituentes. Vide de his Valentiam.

50 NOTA tamen, Romanum Pontificem non posse sibi eligere successorem, vt notat Glossa *cap. Apostolica*, 8. *quæst.* 1. potest tamen ille statuere modum eligendi Romanum Pontificem, vt definiuit Simmacus *in prima Synodo Romana*, sub ipso celebrata, & refertur 79. *dist. cap. si quis Papa, cap. si transitum.* Vnde Nicolaus I. statuit electionem hanc faciendam ex concordi sententia Cardinalium, vt habetur *dist.* 23. *cap. in nomine Domini*, & *dist.* 79. *cap. si quis Apostolica.* Sed postea Alexander III. in Concilio Later. suo *cap.* 1. decreuit, vt sufficiant duæ partes Cardinalium. Refertur *extra de elect. cap. licet*; & hoc vsquè ad hæc tempora seruatur, vt patet *cap. vbi periculum, de elect. in* 6.

POTVIT tamen id facere Petrus ex singulari Dei nutu. Vide Turrecrem. *lib.* 2. *summa Ecclesiæ, cap.* 51.

51 IGITVR Solus Papa potest obligare aliquem ad suscipiendum Episcopatum; non verò Prælati.

ASSERO sextò, ex graui causa posse aliquem Episcopatui renunciare. Ità D. Thomas *art.* 4. D. Bonauen. *loc. cit.* suprà *in* 4. Ratio est, quia potest adesse impedimentum, reddens insufficientem, vt ignorantia, peccatum, infirmitas, &c.

HOC tamen non potest fieri absque authoritate summi Pontificis ex Innocentio III. *cap. nisi cùm pridem, extra de renunc.* & multis decretis 7. *quæst.* 1.

52 ASSERO septimò, extra causam, cùm sit necessarius populo, renuncians peccat.

RATIO est, quia bonum proprium præponit bono graui publico. Itaque Votum in religione esset nullum, cùm sit de minori bono.

ASSERO octauò, in multis casibus peccare non renunciando.

Sex autem causæ propter quas tenetur quis renunciare Episcopatui, numerantur ab Innocentio III. *loc. cit.* Prima est peccatum, impediens executionem officij Episcopalis, etiam post actam pœnitentiam. Secunda debilitas corporis, impediens officij Pastoralis executionem. Tertia, defectus scientiæ. Quarta, malitia tanta populi vt non sit spes illi Episcopo proficiendi. Quinta, scandalum pusillorum, quando ex aliquo probabili causa ità sunt Episcopo offensi, vt nihil apud populum ille proficiat: Sexta est bigamia, vel alia irregularitas. Eas sparsim refert etiam D. Bonauentura.

53 CONCLVDIT S. Doctor *ad cap.* 2. *regulæ min.* illum, qui Episcopatum optaret ad Religionis rigorem declinandum, sessurum cum lucifero in lateribus Aquilonis.

❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧

QVÆSTIO IV.

An Residentia Episcopis necessaria sit, & quo iure.

CERTVM est, residentiam in Ecclesiis propriis esse Episcopis necessariam. 54

HABETVR in multis decretis 7. *quæst.* 1. *cap. peruenit*, ex Gregorio *in Regist. lib.* 5. *epist.* 23. *cap. suggestum*, ex Liberio *epist.* 2. *cap. sciscitaris* ex Nicolao ad Numfridum, & ex Concilio Triden. *sess.* 23. *cap.* 1. *de reformatione.*

ABSENTIA tamen ad leue tempus non damnatur, vt explicat Concil. Trident. quod etiam declarat, posse ob graues causas abesse, etiam diu. Numerantur autem quatuor: prima, Christiana charitas, si alteri diœcesi grauiter egenti succurrerit, paruo suæ incomodo. Secunda, vrgens necessitas ob persecutionem, vel morbum; sic declarat etiam Iulius P. ad Orientales Episcopos, & Palagius II. *epist. ad Benignum*, & probat S. Doctor *ad cap.* 10. *Ioannis*, illis verbis Christi: *Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite, &c.* cum D. Augustino *tract.* 46. Tertia, debita obedientia Pontifici vocanti ad se. Quarta, Ecclesiæ vtilitates, vt studia, & cætera necessaria.

QVÆSTIO autem est: an teneantur residere iure diuino.

PRIMA opinio est Catharini *tract. de residentia*, tuentis, eos iure solo Ecclesiastico teneri. 55

VERA tamen sententia est, iure Diuino teneri Episcopos residere. Ità Turrianus *tract. de residentia*, Sotus *lib.* 10. *de iust. quæst.* 3. Caiet. *ad art.* 5. Couar. *lib.* 3. *var. cap.* 3. Gregorius de Valentia *disp.* 10. *quæst.* 3. *puncto* 5. qui ait esse communem sententiam, idem ait Tambur. *tom.* 1. *disp.* 14. *quæst.* 1. & Bassæus 11. *resid. num.* 4.

PROBATVR à D. Bonauen. primò *ad cap.* 9. *&* 10. *Lucæ.* nam *cap.* 9. instituit normam pro Apostolis, & in illis pro omnibus Episcopis sui officij exequendi; Apostoli enim iuxta Ethymonem, missi sunt ad docendum, erudiendum populos, & exemplis eos ædificandum: & in quamcumque domum intrassent, ait: *ibi manete, & inde ne exeatis*, nisi electi: sunt autem Apostoli forma Episcoporum, & septuagintaduo Discipuli, inferiorum Pastorum; omnibus autem proposuit, tanquam operariis, & messoribus officium, Ioan. 4. *Videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem. Ego misi vos metere.* Sic Matt. 10. *Voca operarios, &c.* Et desidiosis inculcat, Matth. 20. *Quid hic statis tota die otiosi?* Ideò in figura huius, hominem posuit residentem in Paradiso. vt operaretur *Genes.* 2. Hoc autem explicat Lucæ 10. *Messis quidem multa, operarij autem pauci, &c.* Mox eos comparat Pastoribus, imò & Agnis: *Bonus autem pastor animam suam ponit pro ouibus suis*, & inuigilat ne à lupis vorentur: è contra: *mercenarius videt lupum venientem, & fugit.* Hinc impleri ait id Isaiæ 11. *Habitabit lupus cum agno.* Hinc Petrus 1. cap. 5. *Pascite, qui in vobis est, gregem.* Hæc profectò (ait S. Doctor) ostendunt assistentiam, nec quamcumque segnem, sed operosam, sed laboriosam, sed vigilantem. Hoc argumento vtitur Valentia.

MOX instituit eos, vt intrent in ciuitates, & ibi maneant docentes, & si expellantur, excutiant puluerem de calceamentis in testimonium suæ inculpatæ fugæ. Vidè S. Doctorem. 57

Con

CONFIRMATVR à S. Doctore *in Pharetra, loc. cit. quæst. prima, & 3.* ex Patribus, qui Episcopatum, opus, & assistentiam laboriosam signare ostendunt ad ea verba, 1. Timot. 5. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.*

58 PROBATVR secundò à D. Bonauen. *de Eccl. Hierarchia, part. 4. cap. 2. & 3.*

Ostendit autem eorum præsentiam necessariam esse è rebus, quibus Apostoli,& Episcopi assimilantur.

PRIMÒ enim cælis comparantur, Iob 26. *Spiritus Domini ornauit cælos.* vt exponit D. Gregor. lib. 17. moral. cap. 19. Psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum.* mox: *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Vbi autem habemus firmamentum, Hebræus habet: עיקר *Racbia,* quæ vox latinè vertitur *expansio*, quod de cælis etiam aëreis intelligitur, vt notat S. Doctor iuxta phrasim scripturæ, Matth. 13. *Venerunt volucres cæli,* Psal. 103. *super ea volucres cæli habitabunt.* Iob 12. *Volatilia cæli indicabunt tibi.* Iam isti cæli nobis præsentes sunt, tonantes, ningentes, pluentes, & rorem emittentes. Ideò *Isaias* 45. Apostolorum præsentiam exoptans clamabat: *Rorate cæli desuper.*

59 DICVNTVR etiam cæli ignei *Thren. 1. Zachariæ* 22. Ignis autem præsens est, vt calefiant res, nam mouens, & motum debent esse simul.

MOX verò *cap.* 3. S. Doctor comparat Episcopos cælis sydereis, qui cælestes influxus ad nos dimittunt; Sacramenta enim distribuunt, præcipuè MANNA. Dicuntur Episcopi cæli, quia lucem diffundunt, Matth. 5. *Vos estis lux mundi* motu suo sphærico, quo circa centrum voluuntur, semper assistunt, adducentes dies, menses, & annos, producunt germina,& animalia. Hæc & alia,quæ S. Doctor prosequitur, egregiè residentiam, & presentiam exprimunt Prælatorum iure Diuino, atque naturæ necessariam.

60 PROBATVR tertiò à S.Doctore *part. 2. Eccl. Hierar.* & toto illo opere, nam Episcopi sunt veluti Dominationes, Angeli præcellentes, qui inferioribus assistunt purgandis, illuminandis, & perficiendis, sic Angelorum nomine decorantur *Isaie* 33. *Malach.* 2. *Apoc.* 2.

PROFECTÒ si Pastores sunt operarij, & Angeli vigiles sunt vinitores, Episcopi tenentur ad minus assistere, alioqui nomen Episcopi amittent, vt dicunt Patres allati *quæst.* 1. & 3. & S. Damasus *epist.* 4.

INDÈ Christus reprehendit Pastorem, qui deserit gregem suum *Ioan.*10. Hunc reprehendit Zach. 11. *o Pastor, & idolum, derelinquens gregem suum*, vt obseruat S. Doctor *ad* 10. *Ioannis.* Hoc sanè esse necessariam probatur, vt Pastor cognoscat vultum pecoris sui, sicuti dicitur *Prou.* 27. & attendit S. Doctor *ad* 10. *Ioannis.*

61 TV[illegible]RIANVS *tract. de residentia* citat Canonem Apostolorum, quem ait se in vetustissimo codice legisse, in quo Christi communione priuantur, qui absunt à grege suo,

TANDEM hoc ipsum præcipit Concilium Trid. *sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.*

EX dictis habes etiam Iure naturali Episcopos residentiæ teneri, quia ius naturale præcipit rectori fungi munere suo.

ARGVMENTA Catharini facilè soluuntur à Valentia *puncto* 5.

62 ID solùm vrget: ius diuinum non potest à Papa dispensari; at dispensat circa residentiam.

RESPONDETVR, Pontificem non tollere vinculum, sed supplere aliis medijs residentiæ Episcopi. Episcopus autē toto tēpore, quo sine causa abest, perdit integros reditus pro rata, ex Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 1. Vide Tol. cap. 4. Fernandez, *part.* 4. *cap.* 7. *num.* 8. Bassæum *v. Episcop. num.* 8. Sane & mortale est,si sit notabiliter: perdit autem fructus ipso facto absquè, declaratione, & applicantur fabricæ Ecclesiæ.

ac

QVÆSTIO V.

An Ecclesia, & Episcopi habeant dominium rerum aliquarum temporalium.

{ D.Thom. art. 6. & 7.

FVERE hæretici nonnulli, quos refert Valentia *disp.* 5. *quæst.*10. *punct.* 2. quos secutus est Vuicleph. damnatus est ideo in Concil. Const. *sess.* 8. vii & negantes, licere Ecclesiasticis dominium rerum. 63

ASSERO tamen de fide, Ecclesiæ, & Episcopis rerum temporalium licere dominium.

PROBATVR à D. Bonauen. *in Apol. pauperum, responsionis tertia cap.* 2. ex *Iosue* 21. vbi sacerdotes veteris legis habuerunt possessiones, & agros.

PROBATVR secundò à S. Doctore *resp. tertia cap.* 1. ex 5. *Actorum*, vbi Petrus ait Ananiæ: *Nonne manens sibi manebat, &c.* vt obseruat Chrysost. *homil.* 12. *in Acta.* & notat Valentia *disp.* 5. *quæst.* 10. *punct.* 2. Id declaratum fuit etiam ab Ecclesia, vt docet S. Doctor *cap.* 2. *resp. quarta*, sic declaratum est in Conciliis Antioch. *cap.* 24. Agath. *cap.* 48. Carthag. III. *cap.* 49. & habetur multis decretis, quæ affert S. Doctor *loc. cit.*

PRIMÒ, *Can. si quis de clericis* 12. *quæst.* 2. habetur: *si quis de clericis documenta, quibus possessio Ecclesiæ firma tenetur, aut supprimere, aut negare, auertere, aut aduersariis fortasse tradere, damnabili, & punienda obseruatione præsumpserit, quidquid pro absentia documentorum damni Ecclesiæ illatum est, de propriis facultatibus reddat.* 64

D. GREGORIVS Mag. *registr. lib.* 2. *epist.* 43. & refertur 12. *quæst.* 2. *c. sicut*, vbi habetur, *sicut Ecclesia proprias res amittere non debet, ità eam rapacitatis ardore alienas inuadere non oportet.*

IN Concilio Agath. *Si seruos Ecclesiæ libertate Episcopus donauerit, ea, quæ in manumissione data illis fuerant, perpetua firmitate tenebunt.* Habet igitur Ecclesia seruos, vbi autem est seruitus, adest & correlatiuum dominium, vt infert S. Doctor.

INSVPER quod distinctis Ecclesiis distincta Dominia competant, probatur à S.Doctore 16. *quæst.* 2. Can. *Si quis*, Nicolaus P. vbi ait: *si quis Episcoporum in aliena ciuitatis territorio pro quacumque suorum opportunitate Ecclesiam ædificare disponit, non præsumat dedicationem facere, quæ illius est, in cuius territorio Ecclesia assurgit.* 65

EADEM *causa, quæst.* 3. Can. *Præsulum*, Gelasius Papa: *illud etiam annecti placuit, vt si, quod absit, facultates Ecclesiæ, necnon Diœceses ab aliquibus possideantur Episcopis, iure sibi vendicent, quod lex tricennalis conclusit: quia & filiorum nostrorum Principum ità mandauit auctoritas.*

EADEM quæst. inter memoratos, vbi dirimitur quæstio limitum, ait Innocentius: *cap.* 6. *inter, si limes legitimus eandem Basilicam non concludit, & tamen longi temporis probatur præscriptio obiecta, appellatio præsentis Episcopi non valebit: quoniam illis tricennalis obiectio silentium imponit. Hæc etiam sæcularium Principum*

cipum præcipuunt, vt præsulum Romanum decreuit auctoritas.

66 Hinc colligit S. Doctor non modò Ecclesias habere dominium distinctum, quia mutuo inter se præscribunt, verùm etiam quod id habeant secundùm ius Diuinum pariter, & humanum, pro eo, quod præscriptio, sicut in allegato canone patet, ab edicto Principum oritur; approbatio tamen summi Pontificis auctoritate nititur.

Hoc probat patentiùs *ex 11. quæst. 1.* verbis Ambrosij contra Auxentium: *Si tributum imperator petat, non negamus, agri Ecclesiæ soluant tributum*: Sed qui ad tributum Cæsari tenetur ratione prædiorum (infert S. Doctor) prædia illa teneantur non tam diuino iure, quàm humano, Saluatore teste, qui ait, Matth. 22. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.*

67 Amplius dist. 8. cap. 1. ex D. Augustino in Ioannem. *Quo iure defendis villas Ecclesiæ? Diuino, aut humano? Diuinum ius in Diuinis scripturis habetur; humanum in legibus Regum. Vnde quisquis possidet, quod possidet? non ne iure humano? non iure Diuino: Domini est terra, & plenitudo eius*: Psal. 33. Idem habet super Ioannem: *Noli dicere, quid mihi, & Regi? quid ergo tibi, & possessioni? per iura enim regum possidentur possessiones. Dixisti: quid mihi, & Regi? Noli dicere possessiones tuas, quia ipsa iura humana renunciasti, quibus possidentur possessiones.* Quid his clarius dici potest (ait S. Doctor) ad ostendendum, quod Ecclesia temporalia bona veraciter possidet iure Diuino, & humano? Quare procacem esse, & proteruum hæc negantem proclamat.

68 Probatur etiam ratione à S. Doctore in fine illius capitis, & D. Thom. *art.* 6. quam Gregorius de Valentia *puncto* 6. euidentem acclamat. Ad id, quod non est in præcepto, sed tantùm in consilio, nemo obligatur, nisi quis voto peculiari ad illud se obligat; aut sit necessarium ad officium debitum exequendum: Sed renunciatio temporalium non est à Deo præcepta, neque eam Ecclesiastici vouent, neque est necessaria ad hoc, vt Ecclesiastici rectè suo munere fungantur: Ergo. Hoc argumento nititur etiam Tannerus *disp. 6. quæst. 3. dubio. 3. num.* 61.

Idipsum probat ex Patribus, Chrysost. *homil. 8. in Matth.* Orig. *homil. 16. in Genes.* Gregor. *lib. 3. Dial. cap.* 14. August. *cont. Adimant. c.* 26. Vide S. Doctorem *resp. tertia cap.* 1.

69 Obiicies. Sicut religiosi pauperes esse debent, vt Deo seruiant, ità & clerici iuxta suum nomen, quia in sortem Domini sunt vocati.

Respondet S. Doctor, vario modo clericos, & Religiosos se Deo dicare; clerici enim paupertatem non vouent.

Dices. Antiqui clerici communem agebant vitam 12. *quæst. 1. cap. Scimus*, ex vrbano Papa.

70 Respondet S. Doctor, clericos solùm ex consilio communem vitam egisse, postea frigescente charitate aliter fieri oportuit. Et ità D. August. qui nullum ad ordines admittebat, qui nollet in communi viuere, postea mutauit sententiam, vt ipse testatur 12. *quæst. 1. cap. Certè ego*, ex *serm. 2. de communi vita clericorum*, seu: *ad fratres in eremo.*

QVÆSTIO VI.

An Episcopi, & alij Ecclesiastici habeant dominium redditaum, qui sunt superflui statui eorum.

< D. Thom. art. 7.

Iam ostendi, eos habere dominium aliquorum 71
bonorum; & quidem immobilium bonorum, quæ Ecclesiæ donantur, esse dominium apud Ecclesiam, vt differit S. August. *tract. 6. in Ioan.* neque enim potest Episcopus ea alienare, neque etiam locare, nisi certis conditionibus. Idem dic de bonis vtensilibus, de quibus eadem est ratio *Authent.* Præterea, *C. de sacrosanctis Ecclesiis.*

Habent verò dominium stipendiorum, quæ pro suis peculiaribus ministeriis eis dantur, vt pro Missis, &c. idem de distributionibus (vt aiunt) quas accipiunt pro personalibus præsentiis, vt colligitur ex *cap. un. de cler. non residentibus, in 6.*

Certum etiam est, eos habere dominium illius 72
partis, quæ designantur eis, pota ex quatuor. Fuit enim mos antiquus, vt Ecclesiæ bona darentur in communi, & possiderentur à Clero, distribuerentur ab Episcopo, vt colligitur ex *Can. 38. Apost.* Postea crescente numero clericorum, & infidelitate dispensantium; hæc ratio instituta fuit à Syluestro *in Synodo Romana, cap.* 4. vt cumulus prouentuum Ecclesiæ diuideretur, & pars Episcopo prima: Secunda aliis clericis; Tertia pauperibus: Quarta fabricæ destinaretur. Sic patet etiam 12. *quæst.* 2.

Igitur, vbi hæc distributio adhuc viget, Episcopus habet suam quartam partem in Dominius; vbi verò sunt omnia confusè, habet dominium eorum, quæ statui conueniunt. Hæc ferè omnia habet S. Doctor *loco citato.*

Quæstio igitur est: an sit Dominus illius 73
partis redditaum, qui sunt superflui, atque adeo solùm ex charitate teneatur dare pauperibus; an etiam ex iustitia, eò quòd dominium eorum sit apud pauperes.

Prima opinio est Caietani hîc, Ecclesiasticos alios, præter Episcopos, non teneri aliquid pauperibus ex iustitia erogare; atque adeò esse omnium Dominos, Episcopos verò debere ex iustitia pauperibus eam dare partem, quæ sapientis iudicio non competit sibi, eò quod nimis sit ampla.

Secunda sententia Episcopis, & omnibus 74
Ecclesiasticis negat dominium partis prouentuum superfluæ, atque adeo docet ex iustitia teneri pauperibus. Ità Alens. 3. *part. quæst.* 36. *m. 5. art.* 2. Richar. 4. *dist.* 45. *art.* 3. *quæst.* 1. Palud. *in 4. dist.* 24. *quæst.* 3. *art.* 3. Antoninus 3. *part. tit.* 15. *cap.* 1. §. 19. Gabriel. *in 4. dist.* 15. *quæst.* 8. *concl.* 5. Maior. 4. *dist.* 14. *quæst.* 17. Petrus à Soto *lect.* 3. *de Sacerd. vita*, Michaël Medina *lib. 7. de recta in Deum fide, cap.* 27. Thomas Vuald. *lib. 1. doctrinalis fidei antiquæ, l. 4. cap.* 42. & alij apud Couar. *in cap. cum in officiis, de testam.* Estque communis Canonistarum, eamque tuetur acriter Nauar. *tract. & Apolog. de reddit. Eccl.*

Tertia sententia censet, Episcopos, & alios 76
habere dominium eorum prouentuum. Ità D. Thom. hîc, & *quodlib. 6. art.* 12. Adrian. *de restit. quæst.* 52. Syluester. *verb. clericus*, 4. *quæst.* 20. & *verb. restitutio*, 3. *quæst.* 5. Gerson *in suis moral. tit. de auaritia*,

Sotus

Sotus *lib.* 10. *de iustitia*, *quæst.* 4. *art.* 3. Driedo *lib.* 2. *de libertate Christiana*, *cap.* 4. Ioan. Arboreus *in Theosoph. dissert.* 10. *quæst.* 3. *puncto* 7. Tannetus *disp.* 6. *quæst.* 3. *num.* 3. *dub.* 22. vbi partem pauperum ex iustitia asserit, vbi est separata.

76 QVOAD D.Bonauent. videtur sanè pro hac sententia *in Apologia pauperum*, *resp. quarta*, *cap.* 1. ad finem, vbi Ecclesiasticos, in dandis superfluis pauperibus, comparat cum religiosis, & ait aliquam præ se ferre conditionem, non æqualem; tamen, eò quòd non teneantur quidem adeò stricto iure illa dare pauperibus; hoc enim non est perfectionis dare suum cuique. Enim verò remittit ad *partem* 1. *responsionis tertiæ*, vbi apertè secundam sententiam sequitur.

ASSERO cum secunda sententia, teneri Ecclesiasticos omnes ex iustitia dare pauperibus superflua.

77 PROBATVR primò à S. Doctore ratione vniuersali, *responsionis quarta cap.* 1. nam iure naturæ omnia erant communia, postea vsurpatis rebus à præpotentibus, Iure gentium consensum est, vt ità diuites habita possiderent, vt tamen se obligarent superflua necessitatibus pauperum erogare. Hoc sanè ad iustitiam spectat.

PROBATVR verò à S.Doctore *responsionis tertia cap.* 1. argumentis validissimis D. Prosperi de vita contemplatiua, lib. 2. cap. 9. vbi ait: *Scientes viri sancti, nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, & pretia peccatorum, & patrimonia pauperum: non eas vendicarunt in vsus suos, vt proprias, sed vt commendatas pauperibus erogauerunt.*

78 PRIMVM igitur argumentum hinc eruitur, quod bona Ecclesiastica in decretis Patrum dicuntur Domino Deo donata, vt patet 12. *quæst.* 2. *cap. Qui Christi*, & 12. *quæst.* 2. *cap. Res Ecclesiæ*, Ecclesiastici verò dicuntur eorum habere administrationem. Hoc argumentum tetricat S. Doctor *responsionis tertia*, *cap.* 1. finem versus.

RESPONDET Valentia, sensum esse, ea bona esse collata ad Dei cultum; alioqui non alicuius portionis necessariæ essent domini.

HOC tamen friuolum est, nam subintelligitur pars necessaria ministris, est enim tritum: *Qui altari seruit, ex altari viuat.* Cæterum premit, quod dicuntur, non domini, sed administratores vniuersaliter. Vrgeo: nam D. Bernardus sic nominat ipsum Papam *lib. de consid.* 2.

79 SECVNDVM argumentum hinc etiam eluitur: Semper in Ecclesia apud viros sanctos, Patresque intellectum est, huiusmodi bona peculiariter ad pauperes, viduas, &c. pertinere, vt patet *ex Clem. lib.* 2. *Constit. Apostol. cap.* 29. *cap.* 30. & 12. *quæst.* 1. *cap. Præcipimus*, & *cap. ex his.*

RESPONDET Valentia, solum per hoc indicari, strictissimum vrgere præceptum eleemosynæ.

CONTRA, quia cùm ex intentione dantium huic vsui applicentur; iam non est merum misericordiæ præceptum, sed iustitiæ.

80 TERTIVM argumentum eruitur, nam in variis decretis dicuntur, esse dispensatores, non Domini, vt 16. *quæst.* 1. *cap. Decimæ*, & 23. *quæst.* 7. *cap. Quod autem*, & *Extra de donationibus*, *cap.* 2.

RESPONDET Valentia, vel intelligi de immobilibus, vel de vtensilibus; si de prouentibus, intelligitur pro eo tempore, quo pars aliqua est pauperum vsibus segregata; vel si vniuersaliter loquuntur, sensus est, vrgere præceptum Eleemosynæ.

CONTRA tamen, nam apertè negant hinc dominium, & asserunt meram administrationem.

81 VRGEO; nam in aliis decretis dicuntur *interfectores pauperum*, *raptores*, *&c.* si quod ipsis superest, non dent pauperibus, vt *dist.* 42. *cap. Ordinamus*, & 12. *quæst.* 2. *cap. Gloria*, *§. Amico*, & sæpè aliàs.

RESPONDET Valentia, hæc dicere exaggerando; sicut & de Laicis auaris. 82

ENIM verò ea, quæ in decretis posita, sunt ad praxim definita, atque statuta decernuntur, non autem ad conciones.

CONFIRMATVR adhuc: Nam bona illa fuere hac conditione legata: Ergo non valent nisi conditione impleta, vt patet in Iure Ciuili *Cod. de Donationibus*, *quæ sub modo*, *vel sub conditione*, & Iure Canonico *can. Verum*, *extra de conditionibus appositis.*

RESPONDET Valentia, non esse satis hoc firmum, alioqui Ecclesiastici, qui superflua pauperibus non dant, non essent alicuius portionis domini. Non autem ea expressa conditione videntur data, vt constat ex forma donationum antiquarum, vt illarum Constantini Imperatoris *Tom.* 1. *Conciliorum.*

ENIM verò satis est; fuisse donationes datas iuxta formulam communiter à sanctis viris intellectam, vt dicebat D. Bonauentura.

CONFIRMATVR, nam & Iure Canonico prohibentur testari: Ergo non sunt domini, nec valet, dicere posse eos id ex dispensatione, nam dispensatio tunc fit authoritate Apostolica, vt notauit Tannetus *disp.* 6. *quæst.* 3. *num.* 82.

Multa congerit Valentia satis friuola, ad suam sententiam tuendam.

PRIMÒ enim opinionem nostram duram, & sine fundamento frustra proclamat. Neque verò est durum, quod in Ecclesia est communiter acceptum, neque sine fundamento dicitur. 83

OBIICIT secundò ex Concilio Trid. *sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* vbi decernitur, vt Ecclesiastici, habentes curam animarum, qui non residente, non faciant fructus suos: Ergo supponit eos, qui resident, facere fructus suos. Confirmatur; nam qui non intersunt officiis, non acquirunt distributiones *cap. vnic. de cler. non resid. in* 6. vbi decernitur.

RESPONDETVR, hoc tantùm ad summum concludere, eos facere fructus suos, & acquirere distributiones, iuxta finem Ecclesiæ, ita vt quod sibi secundùm statum est impendendum, sit in ipsorum dominio. 84

OBIICIT tertiò. Ministri Ecclesiastici non debent esse peioris conditionis, quam alij Reipublicæ ministri; at isti fiunt domini totius stipendij: Ergò.

RESPONDETVR, hos habere hæc bona, vt Ecclesiasticos, ideo non peioris conditionis, sed altioris status perfectionis sunt, vt monet S. Doctor vtroque loco, vbi Laicos Ecclesiasticis comparat.

OBIICIT quartò aliqua absurda. Primò enim possent pauperes surripere clericis auaris, non erogantibus eleemosynam. Secundò qui soluunt decimas, possent partem reseruare, vt reddantur pauperes indemnes. Tertiò daretur actio in Iudicio pauperibus contra clericos non erogantes. Quartò cur Ecclesia passa est, non seruari ius pauperum? 85

HÆC friuola sunt, & vno verbo soluuntur, neque enim aut est cuique liberum sibi iustitiam facere; aut Ecclesia defiuit, cùm decreta plurima de hoc addiderit.

HINC Azor. *p.p. lib.* 12. *cap.* 8. *quæstio* 3. Malder. 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 6. *dub.* 2. Bassæus V. *eleemon. num.* 6. dicunt, Episcopum teneri quærere pauperes, vt eos subleuet. 86

QVÆSTIO VIII.

An ij Episcopi, qui ante fuerant Religiosi teneantur ad obseruantiam Regularem.

87 MVTATVR obedientia Religiosi assumpti ad Episcopatum, vt non amplius Prælatis, sed summo Pontifici, omnium Religionum Patri, altius subiiciatur, vt docent D.Bonauent. *in* 4.*dist*.98. *q.vltima*, *ad vlt.* & habetur *can. statutam*, 18.*quest*.1.

Quærunt hic, an Religiosus sit espax dominij stabilium bonorum.

RESPONDETVR negatiuè cum D. Bonau.4. *dist*.38. *art*.2. *quest. vlt. ad vlt.* D.Thom.2.2. *q*.185. *art*.8. *& quest*.88. *art*.11. *ad* 4. Sotus *lib*.19. *quest*.5. *art*.7. Syluester V. *religio* 7.*n*.11. Rodriquez *tom*.2. *quest*.58. *art*.1. Syluius 2.2. *quest*.185. *art*.8. Valerus *in differ. vtrinsque fori verb. regularis, differ*.5. Tolet. *lib*.5.*cap*.4. Diana *part*.2. *tract*.2.*resol*.61. qui omnes cum aliis asserunt, teneri Episcopum, è Regularibus assumptum, ad votorum obseruantiam ex *cap. de monach*.16.*quest*.1. Hanc communem esse sententiam ait Azor *tom*.1.*lib*.12.*cap*.7.*quæsito* 4.

88 EXISTIMANT sanè à votorum obligationem talem eximi, Villalob. *sum. tom*.2. *tract*.25. *diffic*.40. Medina *de sacra hominum continentia*, *lib*.5.*cap*.26. *&* 27. Angles *in* 4. *quest. de voto*,*dub*.6. Ouand. *in* 4. *dist*.38. *prop*.17. Addo aliqua non obligare repugnantia, vt ait D.Thom. *loco cit.* Valentia *puncto* 8. Sylu. *ad locum cit. D.Thom.* Bassæus V. *epis. num*.7.

QVÆRVNT autem: an Episcopus, è religione assumptus reddatur Dominus redditiuum Ecclesiasticorum, & quo ad hoc absoluatur à voto paupertatis.

89 NEGATIVAM sententiam censet S. Doctor *loco cit.* cum quadraginta duobus Doctoribus apud Sanchez *tom*.2. *lib*.6. *cap*.6. quibus adde Tannerum *disp*.5. *quest*.4. *dubio* 6. *num*. 131. Sanctarellum *tract. de Apost.cap*.6. *dub*.3. Cenedo *de paupert.relig.dub* 43. Barbosam *in collect. tom*.4. *part*. 2. causa 18. *quest*.1. Faustum *in Thes.lib*.6.*quest*.190. apud Dianam *part*.2. *tract*.2. *resol*.50.

RATIO est, quia hi ad altiorem statum perfectionis ascendunt, atque adeò non debent relaxare, nisi quæ sunt repugnantia statui Episcopi. At paupertas non obstat, quo ad dominium.

90 OPPOSITVM tamen docent Sotus *lib*.7. *q*.4. *art*.2. Medin. *de sacr.cont.lib*.5.*cap*.26. Angl.4. 2.*part. quest. vnic. de vot. art*.2.*dub*.6. Vasquez 1.2. *disp*.165. *cap*.8.*num*.91. Diana *part*.3.*tract*.2. *Resol*.50.*& part*.5. *tract*.8. *Resol*. 31. Hurt.2. 2. *disp*. 160. *sect*.3. & alij apud illos. Nituntur, quia *cap. vnic.* 18. *quest*. 1. *de religioso Episcopo*, dicitur: *Velut legitimus heres paternam sibi hereditatem, postea iure vendicandi potestatem habet.* Vendicare autem solis dominis conuenit *leg. in rem*, *ff.de rei vendic.*

91 QVÆRES etiam an is teneatur obseruantiis ieiuniorum, orationum & similium, si non repugnant Episcopatui.

EXISTIMO, non teneri, dum habet alias excellentes occupationes. Ità sentiunt Sanctarellus *loco cit.* Lessius *lib*.2.*cap* 40. *dub*.14. *num*. 153. Sanchez *loco cit. num*.19. Villalob. *num*.17.

HINC sequitur, talem Episcopum non teneri officiis suæ religionis, nec ieiuniis. Ità Faustus *in Thes. lib*.6. *quest*.194. Diana *loco citato*.

SEQVITVR secundò, eum non teneri ferre habitum suæ Religionis; Sanctarellus suprà *tract.de apost. cap*.1. *dub*.4. Barbosa *in collect. tract*.3. *lib*.3. *tit*.24. & alij. Gaudent sanè priuilegiis, concessis singulis Religionis membris, vt ait Bassæus *num*.7.

EX dictis habes, teneri Episcopum residentiæ. 92
Tenetur & concionari, si potest ex 1. *Timot*. 3. & Concil. Trident. *sess*.5.*cap*.4. *& sess*.24. *cap*. 2. Tenetur quotannis Synodum conuocare; & visitare. Tenetur administrare Sacramenta Confirmationis, & Ordinis, maximè verò aptos habere ministros.

Alia multa de Episcoporum muniis ago in propriis tractatibus; quare hîc sisto.



DISPVTATIO III.

De Statu Prælaturæ Regularis.



CVM potissimus Ecclesiæ status, in Clericalem, & Monachalem bipartitus sit, postquam de Clericorum Prælato in superioribus actum sit; nunc de Monachorum, seu Regularium Præfecto conuenienter agendum occurrit: Hic enim quasi Episcopalem potestatem in sibi subditos obtinet, cùm verè in Episcopi locum, vbi Regularium viget exemptio, succedat; vti suo loco infrà fusiùs explicabitur; hîc autem nolim volo lectorem, præcipuas hic agitandas, & potius arctandas, quæstiones, quæ in quemcumque Religionis Prælatum possint conuenire; alias autem, vel non ideò graues, vel particularibus Religiosorum statutis nixas, aliis discutiendas dimitto; cum non multum contineant Doctrinæ, & cùm quisque ex propria obligatione domi eas ediscere, vel edocere teneatur: Nonnihil tamen de propriis aliquarum institutionum ordinationibus, quatenus ad præsens facit institutum, coactus dicam.

QVÆSTIO I.

An sit necessarius status Prælaturæ Regularis in Religione.

{ D Bonauent.de sex Alis, Seraph. cap.2.

PRÆNOTANDVM est, duplicem considerari 1
potestatem in Prælatis: Altera est Dominij: Altera est Iurisdictionis: illa oritur à virtute præcipiendi, quare in Patrefamilias potest esse respectu Domesticorum, sicut & in domino respectu serui: hæc verò nascitur è susceptione talis Ordinis, quem potest Iurisdictio ex superioris declaratione consequi.

RVRSVS, Prælatus sumitur vel latè, quatenus aliquibus in spiritualibus præest, quo sensu dicitur Parochus præesse his, qui ipsius curæ demandantur; vel propriè, pro illo qui habet Iurisdictionem in foro contentioso, quo sensu nunc communiter Prælatus intelligitur.

ASSERO,

2 ASSERO, ſuppoſita inſtitutione vitæ regularis, ſimpliciter neceſſariam eſſe in ea prælaturam aliquam, ita omnes communiter apud Suarez, infrà citandum.

PROBATVR à S. Doctore *loco citato*. Inſtitutio vitæ regularis eſt incipientium ad perfectionis profectum tendere; ſed tales indigent habere ſuperiorem, ad cuius nutum noxia deuitent, vtilia ſectentur, quæ ignotaor doceantur, &c. vt ait D. Paulus Hebr. 5. *indigetis vt vos doceamini, quæ ſunt elementa exordij ſermonum Domini.*

3 PROBATVR ſecundò *ibidem*, à S. Doctore; quò aliqui ſunt imperfectiores, eò pigrius ſolent in virtutum ſtadio currere, indigentque aliquo, à quo non ſolùm exemplis alliciantur, verùm & præceptis compellantur ad virtutis exercitium; quod fieri nequit abſque poteſtate Prælationis; ſed ſolent è mundo in Religionem ingredi viri valdè imperfecti, ſolo affecti deſiderio proficiendi; hi verò magis ab initio, humano timore, quàm diuino præcepto à peccatis detinentur.

4 PROBATVR tertiò à Seraphico. In omni regimine benè ordinato neceſſe eſt vt ſit aliquis qui vitia, & defectus corrigat; nam vt *hic* obſeruat S. Doctor, peccatum eſt ad inſtar febris, vel vulneris, quæ ſi medicorum ſolertiâ non præcaueantur, in deterius abeunt; nec, qui labitur in culpam, per ſe potens eſt reſurgere, niſi à fortiori fulciatur, & corripiatur; relinquit enim poſt ſe culpa languorem quemdam, ſuper quem neceſſe eſt, vt poteſtas obtineatur; quare dicitur Lucæ 9. *dedit illis virtutem, & poteſtatem, vt languores curarent*, curatur autem languor infirmi, humiliter obtemperando præcepto medici, vt ibi concludit Seraphicus Doctor; medicus autem niſi ſit in eadem domo cum infirmo, poteſt permittere, vt pereat, antequam ipſum infirmum eſſe cognoſcat.

5 PROBATVR denique à Suarez *tomo 4. de Relig. lib. 2. cap. 1.* Exiſtente vno correlatiuo, neceſſe eſt vt exiſtat aliud; ſed Prælatio, & obedientia in vita regulari ſunt duo correlatiua; hæc autem in ea neceſſariò exiſtit; ergo & illa.

EX his habes poteſtatem hanc debere non ſolùm eſſe directiuam, ſed etiam coactiuam; illa enim ſine hac plerumque inutilis eſt; cùm nequeat executioni mancipari.

6 HABES ſecundò, illam non debere neceſſariò, ſed decere eſſe poteſtatem iuriſdictionis; nam licet poteſtate dominatiuâ quiſque ſufficienter contineatur in religioſa obſeruatione, vt patet nunc in Monialibus, & olim in tot Monachorum conuentibus, quorum Præfectus, vt plurimum, non ſacerdotij dignitate, ſed miniſterij humilitate cæteris præſtabat, vt clarum eſt (cæteris omiſſis) in D. Benedicto, quem fuiſſe Abbatem, ſcilicet Patrem Monachorum, non autem ſacerdotem, legimus, vt notat Suarez *num. 3.* è D. Bonauent. *in cap. 7. noſtra Regula*: Attamen cùm modus validior & efficacior coercendi culpas ſit per poteſtatem Iuriſdictionis, & cùm optimè cum Poteſtate Dominij poſſit exerceri, decuit vtramque in Religionum Prælatis coniungi, vt nunc vbique ferè Gentium vſu inoleuit.

7 HOC autem eò fortius viget, quò plerique nunc virorum conuentus ab Epiſcoporum Iuriſdictione eximantur, quos arduum eſſet gubernari vel à ſolo ſummo Pontifice, vel ab his, quos delegaret, cùm delegationes hæ frequentes, & extraneæ, variis forent exceptionibus obnoxiæ; officerentque potiùs, quàm prodeſſent.

8 HABES tertiò, Poteſtatem prælationis regularis debere eſſe Monarchicam; tum quod Regimen Eccleſiæ, quippe perfectiſſimum, tale ſit, vt toties vbique inculcat Seraphicus Doctor; Religioſorum autem conuictus eſt pars (vt ita dicam) homogenea Eccleſiaſtici regiminis, eoque potius, quòd acquirendæ perfectioni iugiter incumbat, cuius aſſecutio non modicè retardaretur, ſi à multitudine, non ab vnitate penderet: Adde Religionum Prælatos in locum, & affectum paternum debere ſuccedere; vnius autem familiæ nequeunt plures eſſe patres.

QVÆSTIO II.

Quomodo Eligendus eſt Religionis Prælatus.

9 TRIBVS modis fit Electio, iuxta *caput*, Quia propter *de Elect.* Primus modus eſt per publicam acclamationem, quæ tunc fit, quando nulla præcedente conſultatione, ſed repentino motu omnes in vnum conſentiunt, eumque ſimul nominant, & eligunt: hic autem modus, cum è diuino pendeat impulſu, non habet regulas aliquas, à iure præſcriptas.

SECVNDVS Eligendi modus eſt per Scrutinium, quod fit, dum præſentibus his, qui debent, volunt, & poſſunt intereſſe, duo vel tres, fide digni, è cæteris aſſumuntur, qui ſingulorum vota diligenter exquirentes, ea in ſcriptis proferunt, & publicè denunciant: quo caſu is habetur electus in quem maior pars electorum, ſeu vocalium conſenſerit.

10 TERTIVS modus eſt per Compromiſſum, & fit, dum Plures viri, magis idonei, à toto Cœtu eliguntur, in quos totam ſuam eligendi facultatem, iuxta quamdam normam, cæteri omnes transfundunt.

PRÆTER hos modos admittitur aliquando alius, qui fit per nominationem ſucceſſoris, qui tamen in electione Eccleſiaſtica non eſt in vſu, ne ſucceſſione aut iure hæreditario Prælatio videatur poſſideri; & vt arceantur varia incommoda, quæ ex prauo affectu alicuius, ſibi eligentis ſucceſſorem ad libitum, naſcerentur. In aliquibus tamen Religionibus nominatur aliquis, qui mox ac defunctus eſt Præpoſitus Generalis, vel Prouincialis, ſuppleat eius vices, donec Capitulum celebretur.

11 MODVS vſitatiſſimus in Religionibus eſt per Compromiſſum, cuius norma, ſicut & ſcrutinij, præſcribitur dicto *cap. Quia propter*, his verbis: *Cum electio fuerit celebranda præſentibus omnibus, qui debent, & volunt, & poſſunt commodè intereſſe, aſſumantur tres de collegio fide digni, qui ſecretè, & ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta, mox publicent in communi, nullo prorſus Appellationis obſtaculo interiecto, vt is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel maior, & ſanior pars Capituli conſenſit.*

12 QVAMVIS autem hîc mentio habeatur de Collegio, includitur tamen electio cuiuſcumque Prælati, ſiue ſit alicuius Eccleſiæ, ſiue Religionis, vt annuunt omnes expoſitores, apud Suarez *cap. 5.* ſicut & expreſſiùs habetur in Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 6.* de reformatione: *in primis ſancta Synodus diſtrictè præcipit omnes ſupradictos* (ſiue Abbates, ſcilicet, ſiue Generales) *eligi debere per vota ſecreta, ita*

vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur, nec inposternm licet Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscunque titulares ad effectum facienda electionis constituere, aut voces, aut suffragia absentium supplere, &c.

13 HINC per Citatoria opportunè emissa conuocatis omnibus, qui possunt, volunt & debent adesse, iuxta verba *dicti cap. Quia propter*, ante omnia dispiciendæ sunt conditiones eligendi maximè Generalis: Hæ autem aut Canonicæ sunt, aut morales; has cum S.Doctore recensui suprà *disp. de prudent.* illas verò *hic* breuiter indicabo, cum Suarez latè differente *cap.3.*

14 PRIMA igitur conditio, iuxta Canones requisita, est, vt Eligendos ætatem habeat legitimam, quæ secundùm *cap. Cum in cunctis, de elect.* est viginti quinque annorum, vti etiam repetitum habes in Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 12.* Et licèt dictis locis sermo sit de illis, qui cum cura animarum dignitates possident Ecclesiasticas, non est cur dubitemus prælationem regularem ibi comprehendi, cùm verè dignitas sit, curæ ordinariæ animarum grauiter annexa, vt docet Suarez *loco citato, num.7.*

15 QVIA tamen in Episcopis *ibidem* requiritur, ætas 30. annorum, tum propter dignitatem Episcopalem, tum propter grauiores causas, quas ipsis incumbit expedire, videtur etiam similem ætatem exigi in prælatis regularibus, obtinentibus potestatem quasi Episcopalem, quales sunt Generales, & Prouinciales. Verùm cum de Episcopis tantùm lex loquatur, quibus quidem inferiores dignitate sunt dicti Prælati, quamuis sæpè rerum agendarum grauitate propter diuersitatem prouinciarum ipsos superent, non est Ius illud extendendum vltra verborum propriam significationem, eo maximè, quòd contrarium actum ipso facto irritet, quo in casu odiosum est, ac propterea restringendum, vt notat Suarez *loco cit.* adducens Panormitanum, qui ostendit Ius commune etiam de Abbate, licèt non rarò potestatem quasi Episcopalem obtineat, nihil determinasse, ac proinde eum sub inferioribus dignitatibus, quatenus Iuris dispositio expostulat, comprehendi.

16 ATTAMEN licèt Ius commune de his nihil determinauerit; videtur quidem, communem vsum omnium Religionum abundè eis prospexisse; Cùm enim Generalatus, seu Prouincialatus longam requirat rerum experientiam, quæ non nisi multo annorum tractu contrahitur, non solent infra quadragessimum annum eligi ad illas dignitates, scimusque nouimus Seraphicum Bonauenturam, qui, vt aduertit Suarez *cit. loco*, ob singulares dotes, doctrinæque excellentiam, ætatis suæ anno 35. & Religionis 13. in Generalem totius Ordinis minorum electus est; in ipso enim Spiritus, & Genij maturitas annorum canitiem longè anteuenerat: non valde dissimile est exemplum in Claudio Aquauiua, vt habet ibidem Suarez, electo in Generalem Societatis præfectum, cum ætatis annum trigessimum nonum, & Religionis decimum quintum ageret.

17 SECVNDA conditio est solemnis in eadem religione professio: Habetur in variis capitulis Iuris antiqui, vt *cap.* Cum ad nostram, *cap.* in magistrum, *cap.* Cum causam *de electione*; Et confirmatur de nouo in Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 10. de reformat.* & *sess. 25. cap. 21. de Regular.*

HANC conditionem adeo esse necessariam, quidam clamant, vt eam de iure esse naturali asserant apud Suarez *numero 12.* & figurari videtur in illis veteris legis prohibitionibus *Deuteron. 22.* quibus vetitum erat in Boue & Asino arare, seu de lino, & lana contextam vestem assumere; vbi enim vulgò dispar est professio, nequit par esse amoris vinculum; dissimiles enim naturali quodam tædio sese diu non sustinent, sed diuortium appetunt: ita arguit Clemens V. Clementina I. & Concilium Hispalense II. dicens: *In vno, eodemque officio, non debet dispar esse professio, nam cohærere, & coniungi non possunt, quibus & vota, & studia diuersa sunt.* 18

NON nego tamen cum Suarez, his incommodis aliter posse subueniri, vrgente scilicet necessitate, & suadente abundantia gratiæ in alieno professo, qui de facili possit se cæteris conformem reddere, eorumque animos beneuolè conciliare; sed casus hic, quippe extraordinarius, præsenti legum determinationi non subiicitur. 19

QVOD si Concilium Trident. de Abbatissa statuat, vt non eligatur, nisi per octo annos, aut ad minus quinque, laudabiliter in religione vixerit; id tamen nec ex eodem præcepto, aut ex natura rei ad virorum electionem extendendum est; tum quià genus masculinum sub fœminino non comprehendatur, licèt non item è conuerso; tum quod lex sit odiosa, ergo restringenda. Præterea diuturnior morum probatio in fœminis exigitur, in quibus frequentioris fragilitatis experientia est comperta.

VARIIS tamen constitutionibus plures Religiones cautum fecere, vt post professionem aliquot anni transeant, antequam quisquam professus sit eligibilis, vt interim deuotioni, & studio possit vacare; non enim ex abrupto tot religionis praxes ediscuntur, nec decens est, Neophitum iuuenem senioribus præfici; potest tamen esse, vt hi ætatis, & experientiæ defectus aliundè fælicius recompensentur, vt si fiat transitus ab vna religione in aliam, vbi pares praxes propter vtriusque religionis proximitatem viderit; & sit in illa ad quam transit, necessitas, & in ipso sufficientia; quare diximus, illam conditionem non esse ex natura rei. 20

TERTIA Conditio est Sacerdotium, cùm enim non Prælati regulares sint Pastores ordinarij animarum, necesse est vt non solùm potestatem Dominatiuam, fundatam in religiosa professione, obtineant, sed insuper Iurisdictionem spiritualem. Ità *cap. 1. de ætate, & qualitate*, vbi requiritur, vt eligendos in Abbatem, instante necessitate, sit ad minus in minoribus Ordinibus constitutus; ergo nulla vrgente necessitate debet esse Sacerdos: Quod si non sacerdotis fieret electio, non est electio irritanda, sed electus ordinandus, ità Suarez *num.21.* 21

QVOD si autem regularem tantùm obseruantiam, & religiosam subordinationem spectemus; hæc conditio non erit necessaria, cum benè Religio gubernari possit cum sola potestate dominij, vt patet in principio Ordinis Minorum, quem S. Patriarcha Franciscus fæliciter instituit, & gubernauit, licèt sacerdos non esset, præcipitquè *cap. 7. regulæ*, vt si superiores, ad quos pro Reseruatis fieri debeat recursus, sacerdotes non sint, iniungi faciant pœnitentiam per alios sacerdotes ordinis. 22

QVARTA

Qvarta conditio est, vt desit Irregularitas in eligendo; hanc vidimus supra, agendo *de irregularitate.*

23 Totidem etiam conditiones assignari possunt ex parte eligentis, primò enim requiritur vt sit de eadem Congregatione cum eligendo; Ius quidem commune statuit, vt Prælatus alicuius congregationis ab huius membris eligatur, ita *cap. 1. de electione*, vti & *2. 3. 4. & sequentibus 8. quæst. 2.* Secundò requiritur, vt sit in ea congregatione professus, nam nouitij ab electionibus in iure excluduntur; non requiritur tamen professio expressa in eligente, licèt requiratur in eligendo, vt iure cautum est, quia plus exigitur in eo, qui eligitur, quàm in eo, qui eligit. Tertiò requiritur, vt eligens

24 sit Clericus, & sacris initiatus, vnde non admittuntur conuersi, quorum nomine solùm intelliguntur religiosi illi, qui ad Sacerdotium, vel sacros ordines non destinantur; Habetur in Clementina. *Vt ij de ætate, & qualitate*, vbi decernitur: *vt nullus de cætero in Ecclesijs Cathedralibus, vel collegiatis sæcularibus, vel regularibus vocem in capitulo habeat, etiamsi hoc sibi ab alijs liberè concedatur, nisi saltem in Subdiaconatus Ordine fuerit constitutus*, quod de omnibus capitulis Generalibus, Prouincialibus, & Conuentualibus intelligi ait Suarez *cap.6. num.5.*

25 Si tamen Ius antiquum spectemus, dum ferè ex Monachis laicis vetera omnia cœnobia constarent, certum est potestatem eligendi fuisse penes laicos pari iure, ac penes Clericos, cùm hi pauciores essent, & aliquando nulli: Verùm cùm cætus monachalis vt plurimum ad Sacerdotij tandem dignitatem euectus fuerit, & ipsi spiritualis iurisdictio sit collata, indecens visum est, vt hæc à laicis, cam quippe nullo modo possidentibus, nec possessuris, contribueretur; vt tangitur *in cap. sacrosancta, & cap. Messana* de electione.

Obtinvit tamen apud nonnullos Ordines consuetudo, seu potius pentum à Pontifice Priuilegium, vt in Minoribus quibusdam Capitulis conuersi vocem habeant ad eligendum vnum, quem Discretum nuncupant, vt ad Capitula prauiocialia fratrum necessitates deferat, eorumque nomine simul cum locali præfecto vocem propriam præbeat.

26 Qvarto Denique requiritur, vt elector nulla censura, seu Ecclesiastica inhabilitate sit irretitus; quod si occultè inhabilis sit, se ingerendo peccat mortaliter; si verò cæteri sciencet ei consenserint, vltra peccatum, vitiabitur electio, ac proinde erit rescindenda; quod si tamen talis sit excommunicatus, vt cæteri eum non teneantur euitare, nec reprehendant se ingerentem; non erit ex hac parte vitiosa electio, cùm nullus eum reprehendere teneatur. Ità determinatur in Extrauag. *Ad euitanda.*

27 Porro hæ conditiones specialiter licèt intelligantur ex vtraque parte de Prælato generali, & de ipsum eligentibus, simili tamen proportione possunt applicari electioni Prælati inferioris tam actiuæ, quàm passiuæ; ita vt non opus sit aliquid in particulari de hac re dicere; eò præcipuè quòd dictum caput, *Quia propter*, ab omnibus, quantum fieri possit, obseruandum sit, in quo sunt nonnullæ restrictiones substantiales, aliæ verò accidentales, quas fusè descriptas vide apud Suarez *loco citato.*

28 Hvic capiti *Quia propter*, adiunctæ suot variæ constitutiones magis, minusvè, iuxta cuiusque religionis Placitum, variantes; præscribuntque modum, quo procedendum est in singula Religione, ad Prælatos in ea constituendos; vt tamen tales electiones validæ, vel inualidæ sine iure, necesse est vt à Summo Pontifice approbentur huiusmodi constitutiones, aliàs Iuri communi nil valebunt addere, vel detrahere.

QVÆSTIO III.

Quot sunt in vna religione Prælati, & quis inter eos ordo.

Cvm Ordo hierarchicus in eo consistat, vt quidam sint supremi, quidam vltimi, & nonnulli intermedij, vt sæpius è D. Dionysio inculcat Seraphicus Doctor passim, & præcipuè *parte prima de ecclesiast. hierarchia*: Certum est regimen illud perfectius esse, in quo Ordo iste seruatur, quare Ecclesia, cuius gubernatio perfectissima est, & maximè hierarchica, vnum habet supremum Prælatum, infimos verò pastores plurimos, intermedios autem Episcopos multos, vt sic ad Ecclesiam triumphantem propiùs accedat, in qua vna est potestas suprema, scilicet Diuina; alia intermedia, nempè Angelica; alia denique infima, vtpote Humana; in qua hierarchia, quò altiùs ascenditur, eò excellentior potentia cæteria dominatur; & è contrà, quo magis descenditur, eò diuisa potestas magis debilitatur. 29

Hinc Religiosus Ordo, cuius est Ecclesiæ vestigiis constanter insistere, vt quam in ea vouit perfectionem, melius attingat, sub tripliei Prælatorum genere gubernatur; quorum vnus est supremus, vulgò Generalis dictus; non quòd simpliciter supremus sit, cùm sibi superiorem agnoscat Pontificem; sed quia in eo ordine, cui præficitur, alium non habeat, cui obediendum præstet. 30

Alivs est Prælatus intermedius, Generali subditus, plures sub se habens in vna prouincia conuentus, indèque Prouincialis nuncupatur.

Infimvs verò Prælatus dicitur ille, qui alium sibi inferiorem non habet, & certo conuentui, seu loco præficitur, vndè Conuentualis, seu localis, Guardianusve solet appellari: solet tamen habere alium sibi subordinatum in æconomica potius administratione, quàm in spirituali aliqua iurisdictione; hic Vicarius in quibusdam religionibus appellatur, præsertim vbi localis superior habet nomen Guardiani; vocatur etiam Subprior respectu Prioris, & Prior respectu Abbatis, sicut & Minister respectu Rectoris: Præpositi enim locales variis gaudent nominibus, id ipsum significantibus; qui cùm sint pastores Ordinarij, possunt in aliquibus suam iurisdictionem delegare. 31

Svnt etiam hi, qui vicem tenent Præfectorum localium, vt post ipsorum mortem, donec capitulum celebretur, vel ob paruitatem conuentus, seu fratrum paucitatem præsideant; & quamuis Vicarij vocantur, sunt tamen re ipsa prælati ordinarij, vt sumitur ex *cap.* In singulis, *de statu Monachor.* 32

In omni Ordine Religioso solet esse Prouincialis, non sic in Monachali, in quo solus Abbas, vel Prior localis sub præposito Generali singula monasteria gubernat: vsus tamen obtinuit apud Carthusianos, vt tempore capituli quosdam Visitatores instituant, qui tamen prælati non sunt, sed pro tempore quadam funguntur commissione, quâ peractâ, cessant; vti etiam in Ordine Minorum creantur 33

Commissarij pro certis causis, qui sunt veluti Prælati intermedij, habentes potestatem delegatam; non tamen excedentem causæ exigentiam, pro qua datur; nisi aliter fuerit expressum; sunt tamen in aliquibus Missionibus commissarij, ordinariam habentes iurisdictionem, & hi pro Prouincialibus inibi habentur.

34 Apud Nos primus præ omnibus Ordinarius est Dominus Papa; post ipsum Generale capitulum; tertiò Generalis minister, quartò in qualibet prouincia Capitulum prouinciale; sextò Prouincialis; vltimò in suo loco Guardianus, siue sit electus, siue prouisus. Elizæus noster ponit etiam iurisdictionem ordinariam in Procuratore curiæ, in visitatore, & commissario siue generali, siue prouinciali, citatque Boerium, & Bictum *tract. 4. quæst. 1. num. 9.* Certum tamen est; hos non venire in partem Iurisdictionis ordinariæ; si eam sumamus, quatenus à delegata contradistinguitur; cum hi suas causas subdelegare nequeant, nisi ex primi delegantis concessione, vel vrgente graui causâ, in qua præsumitur de voluntate delegantis, vt concedit ipse Elizæus *num.* 10. Excipe illos Commissarios generales, qui non pro vna, aut altera causa deputantur, sed residentiam obtinent ordinariam, dum Missionibus, vel paucis præficiuntur conuentibus, qui in prouinciam erigi nequeunt, In quibus regendis habet Commissarius, siue ipsum velis vocare commissarium generalem, siue prouincialem, iurisdictionem ordinariam.

35 Svnt & alij Superiores intermedij, frequentes apud Minores, Custodes dicti; quod nomen actum dicit, non gradum, sicut nomen Seraphin dicit actum, non ordinem, vt ait S. Doctor in *capite* 8. *regulæ*: & hi à principio nostræ Religionis propter prouinciarum latitudinem, quibus non sufficiebat solus Prouincialis, instituti sunt, habentes in suis custodiis eandem potestatem, subordinatam tamen, quam in tota Prouincia habuit minister Prouincialis: sed iam, hac prouinciarum latitudine, eò vsque restricta vt bis quotannis eas valeant Prouinciales visitare, hic custodum vsus in desuetudinem abiit, cui tamen successit alius, vtpote vigilandi super fratres, absente Prouinciali, eumque de grauioribus casibus emersuris admonendi; Quod si subitaneus aliquis casus emerserit, cui subitò prospiciendum, poterit Custos in illo Prouinciali munere fungi, vti & in quocumque alio occurrente, pro quo ipsi Potestas delegatur: Cæterùm locali Præfecto eum aliis subiicitur.

36 Est & aliud Custodis genus, præcipuè apud nos Capucinos vsitatissimus; in primo enim Prouinciali Capitulo, Pentecosten proximè præcedente, vnum solent nominare Custodem, qui in electione Generalis cæterorum vocem proferat.

In eo conueniunt omnes dicti prælati, scilicet Generalis, Prouincialis, & Localis, quod vnusquisque Polleat Iurisdictione spirituali in subditos, & quidem ordinaria, non delegata; cum illorum quilibet ad suum offitium totius Capituli electione destinetur: Habent etiam Iurisdictionem immediatam; hæc enim pertinet ad prælationem ordinatiam; Item hæc Iurisdictio in omnibus est quasi Episcopalis, vt notat Suarez *num. 9. & seqq.* diuerso tamen modo, quod vt intelligas.

37 Notandvm est, particulam, *quasi*, duo importare, vt notat ibidem Suarez. Primò enim significat potestatem Episcopi propriam, in alieno residentem subiecto: Secundò significat potestatem Episcopi, sed cum diminutione quadam; ita vt non sit propriè potestas Episcopalis, sed quasi.

Generalem autem ministrum habere hanc quasi potestatem Episcopalem, nemini est dubium, cùm possit in suos subditos exercere multos iurisdictionis actus, quos potest in suos Episcopus; dicitur tamen in Generali *quasi*, ob duplicem rationem signatam, tum quia dignitate, seu charactere inferior est Episcopo; tum quod non potest omnes omnino iurisdictionis actus exercere, quos potest Episcopus; idem à fortiori valet in Prouinciali, cùm semper aliquid in qualibet prouincia sit Generali reseruatum; & potissimè vrget in superiore locali; qui posset dici aptiori similitudine habere potestatem quasi parochialem, si comparemus Hierarchiam religiosam, cum Ecclesiastica, & spectemus solam iurisdictionem ordinariam; cùm tamen prælati locales è suis Priuilegiis valeant habere actus plures, Parochis vetitos, & Episcopis communiter proprios, dicendum est in ipsis sic vigere potestatem quasi Episcopalem, cum maiori tamen diminutione, quam in Prouincialibus; vti Ius commune olim Abbatibus conuentualibus hanc quasi potestatem tribuebat, vt patet apud Suarez *loco citato*, licèt essent Episcopis subiecti. 38

Differvnt autem dicti prælati in multis, maximè in dependentia maiori, vel minori, in subordinatione, & inferioris iuris restringendi potestate, sicut & in potestatis amplitudine, præsertim extensiua; solùm enim curare potest Præfectus localis, quæ sunt suæ domus; Prouincialis, quæ suæ Prouinciæ; & Generalis, quæ totius religionis; primus horum subditur secundo, secundus tertio; non è contrà; cuiusque tamen ad inuicem ità iura componuntur, vt in vna religione iuxta proprium institutum, & consuetudinem possit prælatus conuentualis minus, in alia maius, vti & cæteri; quæ cùm è diuersa praxi magis constent, nec de his ius commune multum curauerit, nullis certis regulis possunt præscribi. 39 40

QVÆSTIO IV.

An deceat, Prælatum Regularem in eodem officio diù durare.

D. Bonauent. in libello. Apologetico, quæst. 1.

Prælationes, quarum dispensationes sunt penes humanum arbitrium, non postulant è natura sua, vt sint perpetuæ, vel temporariæ; quare priscis temporibus, dum pauci essent, qui prælaturæ studerent, simplexque esset gubernandi modus absque tot legum ambagibus, quibus nunc prælati implicari solent, vnus perpetuò vnum gubernabat conuentum, solumque ob notabilem insufficientiam, vel mortem deponebatur; eamque fuisse mentem S. P. N. Francisci, colligitur ex illis Regulæ nostræ verbis: *Vniuersi fratres vnum de fratribus istius Religionis teneantur semper habere in generalem Ministrum, qua decedente electio successoris fiat à ministris prouincialibus, &c.* quamuis exinde ob graues causas aliter à Religione statutum sit, vt notat Crousers *in expositione cap. 8. regulæ.* 41

Qvam ob rem nunc in omnibus Ordinibus religiosis, & in multis etiam monachalibus mos inualuit, vt omnes Prælati pro certo tantùm tempore possint durare, magis, minusuè, iuxta cuiusque religionis proprium institutum, vel Apostolicum indultum.

dultum. Ità Apud Minores, & Carmelitas, Minister Generalis Sexenio durat; nam cum præcipuum eius munus sit fratres totius Religionis personaliter visitare; placuit tantum ei temporis concedere, quantum ad id muneris sufficeret: Quod si aliquando à dicta visitatione cessat; hoc per accidens est, ratione alicuius incommodi, vel obstaculi.

42 Ordo autem S. Augustini eundem semper agnoscit Generalem, sed eligibilem, vel deponibilem in singulo Capitulo generali: quare ex se perpetuus non est. Aliter dicendum de Carthusianis, Prædicatoribus, & Iesuitis, quibus singulis vnus ad terminum vitæ est Generalis minister.

Provinciales verò, sicut & præfecti locales, triennales, vsitatissimi sunt, contra quos latis fibris inuehitur Nauarrus, *comment. 3. de Regular. num. 3. & sequentibus*, vbi plura incommoda, ex fre-
44 quenti prælatorum mutatione iugiter nascentia, congerit, nullaque sibi vnquam ratione fuisse persuasibile protestatur, quod animarum saluti, seu communitatum paci id expediret; contra quem doctè agit Suarez, *tomo 4. de Relig. lib. 2. cap. 7.* vbi arguit præcipuè ex communi consuetudine in tota ecclesia recepta, & à Summis Pontificibus approbata, contra quam ire non solidam esse doctrinam, sed insulentissimam insaniam, arguit communis regula D. Augustini, quam alibi passim inculcaui. Id ipsum Conuenientissimum esse in Religione Minorum ostendit Seraphicus Doctor, *libello Apologetico in eos, &c. in resp. ad quæst. 5.*

45 Assero igitur cum S. Doctore, hanc temporaneam prælationis durationem conuenientissimè ordinari.

Probatur *loco citato*, à D. Bonauentura: In Prælato religioso præter plures animi dotes, zelum scilicet Iustitiæ, mansuetudinis lenitatem, fraternam compassionem, solidam discretionem, &c. requiruntur etiam aliæ perfectiones corporis, qualis est honesta personalitas, robur diuturnum, vt in regulari obseruantia, & in officiis assistendis sit indefessus; ætatis ea maturitas, vt nec declinet in nimiam senectutem, sibi, & aliis onerosam, nec incipiat à nimia iuuentute, quæ sibi non imperet, aliisque insultet: Sed hæ perfectiones in paucis reperiuntur, & in illis sunt valde instabiles: Ergo, concludit Sanctus Doctor, paucos stabiles in officio possumus habere prælatos, dum vel corpore infirmantur, vnde non sufficiunt tot laboribus exantlandis, vel etiam timore conscientiæ percelluntur, vnde non rarò amoueri ab officio instanter efflagitant.

46 Probatur secundò à D. Bonauent. *ibi ad finem*, relatione, qua vtitur Suarez, *loco citato*, Qui nouit se diù, vel semper permansurum in officio prælaturæ, facilè sui ipsius obliuiscitur, indeque insolescit; è contra verò, sciens se breui deponenendum, vel finiturum; in humilitate, & timore continetur; atque hoc accidit in vtroque hoc genere prælati, perpetui, & temporanei: visi enim sunt non rarò [illegible]tores, de suis prælaturis securi, dominari
47 In cleris, contra præceptum Domini, 1. *Petri 5.* cùm in aliis rarissimè illud vitium deprehendatur; virtutis enim æmulatione quadam, (aliquando forsan etiam vitiosa ambitione, quæ aliis tamen proficiat) quos viderant benè, & laudabiliter in officio se gessisse, imitantur, studentque vt bona pax sit ipsis, & aliis in diebus suis, illud, quod commodè possunt, solatium vnicuique præbendo, & quæ grassantur vitia, sollicitè amputando, scientes se breui reddituros rationem villicationis suæ, cùm alteri fuerint subditi.

48 Adde Prælaturam non tam virtutis esse exercitium, quàm præmium: quare videretur Iustitiam distributiuam læsum iri; dum tot, doctrina, & virtutibus præstantes, aliis forsan rudibus, nec satis probis, iugiter subiicerentur; vnde communitas commodis non paucis priuaretur: Et licèt, qui virtute præstarent, possint tali subiectione vti in suum profectum; ad ipsos tamen ex malo bene vti, non autem ad Religionem spectat, eos ad tam rigidam disciplinam adigere, vnde plures experiuntur ruinam, potius quàm profectum.

Hinc in exemplum superbi prælati, qui toti 49
populo est in ruinam, affert S. Doctor, 4. *dist. 15. part. 2. dub. 33.* Dauid, ambitiosè numerantem populum sibi subiectum, & gloriantem in multitudine eorum, vel forsan annorum, quibus præfuit; vndè super ipsum populum facta est manus domini grauis, vt significetur, nil tam communitati obesse, quàm prælati superbiam, quæ è perpetuitate durationis precipuè nascitur.

Si quæras, num obediendum sit prælatis ità apertè superbientibus.

Respondet S. Doctor, expositione in Ecclesiast. *cap. 20. fol. 332. col. 2.* tales prælatos in triplici esse differentia, quidam enim in se sunt iniusti; aliis tamen iustè imperantes, & cætera sui officij justè exequentes; quibus idcircò iustè obeditur.

Svnt Alij, injustè electi, & pari modo munus Prælati exequentes, quibus non est obediendum; alij denique iustè electi, durè tamen & fortiter imperantes, quibus in his, quæ iuxta Deum sunt, est obtemperandum: Iustum tamen est talem amoueri, quia vt ait ibi S. Doctor, priuilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate.

Rationes autem allatæ maximè vrgent in 50
Religionibus, in quibus vitæ soli actiuæ, vel magis mixtæ vacatur; nam ob ingentes hîc ingruentes sollicitudines, ob frequentes occasiones, in quibus Prælatus tenetur imperare & subditi obedire, ob iugem assistentiam, vel præsentiam ipsius prælati, vt tot res arduæ melius sustententur; vix potest vnus diù durare, vixque meritoriè, aut hilari animo possunt subditi diù obedire; quare si duriùs ille agat, consolantur hi, quod in proximo sit deponendus, vt aduertis Seraphicus Doctor, *loco priùs citato*, ad finem.

Illa verò magna incommodorum series, & congeries, quam è frequenti Prælatorum mutatione accumulat Nauarrus, *loco citato*, facile soluitur, si aduertatur, ea, & similia inconuenientia potius oriri ex indebita Prælatorum electione, quàm ex temporali eorundem duratione, vt notat Suarez, *num. 6.* Verùm quia in *Cap. Quia propter*, & in Concilio Tri- 51
dentino *de reform. Regularium*, sat prouisum sit debito modo eligendi; non est cur hinc graue aliquod argumentum sumi posse suspicemur: Quod si paucæ quædam fratrum obmurmurationes, aut intempestiua nonnullorum ambitio has frequentes electiones molestet; his facilè aliis remediis, in singula Religione, pro vt melius expedire videtur, institutis, occurritur.

QVÆSTIO V.

An in Prælato religioso sit potestas coercendi subditos pœnis, tum spiritualibus; tum corporalibus.

52 QVOAD primam partem, supponitur è tractatu de Censuris, *disp.* 1. quem trademus, 3. *parte* vbi de Sacramento pœnitentiæ, Prælatos regulares habere potestatem ferendi censuram, quæ cæteras ferè pœnas spirituales sub se continet.

Ratio etiam fauet, cùm enim ideò sint instituti, vt suos subditos sedulò in virtutis, & perfectionis stadio exerceant, non solùm Clauem habere debent, vt ipsos introducant, sed & gladium, quo duras ceruices, & contumaces coerceant. Parum enim vigoris habet vis directiua, nisi duriùs aliquando à vi coactiua obtrudatur.

53 POENÆ tamen, quas ferre possunt Prælati regulares, debent personas, non loca respicere; quare interdicta localia nequeunt ponere, vt docet Suarez, *cap.* 9. *num.* 5. quia ad personas gubernandas, non verò ad loca, solùm destinantur; possunt tamen virtute simplicis Obedientiæ quædam loca adeunda fratribus interdicere; quod non est iuris interdictum, vt ex se patet; hoc enim generaliter locum omnibus adiri prohibet, quod non cadit sub potestate prælati Regularis, cùm non omnes, sed solùm fratrum communitas ipsi subijciatur.

54 CAPITVLA tamen, quæ prælatis subiiciuntur, posse ab iisdem suspendi, docet Suarez, *loco citato*; non verò illa, quibus adæquatè comparantur, vel à quibus in nonnullis superantur; Quare Generalis non potest suspendere Capitulum generale, nec Prouincialis illud, quod in sua prouincia celebratur, sicut nec Superior localis Capitulum conuentuale.

55 IRREGVLARITAS autem imponenda, non est iurisdictionis regularis: hoc enim spectat ad supremum totius ecclesiæ Prælatum; & in casibus ab ipso determinatis, in cap. *Is qui*, *de sentent. excom. in* 6. Possunt tamen Religionis prælati declarare, si quis sibi subditus in eam impegerit.

VERVM sunt nonnullæ inhabilitates ad ferendam vocem in capitulis, & ad alia, quæ sunt iurisdictionis regularis, quas è communi praxi patet illis licere; inferre non tamen eas possunt instituere propria authoritate, nisi cum iure communi necessariam aliquam habeant connexionem, vel à Summo
56 Pontifice expressam approbationem. Apprimè autem dispiciendum est ipsum ius commune, num in ipsa talis pœna sit expressa? quo tenore? num in omnes personas ecclesiasticas, sub quibus intelliguntur Religiosi? num solis clericis, à quibus distinguuntur? nam si imponatur pœna vniuersaliter omnibus personis ecclesiasticis, debet prælatus adhuc considerare, num sit ipso iure imposita, num verò ab ipso Prælato imponenda; & in vtroque suum munus obire; si verò sit solis posita clericis, poterit Prælatus similem pœnam ob delicti, & personæ similitudinem, Religioso infligere, pro vt prudentia, & æquitas postulauerint.

57. QVOAD secundam quæstionis partem, dicendum est, Pœnas corporales, alias esse leuiores; alias verò grauiores: illas imponere posse Prælatum quotidiana docet praxis, etiam simplici dicto, vel imperio, ita vt teneatur subditus eas in seipsum exequi, in quo distinguuntur ab aliis pœnis grauioribus, quas quidem Prælatus aliquando potest infligere, & subditus pati, non tamen eas in seipsum exequi.

DVBIVM autem non modicum est, quænam sint illæ pœnæ grauiores, quas licet Prælato regulari suo subdito imponere. 58

CERTVM est primò, prælatum nequire Religiosum clericum degradatione, vel similibus pœnis, quibus priuilegio clericali priuatur, punire; imò nec, etiamsi clericus non sit, depositum à professione religiosa, brachio sæculari tradere; Nisi ad hoc specialem habeant à Summo Pontifice concessionem: tum quod sic vix præcauetur irregularitas incurrenda; tum quod ea immunitas religiosi à tali pœna, sit in fauorem totius religionis, quam sic punire non potest Prælatus.

QVOD si aliquando contingat, religiosis à brachio sæculari torqueri; Dico tales tunc quoad Prælatorum iurisdictionem, religiosos non esse; sunt enim eiecti vt incorrigibiles, & habitu priuati in aliquo facinore deprehenduntur, vel propter scelus in religione commissum, in quod sæcularis potestatis est animaduertere, corripiuntur; quod satis iustè potest Prælatus permittere, cùm sit iam à religione emancipatus: nequaquam verò eum potest propriis manibus puniendum tradere. 59

IDEM de mutilatione, seu publica flagellatione concludit Suarez, *num.* 3. sunt enim ad mortem, seu homicidium dispositiones, quas absque irregularitate nemo clericus potest, seu mandare, seu exequi; adde eas ecclesiasticæ mansuetudini, & religiosæ compassioni ex aduerso opponi: vnde nec ipsis Episcopis est in vsu.

IDEM mihi planè videtur de pœna ad triremes, vt eam Religiosus Prælatus propria authoritate nequeat iustè mandare; quamuis Suarez in oppositum propendeat; nec rationes, quas sibi obiicit, ritè soluit, vt eam opinionem sibi æque persuasam habere debeat. 60

PRIMO enim in hac pœnæ interueniunt cruentæ flagellationes, non solùm per accidens ratione remigationis, vt ait Suarez, sed per se, cùm optimè & iam remigantibus, & ob solam culpam, propter quam eò damnantur, infligantur. 61

SECVNDO hoc fit à laïcis contra tenorem *Capitis*, Si quis suadente; & *cap.* Vniuersitatis *de sentent. excom.* vbi degradatio ad verberationem à laicis faciendam præsupponitur; Prælatos verò regulares degradare non posse, nisi ex speciali indulto, suprà diximus.

TERTIO suos subditos ità torquere non est apud Episcopos vsitatum, solusque Summus Pontifex eà vtitur potestate; quod si Episcopi id non faciant, vt ait Suarez, vt & ipsi minus grauamen subeant, & Rei minus periculum, eos perpetuo carceri mancipando, cur id non incumbat potius prælatis Regularibus, quippe minus potentibus ad subeunda tanta grauamina, nec minus obligatis ad præcauenda subditorum reorum pericula; quæ hinc frequentissimè, simul & enormissimè solent accidere; vnde nusquam apud antiquos Patres, etsi in ecclesiastica disciplina multò modernis seueriores, legimus hanc pœnam fuisse in vsu; non propter fratrum paucitatem, vt ait Suarez; nam licèt tunc non fuerint tot ordines religiosi, fuere tamen Monacho- 62
rum innumerabiles turbæ, vt ipse Suarez expressis 63
terminis paulò antè fassus est hîc, *cap.* 1. *num.* 13. vbi in Monte Nitriæ fuisse sit ad quinque millia Monachorum; qui cum fuere ferè omnes solùm Monachi laici, non præsbyteri; vt colligitur ex Suarez, *eodem num.* vbi narrat Epiphanium, epistola ad

ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum scripsisse, se quemdam monachum renuentem, ad Sacerdotium euexisse, eò quòd fratrum multitudo careret presbytero, incredibile ferè est ex ipsis aliquando aliquos grauiter non deliquisse, sicut reverà legimus *in vita Patrum*, Marianum quemdam, cum puella esset, suum sexum sub viri habitu occultasse, & diù in quodam monasterio laudabiliter vixisse & dum præciperet ei Prælatus, vt quadam nocte cum cæteris monachis pernoctaret in domo sæcularis cuiusdam benefactoris, vt indè proximo die,
64 quæ conuentui essent necessaria, asportarent; accidit, vt patrisfamilias filia, se à quodam milite eadem nocte corrumpi permitteret; quæ cum prægnantia vteri patens scelus celare diu nequiret, totam culpam in dictum Marianum refudit, quam parentes multa exaggeratione ad Abbatem detulere; fuit autem in tempore illo id genus culpæ grauissimum, tum propter singularem Monachorum sanctitatem, tum propter non frequentis scandali enormitatem; Abbas tamen, Mariano ad quæstionem vocato, & humiliter annuente, se grauiora scelera patrasse, non aliâ, quàm eiectionis sententiâ eum damnauit: Conuentuum autem Abbates licèt Episcopis tunc subiicerentur, potestatem quasi Episco-
65 palem, qua maiorem nequeunt nunc prælati regulares habere, in sibi subditos obtinebant, vt docet Suarez, *cap.2. num.11. & seqq.* Quare non putem fas esse nostris prælatis, vt sint nunc minus indulgentes Clericis præsbyteris, quam fuere olim prisci Patres laicis Monachis, nisi forte velimus culpam ex status excellentia magis grauare, quod quidem nefas esse non arbitror, modo eius punitionem aliis pœnis sat rigidis, vel superiori potestati reseruemus: unde non opinor, eas Religiones, in quibus viget consuetudo hanc pœnam ferendi, vt docet Nauar. *comment. 3. de regularib. num.53.* & post eum Suarez, *citato loco*, absque speciali Pontificis indulto eam executioni mandare, licèt vt secretiùs agant, & minus sit scandalum, nihil de eo in suis libris consistent; cum grauiores pœnæ sint semper iure communi, vel Pontificio determinandæ.

66 Poenæ verò exilij, seu loci mutationis penes ordinariam est prælati potestatem. Si tamen prælatus velit subditum delegare in locum remotum extra religionem; illa delegatio æquiualebit eiectioni; nam perinde, ac si esset solum eiectus, non tenebitur subditus stare tali loco; cùm iam sit extra obligationem obedientiæ, quæ cessat, cessante subiectione.

Hinc si prælatus præciperet ei, quem eiecturus esset, vt non intraret talem, vel talem religionem, non teneretur eiectus tali conditioni stare, quia dum est adimplenda, est sui iuris; vide Suarez, *cap.10. num.10.*

67 Quæres, num prælatus potest præcipere reo, vt è carcere non aufugiat.

Respondet Couarruuias, *lib.1. Variar.cap.2. num.4.* Caietan. 2. 2. *quæst.69. art.4.* & alij apud Suarez, *loco citato*, tale præceptum iustum esse, tenerique reum ei stare, tum quod tenetur intra claustrum iuxta præscriptionem Superioris se continere; tum scandalum indè emersurum præuenire; quod tamen intelligendum esse docet Suarez ratione putæ detentionis; nam si mors, aut grauissima incommoda, iuri naturali aduersantia, inde timerentur, aliter dicendum esset, iuxta ea, quæ suprà diximus *disput.30. de reo, quæst.11.*

68 Quæres, num possit prælatus præcipere reo, vt paulatim inedia, seu fame se perimat, abstinendo à cibo, vel tantillum sumendo, quod vitæ sustentandæ non sufficeret.

Respondetur è communi sententia, tale præceptum iniquum esse, ac proinde non obligare, sicut tamen potest Iudex sæcularis mandare officiatis, vt malefactori cibum non subministrent, videtur idem licere prælato regulari, respectu Religiosorum, apud Suarez, *num.11.*

QVÆSTIO VI.

Quales solemnitates tenetur Prælatus Regularis, agens in iudicio, obseruare.

Svpponit Seraphicus Doctor, *in expositione in Eccles. fol. 331. col. 2.* Apud Regulares fieri posse actus iudiciarios, non solum in subditos, sed etiam in prælatos, vt si praui, aut minus idonei sint, corrigantur, & amoueantur, quod proculdubio seruato ordine, non clandestino, aut ignoto aliquo modo fieri debeat; aliàs essent Regulares propter vitæ Religiosæ professionem, deterioris conditionis, quàm sæculares, in quos nullibi fertur grauis aliqua sententia, nisi iuxta iuris apices. 69

Cvm tamen luxurians illa ceremoniarum pompa, in curiis sæcularibus seruari solita, nec paupertatem, nec statum deceat Religiosum; concessere Pontifices plures Prælatis regularibus, vt omissis iuris timulis, & posthabito tot subtilitatum, & apicum apparatu, ad simplicem rerum veritatem attendentes, de plano procederent. 70

Ita in primis Innocentius III. Postquam in Generali Concilio Lateran. *can.8. & cap.4.* quædam de iure communi in iudiciis, non notoriis, obseruari vellet, ita vt prius fiat inscriptio, quàm accusatio, & charitatiua monitio, quàm denunciatio, & clamorosa denique insinuatio, quæ contra Prælatum ad iudicis aures increbuerit, prius fiat, quàm inquisitios §. vltimo subdit: *Hunc tamen Ordinem circa Regulales personas non credimus vsquequaque seruandum, quæ cum causa requirat, faciliùs, & liberiùs ab administrationibus amoueri possunt*, in quæ verba habet Glossa, *V. Præsens.* vt circa sæculares iuris ordo seruetur, circa verò Regulares non vsquequaque. 71

Item Bonifacius VIII. apud Rodericum, *in coll. Priuil. fol.54.* Sic decreuit: *Bonifacius, &c. Vniuersis fratribus Ord. fratrum Minorum, &c. Indulgemus, vt ad punitiones, & correctiones, & Prælati, &c. Ritualis iuris, & apicibus postpositis, libere procedere valeant, secundum consuetudines approbatas, & generaliter facta, & facienda Ordinis instituta.* 72

Item Cap. ea quæ §. quod si Abbas de statu Monachi, dicitur: *vt si dilapidator inuentus fueris, vel alias merito amouendus, amoueatur absque iudiciorum strepitu*: Hinc plures Religionum prælati, seu alij, ad iudicia facienda delegati, omnia sibi ad placitum licere autumantes, quæ iuris sunt, etiam substantialiter, & quæ intimam rei veritatem respiciunt, liberiùs prætermittunt, vt testatur Bictus noster, *quæst.8. num. 5. V. appellare, in compendio Priuileg.* & P. Elizeus, *in rerum criminal. methodo, tract.3. quæst.1. num.1.* cum quibus. 73

Asserο. Iudices regulares teneri omnes solemnitates substantiales, seu essentiales iuris obseruare. 74

Probatvr primò, quia quæ sunt de Iustitia iuris, ea quiuis iudex tenetur obseruare; tales sunt

ſunt dictæ ſolemnitates, vt præmittere citationem, exigere probationes neceſſariss, &c. Ergo

75 PROBATVR ſecundò è ſenſu illorum iuris terminorum, *de plano*, *ſine ſtrepitu*, *abſque rimulis, & apicibus*. De plano enim in clement. *Diſpendioſam*, *de iudicis*, & in Gloſſa, *ad cap.* Olim, *de accuſat.* ſignificat dare iudicium ex plana rei inſpectione, non dicendo iudicium è tribunali cum litis conteſtatione, libelli expoſtulatione, &c. item *ſine ſtrepitu*, ſignificat, vt magnus ille teſtium, aduocatorum, ſeu procuratorum apparatus amputetur, quorum cauillatione, & obſtrepitu ſolet non tardò veritas variis labirintbis implicari; Item *abſque rimulis*, *&c.* vt illæ iuris ſubtilitates, & acutiora puncta, quibus ſæpènumerò obtunditur veritas, prætermittantur.

76 CONFIRMATVR è Clementis V. Bonifacij VIII. ſucceſſore, qui explicans præfatum priuilegium, Regularibus indultum, *loco citato*, Indicat ſex in iudiciis Regularium omittenda; quia ad veritatem rei parùm faciunt, quatuor verò admittenda, quippe iudicij ſubſtantiam propiùs attingentia, vt notat Gloſſa Ibidem, V. *Sæpe*.

77 PRIMO autem decernit dictus Pontifex, vt Iudex Regularis libellum non exigat, neque litis conteſtationem.

SECVNDO, vt tempore feriato procedere valeat.

TERTIO, vt amputet dilationes, appellationes fruſtratorias, & dilatatorias repellat.

QVARTO, vt Procuratorum iurgia, & teſtium ſuperfluam multitudinem refrænet.

QVINTO, vt ad ſententiam definitiuam citans, non teneatur opponere ly *peremptoriè*.

SEXTO, vt petitio Agentis, & Rei, quam petit in ipſo litis exordio ſcriptis, aut ſi verbo tenus, ſtatim in ſcriptis redigatur. Quod ſi in his caſibus ex conſenſu partium ſolemnis ordo iudiciarius ſeruetur, proceſſus valeat, &c. Hæc tamen poſitio potius ad infrà dicenda ſpectat.

CVM autem prolixum eſſet hæc omnia in ſingulis Bullis, aut Pontificum indultis repetere, in eorum loca ſuffecti ſunt dicti iuris termini, *de plano*, *ſine ſtrepitu*, &c.

78 QVATVOR verò ſunt obſeruanda ex eodem Pontifice in ſingulis iudiciis Regularium.

PRIMO, vt probationes neceſſarias iudex admittat, citationem, & iuramenti præſentationem, tam de calumnia, & malitia, quàm de veritate dicenda non excludat.

SECVNDO, poſitiones, tamquam ad veritatem habendam neceſſarias admittat; terminumque tam ad poſitiones dandas, quàm ad articulos, & omnia acta exhibenda præfigat, nec poſt renunciationem in cauſa vltrà producantur, niſi vtraquè pars inuicem remittat.

TERTIO, partes, ſiuè ex officio; ſiuè ad earum inſtantiam examinet.

QVARTO, ad ſententiam definitiuam citet, quam & ſcriptis ferre tenetur.

EX his poſitionibus habes, quæ fuerat mens Bonifacij VIII. in præfato priuilegio, dum iubet, vt rimulis iuris, & apicibus poſtpoſitis liberè proce-
79 dere valeant Iudices Regulares: vbi non vult, vt eæ ſolemnitates omittantur, quæ ad ſubſtantiam actus pertinent, ſed ſolùm illæ, quæ ad cauſæ ornatum, ſeu pompam conducunt, nam vt notat P. Elizæus ſuprà citatus, *quæſt.* 1. *num.* 15. licèt ſolemnitatis nomine aliquando veniant ſubtilitates, non tamen vice verſa, ſolemnitas omnis intelligitur nomine ſubtilitatis, aut rimulæ.

80 PRÆTEREA vbi verba ſunt ambigua in aliqua lege, reo potiùs eſt fauendum *cap.* Cum ſunt partium, *de reg. iuris in* 6. *leg.* fauorabiliores, *ff. de reg. iuris*, & *leg.* Arrianus, *ff. de actione, & obligatione*, ità etiam omnes Iuriſtæ vno ore aſſerunt; ſed Priuilegium Bonifacij, cuius verba ambigua ſunt, ſic intellectum, vt liceret etiam quæ facti veritatem reſpiciunt, omittere, eſſet in ruinam non ſolùm rei, ſed non tarò ipſius innocentis; cùm ſic nec comparendo, nec ſe defendendo, nec aliis licitis defenſionis mediis poſſet ſe tueri: Ergo.

81 LICET autem Bonifacij Priuilegium ab omnibus intelligatur, latiùs extendendum, quàm aliorum Pontificum conceſſiones; nil tamen vltrà habet, præterquam quod vult, in cauſis etiam criminalibus ciuiliter procedendum de plano, non ſedendo pro tribunali, modo iudicis ſæcularis, obſeruando eas rimulas, ſeu ſubtilitates iuris, quæ ſtatum Religioſum dedecent, ipſamque veritatem aliquando in diſcrimen coniiciunt: Aliæ autem conceſſiones loquuntur in cauſa ciuili, vt in ea ciuiliter de plano procedatur.

82 EX his libet concludere, ſemper iudicem teneri rei veritatem ad apicem examinare in omni actu, cuius iuſtitia inde pendeat: Et hoc verum eſt, ſiue ſententia ſit interlocutoria, quæ ſuſcipit aliquas facti circumſtantias terminandas, quales poſſunt eſſe teſtium torturæ, eiectiones, vel dilationes; ſiue ſit definitiua, quæ maturè cunctis conſideratis, de principali, vel aliquando de neceſſario, vltimam fert ſententiam, cuius prolatione expirat in eo caſu proferentis authoritas; ſiue denique ſit ſententia præcepti, in qua iudex cognito Rei crimine, vel ex ipſius confeſſione, vel ex notorietate facti, eum præcepto, vel prohibitione ad pœnam damnat: nam quamuis multa non ſint de ſubſtantia talis iudicij, eſt tamen in eo ordo ſubſtantialis ſeruandus, vt prius ſe reus fateatur debitorem, quam ad ſolutionem cogantur, & vt prius nulla valeat eius crimen tergiuerſatione celari, quàm ad condignas pœnas condemnetur; ſi tamen contumax ſit reus in agnoſcendo ſe debitorem, præcipiatque abſque vlteriori probatione iudex qualiſcumque, vt ſoluat; ſoluta pecunia, ex hoc capite non eſt repetenda; dummodo verè debitor ſit; licèt præceptum non fuerit iuſtum.

83 QVOD ſi quæras, quæ ſunt ſubſtantialiter neceſſaria, vt ſententia lata teneat. Reſpondeo primò neceſſarium eſſe, vt ſit in ſcripturam reducta, ſit lecta, & lata; idque in ipſa ſcriptura manifeſtetur, *cap. fin. de ſent. & re iudic. in* 6. Cùm enim ſoleant intentari proceſſus ex latis ſententiis, vt meliùs probentur, & omnis facti temeritas deuitetur, placuit, vt abſque ſcriptura ſit nulla, quod adeò verum eſt, vt ex conſenſu partium prætermitti non poſſit.

84 EST tamen conſuetudine receptum in multis locis, vt Iudex ſententiam legat, & proferat per Actuarium, ipſeque ſolùm verbum condemnationis, vel abſolutionis pronunciet, ita Clarus *quæſt.* 93. cum Bicto 145. *num.* 6. etſi iure ſit aliter cautum, ita vt Gloſſa *in cap.* etſi ſententia *de ſent. & re iudic. in* 6. dicat, ſententiam fore nullam, niſi ab ipſo iudice ſit lata, & lecta; excipiuntur tamen Iudices honoratiores, quales ſunt Epiſcopi, & magni nominis Prælati, qui per alium curant ſententiam ritè proferri; Item excipiuntur nouiter cæci, cum nequeant legere, queant tamen iudicium proferre, vt habetur *leg.* cæcus, *ff. de iudic.* & *leg.* certi, *Cod.* eodem: Melius tamen in his caſibus conſuetudini ſtatur, quæ eſt optima legum interpres.

85 NON eſt tamen neceſſe, vt ſententia interlocutoria ſcriptis

scriptis mandetur; sed sufficit Iudicem interloqui, & deinde indicere Tabellioni, vt quæ fuerit interlocutus, scripturâ consignet, quod tamen non esse ad aliud necessarium, nisi vt meliùs iudici credatur, docet Glossa in dictum *cap. fin.* V. *definitiua*, quod idem de præcepto intelligi possit, licèt ratò huius necessitas in scriptis contingat.

86 SECVNDO necessarium est ad sententiæ valorem, vt reus absens citetur, vtque coràm proferatur, ex Clem. *de verb signific.* & aliis legibus suprà citatis. Deinde publicetur in termino citationis: Quod si Reus contumaciter agat, & comparere refugiat; omni meliori modo ei intimetur, & portæ, vel valuis suæ residentiæ affigatur, vt sic reum, quantum fieri potest, afficiat, Citationis autem terminus communiter decem dierum indicatur.

TARTIO in sententia requiritur pœnæ determinatio *leg. in summa, ff. de sentent.* & *re iudic.* si tamen à iure pro tali delicto statuta sit, sufficit, id reo intimari, ita plures apud Elizæum citatum, *quæst.16. num.51.* Item requirunt nonnulli, vt sit talis pœna, iuxta delicti grauitatem, vel leuitatem, vt non sit contra pœnam per Canones, leges, vel consuetudinem taxatas, aliàs sententia erit nulla; quia his in casibus causæ cognitio creditur iudici, non autem pœnæ diminutio, vel augmentatio: Vide *leg.1. §.5. ff. ad S. C. Turpil.* possunt tamen esse causæ nonnullæ inducentes Iudicem ad leuiorem, vel grauiorem pœnam indicendam; quas sententia debet exprimere, quæ sic valida erit.

87 QVARTO requiritur ad sententiam, vt verbo de præsenti, scilicet, *absoluo*, vel *condemno*, proferatur, deinde vt sigillo officij obsignetur, cum duobus subscriptis; hæc autem omnia ea temporis maturitate sunt actitanda, vt detur reo locus ad defensionem, testium aduocationem, &c. aliàs poterit propter breuitatem termini appellare, vt *quæst. seq.* dicetur.

QVÆSTIO VII.

An possit à Prælato, seu Iudice Regulari appellari.

D. Bonauent. in speculo animæ, cap 1.

88 QVÆSTIO potest ita intelligi, vt appelletur à Prælato Regulari ad Superiorem potestatem, intra, vel extra Ordinem; Extrà non posse appellari, nisi ad Romanum Pontificem, ad quem omnibus appellare licet, *Cap. Romanum 2. quæst. 6.* docet ratio iurisdictionis, quæ extra Religionem, si sit exempta, non alibi inuenitur; quàm in Romano Pontifice; ad appellationem enim necessaria est iurisdictio; hinc postquam Societas Iesu exempta esset à Paulo III. additum est, vt extrà non appellarent, vt docet Suarez, *tomo 4. de Relig. lib. 2. cap. 11. num. 5.* apud quem habetur etiam Constitutio Greg. XIII. grauiter præcipiens fratribus Minoribus, vt ad sæcularia Tribunalia appellare non audeant.

89 INTRA etiam Religionem appellationes fieri videtur prohibitum, *cap. reprehensibilis, de appellationibus*, vbi statuitur, nè subiecti contra disciplinam Ecclesiasticam in vocem appellationis erumpant, & ad finem dicitur: *præcipuè verò hoc in Religiosis volumus obseruari: ne Religiosi, cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra Regularem Prælati sui, & Capituli disciplinam appellare præsumant, sed humiliter, ac deuotè suscipiant, quod pro salute sua fuerit eisdem iniunctum:* Similia repetuntur in diuersorum Ordinum statutis, in quibus Religiosis præcipitur, vt Superiorum correctioni humiliter acquiescentes, ab appellationis voce desistant.

ASSERO tamen, quemlibet Religiosum iniustè, 90 & grauiter à suo Superiore sententiatum, posse licitè appellare ad alium Superiorem maiorem in eodem Ordine, ita docet Seraphicus Doctor, *in Speculo animæ, loco citato.*

PROBATVR: Naturalis defensio nulli est deneganda; sed hoc viget, quando subditi nimis à Superioribus prægrauantur, nec aliter fieri aliquando potest nisi appellando: Ergo. Vide Decium, & Panormitanum, *in cap.* Ad nostram, *de appellationibus*, 91 cap. *licet de officio Ordinis*, Nauarrum, *Comment.3. de regular. num 51.* & Suarez *loco citato*, cui non placet aliorum responsio, *ad Cap. Reprehensibilis*, suprà, &c. vbi volunt Religionum statuta prohibere appellationem, dum fit, non excedente modo correctionis; vnde Decius, & Panormitanus, iam allegati, *ad cap. Ad nostram*, concludunt: *à correctione legitima non appellatur, nisi modus excedatur*; vnde iuxta Regulam contrariorum colligunt, legitimè à Religiosis appellationes intentari, si correctionis modus excedatur: Quod si verum esset, arguit Suarez, *num.4.* differentiam nullam esse inter clericum respectu sui Episcopi, & Religiosi in Ordine ad suum Prælatum; cùm ille possit appellare, si excessus correctionis id exigat, hic autem, nequaquam: pro certo autem est, strictiorem esse subiectionem subditi ad Prælatum Religiosum, propter iugem ad perfectionem 92 tendentiam, vel tendendi obligationem, sicut etiam propter vtriusque, vt plurimùm, cohabitationem, vbi, *vrget præsentia Turni*: quàm clerici ad suum Episcopum: Absurdè autem Pontifices particularia statuta condidissent, prohibendo Religiosorum appellationes, si hi non astringerentur ad eorum obseruationem fortiori vinculo, quàm sæculares Clerici ad illa iura, quibus ipsis interdicitur appellatio, non vrgente vllo correctionis excessu.

HÆC sanè mihi non improbantur, nec omnino etiam probantur; primò quidem, cum contra grauem excessum correctionis clamet naturalis defensio, omnibus animalibus, nedum hominibus, altè, & intimè innata; non video cur Clerici, & Religiosi in hoc non sint pares, cum rationalis amborum natura paris sit conditionis.

SECVNDO tamen annuo libenter, Religionum 93 statuta, seu Pontificum indulta non id præcisè intendisse, vt non fieret appellatio, nisi quando in modo correctio excederet, aliàs, vt benè deducit Suarez, *num.4.* cum iam diu hoc ipsis esset tam iure communi, quàm ipsius iustitiæ claro dictamine prohibitum; quisque enim, vel modicè sensatus, nouit, quod vbi legitima sit correctio, ibi illicita sit appellatio.

QVARE arbitror, dicta, siue Pontificum, siue 94 Ordinum statuta propter duo præcipuè fuisse condita: Primum est: quòd cùm facta sint circa tempus, quo ipsi ordines Apostolicis Priuilegiis eximerentur à iurisdictione Episcopali, quæ in appellationibus frequentius poterat pristinum ius resumere, nec deessent Religiosi, qui exteris ægriùs eam exemptionem ferrent, eamque non acceptare, dum à suis Prælatis corrigerentur, appellando attentarent; Visum est Summo Pontifici, & Religionum etiam Prælatis specialia statuta huic libertati opponere; hoc insinuari videtur illis verbis suprà relatis; *Ne Religiosi cùm pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem*

larem Prælati sui, & Capituli disciplinam apppellare præsumant; cùm enim Prælatus, & Capitulum Religionis componant totam disciplinam Regularem, si contra eam quis appellaret, necessariò appellaret extra, quod illicitum esse suprà monstrauimus.

95 NOTA autem ibi, dum dicitur, *nè Religiosi, pro aliquo excessu corrigendi*, non intelligi excessum aliquem à Prælato inter corrigendum admissum, sed culpam subditi, correctioni præsuppositam; nam licèt PRO aliquando significet *iuxta*, vt quando dicitur, aliquem PRO suo Munere causam agere; frequentius tamen, & propriè sumitur pro propositione PROPTER; vt dicantur corrigi propter, non iuxta, excessum; alias valida esset responsio dicentium, nec licitè posse appellari, quando etiam in modo correctionis exceditur.

96 QVIA verò in iure Canonico, Capitulum sumitur pro congregatione omnium fratrum ad aliquid præsidente Prælato statuendum, vel corrigendum; aliquando etiam iuxta communem loquendi modum in variis religionibus sumitur pro loco, in quo solent Religiosi statutis horis coram præfecto locali pro culpis, quas vel ipsi humiliter vltrò fatentur, vel ipse Prælatus eis obiicit, pœnitentias, licet vt plurimum leues, acceptare, & exequi: Hinc secunda expositio mihi non displicet, præfata, saltem Religionum, statuta voluisse, vt fratres sic à Prælatis localibus correcti, iisdem acquiescerent, nec pro leuamine tantillæ pœnitentiæ ad superiores, seu Generales, seu Prouinciales appellarent: Mos enim plurium Religionum est, vt Prælati maiores his capitulis non assistant, nisi rarò; quia ad localem spectat hoc corrigendi munus, à quo solent irreligiosè desciscere nonnulli fratres minus correcti, & ad alios superiores appellant vel ad leuamen impositi grauaminis, vel propter duriorem increpationem, seu ab officio amotionem, qua sibi suadent inter cæteros se famæ iacturam perpessuros, quare in fine dicti capitis, *reprehensibilis*, ponitur: *Sed humiliter, ac deuotè suscipiant, quod pro salute sua fuerit eisdem iniunctum*; hoc enim pietatis, deuotionis, ac humilitatis tribunal est, non rigorosæ iustitiæ; quare non mireris, si vox, *appellare*, ibi, iuxta iuris rigorem non sumatur. Huic expositioni accinit ipse Suarez, *num.* 52.

97 PROBATVR itaque assertio secundò: Ad Prælatum immediatum in omni ordini licitum est recurrere; ergo & appellare: Appellatio enim genus est recursus; sed tam Generalis, quam Prouincialis, siue aliis nominibus, iuxta morem diuersorum ordinum vocati, sunt Prælati immediati, immediatam habentes iurisdictionem, independentem à Prælato locali. Ergo.

PROBATVR tertiò è decreto Sacræ Congreg. anno 1587. quod retuli supra vbi de Reo *disp.* 39. *quæst.* 9. vbi quædam de appellatione obiter discussi. Hoc enim decretum ordinat, vt Regulares possint appellare ab vno Prælato Religionis ad Superiorem proximum, ab hoc ad Generalem, à Generali ad Protectorem Religionis, ab hoc denique ad Sacram Congregationem, apud Sorbum, *in compendio priuil.* verbo *appellare*, & Leaanam, *tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 7. excipitur tamen causa correctionis, in excessum non irrumpentis, vt notat, P. Elizeus, *tract.* 11. *quæst.* 2.

98 QVÆRAS, num licita sit Religioso personalis appellatio iter arripiendo versus Superiorem maiorem absque licentia Prælati localis; verbalis enim appellatio potest fieri, etsi quis in suo conuentu manserit.

RESPONDATVR, si fiat inscio, aut inuito Prælato locali, talem damnari à Concilio Trident. *sess.* 25. *cap.* 4. *de regular.* vbi sic legitur: *nec licet Regularibus à suis conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint, qui verò sine prædicto mandato, in scriptis obtento, inuentus fuerit, ab Ordinariis locorum, tamquam desertor sui instituti puniatur.*

HÆC autem eo vsque vera asserit Suarez, *num.* 55. 99
quicquid in contrarium dicat Nauarrus, *Comment.* 2. *de regularib. num.* 61. vt etiamsi iniustè subditus à suo Superiori grauetur, aut priuatum aliquod damnum inde patiatur, non tamen possit ipso inuito, aut inscio discedere. Ratio est, quia è duobus malis minus debet quisque eligere; sed minus malum est nocumentum priuatum, quod oritur ex iniusto alicuius priuati grauamine; quam publica turbatio, & scandalum, redundans in totam Religionem ex
tali discessu; Quod si mens Concilij esset obli- 100
gare solùm subditos, præciso tali grauamine nil de noua ordinasset; cum hoc iam pridem ordinatum esset variis Religionum statutis, & Pontificum decretis; quare vidit S. Concilium talia grauamina subesse talibus discedendi modis; vidit etiam ius naturale obligare quemque ad sui defensionem; sed vidit, ab alia parte, fortius iuris naturalis vinculum prætendi, vt scilicet tota Religio non subiret scandalum propter vnius incommodum: Hinc licèt quouis casu taliter appellans inueniretur sine mandato Superioris in scriptis, posset in foro Ecclesiæ detineri, &
puniri; quia iudicat iuxta externa, & præsumptio 101
stat pro ipsa contra ita appellantem.

OB has rationes facilè crederem in foro conscientiæ duos tantùm dari casus excusantes à peccato in tali appellatione; Primus est, si commune bonum ob moram, vel retardationem summoperè periclitaretur, vel graui aliquod malum, nulla alia viâ reparabile, timeretur, quod non proprio, sed alieno prudentis iudicio esse dijudicandum monet Suarez, *num.* 15.

SECVNDVS casus est, quando damnum etiam priuatum graue vrget, vt infamiæ, vel mortis, & probabiliter speratur, nullum indè graue scandalum euenturum, vt si cùm socio sit eundum, vbi mos est, vt duo socialiter semper proficiscantur, nec sit periculum incidendi in illos, qui duriùs solent aduenas fra-
tres examinare vsque ad Obedientiæ ostensionem, &c. 102

QVÆRAS secundò, vtrum Religiosus in iudicio conuictus, sed non confessus, possit appellare, & è contra.

RESPONDATVR, confessum, sed non conuictum, appellare non posse, *leg.* 2. *Cod quor. appellationes non recipiuntur*; ratio est, quia ad appellandum, necesse est, vt reus grauetur, cùm appellatio sit in subsidium innocentiæ, ita Glossa, *cap.* Cum special, §. *Porro, de appellat.* Ideò quicumque iniustè grauatur, habet facultatem appellandi, *cap. vt debitus, de appell.* Verùm si sit conuictus, & non confessus, poterit appellare, ita, *leg.* 2. *citata*. De confesso autem intelligitur, cum non posse appellare, si confessio non fuit extorta, si confessus est ad sui de-
fensionem, & similia: Nam Glossa, *Cap. Romana*, 103
§. *cit. V. vel de quo*, tria requirit ad hoc, vt condemnatus nequeat appellare, scilicet vt sit conuictus, confessus, & argumentis superatus; quare si fuit conuictus, & confessus, imò superatus de crimine occulto, ex errore, vel terrore, similibusue motiuis, poterit adhuc habere locum appellandi, vt notat P. Elizæus, *cap.* 2. *cit. num.* 5.

QVÆST.

QVÆSTIO VIII.

Quis sit Iudex à Quo,*&* ad Quem *appelletur.*

104 IVDEX, à quo fit appellatio, debet talis esse, vt reum cœperit grauare; quare siue sit delegatus, siue Ordinarius, modo non sit in ferendo iudicio supremus, ab ipso licitè appellatur; dixi: nisi sit supremus, &c. quia à Summo Pontifice nequidem ad Generale Concilium licèt appellare; vt dictum est, vbi de excom. Bullæ Cœnæ.

VBI autem Iudex tulit sententiam, Interponendo clausulam illam: *omni appellatione remota*, vel aliis terminis æquiualentibus, ab eo nequit fieri appellatio; quia talis sententia remouet omnia impedimenta executionis, nisi in casu aliquo iuris expressa fiat mentio appellationis.

105 SI verò executioni sententia actu mandetur, ab executione non datur appellatio, nisi excedat in exequendo, *Cap. pastoralis*, §. *etsi, de officio iudic. deleg.* & *leg. ab executione, Cod. quorum appellation. &c.*

IVDEX *ad quem*, debet esse proximè superior iudice, à quo appellatur, & sic sit gradatim vsque ad supremum iudicem, vt habetur relato decreto Sacræ Congreg. Quod si aliter fiat, parte aduersa se opponente, appellatio nulla habetur; si tamen ex errore, & bona fide fiat, deuoluitur causa ad Iudicem competentem, *leg.* 1. *ff. de appellat.*

HÆC tamen non intelliguntur de Papa, ad quem sicut & ad eius Legatū, legatione adhuc manente, licitè, intermediis Iudicibus omissis, appellatur, *c. dilecti*, 3. *de appellat.* idem dic si Prælatus medius diu absit, tunc ad alium, eo superiorem, potest causa accelerari.

106 SI Papa aliquem delegauit ad cognitionem particularis causæ, tunc ad ipsum Papam, non ad Legatum eius à latere fit appellatio; idem esto iudicium de omni delegato, à quo ad delegantem fit immediate appellatio.

OFFICIVM autem Iudicis *ad quem* multiplex est. Primò enim inquirere debet, num nil substantiale desit appellationi?

SVBSTANTIALIA autem, ad appellationem legitimam requisita, sunt primò expressio nominis partis appellantis, sicut & iudicis, *à quo*; hoc tamé tantùm congruum est; deinde mentio loci, & temporis, quo facta fuit appellatio, vt sciatur, num debito tempore, &c. Deinde vt scripturæ mandetur, nisi fiat in continenti; si tamen eius sufficiens probatio aliundè possit haberi, potest omitti.

TERTIO debet causa exprimi, nisi in sententia definitiua, in qua sufficit intimare, se ab iniusta causa appellare, Vide Bictum, *quæst.* 146. *num.* 17. *& seq.*

107 DEBET etiam appellans Apostolos, seu litteras nunciatorias petere à Iudice, *à quo*, quibus significet se detulisse appellationi; harum autem litterarum variæ sunt species; aliæ enim sunt Testimoniales, quibus appellans, absente suo Iudice, coram probis, & fide dignis viris attestatur dictam appellationem: Aliæ sunt Reuerentiales quibus testatur index, *à quo*, se ob reuerentiam iudicis, *ad quem*, appellationem non distulisse, nec impediuisse; Aliæ denique sunt Refutatoriæ, quibus tamquam leuis, & friuola, appellatio retunditur. his visis.

SECVNDO Iudex, *ad quem* debet diligenter examinare iustitiam appellationis, num in ea fuerit grauamen rei, num causa deserta, &c.

TERTIO quicquid à Iudice, *à quo* actitatum est,
108 ad se curet transferri, nisi nil ad causæ declarationem, vel cognitionem referant *cap. Exhibita, de iudiciis*; debet autem diligenter inspicere, quæcumque in Reum statuta sunt, & quantum fieri potest, consulere famæ Iudicis *à quo*. Alia plura vide apud Bictum locis citatis, Elizæum, *tract.* 51. per totum, Farin. *tract. de Iudice, quæst.* 5. *& seqq.* & alios apud istos.

QVÆSTIO IX.

An Prælatus Regularis possit dispensare cum suo subdito, Quis, & in quibus.

HANC in Prælatis potestatem existere supponit 109
potius, quàm probet Seraphicus Doctor, *exposit. in Eccl. fol.* 314. *col.* 2. Ratio est, quia Prælati Religiosi in Ordinibus exemptis, succedunt Episcopis; vnde dicuntur habere potestatem, quasi Episcopalem; vt suprà visum est, *quæst.* 2. Episcopi autem in multis dispensare possunt cum suis subditis: Ergo.

PRÆTEREA exigit vrgens necessitas Fratrum, vt cum ipsis aliquando in nonnullis dispensetur; durum autem esset ad Pontificem semper recurrere, vel ad alios ab ipso delegatos; cum interim possit publica, vel priuata alicuius salus periclitari.

TANDEM Ius commune concedit Maioribus Prælatis, habentibus ordinariam Iurisdictionem vt possint prospicere subditorum saluti per omnia; quod fieri nequit nisi habeant dispensandi potestaté; cuius actus spectat ad iurisdictionem ordinariam in Episcopis, vel in habentibus potestatem quasi Episcopalem.

RESTAT igitur videndum in quibus possint dis- 110
pensare; Certum enim est non concedi Regularibus Prælatis dispensandi in omnibus potestatem; cùm nec Episcopi eam habeant; sunt enim plura Summo Pontifici reseruata; quæ verò non reseruantur, sed iure communi relinquuntur dispositioni Episcoporum; indubitatum est, ea etiam Prælatis Regularium relinqui pro sibi subditis.

QVARE solùm dubitari potest de quatuor, in quibus valeat dispensatio in Regularis, vt notat Suarez, *tomo* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 20. Hæc sunt Vota, Irregularitates, præcepta Ecclesiæ, & Regulæ obseruantia.

QVOAD Vota, si sint Religioni essentialia, in 111
eis solus Papa dispensare potest, vt diximus suprà de votis cum D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 38. *art.* 2. *quæst.* Si verò facta sunt in ipsa Religione, potest ea Prælatus irritate potestate dominatiua, vel commutare; aut dispensare potestate Iurisdictionis, vt docet Suarez suprà.

QVOAD Irregularitates, sicut ordinariè à Summo Pontifice ponuntur, ita & tolluntur; cùm tamen nonnullæ sint in iure communi, in quas potestatem habent Episcopi, dicendum in easdem posse Prælatos Regulares, quoad suos subditos. Dixi in iure communi, quia si aliqua speciali irregularitatum aliquarum dispensatio Episcopis conceditur, Regularibus probabilius negatur apud Suarez, *n.* 11. Quare arbitratur, irre- 112
gularitates è crimine occulto contractas, quarum dispensatio in Concil. Trid. *sess.* 14. Episcopis datur, aliis Prælatis dispensandas non dari; affertque In specialis huius concessionis fidem, declarationem quamdam sacræ Congreg. his verbis: *In hoc decreto* (Scilicet Tridentini) *non comprehenduntur inferiores, habentes iurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem, sed tantùm Episcopi, priuatiuè quo ad omnes alios.*

QVAM OB REM absonum non arbitratur Suarez, 113
num. 12. vt Religiosi, licèt exempti, ad Episcopos recurrant pro absolutione talium Irregularitatum, cùm ab his per suos nequeant absolui; quia actus dispensandi factus est à Concilio proprius Episcopi; quare non implicat, eos habere in hoc casu iurisdictionem, licet eam non habeant in aliis, sicut possunt Religiosi Indulgentiæ Episcopalis participes esse, quia est in fauorem, sicut & casus ille, de quo loquimur.

Qvod si potestas in hac irregularitate dispensandi sit priuilegio, vel delegatione concessa ipsis Prælatis Regularibus, poterunt prohibere subditos, ne ad alios pro absolutione recurrant; cum habeat Prælatus potestatem, vt nullus se intromittat ad suos subditos in his, quæ ipse potest præstare; aliàs enim Regularis obseruantia, & pax facilè perturbaretur; vt habet Suarez, *cit. cap.* 15. *num.* 15. Non desunt tamen, qui opinantur quicquid Prælatis Episcopalibus conceditur ad bonum regimen animarum, id ipsum ob rationis, & oneris paritatem, Regularibus non denegari, vt notat Suarez, & meritò concedit, *num.* 54. Secus autem erit, si propter maiorem authoritatem, vel grauitatem, Episcopis conciliandam, ipsis tales concessiones fiant; nam cùm inter sæculares tudes frequenter versentur, qui fidei Mysteria maior Religionis orthodoxæ Maiestatem parum venerantur; necesse aliquando habent specialia indulta obtinere, quibus authoritatem suam, maiori splendore, & augustiori veneratione suffultam, populo obtendant.

115 Idem esto iudicium de dispensatione in præceptis Ecclesiæ, ac in suprà dictis. Communis enim Regula est: Quidquid Episcopis Iure communi conceditur in animarum salutem, id Prælatis, Episcopalem quasi potestatem obtinentibus, non negari. Nam cùm in obseruatione Ieiunij, in auditione Missæ die festo, in recitatione officij, & similibus præceptis Ecclesiasticis frequenter occurrentibus, & non raro dispensatione indigentibus, non possit facilè haberi recursus ad Summum Pontificem, nec ad ipsos etiam Episcopos, etiamsi Religio non esset exempta; moralis benè gubernandi necessitas exigit, vt penes Prælatos Ordinum, ad nutum haberi solitos, cùm in conuentibus suis iugiter residerant, hæc potestas relinquatur.

116 Qvæ autem speciali iure Episcopis indulgentur, magis ad Ordinis functionem, quàm ad iurisdictionis exercitium spectantia, Regularibus Prælatis non censentur permissa; ad quid enim seruiret tale indultum? nisi forte dicti Prælati tales essent, vt Ordines minores conferre possent ex priuilegio.

117 Hinc proponit dubium Suarez, an illa specialis Concessio, facta Episcopis à Concilio Trid. *sess.* 22. & 23. de promouendo ordinato ad altiorem ordinem ante annum, à quo priorem susceperit, sit etiam facta Ordinariis Regularibus, ita vt dimissoriis suis litteris valeant suos Religiosos ante annum à suscepto ordine mittere ad Episcopum, vt nouos ordines recipiant, refenque declarationem Cardinalium in dictam, *sess.* 23. habitam apud Marzillam, *lib.* 3. *tit.* 53. *cap.* 9. his verbis: *non potest Episcopus, ad quem dimissus est ordinatus, hoc iudicium ferre*: Ergo spectat ad Episcopum, à quo dimittitur; talis autem est quicumque Ordinarius, vt patet ex alia particula eiusdem declarationis Cardinalium, *in cap.* 13. his terminis apud Suarez, num. 82. *ob eminentiam Doctrinæ, & bonum testimonium, & de consensu ordinarij, Summus Pontifex concedit, vt breuiori temmpore, &c.* quare eum nomine Ordinarij veniat Generalis, seu Prouincialis; ad hos spectabit dimissorias litteras ordinandis concedere, non autem ad ordinantem Episcopum.

118 Confirmatvr quia concilium illam promotionem ante finitum annum concedit ob necessitatem, vel vtilitatem Ecclesiæ, in qua Ordinandus militat; sed huius vtilitatis, vel necessitatis iudicium stat penes Ordinandi Prælatum; ergo etiam stat penes ipsum date dictas litteras.

Concludit tamen Suarez, his non obstantibus, cùm tota rei executio pendeat ab Episcopo ordinante, qui potestates dimissorias refutare, licèt ipsarum validitas ab Ordinario magis pendeat; & reuera vsus obtinuit, vt vtroque, Ordinario scilicet & Ordinante, concurrente, illa præfata promotio effectum sortiatur; ille quidem sufficientis litteraturæ, & vitæ probatis testimonium dat, simulque necessitatem, & vtilitatem Ecclesiæ intimat, hic autem, id acceptans, in interstitiis dispensare solet simplici voluntatis suæ declaratione, quam vt plurimum saltem in Gallia præstat per suum Vicarium, ordinandorum examini præsidentem.

Denique quoad Regularem Obseruantiam: 119
Multa sunt, quæ ad ipsam conducunt. Quædam genericè, & essentialiter; quædam specificè, & quædam etiam contingenter: Genericè, & essentialiter ad Regularem obseruantiam conducunt tria vota substantialia, in omni Religione emissa, sine quibus ipsa Religio stare nequit, vt dictum est supra, vbi de statu Religioso: In his autem nulli insta Summum Pontificem dispensare conceditur, vt iam suprà propriè initium huius quæstionis assertum est; patetque è Concilio Trident. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 1. vti & ex communi omnium Ordinum Consuetudine; nonnunquam enim adhuc visum est, Religionum Prælatos hanc sibi potestatem vsurpasse, & meritò, cum sit in omnimodam ruinam.

Specifice ad statum, seu obseruantiam Regularem faciunt, vltra tria vota, omnibus Religiosis communia, quædam vota particularia, quæ sunt velut differentiæ specificæ talis Religionis, vt in Iesuitis obedire Summo Pontifici, in suscipiendis missionibus: in Minimis non vesci carnibus, &c. 120

In his etiam non posse Prælatum Regularem dispensare, certum est; licèt possit in aliquo euentu declarare cessationem obligationis in vno aut altero actu.

Potest primò, quia vota illa componunt Ordinem specialem Regularis obseruantiæ intra talem statum; quem nullus Prælatus potest immutare, eò præcipuè, quod dependeat à statutis in Capitulis Generalibus, quæ sunt supra particulares Præfectos, non potentes in lege superioris dispensare; adde talia statuta, à Summo Pontifice approbata, in leges ab ipso conditas transire.

Dixi licèt possit in aliquo euentu, &c. vbi enim 121
subditi scrupulis diuexantur dubij, num sibi liceat, occurrente aliqua speciali causâ, aliquid agere contra talia vota; potest interuenire authoritas superioris ad amouendos scrupulos, declarando licèt per modum concessionis, ipsos posse in tali casu operari, vt constat ex indulto Pij II. dato fratribus Minoribus apud Suarez, *num.* 46. his verbis: *Prælati possint annuere, seu dispensare cum subditis debilibus, & infirmis, quæ non sunt contraria Regulæ.*

Vbi aduerte, quæ in genere, vel pro tota Religione 122
substantialia sunt, cessare pro particularibus in eodem genere obligationis vnde licèt in nostra Regula pro vniuerso ordine statutum sit, vt nudis pedibus, solum Sandaliis induti, incedamus; tamen ipsa Regula declarat, aliquibus in particulari propter eorum necessitatem eam obligationem non incumbere; vnde subdit Pontifex, postquàm dixerat, *cum subditis debilibus, &c. quæ non sunt contra Regulam*, nimirum quia ipsa indulget infirmis, vt quæ ad eorum solatium necessaria sunt, insumere possint.

Nec obstat, Pontificem vti voce, *dispensare*, quia 123
hoc non est ius relaxare, sed declarare iuxta probabiliorem opinionem, quam docet S. Bonauent. *in* 4. *dist.* 38. *art.* 2. *quæst.* 3. & quam nos hîc sustinuimus, *tract. de voto, disp.* 1. *quæst.* 29. vbi etiam ostendimus hoc ius sic dispensandi conuenire Prælatis habentibus potestatem quasi Episcopalem: Aduertendum tamen est vota subditorum esse duplicis generis; Quædam enim sunt quæ quisque in Religione iam professus emittit maioris deuotionis, & pietatis causâ, & hæc Prælatus potest irritare, commutare, vel dispensare, pro vt ipsi melius videtur; etiamsi eum ipsius

ipsius licentia sint emissa, vt dominus, *disp. cit. de voto*, suprà; non enim emissione voti eximitur
114 voluntas subditi à potestate Prælati, cui voti dispensatio magis ad Religiosi salutem conducere videri
115 possit, quàm ipsius obseruatio.

QVÆDAM etiam vota emittuntur à subditis, quæ ex Religionis statuto ad talem statum pertinent, vt suprà innuimus. Et hæc quidem pro tota Religione dispensare non est Prælati Regularis, sed Summi Pontificis, vt probatum est: pro vno tamen, aut altero casu secus fieri potest, vt dictum est.

NEQVE dices: Ad quid ergò tot Pontificum indulta, etiam pro vno, aut altero casu Prælatis concedentia facultatem dispensandi, vt in singulis Religionibus experientiâ constat?

116 RESPONDET enim Suarez, *cap. 12. num. 26.* iure quidem hanc facultatem prælationi esse annexam; cùm tamen possit ipse Prælatus scrupulis angi, vtrum ea sit subditi maior, vel minor necessitas, & vtrum talis sit rei, dispensationem exigentis, circumstantia, vt possit concedi, necesse esse vt Supremi Prælati authoritas interueniat ad hanc anxietatem remouendam & ad talem rei circumstantiam approbandam, vt facilius, expeditiùs, & securiùs dispensetur; nam declaratio iuris, vt ab eius obseruantia aliquis eximatur, non ob docti viri, multò minùs ambigentis, iudicium sufficit, sed requiritur authoritatiua Prælati, ad id potestatem habentis, definitio, vt ex mente S. Doctoris docui, vbi suprà de voto.

117 VLTIMO loco Quædam ad obseruantiam Regularem faciunt iuxta cuiusque Religionis ordinationem, in Capitulis Prouincialibus, vel alijs factam, vel laudabili consuetudine introductam; vt cellæ ostiolum claui non obserare, silentium statutis horis obseruare, alterius cubiculum non intrare, & similia: in his autem propriè non dispensatur, sed petita licentia conceditur; cùm enim huiusmodi ordinationes sint tantùm vel directiuæ, vel solùm pœnales ad arbitrium Superioris, non obligantes, vt plurimùm, ad peccatum, nisi per accidens, non requiritur dispensatio, quæ est propria iuris obligantis.

128 DEINDE hæc simpliciter non præcipiuntur, sed vt fiant debito modo, cum licentia scilicet Superioris: ergo hæc sufficit, tamquam conditio, meriti materiam afficiens; vnde licet absque causa, vel saltim ad animi oblectationem, vel ad socij petitionem subditus petat in his licentiam, licitè, & validè ea vtitur, quod tamen in dispensatione non admittitur: Nec debet Prælatus in his nimis esse seuerus, saltim si prauam aliquam consuetudinem inde progignendam non suspicetur; assueta enim Prælati austeritas in horum, vel similium licentiis concedendis, efficit, vt furtim contra eas actitandi occasiones arripiantur, prauique mores inde irrepunt; vnde toruo nimis supercilio, æquo rigidiores Prælati eis aditum præcludere frustra sæpè moliuntur.

129 QVOAD Prælatos, qui has dispensationes, vel licentias concedere possunt, vtrum scilicet sint Locales, Prouinciales, vel Generales, Ius commune nihil determinauit; quod cùm de solis Episcopis, vel Abbatibus loquatur, qui abbates licèt essent conuentuales Præfecti, tamen toti suo ordini singulus præficiebantur; non possumus de Prælatis Regularibus aliter argumentari, quam iuxta consequentias, ab istorum potestate deriuatas; Religiosi enim Prælati, si exempti, in illorum loca quoad subditorum gubernationem successere, vt non semel alibi in hac disputatione tetigi.

130 CVM tamen singula Religio sibi ordinem inter Prælatos præstituit, vt dixi, *quæst. 3.* ille ordo, eiusque praxis seruanda est; tradit tamen Suares Regulam generalem huiusce praxis, scilicet, vt quilibet Prælatus in his possit dispensare, quæ vel iure, vel ipsius Regula, dispensanda ei conceduntur; eamque tradi docet ab Innoc. *in cap. 2.* de eo, qui furt. Ord. suscepit, & communiter Doctorum approbatione firmari, vt patet è Syluestro, & Angelo, *V. dispensatio*, & aliis, *in cap. at si Clerici, §. de adulteriis in iudic.*

CVM autem in Regulis, & Constitutionibus Religionum quædam reseruari soleant Ministro Generali, quædam etiam Prouinciali; ea censentur inferioribus Prælatis permissa, quæ non inueniuntur eis prohibita, aut superioribus specialiter reseruata: Excipe Societatem Iesu è Bulla Greg. XIII. apud Suarez, *num. 15.* vbi docet, quicquid Prælatis huius Societatis non est specialiter concessum, censeri prohibitum. 131

DENIQVE quoad personas, quibus dispensatio est impertienda, necesse est, vt sint aliquo iure subditæ dispensanti; quæ sunt in triplici differentia: Vel enim sunt ipsi Prælati medij, & infimi; vel subditi professi, quorum priuilegiis, & exemptione in multis gaudent Nouitij; vel denique sunt sæculares, domesticè Regularibus seruientes.

PRÆLATVM infimum ad proximum superiorem pro dispensatione recurrere in his, quæ ipsi sunt prohibita, vel ad supremum Religionis Superiorem, si ei sint specialiter reseruata, communis praxis edocet. 132

IDEM dic de Prælato etiam intermedio respectu supremi; hic autem secum per se ipsum dispensare potest: Hunc enim creditur Pontificis intentum, à quo iurisdictionem obtinet, aliàs non satis Religioni in suo capite prouideretur, vt arguit Suarez, *cap. 14. num. 5.*

PROPRIE autem subditi sunt propria materia, in quam cadit dispensatio; vnde à suis Prælatis, quibus actu sunt subiecti, dispensandi sunt, non enim potest prælatus localis vnius conuentus dispensare cum subditis alterius; aliàs non rectè esset institutus ordo Prælaturæ in districtis locis.

HINC Religiosi illi, qui iuxta particularis sui ordinis Statuta, constitutiones, vel Consuetudines, subduntur Prælatis locorum, per quæ transeunt; non ab aliis, quam ab his dispensationes, aut licentias exquirunt. Nam cùm hi sint pro eo tempore Prælati illorum, qui apud nos vulgò *Forestieri* nuncupantur, non possunt simul Prælatis propriæ residentiæ in actus alicuius executione subijci; aliàs confusio, & contradictio è diuersis vtriusque Prælati voluntatibus, seu mandatis nasceretur, ad quam tollendam 133
ostendit Seraphicus Doctor, *in 4. dist. 19. art. 3. quæst. 1. fundam. vlt.* Deum executioni iurisdictionis 134
prouidisse per singularem vnius Prælationem, sic per vnum Parochum omnes vnius Parochiæ, per vnum Episcopum omnes vnius diœcesis, &c. gubernantur, vt à me ostensum est, *tomo 4. de Actib. hum. disp. 17. quæst. 14.* vbi etiam ostendi, Guardianum itineris, seu loci, per quem transitur, præcipientem Peregrino fratri, posse obligare, vt pro Conuentus sui eleemosynis Missas applicet, licèt oppositum prius præceperit Guardianus residentiæ talis Religiosi; nostræ enim Constitutiones nos subdunt, ex itineris causâ, Prælatis conuentuum, per quos transimus.

QVOD si tamen fieri possit, vt à proprio Prælato dispensatio, eam differendo, petatur, nec tangat eius executio Prælatum loci itineris; ad pacis, & ordinis conseruationem, meliùs expedit, vt differatur.

NEC obstat nuper dictis, quod Sacra Cardinal. Congregatio, de Clericis forensibus declarauerit, eos Prælatis, sub quibus in itinere transeunt, non subijci quoad dispensationem, vt habet Suarez, *cap. cit. num. 1.* in fine, propter quam authoritatem; idem infert de Religiosis, non videns contrarium specialibus statutis Religionum ob strictiorem disciplinam seruari: vbi autem est specialis Constitutio, contra ipsam non mili- 135

tat altorum exemplum; aliàs non esset ratio, cur specialis esset.

136 Porro dixi suprà, Nouitios in multis gaudere professorum Priuilegiis, & exemptione; quia non in omnibus possunt Prælati erga illos æquè ac erga professos se habere; vnde non possunt eis eas dispensationes impertiri, quæ perpetuò sunt in effectibus duraturæ, sicut dispensare in interstitiis, irregularitabus, &c. vt ad ordines promoueantur; nisi habeant speciale ad id Priuilegium; patet, quia potestas dispensandi cum subditis professis ideò Prælatis prudenter creditor collata, quia quantum ex se est, perpetuò illis subjciuntor; Nouitij autem status mobilis & incertus est, vt benè ostendit Suarez, *loco citato*.

137 Tandem qooad personas, laicas vel sæculares, ministrantes in conuentibus Regularium, horum Priuilegiis non sunt eximendi à potestate Episcoporum, nisi in eis speciali titulo exprimantur; vt videtur in Indulto Eugenij IV. pro Monachis S. Hierooymi, quod per communicationem ad alios extenditur; vbi localibus Prælatis datot facultas dispensandi cum sæcularibus, domesticè seruientibus, vt possint à ieiunio Ecclesiastico eximi, & carnibus, vrgente necessitate, vesci, &c. pro quibus consule Compendia Priuilegiorum Societatis, V. *dispensatio*.

QVÆSTIO X.

Quam potestatem habeat Prælatus Regularis ad soluendum, tam à culpis, quam à pœnis.

138 CVM tractaturus de Ministro Sacramenti Pœnitentiæ 3. *parte, tract. de hoc Sacramento*, dicturus sim de his, qui possunt absoluere à casibus reseruatis, censuris, & culpis, pauca hîc restant discutienda, præter principia quædam generalia, vnde facile quis inferre possit, quicquid in particulari sit asserendum.

Primò itàque indubitatum est, omnem Prælatum ordinarium habere facultatem absoluendi ab illis pœnis, & culpis, quæ ipsi speciali prohibitione non interdicuntur; cum autem Prælato illi Religionis, de quibus quæstionibus præcedentibus, sint Ordinarij, non est ipsis neganda hæc potestas.

139 Secundò certum est per idem principium, hanc potestatem posse alteri delegari; hoc enim ad iurisdictionem ordinariam semper consequitur. Imo tenet Suarez, *cap. 15. num. 4.* vsusque obtinet, vt obligetur Prælatos ad hanc iurisdictionis delegationem; cùm enim teneatur omni meliori modo subditorum saluti prospicere; & potestatis delegatio ad id sit medium aptissimum, & non rarò necessarium, non à culpa vacaret, si sibi soli omnium confessiones reseruaret, eòque magis, quod cùm potestate vindicatiua, vel dominatiua possit coniungere notitiam in confessione habitam; inde varia scandala nascerentur, & subditi à Sacramento auerterentur.

140 Hinc Clemens VIII. in decreto, *de reseruat. casuum*, pro Regularibus relato apud Suarez, *loco citato*, sic statuit: *non liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint: aut ipsimet subditi sponte, aut proprio motu id ab eis petierint.* Vnde solent Prælati in quolibet conuentu deputare plures ad fratrum confessiones excipiendas, quorum quemvis poterit subditus sibi in confessarium eligere, vt liberiùs possit vacare suæ saluti. Hic tamen confessarius, sic deputatus permanenter à Prouinciali, vel alio Prælato, non obtinet iurisdictionem ordinariam, cùm eam alteri subdelegare nequeat.

141 Dubitatur autem, an habens iurisdictionem, delegatam à Pontifice, possit impediri, quo minùs confessionem Religiosi alterius ordinis excipiat: Respondetur, talem Religiosum ex parte sui Prælati non posse impediri, posse tamen ex parte Prælati illius, qui velit confiteri; cùm enim ea potestas intelligitur data suprà materiam debitam, & Prælatus reddat suum subditum incapacem passiuæ absolutionis, non poterit tunc confiteri, nec propterea confessarius iurisdictionem aliquam in ipsum exercere: si tamen Pontifex expresse ita indulgeret, vt liceret, etiam Prælatis pœnitentium contradicentibus, tunc indultum eo sensu teneret; vsque tamen dum suam mentem ita, vel simili modo exprimat, præsumitur aliter voluisse.

142 Confirmatur è declaratione Innoc. IV. facta ordini Prædicatorum, & habita *in supplem. Minorum*, & *in Compedio Societatis*, verbo, *Confessarius*, §. 5. vbi habetur, vt fratres Prædicatores obtinentes à Summo Pontifice facultatem, vt generaliter confessiones audiant, non posse tamen Religiosorum confessiones accipere, nisi hi à suis Prælatis ad id licentiam obtineant: similis concessio, facta Minoribus, & Carmelitis recensetur apud Roderiquez, *tomo 1. quæst. 62. art. 4.* & plura alia indulta commemorat Suarez, *lib. 2. tomo 4. de Relig. cap. 16. num. 15.* vsus etiam omnium fere Religionum id ipsum confirmat, qui, dum à Pontifice scitur, nec improbetur, declarat eius mentem fuisse iuxta iam dicta.

143 Hinc infert, Religiosum peregrinantem, & hospitio exceptum in conuentu alterius ordinis, non debere ibi confiteri; idque specialiter quælibet fere Religio pro suis subditis statuit; nisi grauis confitendi necessitas, vel scandalum ex omissione confessionis instet.

144 Quæras, num Prælatis Regularibus liceat casuum reseruatio.

Indubitata omnium assertio est eam licere: patet ex omnium Religionum praxi; patet insuper è Concilio Trident. *sess. 14. cap. 7.* vbi licet sermo sit de supremo Pontifice, & Episcopis, intelligit tamen omnes alios, qui quasi Episcopalem habent Iurisdictionem; cùm non à charactere Episcopi huiusmodi potestas pendeat, nec eius soli dignitati concedatur, sed commodæ, & efficaciori subditorum gubernationi; quæ cùm potiori ratione inueniatur in Prælatis Regularibus propter summam ad perfectiuoem condocendi necessitudinem, non est ipsis hoc medium à peccato auertendi denegandum.

145 Præterea probatur ex tot Religionum Regulis, quas Summi Pontifices approbarunt; sic Honorius III. approbauit Regulam, in qua cap. 5. legitur: *Si qui fratrum instigante inimico mortaliter peccauerint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, vt recurratur ad solos Ministros Prouinciales, teneantur prædicti fratres ad eos recurrere, &c.* vbi sermo est de notoriis, vt notat S. Doctor, In Regulam, *cap. 7.* vide Monumenta ordinum, *concess. 66.* vti & supplementum Minorum cum decreto Clementis VIII. *de casibus reseruatis Regularibus*, specialiter ordinaote, vt dicam aptiùs, & fusiùs, 3. *parte, tractat. de Sacramento Pœnitent.* vbi de casibus reseruatis. Hic solùm notandùm est è communi sententia, vt peccatum aliquod reseruetur, debere esse mortale, & opere completum.

M

Ne autem casuum reseruatio nimis frequens, & moltiplex, tandem eò quòd onerosa sit, odiosa pariter fiat, facta est Sacræ Congreg. declaratio, anno 1601. 9. Ianuarij, qua locorum Ordinarij (sub quibus etiam intellige ob rationis paritatem Regularium Prælatos) monentur, vt quàm paucos possint, iuxta subditorum, & locorum veram exigentiam, casus sibi reseruent.

146 Ordinariis verò Regularium dicto Clementis VIII. decreto iniungitur, vt vndecim casus, Inibi memoratos, vel quos illorum maluerint, tantùm reseruent; possunt tamen aliquod aliud peccatum, de nouo emergens reseruare, modò pro Prouincia fiat in Capitulo Prouinciali, vel in Generali pro toto Ordine.

Apud nos autem Consensus totius Capituli Generalis Romæ celebrato, anno 1613. omnes dicti vndecim casus reseruantur, quos expendam, *loco citato.*

147 A his illius est absoluere, cuius est reseruare, ideò enim reseruantur, vt recursus fiat ad Prælatum reseruantem, & sic frænum strictius peccandi prauæ propensioni inijciatur; Quod si ille potestatem ab his absoluendi delegauerit, vel aliquos confessarios iuxta decretum Clementis VIII. suprà relatum, tam ad culpas, quàm ad casus reseruatos deputauerit; vt iam plerumque est in vsu; casus videntur talibus confessariis reseruari, cùm in illos lapsi non teneantur Superiorem adire, dum ab illo deputatus datà fuerit potestate functus: Inspicienda tamen est in his, & similibus, praxis, & ordinatio cuiusque Religionis; num scilicet cum aliquo onere à confessario, vel ipsius pœnitente præstando, fuerit concessa potestas? num cum onere se, vel pœnitentem præsentandi Superiori reseruanti? &c. quæ pro cuiusque Religionis more sunt obseruanda: Et hæc breuiter dicta sint de priori parte quæstionis, pro vt huius loci interest.

148 Secunda pars quæstionis, an Prælati etiam à censuris valeant absoluere, iuxta suprà dicta ferè deciditur: censuræ enim ab iisdem soluuntur, à quibus feruntur, vnde cum ferre censuras necessarium sit ad officium Ordinarij ritè exequendum, & ad Regularem aliquam obseruantiam; illas etiam tollere sæpe eidem expedit; quare sine censura sit lata ab homine, vel à iure, per sententiam particularem, vel vniuersalem, poterit Regularis Prælatus ab illa absoluere, nisi sit reseruata Prælato superiori, in cuius speciales reseruationes nihil potest inferior, licèt à contrà possit ille tollere censuras ab inferiori positas.

149 Si tamen Episcopus in casu sibi licito ferat censuras in Religiosum, sicut ferre posse definit Concilium Trident. *sess. 25. cap. 13. de Regular.* nunc ab ipso Episcopo, vel ab illo, quem delegauerit, sunt tollendæ iuxta Regulam vniuersalem iam traditam: ridiculum enim esset, & contra concilij intentum, vt possit Prælatus Regularis, quam posuerat Episcopus censuram, ad libitum ipso inuito tollere; nec contra facit exemptio, quæ pro tali casu cessat. In qua re solùm considerare licet Authoritatem Pontificis, qui sicut omnino potuit

150 Regularibus exemptionem elargiri, ita & pro nonnullis eis subiectionem mandare, vt videre est in variis decretis Concilij Trid. de Regularibus, vbi insinuatur Episcopos non agere præcisè vt Ordinarios in censuris, contra Religiosos ferendis; sed vt habentes potestatem à Pontifice delegatam; quod maioris vinculi obligationem obstendit, ob maioritatem iurisdictionis, vt pote Pontificiæ, vt notat Suarez citatus, *cap. 20. num. 4.* vbi obiter aduertit ex Priuilegio Nicolai IV. relato, *in Compendio Societatis*, verbo, *excommunicatio*, §. 3. censuras quascumque ab Episcopis in Religiosos latas non valere, nisi nominatim fuerint expressi: sic enim habetur, *Nicolaus IV. noluit fratres ligari aliqua sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti, hominis, nisi nominatim fieret mentio, nec sufficeret, si diceres in sententia generali, vt perindè valeant, ac si essent nominati expressè.* Vnde infert Suarez, *num. 5.* non sufficere vt conuentus, vel Religio talis nominetur; cum enim loquatur de fratribus, subdatque, *nominatim*, &c. requiritur vt hi in particulari significentur; aliàs Priuilegium ad parum seruiret.

Habent prætereà Regulares plura Priuilegia 151
absoluendi à censuris, in iure reseruatis Episcopo, quæ videre licet apud compendiorum compilatores: Quo autem ordine, aut in quas personas Priuilegiatam iurisdictionem exercere valeant, melius constat ex indultorum tenore, & è Religionum praxi, quam iuridica aliqua demonstratione, præsertim cum de hac materia Ius commune nil expresserit, sed semper de cæteris Prælatis nomine Abbatis intelligitur, quorum Priuilegia alia sunt concessa ipsis locis, in quibus resident, quare nequeunt trahi ad aliàs domus, esto eiusdem instituti; quia Priuilegia tantùm valent, 152
quantum sonant; Alia autem sunt personalia, data ipsis Prælatis immediatè; quod si fiat mentio de Prælato simpliciter, intelligitur facta de quocumque habente Ordinariam iurisdictionem, cum is sit verè Prælatus; quodipsum à fortiori tenet, si in plurali sermo sit de Prælatis; quia sic ad Conuentuales, Prouinciales, &c. extenditur. Vide de his Suarez latè disserentem, *Cap. 12.* vbi suprà.

QVÆSTIO XI.

An habeat Prælatus Regularis Potestatem administrandi temporalia, & quam.

D. Bonauent. in Apologia Paup. resp. 4. cap. 2.

CVm res temporales sint in adminicula, & le- 153
uamina necessitatum, quas humanum genus ex conditione suæ constitutionis in via patitur, quantumvis Regularis persona à rerum sæcularium cura, & contrectatione abstineat, necesse est, vt his communitas subsistat, earumque dominium, vel saltem vsum obtineat. Verùm cùm si toti communitati administratio temporalium incumberet, inde perturbationes, suspiciones, aliaque incommoda nascerentur; non abs re in Ordine Monachali totum hoc onus ius canonicum in Abbates olim transtulit; & in Ordine nunc Religioso specialia cuiusque statuta idem præstitere, respectu Prælatorum Regularium.

Assero igitur, conuenientissimum esse hunc 154
administrandi modum, iure antiquo Abbatibus concessum, vt penes ipsus tota rerum temporalium dispensatio maneret. Hoc luculentissimis scripturarum testimoniis consequenter probat Seraphicus Doctor, toto libro *de Paupert. Christi*; vbi vtramque bonorum abrenunciationem, communem, & propriam, approbat, licèt hanc illa perfectiorem asserat: ipsum vide. Quare supposita hac renunciatione, & posita viuendi communitate, necesse est vt pènes aliquem sit Potestas ministrandi; hoc autem conuenientius nequit esse, quàm penes Abbatem, seu Communitatis Patrem, tum quia hæc ministratio est potestatis dominatiuæ, quæ in ipso resi-

155 dent ; tum quia decens est , vt cui subiiciuntur personæ , subdita sint etiam personarum bona , quia accessorium sequitur naturam principalis. Adde congruitatem, vt potestas dominij , & iurisdictionis in vno vniantur ; vnde expeditior erit modus gubernandi, si temporalia , & spiritualia ab vno dependeant, quam si à diuersis ; præsertim si priora bona sint immediatè ordinata ad spiritualem profectum ; vt in Monachis contingit, qui quantum necesse est ad vitæ sustentationem , vel ad officiorum executionem de temporalibus possunt insumere.

156 PROBATVR secundò à S. Doctore exemplo ipsius Christi , qui voluit, dum Collegio Apostolico præesset , vt ipse illis etiam temporalia ministraret; ad quem finem loculos per Iudam portari curauit, propter tres causas , ,vt notat, S. Doctoe , *loco citato*, Prima est ad indigentiam pauperum , ostiatim mendicantium,supplendam. Secunda est ad infirmis compatiendum. Tertia erat,ad his, qui cum ipso erant in comitatu, ministrandum , cui adde ad leuandam etiam extremam necessitatem , quæ potuit imminere , dum tempore persecutionis alienigenarum terras pertransiret ; vnde Samaritanos aditurus , quos præuidebat nihil ipsi ministraturos , loculos parari fecerat, vt notat S. Bonauent. *loco citato*. Quare in imitationem huius ministerij temporalis , quod Christus exercere non est dedignatus , dum esset in Comitatu Apostolorum , vt patet Ioan. 13. & notat D. Bonauent. in Regulam ibi , existimarunt discipuli, dum diceret Iudæ: *quod facis, facitiùs,quod quia loculos*
157 *haberet Iudas , dixisset ei Iesus , eme ea, quæ opus sunt, &c.* Hinc Regularium Prælati bona temporalia suis subditis ministranda assumunt ; vt aduertit etiam Suarez , *cap.26.* ita vt si paupertas sit solùm in particulari , proprietas maneat apud Communitatem, vsus verò penes Prælatum ; si verò sit etiam in communi , vt in fratribus Minoribus , nudum pariter ministrandi vsum habeant Prælati , non dependenter à Communitate , penes quam nullius rei est proprietas , sed dependenter à Summo Pontifice , vel ab vno ex Eminentissimis Cardinalibus , quem ad id deputauerit,vt docet D.Bonauent. *in capus , cit Regula* , & *in Apologia pauperum* , vbi doctè communem eam vsus , & dominij dictinctionem explicat ad probandum vnum ab alio esse separabile: Ipsum vide ibi *resp. 3. cap.1.* vbi plura apponit , quæ passim in Regulæ expositoribus amplianrur , quæ hîc omitto ; non est enim huius loci paupertatem propugnare , cùm nullus iam Vigilantius eius impugnationi inuigilet.

158 PROBATVR tertiò à Seraphico , *loco citato*, exemplo primitiuæ Ecclesiæ , cuius non solùm cor erat vnum, & anima vna ; sed bona etiam communia sub Apostolica administratione ; ita vt omnes venderent possessiones suas,earumque pretia ad Apostolorum pedes deferrent vt indicarent proprietatem, quippe ingens malorum Seminarium, sub Prælati pedibus esse calcandam , vt è D. Hieronymo ad Demetrium *epist.8.* notat S.Doctor , vbi suprà ; vbi etiam ex eodem subdit *: dabatur autem singulis , prout opus erat*, ab Apostolis scilicet ; quare mortis ictu percussi, Ananias , & Saphira, ad pedes D. Petri cecidere, eò quòd publicam eius ministrationem,in bonis fidelium communibus , priuata proprietatè contaminare sint ausi.

159 HINC Cænobiticam vitam originem,& formam sumpsisse ait Seraphicus , iuxta Glossam Bedæ , *ibid.* eò quòd vnus omnibus communia ministraret; & hinc in multis Religionibus , vbi strictior est paupertas, nomen sibi Ministri vindicant Prælati , vt ostendant nil sibi in Religionis bonis , præter nudum ministerium , assumendum.

PROBATVR quartò, *ex cap.* Nullam, 18. *quæst.* 160
2. vbi à Pelagio Pontifice statuitur : *vniuersa , quæ vel ad diuini cultus reuerentiam , vel ad vtilitatem Monasterij pertinent , Abbatis sollicitudo, ad quem potestas tota pertinere conferet* , *debet adimplere* , quod ius esse antiquissimum indicat S. Doctor , *in cap.1. Regula* ; illudque non de nouo esse constitutiuum, sed veteris Iuris declaratiuum refert Suarez , *num. 2. cap.26.*

CONFIRMATVR à S. Doctore *in cap. 2. Regula, litt. A. 2.* ex diuersis institutis D.Augustini , D. Benedicti, &c. vt habet etiam Suarez, *num.3.*

PROBATVR quintò à D.Bonauent.dicto, *cap.2.* 161
Apologia, fol.423. lit. A. authoritate Gregorij IX. cuius Rescriptum ad fratres Minores sic legitur *: Dicimus,quod nec in communi, nec in speciali debent proprietatem habere , sed vtensilium , & librorum, & eorum, quæ licet habere , Ordo vsum habeat , & fratres secundum quod Generales , vel Prouinciales Ministri disponendo duxerint , his vtantur* : vbi totam administrationem in dictorum Ministrorum prouidentiam refundit, non excludens tamen Prælatos locales, qui immediatius hoc onus suscipiunt , sed quia ibi agebatur de grauiorum rerum dispositione, quæ debet semper esse penes Prælatos maiores, vide *hic* S.Doctorem. *cap.3.* 162
resp.3. præclarè paupertatis Minorum Panegyrim attexentem , possessionem etiam in communi summopere laudantem, quippe tot Patriarcharum, Augustini, Benedicti , & aliorum Sanctorum exemplis nixam; hisce tamen vltimis temporibus , subrepente sensim auaritia, & tepescente charitate, necessarium ostendit, vt nonnulli sint,qui omnem cupiditatis radicem funditus euellant,sublimiorem tum in communi, tum in speciali paupertatem profitendo , quam Seraphicus, P. N. Franciscus,*cap.6. suæ Regulæ*, his ditauit verbis: *Hæc est illa celsitudo altissimæ Paupertatis , &c.* Quare *altissima* ? quærit postillando S. Doctor. nisi quia à mundo remotissimæ , & per consequens cælorum regno vicinissimæ,illi etiam vitæ æternæ,quantum est possibile , simillimæ , vbi nil terrenum est proprium, vel commune.

RESTAT explicanda secunda pars quæstionis, 163
quæ,qualis sit potestas ministrandi temporalia in Prælatis Regularibus, quæritur.

HIC distinguendum est cautè inter omnimodam paupertatem vouentes , & eam solum speciali voto promittentes ; dispar enim potestas in vtroque deprehenditur ; Ambo tamen possunt quoad tria inter ministrandum considerari , quoad accipere scilicet, conseruare, & alienare ; omnia namque boni temporalis administratio hos tres actus reducitur.

DE potestate acquirendi nil limitat Ius commune, 164
illud Prælati prudentiæ relinquendo,generalibus terminis: *fideliter. & studiosè, vniuersa, quæ vel ad diuini cultus reuerentiam,vel ad vtilitatem eiusdem Monasterij pertinent,&c.* ratione quorum verborum potest Prælatus Communitatis , quæ in communi non vouit paupertatem,quicquid iusto titulo donationis , testationis &c. ei offertur,recipere,siue sibi ipsi,vel communitati offeratur, huic tamẽ soli eius dominium semper acquiritur, non autem illi; nam licèt Prælatus induat personam communem quoad illas bonorum dispositiones, quæ cedunt in vtilitatem Monasterij, nusquam tamen ipsi permittitur aliquid proprij possidere ; quia quoad voti , quod emisit , obseruantiam , non desinit esse persona priuata ; quare quod alij etiam fratres acquirunt, transit in dispositionem , vt ait S. Doctor, *dicto cap.2. lit.E*, non autem in dominum Abbatis.

PRÆTER

165 Præter hunc communem modum acquirendi, sunt plura Religionum, & regularum statuta, acquisitionem Prælatorum, & subditorum modificantia, quæ vel ipsorum arbitrio, vel Pontificum Priuilegiis diuersificantur: hæc quisque Religiosus apud se melius videat.

166 Illud solum hic notandum est, in Religione Minorum iuxta puram regulæ obseruantiam, nec Prælato, nec Monasterio aliquid posse acquiri, quo ad quid iuris, sed tantùm quoad quid facti, seu quoad purum vsum, ita vt Dominium maneat penes dantem, vel si illud abdicet, transeat sub dominio summi Pontificis, seu Romanæ Ecclesiæ, vt docet sub his terminis D. Bonauentura *loco cit. litt. E.* & post eum cæteri Regulæ expositores iuxta diuersorum Pontificum declarationes, præcipuè Gregor. IX. Nicolai III. & Clementis V.

167 Nec hoc nouum est in iure, vt vsus à dominio separetur, cùm proprietas, possessio, vsusfructus, & simplex vsus sint plura conuenientia diuersis titulis in eadem re, & inter se realiter distincta, vt docet S. Doctor *hoc capite*, & post eum Galitius, Crouesers, Corduba, aliique plures *in cap. 4. regulæ*, Ius autem, quod olim constituit, vt perpetuò vsus à Dominio rerum non sit separatus, ciuile est, ac proptereà non habens locum in dispositionibus iuris Pontificij; Prætereà, notat S. Doctor *litt. C.* hoc ideò fuisse iure Ciuili cautum, ne dominium, vsu perpetuò destitutum, inutile sit domino; hæc autem ratio in spiritualibus cessat, vbi pro vno, quod in fauorem pauperum dimittitur, centuplum accipitur.

168 Nec vrgeri etiam prodest, quod tunc vsus à dominio est separabilis, quando vtrumque inconsumptum manet; non verò quando rei substantia vsu disperditur, tunc enim secum indistinctum trahit dominium.

Huic instantiæ, quam tanti fecere Minorum Aduersarij, Respondet S. Doctor *litt. C. s. fol. 423.* Eam quotidiana experientia falsissimam esse; nam ipso iure, vt ibi notat Seraphicus, filiusfamilias vitur peculio profectitio, illudque continuo vsu absumit, nec tamen eius proprietatem, nequidem momento obtinet.

169 Prætereà quid vsitatius, quàm diuites lautis ferculis conuiuas excipere, eisque non solum esculenta, vsu mox absumenda, verùm & splendidissima vtensilia in facti vsum, non in iuris dominium cedere; quorum vel si aliquid quis sibi non vtendum, sed possidendum atriperet, iniustitiæ meritò increparetur; nequaquam verò, quantumuis inter conuiuandum absumeret, licet sic eum vsu dominium periret. Huius vsus, absque dominio liciti, meminit Christus illis verbis: *respicite volatilia cæli, quæ nec serunt, nec metunt*: ipsis tamen & seritur & metitur, dum aliorum messibus absque vlla iniustitia incubant, & vsu quidem necessariæ alimoniæ ex aliorum dominio fruuntur; *& tamen pater cælestis*

170 *pascit illos*, scilicet passeres, alienæ segetis grana abripientes; quo non nimis absimili modo coram ipso domino: *discipuli vellebant spicas*, dum aliena pertransirent arua, vt quippe instantem famem obuio, licet à nullo oblato, beneficio sedarent; quis verò eos restitutioni diceret obnoxios, eò quòd dominium simul cum vsu perire fecerint? cùm nec ipse Dominus, omnis iustitiæ fons, eos vel leuiter culparet, quinimo ipsi Iudæi, qui detegendis discipulorum defectibus oculatissimi inuigilabant; non rei alienæ absumptionem, sed Sabbathi fractionem ipsis improperabant; Christus verò ab hac expressè, ab illa verò tacitè eos immunes declarabat, dicens, Lucæ 6. *Nec hoc legistis, quod fecit Dauid, &c.* vbi licèt explicitè doceat necessitates extremas non subiacère Sabbathi obseruantiæ, tamen implicitè vult ostendere licitum esse, & maximè meritorium, se suis rebus in communi, & in speciali votiuâ renunciatione expoliare, & alieno victitare; cum voluntarie se discipuli in prædictam necessitatem proiecerint.

Hoc ampliùs enucleatur, si perpendatur natura dominij, quòd sit libera potestas re sua independenter ab alio vtendi, vendendi, alienandi, &c. vt vno ore omnes conclamant Iuristæ; hinc est quod furiosus, & pupillus sine tutoris authoritate nequeant possidere, quia affectionem non habent tenendi, quæ sit libera, licet manu, vel corpore res ipsas contingant, vt ex Iurisconsulto docet Sanctus Doctor *loco cit. litt.B. 2.* vbi etiam id ipsum exemplificat, de dormiente, qui manu rem aliquam conclusam teneret, non enim eam diceretur possidere, quia careret libertate, siue animo ad possidendum necessario: Sic à pari, licèt rerum vsus, & contrectatio sit penes fratres Minores, cùm tamen careant animo acquirendi, nihil acquirunt: libertas enim nolenti non acquiritur; nec beneficium inuito confertur, nec damnosam hæreditatem aliquis adire compellitur, vt ex iuris dispositione refert Seraphicus Doctor eiusdemq; obrem sicut hæreditas animo eam adeundi in Dominium transit eius, cui debetur, & contrario animo repudiatur, vnde pro hærede se gerere non tam facti, quàm animi est, vt ex Iuliano recitat S. Doctor; si Frater Minor animo acquirendi careat, imo animum repudiandi non tantùm intus possideat, sed foris declaret, quomodo inuitus dicetur acquirere id, ad quod alij plenis voluntatibus solent inhiare; hæc ad rem, & ferè ad verbum habet S. Doctor, quæ apud Regulæ expositores multa ampliatione ponderantur, & muniuntur. Atqui hæc dicta sint quoad potestatem acquirendi, tam Prælato, quam subdito apud nos quoad proprietatem æquè prohibitam, secus verò quoad vsum rerum, prout ptaxi seruatur. 171 172

Quoad potestatem conseruandi, in qua est secundus actus administrandi; hæc pariter prudentis Prælati solertiæ iuxta laudabiles religionum consuetudines relinquitur: Ius enim antiquum solùm exigit, vt fideliter, & ad monasterij vtilitatem res temporales dispensentur, vt habetur allegato *cap. nullam*: vnde quò strictior est cuiusque Religionis paupertas, eò arctior hac in re est singuli Prælati obligatio; Quare si piaculum, & quodam genus sacrilegij apud primitiuos monachos, in communi possidentes, putabatur vel modicum dilapidare, quod ad vtilitatem Conuentus spectaret, quanto potiùs id vrgere debet nunc in Religionibus, saltim vbi proprietas etiam in communi abdicatur; vide Cassianum *lib. 4. Instit. cap. 20.* vbi non solùm personas, sed res monasteriis oblatas, *Sacrosanctas* acclamat; easque non solùm solerti cura, sed & magna reuerentia fuisse tractadas monet. 173

Et nè quis hæc intelligat de rebus, immediatiùs sacro altari seruientibus, subdit: *tantaque fide vniuersa procurant, atque dispensant, vt etiam ea, quæ despectui habentur, paruaque habentur, & vilia, sine loco mouerint, vel competentius collocauerint, mercedem se consequuturos à domino tota credulitate confidant*, quippe ea fuerat veterum Monachorum sincera, sanctaque simplicitas, vt cuncta contactu loci, Deo sacrati, sacra reputarent. Hæc notat Suarez *num. 7.* 174

Cæterum hæc conseruandi res pauperum obligatio ex iustitia incumbit Prælato, illisque, quos 175

creauerint in hunc finem officiales, & ministros, ità vt positiuè teneantur sui muneris memures esse; alij verò, non nisi negatiuè (vt cum Suarez loquar) ad id teneantur, scilicet non indebitè dare, vel tractare res monasterij, & hæc obligatio potest pertinere siue ad iustitiam, qua quis obligatur, vt non suum sibi non appropriet, siue etiam ad paupertatis votum, quod suum dimisit, & multo magis alienum non admittit.

176 POTESTAS denique alienandi est vltima Prælationis appendix; & considerari potest quoad res mobiles, vel immobiles; Item mobiles vel permanenter durant, vt libri, vtensilia, & similia; vel mox consumuntur, vt esculenta, poculenta &c. Hæc vltima cum in solo vsu consistant, vix sub alia regula, quam sub frugali, & ordinatà temperantia, iuxta decentiam cadunt.

VERVM potestatem alienandi, vel commutandi res mobiles durantes, siue etiam immobiles, ità pluribus sacris sanctionibus determinarunt, & diuersificarunt summi Pontifices, vt apud se quælibet Religio, quid hac in re possit, aptiùs videre queat: videndus est etiam Suarez, amplè Pontificum constitutiones suæ societati pro rerum alienatione indultas explicans toto *cap.* 27. *&* 28. vsque ad finem.

177 ILLVD pro fratribus Minoribus obseruare, operæ pretium est, quod à Religionis exordio Gregorius IX. sanxiuerat. & refertur à D. Bonauentura *in Apologia pauperum* cit. resp. 4. cap. 2. *Nec debent vendi mobilia, vel extra ordinem commutari, aut alienari quoquomodo, nisi Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, qui fuerit ordinis Gubernator, Generali, vel Prouincialibus ministris authoritatem super hoc præbuerit, vel assensum.* Non quod rerum, quarum nobis conceditur vsus, penes Eminentiss. Cardinalem, Religionis Protectorem, propriè sit dominium; cum illud sibi summus Pontifex reseruet, vt passim in opusculis inculcat non tarò S. Doctor, & præcipuè *quæst.* 26. *in determinationib. qq. circa Reg. S. Francisci*; sed quod suam hoc in munere potestatem Pontifex in vnum è Cardinalibus transferre soleat.

178 VERBA autem Seraphici Doctoris. loco proximè citato, hæc sunt: *Præsul sedis Apostolicæ, qui est Generalis omnium pauperum ecclesiæ prouisor, specialiter nostri ordinis curam habens, omnium mobilium, quæ ordini conferuntur, proprietatem sibi assumpsit, exceptis his, quorum dominium sibi conferentes retinuerunt, & nobis vsum earumdem rerum solum concedit, &c.* post pauca verò subdit: *Eleemosina, quæ nobis à fidelibus datur transit in vsum nostrum, & illius dominium, cui parati sumus, omnia, quæ habemus cùm iusserit, tanquam Domino, prout conuenit, resignare.*

179 HIC est primæuus Minorum status, in quo Prælati nihil habent iuris res Religionis quoquomodò alienandi, nisi iuxta concessiones supremi totius Ordinis dispensatoris; quæ nonnullis sunt indultæ, tanquam perpetua priuilegia, & illius regulæ rigoris dispensationes, quem pro temporum vicissitudine plures prætendebant. Aliis verò sunt datæ iuxta occurrentes necessitates, ita vt talium concessionum, sicut & cæterarum rerum, habeant potius vsum transeuntem, quàm ius, seu durationem permanentem.

QVÆSTIO XII.

An, & Quid possunt Prælati Regulares circa Ordines conferendos, & res, seu loca benedicenda.

HÆC quæstio quoad primam partem latiùs est absoluenda; Dico igitur iuxta Ius antiquum ex VII. Synodo *cap.* 14. *in cap.* 1. *dist.* 69. tantùm legi: *Abbates posse in proprio monasterio Lectores tantummodo ordinare*, & cum Ostiaratus, & Tonsuratus sint lectoratu inferiores, colligunt hinc Glossa *ibid.* & Innocentius, *cap.* Cùm contingat, *de ætate, & qualit.* vtrumque ab Abbate iuxta ius illud posse conferri; quod Ius indubitatum esse concludit Suarez *cap.* 59. *num.* 3. vbi *num. seq.* quatuor conditiones in tali Abbate exigit. 180

PRIMA est, vt talis Abbas alicui Monasterio præficiatur, vbi in latina conciliorum editione non exprimitur speciatim Abbas, sed Monasterij Præfectus, vt benè notat Suarez *loco cit.* quo nomine, si rem ipsam spectes, possunt venire omnes Prælati regulares; verùm si ipsum vsum, seu consuetudinem, quæ legum antiquarum est optima interpres, consideres; nullus Prælatus, non Abbas, ad eam potest aspirare; hoc enim ad nostra tempora, nec visum, nec auditum est, licet plura alia Abbatum Priuilegia, quatenus sunt cænobiorum præfecti, Regularibus communicentur, vt patet passim in compendiis Priuilegiorum, & docet Suarez *loco cit.* 181

RATIO huiusce non communicationis potest esse, quod fauor ille indultus sit Abbatibus potiùs in gratiam præeminentioris dignitatis, quàm regularis regiminis; hoc patet ex eò, quod semper iura Abbatem specialissime exprimant; vbi autem est specialissima clausula, communicatio excluditur: Adde Pontificalia insignia Abbatibus, non aliis, concessa; quæ alios etiam non æquè decerent. 182

SECVNDA conditio est Sacerdotium, nam hæc ordinatio, ex se est ordinis, saltim latè, potius quàm iurisdictionis, vt validè fiat.

TERTIA est benedictio, ipsi ab Episcopo impertita, quæ intelligitur *cap. cit.* Impositione manus.

QVARTA est iurisdictio, propter quam quæritur, an si Abbas, ordinans alterius subditum, validè id faciat; quod idem est ac quærere, an illa conditio requiratur ad licitam, vel an ad validam ordinationem: Affirmat Glossa *cap. Abbates de priuilegiis, in 6.* eam requiri tantummodò ad licitam ordinationem. 183

COMMVNIS tamen sententia Doctorum apud Suarez *num.* 8. eam requirit vi iuris antiqui, vt licitè, & validè ordinetur; quia hoc est priuilegium, solùm concessum in proprio monasterio. Priuilegium autem non est vltra propriam verborum significationem trahendum. Probatur à simili, si pontifex daret hoc priuilegium pro vna persona, & non pro altera, siue pro vno die, & non pro alio, quod ipsum facere posse indubitatum est; proculdubio Ordo collatus tali personæ, vel tali tempore teneret; non autem aliter, aliàs post priuilegij tempus finitum, posset ordinare, & sic Abbas, perinde, ac Episcopus, ex intrinseca potestate, seu extensione sui Characteris, possit ordines conferre, quod nemo dixerit; vnde solùm latè pontificia extensione hic actus in Abbate est Ordinis, vt in secunda conditione dixi: quare hæc potestas non multum absimilis est Confirmandi potestate 184

testati datæ simplici sacerdoti ad certum tempus, vel locum; quas circumstantias, si non obseruaret; nec validè, nec licitè confirmaret. Hæc intellige vi priuilegij veteris, nam aliter forsan nunc ordinatum est, vt dicam infra.

185 QVÆRES num illa conditio, vt Abbas sit benedictus, sit nunc necessaria, Ita vt absque ea inualida sit ordinatio.

RESPONDETVR cum Suarez *num.* 17. Abbates triennales ex priuilegio speciali id posse, vt habetur *in compendio Cisterciensi*, V. Abbas §. 4. & 5. & ex priuilegio Iulij II. apud Suarez *loco cit.* vide Felinum *in cap. eam te de rescriptis*, cum aliis multis *in cap.* inter monasterium de re iudicata. Hotum tamen Abbatum restrictum est priuilegium ad solos subditos Religiosos, vnde alios, etsi subditos, sæculares ordinare nequeant, contra concessionem Iulij II. citatam, per quam libebat quoscumque subditos ad Ordines promouere. Restrictio hæc habetur in Concilio Trident. *sess.* 23. *cap.* 10. *de reformat.* cui in Confirmationem succedit declaratio S. Congregat. apud Suarez *loco cit.* si tamen talis Abbas sibi non subditum ordinaret, vel tonsuraret, non esset retonsurandus, vel reordinandus, sed dispensandus, quia dicit Concilium: *non licet*, non autem: *non valet*; vt etiam declarat sacra Cardinalium Congreg. apud Suarez *num.* 20.

186 QVÆRAS, num vi veteris priuilegij, suprà memorati, possint dari alij ordines supra Lectoratum.

RESPONDAT Suarez negatiuè, quia id in ipso textu determinatum est, nec sunt priuilegia contra vim propriam verborum amplianda.

187 VERVM à Congregat. Cardinalium *in dict. cap.* 10. *Concilij* declaratum est, ait Suarez *num.* 21. Abbates obtinentes ius deferendi Mitram, & Baculum, & habentes cum benedictione sacerdotium, posse quibuscumque conferre Ordines minores, modo ad id habeant litteras dimissorias sub speciali nota à propriis Prælatis, si sint alieni, & insuper licentiam illius Episcopi, in cuius diœcesi ordines sunt ministrandi. Quod ius nouum, si verum est, de quo dubitat in fine Suarez, & meritò, cùm nusquam videri possit, necesse est vt ampliet ius antiquum, in quo id nec licitè, nec validè probatum erat, vt suprà vidimus.

ALII volunt hanc potestatem ad Diaconatum, & Subdiaconatum extendere ex priuilegio Innocentij VIII. dato Abbati Cisterciensi, & aliis quatuor principalibus Abbatibus istius ordinis.

188 VERVM quicquid sit de veritate illius indulti, quod omisit collector Priuilegiorum Ordinis Cisterciensis, certum est Concilium Trident. statuisse, vt *Regulares nec in minori ætate, nec sine diligenti examine Episcopi ordinentur, Priuilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis*, vbi insinuatur, regulares omnes in sacris ordinari solùm ab Episcopis, vt docet cum Nauarro *concil.* 13. *de priuil.* cum Suarez *num.* 24. in fine.

QVOAD Benedictionem, rebus, vel vestibus impertiendam; certum est, Regulares Abbates posse Pallas altaris, Corporalia, & cætera eius indumenta sacrare. Verùm si sermo sit de Aræ, Calicis, alteriusve rei consecratione, vbi vnctio Chrismatis interuenit, hoc solis Episcopis est concessum; videantur Doctores pro vtraque parte *in cap. Abbates de priuileg. in* 6. & Suarez *loco cit.*

189 PRIOR potestas potius consuetudine, & tacita summi Pontificis concessione, quam manifesto aliquo priuilegio introducta est pro omnibus Abbatibus regularibus; licet non desint pro aliquibus priuilegia. Cur autem consuetudine tale ius sit sancitum, non autem ius Chrismandi, ordinandi, &c. cum benedicere, & consecrare sint ordinis actus, quippe certa verborum solemnitate à solo præsbytero præstanda, docet Suares *num.* 4. dicens, nonnulla Episcopis conuenire ex vi consecrationis Episcopalis, vt Confirmare, Chrisma benedicere, & similia; quæ, quia iuris sunt diuini, nulla possunt consuetudine abrogari; Diuina enim huic, sicut humana, non subiacent: Quædam etiam sunt annexa potestati 190
Episcopali ex ecclesiastica institutione, & innixa potius Charecteri sacerdotali, quàm pontificali: hæc autem, cùm sint ad instar iurisdictionis, possunt extrinseca supremi Prælati significatione, tacitaque approbatione acquiri: nam licèt vera iurisdictio non sit introducenda, nisi expressa concessione; si tamen iam exerceatur, & scienter toleretur, signum est, eam aliquando fuisse verè concessam.

DICTA autem consuetudo licet pro Abbatibus 191
vigeat, pro Mendicantibus tamen deficit: non enim immemorabilem talem consuetudinem pro ipsis inuenire possumus; licèt ex aliis titulis præfatum ius sacra altaris indumenta, pallas, &c. sacrandi ipsis accrescat.

IN primis enim communicatio Mendicantium cum ordinibus monachalibus in hoc potest locum habere, licèt non habeat quoad Ordinum collationem; nam ad hanc speciales vrgebant rationes, quas suprà tetigi: Sed ad benedictiones vestium potest maior esse necessitas, nec dispar ratio in Mendicantibus, propter continuum paramentorum, Altarisque ornamentorum vsum, & sacerdotum quotidie sacrificantium numerum.

QVARE Leo X. Pontif. Minoribus indulsit, vt 192
huiusmodi benedictiones possint exercere sub duplici tantùm restrictione; prima est, vt eas pro vsu suorum fratrum impendant; secunda, vt vbi Chrisma, seu vnctio requiritur, non possint benedicere; cæteroquin dicta concessio amplissima est. Vide *compend. Societatis*, V. *benedicere*, §. 5. & *supplem. minorum, concess.* 55. Vt autem expressiùs dignoscatur, in quibus rebus, & à quibus Personis dictum Leonis X. priuilegium est vsui applicandum; placet quæ de eo scripta sunt verba referre, vt habentur *in compend. minorum, v. benedictio*, §. 14. & referuntur à Bonagratia infrà citando, V. *benedicere*, *num.* 63. his itaque locis statutum est: *Vt omnia, & singula eius-* 193
dem Ordinis, & Obseruantia Ecclesias, Cœmeteria, Capitula, & Oratoria vbicunque existentia, tam recepta, quàm recipienda, ac paramenta, & ornamenta, & alia quæcunque ad Diuinum cultum, & vsum Fratrum necessaria, in quibus Chrisma non interuenit, pro eorundem Fratrum vsu tantùm, solemni benedictione valeant benedicere, quòd non possint alij Fratres eiusdem Ordinis, qui ad hoc in Capitulis Generalibus deputati fuerint; ac quòd similiter possint reconciliare Ecclesias, &c. quæ quomodolibet sanguinis, vel seminis effusione pollutæ fuerint, & hoc cum aqua, per prædictos Prælatos benedicta, præsertim in locis remotis, vbi Episcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non potuerint. Quamuis autem ibi non exprimantur Corporalia, includuntur tamen: Et expressius permittitur ab Innocent. VIII. *Vt Priores Ordinis, & Vicarij in absentia Prioris, & quiuis habens regimen cuiuscunque Monasterij, possit benedicere Corporalia, vestimenta, cæteraque ornamenta Ecclesiastica, ad cultum Diuinum pertinentia, tam sui Monasterij, quàm etiam vndecunque sint.* Hæc autem Constitutio habetur apud Sorbum, *in Addit.* & facta est Con-

Igregat.

gregat. S. Iustinæ 1487. & cum ea communicantibus.

194 Nec obstat huic vltimo priuilegio, quod sit viuæ vocis oraculum, ac proinde virtute carere debeat ex constitutionibus Gregorij XV. & Vrbani VIII. indicantibus Generali, aliisque cuiusque ordinis ministris, vt talia vocis oracula pro reuocatis publicentur in prouinciis, & conuentibus regularium; nam absque hac publicatione reuocationem non obtinent.

195 Hvic etenim instantiæ respondet fusè Bonagratia noster *in sua summula*, *V. benedicere*, & verb. *Priuilegium*, quod cuncta viuæ vocis oracula in Bullares confirmationes transierunt ex declaratione subsequentium Pontificum; vide ipsum variis ministrorum tum Prouincialium; tum Generalium responsionibus, ex nostri ordinis Archiuiis deductis, id probantem, vti & responsione ipsius Vrbani VIII. facta P.M. Antonio de Carpenedulo, pro tunc Capucinorum Generali, quod Prælatos huiusce ordinis nullatenus suis reuocationibus inuoluere voluerit; quod forsan factum est, ob singularem eius affectum erga hanc Religionem, in quo tunc Germanus ipsius frater summa cum laude, donec ad Cardinalitiam fuerit dignitatem euectus, vixerat.

196 De variis benedictionum speciebus, & formulis, vide Bonagratiam nostrum *verbo Benedicere*, vide etiam Suarez *lib.2. citato*, *cap.30. num. vlt.* in fine, vbi Innocentij VIII. priuilegium memorat, concessum Cistereiensibus; & aliud Iulij II. datum Priori Generali Canonicorum S.Saluatoris, quibus conce-

197 ditur absque restrictione, vt possint quæcumque ad sacrum Altare, seu sacros vsus spectantia, tam proprij monasterij, quàm vndecumque sint, benedicere.

DISPVTATIO VLTIMA.

De Statu vitæ Actiuæ, & Contemplatiuæ.

Notissima est hæc diuisio in vitam Actiuam, & Contemplatiuam, dudum præfigurata in duabus vxoribus Iacob, Rachel, & Lia; diu impleta in nocturnis Saluatoris Christi vigiliis, & diurnis ipsius laboribus; commendata est etiam in Marthæ negotiis, & Mariæ otiis; nec non signata in Petri sollicitudine, & Ioannis solitudine; vt infrà in probationibus aptiùs deducam, dicturus postea de comparatione vnius ad alteram, vti & de præstantia cuiusque, siue seorsim, siue coniunctim: Postquam autem diu in Ecclesia Vita, vel sola Actiua, vel Contemplatiua, (prout singula dicit statum, seu quemdam super alteram excessum) fuerit agitata; emersit tandem vita Mixta, non solum Ecclesiæ valdè vtilis, & proficua; sed in se, propter initam cum Maria Marthæ concordiam, multum conspicua: Propè verò finem præcipuos Actiuæ actus, sicut & Contemplatiuæ gradus contemplabimur.

QVÆSTIO I.

Vtrum sit sufficiens Diuisio vitæ in Actiuam, & Contemplatiuam.

D Bonauent. de 7. Itinerib. æternit. & in medit. vitæ Christi.

Commvnis est illa diuisio animæ in Intellectum, & Affectum, vnde nascitur alia diuisio actionum animæ in Cognitionem, & Praxim; hæc enim respicit voluntatem, à qua vel imperatur, vel elicitur; illa vero intellectum, in ea vel sistentem, vel cætera ad eam ordinantem. 1

Svfficientia huius diuisionis eruitur è Seraphico Doctore *2. parte Breuil. cap.9.* in fine: Cognitio enim nihil aliud est, quam veri discretio; & affectio nihil aliud est, quàm fuga, vel appetitus, illa mali, hic boni: hinc tota anima intellectiua est, & affectiua.

Vervm adhuc pars intellectiua, vel discernit verum, vt verum; & sic sistit in pura cognitione, vel illud discernit, vt bonum, & sic transit in affectum, & huius participatione fit intellectus quodammodo practicus; deinde potentia Intellectiua versatur circa intelligentiam æternorum, & sic nominatur pars superior, vel circa temporalium intentionem; & sic dicitur pars inferior; in quacumque autem statione consideretur intellectus, habet affectum, seu voluntatem, sibi proportionatam. 2

Svpponendvm est secundò è D. Thoma *quæst.169. art.1.* Vitam hîc sumi pro eo, in quo homo magis occupatur, & delectatur; vndè cùm nonnulli internis operationibus magis delectentur, alij verò magis externis occupentur actionibus, hinc est quod hi diuersimodè dicantur viuere: His visis.

Assero, dictam diuisionem vitæ in Actiuam, & Contemplatiuam, bonam esse, & sufficientem. 3

Probatvr à D. Bonauentura *serm.1. de S. Nicol.* authoritate D. Augustini *tract.114. in Ioannem*, sub medio, vbi sic habet: *Duas vitas sibi diuinitus prædicatas nouit Ecclesia, quarum vna dicitur actiua, altera contemplatiua: Prima in labore. Secunda in requie, &c.* Nec obstat quod ibidem D. Augustinus dicat, vnam actitari in terris; aliam verò possideri in cælis; loquitur enim de posteriori, seu de contemplatiua, pro vt est perfecta, omnem laborem, & peccatum excludens; quod per accidens est, & non essentiale huic statui.

Probatvr secundò à S. Doctore *in cap.10. Luca*, vbi egregiè describit ministerium Marthæ, & otium Mariæ; per has autem duas figuratur duplex illa vita, operans, & contemplans, vt habent omnes huius loci Commentatores. Vide etiam DD. August. *lib.22. contra Faustum*, *cap.52.* Gregorium *lib.6. moral. cap. vlt.* & *in libros Regum*, *cap.4.* Hyeronymum *in cap.3. Thren.* circa ea verba: *Bonum est viro, &c.* & alios apud Suarez *lib.1. de varietate Religion. cap.5.* 4

Hanc diuisionem probat etiam S. Doctor *c.45. medit. vitæ Christi*, vbi eam à Sanctis ait asseri; Quam sic deducit: Omnis seriò saluti suæ incumbens, exercet se principaliter ad suam vtilitatem, corrigendo se 5

à

à vitiis, & informando se virtutibus, ac secundario obsequia pietatis, & iustitiæ, seu Charitatis opera impendit proximo; aut principaliter studet vtilitati, & emolumentis proximi, suo tamen merito, inde cumulatius resultanti, vt obeundo munus Prælati, Prædicatoris, ac Confessarij, & in his consistit tota vita actiua; non enim computamus negotia purè secularia, ad salutem parum conferentia, inter functiones vitæ actiuæ; licet enim in his negotiis sint verè actiones, sunt tamen veriùs otia, quàm negotia, & magis distractiua, quàm actiua.

6 SECVNDVM diuisionis membrum sic colligitur: Qui ab externa operatione, suæ, vel proximi saluti conducenti, se continet, necesse est, vt internæ considerationi vacet, orationi scilicet instando, & sacrarum litterarum studiis incumbendo: Vt autem hoc opportunè præstet, mentis quærat solitudinem, solique Deo intendat, vt sic gradatim primò instructus, deinde illuminatus, tandem inflammatus, apicem vitæ contemplatiuæ, quantum in hoc sæculo licet, verâ sapientiâ imbutus, conscendat.

7 IN hac duplici Operationis, & Contemplationis valua versatur illius Castelli Ianua, per quam Iesus ingressus, à Martha, & Maria hospitio est exceptus, vna discurrente, ministrante, & hinc inde sollicitè cursitante; alterâ ad pedes Iesu placidè sedente, & ad verba eius cor suum ardenter suspendente; vnde ait D.Bernardus apud Seraphicum *cap.* 46. *in meditat.* cit. *intrante Iesu in hoc castellum, duæ sorores Martha, & Maria, id est, operatio, & intellectus, exceperunt eum: Iesus autem duo confert singulis congruentia, virtutem, & sapientiam. virtutem operationi, sapientiam intellectui*: Ad vitam enim Christianam piè, & iustè peragendam sufficit, & requiritur virtuosa operatio, seu operosa virtus in manu, vt sibi, & proximè quisque prouideat; & sapida intelligentia in mente, vt superna intelligenter sapiens, ea proximo etiam abundanter, siue conuersando, siue prædicando profundat; vnde 2. *Cor.* 1. ab Apostolis nil aliud prædicatur, nisi Dei virtus, & Dei sapientia, vt aduertit S.Doctor, loco proximè cit. in his enim est totus homo, nec amplius quid requiritur.

8 PROBATVR tertiò exemplo Christi, qui pernoctare solebat in monte, & docere in loco Campestri, vt dicitur *Luca* 6. Mons enim designatur locus contemplationis; eò quòd sit eleuatus à terra, & ab hominum commercio segregatus, vnde Moysis, Aaron, & Hur ascendebant in verticem collis, vt prior narrat *Exod.* 7. Sic Sara *Tobiæ* 3. perrexit in superius cubiculum domus suæ, vt disserit S. Doctor *ad caput* 6. *Luca.* Locus autem Campestris, in quo agricultura exercetur, signat laboriosam actionem; ideò vt vtriusque vitæ præberet exemplum Christus, noctu ascendebat in montem ad contemplandum, & diu descendebat in locum Campestrem, vt ibi in plano, & communi loco, omnium salutem, docendo, consolando, & curando operaretur; & sequitur: *Multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa, & Samaria, & Ierusalem, & qui venerant, vt audirent eum, & sanarentur à languoribus suis*, quibus verbis insinuatur, functiones vitæ actiuæ, non triuialibus sæculi negotiis, sed spiritualibus proximi emolumentis, communique omnium saluti impendendas.

9 PROBATVR quartò à S.Doctore ex praxi Ecclesiæ, quæ ab initio statum Clericalem, pro vita actiua, & salute proximi procuranda; statumque Monachalem pro vita contemplatiua, & propria salute consequendâ principaliter instituit: Verum autem sit aliquis status mixtus vtrumque complectens, infrà dicam.

QVAMVIS autem possint plures scripturæ in 10
vtriusque vitæ adminicula adduci, vt passim locis suprà citatis profert Seraphicus Doctor; tamen, vt benè notat Suarez, ex illis clarè non colligitur, vtramque vitam seorsim, vel in diuersis hominum statibus esse actitandam; sed solùm insinuat, in nobis duplicem sanctam operationem posse inueniri, alteram externam, in actione positam; alteram internam, in consideratione consistentem; & has in vnoquoque posse reperiri, vt clarius infra exponam: Cùm autem illæ operationes sint vitæ, seu vitales, in quarum vna quisque principalius, & maiori excessu occuparetur, hinc est, quod communiter duplex vita sub nomine Actiuæ, & Contemplatiuæ ex illis scripturis colligitur.

VERVM quòd sint diuersi hominum status: Al- 11
ter totaliter actionibus distentus, parumque contemplationis, seu potius internæ attentionis insumens; Alter verò totus contemplationi è contra attentus, & addictus, modicè, & quantum ad vitæ necessitatem attinet, de externis curans, sola probat præfata praxis in Ecclesia durans, optimèque deducitur è solo illo Marthæ, & Mariæ exemplo, quarum vna tota ministerio proximi; altera diuinæ vacabat contemplationi, quarum sororum germana studia diu antè
præfigurabantur in dulcibus Liæ complexibus, & 12
operosis Rachelis partibus, vt communiter exponunt patres cum D. Bonauentura locis suprà citatis, & præcipuè *in cap.* 10. *Luca.*

QVÆSTIO II.

Quisnam status est altero præstantior, num status vitæ Actiuæ: vel è contrà, Contemplatiuæ.

D.Bonauent. in cap. 10. Lucæ, de 7. itinerib. æternitatis.

HÆC quæstio non difficile deciditur; ipse enim 13
Christus pro vita contemplatiua decisiuam tulit sententiam, dum duæ illæ sorores, Martha & Maria, ad sacram ipsius præsentiam, causam agerent; & vna studioso silentio loqueretur ad cor; altera verboso ministerio sollicitaret ad aures Christi, dicens: *Domine, non est tibi cura, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, vt me adiuuet*: Ad hæc autem Christus Iudicialem (ait S.Doctor) protulit diffinitionem, replicans, & repetens: *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris circa plurima; porrò vnum est necessarium, Maria optimam partem elegit*, subditque iudicij causam: *quæ non auferetur ab ea*, in quæ verba sic postillat S.Doctor: Præponitur vnum multis, quia non vnum à multis, sed ab vno multa, vt ait D.Augustinus *tract.* 27. *in Ioan.* propè finem; *Multa sunt, quæ facta sunt; vnus qui fecit; bona valdè, quæ fecit, quanto melior ille, qui fecit: imo simpliciter optimus, & hæc est pars animæ contemplatiuæ.*

HINC *Threnorum* 3. dicitur: *Pars mea dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum*, Psal- 14
mo 141. *Clamaui ad te domine, & dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viuentium.* Hæc est portio contemplantium, ait D. Bonauentura, in quorum persona dicitur, Deuteron. 3. *Transibo, & videbo terram hanc optimam trans Iordanem, & montem istum egregium, & Libanum.*

CONFIR

15 Confirmatur à S. Doctore hæc vitæ contemplatiuæ præstantia præ actiua, ex huius defectibus, quos insinuat Christus ingeminato illo nomine: *Martha, Martha, sollicita es, &c.* ita enim consueuit Deus ingeminare nomen illius, quem ad sui defectus attentiorem considerationem vult excitare, vita *Hier.* 32. hominem peccatorem triplicato nomine increpat: *Terra, Terra, Terra, audi sermonem Domini*, & Exodi 30. videns Deus, quod audacter appropinquaret Moysea ad videndam visionem rubi, quam flamma accenderat, nec vrerat, interpellauit eum dicens: *Moyses, Moyses.* Ità modo Martham nimiæ sollicitudinis arguit, vocans eam, *Martha, Martha*, quam propterea ob triplicem defectum increpat, vt prosequitur S. Doctor, ob sollicitudinem scilicet in cogitatu, ob tribulationem in affectu, & diuisionem in actu.

16 Hæc autem tria hominem maximè à spirituali in Deum profectu retrahunt; quare *Philip.* 4. consulitur: *Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione, &c. petitiones vestra innotescant apud Deum*, & 1. Petri, vlt. *Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis*: Sollicitudo enim vires animæ distrahit, ac dispersas debilitat, tandemque à Deo diuidit, qui vnus est, vnitatemque diligit; vnde ait D. Paulus 1. Cor. 7. *Qui cum vxore est sollicitus est, qua sunt mundi, & diuisus est: mulier autem innupta, & virgo cogitat, qua domini sunt, vt sit sancta mente, & corpore*: quamobrem Ecclesia Orientalis, licèt Clericis, seu præsbyteris, quorum portio, & studium est incumbere proximi saluti promouendæ, indulserit vxores ducere; id tamen Monachis, (estò essent laici) nunquam attentum, vel permissum legimus; quippe qui omnia simul in vno habentes, non debuerunt illud vnum dimittere, vt dicitur *Tob.* 10.

17 Deinde turbatio in affectu, quâ vita actiua plurimum molestatur, dissuadetur Ioan. 14. *Non turbetur cor vestrum; creditis in Deum, & in me credite*, non enim satis perspicax est ad videndum oculus turbatus, vt aduertit S. Doctor hic, quare de Christo prædixit Isaias, 24. *Non erit tristis, neque turbulentus.*

18 Denique diuisio in actu, quæ frequens est in negotiorum multitudine, auertitur Eccl. 11. *Fili ne in multis sint actus tui*; cùm enim operationea, etiam facultatum animalium, seu partis sensitiuæ, & vegetatiuæ, requirant collectionem, & velut attentionem omnium potentiarum animæ, vt benè, & complete peragantur, quo intensiùs vna potentia occupatur circa suum obiectum, eò remissiùs aliæ facultates operantur circa propria obiecta, quantoque magis circa temporalia homo distrahitur, tanto faciliùs, & frequentiùs à consideratione æternorum labitur; vnde cùm hæc incommoda in vita actiua sæpè numero offendantur, eam in Martha reprehendit Saluator noster, vt per ostensionem ipsius defectus actionis importunitatem corrigeret, vt concludit S. Doctor *loco cit. litt. D.*

19 Non propterea tamen, (resumit Seraphicus) pars Marthæ mala est; actionis enim nimietas, modus, seu excessus, non substantia, reprehenditur; vnde dixit Christus: *Turbaris circa plurima*, turbatio enim spiritum deuotionis extinguit; nec, licèt ex feruore agendi, vel ministrandi etiam charitatiuè, nascatur, laudabilis est; quia Charitas, vt proximo proficiat, debet in seipsa benè ordinari; vti ait Sponsa in canticis, cùm ad eius accessum Adolescentulæ, sæpiùs correptionis feruorem expertæ, trepidarent; *ordinauit in me Charitatem*, quippe placidam mentis quietem nacta, postquam sponsi pulchritudinem diu contemplando miraretur, omnem turbidè agendi modum dimisit, vt exponit S. Bernardus super Cantica, in ea verba.

Probatur adhuc à S. Doctore ad idem *c.* 10. 20 *Luca*, Vitam Contemplatiuam præcellere actiuæ; Quod est permanentius, cæteris paribus, est præstantius: Atqui contemplatio permanentior est actione: Ergo. Maior patet, nam Charitatis præstantia in eo præ cæteris virtutibus Theologicis lucet, quòd nunquam excidat, sed etiam in visione beatifica, in ratione saltem specifica, duret: Sed Contemplatiua operatio hîc incipit, & in futuro permanet; vt habet Glossa in ea verba: *Qua non auferetur, &c.* Ergo eò est melior, quò manentior, vt subdit Seraphicus Doctor, nam vt ibi ex dicta Glossa refert: *transit labor multitudinis, & remanet Charitas vnitatis*, in cuius figuram de Ioanne, gerente personam Contemplatiui, ait dominus: *Sic eum volo manere, donec veniam*, indicans partem, quam elegit Maria, non auferendam, sed perficiendam, de qua ait lib. 3. in cap. 10. Lucæ tom. 5. *Amoris ignis, qui hic ardere inchoat, cùm ipsum, quem amat, viderit, in amore amplius ignescit*, id ipsum præsignauit Isaiæ 31. *Cuius ignis est in Sion, & caminus in Ierusalem.*

Probatur vltimò à S. Bonauent. eodem loco, vbi tribus verbulis concludit omnes rationes, quas fusè deducit Suarez *loco cit. cap.* 6. dum ait: Vita Contemplatiua simpliciter est magis desideranda, tanquam ea, quæ est melior, *Tum quia securior, tum quia suauior; tum qui stabilior*: Concludit tamen Seraphicus, non ideò despiciendam esse actiuam, tum quia anterior; tum quia pænalior; tum quia fæcundior, valet enim sibi, & aliis, cui nihilominus pro se, & pro aliis præualet contemplatiua: Hæc enim non impedit, imo promouet aliorum salutem; siue enim Prælatus sit, siue prædicator, vt sibi & aliis benè præsit, & prædicet; necesse est, vt Contemplationem non deserat; vnde de vtraque vita ait D. Gregorius, lib. 6. Moral. cap. 18. apud Seraphicum, loco cit. *Magna sunt actiua merita, sed Contemplatiua potiora.* 21

Obiicies; ad quid ergo vita sola actiua, si etiam in Prælatis, & prædicatoribus Contemplatiua eius vices obeat: nam Prælatio, & prædicatio sunt actiones externæ, ad proximum principaliter Ordinatæ. 22

Respondet S. Doctor *loco cit. litt. D.* & cum eo Suarez *dicto cap.* 6. exercitia spiritualia, qualia sunt Prælatorum, & Prædicatorum, eam habere connexionem cum contemplatione, vt sint velut eius actus, & effectus, ac proinde eam tanquam suam originem supponere: Prædicatio enim nihil est aliud, quàm interna veritatis contemplatio, foris verbis, & gestibus descripta; vnde viros spirituales oportet aliquando egredi, aliquando ingredi, modò ascendere, mox descendere, vti in visione illa Iacob, Gen. 28. angeli ascendebant, & descendebant, contemplando simul Deum, & hominibus subueniendo: Vita autem illa, quæ purè actiua est, potiorem, seu propriorem sui partem in exercitiis obtinet corporalibus, vt ægris assistendo, viduas visitando, corporalibus inopum necessitatibus succurrendo: Hæ autem actiones, licèt requirant procedere ex intentione, & aliquali consideratione; non tamen propriè contemplationem, qualis infrà *quæst.* 5. describitur, requirunt, aliàs nulla actio esset bona, seu meritoria, quæ contemplationem non supponeret.

Concludimus tamen cum S. Doctore 3. *parte centil. sect.* 46. vtramque vitam, vt perfecta sit, debere 23

afficere,

efficere, seu occupare tres animæ poteotias, ita vt respectu harum, vnaquæque tres habeat proprietates, in quibus altera ab altera excedirut, non excessu excellentiæ, sed exclusionis; ita vt vna alteram quoad actum excludat, quod verum est in his solùm, qui vitam vel actiuam, vel contemplatioam tantùm colunt; non autem in agentibus vitam mixtam, vt infra dicam, *quæst. sequenti.*

24 PRIMA vitæ actiuæ proprietas est vtilitatis & necessitatis publicæ sedula diligentia; & hæc vim Rationalem occupat, cuius est considerare, quomodo, & quare in actionem prodeat.

SECVNDA est erga proximum charitas, compatiendo eius miseriæ, & hæc io Concupiscibili locum obtinet.

TERTIA est bonorum operum in agendo fecunditas, patienter vsque ad finem perseuerando, & hæc Irascibilem continuò ad ardua accendit.

CONTEMPLATIVÆ verò prima proprietas est supernæ pulchritudinis contuitus cum delectatione, quæ afficit Rationalem.

SECVNDA est quies cum serenitate, & securitate, quæ Irascibilem pacificat.

TERTIA est cordis munditia, cum bonitatis supernæ gustu, quo Concupiscibilis iucundatur.

QVÆSTIO III.

Vtrum detur Vita mixta ex Actiua, & Contemplatiua resultans, & vtra harum sit Præstantior.

D.Bonauent. determ. qq. quæst.1. & alibi, vt infra.

25 TRES ordines status Ecclesiastici, antiquitus institutos, hic memorat Seraphicus Doctor, quorum cuique suum distinctè munus incumbebat. Primò Cænobitæ in virtutum stadio iugiter proficientes, Christi sequuntur vestigia, quatenus socialem cum discipulis vitam actitabat, ipsisque fuit perfectionis exemplar; Cænobitica enim vita est plurium in vnum genus viuendi professa Societas, vt mutuis exemplis ad æmulanda Charismata meliora sese promoueant: quare status hic conuenientissimus est perfectionis profectui, nec nomen institutionis Religiosæ, vel Monachalis ideo perdit, quod ibi corporum solitudo tam exactè non seruetur, nam li-

26 cet Monas dicat vnum; illud tamen vnum magis signat eam solitudinem, quæ accommodatior est acquisitionis fini, propter quem status monachalis primò institutus est; ad hanc autem magis confert vnitas, seu solitudo mentis, quam corporis: vnde D. Augustin. in ea verba Psal.132. *Quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum*, sic de solitudine monachali loquitur: *nam qui sic viuunt in vnum, vt vnum hominem faciant, vt sit illis verum, sicut scriptum est, cor vnum, & anima vna; multa corpora, sed vnum cor, & vna anima, rectè dicitur Monos, idest, vnus solus*, quare ab initio Ecclesiæ, cùm plures ob perfectonis studium in loca deserta secederent, solebant statis diebus in vnum conuenire, mutuo se exhortando, & excitando ad spiritus vnitatem; vt legitur in vita Patrum.

27 SECVNDO loco sunt Eremitæ, frequentiùs Contemplationi instantes, & exactiorem seruantes, solitudinem, ab omni hominum congregatione, & commercio secedentes; & hi aliquando io conuentibus, quos sibi in Eremis struxêre, habitarunt, vndè etiam Eremitæ sunt vocati, licèt minus propriè, quales fuêre Religiosi D. Basilij, vt habet Suarez, *lib.5. cit. cap. 2.* Alij verò solitariè in desertis locis degebant, omnem hominum Societatem fugientes; & hi propriè Eremitæ nuncupantur, qualis fuit ille Paulus, qui primus Eremita *in Calendario*, acclamatur.

TERTIO tandem loco sunt sæculares Clerici, ideò dicti, quod in ciuilibus sæculi commercijs, & contractibus ineundis locum habent; ac proinde in ipso sæculo cum alijs sæcularibus possint cohabitare; dum sunt animarum Pastores, vel Ecclesiarum Rectores, quorum duplex est status, Episcopalis, & Parochialis, ille Diœcesibus regendis, hic Parochijs curandis destinatur.

VERVM cùm triplex ille status Christi perfectionem non simul attingeret, sed vnus eius contemplatiuam vitam, secedendo in deserto tantùm imitaretur, alter status eius inter discipulos conuersationem, & virtutum exempla æmularetur, vltimus denique eum in procuranda proximi salute sequeretur; Arguit Seraphicus Doctor, dari decere nonnullos qui, Christum in omnibus sectarentur; eiusque nocturnas Contemplationes, & secessus, cum diurnis occupationibus conciliarent; talesque verè mixtam vitam ducere. 28

ASSERO igitur cum Seraphico Doctore, dari vitam Mixtam, ex Contemplatiua, & Actiua resultantem: Hæc est communis Patrum, & Scholasticorum sententia, Apud Suarez, *cit. cap. 6.* vbi inter plures, quos profert, D. Bonauent. prætermittit, Authoritatem tanti Doctoris reticens, rationes autem eius, sibi proficuas reddens. Hanc tenent præ alijs D. Thomas 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 6. & 3. *dist.* 35. *quæst.* 1. *art.* 4. *quæstiunc.* 1. Vide etiam ibi Durandum *quæst.* 2. Paludanum, 4. *dist.* 38. *quæst.* 5. *art.* 1. Caietan. 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 6. Antonin. 3. *parte*, *tit.* 16. *cap.* 1. §. 2. Henriquez, *quodlib.* 12. *quæst.* 25. Syluestrum, *in summa*, V. *Religio* 1. *quæst.* 4. & Canonistas *in cap.* nisi cum pridem, *de renunciat.* Archi. *in cap.* si quis, *dist.* 36. 29

PROBATVR præcipuè à D. Bonauentura loco suprà citato, exemplo ipsius Christi, facti in exemplar vtriusque vitæ, dum nocte morabatur in Monte Oliueti, Contemplationi, & sanctæ orationi intentus; die autem docebat in Templo, ægros sanabat, &c. vt dicitur, *Luca*, 21. in quem locum ostendit S. Doctor, ibi dari Prælatis perfectæ vigilantiæ exemplum in vita & Actiua, simul & Contemplatiua; cùm enim regimen animarum sit officium valde arduum, non nisi desuper à patre luminum, à quo est omne donum perfectum, eius vera, & laudabilis dispensatio, seu ministratio obtineri potest; ac proinde Contemplationi, cui allucet superna veritas, vacandum est: ex se autem Prælatio, cùm sit ministerium ad alterum, etiam actionem importat, nec Contemplationem, si ab hac ordinatè procedat, impedit: Nam vt ait, S. Doctor, *loco citato*, Boni operis fidelis exercitatio, conscientiam quietat, & impinguando eleuat in superna; exemplum affert Seraphicus eius, qui laboraret, conuiuium præparando, in qua postea iucundè epularetur, & cuius dulcedines in ipsa præparatione prægustaret. 30 31

PROBATVR secundò à S. Doctore, *in cap.* 10. *Luca*, exemplo Deiparæ Virginis, cui quicquid per partes datum est Marthæ, & Mariæ, totum absque diuisione infusum; cuius figura erat Arca, in qua simul tabula testimonij, & virga Aaron custodiebantur; 32

per Tabulam autem testimonij signatur susceptio diuinæ veritatis per Contemplationem; & per Virgam Aaron indicatur rectitudo bonæ actionis, tum quo ad se, tum quoad proximum, vt explicat S. Bonauentura, *loco citato.*

32 PROBATVR tertiò à S. Bonent. *in meditatione Christi, cap. 57.* authoritate Patrum, inter quos celebris est D. Bernardus, dum de hac agit materia; Sermone autem 3. *de assumpt.* loquens de vita Actiua. & Contemplatiua sic habet: *Bonum acquirit gradum, qui benè ministrauerit; fortè meliorem, qui benè vacauerit Deo, optimum autem, qui perfectus est in vtroque,* vbi indicat vtrumque vitæ statum esse à se inuicem separabilem, vt suprà probauimus, præstantiorem tamen eum esse, qui vtrumque in vno coniunxerit.

33 IDEM Sermone 50. super Cantica sic habet: *Orantem hominem Deo loqui quis dubitet? quoties tamen inde charitate iubente abducimur, & auellimur, propter eos, qui nostra indigent opera, vel loquela, quoties piè cedit negociorum tumultibus Pia quies, quoties pro administrandis terrenis iustissimè ipsis supersedemus celebrandis Missarum solemniis? Ordo præposterus est, sed necessitas non habet legem,* quibus verbis non solùm ostēdit, vtramque vitam in vno commodè posse compleri, sed perfectionis necessitatem id exigere; quod facit ad secundam quæstionis partem, in titulo notatam.

34 IDEM epist. ad Fratres de monte Dei, longè ante medium, apud D. Bonauent. *loco citato, cap. 56.* sic scribit: *seruus bonus, & prudens ad otium sæpe comparat laborem, nec in eum dissoluitur, sed per eum magis in se ipsum colligitur, qui semper præ oculis habuit, non tam quod agit, sed quod agendo intendit:* cùm enim homo e duplici parte constet, quarum altera quietem, altera requirit exercitium; & duplicem habeat operationem, internam cognoscendo, & externam laborando; item vti duo in se habet purganda, vt notat, S. Doctor, *loco citato, cap. 51.* è D. Bernardo, *serm. 3. de ascensione,* Intellectum, scilicet, & Affectum, intellectum vt nouerit, & affectum vt velit, & vt efficaciter velit; debet homo cum contemplatione veritatis coniungere actionem virtutis, vt dum illa intus rutilat in mente, hæc foris exhibeatur in opere. Vide adhuc D. Bernardum ad fratres de monte Dei, col. 3. & in illa verba Canticorum: *Surge, propera amica mea, &c.* vbi sponsam describit nunc ad vineam propter laborem properantem; nunc etiam in lectulo Contemplationis quiescentem, & sic vtriusque vitæ, agendo, & contemplando, munera exercentem; vt etiam præclare explicat, S. Doctor, *ll. cc. in Meditat. vita Christi.*

35 BASILIVS *in Regula 37. & cap. 2. ad 5. Constitut. Monast.* postquam Charitatis exercitium in proximum Contemplationi docet coniungendum, vt quis sit verè imitator Christi, qui in vtroque, die, ac nocte vigilabat, subiungit: *Auxiliaria opera corporis animæ virtutem illustriorem reddiderunt, dum omnibus suis partibus resoluenda spirituali sua conuersationi operantium eiusmodi, & actiuam vitam, seu sigillum, ac clausulam adiecerunt.* Ne verò quis putaret hunc Sanctum loquutum fuisse de corporalibus exercitiis, quæ ex externa præmeditatione, seu contemplatione ortum habent, subdit exemplum Christi, adhuc in pueritia domesticis laboribus, & obsequiis intentum, antequam prædicatione, aliisque spiritualibus exercitiis, hominum conuersionem susciperet; Addit deinde exempla Apostolorum, & præcipuè Pauli, de quo ait: *animaduerte Paulum indiuulsè laborantem, contentèque tenera facientem, nauigantem, pericula adeuntem, &c.*

CONFIRMATVR ex Præcipuis illustrioribus vitæ contemplatiuæ professoribus, qui curam animarum, & peccatorum correctionem zelabant. Ità omnes, quos vitæ Religiosæ institutores, vel inchoatores probat Seraphicus Doctor, *in Diata salutis, tit. 3. cap. 1. in fine:* sic Samuël, qui primus cuneum Prophetarum congregauit, vt habetur, *1. reg. 10.* ita contemplationi erat addictus, vt vitam Mixtam in correptione, & instructione populi, non desereret: idem dic de Ælia, & Elisæo, cum quo habitauerunt filij Prophetarum, *4. reg. 4.* id ipsum patet de 36
D. Ioanne Baptista, qui congregauit Discipulos, vt 37
dicitur, *Ioann. 1.* de quo ait præfatus Basilius, loco citato: *qui cum aliquando ex arcano Dei Consilio se in solitudine illa tenuisset, in loca culta postea egressus est, ibique Prædicando, & Baptizando, quæ munera ipsam etiam rerum actionem attingunt, illâ suâ demum apud Herodem intrepida sui animi libertate, certaminis sui finem inuenit.* Omitto plura illorum Patrum exempla, quorum mixta vita in lege gratiæ, id ipsum luculentius confirmat.

D. AVGVSTINVS *lib. 19. de ciuitate Dei, cap.* 38
19. sic de hac cum Contemplatione actionis mixtione loquitur: *Nec sic quisquam debet esse otiosus, vt in eodem otio vtilitatem non cogitet proximi; nec sic actuosus, vt contemplationem non requirat Dei.*

ISIDORVS lib. differ. in 29. sic ait: *Quibus-* 39
dam sola Contemplatio proficit; aliis verò sola actiua est consolatio; his media vtriusque composita vtilior est. quam sententiam probat exemplo Christi, confirmatque ex duplici præcepto, omnibus indifferenter dato, licèt ratione officij, vel iustitiæ vnum magis
vrgeat in vno, quàm in alio: hoc est præceptum di- 40
lectionis Dei, & proximi; quod, quantum ex charitate est, omnes ligat; licèt alio titulo potius incumbat quo ad obseruantias, & ministeria, Deo, & proximo impendenda, ei, qui curam animarum suscepit: cùm tamen necessitas, vel huic accedens vtilitas aliquando requirat, vt quem intus fouemus affectum, foris monstremus effectu, necesse est, vt nonnumquam Deum velut propter Deum deseramus, vt laboranti proximo succurramus.

HINC Seraphicus Bonauent. cit. *determin. qq.* 41
quæst. 1. in fine docet, ideò S. P. N. Franciscum Ordinem Minorum ita instituisse, vt in perfectam Christi imitationem, vtramque vitam, non necessitatis debito, sed charitatis affectu, ducere satagerent, & de fructu aliorum salutis meritum capectarent, periculumque perditionis eorum euitarent; dum participes in lucro, indemnes in detrimento, alios extrahere studerent è naufragio, ipsique consistentes in solido, cum in peccato pereuntibus non periclitarentur. Hæc S. Doctor.

ASSERO Secundò, simpliciter præstare vitam 42
mixtam agere, quàm solam actiuam, vel solam contemplatiuam, patet Authoritatibus allatis.

PROBATVR insuper à Suarez, *num. 19.* ratione, quam indicat S. Doctor, *loco* nuper *citato*, Vita mixta continet quicquid perfectionis habet seorsim vita contemplatiua, & actiua: Ergo est simpliciter vtràque, seorsim sumptâ præstantior. Maior patet, ideo enim homo, anima, & corpore constans, melior est, quàm anima sola, vel corpus solum; quia compositus vtriusque retinet perfectionem: Consequentia probatur; vbi est vnum, alteri adiunctum, ipsum potius promouet, quàm impedit, vbi meliùs est, vt vtrumque iungatur; Atqui ita hic euenit: Ergo. Probatur Minor, quæ probatione non eget de contemplatione, quæ durante actione, exercetur; dum enim actualiter
intenditur in Deum inter agendum; eò meritum cu- 43
mulatius

mularius euadit, & ipsa actio nobilior efficitur; vt illustrissimo quoque patrum Pater, qui mente, manuque simul in Deum, operando, & contemplando tendebant, vt signanter de S.Basilio scribit Greg. Nazianzen. *orat.* 20. Ità enim agebat magnus ille Contemplator: *vt nec Contemplatio communicationis expers esset, nec actio Contemplatione careret: Sed quemadmodum terra, & mare, ita etiam hæ duæ vitæ commoda sua inter se communicantes, ad vnicam Dei Gloriam concurrerent.* Similia de Nerone Philosopho, & Martyre scribit idem Nazianzen. *orat.* 23. eum in eo præcipue laudans, quod esset ita virtute ambidexter, vt nunquam contemplatio eius actionem præpediret.

44 PROBATVR autem Minor de actione, quòd contemplationi vicissim non obstet. Nam actio solùm impedire potest mentis operationem, vel eam aliò distrahendo, vel eius intensionem diminuendo; neutrum contingit in vita contemplatiua, & actiua mixtâ: Ergo. Probatur Minor quoad priorem partem: Actio propter Deum suscepta importat secum actualem cogitationem de Deo; ergo eam non diuertit. Probatur Antecedens: quia procedit ex præuia cogitatione, requiritque ex natura sua frequentem attentionem, & ascensionem in ipsum Deum. Quod si mens interim aliò distrahatur, hoc non est ex vi talis actionis præcisè; sed ex alia cogitatione subrepente, quæ potest æque accidere in contemplante, vti in operante; vt non nisi nimis cuique patet propria experientia; nisi fortè rarò eò sit inter contemplandum euectus, vt potiùs ardeat, quàm luceat.

45 PROBATVR Subminor quoad secundam partem: Actio praua, seu fornicandi, seu furandi non diminuit eius intensionem in mente priùs conceptam; quinimo eam potiùs intensiorem reddit; Ergo id à fortiori dicendum est de actione bona; Consequentia patet, quia qualis est proportio inter cognitionem mali, & actionem propter illud susceptum, talis potest esse inter contemplationem Dei, & actionem, propter eum exercitam.

46 NEC obstat, quod illa actio eo magis intensam reddat internam operationem, quia sensibilis est, ideòque est proportionata magis, quàm sit actio virtuosa contemplationi: Contra enim quia operatio illa interna etiam magis viget in parte sensitiua, ideoque habet proportionem cum voluptate, quæ in carne sensibili percipitur; vnde cùm actio virtutis sit vt plurimum absque sensibili illa voluptate, habebit similem proportionem cum contemplatione, quæ in mente purè spiritualis est, eamque non remissam, sed intensiorem reddet; modò mens attendat sibi, dum operatur ad extra: & hoc non rarò viri contemplatiui experiuntur, vt in actione eam lucem repentino quodam fulgore sibi videant irrutilare, simul & feruorem accrescere; cùm nec tantum aut splendoris, aut ardoris otiosè sedentes forsam perciperent; quod idem vult Sanctus Doctor, *loco suprà citato*, vbi boni operis fidelem exercitationem ait mentem in superna eleuare; quod exemplo ibi memorato explicat, nam qui mensam struit ad epulas, attentè considerat personas, propter quas id præstat, ac dum manibus, pedibusque actitando, & cursitando hinc inde occupatur, in mente finem, & modum suæ actionis ruminat, indèque iucunditatem epularum prælibat.

47 DATVR esto inter agendum animos aliò diuertatur, dummodo voluntariè culpæ non consentiat; meritum non amittit; & talis actio est virtualis Dei, & proximi dilectio, & quantò pœnalior est operatio, ob nimiam attentionem requisitam, à Contemplatione detrahens, tanto perfectius meritum cumulatur; cùm se sæpissime, non Deum, quærat inter vacantis Contemplationis delicias homo; qui eò minùs aliquoties Deo placet, quo sibi minus displicet.

PRÆTEREA cùm is sit status cuiusque contemplantis in via, vt diu absque aliqua propositi laxatione nequeat mentem, in Deum eleuatam sustinere, sed vel ex deuotionis auiditate, vel ex nimia alienæ cogitationis ingruentia cogatur contemplationis studium intermittere, vt ex opinione omnium contemplatiuorum docet Suarez, *loco citato*, cum D. Bonauentura, *cap.* 58. *in Meditat. cit.* melius nequit hic defectus suppleri, quàm se pietatis ministeriis mancipando, & proximorum salutem promouendo; eò maximè, quod huiusmodi opera in sacra Scriptura summis laudibus celebrentur, vt Ioan. 12. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus*, & Marci 10. *Qui maior est vestrum, erit minister vester.* 48

CONFIRMATVR à S. Doctore, *cap.* mox *cit.* ex tribus causis, quæ ad intermittendam contemplationem cogunt; & in quibus potest actio euadere maioris meriti quàm contemplatio; quippe quæ his vrgentibus causis, possit vitio imputari. Prima causa, quam recenset S. Doctor, est animarum lucrum, propter quod Episcopi, qui in apice perfectionis emicant, tenentur nonnunquam contemplationem actioni postponere. Nec dicat quisquam ad Episcopos spectare solùm vitam actiuam; id enim absurdum est; nam cùm scientia, sapientia, aliisque virtutibus intellectualibus debeant populo prælucere; debent esse maximè contemplatiui, vt docet Suarez *cap. suprà citato*. Prætereà cùm ille perfectionis status, in quo supponuntur Episcopi, nequeat exercitiis corporalibus acquiri, ridiculum esset, eos ad tam infimum agendi gradum deprimere. 49

SECVNDA causa intermittendi otij, priori affinis est, scilicet Prælaturæ regularis officium; cùm enim hi & spiritualiter, & corporaliter teneantur suorum subditorum necessitatibus prouidere, æquum est, vt ab infœcundæ Rachelis amplexibus auellantur, exuberentque cum Lia ministerij sui fructibus, vt ait S. Bernardus apud Seraphicum citatum; vbi sic prosequitur: *minimè prorsus pigebit me intermissæ quietis pro cura sermonis, cùm video in vobis germinare semen meum, atque augeri incrementa iustitiæ vestræ: Charitas enim, quæ non quærit, quæ sua sunt, id mihi iam dudum facilè persuasit, nil scilicet desiderabilium meorum vestris præferre vtilitatibus. Orare, legere, scribere, meditari, & quæ sunt alia spiritualia studij lucra; hæc arbitratus sum propter vos detrimenta*, quæ eo vsque sunt vera, vt strictioris disciplinæ ordines, apud quos ab omnimoda ministratione vacatur, non eximant suos Prælatos ab hoc ministerij onere. 50

TERTIA causa suprà tacta est, & est recessus sponsi ab anima, qui venit, vaditque pro suo libito, vt ait S. Doctor *dicto cap.* 58. *litt.C.* 2. è D. Bernardo *serm.* 32. *super Cant.* cùm enim sponsi reditum præstolatur, nec se videt proficere, tunc nouit anima, ait S.Doctor, sponsi voluntatem esse, vt ad vitam actiuam se reducendo, ei fructificet; nec enim contemplatorem decet desidia; vnde D.Bernardus eodem loco apud Seraphicum sic habet: *Quis enim, non dico continuè, sed vel diù, dum in hoc corpore manet, lumine contemplationis fruitur: at quoties corruit à contemplatiua, toties in actiuam se recipit; quoniam sunt inuicem contubernales hæ duæ, & cohabitant pariter; est quippe soror Mariæ Martha*, hinc est, vt ille vitæ status, qui purè etiam Contemplatiuus nuncupatur, statas habeat horas, quibus manualibus exercitiis possit vacare, quales sunt Carthusiani, & alij. 51

52 QVOD si contemplatiuam in eo rigore sumamus, vt actiuam omnimodè excludat, non datur talis vita in tota Ecclesia, nec expediret eius institutio; cum paucissimis ea gratia concedatur, vt iugi contemplationi incumbant, vt constat authoritate D. Bernardi, iam citati & rationibus suprà allatis.

VERVM, vt æquiuoca vitentur, aduertendum est, vitam Contemplatiuam eam dici, quæ in oratione lectione, meditatione, ac similibus exercitiis præcipuè consistit; & si quas actiones suscipit, eas ad contemplationem ordinat, vel ad proprium, non autem proximi, commodum: vnde habes contemplatiuam non esse omnino actionis exclusiuam.

E contrà, vita Actiua præcipuè incumbit operi-
53 bus misericordiæ, quæ in duplici sunt genere, alia enim sunt purè corporalia, vt visitare, cibare infirmos, vestire nudos, &c. Alia sunt potiùs spiritualia, licèt admixtam habeant actionem corporalem, vt prædicatio, confessio, &c. Hæc si spectentur in ordine ad prædicantem, confessiones excipientem, &c. sunt potius vitæ contemplatiuæ, quàm actiuæ; procedunt enim ab interna veritatis contemplatione, vt suprà innui; erudiunt prætereà talia exercentem; sed si considerentur in ordine ad proximum; sunt inter officia & functiones vitæ actiuæ connumeranda; quia contemplatio est propter se ipsam, sistitque in se, nec est expetibilis propter aliud, licèt sit medium nobilissimum ad plura circa proximum peragenda, vt patet in viris valde contemplatiuis, qui aliis sunt aptiores ad conuertendos peccatores, ad consulandos miseros, &c.

54 Ex his colligitur, vitam eam dici Contemplatiuam, in qua frequentia, & media contemplandi excedunt, non verò protsus excludunt actionem: vitam autem actiuam eam appellari, quæ frequentius, & ex professo vtilitati, & commodis proximi inuigilat; nec omnem considerationem, aut veritatis meditationem excludit: hoc enim peruersum esset; cùm omnis actio meritoria debeat esse à voluntate libera, ac proinde ab intellectu considerante. Vita verò mixta dicitur ea, quæ aliquando contemplationem ad actionem, & hanc vicissim ad illam ordinat, sibique, & proximo in spiritualibus, & corporalibus, quantum valet, prouidit; & hanc asseruimus suprà absolutè esse meliorem; quamuis ex improportione mediorum ad finem, & aliis defectibus contingentibus possit esse deterior, nam agendo de religione docuimus, eius perfectionem non tam consistere in ipsius fine, quàm in medio, & modo ad eum tendendi.

55 NEC obstat nuper dictis, quod præposterum videatur contemplationem propter se expetibilem, ad actionem referri; cùm è contra, actio ad illam sit magis referibilis.

RESPONDET enim Suarez cit. è S. Doctore *in cap. 10. Lucæ*, & *meditat. cit. cap* 45. actionem referibilem ad contemplationem esse per modum dispositionis, in quantum adhuc imperfectus debet se magis actioni, quàm contemplationi mancipare. Verùm contemplatio actioni inseruit per modum auxilij, & causalitatis, prout pendet à libera contemplantis voluntate; sic autem ad actionem quid nobilius referri non implicat, cùm incarnatio verbi, quæ est opus Dei excellentissimum, ad salutem hominum fuerit
56 ordinata: vnde licèt in physicis entitatem nobiliorem ad minus nobilem referri, ignobile quid resonet; in moralibus tamen meritum, & perfectionem redolet; cùm virtutis excellentia magis sita sit in benignis condescensionibus, vt ex continua Dei erga nos praxi liquet, quàm in stricto rerum ordine conseruando; quare cum viri Christiani perfectio pendeat ab accessu, & imitatione diuinæ Charitatis, arbitror eam vitam perfectiorem esse, cæteris paribus, quæ sibi, & proximo piè, iustè, & sobriè prospicit.

VERVM si pensitemus status securitatem in 57
communi, necesse est, vt vitæ contemplatiuæ eam non denegemus, tum propter impedimentorum, & occasionum remotionem; tum quod ad eam Religionem, quæ purè est contemplatiua, pateat aditus ab aliis religionibus, etiam mixtis, non è contra: Sed aliud est loqui de securitate, ac perfectione; licèt vtraque in vita mixta, cui iugis Dei prouidentia assistit, non desit; nam vnusquisque viuendi status præfigit sibi media satis apta ad lapsus præcauendos, ad perfectionem attingendam & ad suum munus ritè obeundum; quibus positis, & morali diligentia seruatis, præualebit proculdubio perfectio illius vitæ, vbi plures exercendæ virtutis occasiones sunt obuiæ, & vbi proinde maiora, & perfectiora accumulantur merita.

QVÆSTIO IV.

Quæ sunt præcipua exercitia vitæ Actiuæ.

{ D. Bonau. 3. parte Centil. sect. 46. & in meditat. infrà.

SVPRA distinximus vitæ actiuæ munera in exer- 58
citia merè corporalia, & mixtè spiritualia. Priora ad septem reducuntur à D. Bonauentura *de 7. Donis, de Dono pietat. cap.* 1. & omnibus hominibus quantum ea exercendi facultas suppetit, sunt communia. Primum vitæ actiuæ munus in ordine ad proximum (nam in ordine ad se est potius vita actiua via ad contemplationem, se à vitiis castigando, aliisque exercitiis, seu pœnalibus, seu corporalibus exercitando) est visitatio infirmorum. Secundum, potatio sitientium. Tertium, cibatio esurientium. Quartum, redemptio captiuorum. Quintum, vestitio nudorum. Sextum collectio peregrinorum. Septimum denique vltimus est, mortuorum sepultura; Quæ omnia cæteri communiter cum D. Bonauentura *3. part. Centil. sect.* 46. hoc colligunt versu:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

HORVM sufficientia optimè assignatur à D. Bo- 59
nau. hîc: Cùm enim quisque suum proximum teneatur diligere, sicut seipsum; vti seipsum quisque totum considerat in corporalibus necessitatibus, simili mensurâ debet etiam proximi necessitates perpendere; Vnusquisque autem homo primò est substantia animata, & propterea constat parte vegetabili, indigente restauratione calidi, & sicci; quæ fit per cibum, sicut & restauratione frigidi, ac humidi, quæ fit per potum: Est prætereà homo substantia sensibilis, propter quam indiget duplici operimento ad repellenda exteriora totidem nociua; primum operimentum remotum, est Tectum; per quod datur hospi- 60
tium ad repellendam noctis iniuriam; secundum proximum, est vestimentum, ad operiendam simpliciter nuditatem. Item homo est substantia rationalis, & debilis, ac proinde libertatem nata perdere, seruitute in carcere, vel infirmitate in lecto. Contra primam est redemptio, contra secundam visitatio. Denique homo est mortalis, ac per consequens morti subditus; post quam indiget sepulturâ; & sic septem numerantur auxilia, quæ operosa Charitas ei valet ministrare.

SEPTEM item sunt opera spiritualia, quæ recen- 61
set

ſet S.Doctor *locis* ſuprà *cit.* & de quibus nos nonnibil tetigimus, de Eleemoſyna, *diſp.* 10. vbi ea cum Seraphico, & aliis communiter hoc retulimus verſu:

Inſtrue, Conſule, Caſtiga, Solare, Fer, Ora.

HORVM etiam ſufficientiam ſic colligit S.Doctor *loco cit. centil.* Sunt in homine quidam defectus, qui à ſolo Deo poſſunt tolli; in quorum ſubſidium neceſſaria eſt oratio; alij ſunt defectus potentiæ cognoſcitiuæ, vt cognoſcendorum ignorantia, ad quam leuandam ſufficit inſtructio; Si eſt agendorum ignorantia; ſupplet conſilium: Nonnulli ſunt etiam defectus in potentia affectiua; & eſt culpa, vel pœna: ſi culpa, commiſſa eſt in te, vel in alios; ſi in te, remitte; ſi in alios, corrige, & eſt caſtigatio: ſi denique ſit pœna, leuanda eſt verbo conſolationis, vel facto ſupportationis; quæ duo ſignantur illis particulis: *Solare, Fer.*

62 DE vtroque munere ſpiritualis, & corporalis actionis breuiter ſic fatur D.Bernardus *ſerm.* 12. *ſuper cantica*, apud Seraphicum in meditat. vitæ Chriſti, cap.42. *Tu quoque, ſi donum, quod deſuper accepiſti, nobis contubernalibus libenter impertias, ſi te exhibeas vbique inter nos officioſum, ſi affectuoſum, ſi gratum, ſi tractabilem, ſi humilem, teſtimonium habebis ab omnibus, quod fragres, & ipſe vnguentis optimis: Omnis in nobis, qui fraternas infirmitates tam corporum, quàm animarum, non ſolum patienter ſupportat, ſed inſuper, ſi licèt ei, & valet, iuuat obſequiis, confortat alloquiis, conſiliis informat; ſi hoc non poteſt propter diſciplinam, ſollicitis ſaltem orationibus, ſolatiari non ceſſet infirmo; omnis, inquam, qui talia operatur, in nobis bonum ſpargit odorem.*

63 QVAMVIS autem ſeptem numerentur Actiuæ vitæ exercitia ſpiritualia, omnibus diuerſimodè communia, breuiùs tamen poſſunt reduci ad tres hominum ſtatus, quibus ex officio incumbat ea erga ſibi commiſſos exercere. Hi ſunt Prælati, Prædicatores, & Confeſſarij, vt indicat S. Doctor *cuatis meditat. quæſt.* 45. de Prælatia vidimus *diſp. præcedenti*; de Confeſſariis videbimus 3. *parte*, vbi de Sacramento Pœnitentiæ: hic igitur reſtat nonnihil de Prædicatoribus dicendum.

SVBQVÆSTIO VNICA.

De officio, & obligatione Prædicatoris.

D.Bonauent. in Apologet. quæſt 2 3 & 4. aliiſque locis infra citandis.

64 PRÆDICANDI munus eò nobilius, magiſque arduum meritò reputatur, quò Natura, & Gratia veluti certatim ſua ad illud complendum dona conferant; vnde licèt plures in Cathedris ſub ſpecie concionatorum quotidie obſtrepant; pauciſſimi, quantum par eſt, eo munere funguntur; quia rariſſimè in vno natura cum gratia per omnia conuenit.

QVAMVIS autem plures conditiones ex parte corporis, & animæ, vt iam indicatum eſt, ad nobilem hanc functionem requirantur; reduci tamen poſſunt ad Authoritatem, & Sufficientiam.

65 AVTHORITATIS ratio colligitur à D.Bonau. *loco cit.* & probata eſt ſuprà *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *num.* 27. & patet è 23. Hierem. *ipſi currebant, cum ego non mitterem eos*, Tim. 3. *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur*, Hæbr. 5. *Nec quiſquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron*: vnde Chriſtus, penes quem eſt ſuprema poteſtas, de ſe ipſo dicit: *Neque enim à me ipſo veni, ſed ille me miſit*, ſcilicet Pater: vnde Iſayas noluit à ſeipſo ire, ſed ait: *Ecce ego, mitte me*, Dominus autem reſpondit *vade, & dices populo huic*, &c. En authoritas miſſi.

SIGNA veræ miſſionis à Deo, indicantur à S. Doctore *ad cap.* 9 *Lucæ.* Primum eſt, ſi à Pontifice prædicator authoritatem obtineat, & præcipuè à Summo, qui Chriſti gerit vices in terris. Secundum eſt, ſi habeat verum propriæ, & alienæ ſalutis zelum, non quærens quæ ſua ſunt, iuxta illud 1. Cor.4. *Non enim noſmetipſos prædicamus.* Tertium eſt, ſi auditores ſermonis fructum in opere exhibeant, ſicut dicitur de Apoſtolis, qui miſſi interpretantur, Ioan. 15. *Poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis.*

66 HINC Seraphicus P. N. Franciſcus regulæ capite 9. quod totum eſt de Prædicatoribus, ſic incipit: *Fratres non prædicent in Epiſcopatu alicuius Epiſcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum.* Negatiuè autem loquitur *fuerit contradictum*, vt obſeruat S.Bonau. quia cùm poteſtas prædicandi non habeat ſuam efficaciam à conceſſione Iuriſdictionis, ſicut poteſtas confeſſiones excipiendi; non requiritur vi regulæ ea authoritatis expreſſio, ſed ſufficit rationabilis præſumptio, maximè ſi tales ſint prædicatores, quorum inſtitutio ſedis Apoſtolicæ approbatione nititur, vt ait S. Doctor *ibidem.* Præter hanc autem Pontificis authoritatem, requiritur pro regularibus, vt à propriis Prælatis authorizentur; ità pro Minoribus ſtatutum eſt *dicto cap.* 9. *regula*, vbi ſic ſcribitur poſt præfata verba: *Et nullus fratrum populo penitus audeat prædicare, niſi à Generali miniſtro huius fraternitatis fuerit examinatus, & approbatus, & ab eo prædicationis ſibi officium fuerit conceſſum.*

67 AB his non multum differt Decretum Concilij Trident. *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. præterquam quòd expreſſam Epiſcopi licentiam poſtulet; ſic enim habet: *Regulares cuiuſcumque ordinis, niſi à ſuis ſuperioribus, de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare non poſſint; cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant; In Eccleſiis vero, quæ ſuorum ordinum non ſunt, vltra licentiam ſuorum ſuperiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum ordinum, nullo modo prædicare poſſint; ipſam autem licentiam gratis Epiſcopi concedant*: Cuius decreti cùm conſuetudo, quæ diu increbruerit, ſit optima interpres, ei in ſingulis Diœceſibus ſtandum eſt, ſolent enim multis in locis Reuerendiſſimi DD. Epiſcopi pro eo, quem

68 erga Regulares habent, affectu, ſuas vices ipſorum Prælatis in hoc demandare; alibi pro præcipuis anni temporibus perſonalis præſentatio iuxta tenorem concilij requiritur, vt quando quis tempore Aduentus, vel Quadrageſimæ prædicaturus eſt; cum enim in fauorem Epiſcoporum Concilium ita ordinauerit, poſſunt ipſi, prout prudenter iudicauerint, totam rem zelo, & diſcretioni Prælatorum regularium commendatam relinquere; vt à multis fieri ſolitum eſt; aliàs verò Concilio ad litteram ſtandum eſt, vbi id ſolidò obſeruatur.

69 VBI verò Epiſcopi licentia ſemel habetur, ſi contradixerint Parochi, monet S.Bonauentura ad *dictum cap* 9. malitiæ potius cedendum, quàm ſcandalum cauſandum; Si tamen ex ceſſatione grauius malum timeatur, vt quod Parochus ſe opponat, vt ipſe hæreſim, vel zizania ſeminet; tunc vtendum eſt Authoritate Epiſcopali, vt maius malum auertatur; & etiam minus, quod poſſit eſſe nonnullorum ſcandalum, quantum fieri poſſit, prudenter præcauendum eſt.

70 QVOD si quis regularis irrequisita Episcopi benedictione, vel ipso contradicente concionetur, vltrà, quod peccat in suam regulam, si sit Minor, potest vlterius puniri ab ipso Episcopo iuxta Constitutionem Gregorij XV. latam in Bulla *Inscrutabili* 9. Febr. 1622. cuius tenor sic habetur: *ac Demum habeat Episcopus authoritatem coercendi, ac puniendi quoscunque exemptos tam sæculares, quam Regulares, qui in alienis Ecclesiis, quæ suorum ordinum non sunt, absque Episcopi licentia; in suis Ecclesiis, aut suorum ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente prædicare præsumpserint, &c.* ità refert etiam Bonagratia V. *prædicatores*, *num.* 374.

71 QVANTVM ad Authoritatem proprij Prælati, quam fratres Minores præuio examine tenentur habere, priùsquam prædicent; licèt Regula eam iuxta litteram à solo ministro generali dandam specificet; cum tamen id cautum sit, vt periculis obuietur, nihil regulæ temeratur, dum aliis examinandi, & approbandi licentia concedimr; vti enim Episcopi ordinandos per alios curant examinari, & Vniuersitatum præsides alios deputare solent ad examinandos eos, quibus Doctoratus infulas sunt donaturi; ita per alios potest Generalis minister examinare, & approbare, quos ad prædicationis officium electurus sit, licet regula habeat: *Nisi à ministro generali huius fraternitatis fuerit examinatus*. Ipse tamen authoritatem
72 præstare tenetur. Ità D. Bonauentura *loco cit.* quod si de sufficientia illius, qui ad prædicatoris gradum promouendus est, nullatenus dubitetur; non est præuium examen necessarium; sed sufficit, vt eius sufficientiæ ratio Generali innotescat, ipseque litteras concionatorias mittere possit; ita S. Doctor cit.

HÆC de concessione Authoritatis dicta sufficiant: Verum de eius ablatione, seu suspensione quædam notanda sont.

73 PRIMO Concilium Lateranense sub Leone X. suspendit prædicantes falsa, & incerta miracula; vel & prophetias, in sacra scriptura leuiter fundatas, seu à sede Apostolica nequaquam approbatas; nisi locorum Ordinarij tribus, aut quatuor viris eruditioribus ad earum examen deputatis, id permiserint, dum præfatam sedem consulendi opportunitatem non habuerint.

SECVNDO Concilium Tridentinum *sess.* 5. *cap.* 2. *de reform.* post D. Bonauenturam exposit. *in Psalt.* ad ea verba Psalm. 49. *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras, &c.* tres casus assignat, in quibus prædicatio prohibetur, & suspensio etiam Regularium ab Episcopo, tanquam sedis Apostolicæ legato, potest inferri; non tamen ipso facto incurritur.

74 PRIMVS casus est, si prædicentur propositiones erroneæ; quid autem per propositionem erroneam Doctores intelligant, dixi hoc Tomo suprà, vbi de hæresi.

SECVNDVS casus est, si prædicentur propositiones scandalosæ, ad quas reducit S. Doctor *loco cit.* crimen notorium ipsius prædicantis; hoc enim scandalum non modicum solet parturire, turpe enim est, si vox vitam remordeat, & sit vox quidem Iacob, manus autem esau, vt ait hic S. Doctor *ex* 27. *Genes.*

TERTIVS casus est, si propositiones, quæ prædicantur, sint hæreticæ.

75 HIS accedunt prohibitiones factæ ab Alexandro VII. 3. *Decemb.* 1661. in Bulla, quæ incipit; *Sollicitudo omnium*, vbi renouantur varia circa idem statuta Pauli V. Sixti IV. & Pij V. vt nullus in concione ad populum, aliisvè actis publicis, propugnet opinionem D. Thomæ de Beatissimæ Virginis conceptione, eam immaculatam non asserendo; prohibentur etiam alij quicumque prædicare opinionem D. Thomæ peccaminosam, vel hæreticam esse, vide Bonagratiam *cit. num.* 380.

QVANTVM ad sufficientiam, ad prædicatoris officium requisitam, eam ex parte animæ ponit S. Doctor in solida scientia, & munda conscientia, ita habet expositione, in Psalm. 158. ad ea verba: *appropinquet deprecatio mea.* 76

VT mundam acquirat conscientiam, debet propriæ saluti priùs vacare, quàm alienæ ædificationi, exemplo Eliæ, qui priùs abiit in desertum, & peruenit ad montem Dei in Oreb, vbi edoctus est, vt ait S. Doctor, *ad* 2. *Luca*; postea verò missus est ad vngendos Reges, & Prophetas, 3. *reg.* 19. sic ipse Christus priùs cæpit facere, postea docere.

CIRCA verò scientiæ acquisitionem, notat S. Bonauentura *ad cap.* 8. *sap.* propè finem, octa prædicatori valdè esse vtilia; cognitionem scilicet sapientiæ per inuestigationem: commemorationem, per frequentationem: delectationem, per amorem: Operationem, per impletionem; concertationem per disputationem, communicationem, per collationem; circuitionem, per interrogationem; assumptionem denique, per incorporationem. Inuestigando quippe cognoscimus: frequentando, memoriæ ideas rerum mandamus: amando, quæ discimus, de his delectamur; operando, ea implemus; disputando, difficultates nobis, aliisque soluimus; conferendo, aliis, quæ nouimus, communicamus; interrogando, in id ipsum per discursus circuitum redimus, aliosque de veritate magis conuincimus; tandem scientiam gesto, & voce quodammodo incorporatam assumimus, & sic eam aliis faciliùs suademus. 77

SVFFICIENTIAM Prædicatoris ex parte corporis describit S. Doctor, *Apologet. quæst.* 4. Primò enim debet esse ætatis competentia, ne nimis puer puerilia tractare videatur; quæ conditio non tam ex annorum serie, quàm ex honesta vultus grauitate, & virili compositione habenda est. Secundò debet carere omni notabili corporis, & capitis deformitate, qui enim sunt nimis breues, crassi, vel Gibbosi, ad suadendum non sunt apti, sed facile contemptui habentur; Tertiò, vires corporis eò magis sunt ad hoc munus necessariæ, quòd fortiter, & viriliter est peragendum. Quartò, competens facundia præcipuam prædicationi gratiam conciliat, ad quam sunt plura ex parte vocis, & gestus necessaria, quæ apud Rethores ex professo tractantur. 78

HAS tam Corporis, & animæ, quàm scientiæ, & conscientiæ conditiones quicumque in se recognoscit, restat, vt ad populi vtilitatem eructet Dei Verbum tripliciter, vt cum D. Bonauentura loquar in ea verba Psalmi 118. *in labiis meis pronunciaui, &c.* Scilicet sapienter, eloquenter, & confidenter: Sapienter, vt doceat; eloquenter, vt placeat; confidenter, vt moueat: insipidè enim, confusè, & timidè prædicans, nec docet, nec placet, nec mouet. 79

DEINDE Monet S. Doctor, *in cap.* 6. *Luca*, vt Prædicator vtilia doceat, non subtilia; vt sit etiam immunis ab ostentatione in signo, ab ambitione in animo; ab adulatione in verbo, & à personarum acceptione in facto.

IN ea autem verba ad idem cap. 6. *Docebat autem turbas*, formam Apostolicæ prædicationis exhibet Seraphicus, dum docet, quòd bonus Prædicator nunc debeat stare, nunc sedere; modò videre, mox ascendere; quæ non solùm corporaliter, sed potiori titulo spiritualiter sunt accipienda; vt scilicet stet, rectè intendendo; aliquando sedeat, quietè contemplando; 80

videat

videat benè discernendo ; & ascendat perfectè agendo ; quæ omnia concludit S. Doctor illo Ierem.6. *state super vias*, ecce rectitudo intentionis, *& videte, & interrogate, quæ sit via bona*, en sollicitudo discretionis. *Et ambulate in ea*, per actionis scilicet exercitium, *& inuenietis refrigerium animabus vestris*, nempè per otium contemplationis.

De tali bono Prædicatore multa è Sanctis Patribus contexit S. Doctor, *lib.1. Phar. cap.14.*

81 GREGORIVS, *lib.6. Moral. cap.17.* sic verum Christi præconem describit: *Ille apud Deum magis in amore eius est, qui ad eius amorem plurimos trahit: Humani generis Redemptor per diem miracula in vrbibus exhibebat; & ad orationis studium in nocte pernoctabat; vt perfectis videlicet prædicatoribus innuat, quatenus nec actiuam vitam amore speculationis funditus deserant, nec contemplationis gaudia operationis nimietate penitus contemnant, sed quieti contemplantes sorbeant, quod quieti erga proximos loquentes fundant.*

82 HIERONYMVS, lib.1. in lament. cap.1. tom.4. *Ille est Doctor Ecclesiasticus, qui lacrymas, non risum mouet, qui corripit peccatores, qui nullum beatum, nullum dicit esse felicem.*

D. AVGVSTINVS de doctrina Christiana, lib.4. cap.17. *qui dicendo nititur persuadere, quod bonum est, nihil horum trium spernit, vt scilicet doceat, vt delectet, & flectat, orat, atque agat, vt intelligenter, libenter, obedienter audiatur.*

AMBROSIVS, lib.2. de Virg. initio tom.4. *Debet is, qui docet, suprà eum, qui docetur excellere.*

ISIDORVS de summo bono, lib.3. cap.36. sent.5. *Prius debet iustus prædicator benè agere, vt consequenter possit benè docere.*

83 BERNARDVS super Cantica, serm.16. *Funiculus triplex, qui difficile rumpitur ad extrahendas animas de carcere diaboli, & trahendas post se ad Cœlestia Regna, si rectè sentias, si dignè proloquaris, & si viuendo confirmes.*

SENECA *epist.* 52. egregiè partes veri prædicatoris sic depromit: *Eligamus non eos, qui verba magna celeritate præcipitant, sed eos, qui vita docent; qui cum dixerint quid faciendum sit, probant hoc ipsum faciendo quod docent*, & post quædam verba: *Eum elige Doctorem, quem magis admireris, cum videris, quam cum audieris.*

84 NEC mirum, Viros doctrinâ, & sanctitate præclaros eò hoc prædicandi munus extulisse, vt illud omni laude celebrent, & in eo quicquid sit ad vitæ humanæ præstantiam requisitum, dulcem scilicet simphoniam oris, & operis, exquisitissimè postulent: Hinc ipse Christus, ipsi Apostoli, & qui illustriores in vtroque testamento leguntur sancti, ad prædicandum sunt deputati; & verè vir cœlicus est, qui cœlum aliis annuncians, illud in se quodammodo exprimit; vnde Seraphicus Doctor, in ea verba Psal.17. *inclinauit Cœlos, & descendit*, Prædicatores nubibus comparat, quia nimirum cœlis iugiter adhærentes, tonare debent minis, coruscare miraculis, & pluere doctrinis.

E contrà autem cùm turpissimum sit, Prædicatorem Christi aliud ore, aliud opere significare, D. Bonauent. è dicto, *lib. Pharetra, cap.15.* acutissimas patrum sententias in talem, tamquam electas vibrat sagittas.

85 GREGORIVS super Ezechiel, *hom.18.* de tali Prædicatore sic scribit: *Turpe est nimis ibi nos negligendo cadere, vnde prædicando conati sumus alios leuare*, & super, lib.4. Reg. ind. 12. cap.76. *quod per linguam prædicamus, per exempla destruimus: dum iniqua docemus operibus, & sola vota, ea quæ sunt iusta prætendimus. Ossa ieiuniis atterimus, & mente turgemus: corpus despectis vestibus tegimus, & elatione cordis Purpuram superamus; iacemus in cinere, & excelsa suscipimus. Doctores humilitatis, duces superbiæ.*

HIERONYMVS epistola 2. ad Nepot. *Delicatus est magister, qui pleno ventre de ieiuniis disputat: Accusare auaritiam potest & latro; Sacerdotis Christi os cum mente concordet.*

ISIDORVS lib.2. de summo bono, cap.2. sent. 20. *Ad maioris culpæ cumulum pertinet scire quemquam, quod sequi oporteat, & sequi nolle, quod sciat*, & lib.3. cap.37. sent.1. *qui non viuit, sicut docet, ipsum, quam prædicat veritatem, Contemptibilem facit.* 86

CHRYSOSTOMVS de compunctione cordis, lib.1. in fine: *Docere, & non facere non solum nihil lucri, sed etiam damni plurimum confert: Grandis enim condemnatio est componenti quidem sermonem suum; vitam verò suam, atque operam negligenti.*

AVGVSTINVS apud Seraphicum, *ibi*, fortiùs in huiusmodi Prædicatores inuehitur. *Exaudi te ipsum durissime, immanissime, surdissime Doctor; quid tibi lingua aurea, & cor ferreum.*

BERNARDVS serm. de conuers. ad clericos, cap.31. in ea verba: *Beati pacifici*, sic proloquitur: *Considerate diligenter, non pacificos, sed pacificos commendari, sunt enim qui dicunt, & non faciunt: sanè quemadmodum non auditores legis iusti sunt, sed factores; sic non annunciatores pacis, sed actores beatificantur.* 87

SENECA tandem in epist. sic apud S. Doctorem concludit: *hoc turpissimum est, quod nobis obiici solet, verba nos facere, non opera tractare.*

HÆC S. Doctor, *dicto, cap.16.* è patrum scriptis descripsit, cap. verò sequenti eximias profert sententias ex iisdem patribus contra vsurpantes Prædicationem; quæ in iam dicta ferè quadrant: ipsum vide.

QVANTVM ad modum, & materiam prædicabilem, eam breuiter designat S. P. Franciscus, dicto, *cap.9. Regulæ*, monendo his verbis, *vt in prædicatione, quam faciunt, sint casta, & examinata eorum eloquia ad vtilitatem, & ædificationem populi, annunciando eis vitia, & virtutes, pœnam, & gloriam cum breuitate sermonis.* 88

QVIBVS consonat Concilium Tridentinum, *loco* suprà *citato*; hortando diuini verbi præcones similibus verbis: *Prædicatores fideles pro sua capacitate pascant salutaribus verbis docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciando eis cum breuitate, & facilitate sermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oportet, vt pœnam æternam euadere, & cælestem gloriam consequi valeant.* Quantùm denique ad correptionem, seu specialem, seu generalem, quam quisque inter prædicandum adhibere tenetur, vt efficacius peccatores cogat ad resipiscentiam; præclare eam explicat S. Doctor, in Apologet. *cap.2.* quod caput ad verbum ferè transcripsit Bonagratia, Verb. *Prædicator*, suprà cit. indicans, ibi eximiam prædicatoribus doctrinam exhiberi. 89

POSTQVAM igitur Sanctus Doctor differentiam inter Iudicem, & Prædicatorem scitè statueret, huius officium in corripiendis peccatoribus sic prosequitur: *Doctor, seu Prædicator, qui diuersi generis auditores debet instruere, vt virtutes magis reddat commendabiles, necessarias ad salutem, vitia his apposita, quam sint nociua, & detestabilia ostendit. Et quibusdam generibus hominum quædam vitia sunt magis vsitata, vt Mercatoribus fraus, & mendacia; Militibus rapina, & incendia; & ita de aliis necesse est, quod propter generalem instructionem, quod licèt genus hominum specialiter arguat, & moneat sibi specialius insidiantia vitia cauere, sicut Medicus Ægros diuersis infirmitatibus laborantes* 90

91 *docet à sibi magis noxiis cibis, & aliis abstinere. Nihil enim prodesset infirmis, si diceret: Cauete ab omnibus cibis nociuis generaliter, nisi specificaret in qualibet passione, quid illis specialius noxium esset, aut profi. num sanitati. Quod autem dicitur, quod Prædicator debeat in genere omnes arguere peccantes, & non descendere ad species, hoc est intelligendum de notabili specificatione personarum, non vitiorum, vel statuum, vel officiorum, quæ non possunt propriè describi sine expressione officii, vel status illorum, qui in hoc specialiter offendere consueuerunt. Potest enim sic congruè generaliter dici: Vos Artifices peccatis frequenter in hoc; & vos Milites in hoc; & vos Religiosi in isto; vos Clerici in illo; & sic de aliis, si sunt ibi plures de quolibet genere illorum, ad quos loquitur, siue nullus, vt quisque sibi conscius talis peccati compungatur, & in se confundatur, & nullus specialiter notabilis de hoc reddatur, quem facti euidentia alias non facit notabilem, vel qui seipsum non prodit esse reum, sibi ascribendo specialiter cum murmure, quod generaliter dictum constat, iuxta illud Poëtæ.* Conscius ipse sibi,
92 de se putat omnia dici. *Correctioni enim, & ædificationi tantùm debet intendere Doctor fidelis, non confusioni, vel infamationi alicuius præsentis, vel absentis. Vbicunque ergo præsumitur, quod aliquis specialiter de peccato priùs incognito aliis ex prædicatione reddatur notabilis, vnde potest oriri grauamen, vel scandalum, melius est tacere, & alia ædificatoria magis loqui: Qui vero facere consueuit contrarium, aut contentiosum, aut inuidum, aut imprudentem se demonstrat, aut vanagloriæ cupidum, qui cum aliundè non esset acceptus apud homines, ex aliorum infamia gloriam sibi quærit: quem confundendo exasperas, hunc tardius ædificas, & rancoris aculeo vulneras.*

QVÆSTIO V.

De præcipuo Actu vitæ Contemplatiuæ, & quomodo hic actus à Cogitatione, Meditatione, Speculatione, & Intuitiua visione differat.

D. Bonauent. de 7. itinerib dist. 1. 2. & 3. Itin 3.

93 VITA Contemplatiua in sua latitudine dicit totius hominis occupationem, legendo, loquendo, cognoscendo, cogitando, considerando, meditando, & speculando; quatenus omnes hi actus ad Contemplationem terminant. Contemplatio itaque est præcipuus actus huius vitæ, ad quam proximè accedit, & inseruit meditatio, vt post D. Bonauenturam hîc aduertit Suarez, *lib. 2. de orat. mentali, cap. 9.* Nam cùm diuinam aliquam veritatem inuestigandam suscipimus, primò de ea loquimur, legimus, vel inquirimus: deinde eam cogitamus, consideramus, ac diutius meditamur; tandem veritas diu meditata, dum subito spectaculo se exhibet, meditatio in Contemplationem transit, quam magna animi auiditate suscipimus, magna iucunditate eam admiramur; multaque ei admiratione adhæremus; ita Seraphicus Doctor, hîc, post Richardum, *lib. 1. de Arca Myst. cap. 4.*

94 TRES igitur passus præcipui hîc notantur, per quos ad Contemplationem ascenditur; ignotæ scilicet veritatis quæsitio, quæsitæ inuentio, & inuentæ intuitio; Hæc vltima cum attingitur, apprehenditur status contemplationis potissimus, si velimus Theologicè loqui; nam Philosophicè pro omni actu intellectûs contemplatio sumitur, quo sensu ait Aristot. 2. Metaph. texm 3. *finem contemplationis esse veritatem*, & Cicero. *libro 4. de finib.* ait, contemplationem esse considerationem, ac meditationem rerum occultiorum; ita etiam habet, *lib. 1. academic. qq.*

95 IN priori sensu definitur Contemplatio à S. Doctore hîc, dist. 1. *Est actus intellectus non impediti, gratia sanati, in æterna spectacula directi, cum admiratione suspensi*, vel secundum Richardum apud Seraphicum ibidem: *Contemplatio est libera mentis perspicacia, in sapientiæ spectacula, cum admiratione suspensa.*

IN qua definitione quatuor contemplatiuus summopere commendat Seraphicus Doctor.

PRIMVM est Spiritûs libertas, vt à nullo terreno obstaculo præpediatur, sed spontaneo quodam motu, & nutu per æternas veritates liberiùs, & libentiùs valeat circumferri; easque ad saturitatem, quantum fieri potest, contempletur: Hinc debet mens rerum temporalium cura, & sollicitudine exonerari, multoquè magis peccatorum funibus non circumplecti.

96 SECVNDVM est oculus perspicax, diuinæ irradiationis capax; vnde è Richardo distinguit S. Doctor triplicem oculum; Primus est carnis, quo videt homo ea, quæ sunt extra se; Secundus est rationis; quo videt ea, quæ sunt intra se: Tertius est oculus contemplationis, quo videt supra se: Hic oculus est velut scintilla quædam Diuinæ cognitionis, & imaginis, residens in apice animæ; ad quam mens benè expurgata iugiter intendens, inde mira iucunditate, serenitate, & securitate æternas delitias quodammodo anticipat, & prægustat: de hoc oculo ait sponsus in Cantic. cap. 4. *vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum*, vt notat D. Bonauentura, hîc.

97 TERTIVM est, vt dictus oculus sit in sapientiæ spectacula directus: vnde infert S. Doctor, contemplationem non esse præcisè actum intellectûs, sed dicere insuper voluntatis actum. Sapientia enim est cognitio veri, excitantis voluntatem ad saporosam dilectionem, & experimẽtalem suauitatis supernæ gustum; Hinc illa spectacula sapientiæ, in definitione posita, sunt cognitio veri, & gustatio boni, vnde notat Suarez, *dicto cap. 9.* D. Bonauenturam ponere summam contemplationem in voluntate; quod si id intelligit in sola voluntate eam consistere, est absque fundamento; Nam S. Doctor vbique coniungit intellectualem inspectionem, & saporosam dilectionem: & hic concludit sic: *Actus igitur contemplationis duo includit, scilicet cognitionem, & saporosam dilectionem.*

98 VERVM si Suarez vult, summam contemplationem esse in voluntate, è mente S. Doctoris, non præcisè, sed præcipuè, id est, habere ortum, & augmentum ex amore, voluntatis actu; non est contra Seraphicum; qui ad præfata verba subdit: *& dilectio adiuuat cognitionem.* Paulò verò superiùs ex Linconiensi refert, quod sapientia oritur ex amore, quæ prorumpit in lumen cognitionis, & saporem gustationis, sicut ex calore prorumpit lux, & flamma.

99 QVARTVM, quod ad contemplationem requirit S. Doctor ex dicta definitione, est mentalis suspensio cum admiratione; & hæc contemplationi adeò intrinseca est, vt D. Augustinus *lib. de spiritu, & anima, cap. 32.* non dubitauerit contemplationem per eam admirationem definire, dicens: *Contemplatio est perspicuæ veritatis iucunda admiratio.* Nam vt benè ait Richardus apud Seraphicum loco citato. *Ex nouitate rei, quæ est supra nostram spem, & nostram æstimationem oritur admiratio, ex admiratione autem accrescit attentio, ex attentione cognitio, & ex his mentis suspensio.* Vnde sicut apud Philosophos duo sunt principia scientiæ; admiratio, & experientia; ita apud Theologum contemplantem admiratio excitat ad attentiorem speculationem, ex parte intellectûs; ex parte autem voluntatis

experientia

experientia ſuauitatis mouet Intellectum ad altiorem intuitionem veritatis; & tunc vtraque potentia ſuſpenditur, iuxta dictum Iob. *Suſpendium elegit anima mea.*

100 TOTVS hic contemplationis progreſſus per modum Auroræ optimè explicatur à Seraphico ex Richardo, *lib. 5. de Arca myſtica, cap. 9.* Aurora enim in primis quodam lucis diluculo; quippe terræ vicina, ſubfulget; vel viri adhuc teneri quoddam gratiæ diluculum primò percipiunt. Deinde paulo altius ſe aurora eleuans fulgidior, ac luteo ſuffuſa colore emicat, quippe non ſatis adhuc à limo, ſeu terræ limo ſegregata; Verùm quò magis aſcendit, eò fuſius ſe dilatans, eòque fulgentiùs ſplendeſcens à terrà elongatur, donec tandem altum cœli occupans in meridianum tranſit fulgorem, & in ſummo lucis apice, ſeu Solſtitio ſuſpenditur; dicit itaque ibi Richardus: *Humana intelligentia diuino lumine irradiata intelligibilium contemplatione ſuſpenditur, dum in eorum admiratione ad modum auroræ diſtenditur, quando ſemper ad altiora, vel admirabiliora ducitur, tantò ampliùs, tantoque copioſius ad modum Auroræ dilatatur: Vndè quantò ab infimis fit remotior, tanto ſemetipſa purior, & ad ſublimia ſubtilior inuenitur, &c.*

101 QVOAD differentiam huius præſtantiſſimi actus à cogitatione, meditatione, aliiſque actibus, cum vel præcedentibus, vel ſubſequentibus; Notandum eſt, cogitationem eſſe principium huius exercitij, & habere ortum ab imaginatione, ac proxime tranſire, & terminare in meditationem: Nam cùm primò rem aliquam à ſenſu externo ad internum tranſmittimus, vel eam in ipſa phantaſia dudum repoſitam ſuſcitamus, ſolet intellectus agens huiuſce rei ſpiritualiorem ideam ſibi cudere; hæc verò idea, cùm ſit adhuc indeterminata, & per intellectum huc illucque vagans, poteſt dici Cogitatio, quam ideò Richardus definit loco citato, cap. 3. & 4. *Animi reſpectum ad euagationem pronum*, vnde eò minus rationi ſubiicitur, quò magis ex imaginatione oritur, quæ ſuæ materialitatis nonnihil ei communicat; vndè lento pede, per deuia quæque ſine reſpectu perueniendi ad ſuum finem vagatur; vt ait Richardus dicto *cap. 3.* E contra verò contemplatio libero pede, quocumque eam fert impetus, mira agilitate circumfertur; & hæc eſt præcipua differentia horum actuum, in qua includitur, quod vnus actus tenet locum principij; alter verò medij.

102 QVANDO autem vel vna, vel multiplex cogitatio animo ingruit; neceſſe eſt, vt ratio mox eam ſiſtat, & vigilanter applicet intento fini, & ſic eam in meditationem faciat tranſire; alias cogitationes inter ſe tumultuabuntur, & mentem diſtrahent, quod egregiè explicat D. Gregorius, *lib. 1. Moral.* apud Seraphicum, *hîc, diſt. 3.* vbi ſic habet: *Cogitationes ad modum ancillarum rationi ſubiiciuntur, quia ſi à domo mentis ad momentum Ratio diſcedat, quaſi abſente domina, cogitationum ſe clamor, velut garrula ancillarum turba, multiplicat; vt autem ratio ad mentem redierit, mox ſe confuſio tumultuoſa compeſcit, & quaſi ancillæ ad iniunctum opus tacitè ſe reprimunt.*

103 COGITATIO verò, ſic formata à ratione, meditationis nomen, & naturam ſubit; vnde hæc naſcitur è ratione, ſicut illa ex imaginatione; & eſt rei cogitatæ attenta, & continuata conſideratio; quæ tandem in contemplationem migrat; vt ſuperiùs dictum eſt. Hinc notat S. Doctor è Richardo, *cit. cap. 3.* tria eſſe in anima, quæ ad contemplationem diuerſimodè faciunt: Hæc ſunt Imaginatio, Ratio, & Intelligentia: prima tenet infimam animæ ſedem, ſecunda mediam, & tertiam ſupremam, Deo immediatè ſuppoſitam: vnde ſicut Deus ſimpliciſſimo actu omnia ſimul intuetur, ita ille actus, quo ad ipſum magis acceditur, clariùs, & ſimpliciùs comprehendit obiecta aliorum actuum, ſibi inferiorum: hinc contemplatio, intelligentiæ actus, Imaginationis, & rationis obiecta clarius comprehendit, quàm à propriis potentiis comprehendi queant, quippe mentis ſinum in immenſum expandens, etiam animi aciem ſimul ad penetrandum exacuit; vt habet S. Doctor, *loco citato*, è Richardo, dicto, cap. 3. *per intelligentiam ſiquidem ſinus mentis in immenſum expanditur, & contemplantis animi acies acuitur, vt capax ſit ad multa comprehendenda, & perſpicax ad ſubtilia penetranda.* 104

QVOD vt intelligas, aduerte viſionem mentalem, vti & corporalem, eſſe (quantum concipere licet) ad inſtar piramidis, ſe ab vna parte dilatantis, dum ab altera cuſpidem format; ita vt qua proportione penetrat occultiora obiecta, pari latitudine plura aſcendendo comprehendit, quod intelligit Richardus, *loco citato*, dum ait apud Seraphicum dicta diſt. 3. *Vide quam latè contemplationis radius ſe expandat, qui omnia illuſtrat, & quodammodo Contemplatio ſub vno viſionis radio ad innumera ſe extendit.* 105

SPECVLATIO cum Contemplatione non rarò confunditur, quia vtraque eſt intelligentiæ; differunt tamen, vt docet Sanctus Doctor, *loco citato*, & cum ipſo Suarez, *cit. num. 5.* Nam ſpeculatio, vt ait D. Auguſtinus, *lib. 15. de Trinit. cap. 3.* dicitur cùm res non in ſe, ſed in ſuo ſpeculo, ſeu ænigmate videtur: contemplatio autem fit, quando veritas ſine aliquo inuolucro, vmbrarumuè velamine in ſui puritate videtur, vt ait Richardus apud S. Doctorem, *loco citato*.

DICITVR itaque Speculatio, non à ſpecula, vt notat Suarez; *loco citato*, quia creaturæ in hoc mundo ſunt ſpecula, in quibus, & per quæ æternas veritates ſpeculamur, vnde D. Paulus, 2. *Cor. 3.* dicit: *in hac vita nos gloriam Domini ſpeculari.* 106

HÆC tamen Creaturarum ſpecula, licèt ænigmata dicantur, non tantam habent opacitatem, quin multa luce obfulgeant, eamque ſpeculantium oculis affundant, & attemperent: De his ſpeculis præclarè agit Linconienſis apud S. Doctorem, *loco citato*, dicens, quod poſtquam in mente recipiuntur, diuinis, & velut ſolaribus radiis, in ea incidentibus è fonte luminis, adeo fiunt pura, clara, & plana; vt contemperata contemplantis oculis, in ea veritatem lucidè videat, & iuxta hanc partem eſt vera contemplatio: At eâ parte, qua dicta ſpecula lumen in ſe incidens in illos refundunt, qui illius ſunt capaces, & veritas ſic videtur cum minori claritate, eſt potius ſpeculatio: Hoc exemplificat per ſpeculum materiale, quod lumen præfulgentis ſolis adeò temperat, vt debilior oculus, qui in ipſum ſolem aſpicere nequit, illud ſibi proportionatum in ſpeculo videat. 107

TANDEM ſicut in meditationem tranſit cogitatio, & meditatio aliquando in ſpeculationem, aliquando & perfectiùs in contemplationem, ſic contemplatio tranſit in apertam viſionem, patriæ reſeruatam; vnde inter hanc, & illam differentia eſt; quod viſio ſit non ſolùm ſimplex, ſed aperta & clara rei intuitio, prout in ſe eſt: At contemplatio eſt ſimplex rei intelligentia, quantum fieri poteſt pro cuiuſque capacitate in hac vita. 108

VNDE concludit Seraphicus, dictos omnes actus differre ſecundùm clariorem, vel minus clarum Dei aſpectum; & ſicut inter illos cogitatio tenet infimum locum, ita pro hac vita contemplatio tenet ſedem ſupremam; ſuperat tamen eam viſio in patria, prout dictum eſt: Hæc confirmat S. Doctor, è Gregorio, *lib. 6. Moral. cap. vlt.* vbi ait: *Actiua vita opera cum corpore tranſeunt; Contemplatiuæ autem vitæ gaudia melius ex fine conualeſcunt.*

QVÆSTIO VI.

Vtrum Contemplatio habeat aliquos suæ perfectionis gradus, quot, & quos.

D. Bonau. vbi suprà de 7. Itin. dist. 4. art. 1.

109 SVPPOSVIMVS supra aliquos vitæ contemplatiuæ actus, per quos paulatim ascenditur ad potissimum huius vitæ Donum, quod in ipso actu contemplationis, pro vt ab aliis distinguitur, consistit.

110 GRADVS autem Contemplationis sunt quidam in eodem actu progressus, & profectus intellectualis cogitationis, & saporosæ dilectionis, quibus Deus in ratione Veri, & Boni apprehenditur. Ita S. Doctor, *loco citato.*

DIFFICVLTAS autem est, an dentur talia incrementa contemplationis, quibus mens gradatim ad altum, seu apicem perfectæ contemplationis peruenit, & videtur ex iam dictis quòd non: quia contemplationem supra considerauimus, vt actum simplicem intelligentiæ simul omnia clarè intuentis, quantum pro huius vitæ conditione fieri potest.

111 ASSERO tamen cum Seraphico Doctore hîc, dari nonnullos contemplationis gradus inter se distinctos, & coadiuuantes intellectum, & affectum ad perfectè Deum contemplandum.

PROBATVR à S. Doctore authoritate, D. Gregorij, *lib. 22. moral. cap. 14.* vbi ait: *Gradus vocantur incrementa virtutum, distinctè tradita à Sanctis*, & paulo infra horum necessitatem probat, dicens: *Nemo infimè desinens, repente fit summus, quia ad obtinendum perfectionis meritum, oportet, vt mens quotidiè in altum, quasi quibusdam ascensionis gradibus perueniat.*

112 QVAMVIS autem hæc intelligi possint de comparatione virtutum inter se; cùm tamen illæ inter contemplandum melius, & securiùs acquirantur; quo altius in contemplationem proficimus, eo vberius, & intensius in virtutibus roboramur; vnde Virtutum gradus nituntur contemplationis profectui.

CONFIRMATVR à Seraphico ibidem, illo Psal. 83. *ibunt de Virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion.* vbi per respectum ad visionem, quæ contemplationem perficit, & consummat, describit virtutum gradualem acquisitionem.

113 PROBATVR secundò à D. Bonauent. è Psal. 47. *Deus in gradibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam*, scilicet contemplationem, vt S. D. explicat iuxta LXX.

PROBATVR tertiò à S. Doctore, ex Hugone, hîc citato, qui loquens de gradibus contemplationis, sic habet: *quanto magis crescit ascensio, tanto magis crescit cognitio, donec oculus intellectualis magis ac magis illuminetur, & confortetur, & affectus mentalis magis purificetur, & inflammetur, &c.*

114 HOC egregiè confirmat, & explicat Linconiensis apud Seraphicum, *loco citato*, vbi hoc exemplo sic vtitur: *sicut oculi Carnis infirmiores prius suscipiunt lumen solis obscurum, & magis coloribus superfusum; deinde magis confortati, suscipiunt illud à coloratis, mediis coloribus, & postea visu roborato, plus suscipiunt illud superfulgidum coloribus albis; deinde verò plus aucta sanitate, suscipiunt illud fulgentibus coloribus superfusum, vt speculis; tandem oculis perfectè sanatis, suscipiunt solarem radium, non autem alicui superfusum, sed in se purum, &c.* Postcà prosequitur hoc exemplum sic applicando: *sic etiam oportet mentis oculum infirmiorem priùs assuefieri ad conspiciendum lumen solis intelligentiâ in grossioribus, deinde in subtilioribus, donec tandem ex ipsa luminis datione multis multipliciter superfusâ, extendamur, & restituamur in simplicem ipsius radium.*

VBI Nota hic agi de actu intelligentiæ, dum 115
ait: *Intelligentia in grossioribus, &c.* vt excludat actus rationis, vel imaginationis, quales sunt cogitatio, meditatio, &c. Nam postquam mediando à ratione res quæsita transit in intelligentiam, subfulget priùs aliquod lucis crepusculum, quod crescens eâ proportione, quâ acies intellectus confortatur, & subtiliatur, tandem in perfectum lucescit diem.

NEC obstat his, quod contemplatio habeat sim- 116
plicē, & totalem intuitum simul, & semel horum omnium, quæ ipsius obtutui subiiciuntur: Nam illa totalitas non est intensiua, sed extensiua, plura vel pauciora simul comprehendens obiecta, licèt clariùs, vel obscuriùs pro suæ perfectionis gradu: si enim talis intuitio habuisset omnem suam intensionem; sequeretur Visionem nihil addere contemplationi; quod falsum est, vt ex se patet.

QVOAD graduum qualitatem, & numerum; 117
diuersimodè à Seraphico iuxta diuersas patrum sententias traduntur.

ET in primis Dionysius, iuxta expositiones Linconiensis, Hugonis, & Vercellensis, docet in mente Humana benè ordinata, vti & in Angelica, dari illuminationes medias, primas, & supremas; & vnamquamque harum subdiuidi in tres ordines: vt sicut in Hierarchia angelica nouem sunt ordines, ita totidem quoque sint gradus Contemplationis in mente benè ordinata; Nam cùm hæc habeat ordinari ad tria, ad exteriora scilicet, inferiora, & superiora; ad res exteras ordinatur comparatione quadam ad Angelos, Archangelos, & Principatus: illæ enim res simplicibus apprehensionibus annunciantur absque grandi spe
commodi, vel incommodi; vti nunciorum proprium 118
est annunciare. Ad inferiora mens benè ordinatur iuxta tres ordines mediæ Hierarchiæ, Potestates, scilicet, Virtutes, & Dominationes; Hæc enim Hierarchia obtinet dominium, ad res, pro vt in se sunt, conciliandas iuxta liberos voluntatis motus, iuxta virtutum naturalium & gratuitarum exigentiam, & denique iuxta authoritatiua liberi arbitrij imperia, vt loquitur hîc Seraphicus. DENIQVE humana intelligentia ordinatur ad superiora, & ad hæc faciunt Throni, Cherubim, & Seraphim, qui sunt Angeli supremæ mentis
Hierarchiæ: Nam Throni sunt velut subsellia, seu se- 119
dilia Dei, vt ex Hugone ait hic S. Doctor, vnde Deum in se aduenientem suscipiunt; vti & mens, ad hunc contemplationis gradum, & ordinem euecta, diuinos superaduentus, & immissiones desuper suscipit: Cherubim autem signat attractionem, & velut coambulationem intellectus, & affectus, versus diuinam veritatem, & bonitatem, dum Intellectus attingens apicem totius suæ facultatis, tandem superat affectum; & sic in hoc ordine consummatur; vnde Cherubim à scientia propter hunc intellectualem superexcessum denominantur. Seraphim verò è contrà superaffectuosis suspiriis, & fulgidis feruentibus in Deum feruntur, affectu tenente apicem huius Ordinis, & longe superante intellectum; dum Anima inter castissimos diuini sui sponsi amplexus exhausta, tota in ipsum acceleratur, accenditur, & quodammodo transmutatur.

HVNC gradum cùm nacta fuerit mens contem- 120
platiua, benè cum sponsa poterit exclamare: *Ordinauit in me Charitatem.* Nam hinc ordinatè in omnes inferiores animæ potentias, & actus transmittitur inundatio diuini luminis, & cuique sua supernæ lucis portio distribuitur ad purgandum, illuminandum, & perficiendum; sicut ab Ordine supremo Angelorum immediatè à Deo copiosum lumen suscipitur, & in alios

iuxta

iuxta cuiusque capacitatem diffunditur. Vide Seraphicum, hæc longius pertractantem, ac pulchris patrum sententiis illustrantem.

121 ALTER verò, & paulò demissiùs colligit S. Doctor *art. 2.* gradus Contemplationis è Richardo, *lib. 1. cap. 6.* ità vt ab imaginatione exordiatur, in eaque primum gradum constituat, & hoc secundùm ordinem executionis; Nam vt ait idem Richard. *de Contempl.* lib. 4. cap. 5. *Nos debemus a nouissimis incipere, & scientia nostra promotionem paulatim subleuare, & per exteriorum notitiam ad inuisibilium cognitionem ascendere. Cùm enim exteriorum scientiam apprehenderis, & in earum doctrina exercitatos sensus habueris, debes ad altiora ascendere, & spiritualium creaturarum scientiam comparare*: Hæc Richardus apud Seraphicum, *loco citato*.

122 PRIMVS itaque gradus iuxta hanc computationem est Imaginatio, non bestialis illa, qua species confusè gerimus, & huc illucque absque vtilitate vlla cursitamus, ruminando, & reuoluendo eà, quæ priùs vidimus; sed est imaginatio quædam rationalis, obsequens intellectui, & ad eum ordinata, qua nihil inquirimus inuestigatione mentali, sed ea, quæ priùs vidimus, vel nunc videmus, iucundè, & cum quadam ipsius imaginationis suspensione admiramur, dum ea pulchra, venusta, & multa suspicimus, ità S. Doctor, *dicto art. 2.*

123 SECVNDVS gradus est in imaginatione fundatus, sed formatus à ratione, quæ rem ibi conceptam pro eius vtilitate, ordine, & conditione rimatur, speculatur, & miratur: distinguitur hic gradus à priori, qui in pura imaginatione stat, vtiliter tamen, vt dictum est. Nam vt habet Author de spiritu, & anima, cap. 12. *imaginatio ad rationem non ascendit, sed infrà remanens, eam aliqualiter deducere potest, & quasi à longè quædam ostendit, ad quæ non potest peruenire.* Hinc cogitatio illa ab imaginatione ad rationis intentum subuecta, facit secundum Contemplationis gradum.

124 TERTIVS gradus est in ipsa ratione formatus, & fundatus, licet ex imaginatione erutus, & fit quando rerum visibilium similitudine ad rerum inuisibilium speculationem subleuamur, vt ait Richardus, *lib. 1. cap. 6.* Differt à priori, quod *hic*, intellectus tendat sursum in inuisibilium inuestigationem; illic vero incumbit potiùs deorsum imaginationi, ideam in ea conceptam, istinc eruendo, & in se extruendo; quare hic gradus eò perfectior est præcedenti, quo tensio in superiora præualet propensioni in inferiora. Vide Richardum apud S. Doctorem, *hic*.

125 QVARTVS gradus est omnimodè segregatus ab imaginatione, & iam velut habitans in excelsis; cùm remotis temporalibus, nedum corporalibus, in cælestium animorum contemplatione versamur, & altiùs assurgimus purificando mentem vsu, & mentali rerum æternarum assequutione; vnde hic primum interuenit pura intelligentia, quæ per se ipsam operatur, & tamquam per speciem contemplatur, vt ait Richardus, *ibidem*.

126 QVINTVS gradus intimiùs progrediens in interiora deserti, & penetrans diuinorum arcanorum solitudinem, Rationem transcendit: hic ratiocinatio, & omnia inuestigatio, quæ mentis est actua, deficit: de hoc gradu ait Richardus citatus: *Contemplatio nostra tunc veraciter supra rationem ascendit, quando id animus per mentis subleuationem credit, quod humana capacitatis metas transcendit, & supra rationem, nec tamen præter rationem censenda est, quando ei, quod per intelligentiæ aciem cernitur, humana ratio contraire non potest.* Huius gradus perfectio, & præ cæteris excellentia in eo consistit, quod rationis limites transiliat; vnde obseruat D. Doctor, *hic* è Richardo, quædam esse infra rationem, qualia sunt ea, quæ sensu corporeo percipiuntur; quædam verò esse iuxtà rationem, vt sunt ea, quæ discursu inquirimus: Verùm supra Rationem sunt ea, quæ vel sola reuelatione nobis innotescunt, vel superna irradiatione ità illucescunt, vt sensus corporeus, vel ratio eò nullatenus pertingere queat.

SEXTVS, & vltimus Contemplationis gradus hic à S. Doctore assignatus, est omnimoda mentis alienatio, ita vt non solum præter, sed & contra seipsam stare videatur, ita vt si quid inuestigare attentat, protinus sibi aliena, & contraria credit, & hæc mentis celsissima eleuatio oritur præcipuè ex deuotionis, admirationis, & exultationis magnitudine, vt docet ad finem *illius art. 2.* S. Doctor. 127

HOS sex Contemplationis gradus aliter, *art. 3. & 4.* dinumerat S. Doctor iuxta Authorem, *de spiritu, & anima*, & secundùm Originem super, *Cantic. cap. 2.* ipsum vide, præclaros patrum textus pro dilucidatione mysticæ theoriæ addocentem.

VARVM proprio marte egregiè septem contemplationis gradus excogitat in opusculo de his inscripto, vbi primum ponit Ignem, secundum Vnctionem, tertium Ecstasim, quartum Speculationem, quintum Gustum, sextum Quietem, septimum Gloriam; Nam vt ibi ait Seraphicus, postquam anima ob huius sæculi curis, & anxietatibus expeditur, primò ignitur: ignita vngitur: vncta rapitur: rapta speculatur: vel contemplatur: contemplans gustat: gustans quiescit. Septimus gradus vix aut nè vix quidem nisi Priuilegio in via attingitur, licèt ad illum aliqualiter accedatur ab his, qui in prioribus gradibus frequentiùs ambulauerint, In patria autem omnes in vno, scilicet vltimo, consummantur. 128

IGNIS hic mysticus definitur à Seraphico Doctore, vehemens ardor, vel diuinis amoris feruor, ex camino superplendentis Ierusalem flabellatus. Nam vt eximiè ibi explicat, postquam Contemplatiua mens ad gloriam domini speculandam se accingit, accenditur mox superno calore, & omnes eius motus, velut fasciculus, in vnum collecti, ardentiùs inflammantur; huc omnes animæ affectiones, & actus concurrunt, vt igni materiam subministrent; hoc ardore succensus Propheta ait: *concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis*: aliquando hoc incendium eò excrescit, vt in sola anima non sistat, sed in ipso corpore placida inflammatione flagret, vt testatur, Psal. 72. *inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt.* 129

VNCTIO huius ignis ardorem temperat, animæ potentias obmulcendo, & confortando; & est roseus, ac cælicus quidam liquor, animæ superfusus; Cum enim cor sitibundum ad superna anhelat, iuxta illud: *sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea*, ob facultatum deficientiam ignis citiùs extinguitur, nisi huius vnctionis pinguedo ei affundatur; quo perliniri cupit contemplatiuus, clamans: *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum.* 130

ECSTASIS est exterioris hominis totalis desertio, & interioris etiam sursum suspensio. Ad hanc S. Doctor duplicem actionem requirit: Prima est sui ipsius derelictio; secunda est omnium animæ facultatum sursum actio; hæ duæ actiones nituntur præcipuè humilitate, qua quis se deserit, & puritate, qua sursum agitur. 131

SED ad huius Ecstasis clariorem intelligentiam aduertere libet, esse inter animæ potentias symbolicam concordiam, vt siue sursum, siue deorsum vna aliqua potentia intensè feratur, cæteras quodam secum pon-

dere

dere trahit: Hinc mens sursum vehementiùs acta ob affulgentem diuini luminis claritatem, trahit secum omnes inferiores facultates; Verum cùm hæ, iuxta virium suarum proportionem, passus aliquos perfecerint, deliquium patiuntur, non potentes vltra aspirare, & à propriis obiectis abstractæ pendent: Voluntas autem intellectum præeuriens, in amoris secreta penetrans, mira hic suauitate perfruitur; cùm tamen non longè ab hac distet intellectus, quippe nobilior post ipsam potentia, ineffabili hinc claritate circumfulget.

132 Hinc habes posse hanc ecstasim sequi connaturaliter ex gratiæ iam dictæ efficacia, absque eò, quod noua gratia requiratur, nam cùm vi prioris gratiæ Contemplatiuus se exercet diu mentalibus exercitiis, quibus sufficiunt auxilia actualia, quæ sunt velut habitualis gratiæ appendices; affectus in diuinis absorptus causat cognitionis excessum; vnde tota anima ab externis alienatur; quare D. Thomas, 2. 2. *quæst.* 175. *art.* 2. cum D. Bonauent. *hic*, Abulensi, *Genes.* 13. *q.* 400. Molina *prima parte*, *quæst.* 12. *art.* 11. & Suarez *lib.* 2. *cit. cap.* 15. *num.* 5. totum hunc effectum affectui tribuunt.

133 Non tamen negandum est etiam solum intellectum posse aliquando pati hoc suspendium, & hoc naturaliter, vt patet in Trismegisto, Socrate, aliisque antiquis Philosophis, qui in naturali rerum diuinarum contemplatione sæpè ecstasim sunt passi, vt patet è Gersone *in opusculo de monte contempl. cap.* 35. *Alph.* 74. & Suarez *num.* 6. imo ipsa phantasia ex repentina alicuius rei admiratione potest ita rapi, vt sensus externi interim nihil sentiant; vnde colligitur, iuxta obiecti excellentiam, & potentiarum qualitatem posse extasim esse magis, vel minus perfectam, & diutiùs, vel breuiùs durare.

134 Speculatio definitur à S. Doctore, diuinarum opum, seu diuitiarum, soli Deo scibilium, humilis, pia, & intellectualis, simul & affectualis inuestigatio: vtraque enim potentia, intellectus, & affectus, ille speculando, hic desiderando, mutuò se promouent, donec tandem: *reuelata facie gloriam Dei speculantes in eandem transformamur imaginem à claritate in claritatem, tanquam à domini spiritu*, vt dicitur 2. *Cor.* 3. vbi reuelata facie in via Dei gloriam speculari nihil aliud intelligit S. Doctor, quàm remota conscientiæ impuritate, quæ obnubilare solet æternitatis scientiam, & mentis nostræ intelligentiam offuscat, piè, deuotè, & purè Diuina rimari. Hinc domini spiritu nos manuducente in ipsa, quæ sumus speculati, transformamur; scilicet à terrenis in cælestes, à carnalibus in spirituales, & ab hominibus in quodammodo Angelos, vt hic glossat Seraphicus Doctor, vbi per *in eandem imaginem*, vult intelligi *eadem imaginata*, nam si intellectus actu intelligendo fit omnia; iuxta commune Aristotelis effatum, quantò potiùs anima iugiter diuina contemplando, quæ sunt magis transformatiua, tandem in ipsa quodammodo transmutabitur. 135

Gustus describitur à S. Doctore, Suauis quædam, & insolita diuinæ dulcedinis prælibatio: finis enim natura est, vt quò sit excellentior, eò suæ bonitatis prægustationem in ad ipsum tendentes, longius transfundat; quare ipsa media, ad hunc finem assequendum assumpta, saporosa quadam dulcedine perfunduntur; quæ eò cumulatiùs prægustatur, quò frequentiùs mens vacat, & videt, quàm suauis est Dominus. Hæ tamen prælibationes, vt monet Seraphicus Doctor, non sunt ad reficiendum, sed ad alliciendum; quare saturitatem non pariunt, sed esuriem; vnde ille, qui eas propter ipsas expetit, magis donum, quàm donatorem diligere conuincitur. 136

Quies est cum mira mentis serenitate, multa voluntatis tranquillitas; cùm enim animæ sinua, & capacitas desuper expletur, non habet circa quod ampliùs turbetur; sed suauissima pace perfungens, hilarescente Irascibili, dulcescente Concupiscibili, & splendescente Rationali, tota anima placidissimè in Deum funditur, & dilatatis, non tamen agitatis, alis sursum iucundissimè vehitur; vti sereno iam sole in media æris regione volucres pennas expandunt, non tamen mouent. Hæc est optima contemplatiuorum pars, quæ non auferetur ab illis. 137

Concludit tandem Seraphicus Bonauentura *cap.* 7. *Itinerarij mentis in Deum*, sex dinumeratos passus, vti & sex considerationes, quas hic luculenter exponit, esse tanquam sex gradus throni veri Salomonis, quibus ad pacem conscenditur: Sunt etiam velut sex Alæ Cherub, quibus veri contemplatiui mens, supernæ sapientiæ corruscationibus illustrata, sursum agitur: Sunt denique sicut sex primi dies, in quibus mens iugiter exerceri debet, vt ad quietis Sabbatismum tandem perueniat, De quo Sabbatismo, quippè gloria, quæ septimus est gradus, tutiùs censet tacendum S. Doctor, quàm loquendum, vt ait in fine illius Opusculi *de septem Contempl. gradibus*, nimirum quia ibi audiuntur arcana verba, quæ non licet homini loqui, quæ vel audire etiam paucissimis 138
in hac vita concessum est. Esto itaque hic vltimus gradus, huius tomi terminus, vti & cæterorum meorum operum (Patre misericordiarum propitiante) finis, & præmium.

Hæc, & alia omnia, siue hactenus scripta, siue inposterum à me scribenda, è Iudicio S. R. Ecclesiæ, intemeratæ veritatis Magistræ, & inconcussæ fidei Columnæ, pendula sunto.

FINIS.



INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ
Quæ in hoc Tomo de virtutibus appoſitè continentur.

Littera P. Paginam: Littera N. Numerum indicat Marginalem.



E TESTAMENTO VETERI.

Geneſis.

Exodus.

Regum tertius.

Regum quartus.

Paralypomenon primus.

Paralypomenon secundus.

Tobias.

Iudith.

Esther.

Iob.

Psalmi.

Proverbia Salomonis.

Ecclesiastes.

Cantica Canticorum.

Amore

Sapientia.

Ecclesiasticus.

Isaïas.

Hieremias.

Threni.

Ezechiel.

Daniel.

Osea.

Ioël.

Ionas.

Michæas.

Habacuc.

Zacharias.

Malachias.

E TESTAMENTO NOVO.

Matthæus.

Marcus.

Lucas.

Ioannes.

XV.

Ad Corinthios secunda.

Ad Galatas.

Ad Ephesios.

Ad Philippenses.

Ad Colossenses.

Ad Thessalonicenses prima.

Ad Timotheum prima.

Ad Timotheum secunda.

Ad Titum.

Ad Hebræos.

Iacobus.

Prima Petri.

Secunda Petri.

Ioannis prima.

Qui

Finis Indicis Tractatus de Virtutibus.





INDEX
RERVM, ET VERBORVM
magis Notabilium, quæ in hoc quinto Tomo de Virtutibus habentur.

Prior Numerus Paginam, posterior Numerum denotat Marginalem.

A

Articulus

Clausura

Debitum

Potest

Dulia.

Iudex

Iudicium.

Iuramentum.

Ius.

Iustitia.

L

Latria.

Legatum.

M

Magnanimitas.

Magnificentia.

N

Natura.

O

Obedientia.

Pactum.

P

Vnus

Q

Qualitas.

R

Racha.

Religiosus.

Seditio.

Voti

FINIS.